




CHRISTOPHORVS CELLARIVS
NAT. SMALCALDIAE CIƆIƆCXXXVIII
X KALEND. DECEMBR.


NOTITIA
ORBIS ANTIQ
SIVE
GEOGRAPHIA PLENIOR,
ab
Ortu Rerumpublicarum ad Conſtantinorum
tempora Orbis terrarum faciem declarans.

CHRISTOPHORVS CELLARIVS
ex
vetuſtis probatisque monimentis collegit,
&
NOVIS TABVLIS GEOGRAPHICIS,
ſingulari cura & ſtudio delineatis,
illuſtrauit.

Adiectus eſt Index copioſisſimus locorum
& aliarum rerum Geographicarum.



LIPSIAE,
Impenſis GLEDITSCH, *Senioris.*
M. DCCI.


LIBRARY
Acc. No. 15197
Class No. 911.3
Date
St. Card
Class.
Cat.
Bk. Card
Checked

SERENISSIMO POTENTISSI-
MOQVE PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO

FRIDERICO,

REGI BORVSSORVM,
MARCHIONI BRANDENBVRGICO,
ET S. ROM. IMP. ARCHICAMERARIO AC
ELECTORI, DVCI MAGDEBVRGI, CLI-
VIAE, IVLIACI, MONTIVM, STETINI,
POMERANIAE, CASSVBIORVM ET VI-
NIDORVM, ET IN SILESIA CROSNAE,
BVRGGRAVIO NORIMBERGENSI, PRIN-
CIPI HALBERSTADII, MINDAE ET CA-
MINI, COMITI HOHENZOLLERAE,
MARCAE ET RAVENSBERGAE, DY-
NASTAE IN RAVENSTEIN,
LAVENBVRG ET BVTAV,
ET CETERA,


REGI ET DOMINO MEO
LONGE CLEMENTISSIMO.

REX SERENISSIME AC POTENTISSIME, DOMINE MVLTO CLEMENTISSIME,

QVæ in Regno TVO gratulationes, faustique sonitus felicitati TVAE plaudentium cœpere, ac inde per cunctas prouincias longe lateque celerrimo cursu proferebanban-

bantur; nondum resonare in iis desierunt, sed eo altius extolluntur, crebriusque repetuntur, quo propius iam, redux ad interiora illarum, & ipsam Vrbem Regiam accedis. Quisque enim primus reuertenti MAIESTATI TVAE adesse, & lætus gratulari, & officium votorum pro salute TVA, pro Regni incolumitate parat facere, & demissa reuerentia suum præstare obsequium. Meretur id virtus TVA, REX POTENTISSIME, merentur ingentia merita, quibus non TVOS modo, sed exteros quoque & omnes TIBI deuinctos tenes, vt hi faueant fortunæ TVAE; illi promte pareant & obsequantur MAIESTATI. Vident omnes diuina bona propitio cælo in TE collata, cumulata: vident, mirantur sapientiam, qua omnibus antecedis: obstupescunt incredibilem & pace & bello TVAM felicitatem: vnde laudum,

 gra-



gratulationum concentus infinitus est. Ignosce, REX INDVLGENTISSIME, quod ceteras virtutes TVAS non tam praetereo, quam aliis praedicandas temporibus reseruo. Sunt enim in TE aeque summa atque maxima, quorum me gloria defixum & mirabundum tenet: & muneris etiam ratio, quod mihi demandasti clementissime, haec potius, quam cetera, in praesenti iubet persequi. Non vnum argumentum TVAE gloriae est, qui omnibus abundas: id mihi deuote iam liceat attingere, quod rei litterariae est proprium. Magnorum Principum haec indoles est, etiam illorum, qui litteris non multam operam dederunt, vt illarum lumine res suas, quas gerunt, illustrari cupiant, & ad seram proferri posteritatem. Quanto maius est quod TIBI & gloriae TVAE, REX SAPIENTISSIME, a bonis litteris exspectes,

qui

qui non ſolum ipſe illas a prima ætate coluiſti, & ſupra tot Muſarum templa, a MAIORIBVS exſtructa, quae benigniſſime conſeruas, etiam nouum TVIS auſpiciis TVOque ſumtu maximo condidiſti ACADEMIAM FRIDERICIANAM, ab AVGVSTO NOMINE TVO adpellatam. In hac ornanda, & mirifice conſeruanda, fixa ſtat cura TVA, quia flore illius & incremento, quod TV cælo imputas, nos etiam TIBI, magnopere lætaris. Qua enim ſapientia ſingulari es, præſagis inde fore, vt æternum TVVM nomen ſit, & gloria TVA immortalis. Hæc enim Academia de TVIS in ſe incomparabilibus & in totam patriam meritis numquam conticeſcet, ſed voce, ſcriptis, quantum in ſe eſt, contendit, vt poſteri quoque idem, quod nos omnes, de magnitudine virtutum TVARVM ſentiant, & loquantur, & admirentur. Facit illa hoc aſſidue, quia

 ſem-

ſemper eſt deuota MAIESTATI TVAE: & quoties ſolemnes dies exigunt, clariore voce perſonat, in laudes TVAS vnice, vt mereris, REX, intenta. Fecit eadem proximis diebus, & adhuc facit, FASTIGIO TVO & REGALI DIADEMATI demisſisſime gratulabunda. Ad quas publicas voces priuatæ deuotionis officium addo, Geographicum opus in FRIDERICIANA TVA natum elaboratumque, AVGVSTO NOMINI TVO ET MAIESTATI, POTENTISSIME REX, demisſisſimo cultu conſecrans. Aequum enim eſt, cuius Conditor & Seruator Academiæ es, vt ex ea quoque fructus ad MAIESTATEM TVAM perferantur, cuius illi nutu & clementia ad eam maturitatem peruenerunt. Accipe ergo, INDVLGENTISSIME REX, quem offero librum TVAE gloriæ dedica-

dicatum, cuius prædicandæ ſtudium mihi primum facio, faciamque dum viuam.

MAIESTATI TVAE

deuotiſſimus ſubiectiſſimusque

CHRISTOPHORVS CELLARIVS.

BENEVOLO LECTORI
CHRISTOPHORVS CELLARIVS.

GEographia historiarum atque omnis elegantioris doctrinæ lumen est. Vt vero rerum mutationes sunt, ita nec eadem est facies terrarum orbis, quæ alia antiquis fuit temporibus, alia nostra est ætate, & rursus medio, quod vocant, æuo erat alia. Ex quo consequitur, vt illa Geographia, quæ Orbem nostri temporis illustrat, non æque antiquioribus illuminandis sufficiat. Omnia mutantur decursione temporum, & vrbium plurimarum, quæ quondam florentissimæ fuerunt, nullum vestigium superest: ruinis aliæ de magnitudine veteri testantur: nouæ heic aliæ & illic surrexerunt, aut creuerunt ex ruderibus priorum. Regnorum quoque & prouinciarum mutati fines sunt, neque nomina nec distributiones conseruatæ. Alia ergo notitia rerum & locorum opus est, quæ priscis temporibus æquata, eo res ordine, quo fuerunt, & rerum nomina diuisionesque exhibeat, & tabularum imagine, tamquam lumine clarissimo, quæ obscura sunt, illustret, quæ deleta aut immutata, pristino habitu atque forma repræsentet. In quo stadio & olim ingenia, nec minus memoria nostra atque patrum, certauerunt. In illis STRABO antistat, tamquam princeps ceterorum, qui plura, quæ scripsit, peregrinabundus oculis subiecerat; parcus & modestus in ceteris. Quo instituto factum est, vt multa quoque prætereat: quædam leuiter tantummodo attingat. Succinctior est POMPONIVS MELA; laxior C. PLINIVS SECVNDVS: sed diffusus CLAVDIVS PTOLEMAEVS, ideoque suspectus sæpe. Mirari

rari enim subit, vnde Aegyptius homo disiunctissimarum rerum tam certam, vt prodit, notitiam acceperit. Aeque enim in remotissimis, quo vixdum homines adierant, copiosus est, nec dubius; vt in propinquis & notissimis. Plurimi faciendum ITINERARIVM esset, quod ANTONINI præ se nomen fert, a quibusdam AETHICO tributum; si emendatius ad nostra tempora peruenisset: sed multa locorum nomina incerta & prauata sunt, & numeri, distantiarum indices, corrupti adeo, vt earumdem quoque vrbium interualla, diuersis itineribus repetita, sæpe aliter atque aliter referantur. De Characeno Dionysio, & Periplorum auctoribus, aliisque eadem breuitate geographis, iam nihil attinet commemorare: nec de Augustana Tabula, de qua infra plura dicemus. His si PAVSANIAE Periegesin Græciæ, & Bizantium STEPHANVM, scriptorem populorum & vrbium, adnumeramus, eosque cum historicis atque poetis aliisque vetustis componimus; habemus fere omnia, vnde notitia antiqui Orbis est colligenda. Hos enim duces clarissimi viri sequuti, Orbis veteris partes illustrauerunt, PHILIPPVS CLVVERIVS Germaniam, Italiam, Siciliam; in Italia postmodum ab LVCA HOLSTENIO adiutus & emendatus: HADRIANVS VALESIVS Galliam: IACOBVS PALMERIVS Græciæ magnam partem, & alii partes alias. Qui vniversum Orbem industria pari exposuerit, haud facile quemquam inuenimus. Ortelii enim conatus magis, quam successus ἀκριβέστερος laudandus est. Ego vero, quamquam impar superioribus ingenio, amore tamen litterarum impulsus tentaui, sustinui, perfeci quantum video opus, quam feliciter, penes te, LECTOR, æquum si[illegible] dicium. Non id quidem est æquale sibi, si [illegible] vetus Tabula,

metiaris; nec vero aliter potest fieri, quia totum nititur antiquitatis testimoniis, quæ de Italia Græciaque diligentius sunt edita, quam de vlla vel prouincia, vel regione barbarorum. Quo factum est, vt vtriusque descriptio, si cum reliquis conferatur, pæne nimis quantum excreverit; in ceteris autem regionibus, de quibus pauciora sunt prodita, parcior etiam locorum & rerum sit nostra enarratio. Quid quæris? Antiqua Geographia res priscæ auctoritatis est, non præsentis cognitionis. Tantum autem de auctoritate habemus, quantum a Græcis Latinisque accepimus, qui res suas copiosius tradiderunt, modice aliorum, ad quos armis non penetrauerant.

Primus liber PRAECOGNOSCENDA huius disciplinæ habet, nec vero illa vltra limitem antiquitatis. Summa capita illorum sunt: Priscorum apparatus geographicus: Notitia rotunditatis terræ: Orbis habitabilis, seu οἰκουμένη, quantus antiquis fuerit, & quod illius medium siue vmbilicus: Terricolarum habitus cum inter sese mutuus, tum ab vmbræ diuersitate denominatus: Zonarum item vsus atque climatum: Ventorum vetus dispensatio, etiam Plagarum & Mundi laterum. Omnia hæc Antiquæ Geographiæ sunt ita accommodata, vt fines eius non excedant, neque aliis testimoniis, nisi antiquis, confirmentur.

Secundo libro EVROPA ita explicatur, vt veteres geographos cum historicis conferamus, & hos mutuo ex illis, illos ex hisce interpretemur & illustremus: quibus & alii scriptores varii, antiqui tamen & pari auctoritate, poetæ in primis, Græci & Latini, accedunt. Is enim vsus est Antiquæ Geographiæ, vt in priscis litterarum monimentis expedite, sine offensione, quam locorum ignoratio facit, quisquis legendo, interpretando possit progredi. Id enim

munus

munus est antiquarii geographi, scire quæ facies Orbis quondam fuerit, in quæ regna & imperia, in quas prouincias, respublicas, & regiones diuisus, quibus ornatus oppidis & castellis, quæ montium, quæ camporum, quæ siluarum atque fluminum; ac marium quoque & insularum nomina fuerint; qui fontes, qui lacus & paludes, & quæ alia ad geographorum disciplinam pertinent. Hæc in tantum persequuti sumus, quantum vetustis litteris est proditum: vt tamen etiam posteriorum, & recentium auctorum, iudicio & doctrinæ fama illustrium, cuiusque in terra qua versatus est maxime, rationem identidem habeamus. Cuius ordinis nobis in Hispania sunt Resendius, Vasæus, Mariana; & in citeriore, sub Pyrenæo, vir summus Petrus de Marca: in Gallia supra laudatus Valesius: in Britannia Camdenus & Buchananus: in Germania Cluuerius, cuius ingenium etiam per Italiam prouectum est, Holstenio comitante, sicut antea comites & socii hi duo itinere fuerant Italico. Græcia quoque suos illustratores habet, quorum principes sunt Ioannes Meursius & Iacobus Palmerius: quamquam ille in ritibus maior, quam in geographia est; hic non omnem Græciam perlustrauit. Hos duces, quoties sequendi sunt, honoris caussa adpellamus; nec illos colere obliti, qui minores partes attigerunt, aut de vno alteroque loco commentati sunt.

Superest, vt de TABVLIS nostris GEOGRAPHICIS, ære expressis, adiiciamus. Paucæ sunt superstites tabellæ, illustrando veteri Orbi antiquis temporibus adparatæ; nec tamen antiquissimis. AGATHODAEMON Alexandrinus geographicas Ptolemæi rationes in tabulas digessit, sed, presse sequutus auctorem suum, tantum habet fidei, quantum ipse, de quo supra dixi, Ptolemæus. Exstat & vetus

Tabula,

Tabula, quam ex Conradi Peutingeri bibliotheca, in Augusta Vindelicorum, Marcus Velserus produxit, & æri incidi ac exprimi curauit, in octo segmenta oblonga distributam. Vnde PEVTINGERIANA vulgo adpellatur; item AVGVSTANA, & a quibusdam THEODOSIANA, quasi ex æuo Theodosii, vt eruditis videtur, reliqua. Sed multis hæc næuis quoque vel describentis vitio, vel auctoris ipsius, est referta; certior autem distantiarum numeris, quam Aethici seu Antonini Itinerarium. Quod vero per lineas in ortum procurrentes cuncta tradit, & adhoc maria compressa habet, flumina distorta; dubios sæpe & incertos relinquit, qui verum locorum situm atque naturæ faciem inquirunt. Patrum memoria geographus clarus, ABRAHAM ORTELIVS, antiqui Orbis tabulas delineauit, quem plerique sequuti sunt, quibus curæ adhuc vetus fuit geographia, vt in iis adquiescerent quæ ipse posuisset. Sed quidquid est huius operis, non absolutum id habendum est, sed quod ipse Ortelius CONATVS tantum GEOGRAPHICOS vocauit: cui si quis curam intenderit maiorem, illico perspiciet, quæ addi sane, vel immutari, vel abiici etiam postulent. Eadem ratio est PHILIPPI BRIETII minorum per Europam tabularum, quas Geographiæ Parallelæ suæ non minus pro veteri, quam nostræ ætatis Orbe insertas esse voluit. Nitide quidem expressæ sunt; etiam cum cura quadam videntur delineatæ: quod vero tota Parallela illa Geographia per se concisa, abstinet testimoniis & rationibus; fit vt positio locorum, in tabulis signata, ægre ab aliorum dissensione vindicetur. Angustiores etiam sunt illæ tabulæ, quam vt omnia, quæ necessaria sunt, capiant, aut illa etiam, quæ tenent, clare ac distincte

oculis

oculis obiiciant: vt ita, qui veteres scriptores vult plenius interpretari, sibi non possit ex illis prospicere, quoniam innumera in iis frustra quæret, & quæ inuenit, multa dubio sunt ita loco constituta, vt, quod probationes nullas in commentariis adpositas habent, tam incertus aliquis recedat inde, quam dubius tabellas consuluerat. Alii singulares partes in tabulis demonstrandas susceperunt, vt Græciam Laurembergius, Palæstinam Adrichomius: sed vix quisquam felicius & cura etiam maiori, quam Cluuerius in Germania, & Italia, & insula Siculorum: quem in his plerumque imitati sumus; in nonnullis tamen, vbi meliora iam inuenta habemus, ab illo secessionem fecimus. In ceteris prouinciis plura emendanda, plura adiicienda erant, vt cum geographis antiquis tabulæ, maxime cum historicis & horum æqualibus conuenirent. Quo factum fuit, vt plane nunc novas tabulas edamus, cum nullis superiorum vbique congruentes; plures plerisque locis ab illis discrepantes. Diuersitatis rationem commentariis, qui cum tabulis vna prodeunt, explicamus. Nec vero ad singula commentariorum capita singulas etiam tabulas adiungimus, sed in quibusdam plures, re ita exigente, vt in Italia & Græcia necesse erat fieri; interdum vna tabula diuersis capitibus satis est, quemadmodum iis, quæ de insulis Græcorum & circa Italiam sunt, ex vniuersalibus Græciæ vel Italiæ tabellis prospiciendum est, quarum altera totum Aegæum mare cum insulis exhibetur; altera insulæ Sardinia & Corsica, interiectis multis tabulis, ita spatio primæ in Tyrrheno mari postulante, illustrantur. Viginti & vnam nunc TABVLAS habes, LE-

CTOR, cum primo Tomo, quo, præter generalem partem, Europa omnis continetur: propediem reliquas cum Tomo altero, complectente Asiam & Africam, videbis. INDICEM quoque adiecimus solito copiosiorem: etiam magis perspicuum, quam vllum facile in geographia reperias. Quærenti per indices permolestum plerumque est, quod vnius πολυσήμυ vocabuli caussa, hoc est plura significantis, multæ paginæ reuoluendæ, perlegendæ sunt: quo labore hic Index liberabit, plerisque nominibus (notissimis tantum prætermissis) adscriptum habens distincto charactere, cuius regionis illud aut prouinciæ, aut gentis sit, ne quid frustra & alienis locis quæras, sed quod tuis curis, tuo instituto idoneum, primo intuitu deprehendas: idque non tantum iis, quæ vno vocabulo diuersa aut plura significant, sed aliis etiam, quæ rariora sunt & minus nota, ita adposuimus, vt non tantum indicem rerum & verborum habeas, sed breuem etiam dubiorum inter quærendum explicationem. Vale & boni consule.



ORDO

ORDO TABVLARVM HVIVS VOLVMINIS.

LIB. I.

LIB. II.

GEOGRA-



GEOGRAPHIA
ANTIQVA.



Rbis terrarum antiquam faciem, in quantum cognita illis gentibus fuit, quæ monimentis litterarum & res ſuas & aliorum prodiderunt, deſcripturus ſum. Arduum opus, & magnitudine ſua ita vaſtum, vt vix animus complectatur, quia non Italia modo antiqua, aut ſola Græcia, ab aliis explanatæ regiones, quamuis in iis quoque multa confragoſa reſtant & aſpera; ſed, quantus orbis antiquis patuit, peragrandus nobis eſt, nec regionatim modo, ſed oppidatim etiam inſpiciendus. At quam multa illorum vetuſtas occultauit, obliuio ſuppreſſit, incuria hominum prætermiſit? præſertim in barbaris regionibus, quo duces, quos ſequimur, Græci Romanique, non penetrarunt; ſed, ſi quid produnt, incertæ famæ potius, quam curæ ac ſtudio ſuo debuerunt? Eruemus tamen, quoad poſſumus, vbique certiora, & documentis quæque ſuis, quantacumque reperire fas

 erit,

erit, illustrabimus, geographiam ex historiis, historias ex geographiæ monimentis interpretaturi. Modum operis definimus nobis, quem non facile egrediemur, vt perspicua breuitas nobis lex prima sit, qua nihil inexpositum relinquamus; nec vero superfluis aut inutilibus abundemus. De præstantia huius studii nihil præmonemus, quam nemo negat, nisi auersus ab omnibus liberalibus disciplinis. Nullum enim studiorum genus est, quod non lucem sibi aliquam a geographia petat. Sancta & cælo delata doctrina non sanctæ tantum terræ descriptionem, aut circumiacentium regionum desiderat, sed omne theatrum Apostolorum, quod cum orbe habitabili æquatur, & vbi vbi disseminata ecclesia fuit, hoc est ad vsque mundi fines; sibi explanari explicarique postulat. Ciuilis prudentia & peritia legum accuratior, ex Græcis Romanisque institutis nata, quantum ex prouinciarum diuisione ac præfecturis prætorii accipiat claritatis, non ignorant qui ad vtriusque fundamenta interiora penitus in omnes partes introspexerunt. Medicinæ origines & medicamentorum patrias terras quis inuestigabit lumine destitutus, quod sola præfert geographia? Historia autem & poetice, & cetera humanitatis studia, geographiæ ita coniuncta & intime sunt innexa, vt sine illa ne esse quidem possint, quum communi vinculo & quadam quasi cognatione inter se contineantur. Hæc autem vniuersa sunt eiusmodi, vt ex antiqui orbis descriptione, saltim ex facie illius, quæ medio æuo erat, illustramentum suum accipiant; notitia regionum & rerum publicarum, quæ nunc sunt, parum perspicuitatis, vel nihil omnino illis adfundat. Quapropter vt singula illustriora fiant, secundum tempora geographiam exponemus ita, vt orbis dispensationem veterem, quæ ab initio rerum ad Romani imperii magnitudinem, quæ amplissima sub Traiano fuit; & inde vsque ad Diocletiani tempora, qui multa in prouinciis mutauit, separatim illustremus: tum demum speciem, quam Constantinorum noua ætas induxit, & aliam, quæ sub Gothis & Langobardis ac vltra fuit, seorsum exponamus. Antequam vero ad singula adgrediamur, de notitia veterum geographica in vniuersum, siue generali eorundem contemplatione orbis terrarum, vt præmittamus aliquid, cum conueniens instituto nostro erit, tum singularum partium pertractationi ad explanandum illustrandumque vtile.

LIBER I

LIBER I
ſiue
NOTITIA ORBIS ANTIQVI IN VNIVERSVM COMPREHENSI.

CAPVT I.
DE
VETERVM APPARATV GEOGRAPHICO.

QUantum veteribus cognitum de orbe terrarum in vniuerſum ſiue generatim fuerit, prius eſt diſpiciendum, quam ad partium cognitionem nos comparandam conferamus. Non enim rudis in geographia fuit antiquitas, ſed quum primum ſtudia litterarum coli & exerceri inter homines cœperunt, locum in iis & GEOGRAPHIA habuit. Homerus vt primus eorum fuit, qui Græcis litteris inclaruerunt; ita etiam, vt Strabo lib. I pag. 5 cenſet, *τῆς γεωγραφίας ἦρξε, primus in geographia ſtudio verſatus eſt.* Quanta enim cura in catalogo vrbium & nauium, quæ pars ſecundi libri eſt Iliadis, omnem Græciam delineauit? quanto ſtudio Aſiæ partem iuxta Helleſpontum, ſiue Troadis oram? Sequuti ſunt præſtantiſſimi quique ingenio, nec tantum Græciam ſuam, aut adiacentes regiones, ſed orbem terrarum complexi animo, eruditas deſcriptiones, prout cuique noſcendi facultas fuit, poſteritati reliquerunt, laudatas a Strabone, Plinio, Byzantio illo Stephano, & aliis: pleraſque vero, quæ temporum eſt iniuria, deperditas ita, vt vix nomina auctorum, aut operum, ad noſtram memoriam perlata fuerint, quæ omnia referre, diffuſi laboris foret, & pro noſtro inſtituto pæne nimii. Priſcorum induſtria ſatis ex tabulis, aut geographicis ſphæris, quas confecerunt, elucet, in quibus colligendis operæ pretium & maius nobis & iucundius erit, quam ſi omnium, qui quocumque modo in terra deſcribenda occupati fuerunt, non ſine tædio ignota nomina adferamus.

Anaximander Milesius, Thaletis, qui ex VII. sapientibus fuit, auditor, πρῶτος ἐτόλμησε τὴν οἰκουμένην ἐν πίνακι γράψαι, *primus orbem terrarum in tabula conatus est describere*, quod Agathemerus Hypotypos. Geograph. lib. I cap. I refert: siue vt Laertius in Vita tradit, γῆς καὶ θαλάσσης περίμετρον πρῶτος ἔγραψε, hoc est, *primus terrarum orbem, terram & mare, in tabula depinxit.* Addit idem, καὶ σφαῖραν κατεσκεύασε, *etiam globum* (terrestrem) *apparauit:* quem, vt Strabo lib. II pag. 62 refert, Eratosthenes correxit, correctorem autem improbauit Hipparchus. Aegyptii vt inuentores fuisse geometriæ dicuntur; ita huius etiam disciplinæ, quam GEOGRAPHIAM appellamus, aut primi cultores, aut primis proximi feruntur exstitisse, quippe antiquis illis temporibus in terrarum orbe designando non tantum litteris, sed etiam figuris & tabulis posterorum memoriæ consuluerunt. Apollonius Argonaut. lib. IV. vers. 279

Οἳ δή τοι γραπτῦς πατέρων ἕθεν εἰρύονται
Κύρβιας, οἷς ἔνι πᾶσαι ὁδοὶ καὶ πείρατ' ἔασιν
Ὑγρῆς τε τραφερῆς τε.

Quæ Ioannes Hartungus vertit: *Illi quidem inscriptas patrum supra seruant tabulas, in quibus omnes viæ & termini sunt maris & terræ.* Quas autem hic *tabulas* vertit, scholiastæ veteri sunt στῆλαι, *columnæ*, qui vero & ipse interpretatur ἄξονας, *tabulas*, puta columnis adfixas. Aristagoras, Milesiorum tyrannus, quum Spartam venisset concitandi belli caussa, dicitur ibidem ostendisse χάλκεον πίνακα, ἐν τῷ γῆς ἁπάσης περίοδος ἐνετέτμητο, *æneam tabulam, in qua totius terræ ambitus incisus erat*, Herodoto auctore lib. V cap. XLIX. Et Athenis Socrates Alcibiadi, quod Aelianus narrat Var. Hist. lib. III cap. XXVIII, πινάκιον ἔχον γῆς περίοδον, *tabellam* monstrauit, *quæ terræ descriptionem* continebat, cuius generis plures Theophrastus habuit, quas in porticu appendi testamento iussit. Has enim Diogenes in Vita eius, πίνακας, ἐν οἷς τῆς γῆς περίοδοί εἰσι, *tabulas, in quibus orbis situs descripti sunt*, appellat.

Nec Romanis huius generis apparatus & instrumenta defuerunt. Italiam in æde Telluris pictam fuisse, de Re rustica Varro lib. I cap. II; & *capita fluminum, orbe terrarum chorographiis picta*, Vitruuius lib. VIII cap. II; & Metii Pomposiani *depictum orbem terræ in membranas*, Suetonius Domit. cap. X memorauit. Sub quod

quod tempus quoque Marinus Tyrius γεωγραφικὸν πίνακα, *tabellam geographicam* confecit, vti eſt apud Ptolemæum lib. I cap. VI. Nec tantum tabulas regionum aut orbis illa tempora habuerunt, quarum modum conſignandarum Ptolemæus eiusdem libri cap. XXIV tradit: verum etiam *globos* ſiue *ſphæras*, terrarum orbem minuta forma adſimulantes, de quibus idem cap. XXII agit, cui præſcriptus titulus eſt, τὴν οἰκουμένην ἐν σφαίρᾳ καταγράφειν, *Terrarum orbem in globo deſcribere.*

Ab Roma illud ſtudium in prouincias fuit prolatum, quemadmodum Auguſtodunenſis ſcholæ porticus, in Gallis Aeduis, eiusmodi tabulis ornatas fuiſſe, Eumenius rhetor oratione pro reſtaurandis ſcholis ad præſidem Galliæ, Conſtantii & Diocletiani æuo habita, cap. XX declarat. *Videat*, inquit, *in illis porticibus iuuentus, & quotidie ſpectet omnes terras, & cuncta maria, & quidquid inuictisſimi principes vrbium, gentium, nationum aut pietate reſtituunt, aut virtute deuincunt, aut terrore. Siquidem illic, vt ipſe vidiſti, credo, inſtruendæ pueritiæ cauſſa quo manifeſtius oculis diſcerentur, quæ difficilius percipiuntur auditu, omnium cum nominibus ſuis locorum ſitus, ſpatia, interualla deſcripta ſunt, quidquid vbique fluminum oritur & conditur, quacunque ſe littorum ſinus flectunt, quo vel ambitu cingit orbem, vel impetu irrumpit Oceanus.* Huius generis ſunt illa ſegmenta Theodoſianæ Tabulæ, quæ ex Peutingerorum bibliotheca Marcus Velſerus edidit: aut quæ ſecundum Ptolemæum ab Agathodæmone grammatico, ad quem Iſidori Peluſiotæ aliquot epiſtolæ exſtant, ſunt exaratæ.

Satis itaque de priſcorum in geographiæ rebus induſtria conſtat, etſi de commentariis geographicis illorum, videlicet Anaximandri & Hecatæi Mileſiorum, Hellanici Lesbii, Democriti, Eudoxi, Ephori, Dicæarchi, Oneſicriti, Theophraſti, Eratoſthenis, Timoſthenis, Poſidonii, Hipparchi, & plurium aliorum, quorum monimenta vetuſtas aboleuit, nihil adferamus. Quorum autem vel opera integra, vel fragmenta etiam ſuperſunt, hos nominatim laudare vna ſerie recenſitos, eſt ſuperuacaneum, quia in omnium notitia ſunt, quæ augendæ & conſeruandæ poſteritatis doctrinæ reliquerunt: & a nobis quoque non ſparſim, ſed frequentiſſime auctoritatis cauſſa laudabuntur.

CAPVT II

DE
ROTVNDITATE TERRAE.

NOn omnium eadem fuit de figura Terræ ſententia. Cleomedes κυκλικῆς θεωρίας lib. I tradit, παρὰ τοῖς παλαιοτέροις τῶν φυσικῶν, *in vetuſtis phyſicis fuiſſe*, qui Terram πλατεῖ καὶ ἐπιπέδῳ τῷ σχήματι κεχρῆσθαι, *planam figuram habere* pronuntiauerint, quæ nimis plebeia eſt opinio, ab vniuerſis eruditis, vt digna eſt, confutata. Alios, addit, credidiſſe, βαθεῖαν καὶ κοίλην τὸ σχῆμα εἶναι, *profundæ & cauæ figuræ* terram *eſſe*, hac inductos ratione, ὅτι διέμενε τὸ ὕδωρ ἐπ' αὐτῆς, *quod aqua ſuper ipſa maneat*. Sed hanc non minus, quam ſuperiorem figuram poſteriores reprobauerunt, qui, quo pacto aqua conſiſtat, ne dilabatur aut effluat, liquidis argumentis & rationibus demonſtrant. Abſurdior illorum fuit opinio, qui κυβοειδῆ, *cubicam* quadrangulamque terram eſſe finxerunt, ipſo ſenſu & communi ratione repugnante. Eruditorum autem in figura terræ conſenſionem ſic idem Cleomedes dicto loco enuntiauit: οἱ δὲ ἡμέτεροι καὶ ἀπὸ τῶν μαθημάτων πάντες, καὶ οἱ πλεῖους τῶν ἀπὸ τῆς Σωκρατικῆς διδασκαλείας, σφαιρικὸν εἶναι τὸ σχῆμα τῆς γῆς διεβεβαιώσαντο, *Noſtrates vero, & omnes mathematici, & Socratici complures, globoſam terræ figuram eſſe confirmauerunt*. Agathemerus quoque lib. I cap. I collegit, qui rotunditatem terræ negatum irent. Democritum ait cenſuiſſe, ὅτι προμήκης ἐστὶν ἡ γῆ, *terram oblongam eſſe* ita, vt longitudo ad latitudinem habeat rationem ſesquialteram: cui ſententiæ etiam Dicæarchus peripateticus acceſſerit. Eudoxum autem dixiſſe, longitudinem ad latitudinem eſſe in ratione dupla; ſed Eratoſthenem in maiore quam dupla. Cratem ſemicirculo adſimilaſſe, Hipparchum menſæ, Poſidonium Stoicum fundæ, cuius media latitudo ab auſtro in ſeptemtrionem pateat, anguſtior pars circa orientem & occidentem procedat. Cum Poſidonio facit Dionyſius periegeta principio carminis de Terra ſcribens:

> Ου μὴν πᾶσα διαπρὸ περίδρομος, ἀλλὰ διαμφὶς
> Ευρυτέρη βεβαυῖα πρὸς ἠελίοιο κελεύθους
> Σφενδόνῃ εἰοικυῖα.

Hoc

Hoc est: *Non tamen tota prorsus rotundum circuitum habens, sed vtrimque latior vergens ad solis vias, funda similis.* Dissentiunt grauiter docti homines in explicatione. Plerique, etiam Agathemerus, & in Dionysium Eustathius, tractum a septentrione in austrum latiorem constituunt: at qui ab ortu in occasum est, angustiorem. Sed alia mens periegetæ fuit, & forsan etiam Posidonii, quos consentire ipse iudicauit Eustathius. Nam κέλευθοι ἠελίοιο, *solis viæ*, ab ortu in occasum feruntur, quo tractu εὐρυτέρα, *latior* terra, hoc est capacior ampliorque, saltim ex notitia veterum; quam a septemtrione in austrum. Nec εὐρύτερος heic ita strictim intelligatur necesse est, vti artifices solent, qui latitudinem orbis ab austro in septemtrionem referunt: sed amplitudinem significat, quæ etiam ab ortu potest in occasum esse, & antiquis vere fuit, quem vulgo tractum longitudinis appellamus. Ita sane Cicero, sub persona Africani, eandem rem interpretatus est de Somnio Scip. cap. VI. *Omnis*, inquit, *terra, quæ colitur a vobis, angusta verticibus, lateribus latior est.* Vertices enim polos vocat, vt paullo ante dixerat, *cæli verticibus subnixos* [circulos] *obriguisse pruina:* & Arateo versu, quem ipse Latine reddidit lib. II de Natura deorum cap. XLI

duplici de cardine vertex
Dicitur esse polus.

Latera vero ab ortu & occasu sunt, sicut plures gentes septemtrioni obuersæ, vt omnes sunt Europææ, in plagis mundi a dextris ortum solis constituunt. Figuræ vero in eo sita erat ratio, quia id solum pro terra habuerunt, quod habitatum hominibus videbant esse, οἰκουμένην videlicet γῆν, quæ ab occasu in ortum antiquis vtique notior erat, quam ab austro in septemtrionem. Inde oblonga figura, quam fingebant, exorta fuit, quæ nec alia facile, pro illorum notitia temporum, quam de habitabili terra habebant, si recte inquirimus, potuit esse. Ipse Strabo lib. II pag. 79 de cognito illo tractu censet, πλεῖον ἢ διπλάσιον ἐστι τοῦ πλάτους τὸ μῆκος, *duplo maiorem longitudinem esse* ab ortu in occasum, *quam latitudinem* ab austro in septemtrionem. Quod etiam Geminus sensit, Straboni vel æqualis auctor, vel paullo maior, Isagog. Astronom. cap. XIII.

Non addam de vulgi opinione, a Cleomede supra etiam rela-

ta,

ta, qua terræ orbis planus, vt discus, cogitatus fuit, qui vndique in oris suis inclinatum magisque propinquum cælum, deflexa concauitate eius, haberet. Non equidem existimo, eruditorum quemquam ita ex animo credidisse. Vt vero sæpe cum vulgo loquuntur, poetæ præsertim, & solem ex mari emergere, dum oritur, finxerunt; in idemque, dum occidit, subire: ita perinde plebeium sensum de figura terræ non nunquam imitatos esse, ipsa verba illorum, si penitus inspiciamus, persuadebunt. Horatius lib. I Carm. od. XXII

Pone sub curru nimium propinqui
Solis, in terra domibus negata.

Et Lucanus lib. IX Pharsal. v. 351

Terrarum primam Libyen. nam proxima cælo est,
Vt probat ipse calor.

Et Silius Italicus lib. III versu 654.

Ad finem cæli medio tenduntur ab orbe
Squalentes campi,

Africæ videlicet. Nec poetis tantum ita vulgum imitari licuit, sed neque historici & alii scriptores a tali loquendi ratione se omni abstinuerunt. Plinius lib. II cap. LXXVIII *Aethiopes* ait *vicini sideris vapore torreri.* Sextus Rufus cap. X ad orientem quoque accommodat, *positas sub vicino sole prouincias* dicens, quas orientales intelligit, sicut poetico more Annæus Florus lib. II cap. XVII sect. 12 idem vel simile aliquid de occidentali plaga, non sine horrore occiduum solem in mare recipiente, confinxit. Quæ plagæ, ortus & occasus, sententiam nostram de scriptorum quorundam more, vulgi opinionem imitante, confirmant, ne quis verba poetarum, quod plures faciunt, de solis vnice via, quæ inter Tropicos circulos est, interpretetur, quasi calidiores regiones vocentur, quæ propius ad Torridam zonam accedunt. Nam ad longitudinis tractum etiam tales locutiones adhibentur, non ad illum solum, qui in austrum vergit. Nec in ipsa austri plaga bene sibi conueniunt quæ pro alia, quam plebeia opinione adferuntur. Nam non *soli* tantum, aut eius *via,* siue tractui qui zodiaco subiectus est, *vicinas* illas terras dicunt, sed *cælo* etiam *proximas,* vti ab Lucano scriptum habemus: neque incognitæ antiquis illæ partes erant, aut visæ inhabitabiles, quæ circa cancri tropicum in terra sunt.

Sed

Sed quoniam de his dictum est alibi, nolo iam iis immorari, quum non opiniones vulgi de orbe terrarum, sed doctorum sapientiumque hominum sententias excutiamus.

Horum qui præstantissimi fuerunt, non dubitauere de Terræ rotunditate, inducti certis & immotis rationibus, quas, pro diuersis locis, ab sideribus eisdem heic magis eleuatis, illic plus depressis; ibi conspicuis semper, alibi perpetuo occultatis; & a varia eclipsium apparentia, dierum inæqualitate & noctium, & ab aliis phænomenis, quæ idem probant, petierunt. Plato Phædone p. 43 de Terra dixit, *ἐν μέσῳ οὐρανῷ περιφερῆ οὖσα, rotundam esse & cælo vndique conclusam.* Aristoteles lib. II de Cælo cap. vlt. rationibus propositis decernit: *σχῆμα δὲ ἔχειν σφαιροειδὲς, ἀναγκαῖον, necesse est,* terram *habere globosam figuram.* Et Strabo lib. I pag. 33 *σφαιροειδὴς γῆ ἡ ἅπασα, tota terra rotunda est.* Eadem Latinorum fuit sententia. De Cicerone postea dicemus, quum de mari agemus supra terram se vndique continente; & de antipodibus. Seneca Quæst. natural. lib. III cap. XXVIII *In rotundum orbis* [terræ] *æquatus est. In parte autem eius & maria sunt, quæ in vnius æqualitatem pilæ coeunt.* Et Plinius lib. II cap. LXX, *Reliquorum, quæ miramur, caussa in ipsius terræ figura est, quam globo similem, & cum ea aquas, iisdem intelligitur argumentis.* Sunt autem eadem argumenta, quæ supra dedimus, a siderum diuersis apparentiis, & eclipsibus non vbique visis, & similia; quibus euictis, ita tandem concludit: *Quod si plana esset terra, simul omnia apparerent cunctis, noctesque non fierent inæquales. Ideo nec nox diesque quæuis eadem toto orbe simul est, opposito globi noctem, aut ambitu diem adferente.*

Duo sunt quæ vulgo rotunditati obiiciuntur, continentia maris, ne effundatur: & montium altitudo, depressis vallibus interdistincta. Ad id, quod de mari est, Cicero respondeat quæ veterum sapientum & sua de eo sententia fuerit. *Si mundus,* inquit lib. II Nat. deor. cap. XLV, *globosus est,* (esse autem probauit antea) *contingere idem terræ necesse est, vt, omnibus eius partibus in medium vergentibus, nihil interrumpat, quo labefactari possit tanta contentio grauitatis & ponderum. Eademque ratione mare, quum supra terram sit, medium tamen terræ locum expetens, conglobatur vndique æquabiliter, neque redundat vnquam, neque effunditur.* Alteri, quod de mon-

tium valliumque inæqualitate obiicitur vulgo, pererudite occurrit Seneca lib. IV Quæst. natural. cap. XI. *Excelsa*, inquit, *sunt ista* [cacumina montium] *quamdiu nobis comparantur: at vero ubi universum respexeris, manifesta est omnium humilitas. Inter se vincuntur & vincunt. Ceterum in tantum nihil attollitur, ut collatione totius nulla sit vel maximis portio. quod nisi esset, non diceremus totum orbem terrarum pilam esse. Pilæ proprietas est, cum æqualitate quadam rotunditas: æqualitatem autem hanc accipe, quam vides in lusoria pila. Non multum illi commissuræ & rimæ earum nocent, quominus par sibi ab omni parte dicatur. quomodo in hac pila nihil illa interualla officiunt ad speciem rotundi: sic nec in universo quidem orbe terrarum editi montes, quorum altitudo totius mundi collatione consumitur.* Id quod etiam Græci multo ante intellexerunt. Eratosthenes apud Strabonem lib. I pag. 33 dixit terram rotundam esse, ὀυχ ὡς ἐκ τόρνου δὲ, ἀλλ᾽ ἔχειν τινὰς ἀνωμαλίας, *non ex torno quidem, sed habere quasdam inæqualitates.*

Sic recte senserunt antiqui de terræ rotunda figura, nec vero errarunt illi, qui habitatam terram oblongam esse tradiderunt, si illam habitabilem dixerunt seu οἰκουμένην, quæ non habitata modo illis temporibus, sed cognita etiam & perlustrata priscis illis hominibus fuit, qui de ea re memoriæ prodiderunt. Quid multa? dum *orbem* dixerunt & *orbem terrarum*, rotunditatem totius terræ confessi sunt, quam etiam globi figura in nummis significauerunt, cuius generis ille est, qui sphæram tenet, obuersis cingulis circumligatam, cum gemino oliuæ ramo; & inscriptus est: PAX ORBIS TERRARVM S. P. Q. R. Minus autem excusari possunt, qui quæ illi de οἰκουμένῃ seu habitata terra dixerunt, de vniuersa terra errore grandi intellexere, quo fieri non potuit, quin aliter, quam res erat, de terræ figura cum ipsi sentirent, tum alios etiam turbata sensa sua & confusas opiniones edocerent.

CAPVT III.

DE
ORBE HABITABILI.

VEteres quum orbem esse Terram, & globosam eius figuram, tradiderunt, omnem terrarum mariumque molem intelligebant,

gebant, cuius vero vix quartam partem crediderunt habitari, quam ἐικυμένην dicebant, id est partem orbis habitabilem. Agathemerus lib. I Geograph. cap. VI clare distincteque, Δεῖ εἰδέναι σε, ὡς ἡ οἰκυμένη πάσα πρὸς τὴν ὅλην γῆν ἀναλογιζομένη, τὸ τέταρτον τέμνεται. *Scire debes, omnem habitabilem terram ad magnitudinem totius orbis comparatam, reperiri quadrantem illius.* Quod si curatius examines, quanta illa habitata pars exstiterit, dissensiones veterum auctorum non leues inuenientur. Plerique in eo consentiunt, τὴν οἰκυμένην, seu habitabilem terræ partem temperatæ zonæ, septemtriones spectanti, includant:- torridam & frigidas inhabitabiles esse iudicent. Strabo lib. I p. 44 τῆς ἐυκράτυ καὶ καθ' ἡμᾶς ζώνης μέρος ἡ οἰκυμένη ἐςί, *Temperatæ zonæ, in qua nos sumus, pars est ἡ οἰκυμένη siue habitata terra.* In austrum quidem vsque ad tropicum citeriorem non ignorabant habitari: in septemtrione autem quousque habitatio pateret, incerti omnes erant, quod nec Romani neque Græci in illam plagam longius penetrauerunt, id quod postea, de climatibus acturi, ostendemus. Vnde est, quod *μέρος partem* tantum temperatioris zonæ habitatam esse geographus scribebat: torridam autem atque frigidas ab vsu hominum pecudumque reduxit. Consentit Pomponius Mela cap. I. *Zonis*, inquit, *quinque* [terra] *distinguitur: mediam æstus infestat; frigus vltimas: reliqua habitabiles paria agunt anni tempora, verum non pariter.* Nec in diuersum Sallustius iuit, Iugurthino B. cap. XIX scribens: *Super Numidiam Gætulos accepimus partim in tuguriis, alios incultius vagos agitare: post eos Aethiopas esse; dein loca exusta solis ardoribus.* qui sic Aethiopas citra zonam torridam credidit esse. At Ptolemæus lib. IV cap. VI & IX Aethiopes per torridas maxime plagas distribuit, nec tantum ad æquinoctialem vsque perduxit, sed nonnullos etiam vltra posuit, quamquam, cuius fide & auctoritate, aut quam certa fama, ignoramus. Hannonis certe periplus montem altissimum, Θεῶν ὄχημα, *Deorum currum* appellatum, prætervectus [illegible] in Noti Cornu, sinu australi, ad Guineam, quam nunc [illegible] Africæ, cis æquatorem constituit. nam ipse Ptolemæus illum montem, & adiacentem sinum, aliquot gradibus citra æquinoctialem collocauit. Hæc de notitia veterum in tractu meridiali. De fabulosis enim Nili fontibus, infra in Africa dicturi sumus.

 Obscu-

Obſcurior, quam auſter, fuit *ſeptemtrio* antiquioribus, qui quam incerti de iis fuerint quæ ſupra Caſpium mare ſunt, exinde manifeſtum eſt, quod plures geographorum, ipſe Strabo, periegeta Dionyſius, Pomponius Mela, & Plinius, ac Solinus, a Patrocle forſan in errorem inducti, Macedonicæ claſſis præfecto, (de quo Plinius lib. VI cap. XVII conſulatur) mare Caſpium ex Scythico Oceano prorumpere, & ſinum illius facere crediderunt; quum veriora vtique diſcere ex Herodoto potuiſſent, qui lib. I cap. CCIII tradidit: ἡ κασπίη θάλασσά ἐςι ἐπ' ἑωυτῆς, οὐ συμμίσγουσα τῇ ἑτέρῃ θαλάσσῃ. hoc eſt, *Caſpium mare eſt per ſe, non admiſtum alii mari.* Neque certiores rationes erant ſupra Euxinum Pontum, aut ſupra Germaniam in Scandinauia peninſula, & dubia pleraque ac fabuloſa, quæ de Scythis interioribus a multis tradita fuerunt, niſi poſteriores, Agathemerum & Ptolemæum, certiora forſan ab accolis accepiſſe credamus, quod in vna alteraque parte contigiſſe non eſt incredibile: ſed vniuerſam Scythiam innotuiſſe nondum perſuademur, quia nec hodie omnis, orientalis maxime, ſiue Tartaria Magna, in Europa degentibus ſatis explorata eſt & cognita. Quousque Alexander in orientem penetrauit, notior facta pars Indicarum regionum: vltra terminos expeditionis eius, quæ ſcripta ſunt a variis, vulgi rumore, lubrica fama, aut fictione potius nituntur pleraque. Vnde eſt, quod, qui tradiderunt illa, Megaſthenes, Ariſtobulus, Eratoſthenes, Hipparchus, Oneſicritus, Nearchus aliique, raro conſentiant, ſeque mutuo impugnent, quod ex Strabonis lib. II & XV obſeruamus. Limes occidentalis in Mauretania, Hiſpania, Gallia, Britannicis inſulis ſatis certus perſpectusque fuit, Oceanus Atlanticus, Aquitanicus, & Britannicus: quæ vltra has regiones in ſeptemtrionem vel meridiem excurrunt, æque incerta & incognita antiquis fuere, vt illa, de quibus prædiximus.

Qualiscumque autem huius cognitæ οἰκουμένης figura fuit, vtique longior quam lata; *orbem* tamen *terrarum* non deſinunt Latini appellare, quod minime miramur, quia eandem etiam *orbem* magnas partes habitabilis terræ per ſynecdoches tralationem ſæpe numero appellant. Nec Romani tantum imperium ſuum *orbem terrarum* ſæpe dixerunt, ſed ipſe quoque diuinus ſcriptor Lucas cap. II πᾶσαν οἰκουμένην, omnem habitabilem mundum, Auguſti Cæſaris potentiæ ſubiectum tradit eſſe, quum ἀπογραφὴν, ſeu *cenſum* eius,

in

in prouinciis actum, descripsit: quod eadem dicendi conuersione, siue κατὰ συνεκδοχὴν interpretandum est. Illud vero Romanum imperium dixerunt *orbem Romanum* Eutropius lib. VIII cap. III & X, Trebellius in Gallienis cap. V, Ammianus lib. XXVI cap. XVI. (Vales. c. III.) Imperatores lege vlt. Cod. Theod. de Fide Catholica, & Augustinus Civ. Dei lib. X cap. XXV, ac lib. XXII cap. VIII. Non deerat ratio tam gloriose de Romanorum imperio loquentibus, quia maiorem illud & nobiliorem partem habitabilis mundi, quantus tum cognitus erat, complectebatur. Sed alias quoque terræ habitabilis siue totius partes, & quasdem quidem non maximas, Latini sæpe *Orbes* appellauerunt. Sic non tantum est *Europæus orbis*, Ammiano lib. XVII cap. XVI; & *Africanus orbis* Saluiano lib. VII pag. 275; & Hyperboreus orbis Martiali lib. IX epigr. c. II; & *orbis geminus*, Europa & Africa, apud Claudianum Belli Gild. principio: & *orbis Persicus*, in Prudentii Epiphaniæ hymno; verum etiam minores portiones *orbis* nominantur, vt *orbis Iberus*, Lucano lib. V vers. 343, id est Hispania, quæ & *extremus orbis* est Silio lib. XVI vers. 189, ac *Hesperius orbis*, ibidem v. 659: quo dignum est referri, quum Prudentii hymno IV Periteph. siue de XVIII Cæsaraugustanis martyribus v. 61 Carthago, metropolis Africæ propriæ siue proconsularis prouinciæ,

parens orbis populosa Pœni

dicitur. Ad hunc modum scite Augustinus Christi ecclesiam, toto mundo dispersam, *orbem Christianum* dixit epist. XLVIII ad Vincentium. Hæc de orbe habitabili, & vocis *Orbis* significatu geographico.

CAPVT IV

DE MEDIO SIVE VMBILICO TERRAE HABITABILIS.

SI rotunda Terra & globosa est, sicuti omnino est; nec principium illa, neque extremum, atque ita nec medium habebit, sed omni ex parte, quæ eius sunt, in se redeant necesse est, si lineas & tractus inter se comparaueris. Nihilominus frequens vox anti-

antiquis de *vmbilico* terræ est, siue medio loco, quem vero non omnes eumdem designant aut intelligunt. Græci de Delphis suis in Phocide sitis iactauerunt, quod esset vmbilicus terræ non Helladicæ modo, sed etiam vniuersæ, tamquam medium punctum in orbe terrarum. Pindarus Pythiorum VI carminis ineunte

ὀμφαλὸν ἐριβρόμου χθονὸς
ἐς ναὸν προσοιχόμενοι,

hoc est; *vmbilicum horrisona terræ ad templum accedentes*, videlicet τὸν πύθιον ναὸν, *Pythium* siue Delphicum *templum*, vbi horrorem oraculi voces cum terræ tremore incutiebant. Euripides clarius Ione v. 223

ὄντως μέσον ὀμφαλὸν γᾶς
φοίβου κατέχει δόμος,

id est, *vere medium vmbilicum terræ Phœbi continet domus*. Et eiusdem tragœdiæ v. 461

φοιβήϊος ἔνθα γᾶ,
μεσόμφαλος ἑστία,

Phœbeia vbi terra, medio vmbilico ædes. Et Sophocles Oedipo Tyranno v. 488 τὰ μεσόμφαλα γᾶς μαντεῖα, *medium terræ tenentia oracula* dixit. Omnium autem clarissime id Strabo illustrauit lib. IX, addito etiam ex fabulis, quod argumenti speciem imperitioribus præbuerit. De Delphico templo ait p. 289, τῆς Ἑλλάδος ἐν μέσῳ πώς ἐστι τῆς συμπάσης, τῆς δὲ ἐντὸς ἰσθμοῦ, καὶ τῆς ἐκτὸς ἐνομίσθη δὲ καὶ τῆς οἰκουμένης, καὶ ἐκάλεσαν τῆς γῆς ὀμφαλόν. *Est fere in medio totius Græciæ situm, quæ & extra Isthmum & intra est: quin etiam in medio totius habitabilis orbis putarunt esse positum, ideoque vmbilicum terræ appellauerunt*. Agathemerus non minus perspicue lib. I cap. I Οἱ μὲν παλαιοὶ τὴν οἰκουμένην ἔγραφον στρογγύλην, μέσην δ' ἡγεῖσθαι τὴν Ἑλλάδα, καὶ ταύτης Δελφούς· τὸν ὀμφαλὸν γὰρ ἔχειν τῆς γῆς. *Veteres orbem habitabilem effigiarunt rotundum, mediam vero sitam esse Græciam, & eius Delphos; obtinere enim vmbilicum terrarum*. Delphi quoque candidum lapidem ostenderunt, quem dicebant ὀμφαλὸν, *vmbilicum* esse, quod Pausanias notauit Phoc. pag. 331.

Græcos, vt in ceteris studiis, Romani quoque opinione hac imitati sunt. Liuius lib. XXXVIII cap. XLVIII oratione Manlii: *Delphos quondam commune humani generis oraculum, vmbilicum orbis terrarum, Galli spoliauerunt*. Ouidius Metamorph. lib. XV v. 630

Anxi-

Auxilium celeste petunt, mediamque tenentes
Orbis humani Delphos adeunt, oracula Phœbi.

Opinionis suæ rationem non tam ex geometria, quam ex fabulis arcessunt. Nec etiam certum aliquid geometrarum disciplina in hoc genere adferre potest. Si enim *terrarum orbem*, vt Liuius appellauit, proprie interpreteris, globosamque illam molem terrarum mariumque intelligas; ineptias aget quisquis medium punctum velit aut vmbilicum in superficie terræ inuestigare. Quod enim rotundum est, æqualem vbique superficiem habet, in qua nihil primum, nihil extremum, nihilque supernum infernumue appellari potest. Ex quo consequitur, vt neque medium in orbe sit, aut aliquid simile vmbilico. Sin partem totius globi, habitabilem terram, quam haud dubie veteres in animo habuerunt, intelligimus; neque sic res expedita, aut facilis diiudicatu est. Nam etsi ab occasu solis certum terminum habemus; vbi finietur in oriente, vbi in austro & septentrione ita, vt per gradus, millenosque passus, aut per stadia Græcorum more designemus, in quo puncto vndique deductæ pares lineæ concurrant? Fabulis ergo, vt solebant in incertis, quidquid huius traditionis est, tuebantur magis, quam geometrica ratione. Fictum antiquitus erat, Iouem, vt medietatem terræ experiretur, duas aquilas, alteram ab ortu, ab occasu alteram vno tempore emisisse, quæ, continuo volatu agitatæ, Delphis, ut medio loco, conuenissent. Ita Strabo d. l. qui in Apollinis templo vmbilicum fasciis velatum, & δύο εἰκόνας τοῦ μύθου, *duas imagines huius fabulæ* ostendi tradit: & Pindari scholiastes ad verba Pyth. od. IV stroph. I χρυσέων Διὸς αἰετῶν πάρεδρος ἱέρεια, *quæ aureis Iouis aquilis adsidet sacerdos*, eandem fabulam de contrario aquilarum volatu repetiuit. Ex Pindari verbis autem habemus, quæ Strabonis εἰκόνες, *imagines*, fuerint, aquilæ videlicet aureæ, in eius rei memoriam in templo Delphico adseruatæ. Fabulam quoque Plutarchus attigit principio libri, Cur oracula edi desierint. E Latinis Claudianus, prologo Panegyrici de consulatu Mallii Theodori, luculenta imitatione:

Iuppiter, vt perhibent, spatium quum discere vellet
Naturæ, regni nescius ipse sui;
Armigeros vtrimque duos æqualibus alis
Misit ab eois occiduisque plagis.

Par-

Parnassus geminos fertur iunxisse [illegible],
Contulit alternas Pythius [illegible].

Hæc de vmbilico terræ apud Delphos: cui Græcorum opinioni consimilis est illa Christianorum veterum qui de Hierosolymis, vel loco circa illam vrbem, crediderunt idem. Horum personam patriarcha Hierosolymitanus tuetur, qui apud Eutychium Tom. II Annal. Alexandrinorum, p. 286, de loco quo Iacobus scalam cæli per quietem vidit (quem intra Æliæ pomœria ponit) Omari, Saracenorum Caliphæ dixit وهي في وسط الارض *& hic* locus *in medio terræ*. Succinit Victorinus Pictauiensis principio carminis de Cruce, quod quidam Cypriano tribuunt,

Est locus, ex omni medium quem credimus orbe,
Golgatha Iudæi patrio cognomine dicunt.

Et alius Christianus poeta qui Tertullianus putatur esse, lib. II aduersus Marcionem v. 196

Golgatha locus est, capitis caluaria quondam
Lingua paterna prior sic illum nomine dixit.
Hic medium terræ est: hic est victoria Signum.

Accedit auctoritas Iudæorum, qui idem sentiunt de Hierosolymis. Dauid Kimch in Psalmum LXXXVII. comm. 3 כי היישוב נחלק לשבעה חלקים׃ ובחלק האמצעי היא ירושלים׃ והיא באמצע היישוב׃ *Terra habitabilis diuiditur in septem partes* (climata) *& in parte media est Ierusalem: & hæc est medio terræ habitatæ.* Non est pœnitenda hæc sententia, si cum geographorum rationibus, quæ per gradus fiunt, componatur, quorum sexaginta circiter ad occidentis limitem, Hispaniam vlteriorem, ab Hierosolymis numerantur, & totidem fere ad Gangem fluuium, Indiæ citerioris, & olim ab Alexandri expeditione notæ, terminationem: Phocis autem, in qua Delphi sunt, viginti gradibus a Palæstina, in occasum versus, est remota, vt vel hac de caussa Græcorum opinioni Christiana & Iudaica sit præferenda. Pondus adiiciunt oraculi sortes, ad quas non Christiani modo, sed Iudæi etiam olim [illegible], verum non pariter. Iudæus Kimchi Ezechielem & testem & interpretem aduocat, qui cap. XXXVIII. 12 dixerit, יושבי על טבור הארץ *habitantes in vmbilico terræ:* ex Christianis Hieronymus in Ezechiel. cap. V comm. 5 commentatus est: *Psalmista* (Psalm. LXXIV. 12) *passionem* (Dominicam) *exprimens, Operatus est, inquit, salutem in medio terræ.*

terræ. Bene res habet, si certa satis interpretatio sit vtriusque. At nondum euictum, de Iudæa Ezechielem vaticinari: aut psalmo illo de Christi supplicio Dauidem. Aliud præsidium sententiæ confirmandæ quærendum est: id quod putamus Ezechielis cap. V commate 5 inueniri, vbi Dei verbis vir diuinus ait: *Ista est Ierusalem: in medio gentium posui eam, & in circuitu eius terras.* Quid est IN MEDIO GENTIVM? R. Salomo Isacides exponit, באמצע העולם *in medio mundo*: R. Dauid Kimchi באמצע הישוב *in medio habitabilis terræ.* Cur ita? non tam idcirco, quod אויר׳ טוב וממוזג *aër bonus ibi & temperatus est*, quod nemo negat: quam propter aliam eamque mysticam rationem, quam ita in commentariis in h. l. beatus Hieronymus interpretatus est: *Hierusalem in medio mundi sitam hic idem propheta testatur, vmbilicum terræ eam esse demonstrans. A partibus enim orientis cingitur plaga, quæ appellatur Asia: a partibus occidentis, eius quæ vocatur Europa: a meridie & austro, Libya & Africa: a septemtrione, Scythia, Armenia atque Perside, atque cunctis Ponti nationibus. In medio igitur gentium posita est, vt quia erat notus in Iudæa Deus, & in Israel magnum nomen eius; omnes in circuitu nationes illius sequerentur exempla: quæ gentium circa se positarum impietatem sequuta, vicit etiam ipsas in scelere suo.* Præclare etiam in hanc rem Marcus Antonius Sabellicus Ennead. VII lib. I de Christo in Iudæa nato scripsit. *Natalis*, inquit, *terra multo aptior fuit ad mysterium in omnes gentes propagandum, quam si remotiore aliqua mundi plaga lux illa esset orta. Est Iudæa terrarum fere media.* Quæ si pie apud animum æstimantur, non, vt vanissima fabula, ridenda est ista antiquæ ecclesiæ opinio in medio mundo vrbem Hierosolymitanam sitam fuisse, & in eadem medietate natum, supplicio adfectum, a morte excitatum humani generis REPARATOREM: scilicet vt omnibus pateret tanta salus, & ex æquo adnuntiari omnibus applicarique diuina beneficia possent. Sed hæc laxe velimus intelligenda: facessat procul superstitio, quæ, vt punctum in circulo, sic centrum *totius* [illegible] demonstret, quia nec extremitates eius ad geometricam rotunditatem exigi & adprobari accuratius a quoquam possunt.

CAPVT V.

DE ZONIS IN TERRARVM ORBE.

COnuicti ratione cum Græci tum Latini sapientes, vt rotundam Terram & globosam esse iudicarent; eosdem circulos in ea, qui in cælo sunt, easdemque partium diuisiones, cælestibus subiectarum, instituerunt. Sphæram primum in hemisphæria, quæ æquator circulus vel horizon etiam faceret, diuiserunt, quorum multa apud Strabonem lib. II, & Agathemerum lib. I cap. VI, & Melam cap. I explicatior est mentio facta. Polos & circulos æque, vt nobis hodie solemne est, nominant, quibus segmenta definiunt, quas *Zonas* appellamus, nec aliter veteres ipsi nominauerunt. videlicet duas frigidas circa polos siue vertices: indeque ad tropicos duas temperatas, *εὐκράτους* Græce: & inter has vnam torridam, *διακεκαυμένην*, *exustam*, quam plerique perinde ac frigidas, *ἀοίκητον*, *inhabitabilem* crediderunt. Pomponii verba cap. III attulimus: iam satis sit Plinium adiungere, lib. II cap. LXVIII perspicue de argumento hoc differentem. *Quum sint*, inquit, *cæli quinque partes, quas vocant Zonas, infesto rigore & æterno gelu premitur omne, quidquid est subiectum duabus extremis vtrimque circa vertices, hunc qui septemtrio vocatur, eumque qui aduersus illi, austrinus appellatur. Perpetua caligo vtrobique, & alieno molliorum siderum adspectu maligna, ac pruina tantum albicans lux. Media vero terrarum, qua solis orbita est, exusta flammis & cremata, cominus vapore torretur. Circa duæ tantum, inter exustam & rigentes, temperantur: eæque ipsæ inter se non peruiæ, propter incendium siderum. Ita terræ tres partes abstulit cælum: Oceani rapina in incerto est.* Consentiunt cum Plinio & Mela in numero Zonarum & in earumdem explicatione Virgilius lib. I Georg. v. 233. Ouidius Metamorph. lib. I vers. 45. Tibullus lib. IV panegyr. Messallæ a versu 152. Macrobius lib. II Somn. Scip. cap. V. & in Græcis Strabo lib. II, Cleomedes lib. I, Proclus in Sphæra, & Stoici apud Laertium in Vita Zenonis Cittiei. Quamuis autem quæ natura exustæ, quæ rigentium zonarum esset, quod remotissimæ erant, peruestigare & certo cognoscere non potuerint: quidam tamen vel ratione vel conie-

cturis

ꝺuris adſequuti ſunt quod res eſt. De rigentibus Varro lib. I R. R. cap. II, *Sunt regiones inter circulum ſeptentrionalem, & inter cardinem cæli, vbi ſol etiam ſex menſibus continuis non videtur.* Et interiectis paucis: *illic in ſemeſtri die, aut nocte,* & reliqua: quæ vtique ſe recte habent, & experientiæ noſtrorum temporum concordant. Torridam *inhabitabilem* plerique dixerunt, quod ſecus eſſe, compertum nauigationibus multarum gentium habemus. Sed tamen Eratoſthenes, cui Polybius *ὁμοδοξῶν, conſentiebat*, apud Strabonem lib. II pag. 66: dixit, *ὑποπίπτουσαν τῷ ἰσημερινῷ εἶναι εὔκρατον, plagam, æquinoctiali circulo ſubiectam, bene temperatam eſſe.* Cuius alter rationem dat, *διότι ὑψηλοτάτη ἐστὶ διόπερ καὶ κατομβρεῖται, quum ſit altiſſima, ideo etiam pluuiis irrigatur.* Quod ita eſſe nemo iam dubitat, ſi altitudinem montanam, quæ ſumma ibi & frequens eſt, intelligamus. vnde pluuiæ ſunt, & in vallibus ſubiectis temperies hominibus æque ac animantibus accommodata. Sed pauci fuerunt qui ita iudicarent: pluribus inhabitabilis eſt zona illa viſa, & Poſidonius quoque altitudinem illam, quam Polybius adſeruerat, multis verbis reprehendit.

Hic Poſidonius eſt, qui, eodem Strabone auctore, ambuſtæ zonæ, quamuis inhabitabilis videatur, tamen *πλέον ἢ τὸ ἥμισυ τοῦ πλάτους οἰκήσιμον εἶναι; amplius quam dimidium ſpatium habitabile eſſe* prodidit, quod Aethiopum habitatione, qui ſupra Aegyptum ſunt, probatum iuit. Ideoque ſeptem ipſe zonas diſtinxit, ſicuti ſex Polybius. Ille enim *δύο ἄλλας στενὰς τὰς ὑπὸ τοῖς τροπικοῖς, duas alias anguſtas zonas ſub tropicis* conſtituit, habitabiles quidem, ſed difficulter, & parum fructuoſas; inter quas demum ſit inhabitabilis torrida ſiue exuſta. Atque ita ſunt ſeptem illæ zonæ, quas diximus Poſidonium conſtituiſſe, cui male Achilles Tatius cap. XXXI extremo ſex tantummodo attribuit. Sed maior fides Strabonis de Poſidonio, quam ſummus vir Iſaacus Caſaubonus illuſtrauit. Polybius autem, qui ſex zonas poſuiſſe fertur, nihil noui attulit, quod a ſententia recepta magnopere diſcreparet. Mediam enim ſiue torridam, ſicut vere ſecta per æquatorem eſt, in duas ipſe diſſecuit, ſeptemtrionalem, quæ inter æſtiuum tropicum ſit & æquinoctialem: & alteram meridialem, quæ ab æquatore ad hibernum tropicum pertineat, vt alterutrum hemiſphærium, æquatoris circulo terminatum, tres integras zonas accipiat, frigidam, temperatam, &

æstu nimio adustam. De cuius sententia ita Strabo iudicauit, τὴν διακαυμένην δίχα διαιροῦντα πρὸς ἃ φαῦλον ἀπέφηνε φαίνεσθαι κεκινημένον, *quod exustam tamen diuiserit bifariam, ad id argumento non inepte adductum esse videri*. Nihilominus Eratosthenes, Strabo, aliique, vulgarem sententiam de quinque zonis, cuius primum auctorem Posidonius Parmenidem dixit, non censent deserendam esse, quod & naturæ rerum & geographiæ sufficiat. Adi Strabonem lib. II pag. 65. 66, Achillem Tatium cap. XXXI.

CAPVT VI
DE
CLIMATVM DISTRIBVTIONE.

Clima, κλίμα, inclinatio est, vel id quod inclinatur: quemadmodum Philo lib. I de Vita Mosis τῶν ὀρῶν τὰ κλίματα, *acclinia montium* dixit, quum terræ Canaan fertilitatem, ab exploratoribus inuentam describit. Ad cæli partes transfertur, eisque subiectas regiones terræ, quia in rotundo corpore, vt non solum cælum concauum est, sed ipsa quoque terra, ad polos pedetentim partes inclinantur. Herodianus lib. II cap. XI sic vsus vocabulo, dixit, οὐδέ τι ἦν γῆς μέρος, ἢ κλίμα οὐρανοῦ, ὅπη μὴ Ῥωμαῖοι τὴν ἀρχὴν ἐξέτειναν, *neque vlla orbis terrarum pars, aut cæli tractus fuit, quo Romani imperium non protulerunt*. Latini scriptores *inclinationem*, *declinationem*, & *deuergentiam* vertunt. Vitruuius lib. I cap. I, *Architectum disciplinam medicorum nouisse oportet propter inclinationes cæli, quæ Græci κλίματα dicunt; & aeres locorum, qui sunt salubres aut pestilentes*. Et Gellius, ex Fauorini persona, aduersus philosophos ita disputat lib. XIV cap. I, *Si principes Chaldæi, qui in patentibus campis colebant, stellarum motus, & vias, & discessiones, & cœtus intuentes, quid ex iis efficeretur, obseruauerunt; procedat hæc sane disciplina, sed sub ea modo inclinatione cæli, sub qua tunc Chaldæi fuerunt. non enim potest ratio Chaldæorum obseruationis manere, si quis ea vti velit sub diuersis cæli regionibus. Nam quanta partium circulorumque cæli ex deuergentia & conuersionibus mundi varietas fit, quis non videt?* Columella quoque lib. III cap. I de Vite ait: *Omni pene regione, & omni declinatione mundi (nisi tamen glaciali vel præferuida) cura mortalium respondet*. Et ipsum quoque Græcum no-

nomen Latinitate donatum est. Apuleius Trismeg. ad Asclep. *Impossibile, quamquamque formam alteri simillimam nasci horarum & climatum distantibus punctis.* Vt rei agrariæ notionem, qua *clima quoque* [illegible] *pedum est* LX, Columella auctore lib. V cap. I, taceamus. Ad Græcos reuertimur, quibus κλίμα laxe est quilibet tractus in terra. Zosimus lib. II cap. XIV τοῖς Ἰλλυρικοῖς κλίμασι, *Illyricis regionibus*: quod repetitur lib. IV cap. XXXIV ineunte. In quem modum diuinus apostolus Corinthiis epist. II cap. XI comm. 10 scripsit ἐν τοῖς κλίμασι τῆς Ἀχαΐας: & ad Galatas cap. I comm. 21 εἰς τὰ κλίματα τῆς Συρίας. Etiam *cardo* κλίμα, seu *plaga cardinalis* est. Dionysius Halicarnasseus lib. I pag. 8, ἀπὸ μεσημβρινοῦ κλίματος, *a meridiali plaga*, ostiis fluminis Liris prope Minturnas, respectu ostiorum Tiberis; id quod Dionysii Vticensis verbis confirmat Salmasius Exercitat. Plin. pag. 882, ἀπὸ τῶν τεσσάρων κλιμάτων τέσσαρες ἀνθρωπικοὶ πνέουσιν ἄνεμοι.

Hæ vulgares notiones sunt vocabuli *climatis*: geographorum cura id strictius comprehendit, vt duobus parallelis includat a celebri loco denominatis, quorum superior notabili differentia cum aliarum rerum, tum longissimi diei vel noctis inferiorem superet: seu spatium, his interceptum, ab aliis climatibus notabiliter eisdem rebus differat, maxime dierum noctiumve incremento. nam huius plerumque in discrimine notando mentionem fieri videmus. Geminus Rhodius Isagoges in Phænom. cap. IV p. 10 ὥστε τὰ μεγέθη ἡμερῶν, καὶ τὰ κλίματα, καὶ τὰ πάντα φαινόμενα τὰ αὐτὰ διαμένειν, *vt magnitudines dierum, & clima, & omnes apparentiæ eædem permaneant.* Strabo lib. II pag. 60 de discrimine climatum, vt vir acutissimus Cl. Salmasius emendauit (nam prauatus desperatusque locus erat) ita tradit: ἐπεὶ τὸ πρὸς αἴσθησιν οὐχ ἁπλῶν, ἀλλὰ τὸ μὲν ἐν πλάτει μείζονι, τὸ δ' ἐλάττονι. μείζονι μὲν, εἰ αὐτῷ τῷ ὀφθαλμῷ πιστεύομεν, ἢ καρποῖς ἢ κράσεσιν ἀέρων πρὸς τὴν τῶν κλιμάτων κρίσιν. *Est autem, quod ad sensum attinet, non simplex discrimen, sed aliud maius, aliud minus: illud, quando solo credimus de fructibus aut temperamentis aeris pro climatum discretione: hoc, quum gnomonica aut dioptrica adhibentur instrumenta.* Non ergo paria vbique climata, nec eisdem parallelis de sententia omnium determinabantur. Vulgo VII feruntur climata geographiæ veteris fuisse, quem numerum etiam Iudæus nobis commendauit, vt supra cap. IV ex ipsius verbis

cognouimus: & hoc ordine constituta sunt, vt primi circulus limitaneus transierit per Meroen Aethiopum: secundi per Syenem sub Cancri tropico: tertii per Alexandream Aegypti: quarti per Rhodum: quinti per Romam: sexti per Borysthenem ostiis propinquum: & quod septimum est, per Riphaeos montes. Vide sis Paulli Merulae Cosmograph. part. I lib. III cap. XXIII. A quo modo non nihil discessit Iulius Firmicus Astrolog. lib. II cap. XIII, vt primum clima constituerit Aethiopiae: secundum Babylonis, puta Aegyptiae: tertium Alexandreae; quartum Athenarum: quintum vrbis, id est Romae: sextum Hellesponti: septimum septemtrionis. Singulare illud est, quod Babylonem illam Aegyptiam secundo climati terminum apposuit, ex quo enormis inaequalitas oritur, quum ab Aethiopia ad illam spatium intercedat amplissimum; exiguum aut mediocre inter illam & Aegypti Alexandream; nec quisquam facile reperitur, qui in climatum dimensione per Babylonem Aegyptiam parallelum terminatorem circumduxerit, sed plerique per Syenen quae sub tropico est, vt Alexandrino parallelo in austrum succedat proxime, illum circumferri voluerunt. In ceteris vbique consentientes habet alios: quamuis, vt Strabo lib. II obseruat, Athenae & Roma horariis terminis non exactissime respondeant, qui propterea alios, vti ex schematis tabella clarum est, praefixit. Per Hellespontum etiam Ptolemaeus parallelum duxit lib. I cap. XXIII, qui fere cum illo Strabonis per Troadem Alexandream, concurrere videtur. Quam vero Strabo, ex incrementis dierum, distributionem parallelorum faciat siue climatum; schema, quod apponimus, perspicue manifestabit. Diuisit ille vergente II libro in semihoras: supra Hellespontum etiam in quadrantes horae, vt tamen & semihorae differentiam, per Pontum ductam, non praetermiserit. Ptolemaeus autem dicto loco, & eum sequutus Agathemerus lib. I cap. VIII, inter aequatorem & polarem circulum siue Thulen, XXI parallelos ita disposuerunt, vt inter singulos differentia sit quadrantis horae: sed paucos ducunt per loca nominatim expressa, vt Ptolemaeus per Meroen, Syenen, Alexandream, Rhodum, Hellespontum, Byzantium, per medium Pontum & Borysthenem: Agathemerus climata simul adnumerat, exempli gratia, ad quartum parallelum notauit, τῦτό ἐςι τὸ διὰ Μερόης πρῶτον κλίμα, *hoc illud est per Meroen primum clima*:.



VETERIS. ORBIS CLIMATA EX STRABONE
Caurus, Corus
Thule
MARE GLACIALE
Circulus Polaris Arcticus
SCYTHIA EXTRA IMAUM
Hyperborei Montes
SCYTHIA
SARMATIA
EUROPA
ASIA
INTRA IMAUM
Clima VII
Clima VI
Clima V
Clima IV
Clima III
Clima II
Subsolanus
Eurus
CASPIUM MARE
Bactra
INDIA EXTRA
per Rhodum
Tropicus Cancri
GAETULIA
Atlas Maior Mons
Cerne Insula
Parallelus per Sienen
Garamantes
AFRICA
LIBYA
MARMARICA
Alexandria
Siene
ARABIA FELIX
Parallelus per Meroen
Currus Deorum
Meroe
AETHIOPIA
Taprobana
Longissima dies hor 13
Aequator, siue Circulus Aequinoctialis

Meridies

clima: & sic in sexto parallelo, *δεύτερον κλίμα, secundum clima:* in octauo, *tertium* Alexandreæ: in decimo parallelo *quartum clima* per Rhodum: in duodecimo, *quintum* per Hellespontum: in decimoquarto, qui *διὰ μέσου πόντου, per medium Pontum* est, clima *sextum:* in decimoquinto *septimum*, per Borysthenem, qui gradibus XLVIII, minutis XXX ab æquatore distet, differentiam longissimi diei habens ad horas quatuor. Vlteriores parallelos sine mentione climatum per gradus & horas distinguit hoc modo:

XVI	parallelum	gr. 51,	hor. 4,	minut. 30
XVII	parallelum	gr. 54,	hor. 5	
XVIII	parallelum	gr. 56	hor. 5,	minut. 30
XIX	parallelum	gr. 58	hor. 6	
XX	parallelum	gr. 61	hor. 7	
XXI	parallelum	gr. 63	hor. 8	

De hoc vltimo parallelo ait: *ὁ διὰ Θούλης γραφόμενος, οὗ βορειότερον οὐδὲν ἐγνωρίσθη παρ' ἀνθρώπων, Hic est per Thulen scriptus: vltra quem nihil magis septemtrionale hominibus compertum est.*

Hæc de Climatibus & Parallelis veterum. Recentiorum climata vtrimque ab æquatore ad alterutrum polarem per interuallum semihoræ diei solstitialis disponuntur: & quia differentia dierum ad XII vsque horas adsurgit; in alterutro hemisphærio XXIV fiunt climata semihoraria scilicet viginti quatuor ab æquatore ad polarem arcticum: & totidem ab eodem æquatore aduersus antarcticum circulum polarem. Sed æque horum & veterum, nisi in incremento dierum, rarus nostris temporibus vsus est: major, & fere vnicus in hoc genere, latitudinis loci, siue, quæ gradibus eidem respondet, licet diuersa per se sit, eleuationis poli, per quam omnia metimur hodie & diffinimus, etiam ipsam dierum longitudinem ex illa intelligimus facillime. Hæc hodierno vsu pro climate diuisio valet, cuius fundamentum, dispensatio circuli CCCLX gradus, nec ipsis veteribus ignotum fuit, vtpote Ptolemæo & Agathemero vsurpata, & ab ipso quoque Strabone sub finem lib. II memorata. Laxe autem latitudinem loci per clima celebris & notæ vrbis, vel regionis, nonnunquam, post subtilioris etiam distinctionis inuentionem, describi solet, vt est illud Achillis Tatii Isagog. p. 148, *αὕτη θέσις τῆς σφαίρας κατὰ τὸ κλίμα τῆς*

Ἑλλη-

Ἑλλησποντίου, καὶ τῆς Μακεδονίας ἐςὶ, καὶ τῆς Ἑλλάδος; hoc est, *In sphaera situs est, qui Hellesponti, Macedoniae, & Graeciae climati respondet.*

CAPVT VII

DE

TERRICOLARVM HABITV TVM INTER SE, TVM RESPECTV SOLIS ET VMBRARVM.

Qvamuis habitatio mundi omnis olim cognosci non potuerit, & cognitus orbis ab vniuerso terrae globo distingueretur: sapientiores tamen qui fuerunt, ex figura orbis & totius mundi intellexerunt, si orbis terrarum rotundus esset seu globosus, de quo iidem nihil dubitabant; & vbique habitaretur, quod quidem incertum erat; qualis tum si ita esset, positio hominum aduersus solem foret, & in quam plagam vmbra casura esset: & quem habitum ac situm, qui ita diuersas partes terrarum orbis colerent, inter se ipsi habituri essent. Vmbrae autem ratione, quam positio ad solem pro diuerso situ & variatis modis facit, homines quidem *amphiscii*, alii *heteroscii*, rursus alii *ascii*, & quidam tandem *periscii* appellantur: respectu autem incolarum orbis & inclinationis eius, ipsi inter se *synoeci, antoeci, perioeci, antichthones* & *antipodes* varie distinguuntur. Antiquorum descriptiones videamus, vt appareat quid de quouis genere habitationis iudicauerint. Οἰκήσεις enim, id est *habitationes* vocitarunt, quia τῶν οἰκούντων, *hoc est habitantium*, mutuam ad se relationem atque habitum significant.

Primum autem de *vmbrarum* differentia, & inde varie denominatis terricolis agemus. Sunt eius intuitu vel *amphiscii*, vel *heteroscii*, vel *periscii*. Antiqua haec diuisio, quam Strabo lib. II pag. 65 ex Posidonio aliisque ita proponit, vt integris zonis discernat qui vmbram ab aliis diuersam habeant. Duas zonas ait περισκίους, *periscias* esse, quae nempe a polo alterutro ad proximum vtrimque polarem circulum pertingunt: duas ἑτεροσκίους, *heteroscias*, ab arctico circulo ad tropicum solstitialem alteram; alteramque ab antarctico circulo ad brumalem vsque conuersionem, extensas: & vnam

vnam ἀμφίσκιον, amphisciam, τὴν μεταξὺ τῶν τροπικῶν, inter tropicos existentem, siue torridam. Quo in solo tractu etiam ἄσκιοι, ascii, vmbra aliquando meridiana carentes, inueniuntur: de quibus mox plura dicemus ex Tatio. Extremo illo II libro periscios Posidonii putat Strabo οὐδὲν ὄντας πρὸς τὴν γεωγραφίαν, ad geographiam minus pertinere, quod illæ partes propter frigoris acerbitatem sint inhabitabiles. Id vero recte iudicauit Strabo, ibidem locorum gnomonis vmbram in orbem ambire, tametsi nesciat, aut neget etiam, regionem illam ab hominibus habitari. *Amphiscios* Strabo illos interpretatur, quorum gnomoni sub meridiem erecto sol adfulgens vmbram nunc in hanc, alio tempore in diuersam partem proiiciat, videlicet sole in oppositam priori regionem delato: quod iis tantummodo contingat, qui inter tropicos habitant. *Heteroscios* autem esse, quorum vmbra in alterutram partem semper feratur, vt septemtrionem versus in nostra zona: aut in meridiem semper, vt iis accidit, qui in altera temperata zona degunt.

Achilles Tatius, Alexandrinus mathematicus, in Isagoge ad Arati Phænomena cap. XXXI, his a Strabone explicatis generibus addit *ascios, antiscios, brachyscios, macroscios.* Ἄσκιοι, vmbræ expertes, in torrida zona eo tempore sunt, quo in vertice illorum sol meridianus est: declinante sole a vertice, fiunt amphiscii. Rem exemplo illustrat. Qui sub æquatore colunt, quum sol in Arietis vel Libræ existit principio, esse ait vere ascios, radio omne spatium, quod circa corpus est vel gnomonem, adimplente: vbi vero in alia signa sol processerit, puta in Cancrum, vmbram eorum, qui æquatorem circumcolunt, sinistrorsum cadere siue in austrum: si Capricornum versus progrediatur, eorumdem vmbram dextrorsum proiici siue in septemtrionem. Tamen & in aliis partibus, nec vero extra tropicos, certo tempore sunt ascii, vt in Syene, quæ sub tropico sita est, quando sol in cancri principio versatur. Eadem ratione βραχυσκίους & μακροσκίους, eos qui breuem aut longam vmbram habent, intelligimus. *Brachyscii* enim, siue breuis vmbræ sunt, a quorum vertice sol propius distat: *macroscii*, seu longioris vmbræ, a quibus sol recessit longius. Sic sub idem tempus, & in eadem temperata zona, breuior vmbra existit in Africa proconsulari, aut Numidia, quam in Italia; & heic quoque breuior, quam in Dacia vel Scythia solet esse: & qui æquinoctiali subiacent,

quum ſol in Cancro exiſtit; longiorem vmbram habent, quam quum eſt in Tauri ſigno. Atque ita de aliis quoque locis ac partibus iudicium eſto. *Antiſcii* autem, ἀντίσκιοι, borealibus ſunt auſtrales, quia contrarias vmbras habent, illi dextrum ad latus, hi ad ſiniſtrum, quoniam medius ſol ambobus interiectus eſt: & auſtralibus antiſcii ſunt ſeptemtrionales ob easdem, quas diximus, ex ſolis poſitu ſeu interuentu rationes. Boreos autem & auſtrales eos hoc loco notamus, qui hæmiſphæriis diſtincti ſunt, æquinoctiali circulo intercurrente: non illos, qui in eodem hemiſphærio vel propiores æquatori, vel longius ab illo reducti ſunt.

Hæc de diſtinctione terrarum atque hominum, quam ex vmbræ diuerſa ratione antiqui deduxerunt, vel ideo non inutilia ad explicandum nobis viſa, vt non inuentum nouum eſſe, ita orbem per vmbras diſtribui, intelligatur: ſed quidquid geographi ætatis noſtræ de hoc diſcrimine per vmbram facto adferant, ex antiqua geographia repetitum eſſe cognoſcamus. Nunc de *habitationibus* dicemus, ſeu vario ſitu atque habitu, quem inter ſe terricolæ, aut vna gens ad aliam relata, obtinet.

Geminus, Rhodius mathematicus, cap. XIII Iſagoges, diuiſionem orbis aliam reſpectu habitationis proponit, qua incolæ, ad alios ratione habita, dicantur σύνοικοι, περίοικοι, ἄντοικοι, ἀντίποδες, *ſynœci*, vel *periœci*, vel *antœci*, vel *antipodes*. nam vſus vocabula Græca etiam in Latinum ſermonem adſumſit. *Synœcos* deſcribit τοὺς περὶ τὸν αὐτὸν τόπον τῆς αὐτῆς ζώνης κατοικοῦντας, *qui circa eundem locum eiusdem zonæ habitant*, proximi ſcilicet & vicini: *Periœcos* autem, τοὺς ἐν τῇ αὐτῇ ζώνῃ κύκλῳ περιοικοῦντας, *qui in eadem zona in circuitu circumhabitant*. Nihil mentionis facit de oppoſitione per diametrum, ſeu diremtione per ſemicirculum, quam recentiores addunt: nec plus Achilles Tatius, cap. XXX pro periœcis requirit. Περίοικοι, inquit, ὅσοι τὴν αὐτὴν οἴκησιν οἰκοῦσιν, *Periœci ſunt quotquot eandem habitationem incolunt:* quos ipſe interpretatur, qui in eadem zona ſint, ſeu inter communes parallelos in circuitu, ideoque noctes & dies, & annuas tempeſtates easdem habeant. Ne quis vero exiſtimet, nouum plane eſſe de ſemicirculari oppoſitione additamentum; Cleomedis auctoritate oſtendam, illud nec antiquis ignotum penitus fuiſſe. Quum enim lib. I oſtendit quæ nobis cum periœcis ſint communia, videlicet eamdem zonam

nam habitare, eamdemque habere hiemem ac æstatem, & incrementa & diminutiones dierum atque noctium; addit pag. 326, Διαφέρονται κατὰ τὰς ἡμέρας καὶ τὰς νυκτάς. παρ' ἡμῖν γὰρ ἡμέρας οὔσης, παρ' ἐκείνοις νύκτα εἶναι δεῖ· καὶ ἔμπαλιν ὁπόταν καταδύεται παρ' ἡμῖν ὁ ἥλιος, ἀρχὴν λαμβάνει τοῦ παρ' ἐκείνοις ἀνίσχειν. *Differunt diebus & noctibus. Nobis enim quum dies erit, illis noctem esse oportet: & vicissim quum nobis sol occiderit, sumit initium apud illos ortus.* Quod si ita est, longius interuallum inter mutuos periœcos oportet esse, quod si non ipsum semicirculi sit, siue per CLXXX gradus in eodem parallelo nobis oppositum, propius absit ab illo, necesse est. nam quæ de noctis & diei, de ortus & occasus oppositione in Periœcis dixit, ipse Cleomedes πλατύτερον, *laxe* intelligendum esse censuit.

Antœci, ex Tatii descriptione, sunt zonæ australis incolæ borealibus, & septemtrionales australibus, quia australi opposita sit borealis οἴκησις seu habitatio; & boreali australis. Itaque antœci eandem inuicem noctem habent & diem, sed diuersa solstitia. Nam sol in Cancro positus vt æstatem nobis, qui ad septemtrionem accedimus; sic illis, qui ad austrum vergunt, adfert hiemem. Vicissim ad Capricornum delatus, hiemem nobis; antœcis æstatem facit. Rursus Arietem sol attingens nobis vernum dat æquinoctium; antœcis nostris autumnale: & versa vice in Libra nobis autumnum inchoat; non item antœcis, quibus initium veris tum exsurgit. Et post æquinoctia quum sol per signa videtur nobis adscendere; apparet descendens antœcis, quibus tum demum adscendendo fit altior, quum signis a Cancro ad Capricornum procedit, quæ nobis in nostra sphæra est descensio; augetque dies illorum in tantum, quantum nostris diebus detrahitur. Hæc plenius ex Tatio exscribere visum fuit, quia Geminus in hac parte cum concisior per se est, tum etiam, secus ac alibi, non nihil obscurus. Ex his autem perspicue elucet, quos antiqui *antœcos* appellauerint.

Antichthones supersunt & *antipodes*, quos multi pro iisdem habent: quidam etiam antichthonas & antœcos ita describunt, vt nihil omnino differre videantur. Sed alia de iis antiquorum fuit sententia. Tatius dicto loco tres hos ordines distinctos tradit, in ἀντίχθοσι explicandis non ita perspicuus, vt ceteros, antœcos & antipodas, illustrauit. Caput XXIX extremum latet in mendo:

capite XXX ait antichthonas esse τὺς κατὰ διάμετρον ἐν ταῖς ὁμοίαις ζώναις οἰκῦντας, *e regione in similibus zonis habitantes.* Pomponius Mela cap. I sit interpretis loco. *Reliqua*, inquit, *zonæ* (de temperatis loquitur) *paria agunt anni tempora, verum non pariter. Antichthones alteram: nos alteram incolimus.* Quæ qui antœcis forte commiscent, negat Isaacus Vossius in hunc locum, cum Pomponio sentire. Cui clarissimo viro antichthones veterum omnes illi censentur, qui oppositam terram australem inhabitare credebantur, etiamsi in superiore nostro degerent hemisphærio, illo scilicet quod non per horizontem, sed per æquatorem seu ardentis zonæ interuentu diremtum a nostro est. Ita putat semper ab antœcis & antipodibus distingui. Nec διάμετρον Achillis ad eam vim & rigorem exigas velim, vt solet in antipodum descriptione, quos ipse segregatos vult ab antœcis.

Grauior de *Antipodibus* controuersia vetustis fuit temporibus, quos quidam plane negarunt, ineptiæ hos absurditatis accusantes, qui illos velint defendere: alii ita de iis sentiebant, vt esse posse, geometricis rationibus persuaderent, quamlibet nunquam vel fando experti fuissent. Primum obstacula, quæ quidam veterum in argumento hoc posuerunt, remouebimus: deinde cordatiorum de eodem sententiam adiiciemus.

Plutarchus de Facie in orbe Lunæ p. 780 illos acriter exagitat, qui Terram centrum mundi, & rotundam, & in ea antipodas credant, ὥσπερ θρῖπας ἢ γαλεώτας τραπέντας ἄνω τὰ κάτω τῇ γῇ προσισχομένυς, *instar teredinum, aut stellionum, imis corporum partibus sursum obuersis, terræ adhærescant.* * Sed quid agit? negat ibidem τὴν ἐπὶ τὸ μέσον φορὰν, *lationem grauium ad commune centrum,* innumeris experimentis adhuc comprobatam, & olim a philosophis & geographis validissime defensam. Strabo lib. II pag. 75 ait: τὰ μὲν παρὰ τῶν φυσικῶν δεικνύμενα τοιαῦτά ἐστι· σφαιροειδὴς μὲν ὁ κόσμος, καὶ ὁ ὐρανός· ἡ ῥοπὴ δ' ἐπὶ μέσον τῶν βαρέων· περὶ τῦτό τε συνεστῶσα ἡ γῆ σφαιροειδῶς ὁμόκεντρος μὲν τῷ ὐρανῷ μένει, *Quæ a physicis demonstrata in geographiam transsumuntur, hæc sunt: mundum esse globi forma, itidemque cælum: grauia ad medium ferri: circa hoc terram constitutam esse globi in morem, idemque, quod cælum, habere centrum.* E priscis Christianis in antipodas inuecti sunt Lactantius & Augustinus, vterque sine ratione. nam quæ adfert Lactantius argumenta,

ἀφι-

ἀφιλοσόφως dicuntur omnia, nec possunt aliter, quia cæli æque ac terræ rotunditatem, tot experimentis comprobatam, omni modo negatum it. *Quid illi,* inquit lib. III cap. XXIV, *qui esse contrarios vestigiis nostris antipodas putant? num aliquid loquuntur? aut est quisquam tam ineptus, qui credat esse homines, quorum vestigia sint superiora, quam capita? aut ibi, quæ apud nos iacent, inuersa pendere? fruges & arbores deorsum versus crescere? pluuias, & niues, & grandines sursum versus cadere in terram? Et miratur aliquis hortos pensiles inter septem mira narrari; quum philosophi & agros, & maria, & vrbes, & montes pensiles faciant?* Quæ sequuntur, contra terræ cælique rotundam figuram struuntur, quam firmiter, experientia tot obseruationibus stabilita, documento est. Concludit enim: *Sic pendulos istos antipodas cæli rotunditas adinuenit.* Et quum sibi ipse obiecerat, *pondera in medium ferri, ad quod omnia sint connexa;* nihil habet quod respondeat, quam *fieri nullo modo posse, vt cælum terra sit inferius,* quasi fixæ sint illæ in rotundo relationes, quas *supra, infra* dicimus, nec potius varie inter se hominum respectu commutentur. Quin potius, vt bene Cleomedes iudicauit lib. I cap. de Orbibus, *τῆς γῆς σφαιρικῷ τῷ σχήματι κεχρημένης, κάτω τὸ μεσαίτατόν ἐστι, quia terræ figura rotunda est, medium eius est infimum,* & quæ ad medium feruntur, deorsum tendunt, vndecumque etiam ex globi circumferentia deducuntur. Modestiora paullo sunt quæ Augustinus Civ. Dei lib. XVI cap. IX aduersus antipodas, nostro hemisphærio seu regioni obuersos, scripsit. *Quod antipodas,* inquit, *esse fabulantur, id est homines a contraria parte terræ, vbi sol oritur quando occidit nobis, aduersa pedibus nostris calcare vestigia, nulla ratione credendum est. Neque hoc vlla historica cognitione didicisse se adfirmant, sed quasi ratiocinando coniectant, eo, quod intra conuexa cæli terra suspensa sit, eundemque locum mundus habeat, & infimum & medium: & ex hoc opinantur alteram terræ partem, quæ infra est, habitatione hominum carere non posse. Nec attendunt, etiamsi figura conglobata & rotunda mundus esse credatur, siue aliqua ratione monstretur; non tamen esse consequens, vt etiam ex illa parte ab aquarum congerie nuda sit terra. Deinde, etiamsi nuda sit, neque hoc statim necesse est vt homines habeat; quando nullo modo scriptura ista mentitur, quæ narratis præteritis facit fidem, eo quod eius prædicta complentur. Nimisque absurdum est, vt dicatur aliquos homines ex hac in illam partem, Oceani*

 immen-

immensitate traiecta, nauigare ac peruenire potuisse: vt etiam illic ex vno illo primo homine genus institueretur humanum. Hic vero terræ rotundam figuram non penitus negat, sed si ita sit, tantummodo non sequi putat, vt, in opposita parte, liberata terra ab aquis sit: & si ea sit libera, etiam ab hominibus incolatur: quod vtique pro temporum notitia, experimentis destituta, tolerari potest vt credibile, quum prisci sapientes demonstrare antipodas non potuerint, bene autem ratiocinando adsequi, vt posse esse, nihilque absurdi inferre & crederent ipsi, & aliis persuaderent. Id autem tamquam insolens, aut nimium quodammodo, in sancto viro notandum esse censemus, quod vehementissime negat, impugnat, absurdum appellat, nullaque ratione credendum, quod ipse tamen, concessa terræ rotunditate, vlla ratione incongruens esse nequaquam probauit, nec ausus fuit probare. 15147.

Quos vero scimus ab opinione, *esse forsan antipodas*, nec olim abhorruisse, quantumuis demonstrare non potuerint; nunc perinde sunt nobis commemorandi. Cicero, Scipionis somnio cap. VI, Africani maioris personam indutus, *Vides*, inquit, *habitari in terra raris & angustis in locis, & in ipsis quasi maculis, vbi habitatur, vastas solitudines interiectas: hosque qui incolunt terram, non modo interruptos ita esse, vt nihil inter ipsos ab aliis ad alios manare possit: sed partim obliquos, partim auersos, partim etiam aduersos stare vobis.* Qui vero hi sunt *auersi, adversi*, nisi ibi antœci, heic antipodes? Aequalis Ciceroni Geminus cap. XIII non solum *ἀντίποδας* nominatim recenset, sed ratione etiam tuetur, *διὰ τὸ ἐπὶ μέσον εἶναι τὴν φορὰν τῶν σωμάτων*, *quod corpora ad centrum tendant*, ideoque nullum esse periculum, nec metuendum, ne ruant illi, aut decidant. Plinius quoque minus de iis dubitauit, quum lib. IV cap. XII Hyperboreos ab aliis medios locari dicit *inter vtrumque solem, antipodum occasum, exorientemque nostrum.* At vero Macrobius lib. II Somn. Scip. cap. V fortissime antipodas defendit. *Cur*, inquit, *non & illic aliquos viuere credamus, vbi eadem semper in promptu sunt? nam qui ibi dicuntur morari, eandem credendi sunt spirare auram, quia eadem est in eiusdem zonalis ambitus continuatione temperies: idem sol illis & obire dicetur nostro ortu, & orietur quum nobis occidet: calcabunt æque, vt nos, humum, & supra verticem semper cælum videbunt.* Idem etiam plebeiæ opinioni & vano metui respondet: *Nec metus erit, ne de*

terra

terra in cælum decidant, quum nihil vnquam possit ruere sursum - - - Adfirmauerim quoque, & apud illos minus rerum peritos hæc æstimare de nobis, nec credere posse, nos, in quo sumus, loco degere: sed opinari, si quis sub pedibus eorum tentaret stare, casurum. Satis ex hoc constare potest, quæ Romanorum Græcorumque de antipodibus fuerit opinio, vt nihil attineat, Achillis Tatii, aut Marciani Capellæ testimonia, quæ iam datis consonant, adferre. Hæc autem & superiora Geographiæ antiquorum prænotanda erant, vt, quanta illorum περὶ οἰκήσεων, *de habitationibus terræ* cognitio exstiterit, perspicue intelligatur, eoque antiqua notitia orbis a scientia recentiorum accuratius discriminetur.

Ad situm terricolarum etiam pertinet, quam quæque gens aut prima, aut postrema, aut media lucem accipiat, aut opprimatur nocte. Nam qui ad orientem nobis habitant, eis prior, quam nobis, sol oritur: & nobis itidem prior, quam illis, qui longius remoti a nobis in plagam occidentalem sunt. Quod quia ex terræ rotunditate pendet, vt per quindecim quosque gradus longitudinis, in æquatore numeratos, horæ spatio accessus vel decessio solis & diei mutetur; prisci sapientes, qui terræ rotunditatem defenderunt, hoc quoque non potuerunt ignorare. Manilius id egregie de sole meridiano per orbem variante lib. I vers. 639 seqq. ita demonstrauit:

Quando aliis aliud medium est, volat hora per orbem,
Cumque loco terræ cælumque ac tempora mutat.
Atque vbi se primis attollit Phœbus ab vndis,
Illis sexta manet, quos tunc premit aureus orbis.
Rursus ad Hesperios sexta est, vbi cedit in vmbras.
Nos primam ac summam sextam numeramus vtramque.

[S]ic enim variat diei hora, vt nostra sexta, siue meridiana, sit sum[ma] seu ultima in orientem remotis: eadem prima habitantibus in [o]ccidentali terra. Atque sic per horas & gentes varie ostendi & declarari potest mutatio.

CAPVT

CAPVT VIII
DE
PLAGIS ET VENTIS.


TAndem etiam in veteris geographiæ theoria, quousque de plagis mundi, & de ventorum discrimine, priorum notitia progressa sit, ostendendum est. Non autem multis verbis referemus, quod Strabo lib. I pag. 19 memorauit, fuisse quondam qui *δύο τὰς κυριωτάτους εἶναι ἀνέμους, duos tantum principales ventos esse* crediderint, Boream & Notum, a quibus reliqui parua inclinatione dissideant. Nam & paucos fuisse, & eos non clarissimos, qui ita tradiderunt, ex eo satis manifestum est, quod plerique philosophorum, & doctissimus quisque in geographis, ab illorum opinione dissentiant. Quin potius antiquissimi scriptores ventos quatuor præcipuos, secundum quatuor mundi regiones, posuerunt. Et ipsa natura tot plagas constituit, vt duas æquator faciat, orientem & occasum, ad ductum æquatoris: & totidem axis mundi, nempe septemtrionem & meridiem. Quæ caussa est, vt communi plerorumque consensu quatuor venti principales, singuli in singulis cardinibus mundi (inde etiam *cardinales* dicti) collocentur, licet de nominibus illorum non omnes idem sentiant, de cuius diuersitatis caussa postmodo disserturi sumus. Plinius id nobis confirmat lib. II cap. XLVII. *Veteres*, inquit, *quatuor omnino* [ventos] *seruauere per totidem mundi partes, ideo nec Homerus plures nominat, hebeti, vt mox iudicatum est ratione*, hoc est, rudi Minerua & parum ingeniose. plures enim interponendos esse, a posteris iudicatum fuit. Quo numero poetæ sæpe adquieuerunt. Homerus, ad quem Plinius prouocabat, Odyss. E. v. 295

> Σὺν δ' εὖρός τε, νότος τ' ἔπεσε, ζέφυρός τε δυσαὴς,
> Καὶ βορέης αἰθρηγενέτης.

hoc est: *Simul Eurusque Notusque incidit, Zephyrusque vehemens, & Boreas serenus.* Hunc ducem Latini, vt solent, & numero & nuncupatione sequuntur. Ouidius Metamorphos. lib. I a vers. 61

> *Eurus ad auroram Nabathæaque regna recessit,*
> *Persidaque, & radiis iuga subdita matutinis;*
> *Vesper, & occiduo quæ littora sole tepescunt,*

Proxima


SCHEMA OCTO VENTORVM
secundum Græcos & Romanos.
Nord
Septemtrio
Aparctias
Aquilo, Boreas
Cæcias
Corus, Caurus
Argestes
West
Fauonius
Zephyrus
Subsolanus,
Apeliotes
Ost
Africus
ΛΙΨ
Eurus
Vulturnus
Auster
Notus
Sud
SCHEMA DVODECIM VENTORVM
Septemtrio
Aparctias
Aquilo, Boreas
Meses
Cæcias
Thrascias
Corus, Caurus
Argestes, Iapyx
Occidens
Zephyrus
Fauonius
Subsolanus, Solanus
Apeliotes
Oriens
Africus
ΛΙΨ
Eurus
Vulturnus
Libonotus
Euronotus
Auster
Notus
Meridies
Ichnographia Turris Atticæ octangulæ, pro ventorum numero et plagis
Aparctias
Argestes
Boreas
Latina nomina
supra sunt adscripta
Zephyrus
Apeliotes
ΛΙΨ
Eurus
Notus
Fragmentum columnæ duodecim angulorum, de quo VII exstant latera, reliqua muro conclusa latent.
ΛΙΨ
AFRI
CVS
ΛΙΒΟ
NOTOC
AVSTRO
AFRICVS
NOTOC
AVS
TER
NOTOC
EVRO
AVSTER
EY
ROC
EV
RVS
ΤΗΣ
OLA
NVS
SVBSOLA
NVS

Proxima sunt Zephyro: Scythiam septemque trionem
Horrifer inuasit Boreas: contraria tellus
Nubibus assiduis pluuioque madescit ab Austro.

Quod idem lib. I Trist. eleg. II vers. 27 seqq. fecit, vt *Eurus ab ortu* ponatur: *Zephyrus vespere: Boreas bacchetur ab Arcto: & Notus aduersus hunc gerat prælia.* Breuius eandem rem, nec minus ornate Manilius enuntiauit lib. IV vers. 589

Asper ab axe ruit Boreas: fugit Eurus ab ortu:
Auster amat medium solem; Zephyrusque profectum:

Recte se hæc habent, si principes ventos intelligamus, quos *cardinales* Seruius dixit in Aen. I vers. 131; *γενικωτάτους* Achilles Tatius cap. XXXII, id est *generales:* non autem iis sufficiunt, qui in mundi flatus curatius, & in illorum ortus ac regiones inquisiuerunt. Horum enim plerique octo ventos distinguunt, medio vno inter binos cardinales interiecto. Sic Aristoteles, Posidonius, Timosthenes apud Strabonem, cum quibus & ipse facit: sic Athenienses turri octogona ventorum situm atque numerum commendauerunt, vt refert & approbat Vitruuius: & Plinius desertis ceterorum sententiis, qui vel plures vel pauciores posuerunt, ad hanc octonarii numeri, tamquam commodissimam, accedit. Sic etiam ex Fauorini ore Gellius lib. II cap. XXII, & Apuleius de Mundo. Dignissima sunt Plinii verba, quæ præcipue ab omnibus recognoscantur. Postquam dixerat lib. II cap. XLVII, vt supra recensebamus, veteres quatuor omnino ventos per totidem mundi partes digessisse; pergit, *Sequuta ætas octo addidit nimis subtili & concisa ratione. Proximis inter vtramque media placuit, ad breuem ex numerosis additis quatuor. Sunt ergo bini in quatuor cæli partibus: ab oriente æquinoctiali Subsolanus; ab oriente brumali Vulturnus: illum Apelioten; hunc Eurum Græci appellant. A meridie Auster, & ab occasu brumali Africus: Noton, & Liba nominant. Ab occasu æquinoctiali Fauonius; ab occasu solstitiali Corus: Zephyrum & Argesten vocant. A septemtrionibus, Septemtrio; interque eum & exortum solstitialem Aquilo: Aparctias, & Boreas, dicti.* Schema ventorum & clarius & distinctius docebit omnia.

De nominibus dubitatio est, quæ heic aliter disponuntur, quam in concisa quatuor cardinalium ratione. Ibi enim, ex Homeri, Ouidii, Manilii appellatione, qui eoi est cardinis, Eurus;

& qui a septemtrione, Boreas nominabatur: hi vero in altera dispensatione a cardinibus vterque declinant. Sed ita se res habet, vt poetæ aliique plures loquantur vulgari modo, quem Scaliger ad Manilium, eiusque versus antea recitatos, vocat ἰδιωτισμὸν, quo Aquilo & Boreas ventum septemtrionalem sonant; Eurus orientalem, ab æquinoctiali ortu prouenientem: ceteri autem, qui octo numerant, nouis vocabulis, & a vulgi vsu alienis, ventum, ex oriente æquinoctiali venientem, Solanum dicunt, vt Vitruuius: vel Subsolanum, vt Plinius, Gellius, Apuleius; vel Græco more Apelioten, vt iterum Plinius: Eurum vero medium inter ortum & meridiem ponunt, quem Romani Vulturnum appellauerunt. Nec minus citra vsum est, quum ventum, ab axe mundi ruentem, vocant Septemtrionem, aut Græce Aparctiam, quum Græcis Latinisque vsitatissimum sit illum Boream & Aquilonem nominare. quam vulgi consuetudinem in Schemate Climatum ex Strabone proposito, sequuti sumus. Sententiæ vero de octo ventis conformandæ Atheniensis turris descriptionem, ad illam accommodatæ, ex Vitruuii lib. I cap. VI adiungendam ducimus. *Qui*, inquit, *diligentius perquisiuerunt, tradiderunt esse octo* [ventos,] *maxime quidem Andronicus Cyrrhostes* (Cyprestes, Varr. R. R. I cap. V) *qui etiam exemplum collocauit Athenis turrim marmoream octogonon, & in singulis lateribus octogoni singulorum ventorum imagines exsculptas contra suos cuiusque flatus designauit, supraque eam turrim metam marmoream perfecit, & insuper Tritonem æreum collocauit dextra manu virgam porrigentem: & ita est machinatus, vti vento circumageretur, & semper contra flatum consisteret, supraque imaginem flantis venti, indicem virgam teneret.* Atque ita collocati sunt, inter Solanum & Austrum ab oriente hiberno Eurus; inter Austrum & Fauonium ab occidente hiberno, Africus: inter Fauonium & Septemtrionem Caurus, quem plures Corum vocant: inter Septemtrionem & Subsolanum Aquilo, Græcis Boreas. Cetera nomina tam Græca quam Latina, & ipsam positionem cognosces ex figura, ventorum ordinem referente.

Sed inter hos auctores noua dissensio apparet. Gellius enim dicto loco ventum, qui ab oriente verno siue æquinoctiali venit, Eurum vocat, quasi ἀπὸ τῆς ἕω ῥέοντα, qui & ἀπηλιώτης siue ἀφηλιώτης Græcorum idem plane sit inter ventos. At ceteris Eurus,

Græce

Græce dictus, est Vulturnus Romanorum. Sed vel ipse, vel Fauorinus, cuius verba refert, abreptus vulgari loquendi consuetudine eo sensu fuisse videtur, quasi Eurus sit cardinalis, quia notius eius nomen est quam Apeliotæ, aut Latinum Subsolani: quod ipse testatur *a Romanis nauticis* tantummodo nominari. Nec sibi in ceteris constat Gellius, dum modo de Cauro dixit, aduersus Aquilonem flare: post paullo eundem obarmat Euro. Scilicet generalem & qualemcumque oppositionem confundit cum ea, quæ κατὰ διάμετρον fit atque per centrum: qua ratione Caurus non ad Aquilonem, sed ad Eurum proprii nominis, seu Vulturnum, dirigatur necesse est. Isidorus quoque Hispalensis lib. XIII Orig. cap. XI in Vulturno errat, quem non solum ab Euro distinguit, verum etiam a dextra Subsolani ponit. Plinius autem, & Seneca, & Gellius, ac Vegetius, Vulturnum ab oriente hiberno locant, quod ipsa origo nominis, hoc est situs oppidi Vulturni, ad Romam aut alias partes si referatur, postulat. Id quod Columella confirmauit, accuratus scriptor, lib. V de Re rust. cap. V. *Quædam*, inquit, *partes eius regionis infestantur Euro, quem incolæ Vulturnum appellant.* Quod vero cum Fauorino Gellius Apuleiusque tres ab ortu, totidemque ab occidente; at singulares ab septemtrione & meridie constituunt, id ex opinione & arbitrio hominum accipiendum est, sine qua si esset, æque possent tres septemtrionales, Aparctias, Caurus, & Aquilo; aut tres meridiales, Notus, Africus, Eurus constitui, quia intermedii tam prope absunt a cardine septemtrionis aut meridiei, quam ab ortu vel occasu æquinoctiali.

Sequitur sententia tertia, duodecim ventos constituens, oppido quidem antiqua, vtpote a Plinio, nec vt noua, sed tamquam priorum memorata; vt subtilior autem, reiecta: a Seneca vero, a posterioribus, Agathemero, Vegetio, Isidoro, approbata. Plinius postquam mediam sententiam de ventis octo laudauerat, tertia addit: *Numerosior ratio quatuor his interiecerat, Thrascian, media regione inter septemtrionem & occasum solstitialem: itemque Cæciam, media inter Aquilonem & exortum æquinoctialem, ab ortu solstitiali: Phœnicem media regione inter ortum brumalem & meridiem: item inter Liba & Noton compositum ex vtroque medium inter meridiem & hibernum occidentem, Libonoton.* Nec vero finis est. Alii *Mesen* nomine addidere inter Boream & Cæciam: & inter Eurum & Notum,

Euronoton. Ita Plinius dicto loco refert. sed fallitur, si Aristotelem audimus, cui lib. II Meteor. cap. VI Μέσης est μέσος καικίου καὶ Ἀπαρκτίου, *medius inter Caciam & Aparctiam* siue *Septemtrionem.* Esse autem singularem ventum Mesen, & Cæciæ propinquum, etiam Tzetzes Chiliad. VIII versu 786 seq. de Scythis ostendit:

> Οἱ πέραν δὲ νεμόμενοι θαλάσσης Ὑρκανίας,
> Μετὰ τὸν Μέσην ἄνεμον, πρὸς τὸ Καικίου μέρος.
> *Qui autem habitant trans mare Hyrcanum,*
> *Post Mesen ventum, ad Cacia partem.*

Clarior, quam Plinius in distributione est Seneca lib. V Quæst. natur. cap. XVI. *Quidam,* inquit, *illos* [ventos] *duodecim faciunt. Quatuor enim cæli partes in ternas diuidunt, & singulis ventis binos subiectos dant. Hac arte Varro, vir diligens, illos ordinat.* Hoc autem ordine enarrauit: *Qui surgit ab oriente æquinoctiali, Subsolanus apud nos dicitur: Græci illum ἀφηλιώτην vocant. Ab oriente hiberno Eurus exit, quem nostri vocauere Vulturnum. Sed & Eurus iam ciuitate donatus est, & nostro sermoni non, tamquam alienus, interuenit. Ab oriente solstitiali excitatum Græci καικίαν appellant; apud nos sine nomine est. Aequinoctialis occidens Fauonium mittit, quem Zephyrum esse dicent tibi, etiam qui Græce nesciunt loqui. A solstitiali occidente Corus venit, qui apud quosdam Argestes dicitur. Mihi non videtur, quia Cori violenta vis est, & in vnam partem rapax: Argestes vero mollis est, & tam euntibus communis, quam redeuntibus. Ab occidente hiberno Africus furibundus & ruens, apud Græcos λὶψ dicitur. A septemtrionali latere summus est Aquilo; medius Septemtrio; imus Thrascias. Huic deest apud nos vocabulum. A meridiano axe Euronotus est; deinde Notus, Latine Auster; deinde Libonotus, qui apud nos sine nomine est.* Hæc Seneca de ventis duodecim: nec plures, in horizonte distributos, antiqui agnouerunt. Eundem numerum Agathemerus, Vegetius, & Isidorus, vt dictum est, tuentur. Et sicut turri Attica octonos ventos comprobamus; ita duodenos columnæ δωδεκαγώνου fragmentum, quod Caietæ visitur, cum ventorum nominibus, singulo latere suum ventum referente, confirmat. cuius rei Gruterus testis est Inscription. pag. 137.

Sunt etiam venti quidam certarum regionum aut gentium, de quibus idem Seneca cap. XVII ita scripsit: *Quidam sunt quorumdam locorum proprii, qui non transmittunt, sed in proximum ferunt. Non est*

est illis a latere vniuersi mundi impetus. Atabulus Apuliam infestat, Calabriam Iapyx, Athenas Sciron, Pamphyliam Catagis, Galliam Circius, cui, ædificia quassanti, tamen incolæ gratias agunt, tamquam salubritatem cæli sui debeant ei. Diuus certe Augustus templum illi, quum in Gallia moraretur, & fouit & fecit. Infinitum est si singulos velim persequi. Nulla enim propemodum regio est, quæ non habeat aliquem flatum ex se nascentem, & circa se cadentem. Primus, quem in his Seneca nominat, ATABVLVS est, quem Gellius dicto loco *Horatianum Atabulum* dixit, quia Horatius lib. I Serm. Satyr. V vers. 77 memorauit,

> *Incipit ex illo montes Apulia notos*
> *Ostentare mihi, quos torret Atabulus --*

Vetus interpres ibi: ATABVLVS *ventus infestus Apuliæ,* ἀπὸ τοῦ τὴν ἄτην βάλλειν, *hoc est ab eo, quod pestem immittat.* Alter Senecæ nominatus est IAPYX, quem Calabriam dixit infestare, inde etiam *Iapygiam* vel totam vel ex parte appellatam. Gellius, *ex ipsius Apuliæ ora proficiscentem* dixit; Apuleius autem de Mundo: *Apuli Iapygeum* [nomen] *ex Iapyge sinu, id est ex ipso Gargano venientem, de loco commutant. Hunc Caurum esse manifestum est.* Ex Apulia ergo in Calabriam fertur. Vnde est, quod Apulia quoque non numquam *Iapygia* vocetur, præsertim poetis & illorum interpretibus; quod ad Silii etiam Italici lib. I vers. 51 meminimus nos adnotare. Geographis vero distincta Iapygia ab Apulia est. Strabo quippe lib. VI pag. 191 Iapygiam dicit eandem, quam Græci Messapiam dixerint, eique fines dat peninsulæ æquatos a Tarento ad Brundisium: incolas autem Salentinos & Calabros: μετὰ τοὺς Καλαβροὺς, *post Calabros,* siue ὑπὲρ τούτους, *supra hos* esse, quam *Apuliam* indigenæ vocent, in Peucetios Dauniosque diuisam. Sed de hoc infra in Italiæ descriptione.

SCIRON succedit, Atheniensibus molestus ventus. Et hic occidentalis est, ex tractu Megarensi in Atticam profectus. nomen enim *Scironides* petræ, vnde oritur, dederunt. Strabo vbi eas describit sub initium libri IX, quod super illas via ex Isthmo Megaram & in Atticam ferat; subiungit: ἀπὸ τῶν ἄκρων τούτων καταιγίζοντα σκαιὸν τὸν Ἀργέστην, Σκείρωνα προσηγορεύκασιν Ἀθηναῖοι, *Ab his petris oblique flantem procellasque cientem Caurum Athenienses Scironem appellauerunt.* Plinius haud longe a Strabone discedens, addit aliud nomen huiusdem vel propinquioris venti, *Olympiæ* videlicet. *Sunt,* inquit dicto cap. XLVII, *quidam peculiares quibusque gentibus*

venti, non vltra certum procedentes tractum, vt Atheniensibus Sciron, paullum ab Argeste deflexus, reliquae Graecia ignotus. Alibi elatior Olympias vocatur. Consuetudo omnibus his nominibus Argesten intelligit. Videtur Aristotelem sequutus, qui lib. II Meteor. cap. VI tradit, ὃν καλοῦσιν οἱ μὲν Ἀργέστην, οἱ δὲ Ὀλυμπίαν, οἱ δὲ Σκίρωνα, ἀπὸ δυσμῆς θερινῆς πνεῖ, *quem alii Argesten, alii Olympiam, alii Scironem vocant, ab occasu solstitiali flat.*

Annaei ordine Pamphylia succedit, quam CATAEGIS (καταιγὶς Graece est) conturbet. Procellam id nomen Graecis sonat, aut ventorum concussionem, sicut Zosimus lib. V cap. XXIV τὴν τοῦ γενομένου πνεύματος καταιγίδα dixit. Ab ἀΐσσω enim, seu καταΐσσω est, quae *ruere, cum impetu ferri* significant. Hesychius: Καταιγὶς, ἐπιφορὰ ἀνέμου σφοδροῦ. Apuleius de Mundo: *procellosus flatus Catagis dicitur.* Quae satis clara notio ex verbo καταιγίζειν est, quod ex Strabone modo, quum Scironem ventum interpretabamur, cognouimus. Synecdoche ergo est, quum singulari vento Pamphyliae vox generalior, procellam per se significans, accommodatur.

Superest Gallorum CIRCIVS, Narbonensi prouinciae ita damnosus, vt tamen beneficium quoque adferre visus fuerit. Senecae verbis id antea explicatum satis fuit. Plinius de eo: *In Narbonensi prouincia clarissimus ventorum est Circius, nec vllo violentia inferior, Ostiam plerumque recta Ligustico mari perferens. Idem non modo in reliquis partibus caeli ignotus est, sed ne Viennam quidem, eiusdem prouinciae vrbem, attingens, paucis ante limitibus, iugi modici occursu, tantus ille ventorum coercetur.* Apuleius originem denominationis ostendit. *Galli,* inquit, *Circium appellant a turba eius & vertice.* nempe a κίρκος appellatur, quod gyret & circumagat quasi quidquid corripuerit. Nec aliter Gellius, vel Fauorinus, quam *a turbine eius ac vertigine* nomen duxit.

Hi a Seneca enumerati singulares venti; fatente tamen, infinitum quasi fore, si quis omnes vellet nominatim recensere. Addi enim potest HELLESPONTIAS, quem Caecian ita vocari Plinius dicto loco tradidit, qui si Achillem Tatium audiamus, propria ratione certo loco contentus est, quippe Caecian a Caico, Asiae amne, appellatum existimat. Sed plerique Caecian pro vento habent generaliore, qui longius per orbem, quam in angusto Aeoliae circa Caicum

cum campo spiret. Plura ventorum nomina, certis regionibus aut oppidis attributa, per omnes plagas reliquo apospasmatico ex libro Aristotelis περὶ σημείων, sunt enarrata, quæ quod ignota sunt historiæ & geographiæ, censemus prætereunda: sicut physicæ etiam sua ventorum genera *presteres, typhones, ecnephias*, & quos alios habent, ex origine & caussis naturalibus interpretandos, nullam plagam geographiæ designantes, relinquimus.

Denique sunt anniuersarii venti, & certis temporibus circumscripti, qui itidem per se ad geographiam non pertinent. Tales sunt *Ornithiæ, Prodromi, Etesiæ*. ORNITHIAS, etiam *Chelidonias* ab hirundinis apparitione dictus, ipse Fauonius est, certo adscriptus tempori, quod Plinius definit VIII calendas Martii, scilicet Neronis æuo, & in Italia. etenim hirundo,

- - - εἰαρινὴ Ζεφύρου πρωτάγγελος ὄρνις, - - -

verna avis & Zephyri prima nuntia, vt Oppianus lib III vers. 246 vocauit. Ptolemæus quoque, de Apparentiis mense Februario sub finem, ex Hipparcho & Euctemone: Ὀρνίθιαι ἄρχονται πνεῖν ψυχροί. χελιδόνι ὥρα φαίνεσθαι, *Ornithiæ incipiunt frigidiusculi flare. Hirundini aduenire tempus est.*

Maior de Prodromis & Etesiis contentio eruditis antiquioribus est. PRODROMI, venti sunt aquilones, octo diebus exortum Caniculæ antecedentes, vt Plinius interpretatus est: immo ipsos ETESIAS anteueniunt, quorum *prodromi*, hoc est præcursores, appellantur. Geminus cap. XVI suæ Isagoges: *Die* XXVII (ab æstiua conuersione siue solstitio) *Eudoxo canis mane oritur*; καὶ τὰς ἑπομένας ἡμέρας νε ἐτησίαι πνέουσιν, αἱ δὲ πέντε αἱ πρῶται πρόδρομοι καλοῦνται, *& per dies sequentes* LV *Etesiæ spirant; dies autem quinque primæ vocantur præcursores.* Dies quinque, id est venti illorum dierum, qui præcursores Etesiarum sunt. Sic Edo Hildericus edidit: at Petauius, ἑπομένας ἡμέρας ε, & vertit, *per dies sequentes quinque*, quod prauum sit, necesse omnino est. Si enim Prodromi Etesiarum quinque diebus spirant, ipsos Etesias diutius oportet flare. Et ne nimius ille Gemini vel Eudoxi numerus videatur, Ammianus Marcellinus hæsitantem potest dubitatione liberare, quam proxime ad illum numerum accedens. Libro enim XXII cap. XXXV [Vales. XV] *Opinio est*, inquit, *celebrior illa, quod spirantibus prodromis, perque dies quadraginta & quinque Etesiarum continuis flatibus repellentibus eius*

[Nili]

[Nili] *meatum, velocitate cohibita, superfusis fluctibus intumescit.* Sed quod de Nilo ille ait, id nostrum non faciemus; temporis tantum & regionis ex illo rationem habentes. Seneca lib. v. Quæst natur. cap. x de Etesiis consonat. *A solstitio,* inquit, *illis initium est, vltraque ortum Caniculæ non valent.* Sic de tempore auctores fere consentiunt: de loco & regione sunt impeditiores rationes.

Quod leniter refrigerant *Etesiæ,* a septemtrionibus venire vulgo creduntur; id quod non tantum opinio de Nilo, ante paullo ex Ammiano memorata, videtur confirmare; verum ipse etiam Strabo lib. XVII pag. 545, Alexandream Aegypti dixit optime æstatem tolerare, quia *οἱ ἐτησίαι πνέουσιν ἐκ τῶν βορείων, καὶ τοῦ τοσούτου πελάγους, Etesiæ a borealibus partibus & tanto pelago adspirent.* Et Lucretius aliquoties

- - - - etesia flabra Aquilonum,

lib. v verf. 741, & lib. VI verf. 730, dixit.

Apuleius autem de Mundo, in excursu a versione Græci libri *περὶ κόσμου,* dicit: *Sunt Etesiæ & Prodromi spirantes ex omni parte, eo tempore æstatis, quo Canis oritur.* Si ex omni parte, etiam ab oriente, a meridie, ab occasu proueniunt. De occidentis plaga nequaquam res incerta videtur, vtpote multorum comprobata auctoritate. Cicero ad Atticum lib. VI epist. VII de reditu suo ex prouincia; *Rhodum volo puerorum caussa: inde quam primum Athenas, etsi Etesiæ valde reflant.* REFLANT, id est aduersi sunt in occasum versus nauiganti. Addit Manutius, Paulli filius, Quæsitis per epistol. lib. II cap. VI, eiusdem tentatum iter in Græciam ex Italia, lib. XII epist. XXV ad Cornificium. *Ego,* inquit, *iratus temporibus, in Græciam, desperata libertate, rapiebar: quum me Etesiæ, quasi boni ciues, relinquentem rempublicam prosequi noluerunt, Austerque aduersus maximo flatu me ad tribules tuos Rhegium retulit.* Scilicet Syracusas venerat, vt inde traiiceret in Græciam transmissione faciliore, vt putabatur, quam Brundisinas, quod ipse dicit Philipp. I cap. III. At Auster vehementior, quam venti occidentales, quibus vtendum erat, in Rheginum agrum ad Leucopetram promontorium reiecit. Cornelius Tacitus lib. II Histor. cap. XCVIII, *Mare Etesiæ flabant. Harum flatu in orientem nauigantibus secundum; inde, aduersum erat.* Quod etiam Liuius confirmat lib. XXXVII cap. XXIII. *Tardius,* inquit, *nauigauerunt regii, aduerso tempore Etesiarum, quod velut statum Fauoniis ventis erat.*

An

An vero etiam ab ortu, a meridie, si ex omni parte? Ita Plinius lib. II cap. XLVII, *Etesiæ noctu desinunt fere, & a tertia diei hora oriuntur. In Hispania & Asia ab oriente flatus est eorum: in Ponto ab aquilone: reliquis in partibus a meridie.* Et Posidonius apud Strabonem lib. III pag. 99 singulare hoc sibi, ab Hispania nauiganti, obtigisse ait, ὅτι οἱ εὖροι κατ' ἐκεῖνο τὸ πέλαγος, ἕως τοῦ Σαρδώου κόλπου, πνέοιεν ἐτησίαι, *in illo mari vsque ad sinum Sardoum Euros etesias spirare*, ideoque se tribus mensibus in Italiam ægre Gymnesias, & Sardiniam, & alia, e regione harum loca Africæ præteruectum. Aldus Manutius antea laudato loco, Plinium aberasse censet, quia Etesiæ a meridie numquam spirent, neque ab sole oriente, quod sibi e Ciceronis locis, antea explicatis, videtur satis approbasse: contra Casaubonus ad Strabonem Notis, narrationem Posidonii tueri Plinii sententiam posse existimat. Sed in vocabulo videtur lusus esse. Si laxe sumis, vt ἐτήσιος *anniuersarius* est, plures venti, certo anni tempore spirantes, possunt ἐτησίαι, *etesiæ* appellari, ex quacunque plaga vel cæli parte proficiscuntur. Quum vero singulares sint, & propter constantiam, quam anniuersarii seruant, notabiliores illi, qui ex cæli parte, quæ inter occasum & septemtrionem est, a solstitii tempore ad ortum canis spirant; hos proprie præcipueque Etesias appellari, non solum consuetudo iussit, verum etiam auctoritas confirmauit. Quos quum plures ex septemtrione adducant, Cicero ab occidente, quæ duæ nobiliores de hac re sententiæ sunt; scite Aristoteles loco sæpe indicato, lib. II Meteor. cap. VI extremo, ambas ita inter se conciliauit, vt vtrique ratio sua & veritas constaret. Sic autem infit: Οἱ ἐτησίαι περιΐσανται τοῖς μὲν περὶ δυσμὰς οἰκοῦσιν, ἐκ τῶν ἀπαρκτίων εἰς θρασκίας, ἀργέστας καὶ ζεφύρους· ἀρχόμενοι μὲν ἀπὸ τῆς ἄρκτου, τελευτῶντες δὲ εἰς τοὺς πόῤῥω. Hoc est: *Etesiæ iis, qui ad occidentem habitant, e septemtrionibus in Thracias, Argestas & Zephyros commutantur, initio facto ab Arcto, fine in eis qui longinqua loca incolunt.* Et breuius idem vel quisquis auctor libri de Mundo est, cap. IV, οἱ ἐτησίαι λεγόμενοι, μίξιν ἔχοντες τῶν τε ἀπὸ τῆς ἄρκτου φερομένων, καὶ ζεφύρων, *Qui Etesiæ dicuntur, mixturam habent eorum qui ab Arcto feruntur, & Zephyrorum.* Eadem claritate & ratione Diodorus Siculus lib. I cap. XXXIX, τοὺς ἐτησίας ἰδεῖν ἐστὶν οὐδέν τι μᾶλλον ἀπὸ τῆς ἄρκτου πνέοντας, ἤπερ τῆς ἑσπέρας. Οὐ βορέαι γὰρ, οὐδ' ἀπαρκτίαι μόνοι, ἀλλὰ καὶ οἱ πνέοντες ἀπὸ θερινῆς δύσεως

ἀργέσται κοινωνοῦσι τῆς τῶν ἐτησίων προσηγορίας, Euidens est non magis a septemtrione, quam ab occasu Etesias spirare. nec enim soli Borea aut Aparctia, sed etiam Argesta, ab occasu æstiuo flantes, nominis Etesiarum sunt participes.

Hæc de veris certisque Etesiis intelligantur, eorumque situ & φορᾷ: qui ab ortu aut austro dicuntur accedere, per abusionem & improprie Etesiæ appellantur, qua Posidonium Pliniumque ratione interpretandum esse existimamus. Gellius incertior in sententia sua ita clausit hanc disputationem: *Quod supra dixi, Etesias ex alia atque alia cæli parte flare; haud scio an, sequutus opinionem multorum, temere dixerim.* Ετήσιος, vt diximus, *anniuersarius* est, non quod vno alteroque aut tertio etiam anno ad eumdem modum contigit. Plurium annorum experimento confirmatum sit oportet, quod vere *anniuersarium* appellari debet, cuius an crebro repetitam experientiam vel Posidonius habuerit, vel etiam Plinius, in ortiuis Etesiis designandis; quis spondere ausit, aut rationibus indubitatis demonstrare? Quod autem supra dictum est ex Plinio, noctu fere desinere Etesias, & a tertia diei hora oriri; eius caussam conatur Seneca inuestigare dicto lib. V Quæst. natur. cap. XI, additque ideo *somniculosos a nautis & delicatos vocari*, quod, vt Gallio frater eius dixerit, *mane nesciant surgere.* Sed rem narrare, geographi est, philosophi, indagare caussam, quam an inuenerit Seneca, alii iudicent & excutiant.

Antequam de Ventis dissertationem finiamus, Vitruuii de iis opinionem, & varias ac nouas appellationes non inconueniens erit addidisse. Is lib. I cap. VI de vniuersis ita sentit: *Dextra & sinistra circa Austrum Euronotus & Altanus flare solet: circa Africum, Libonotus & Subuesperus: circa Fauonium Argestes, & certis temporibus Etesiæ: ad latera Cauri, Circius & Corus: circa Septemtrionem, Thrascias & Gallicus: dextra ac sinistra circa Aquilonem, Supernas & Boreas: circa Solanum, Carbas, & certo tempore Ornithiæ. Euri vero medias partes tenent: in extremis, Cacias & Vulturnus. Sunt autem & alia plura nomina, flatusque ventorum, a locis, aut fluminibus, aut montium procellis tracta. Præterea auræ matutinæ, quas sol quum emergit de subterranea parte, versando, pulsat aeris humorem, & impetu scandendo trudens exprimat aurarum antelucano spiritu flatus, qui quum exorto sole permanse-*

trans ferint, Euri venti tenent partes. Sed ex antea dictis de his iudicare cuique est facillimum.

CAPVT IX

DE

LATERIBVS MVNDI.

Reliquum est, vt etiam de lateribus mundi agamus, quo, quod dextrum in eo, quod sinistrum dicatur, quod summum item imumve sit, quod antrorsum tendat, aut lateat ab tergo, ex antiquorum opinione sententiaque appareat. Has σχέσεις & respectus mundi non vno modo sapientes ordinauerunt. Empedocles, vt apud Plutarchum est de Placitis philosophorum lib. II cap. X, censuit, *δεξιὰ μὲν τὰ κατὰ τὸν θερινὸν τροπικὸν, ἀριστερὰ κατὰ τὸν χειμερινὸν, dextera* [mundi] *ad circulum æstiuæ conuersionis; sinistra ad hibernum* ordinauit. Quem Achilles Tatius Isagog. in Phænom. cap. XXIX sequutus videtur. Quod enim vmbræ nostræ ad dextram cadant, consequi dicit, vt sol nobis sinister sit: habitantibus in australi zona, dexter. Et cap. XXXI, *λέγω δὲ ἐν δεξιᾷ τὸ βόρειον, dextrum dico quod est septemtrionale.* Nec sine ratione videntur iudicasse. Vt enim in fluminibus solemne est, dextrum sinistrumque dici, quod cursus secundi respectu, seu currentis aquæ, tale existit, vt infra probaturi sumus; sic ad motum stellarum diurnum, qui ab ortu in occasum fertur, si corpus nostrum componamus, dextrum ad septemtriones sit necesse est: sinistrum ad austrinas partes. Quod contra in ortum solis contuenti ad læuam est septemtrio, ad dextram meridiana plaga; in caussa fuisse videtur, vt Romanis borealia, eaque sinistra, feliciora putarentur; austrina vero dextera, sed in auguriis minus auspicata: de quo Plutarchus Quæst. Rom. LXXVIII consulatur. Nihilominus & plures & notiores philosophi non ad latitudinem ab austro in aquilonem; sed ab ortu in occasum, per longitudinem orbis, hanc laterum relationem posuerunt. Vt rem compendii faciamus, ex Plutarcho referemus, quæ principum philosophorum de hoc argumento fuerit sententia. Libro antea dicto, eodemque capite *Pythagoras*, ait, *& Plato, & Aristoteles* δεξιὰ τοῦ κόσμου τὰ ἀνατολικὰ μέρη, ἀφ᾽ ὧν ἡ ἀρ-

χὴ τῆς κινήσεως· ἀριστερὰ δὲ τὰ δυτικὰ, *dextras mundi partes, quæ ad ortum ſunt, vnde motus eſt initium; ſiniſtras ad occaſum* ſtatuerunt. Pulchra ratio & numeris ſuis perfecta: cui addimus non minus illuſtrem aliam, & ſua vtilitate comprobatam. Sedes ingeniorum in orbe habitabili cis æquatorem adhuc in temperata zona, ſeptemtriones ſpectante, fuit. Qui vero ibi degunt, polum arcticum, vt cardinem mundi, & Cynoſuram, principium cæleſtis contemplationis, ſuſpiciunt. quod quum ſit, oriens ipſis a dextris eſt: ad ſiniſtram, ſolis occaſus. Quam rationem etiam geographi veteres ſequuti omnes ſunt, qui orbem terrarum vel vniuerſum vel ex parte delineauerunt, vt, ſicut polus ſeptemtrionalis nobis ſemper eleuatus eſt, in ſuperiore etiam tabularum parte ſeptemtrionem collocarent: in ima auſtrum: ad dextram ortum ſolis: a ſiniſtra occaſum. Sic Ptolemæus fecit lib. I cap. XXII & XXIV: ſic ſegmenta Tabulæ Theodoſianæ, vt putatur, quam & Peutingerianam appellamus, a Marco Velſero edita, videmus conſtituta: quem morem, aut ſitum potius, præſtantiſſimus quisque geographorum adhuc ſeruauit, & hodieque doctiſſimi viri obſeruant, quia nihil verius, nihilque vtilius excogitari poteſt, quam machinas & inſtrumenta, quæ orbem terrarum referant, vel quamcumque eius partem, ad eum ſitum ac poſitionem ordinare, quem ipſa nobis natura in cælo terraque præſcripſit. Reprehendendi ergo ſunt artifices, qui a veteri conſuetudine deſciſcentes pro ſua lubidine, aut chartæ vel laminæ, quam putant, commoditate, plagas mundi peruertunt, & diſcentes confundunt ac impediunt, quum omnis charta geographica ex rei natura, & veteri diſciplina, conſtitui & collocari ita debeat, vt a dextra ortus ſit, a ſiniſtra occaſus; quia ſecus ſi habet, confuſionem locorum parit omnium, & ingeniorum ac profectuum vix ſuperabile impedimentum. Ita vero qui faciunt, digni ſunt vtique, ad antipodes vt transmittantur, vbi quam peruerſitatem amauerunt, & contrarias noſtris rationes, ſine vllius damno poſſint perſequi, aut non diſſimiles in orbis illius natura conſectari. Vt autem magis horum ineptiæ patefiant, exemplo oſtendamus, quam repugnans rebus & diuinæ poſitioni ſit, Palæſtinæ ſeu Terræ ſanctæ tabulam ſtatuere ita, vt mare Palæſtinum, extrema pars mediterranei, in ſummitate a ſeptemtrione ſuſpendatur: ſeptemtrionalis autem pars cedat ad dextram; quum tamen ipſe

Deus

Deus diuinis litteris terminos Terræ sanctæ ita fixos constituerit, vt limes occidentalis sit ים הגדול *mare magnum*, hoc est mediterraneum, Numer. XXXIV, 6, Iosuæ I, 4, XV, 12, XXIII, 4. quo posito, non potest oriens non a dextra esse; in summa & eleuata parte septemtrio; auster contra in infima & cadente. Hinc non difficile ad iudicandum est, quam peruersæ sint tabulæ cum Adrichomii descriptione coniunctæ, aut pleræque sanctis Bibliis hodie adnexæ; etiam aliæ multæ multarum regionum, quæ nisi ad mundi plagas restituantur, nequaquam id commodi adiumentique, quod speratur, perlustrantibus possunt præstare. Quod etiam de pluribus vulgatis aliarum regionum tabulis, nitide quamuis & eo loco impressis, vbi sedes ingeniorum & artificum putatur esse, quod mireris, est adnotandum.

De fluminibus etiam & eorum ripis est, quod in laterum discrimine obseruetur. Diximus supra paucis verbis, ex secunda fluxione aquarum discrimen illud esse vnice repetendum: nunc pluribus paullo & verbis & exemplis illustrare non nullum fortassis est pretium. Etenim ita res est natura duce, vt ex secundo cursu seu fluxione discrimen laterum in ripis, & amnibus, & fretis etiam, capiamus, vt si prono flumine deueharis, quæ tibi dextrorsum occurrit, sit etiam dextera ipsius amnis ripa: quæ ad sinistram tibi erit, sit etiam eiusdem ripa sinistra. Planum & explicatum exemplum Eutropius præbet lib. IX cap. IX, siue in Aureliano principe. *Prouinciam,* inquit, *Daciam, quam Traianus vltra Danubium fecerat, intermisit, vastato omni Illyrico & Mœsia, desperans eam posse retineri: abductosque Romanos ex vrbibus & agris Daciæ, in media Mœsia collocauit: & est in dextera Danubio in mare fluenti, quum antea fuerit in læua.* Strabo quoque lib. II pag. 88 de Danubio siue Istro scripsit, ab occasu in ortum ita deferri, vt a sinistra Germaniam Geticamque relinquat: a dextra Thraciam Illyricumque prætereat. Quod etiam de interni maris ostio, siue Herculeo freto, idem Strabo dicto libro p. 87, & Plinius lib. III cap. I constituerunt, quorum verba inferius capite XI de Magnis Terræ Continentibus adferemus.

CAPVT X

DE

INGENIORVM CORPORVMQVE PRO SITV LOCI DIVERSITATE.

NOn recens obſeruatio eſt, ſub alio cælo & orbis inclinatione, vt ceterarum rerum naturam, ita hominum quoque ingenia & corporis habitum non leuiter immutari: ſed nec priſcis illud ſapientibus ignotum fuit. In eo declarando Vitruuius in primis ſollers fuit lib. VI cap. I. *Sol*, inquit, *quibus locis mediocriter profundit vapores, in his conſeruat corpora temperata: quæque proxime currendo deflagrat, eripit exſugendo temperaturam humoris. Contra vero refrigeratis regionibus, quod abſunt a meridie longe, non exhauritur a caloribus humor, ſed ex cælo roſcidus aer, in corpora fundens humorem, efficit ampliores corporaturas, vocisque ſonitus grauiores. Ex eo quoque ſub ſeptemtrionibus nutriuntur gentes immanibus corporibus, candidis coloribus, directo capillo & rufo, oculis cæſiis, ſanguine multo, quoniam ab humoris plenitate, cælique refrigerationibus ſunt conformati. Qui autem ſunt proximi ad axem meridianum* (hyperbolice zonam torridam notat) *ſubiectique ſolis curſui, breuioribus corporibus, colore fuſco, criſpo capillo, oculis nigris, cruribus inualidis, ſanguine exiguo, ſolis impetu perficiuntur.* Hæc de corporis habitu & diſpoſitione. De animo idem addit, in meridianis regionibus *propter ſanguinis exiguitatem timidiores naſci;* tolerantiores vero ardoris febrium, quod *membra illorum cum feruore ſint nutrita.* Et interiectis nonnullis: *Propter tenuitatem cæli, meridianæ nationes, ex acuto feruore, mente expeditius celeriusque mouentur ad conſiliorum cogitationes: ſeptemtrionales autem gentes, infuſæ craſſitudine cæli, propter obſtantiam aeris, humore refrigeratæ, ſtupentes habent mentes.* Et exemplo propoſito ſerpentis, per brumale tempus immotæ ſtupore; mobilis autem maxime per calorem, ſubdit: *ita non eſt mirandum, ſi acutiores efficit calidus aer hominum mentes: refrigeratus contra, tardiores. Quum ſint autem meridianæ nationes animis acutiſſimis, infinitaque ſollertia conſiliorum, ſimul ad fortitudinem ingrediuntur, ibi ſuccumbunt, quod habent exſuctas ab ſole animorum virtutes. Qui vero refri-*

refrigeratis nascuntur regionibus, ad armorum vehementiam paratiores sunt, magnisque viribus ruunt sine timore, sed tarditate animi sine considerantia irruentes, sine sollertia, suis consiliis refringuntur.

Ita est videlicet, vt calidiores regiones breuitatem corporis, animique agilitatem proferant: tardiores mentes septemtrio gignat, sed maius robur & tolerantiam addat corporibus. Id quod autem in pluribus ita inesse videmus, non æque in omnibus aut singulis nationis alicuius esse credendum est. Vnde ad vitia virtutemve proniores quædam gentes sunt, vt tamen plus sæpe consuetudini aut imitamento, aut institutioni debeatur, quam cælo, aut loci, vbi sunt, ingenio. Quo fit, in vno climate vt diuersi mores reperiantur, nec aeris qualitates sub eodem cælo vbiqve sint persimiles: sed a montium iugis, paludosis locis, vicinitate marium, aliisque internis & propriis caussis sæpe miram varietatem accipiant. Quæ ergo ex situ & inclinatione loci pro moribus & ingenio argumenta petuntur, generalia cuncta sunt, quæ vel naturæ ipsius, vel artis aut educationis ope non raro infringuntur, vt tamen, quod plerumque in illis locis est, recte probent atque obtineant. Sic Pœnorum ex cælo agilitas propter calorem, quum ad virtutem adhiberi debuisset, plerisque in calliditatem vertit, in astutiam & fraudes, quod prouerbium, *Punica fides*, confirmauit. Thracum famosa feritas, quid non Hæmi & Rhodopes asperitati imputauit? quæ certe nec postea ita mitigata fuit, vt barbaries omnis pelleretur, quæ vel hodie superesse cernitur. Syros salubritas cæli, & soli adfluentia in voluptates & animi leuitatem pellexit, quod Græcis etiam posterioribus euenit, quos non gradu, sed præcipiti cursu a virtute ad vitia desciuisse notum est. Et sic nulla natio existit, cui non ex cælo suo character aliquis hæreat, qui, quamuis non omnium, multorum tamen animum, indolem, mores effingat atque formet; saltem propensionem & procliuitatem indicet. Quæ per gentes singulas excutere non nostrarum partium, sed munus est historicorum.

Superest quod Vitruuius Italiæ suæ & Romanæ vrbis encomium adiunxit, quam diuina mens, vt ait, egregia & temperata regione ita collocauit, vt orbis terrarum imperio potiretur. *Quum*, inquit, *omnes nationes immoderatis mixtionibus sint disparatæ; placuit, vt inter spatia totius orbis terrarum regionumque medio mundi populus Roma-*

Romanus possideret fines. namque temperatissima ad vtramque partem & corporum membris, animorumque vigoribus pro fortitudine sunt in Italia gentes. Non inuidenda est laus Italiæ, quam ex egregio aeris temperamento habet: nec vero est ei soli sic pertribuenda, vt adiacentes regiones a societate excludantur penitus. Græcia & Italia, cæli sui genio adiutæ, ad summam gloriam virtutis, doctrinæ, humanitatis perductæ, aliis gentibus viam ad laudis theatrum perueniendi ostentauerunt, quæ, quod natura non habuerunt, arte & industria consequutæ sunt, vt plures nunc Europæ nationes cum Italia, illa virtutis & litterarum cultrice, certent, Græciam fere omnes hodie superent. Nulla itaque terra tam infructuosa est, vt, si studio impenso percolatur, nullas artes & virtutes ferat, quas in iis regionibus miramur & laudamus, quæ naturæ benignitate sub temperatissimo cælo & mollissima inclinatione collocatæ sunt. Quod enim cultiores gentes habent, non id omne natura habent, sed si non primas partes, tamen proximas ars sibi & exercitatio vindicant. Quod Strabonis sententia quum illustrauero, finem huic argumento faciam. Is lib. 11 pag. 70 ait scite & vere; οὐ φύσει Ἀθηναῖοι μὲν φιλολόγοι; Λακεδαιμόνιοι δ᾽ οὔ, καὶ οἱ ἔτι ἐγγυτέρω, Θηβαῖοι· ἀλλὰ μᾶλλον ἔθει, οὕτως οὐδὲ Βαβυλώνιοι φύσει φιλόσοφοι καὶ Αἰγύπτιοι, ἀλλὰ καὶ ἀσκήσει καὶ ἔθει. *Quod Athenienses studiosi sunt litterarum, Lacedæmonii non item, ac ne Thebani quidem iis viciniores; non natura fit, sed magis more. Sic neque Babylonios natura philosophos fecit, aut Aegyptios; sed exercitatio & consuetudo.*

CAPVT XI

DE

MAGNIS CONTINENTIBUS TERRARVM ORBIS.

PArtes maiores illas, in quas orbem terræ diuidimus, Græci ἠπείρους, *continentes* appellant, & tres plerique constituunt, Europam, Africam, Asiam. Fuerunt tamen ex antiquis (οἱ παλαιοὶ) qui duas partes numerarent, Asiam & Europam, τὴν τε Λιβύην καὶ τὴν Εὐρώπην, ὥσπερ μίαν οὖσαν, συναμφοτέρας ἐκάλουν ἑνὶ καὶ μόνῳ τῷ τῆς Εὐρώπης ὀνόματι, *& Africam & Europam, velut quæ vna esset,*

esset, vtramque simul vno & solo Europæ vocabulo appellabant, vti de his Agathemerus refert lib. II cap. II. Hoc qui sentirent, seu duas tantum partes orbis, Europam & Asiam, dicerent, *pauci fuere,* Sallustio iudice Iugurth. B. cap. XVII. plerique enim partem tertiam, quæ Africa est, distincta ab Europa, apposuerunt. Ex vtraque gente testes non nullos aduocare liceat. Dionysius periegeta vers. 7

- - - - - μίαν δὲ ἐ καίπερ ἐοῦσαν
Ἄνθρωποι τριχθῆσι ἐπ' ἠπείροισι δάσαντο,

Vna autem quamuis sit terra, homines tres in continentes partiti sunt. Et Agathemerus dicto loco: Διαιρεῖται ἡ ὅλη οἰκουμένη εἰς ἠπείρους τρεῖς, *Diuiditur vniuersus orbis in tres continentes,* quas etiam nominat, *Asiam, Africam & Europam.* Atque ita etiam Strabo, lib. I extremo, illas partes non semel ἠπείρους, *continentes,* cum Eratosthene appellauit. CONTINENTES, quia non sunt insulæ, & quamquam maribus maiorem partem cinctæ sunt singulæ, tamen continuo aliquo tractu, saltem isthmo, inter se cohærent. Omnes tamen hæ tres continentes partes simul ab Oceano ambiuntur, ad quem collatæ, speciem magnæ præbent insulæ. Iterum Dionysius principio περιηγήσεως,

Μνήσομαι Ὠκεανοῖο βαθυῤῥόου· ἐν γὰρ ἐκείνῳ
Πᾶσα χθὼν, ἅτε νῆσος ἀπείριτος, ἐστεφάνωται.

Memorabo Oceanum profunde fluentem: illo enim tota tellus, tamquam insula immensa, est cincta. Geminus autem cap. XIII non *continentes,* sed μέρη τρία vocat, id est *tres partes.* Atque ita etiam Latini. Pomponius Mela lib. I cap. I *Hoc mari* [interno] *& duobus inclutis amnibus, Tanai & Nilo, in tres partes vniuersum diuiditur.* Nec non Plinius prooemio lib. III, *Terrarum orbis vniuersus in tres diuiditur partes, Europam, Asiam, Africam.* In quo numero consistunt omnes, nec plures Ptolemæus, Solinus, Capella, & quotquot hoc argumentum tractarunt, agnoscunt: vt quæ de quarta parte, quam recentes Americam dicunt, non nulli coniiciunt, quasi non penitus ignota antiquis fuerit, meræ conjecturæ sint, aut somnia vigilantium. Neque enim vel Atlantica id insula Platonis, quæ similior fabulæ est, quam chorographiæ; vel Pomponii Melæ *antichthones euincunt,* quos eo Turnebus lib. XX Aduersar. cap. XI trahit: neque Carthaginiensium nauigationes in eam pertigerunt, quum ex

Hannonis periplo constet, quam non longe a litoribus, in Oceano præsertim, mortales veteres abscedere ausi, fere semper oram legerint.

Quum itaque certum exploratumque sit, & tot luculentis testimoniis comprobatum, non plures, quam tres, orbis partes antiquis innotuisse; de limitibus, quibus iidem singulas crediderint discretas esse, nunc breuiter adiiciendum est. Certus limes occiduus tam Africæ quam Europæ est Oceanus Atlanticus & Gaditanus, & qui supra illas partes Aquitanicus ac Hibernicus appellatur: nec dubitatum de termino Asiæ orientali, quamuis vix plene cognitum ab vllo fuerit, quousque Asia ad orientem solem recedat. In hoc autem consensus fuit omnium, quidquid terrarum ad ortum solis est, quod cum cognitis partibus cohæreat, id proprium esse Asiæ, non alterius cuiusdam partis. In medio autem limite partium, id est Asiæ & Europæ; itidemque Asiæ atque Africæ communi termino magna vtique est veterum dissonantia. Alii enim has partes fluminibus & fretis seiungunt, vt Europam & Asiam Tanai ac Hellesponto; Asiam ab Africa Nilo flumine: alii isthmis & continentibus terris, vt isthmo Aegyptiaco Africam & Asiam: Europam vero ab Asia alio isthmo maiore, qui inter Caspium mare & Pontum Euxinum intercedat. Vtramque sententiam excutere non alienum erit ab instituto operis.

Sit igitur prima discretio Europæ ab Asia, quæ pluribus satis firma est per Tanaim & Hellespontum, & quæ in illa linea continuantur, vt hodieque illas partes distinguere solemus. Dionysius periegeta v. 14

Εὐρώπην δ' Ἀσίης Τάναϊς διὰ μέσσον ὁρίζει
Πρὸς βορέην· νότιον δὲ μεσούρον Ἑλλήσποντος.

Hoc est: *Europam ab Asia disterminat amnis Tanais septemtrionem versus: australi autem parte Hellespontus limes est.* Straboni etiam lib. 11 pag. 87 Europa ab columnis Herculis patet μέχρι τοῦ Τανάϊδος, *vsque ad Tanaim fluuium.* Et Mela lib. 1 cap. 1 *Quod terrarum iacet a freto ad ea flumina, ab altero latere Africam vocamus, ab altero Europen: ad Nilum Africam: ad Tanain Europen. Vltra quidquid est, Asia est.* Et Arrianus Periplo pag. 11 *A Panticapæo ad Tanaim fluuium*, ὃς λέγεται ὁρίζειν ἀπὸ τῆς Ἀσίας τὴν Εὐρώπην, *qui ab Asia Europam distinguere fertur.*

Hunc

Hunc Europæ terminum diſturbant, qui Phaſidem pro Tanai malunt, aut de iſthmo inter Caspium mare & Pontum neſcio quid iactitant. Herodotus lib. IV cap. XLV de mediis terminis terrarum orbis: οὐρίσματα αὐτῇ Νεῖλός τε ὁ Αἰγύπτιος ποταμὸς ἐτέθη, καὶ Φᾶσις ὁ Κόλχος, *Eius fines ponuntur Nilus, fluuius Aegyptiacus; & Phaſis in Colchide.* Quod Plato etiam in Phædone p. 43 ſignificaſſe videtur, ἡμᾶς οἰκεῖν μέχρις ἡρακλείων στηλῶν ἀπὸ φάσιδος ἐν σμικρῷ τινι μορίῳ, *nos habitare* dicens, *a Phaſide vsque ad Herculis columnas in exigua parte.* Phaſis cum Tanai nequaquam comparandus eſt, & hic vtique, quam ille, eſt aptior ad terminandas maiores illas terrarum orbis partes continentes. Et videntur quidam Phaſin illum pro termino appoſuiſſe, quod is notior ex Argonautarum decantata fabula vel hiſtoria erat, quam Tanais Scytharum, cuius curſum nec ipſe Strabo ſatis exploratum habuit, credens, a ſeptemtrione recta via in Mæotim paludem deferri: quæ etiam Pomponii Melæ cap. I fuit opinio, quum decurſio eius longe alia poſtmodum a peregrinantibus reperta fuerit. Forſitan hæc de Phaſi ſententia alteri, quæ de iſthmo eſt inter Caſpium & Ponticum mare, originem aut occaſionem dedit: quam ita Dionyſius a verſu 19 delineauit:

Ἄλλοι δ' ἠπείροισι διὰ χθόνα νοσφίζουσιν.
Ἰσθμὸς ἄνω τέταταί τις ὑπέρτατος Ἀσίδος αἴης,
Κασπίης τε μεσηγὺ καὶ Εὐξείνοιο θαλάσσης·
Κεῖνον δ' Εὐρώπης Ἀσίης θ' ὅρον ηὐδάξαντο.

Hoc eſt: *Alii autem continentibus terram ſeparant. Iſthmus ſurſum porrectus eſt quidam ſupremus Aſiæ, Caſpium inter & Euxinum mare. Illum autem Europæ & Aſiæ terminum dixerunt.* Meminit huius ſententiæ etiam Eratoſthenes apud Strabonem ſub finem libri I. Ait varias de continentium diſtinctione opiniones eſſe, καὶ τοὺς μὲν ποταμοῖς διαιρεῖν, τῷ δὲ Νείλῳ καὶ τῷ Ταναΐδι· τοὺς δὲ τοῖς ἰσθμοῖς, τῷ τε μεταξὺ τῆς Κασπίας καὶ τῆς Ποντικῆς θαλάσσης, καὶ τῷ μεταξὺ τῆς Ἐρυθρᾶς καὶ τοῦ ἐκρήγματος, *alios eas* [continentes partes] *fluuiis diuiſiſſe, Nilo ac Tanai: alios iſthmis, qui ſunt inter Caſpium & Ponticum mare,* & inter Erythræum & ecregma. Verum hæc rudi Minerua & multa vocis abuſione ita tradi, etiam Euſtathius, interpres Periegetæ, obſeruauit, quia iſthmus μεταξὺ δύο θαλασσῶν στενὸς τόπος, *anguſtus locus inter duo maria* ſit: at quod Caſpio & Euxino

mari interiectum est spatium, tantæ est amplitudinis, vt tria regna aut tres integras nationes complectatur, ab ortu Albanos & ex parte Medos: ab occidente Colchos atque Lazos: medio situ Iberos cum Caucasiis portis. Plinius lib. II cap. LXVIII Caspium mare a Pontico CCCLXXV millibus distare tradit, qui modus sane maior, quam pro angustia isthmi est, quam hic natura sua, quæ angusta sit, referre debet. Non est ergo quod miremur, cur plures geographorum veterum, aut quorum nobis reliqua sunt monimenta, forte omnes hanc de Europæ Asiæque limite opinionem deseruerint, & in Tanai amne perinde, vt nostræ ætatis homines, tamquam in termino vtriusque continentis consentiant. Quod enim limitem sustineat partium, in angusto necesse est constituatur, vt, quasi linea ducta, monstretur vbi existat terminatio, quæ in tanta vastitate, quæ inter duo illa maria est, numquam prodita aut declarata ab vllo fuit. Vt autem veterum multi errores circa Pontum & Caspium mare fuerunt; ita quoque huius sententiæ auctores primi videntur ignorasse, quanta inter vtrumque mare, Ponticum Caspiumque, sit capacitas: credidisseque, exiguum illud & angustum esse spatium: quod vero secus per omnia, vt notum est, se se habet. Et tantum de Europæ & Asiæ discrimine, quod a Tanai per Bosporum vtrumque, & Hellespontum, & quæ connexa his sunt maria, in mediterraneum mare vsque, propter Cnidiæ peninsulæ extremitatem, deducitur.

Non minor est de Asiæ & Africæ termino constituendo controuersia, quem quidam in Catabathmo ponunt; alii in Nilo flumine: rursus alii in isthmo, qui inter Arabicum sinum & mare est mediterraneum. Sallustius Iugurthino Bello cap. XVII hos limites posuit: *Africa fines habet ab occidente fretum nostri maris & Oceani: ab ortu solis, decliuem latitudinem.* Pomponius Mela lib. I cap. VIII, qui idem sensisse videtur, interpres est Sallustii, vt liquido appareat, quæ sit latitudo illa decliuis, pro qua alii malunt, vna transposita littera, *altitudo* legi. Is vero, *Catabathmus,* inquit, *vallis deuexa in Aegyptum, finit Africam.* Catabathmum ergo, locum Straboni, Plinio, Ptolemæo laudatum, interiectum Parætonio & Cyrenaicæ, terminum vtriusque continentis facit. Vnde est quod Plinius lib. V cap. V *finem Cyrenaicum* Catabathmum appellet. At si hic est terminus inter vtramque orbis partem, tota Aegyptus, & Marma-

Marmarica etiam, ad Asiam referendæ essent, quod contra naturam rerum est, quæ limitem notabiliorem, quam illa non longissima, contra in latitudinem protensa est declivitas, maiorum orbis partium discrimini videtur vtique postulare. Quod quia ita se se habet, pauci admodum fuerunt, qui hanc sententiam sequerentur; & vix alii præter illos, quos modo nominauimus: nec Mela in eo constans est, sed alio loco, ostenso antea & paullo post repetendo, a Nilo disterminari tradit, in quo plures consentientes ex sua & priori ætate habuit. Dionysius Periegesi vers. 18

Σῆμα δ' ὑπερτέταται νοτιώτατον ἐς στόμα Νείλου,

quod Prisciano interprete est,

Sed magis australis sunt terminus ostia Nili,

scilicet, magis australis, quam superius nominati Tanais & Hellespontus. Strabo suffragatur lib. II pag. 87 Ἐκπλέουσι τὸν κατὰ στήλας πορθμὸν ἐν δεξιᾷ μέν ἐστι ἡ Λιβύη μέχρι τοῦ Νείλου ῥύσεως, *Enauigantibus freto iuxta columnas* [Herculis] *a dextra est Africa vsque ad Nili fluentum.* Sic vocem ῥύσιν, ab Aldo, Xylandro, Casaubono ita expressam, heic loci vulgo vertunt, quasi liberationem fluminis, vt de ἐκβολαῖς seu ostiis interpretari possis. Sed non tam suam, quam vulgi rationem sequutus, disterminatorem Nilum heic appellauit, quod ex lib. I est manifestius, vt postea ostendemus. Plinius autem lib. III cap. I INTRANTI [per fretum Herculeum in internum mare] *dextra Africa est, læua Europa: inter has Asia. Termini amnes, Tanais & Nilus.* Et ipse Pomponius lib. I cap. I *Hoc mari* [mediterraneo] *& duobis inclutis amnibus, Tanai & Nilo in tres partes vniuersum diuiditur.* Huic sententiæ apud Strabonem lib. I pag. 22 obiicitur, incongruentem limitem in Nilo poni, quia sic Aegyptus & Aethiopia distraherentur, & vtriusque pars altera in Asiam incideret, altera ad Africam referretur: quod vtique inconueniens est, & dignum vt reprehendatur.

Quam præstantius vero & ipsi aptius naturæ rerum est, vt terminus in isthmo Aegyptiaco & Erythræi maris oblongo sinu, quem Arabicum dicunt, id est, inter Arabiam & Aegyptum infusum, collocetur? Hunc hodie præstantissimus quisque geographorum ponit: hunc neque veteres geographi ignorauerunt, quamlibet de Nilo multi, quidam etiam de Catabathmo cogitauere. Strabo egregie lib. I pag. 24 οἱ χαριέστεροι τῶν διαιρούντων τὴν Ἀσίαν ἀπὸ τῆς

Λιβύης, ὅρον εὐφυέστερον ἡγοῦνται τοῦτον τῶν ἠπείρων ἀμφοῖν τὸν κόλπον, ἢ τὸν Νεῖλον· τὸν μὲν γὰρ διήκειν παρ' ὀλίγον παντελῶς ἀπὸ θαλάττης ἐπὶ θάλατταν. τὸν δὲ Νεῖλον πολλαπλάσιον ἀπὸ τοῦ ὠκεανοῦ διέχειν, ὥστε μὴ διαιρεῖν πᾶσαν τὴν Ἀσίαν ἀπὸ τῆς Λιβύης. Id eſt: *Probatiores illorum, qui Aſiam ab Africa diſterminant, limitem naturæ ipſi conuenientiorem ponunt vtriusque huius continentis ſinum potius, quam Nilum: quippe quod ille* [ſinus] *propemodum ab vno mari ad alterum omnino penetrat, quum Nilus ab Oceano multis partibus longius abſit, ideoque Aſiam vniuerſam ab Africa non dirimat.* Hoc idem eſt quod ſupra, ex eiusdem libri extremo propemodum, diximus, cum ſinu Arabico *iſthmum* terminum conſtitui, τὸν μεταξὺ τῆς Ἐρυθρᾶς καὶ τοῦ ἐκρήγματος, *qui eſt inter Erythræum mare & rupturam ſiue ecregma.* Ille enim locus, ab eruptione maris dictus, poſtea obturatus, prope lacum Sirbonidem in confinio Aegypti & Palæſtinæ eſt, vt idem Strabo lib. XVI pag. 523 tradidit. Huic ſententiæ cum alii olim, quorum nomina expreſſa non ſunt, vti ex Dionyſio, & Eratoſthene apud Strabonem lib. I extremo apparet; tum ex iis qui ſuperſunt, Agathemerus acceſſit. Clare enim lib. II cap. II ſcripſit: χωρίζεται ἡ Ἀσία τῆς Λιβύης ἰσθμῷ στενῷ. Τοῦτον δὲ ἡ ἀπὸ τῆς κατὰ τὸ Πηλούσιον θαλάσσης ἐπὶ τὸν μυχὸν ἀνιοῦσα τοῦ Ἀραβίου κόλπου γραμμή. *Aſia ab Africa diuiditur anguſto iſthmo, quem ducta a mari prope Peluſium ad intimam ſinus Arabici partem deſignat linea.* Non ſecus etiam Ptolemæus lib. IV cap. V iudicauit, quam vt Aegyptum usque ad Arabicum ſinum extendat, eamque totam det continenti Africæ, nihil eius ad Aſiam reiiciat.

CAPVT XII

DE

MENSVRIS GEOGRAPHICIS.

EST etiam, quod pro veteri geographia illuſtranda explicatius tradatur de priſcis menſuris geographicis, vt diſtantiæ locorum, a veteribus notatæ ac definitæ, ſine errore intelligantur. Viarum enim interualla pro ſitu gentium nominibus aliis atque aliis nominantur, in quibus Perſæ, Aegyptii, Græci, Romani, Galli, quod ad antiquam geographiam attinet, ſuas quæque gens men-

mensuras, modos, & appellationes habuerunt. Hieronymus commentario in Ioelis cap. III, *Nec mirum,* ait, *si vnaquaeque gens certa viarum spatia suis appellet nominibus: quum & Latini mille passus vocent, & Galli leucas, & Persae parasangas, & rastas vniuersa Germania.* De Persarum parasangis incipiendum est.

Athenaeus lib. III cap. XXXIV Περσικὰ ὀνόματα, *Persica nomina* vocat τοὺς παρασάγγας, καὶ τοὺς ἀστάρους, καὶ τὴν σχοῖνον, ἢ τὸν σχοῖνον, *parasangas, & astaros, & schoenon.* Primum nomen indubitato est Persicum: medium scriptura suspectum, cuius loco aliis ἀγγάρους aut ἀστάνδας placet: vltimum, quod σχοῖνος est, Herodotus lib. II cap. VI μέτρον Αἰγύπτιον dicit, *Aegyptiam mensuram,* & forsan etiam Aegyptiae originis, quia is ante vsum Graecae in Aegypto linguae scripsit: nisi forsan aeque Persicum est vt parasanga, quod voluit Athenaeus, & firmare videtur Callimachi fragmentum, quod Plutarchus de Exsilio pag. 534 seruauit,

Μὴ μετρεῖν σχοίνῳ Περσίδι τὴν σοφίην,

Non debere nos sapientiam schoeno Persica metiri.

Parasangae mensuram nobis Strabo lib. XI p. 357 valde dubiam reddit. Ait enim, οἱ μὲν ἑξήκοντα σταδίων φασὶν, οἱ δὲ τριάκοντα, τετταράκοντα, *alii sexaginta stadiorum esse dicunt, alii triginta aut quadraginta.* Esto, variare parasangas pro diuersis locis, quod Plinius quoque lib. VI cap. XXVI significat: id tamen pro metro videtur habendum esse, quod plerisque locis valet, & in quo plures scriptores consentiunt. Quum ergo Herodotus dicto loco, & Hesychius, ac Suidas, & Hero in Isagoge, in τριάκοντα, *tricenis* stadiis consentiant, hunc numerum pro veriore, saltem communiore putamus posse accipi. Rarus tamen in litterarum studiis vsus parasangarum est, nec forsan nisi in historiis Persarum, vt Xenophontis, & si qui alii eius generis supersunt. Adi Suidam.

Aegyptiorum *Schoenus* Herodoto auctore, loco antea indicato, ἑξήκοντα στάδια, *sexaginta stadia,* atque sic duas eiusdem parasangas, continet. Sed heic etiam quaedam inaequalitas inuenitur, quippe Strabo dicto loco, quum in Nilo nauigationes per schoenos, numerari dixerat, addit, ἄλλαχοῦ μὲν μείζω παρέχειν πλοῦν, ἄλλαχοῦ βραχύτερον, *alibi longioris, alibi breuioris nauigationis spatio conuenire.* Plinius lib. XII cap. XIV *Schoenus patet, Eratosthenis ratione, stadia* XL, *hoc est passuum quinque millibus: alibi* XXXII *stadia*

singulis

ſingulis ſchœnis dedere. Longe hæc diſtant a modo Herodoti. Sed Strabo rationem etiam tantæ diſcrepantiæ loco alio, lib. XVII pag. 553, declarat. Aliam enim & aliam diuerſis locis ſchœnorum in ipſa Aegypto magnitudinem eſſe, atque ita παρὰ τοῖς Ἀιγυπτίοις ἄστατον τὸ τῆς σχοίνου μέτρον, *apud ipſos Aegyptios inconſtantem ſchœnorum menſuram.* nam præterquam quod ſibi, in Nilo nauiganti, quadraginta ſtadiorum ſchœnos, aut plurium, κατὰ τόπους, *quibusdam in locis*, indicauerint; Artemidori fide refert, ab Alexandrea ad verticem τοῦ Delta, ſchœnum eſſe triginta ſtadiorum: a Peluſio ad eundem verticem, ſtadiorum viginti quinque: a Memphi ad Thebaidem ſingulas ſchœnos habere ſtadia centum & viginti: a Thebaide vſque Syenem, ſexaginta ſtadiis ſchœnum vnamquamlibet definiri. At alibi locorum etiam quadraginta ſtadiorum ſchœnos eſſe, idem Strabo dicto loco lib. XVII dixit: & lib. XI fere extremo Armeniam a Theophane ita deſcriptam refert, vt longitudo ſit ſchœnorum centum; latitudo dupla: in quo ſpatio ne erretur, dicit, τιθέναι τὴν σχοῖνον τετταράκοντα σταδίων, *poſuiſſe ſchœnos* Theophanem *quadraginta ſtadiorum.*

Diximus ſupra aliis Perſicum, & aliis Aegyptium nomen *ſchœnum* videri, aut Aegypto proprium: quod vero σχοῖνος *iuncum*, vnde funes fiunt, & σχοινίον funem ſiue funiculum ſonat; in Græcia vocabulum videri natum poterat, niſi Herodoti ætas obſtaret. Vertunt nihilominus, tamquam Græcum eſſet, *funiculum.* Hieronymus dicto loco in Ioelem: *In Nilo flumine, ſiue in riuis eius, ſolent naues funibus trahere, certa habentes ſpatia, qua appellant funiculos, vt labori defeſſorum recentia trahentium colla ſuccedant.* Sed quantacumque ſchœnus menſura fuit, aut quoquo orta genere ſiue gente; vſus eius perrarus eſt, & vel rarior quam paraſangarum.

Græci vtebantur STADIIS, etiam quotquot vel a Græcis erant, vel ſocietate aut commercio coniuncti cum illis. Conſentiunt in eo plerique auctores, centum viginti quinque paſſibus ſtadium expleri: pedibus autem non plane conueniunt, dum alii ſexcentos ponunt, alii viginti quinque ſuperaddunt. Plinius lib. II cap. XXIII *Stadium centum viginti quinque noſtros efficit paſſus, hoc eſt pedes ſexcentos viginti quinque.* Cenſorinus de Die Nat. cap. XIII ſtadia non vnius generis memorauit. *Stadium*, inquit, *in hac mundi menſura id potiſſimum intelligendum eſt, quod Itali-*

cum

num vocant, pedum IↃCXXV. *nam ſunt praeterea & alia, longitudine diſcrepantia, vt Olympicum, quod eſt pedum* IↃC; *item Pythicum, pedum* CIↃ. Italicum vocat, quod eo Pythagoras vſus fuerit in corporum mundanorum diſtantiis emetiendis, quod Cenſorinus putat maius eſſe quam Graecorum Olympicum, quod Gellius etiam lib. I cap. I pedum ſexcentorum fuiſſe tradit: ſed obſeruatum vna ab eodem eſt, pedem Olympicum ſuperaſſe vulgarem, vtpote aequalem plantae Herculis. Quo factum eſſe ſunt qui credant, vt ſexcenti pedes Olympici exaequarint viginti quinque ſupra ſexcentos, quod ſtadium fuit Italicum, a Plinio ſupra definitum.

Vſus ſtadiorum eſt omnino ampliſſimus, non Graecis modo, ſed ipſis etiam Romanis; nec tantum his, quando de Graecorum rebus agunt, ſed interdum etiam quum de ſuis. Cicero Quaeſt. Acad. lib. IV cap. XXXI *Si iam ex hoc loco proficiſcatur Puteolos ſtadia triginta probo nauigio, bono gubernatore, hac tranquillitate.* Quid? cum Graecis etiam in Orientem translatum vocabulum fuit, nec aliis tantum nationibus, ſed ipſis etiam ſanctis Dei viris, diuino ſpiritu actis, non alienum ab vſu fuit, id quod omnibus eſt notiſſimum.

Nunc Stadia Graecorum cum Romanorum menſuris ſunt comparanda, in quo auctores, quamuis parum diſſideant, non tamen omnino conueniunt. Dictum, Romanos *millenis paſſibus* metiri locorum diſtantias ſolitos, quod ſpatium raro veteres, vt Cicero ad Attic. lib. VIII epiſt. IX, & Velleius lib. II cap. XXVII, Valer. Maximus lib. I cap. VIII ſect. 4 vno verbo *milliarium* dixerunt; ſed *mille paſſus*, aut ſi plura, tot *millia paſſuum*: cuius rei ſunt obuia exempla. Quot autem ſtadia hoc ſpatium continuerit, quia non eadem omnium ſententia, pretium erit, excuſſis ſingulis, examinare. Heſychius in Μίλιον (ſic exprimunt Graeci Latinum *milliarium*) id eſſe ait μέτρον ὁδοῦ σταδίων ἑπτὰ, *menſuram viae ſeptem ſtadiorum*. Plutarchus paullo largior, in Gracchis p. 838, τὸ μίλιον, inquit, ὀκτὼ σταδίων ὀλίγον ἀποδεῖ, *Milliarium abeſt paullulum ab octo ſtadiis.* At plures alii, plene *octo* ſtadia milliario teneri dicunt. Polybius lib. III cap. XXXIX βεβημάτισται καὶ σεσημείωται κατὰ σταδίους ὀκτὼ διὰ Ῥωμαίων ἐπιμελῶς, *interualla Romani per octona ſtadia diligenter dimenſi ſunt, & ſignis diſtinxerunt.* Et Strabo lib. VII p. 223 ὡς οἱ πολλοὶ, τὸ μίλιον ὀκτωστάδιον, *vt plurimi cenſent, milliarium*

octo est stadiorum. Isidorus Hispalensis lib. XV Originum cap. XVI *Stadium octaua pars milliarii est, constans passibus* CXXV. Quod vero priores dissentiebant, minorem stadiorum numerum ponentes, exinde videtur factum esse, quod Græci homines ad Græcorum pedem respexerunt, qui maior paullo erat, quam Romanus aut Italicus.

Idem spatium sæpe LAPIDEM scriptores Romani appellauerunt, vt idem apud ipsos & *lapis* sit & *milliarium*, siue *mille passus*. Florus lib. II cap. VI de Scipione: *idm non a tertio lapide* [vt Hannibal ad Romam] *sed ipsas Carthaginis portas obsidione quatiebat.* Id quod Liuius lib. XXVI cap. X *tria millia passuum ab vrbe* dixit: & Velleius Paterculus lib. II cap. XXVII [Hannibalis] *intra tertium milliarium castra conspicata.* Quod etiam leges Romanæ confirmant, scilicet idem voces, *lapis* & *milliarium*, valuisse. Vlpianus lege II § *Initio* Dig. de Offic. præf. vrb. *Si quid intra centesimum milliarium admissum sit, ad præfectum vrbi pertinet: si vltra ipsum lapidem, egressum est præfecti vrbi notionem.* Id inde manauit, quia per singulos mille passus Romani vias stratas erecto lapide distinguebant, ex cuius numero constaret iter facientibus, quot quisque millibus passuum, quoquouersus iret, ab vrbe Romana abesset. Auctorem rei vtilissimæ Plutarchus in Gracchis indicauit, vbi quum de fratre Caio dixerat, *ἐσπούδασε περὶ τὴν ὁδοποιΐαν*, *muniendis viis studuisse*, paucis interiectis, quæ eiusdem argumenti sunt, adiecit p. 838, *πρὸς δὲ τούτοις διαμετρήσας κατὰ μίλιον ὁδὸν πᾶσαν (τὸ δὲ μίλιον ὀκτὼ σταδίων ὀλίγον ἀποδεῖ) κίονας λιθίνους, σημεῖα τοῦ μέτρου, κατέστησεν.* *Adhæc viam omnem per milliaria dimensus (capit autem paullo minus octo stadia milliarium) columnas lapideas spatii signandi gratia locauit.* Idem curatius, vt omnia solebat, Augustus Cæsar perfecit, columnam auratam in foro constituens, in quam omnes viæ Italiæ, per lapides distinctæ, desinebant. Plutarchus in Galba sub finem, de Othone: *ἐβάδιζεν εἰς ἀγορὰν, οὗ χρυσοῦς εἱστήκει κίων, εἰς ὃν αἱ τετμημέναι τῆς Ἰταλίας ὁδοὶ πᾶσαι τελευτῶσιν*, *progressus in forum, vbi aurea columna est posita, in quam viæ militares Italiæ omnes desinunt.* Dio Cassius lib. LIV pag. 526 *χρυσοῦν μίλιον*, & Tacitus lib. I Hist. cap. XXVII *milliarium aureum* appellat, singulari notione, qua non interuallum, sed columnam significat. Eius mentionem etiam Plinius fecit lib. III cap. V sect. 9. *Eiusdem*, inquit, [vrbis] *spatium mensura currente a millia-*

milliario, in capite Romani fori statuto, ad singulas portas, quæ sunt hodie numero triginta septem, efficit passuum per directum XXX M. ↀCCLXV.

Non possum quin adiungam, in prouinciis idem factitatum fuisse, vt non tantum vias munirent præcipuas, sed lapidibus etiam, siue milliariis, eo modo, quo in Italia fiebat, interualla discriminarent. Sic in Sicilia fuit *Via Valeria*, a Messana Lilybæum ferens, Straboni memorata lib. VI; in Thracia *vetus strata*, ab Eutropio descripta lib. IX cap. IX, in vita Aureliani imperatoris: maxime vero *Egnatia* siue *Ignatia*, Macedoniæ via, notabilis fuit, quia viarum per lapides discretionem clarissime illustrat. Strabo de ea lib. VII p. 223 Ἐκ τῆς Ἀπολλωνίας εἰς Μακεδονίαν ἡ Ἐγνατία ἐστιν ὁδὸς πρὸς ἕω βεβηματισμένη κατὰ μίλιον, καὶ κατεστηλωμένη μέχρι Κυψέλων, καὶ Ἕβρου ποταμοῦ. *Ab Apollonia* (ad Hadriaticum mare) *in Macedoniam Egnatia via est orientem versus, per passus distincta secundum milliaria, ad singula erecto lapide siue lapidea columna, vsque ad* (Thraciæ vrbem) *Cypselum, & Hebrum fluuium.* Nec minus illustris locus Polybii, antea quoque commendatus, pro Hispania Galliaque prouinciis est, ex lib. III cap. XXXIX, qui, postquam vias a Columnis & Carthagine Noua vsque ad Rhodanum per stadia Græcorum more enumerarat, hæc digna notatu verba adiunxit: ταῦτα νῦν βεβημάτισται καὶ σεσημείωται κατὰ σταδίους ὀκτὼ διὰ Ῥωμαίων ἐπιμελῶς, *Hæc nunc omnia ab Romanis per octona stadia sunt descripta, & lapidibus milliaria distincta.* Vterque, Polybius & Strabo, vtuntur verbo βηματίζειν, quod est per passus emetiri & definire; βῆμα enim gradus siue passus est: quod autem hic καταστηλοῦν dixit, *columnis distinguere* siue lapidibus; ille σημειοῦν vocauit, *designare*, seu positis signis, qui lapides erant, discernere. Græci enim rerum Romanarum scriptores *milliaria* sæpe σημεῖα vertunt, de quo egregie Pæanius, Græcus Eutropii metaphrastes, lib I cap. III in Tullo Hostilio ita commentatus est: Ἀλβανοὶ τῆς Ῥώμης δυοκαίδεκα διεστῶτες σημείοις. μίλια καλοῦσιν αὐτὰ Ῥωμαῖοι· τὰ χίλια γὰρ βήματα οὕτως ὀνομάζουσι, τοσούτοις βήμασι συμμετρούμενοι. *Albani ab Roma absunt duodecim signis siue lapidibus. Milliaria hæc Romani vocant: mille enim passus sic nominant, totidem passibus* [milliarium] *metientes.* vbi omnem huius argumenti rationem habes, & quid βῆμα, quid μίλιον, quid σημεῖον sit, intelligis, nec minus verbum σημειοῦν, quod modo vidimus in Poly-

Polybio atque Strabone, inde deriuatum. Et Herodianus perinde vsus est nomine σημείῳ lib. II cap. XIII, εἴ τις ἐντὸς ἑκατοςῦ σημείου ἀπὸ τῆς Ῥώμης φανείη, *si quis intra centesimum ab vrbe lapidem conspiceretur.* Adde lib. VIII cap. IV principio.

Crebræ hinc Romanorum loquutiones illustrantur, quibus per lapides milliaria, seu millenos passus, significant; quarum paucæ ad exemplum nobis satis sint. Liuius lib. V cap. XXXVII de Alliensi prœlio: *ægre ad vndecimum lapidem* [Gallis] *occursum est.* Et Suetonius Tiberio cap. LXXII *Bis omnino toto secessus tempore Romam redire conatus, semel triremi vsque ad proximos Naumachiæ hortos subuectus est: iterum Appia vsque ad septimum lapidem.* Idem Claudio cap. XXIII, *vt vltra lapidem tertium vetaret egredi ab vrbe.* Et Marcianus iuris consultus lege XXI Dig. de Excusation. *ne vltra centesimum lapidem tutelam gerat.* Id Tacito cum primis frequens est adeo, vt nonnumquam, *lapidis* suppresso nomine, solum numerale ponat, nimirum lib. II Hist. cap. XXIV *ad duodecimum a Cremona:* & lib. III cap. XV *ad octauum a Bedriaco progressus:* quod etiam aliquando fit in *passus* vocabulo, vt subticeatur in spatio viæ designando, cuius exemplum mox ex Lactantii de Mort. Pers. cap. XLV producturi sumus.

Galli LEVCAS vel LEVGAS, (barbaris sæculis *leuvas*) in viarum mensuris proprias habebant, præsertim posteriores. nam antiqui scriptores non memorant. Hieronymi testimonium initio huius capitis de Mensuris Geographicis, adlatum fuit. Ammianus Marcellinus lib. XV cap. XXVIII de Araris & Rhodani confluente, vbi Lugdunum est: *Exinde non millenis passibus, sed leucis itinera metiuntur.* Paullus Warnefredus, vulgo Diaconus cognominatus, ad Eutropium adiecto libro XV, *Conuenitur ex vtraque parte in Campos Catalaunios, qui centum in longitudine leucis, & ex latitudine septuaginta; vt Gallis mos est, metiri feruntur.* Quanta fuerit vulgaris Leuca, Iornandes de Rebus Geticis cap. XXXVI exponit. *Leuga,* inquit, *Gallica mille & quingentorum passuum quantitate metitur.* Excidisse ergo millenarium numerum ex Isidori Originibus, sub finem libri XV scribentis, *Leuca finitur passibus quingentis;* non est quod dubitemus.

In Itinerariis etiam crebra est MANSIONVM mentio, quæ diuersoria sunt cum aliorum, tum ipsius principis, ad pernoctandum idonea,

idonea, viis apposita publicis siue regiis. Inde ad mensuras adhibebantur, vt interualla mansionum, certis spatiis distinctarum, significarent. Lactantius de Mortib. Persequutorum cap. XLV, *Iam Licinius festinato itinere cum paucis Hadrianopolim venerat, quum ille accepta in deditione Perintho, aliquanto moratus, processit ad mansionem millia decem & octo. nec enim poterat vlterius Licinio iam secundam mansionem tenente, distantem millibus totidem.* Habes sic distantias mansionum in publica aut militari via determinatas, decem & octo videlicet millibus passuum. Nec noua hæc mansionis notio, sed Plinio etiam probata & Suetonio. Ille lib. XII cap. XIV *Caput regni Sabota in monte excelso, a quo octo mansionibus distat regio eorum thurifera, Saba appellata.* Et post paullo, eodem cap. XIV, *mansiones camelorum* memorat, quarum LXV inter Gazam & Thomnam ponit, idque spatium XLIV. XXXVI millia passuum complere adnotat. quod si est, & numerus incorruptus, quem Io. Harduinus ex MSS. edidit & explicauit; XVII milliaria Teutonica vnam camelorum mansionem efficient.

Similis formula est, quum militum iter per *castra*, tamquam militares mansiones, distinguitur. Liuius lib. XLIV extremo: *profectus a Pella consul, quartis castris Amphipolim peruenit*, id est quarto die. Et Curtius lib. IV cap. IX *Alexander vndecimis castris peruenit ad Euphratem.* & alibi sæpe. Græci σταθμὺς vocant, & Herodianus lib. II extremo τῆς ὁδοιπορίας σταθμὺς, *itineris statiua* seu nocturnas mansiones.

Generalior modus, aut formula prope vulgaris est, quæ per *itinera diurna* seu ὁδὺς ἡμέρας, distantias locorum describit. Sæpe ita Procopius metitur, & lib. I Goth. bell. cap. XIV in Appia, mensuræ normam exemplo definit: ἔστι, inquit, ἡ Ἀππία ὁδὸς ἡμερῶν πέντε ἀνδρὶ εὐζώνῳ· ἐκ Ῥώμης γὰρ αὕτη ἐς Καπύην διήκει· *Via Appia longitudo est quinque dierum expedito homini. Roma enim pertingit Capuam.* Idem lib. II Goth. cap. X dicit Ariminum Rauenna abesse μιᾶς ἡμέρας ὁδῷ, *vnius diei itinere*, quas vrbes Itinerarium Antonini XXXIII millibus passuum, si recte se numeri habent, diiungit: Romam autem a Capua M. P. CXLII.

Sed ad Mansiones regrediamur, cum quibus sæpe in Legibus & Itinerariis *Mutationes* coniunguntur, sed diuersæ ab illis sunt, quia mansiones pernoctationi hominum iter facientium, & si in Roma-

no imperio erant, ipsius quoque principis augusti, per se dicatæ destinatæque erant: mutationes autem vehiculorum erant & iumentorum: siue loca in viis regiis, vbi cursus publici animalia mutabantur. Nam illius cursus publici caussa certis interuallis iumenta & vehicula disposita ita erant, vt integra cum defessis ad festinandum iter permutarentur. Lege IX Cod. Theod. de Annona & trib. *Pabula ad mutationes mansionesque singulas animalibus, cursui publico deputatis, solebant conuehi.* Et altero Codice lege XVII de Cursu publico: *Nemo mulionem, mutationibus deputatum, vel per sollicitationem, vel per receptionem subtrahere audeat.* Et lege XVIII insequente: *vt nec pabula mutationibus desint.* Vetus Itinerarium ex æuo Constantinorum, quod iter Hierosolymitanum a Burdegala describit, loca omnia distinguit in *ciuitates*, *mansiones*, & *mutationes*. Exempli gratia in Pannonia hoc ordine procedit a Cibali ad Sirmium:

Ciuitas	Cibalis	—	—
Mutatio	Celena	M.	XI
Mansio	Vlmo	M.	XI
Mutatio	Spaneta	M.	X
Mutatio	Vedulia	M.	VIII
Ciuitas	Sirmium	M.	VIII

Ex quibus & hoc apparet, inæqualiter mutationes distributas fuisse, vt nec per illas viarum interualla, sicut per mansiones, numerari facile potuerint. Quapropter eas prætermittendas ducimus, tamquam ad institutum nostrum, quod viarum mensuras inquirit, aut nihil forte aut parum adferentes.

Tandem etiam de Germanorum veterum mensura viarum, quam *rastam* dixere, videtur aliquid dicendum esse. Principio huius de Mensura capitis, sanctus Hieronymus mentionem illius iniecerat, tamquam a cuncta vsurpatæ Germania. Quantum spatium comprehenderit, vetus Agrimensor, & venerabilis Beda nobis exponunt. Illius verba sunt: *Milliarius & dimidius apud Gallos leuvam facit, habentem passus mille quingentos: duæ leuvæ siue milliarii tres apud Germanos vnam rastam efficiunt.* Confirmat Beda de Numer. diuisione. *Duæ,* inquit, *leuvæ, seu milliaria tria rastam faciunt.* Plura de ea, & exempla scriptorum æui barbari, tradit Carolus Cangius Glossario mediæ & infimæ Latinitatis.

Et

Et hæc de Mensuris geographicis, & cunctis, quæ præno-
ionis partes in Geographia antiqua, partim etiam in illa, quæ Me-
lii æui est, exigere videbantur: nunc singulas partes Orbis anti-
ui perlustratum imus, veteri more initium ab Europa facturi,
t ab occasu, vt omnes prisci geographi, progrediamur in ortum,
cuius rei caussa fuit, quod occidentales prouinciæ notiores,
quam extremus oriens, antiquis Græcis Romanis-
que exstiterunt.

LIBER II

DE

EVROPA.

PRima regio ex magnis orbis terrarum continenti-
bus EVROPA est, quia maxime ad occidentem
solem recedit, vnde principium geographiæ su-
mendum esse, tam ratione, quam consuetudine
antiquitatis lib. I cap. XI probauimus: cui digni-
tas & præstantia ingeniorum, imperii & rerum-
ublicarum, quibus Europa ante alias se partes effert, non paruum
nomentum accedit. Ibidem etiam terminos Europæ præstitui-
nus, fixos ab occidente ac meridie: quodammodo dubios ex parte
rientis, quos vero ad certiores rationes reduximus: a septemtrio-
e incertos antiquis sæculis, quod vel nemo, vel pauci admodum
x illis gentibus, a quibus litterarum monimenta habemus, eo
sque in vlteriorem septemtrionem penetrauerunt. Et quum
artium maiorum initium ab solis occasu faciamus, eandem viam
a ipsis partibus sequendam constituimus, vt in Europa etiam ab
occasu in ortum enarrando prouincias & vrbes, cete-
rasque res notabiles progrediamur.
Sit igitur

CAPVT I
DE
HISPANIA.

Hispania Græcis ſcriptoribus eſt Ἰβηρία, *Iberia*, ab Ibero fluuio denominata, & Hiſpani Ἴβηρες, quaſi *Ibêres*, quod in compoſito nomine *Celtiberorum*, qui nobiliſſimus populus fuit Hiſpaniæ, ſuperfuiſſe obſeruamus. Poeticas appellationes prætermittimus, tamquam luſus ingeniorum, præter *Heſperia vltima*, quæ geographicæ veritati reſpondet, quia vltimam noti orbis ad occaſum ſolis regionem ſignificat. Horatius lib. I Oda XXXVI

Qui nunc Heſperia ſoſpes ab vltima
Caris multa ſodalibus
diuidit oſcula.

Terminos habet ſatis certos & vndique mare, Oceanum, fretum, & quod vocamus Mediterraneum ſiue Internum, præter partem, qua Galliæ adhæret, ſed illam quoque perquam notabili limite, Pyrenæis montibus, ab ea, cum qua cohæret, ſeparatam. Antequam Romani in ea bellum geſſerunt, quorum prima cum Punicis coniuncta, aut iiſdem implicata fuerunt; exigua illarum regionum notitia antiquis Græcis Romanisque fuit, niſi quod Gades, Tarteſſus, & his propinqua loca mercandi forſan cauſſa cognouerant, de Vliſipone finxerant audacter: inferiorem partem, quæ in auſtrum vergit, & mare mediterraneum ſpectat, a Pœnis poſſideri, quod etiam nomina oppidorum probarunt, non quidem ignotum, nec vero penitus perſpectum explicatumque habuerunt. Romani autem rerum in hoc tractu potiti, quidquid occupauerant, vel Carthaginienſibus ademtum, vel victis Hiſpanis in ditionem redactum, in duas prouincias diuiſerunt, vlteriorem citerioremque, a duobus regendas prætoribus. Liuius lib. XXXII cap. XXVIII id prodidit verbis quam clariſſimis. *Sex*, inquit, *pratores illo anno primum creati* (erat autem quintus a fine ſecundi belli Punici) *creſcentibus iam prouinciis & latius pateſcente imperio.* & paucis interiectis: *De prouinciis conſulum pratorumque actum. prius de pratoribus tranſacta res, qua tranſigi ſorte poterat. vrbana Sergio, peregrina iurisdictio Minucio obtigit. Sardiniam Atilius, Siciliam Manlius, Hiſpaniam Sempronius*


Septentrio
pag. 69
OCEANVS CANTABRICVS
GALLIAE PARS
GALLICVS SINVS
OCEANVS OCCIDENTALIS
Balearides siue Gymnesiæ Insulæ
Pityusæ
Ophiusa
SINVS GADITANVS
Fretum Herculeum
AFRICAE PARS
MARE
HISPANIA ANTIQVA
Meridies

citeriorem, Heluius vlteriorem est sortitus. Quæ exscribere sic m fuit plenius, quia statum reipublicæ, qui illo tempore fuit, & s imperii, quod victo Hannibale Romanorum erat, describunt. Macedonicum autem bellum mutata res fuit, & duæ prouinciæ nam contractæ: finito bello rursus diuisæ. Idem Liuius lib. cap. XVI *Q. Aelio, M. Iulio coss. de prouinciis referentibus, censere patres, duas prouincias Hispaniam rursus fieri, quæ vna per bellum Macedonicum fuerat.* In quo statu ad Augustum Cæsarem vsque Hispania permansit, in duas diuisa prouincias, quarum quæ propior Romanis erat, *citerior,* altera *vlterior* vocitata. Cicero pro Fonteio cap. III id facit testatius. *Quum Gallia,* inquit, *Fonteius præesset, scitis iudices, maximos populi Romani exercitus in* DVABVS *Hispaniis clarissimosque imperatores fuisse.* Et pro Lege Manilia cap. XII *Duabus Hispaniis & Gallia Cisalpina præsidiis ac nauibus confirmata.*

Augustus Cæsar tandem, vt nouam dispositionem omnium prouinciarum induxit, vlteriorem Hispaniam in duas separauit, Bæticam, quam populo reliquit, a proconsule administrandam; & Lusitaniam, quam ad suas seu Cæsaris prouincias adsumsit: citeriori etiam *Tarraconensis* nomen imposuit. Tradit id Strabo geographus extremo opere, sed in Hispaniæ parte mutilus atque corruptus: plene autem Dio Cassius lib. LIII pag. 503, qui, quum prouincias populi enarrasset, & in iis Bæticam; addidit, τῦ δὲ Καίσαρος ἥτε λοιπὴ Ἰβηρία, ἥτε περὶ Ταῤῥάκωνα, καὶ ἡ Λυσιτανία, *Cæsaris autem prouinciæ sunt, reliquum Hispaniæ, tam Tarraconensis, quam Lusitania,* & reliqua. Sic tripartita Hispania, seu tres in ea prouinciæ constitutæ. Pomponius Mela lib. II cap. VI de Hispania: *Tribus est distincta nominibus, parsque eius Tarraconensis, pars Bætica, pars Lusitania vocatur.* Et Solinus cap. XXIII de eadem: *diuidua est prouinciis tribus.*

Nec vero vetera nomina plane abolita fuerunt, sed post Augustum etiam tam *citerioris,* quam *vlterioris* Hispaniæ non infrequens facta mentio. Tacitus sub Tiberio lib. IV annal. cap. XIII *Vibius Serenus proconsul vlterioris Hispaniæ de vi publica damnatus.* Non totius vlterioris proconsul, sed tantummodo nobilioris partis, id est Bæticæ, quæ populi erat, & proconsulem habebat, Lusitania in Cæsaris prouinciis relicta. Et Plinius aliquando Bæticam *vlterio-*

teriorem Hispaniam dicit & quasi cum illa exæquat. Libro enim III cap. I ait: *In eo prima Hispania terrarum est, vlterior appellata, eadem Bætica:* mox autem separauit. Paucis enim interiectis ait: *Vlterior in duas per longitudinem prouincias distinguitur.* Et post paullo: *Tarraconensis a Bætica & Lusitania distinguitur.* Stephanus, vrbium descriptor Byzantius, Lusitaniam μέρος τῆς Βαιτικῆς, *partem Bæticæ* appellat, quæ si salua scriptura est, quod dubitat Holstenius, τῆς Ἰβηρίας legendum esse persuasus; tantum ab eo, quod res est, errauit, quam falso testem Heracleotam Marcianum aduocauit, qui plus nihil dixit, quam Λυσιτανίαν περιορίζεσθαι ἀπὸ τῆς μεσημβρίας τῇ Βαιτικῇ, *Lusitaniam a meridie terminari Bætica,* non autem Lusitaniam esse partem Bæticæ. Distinctam enim & singularem prouinciam fuisse cum historiæ testantur, tum veteres inscriptiones. Tacitus annali XIII cap. XLVI *Otho postremo, ne in vrbe æmulatus ageret, prouinciæ Lusitaniæ præficitur.* Gruterus inscr. XIII pag. 31

CEST. AGIDIVS
PERENNIS
LEG. AVG
PROPR. PROV
LVSITANIAE.

Tantum ergo abest, vt pars prouinciæ sit Bæticæ, aut sub illa comprehendatur. *Citerioris* nomen post Augustum Plinio non semel restat, vt lib. III cap. III ineunte, ac alibi, & multis inscriptionibus. Vide Reinesium Class. II Inscr. XXVI, Gruter pag. 177 & seq. etiam 1091 num. 5. Hac posita sub Augusto diuisione, singulas prouincias nostrum est perlustrare; & ab vltima, vt legem nobis diximus, initium enarrationis facere. Sit itaque

PROVINCIA LVSITANIA.

Non fixi semper & immutabiles fines Lusitaniæ fuerunt, sed vt vetustum limitem Strabo lib. III pag. 105 definit, τοῦ Τάγου τὰ πρὸς ἄρκτον ἡ Λυσιτανία, *a Tago in septemtrionem Lusitania patebat.* Scilicet veteres australem terminum in ripa Tagi fluminis ponebant, in septemtrione ad Oceanum Cantabricum protendentes, saltem ad promontorium quod Celticum, vel Nerium vel Artabrum appellarunt. Illa vero regio, quæ inter Anam & Tagum est media, *Celticorum* nomine noscebatur, quod etiam clarissimus vir, Isaacus

Vossius

Vossius, in Melam obseruationibus adnotauit. Postquam vero Romani tota Hispania potiti sunt, Augusto nouam prouinciarum formam inducente, sic constituta fuit Lusitania, vt Anas amnis eam in meridie, Durius in septemtrione terminaret, & omnis tractus, qui a Durio ad Oceanum Cantabricum procurrit, Tarraconensi adhæreretur. Plinius lib. IV cap. XXI *A Durio Lusitania incipit*, quem limitem etiam Ptolemæus sibi constituit. Nec interiores termini circa Vettones & Carpetanos populos sunt omnibus iidem, quod inde crediderim emanare, quia prouinciam Lusitaniam, quæ amplius patet, multi cum propriis Lusitanis, vno populo, confuderunt. Præter hos enim prouincia alios populos complectebatur. Plinius ibidem: *Gentes, Celtici, Turduli, & circa Tagum Vettones.* Sub Turdulis *Turdetanos* Ptolemæi comprehendit, quia vna an diuersæ gentes sint, dubitatur. Polybius distinxit apud Strabonem: huius autem ætate ἐδεὶς φαίνεται διορισμὸς, *nullum discrimen apparuit*, lib. III pag. 96. Sed Turdetani etiam in Bætica Straboni. nam late gens vna diffundebatur. Maior contentio de *Vettonibus* est. Plinius dicto loco, circa Tagum Vettones Lusitaniæ ponit: at cap. XX Durio fluuio ab Asturia disterminari tradit. Vir illustrissimus Petrus de Marca, Marcæ Hispanicæ lib. II cap. II ita conciliat, vt Vettones partim Lusitaniæ adscribat, qui circa Tagum erant, partim Tarraconensi Hispaniæ, qui Durium accolebant. Non dubitamus, quin ex Plinii mente vir summus distinctionem posuerit; saltem ex parte illorum Vettonum, qui circa amnem Durium erant. quas enim vrbes Ptolemæus Vettonibus Lusitaniæ dat, propiores ripæ Durii quam Tagi sunt, Salamantica, Augustobrica, Ocellum, Lancea Oppidana. Sed mutarunt principes in prouinciarum finibus, demendo, addendo, vt lubuit vel commodum visum fuit temporibus. Sic fieri potuit, vt alii fines Lusitaniæ Plinii æuo essent, alii ætate Ptolemæi. Quid vero de tertia ripa, quam prætermisit Plinius, Anæ fluminis dicemus? & hic invenimus Vettones. Prudentius Passione Eulaliæ v. 186

> *Nunc locus Emerita est tumulo,*
> *Clara colonia Vettoniæ:*
> *Quam memorabilis amnis Ana*
> *Præterit.*

Ita est vero: magna natio fuit Vettoniæ, vt a Durio ad Anam extende-

deretur, præsertim æuo posteriore; neque credibile Prudentium, Hispanum genere, in locis patriæ terræ vero aberrasse. Certe tanta fuit Vettonia, vt prouinciam per se ipsa faceret, quemadmodum aliquando vt singularem prouinciam, cum Lusitania tamen coniunctam, videmus. Vetus inscriptio apud Gruter. pag. 383 n. 7

PROC. PROVINCIAE LVSITAN
ET VETTONIAE.

Hinc *Vettones* per TT cum antiquis scribimus, non *Vectones*, nec Resendius, ipse dubius, diuersos fuisse *Vectones & Vettones*, persuaserit.

Fluuii maiores Lusitaniæ prouinciæ sunt Durius & Anas, terminatores, ille a septemtrione, hic ab austro: mediam secat Tagus, aurifer creditus, quod etiam de Durio celebratur. Vterque enim arenulas aureas voluere, vt Pactolus Lydiæ, existimabatur. De Tago consentiunt plures. Pomponins Mela lib. III cap. I *Ostium Tagi amnis, aurum gemmasque gignentis*. Plinius lib. IV cap. XXII *Tagus auriferis arenis celebratur*. Idem lib. XXXIII cap. IV *Aurum inuenitur apud nos tribus modis: fluminum ramentis, vt in Tago Hispania, Pado Italia, Hebro Thracia, Pactolo Asia, Gange India*. Reliquos modos ibidem videas. Ovidius Metamorph. lib. II vers. 251 de æstu ex Phaethontis incendio:

Quodque suo Tagus amne vehit, fluit ignibus aurum.

Durium in societatem adlegit Silius Italicus lib. I v. 234

Heic certant, Pactole, tibi Duriusque Tagusque.

Non possumus, quin egressi propositum nostrum, quid de tanta fama credendum sit hodieque, ex doctissimi Lusitanorum, Laurentii Andreæ Resendii, Antiquitatum lib. II, quo de fluminibus Lusitaniæ agit, repetamus. *At celebris*, inquit, *illa auri fama, per omnes poetas vulgatissima, obscurior modo ac prope exstincta est, cautione legum, ne commota arena depressiores frumentarios agros nocumento adficiant. In testimonium tamen cantatæ gloriæ, regum Lusitanorum sceptrum ex Tagano auro, quo purius reperiri nullum potest, factum & scimus & non semel vidimus.*

De Ana Plinius lib. III cap. I *Ortus hic Laminitano agro citerioris Hispania, & modo se in stagna fundens, modo in angustias resorbens, aut in totum cuniculis condens, & sæpius nasci gaudens, in Atlanticum Oceanum effunditur.* Quæ iusto largius dicta originem opinioni

de

[...]lis, quæ circa Metellinum euenire traduntur vulgo, videri pos[...] dedisse. Minores amnes sunt inter Tagum & Durium tractu [me]dio *Monda*, Conimbricam adluens. Scribitur *Munda* a Plinio: [...]*da* Pomponii Melæ est & Ptolemæi. Inter hunc & Durium [...]*us*, vt Ptolemæus scribit; *Vacua*, vt Strabo: Plinio *Vacca*, in[cer]tis tamen manuscriptis codicibus. Caue vero hinc *Vaccæos* de[...]es, populum ab amne intra Lusitaniam nato, longe remoto in ci[te]riore prouincia. Inter Tagum & Anam *Callipodis* fluenta Ptole[mæ]i solius sunt.

Promontoria tria sunt Lusitaniæ, quæ fama præ ceteris cele[br]antur. Sacrum in austrino angulo Gaditani sinus & Oceani occidentalis, hodie S. Vincentii: quod Straboni sub initium lib. III est ἀντικώτατον ἐ τῆς Εὐρώπης μόνον, ἀλλὰ καὶ τῆς οἰκυμένης ἁπάσης σημεῖον, *non Europæ modo, sed totius orbis habitabilis extremum ad occasum solis monimentum.* Alterum *Barbarium*, vt Strabo pag. 104. & Ptolemæus vocant, septemtrionem versus situm, intra Tagum tamen, & prope illius ostium: hodie Cabo de Espichel. Medium quoddam Plinius ponit lib. IV cap. XXII, quod *Cuneum* vocat, quo nomine Mela agrum, qui inter Anam & Sacrum promontorium est, appellat, a quo forsan nomen promontorio inhæsit. Hodie S. Mariæ nomen dicitur præferre. Tertium est Magnum & Olisiponense (hodie Capo di Rocca Sintra) vt Plinius lib. IV cap. XXII al[t]: *terras maria, cælum disterminans:* vbi Harduinum interpretem velim adeas.

Nunc vrbes Lusitaniæ & oppida perlustrabimus. A Durio (quem Dorium Ptolemæus vocat) in littore meridiem versus descendenti nihil memorabile occurrit, nisi ostia fluuiorum *Vaci* pri[mum], dein *Mondæ*: vltra quem, Tagum versus in ora Oceani, *Lunæ* [...]*s promontorium*, Σελήνης ὄρος ἄκρον, a Ptolemæo memoratum. I[nter] Mondam & Tagum Plinio sunt *Collippo* & *Eburobritium*, quam l[...] a mari, dubitatum. Prioris plerique rudera in Leiriensi agro q[uær]unt, cuius inscriptione quadam COLLIPPONENSIVM, est apud Gruter. pag. 323. Municipium fuisse, ex cippo Romano liquet:

EX LVSITANIA MVNICIP
COLLIPRONENSI

Sic Gruterus pag. 1155 edidit, forsan etiam incisum fuit, sed *Collip-*

ponenſi legendum eſſe, prior lapis & Plinius non ſinunt dubitare. Ad æſtuarium Tagi *Oliſipo* eſt, vetus oppidum adeo, vt *Vlyſſi conditum* Solinus cap. XXIII crediderit, qui quos auctores habuit, parili ſono vocis fortean inducti ſunt. Straboni non incredibile videtur Vlyſſem in Hiſpania fuiſſe, quod ex oppido, neſcio quo, Οδυσσείας nomen præferente pag. 108 cum Poſidonio & Aſclepiade Myrleano, qui grammaticam in Turdetanis profeſſus fuerat, putat confirmari. Sed nugæ ſunt, quæ de Vlyſſe conditore adferuntur: & qui doctiores erant, inutilem quæſtionem iudicarunt, quam ita Seneca epiſt. LXXXVIII proponit, *vtrum Vlyſſes intra Italiam & Siciliam iactatus ſit, an extra notum nobis orbem*; ſiue, vt Gellius eam Græcis verbis lib. XIV cap. VII informauit, *vtrum* ἐν τῇ ἔσω θαλάσσῃ *errauerit ſecundum Ariſtarchum, an* ἐν τῇ ἔξω ſecundum *Cratetem*. Mela, vt errori forſan faueat, non minus quam errans Solinus in vulgatis libris, *Vlyſſippo* ſcribit. Praue. nam *Oliſipo* verum nomen eſt, quod Plinius habet & Antonini Itinerarium, quod etiam, quæ prauari neſciunt, antiquæ inſcriptiones apud Gruterum, in ipſa vrbe Oliſiponenſi repertæ, confirmant. nam pag. 252 num. 5 eſt plenis litteris expreſſum

FELICITAS IVLIA OLISIPO,

& pag. 261 num. 6 præciſius FEL. IVL. OLIS.
ac pag. 273 num. 2 FEL. IVL. OLISIPO.

Id enim cognomen vrbis fuiſſe, a Cæſare Auguſto liberaliter conceſſum, Plinius etiam lib. IV cap. XXII adſeuerat. *Municipium*, inquit, *ciuium Rom. Oliſipo, Felicitas Iulia cognominatum*. Ptolemæus corrupte Ολιος ἱππών, ſeu, vt cod. Palat. habet, Ολιοσίπων, quod Claudius Salmaſius, vir eminentis iudicii, in Ολισίππων reſtituendum eſſe, Exercit. Plin. pag. 196 non dubitat. Hæc in maritima ora inter Durium & Tagum amnes.

Reductiora a mari ſunt Antonini *Langobriga*, & eiusdem ac Plinii *Talabrica*, non incelebris ciuitas. Appianus Alexandrinus Bell. Hiſp. de Bruti Gallæci expeditione p. 501 ἐπὶ δὲ Ταλάβριγα πόλιν ἐλθών, ἣ πολλάκις μὲν αὐτῷ συνετέθειτο, πολλάκις δὲ ἀποστᾶσα ἠνόχλει, *ad Talabrigam venit, quæ, ſæpe iuncto fœdere, ſæpius rebellauerat*. Vox BRIGA autem, vel BRICA, veteri Hiſpanorum lingua *vrbem* ſignificat, vt Reſendius Antiquit. Luſit. lib. IV in *Cetobriga* demonſtrauit. Fuit etiam eodem tractu *Ara ducta* Ptolemæi,

quæ,

[illegible], vt acuto viro Thomæ Reinesio placebat, id quod in schedis [illegible] inueni, *Ara Traducta* rescribenda videtur: *Aeminium* Plinii & [illegible]lemæi adiacet supra Mondam, & ad eundem fluuium *Conimbrica* [illegible]nii, e cuius ruderibus Coimbra, quæ nunc est, in propinquo loco [illegible]a. Inde Tagum versus *Arabriga* Ptolemæi: *Sellium* Antonini: [illegible]*cordia* itidem Ptolemæi; vnde ad Olisiponem non expeditæ ra[illegible]nes sunt, vt explicemus qua sede, quo ordine tres ciuitates, *Sca*[illegible]*s, Aritium Prætorium, & Hierabriga*, sint imponendæ. Vicina op[illegible] fuisse, antiquum Itinerarium, quod Antonini vulgo vocatur, [illegible]mino itinere, quod Olisipone Emeritam ferebat, ostendit, quæ [illegible]bo ita fuerunt disposita:

Iter ab Olisipone Emeritam.

Aritium Prætorium	M. P.	XXXVIII
Abelterim	M. P.	XXVIII
Matusaronem	M. P.	XXIIII
Ad septem Aras	M. P.	VIII
Buduam	M. P.	XII
Plagiariam	M. P.	XII
Emeritam	M. P.	XXX

Item alio itinere ab Olisipone Emeritam.

Hierabrigam	M. P.	XXX
Scalabin	M. P.	XXXII
Tubucci	M. P.	XXXII
Fraxinum	M. P.	XXXII
Mundobrigam (Meidobrigam)	M. P.	XXX
Ad septem Aras	M. P.	XIIII
Plagiariam	M. P.	XX
Emeritam	M. P.	XXX.

[illegible]is autem vrbs *Scabilis* Plinio, & quinta Lusitaniæ colonia est, [illegible]*um Iulium* cognominata, quæ vnum ex tribus prouinciæ con[illegible] habebat. Hæc si *Scalabiscus* Ptolemæi est, nimis in septem[illegible]tri[illegible] vltra Mondam fluuium reduci debet: quod si fides Hispa[illegible]nis [illegible]toribus est habenda, ipsa magno illorum consensu Sancta [illegible]rene[illegible], vulgo Santarem in Tabulis dicta, in ripa dextra Tagi flu[illegible]minis, quinque leucis ab Olisipone posita. Quæ fluctuatio nos [illegible]rimum retinuit, ne temere adscriberemus: in qua nunc omnino

Hispa-

Hispanorum consensioni cedimus: etiam *Hierabrigam* cis flumen, propius Olisiponensem vrbem, collocamus.

Aduerso flumine si proficisceris, opus admirandum, Traiano principi dedicatum, occurrit, *Pons* lapideus *in Tago* flumine, qui solusne sine vrbe fuerit, militari viæ adstructus; an vrbem, Norbensem coloniam, quam Plinius laudat, coniunctam habuerit, dissentiunt peritissimi etiam auctores. Ptolemæus *Norbam Cæsaream*, quæ ipsa Plinii *colonia Norbensis* est, a fluuio in austrum reduxit. Ipsi Hispani, qui negant pontem vrbis fuisse, nouitatem Alcantaræ, quæ in loco illo est, vrbis a Saracenis conditæ, obiiciunt, nec non neglectum inscriptione nomen Norbæ, quod ponti cum aliis multis nominibus ciuitatum, non adscriptum visitur, quum primo loco fuisset adscribendum. Contra sunt æque docti homines, itidemque Hispani genere nec patriæ antiquitatum imperiti, qui in dubium vocant, sitne Alcantara plane nouum opus, an ex euersæ vrbis ruderibus instauratum: quibus Norbanum in ponte nomen non omissum, sed, quæ temporum iniuria est, deperditum videtur, quia tres tabulæ marmoreæ ereptæ sunt, relictis solis illarum vestigiis: quarta vnice superstes, ad quam dissentientes prouocant, inscriptionem habet reliquam. Exstat illa a multis delineata, Nonio, Vasæo, aliisque Hispanis; etiam Grutero pag. 162. Ciuitates, quæ pontem conlata stipe perfecerunt, in illa tabula *nominantur, Icaditani, Lancienses Oppidani, Talori, Interamnienses, Colarni, Lancienses Transcudani, Araui, Meidubrigenses, Arabrigenses, Banienses, Pæsures.* Perdifficile est his singulis locum certum debitumque ordinare, nec ex iis Ptolemæus signauit præter Arabrigam, Lanciam Oppidanam, & Colarnum. Plinius quoque Colarnos habet, & Medubricenses, & geminos Lancienses, quorum alteros & *Ocelenses* appellari tradidit. Quod si est, vtramque Lanciam in Ptolemæo habemus, quia Oppidanam nominatim posuit, alteram per aliud nomen *Ocellum* definiuit. *Meidubriga* locum Resendius ostendit, in Antonini Itinerario, eiusque tertio itinere ab Olisipone Emeritam, *Meidubrigam* legens, non Mundobrigam, quæ quum trans flumen sit, vbi ventum eo fuerit, luculentius de illa differemus. Id vero ex ponte hoc cognoscimus, Lusitaniam longe inter amnes illos, Durium Tagumque, in orientem patuisse, quia adscriptum marmori est MVNICIPIA PROVINCIAE LVSITANIAE STIPE CONLATO

OPVS

... PONTIS PERFECISSE. Omnes ergo antea dictæ ciuitates ...taniæ fuerunt, in iisque *Lancia Oppidana, Ocellum, Icædita*, quæ ...m æquali situ sunt cum Salmantica, partim vlteriori. Digna ...ia, digna Icædita & forsan aliæ, vt aliquid de iis adiiciamus, an...am flumen Tagum in austrum versus transgrediamur. Lancia *...dissima ciuitas* laudata Floro est lib. IV cap. XII sect. 56, sed illa ...tur in Asturia fuisse, non in Vettonibus Lusitaniæ, quia bellum ...Asturibus, reliquias Cantabrici, describit. Dio Cassius eodem ...o lib. LIII pag. 514 de Carisio, Augusti legato, τήν τε Λαγκίαν τὸ ...ιστον τῶν Ἀστύρων πόλισμα ἐκλειφθὲν εἷλε, *Lanciam, quæ est vrbs ma... Asturiæ, desertam occupauit.* Ptolemæus quoque lib. II cap. ...I in Asturia ponit Λαγκίατον, *Lanciatum*, quæ alia esse non potest .Dionis & Flori *Lancia*. Quæ quod in Tarraconensi Hispania sita ...uit, ad Lusitaniam, quam perlustramus, nihil vtique potest adferre. ...iuersæ ab hac sunt *Lanciæ*, quæ in pontis inscriptione notantur, ...ec minus celebres forte, quam illa Asturum iam commendata. *...asfcudana* quidem Lanciæ, vt Gruterus scribit; vel *Transcudana*, ...asæus, præter pontis significationem, non facile monimen... inuenimus. *Oppidana* vero, quæ Ptolemæo Λαγκία Οππιδάνα ... illustre ex Augusti sæculo exstat apud eundem Gruterum pag. ...n. 3

TERM. AVG. INTER
LANC. OPP. ET IGAEDIT.

...ædita illa est, quæ in ponte *Icædita* scribitur, etiam alio apud Gru...rum marmore *Icedita* pag. 31 n. 8.

P. POPILIVS AVITVS P. F. INDVL
GENTIA PONTIFI. ICEDITA
NOR. LOCVM SEPVL.
ACCEPI ANTE AED. DEAE
MAGNAE CYBELES.

... reliquas Lusitaniæ vrbes, quæ ab ortu solis Durio & Tago flu... continentur, prosequemur. *Bletisa* sub Durio est, confinis ...lmanticæ per se notæ, & eiusdem tractus *Mirobrigæ*. Gruterus ...ag. 199 n. 2 ex antiquo lapide æui Augustei:

TERMINVS AVGVSTAL. INTER
BLETISAM ET MIROBR. ET SALM.

...letisa autem hodie est Ledesma, Mariana iudice lib. VII cap. IV:

Salmantica, Salamanca nunc vocatur, litterarum ſtudiis, quæ ſinu fouet, celebrata: nec audiendi ſunt, qui *Hermanticam* Liuii lib. XXI cap. V, aut potius *Helmanticam*, vt Polybius, quem Liuius exſcripſit, lib. III cap. XIV legit, huc pertrahunt, in quibus & Ludouicus Nonius cap. XXXVIII Deſcript. Hiſp. eſt, & Latinus interpres Polybii poſterior (nam Nicol. Perottus *Ermandicam* ſcripſit) *Salmanticam* clare vertens. Polybii enim oppidum, vt ipſe teſtatur, in Vaccæis eſt, quod nomen etiam corrupit Liuius; vbi & Arbucala Ptolemæo ſupereſt, quam Polybius coniunxit: Salmantica autem eſt in Vettonibus, vbi etiam Ptolemæus collocauit. *Mirobriga* non eſt illa, quam Ptolemæus e regione promontorii Barbarii, in Celticis ſuis, ponit, ſed alia in confinio Bletiſæ & Salmanticæ, quam ipſi Hiſpani vel Rodericopolim putant eſſe, aut, ſi hæc nimis declinat, locum inter eam & Salmanticam. Alia Bæticæ eſt in Cordubenſi conuentu, Plinio *non ignobile oppidum* lib. III cap. I dicta. Eſt etiam MIROBRICENSIVM MVNIC. apud Gruterum pag. 257, id eſt municipium Mirobrica, quo iure prædicta Ptolemæi non videtur digna: ſed vtra dignior ambarum, quæ in Bætica & Luſitania orientali ſunt, in tanta ambiguitate quis diſcernet? Regreſſis ab hac tripoli media inter Durium & Tagum eſt Ptolemæi *Capara*, Antonino *Cappara*, ſed etiam in lapide apud Gruterum pag. 154 CAPARA, P ſimplici, vnde Plinii *Caperenſes*: & *Auguſtobriga* Ptolemæi circa Mondæ amnis fontes. Eſt & alia Antonino *Auguſtobrica*, medio inter Emeritam & Toletum itinere, cis Tagum vero, an trans illum, eſt incertum, ipſis Hiſpanis diſſentientibus. Trans flumen crediderim, propter pontis commoditatem in loco, qui Puente de Arcopiſco vocatur. Hæc Auguſtobrica, quam itineris rationes tuentur, Ptolemæi alteram propinquitate ſuſpectam facit, cui etiam numerus obeſt. nam & tertiam idem Ptolemæus in Pelendonibus locauit. Plinii *Auguſtobrigenſes* lib. IV cap. XXII ad Antonianam Harduinus reducit; nos eodem inſcriptionem antiquam AB AVGVSTOBRIGA M. P. X, apud Gruter. pag. 155 num. 9. Ad Tagum *Ruſticiana* Antonini erat, XXII M. P. a Capara seiuncta: Ptolemæo eadem quatuor ſyllabis eſt Ῥυςικάνα.

Tagum inter & Anam ab ortu ſolis ſunt pauca huius prouinciæ memorabilia, vsque ad pontem Traiani, vbi clariora incipiunt, *Norba Cæſarea*, ſeu *Norbenſis colonia*, ſiue Alcantara eſt, ſiue, vt Ptolemæus

[Ptole]mæus statuit, remotior ab amne, de qua supra in Ponte diximus: [Ad] Anam *Augusta Emerita,* caput prouinciæ, emeritis militibus ab [O]ctauiano Augusto in eam deductis. Dio Cassius lib. LIII pag. [5]14 *Παυσαμένε δὲ τȣ̃ πολέμȣ τȣ́τȣ, ὁ Αὔγουστος τὰς μὲν ἀφηλικεστέρους [τῶ]ν στρατιωτῶν ἀφῆκε, καὶ πόλιν αὐτοῖς ἐν Λυσιτανίᾳ τὴν Αὐγοῦσταν [Ἠ]μερίταν καλȣμένην κτίσαι ἔδωκε·* *Finito hoc bello, Augustus emeritos [m]ilites dimisit, vrbemque eos in Lusitania, Augustam Emeritam, condere [iuss]it.* Hæc nobilissima colonia, quam nummi & lapides collau[d]ant. Augusti nummus, IMP. CAESAR AVGVSTVS. ex parte altera, P. CARISIVS LEG. PRO PR. EMERITA. Carisius, legatus Augusti pro prætore in Lusitania, cuius prænomen *Publius* est, vti ex hoc & alio nummo videmus; non *Τίτος*, vt Dio Cassius verbis modo in *Lancia* productis appellabat: nisi cum Fulv. Vrsino de Famil. Rom. pag. 64 fratres Carisios sub Augusto res in Lusitania gessisse credas. Alius nummus Tiberii, DIVVS AVGVSTVS PATER, capite Augusti radiato: & in postica, COL. AVGVSTA EMERITA. Et lapis apud Gruter. pag. 13 num. 16 COL. EMERITENSIS. Emerita autem olim Turdulorum erat, quibus Strabo adscribit: post Vettonum facta, vt supra a Prudentio accepimus. Ludouicus Nonius cap. XXXI caussam fert, quia Vettones Turdulis potentiores facti, illos tandem oppresserint.

Recedunt a colonia in occasum quæ in Olisiponensi itinere, Emeritam directo, memorantur, *Plagiaria, Budua, Ad septem Aras:* & tandem oppida in Ponte Tagi adscripta, *Meidubriga* & *Colarnum,* hoc ex Ptolemæi positione; illud Laurentii Andreæ Resendii, doctissimi viri, cum ratione, tum auctoritate, qui in Antonini tertio itinere ab Olisipone Emeritam, vbi Aldus, And. Schottus, P. Ber[tius] *Mundobrigam* legunt; ipse Antiquit. Lusitan. lib. I p. 914, anti[quo] forsan codice adiutus, legit *Meidobrigam:* nec sine ratione. [H]irtius enim, vel Oppius, Alexandrino bello aliquid rerum Hispa[nic]arum interponens, de Cassio Longino cap. XLVIII ait: *Nec multo post, quum in Lusitania Medobregam oppidum, montemque Herminium expugnasset, quo Medobregenses confugerant,* & cetera. Iam vero montis nomen superest *Arminno,* eo fere loco, vbi *Mundobrigam* Antoninus collocauit, ad eiusque radices ruinæ vrbis conspicuæ, etiam plumbi fodinæ, vnde Plinio Medobrigenses *Plumbarii* cogno-

 minati;

minati; quis ergo dubitabit, hoc tractu Medobrigam vel Meidobrigam fuisse, & in Itinerario legendam esse?

Supra Colarnum, de quo diximus, *Caurium* est Ptolemæi, qui Plinii *Caurenses* sunt lib. IV cap. XXII de Lusitania, quos cum *Colarnis*, tamquam finitimis, componit. A Colarno in occasum hibernum breui intervallo abest *Meribriga* Ptolemæi, Μερίβριγα, siue *Merobrica* Plinii, discreta ab eorundem Mirobriga, in occasum hinc remota: vtraque in Celticorum populo ex Ptolemæi descriptione. Lapides etiam *Merobrigenses* a Mirobricensibus distinguunt. Gruterus pag. 442 num. 9 ORD. MEROBRIG. Et Plinius dicto cap. XXII *Oppida memorabilia a Tago in ora, Olisipo, Salacia, Merobrica.* Sed hæc Ptolemæo non in ora maritima est; bene autem ibi eiusdem Mirobriga est, vt rursus dubitare de distinctione possis. Non insolitum quidem Plinio turbare interdum & confundere similia: sed forte aliam Merobrigam, quam infra Barbarium promontorium posuimus, vbi etiam Celticorum limes erat, respexit, vt ita suspicio erroris in Ptolemæum potius, quam in hunc recidat. *Mirobriga* autem Celticorum, vt dixi, a Ptolemæo posita modico a mari interuallo, e regione promontorii Barbarii: supra eam *Cepiana* Ptolemæi; in Palatino Cod. Καιπιάνα: infra ad ostium, *Catobrix* eiusdem, Καιτόβριξ, in Itinerario corrupte Catobriga; Resendius lib. IV scribit *Cetobriga*; quasi a cetis & captura piscium dicta. Euersum oppidum esse ait, restare fanum peruetus, Mariæ semper virgini nunc dicatum. Durare etiam in illo litore cetaria, signino opere antiquitus fabricata, quæ nomen vrbis dirutæ illustrent. Non procul hinc nouum oppidum *Setubal,* quod vulgo, etiam Nonius cap. XXXVIII, Cetobrigam esse existimant. Intus *Arcobriga* Ptolemæi, cuius nominis nobilior Celtiberorum in Tarraconensi est.

Inter Cetobrigam & Salaciam *Caeciliana* sunt Antonini. Plinio *Castra Caecilia,* forte Cæcilii Metelli, quæ & originem & nomen oppido dederunt. Nobilior *Salacia;* hodie Alcacer do Sal, vt plures censent. Plinius sæpe dicto loco: *Salacia, cognominata vrbs imperatoria.* Municipium fuisse prodit inscriptio vetus apud Gruter. p. 13 num. 16 FLAMINICA COL. EMERITENSIS ET MVNICIPI SALACIEN. Post flexum Anæ *Ebora* est, inter Salaciam & amnem, non quidem colonia, magnis autem dignitatibus aucta.

Plinius

Plinius sæpe dicto loco: *Oppida Iuris Latii: Ebora, quod item Liberalitas Iulia.* Confirmat lapidis inscriptio apud Gruter. pag. 489 num. 9 LIB. IVL. EBORA, quod quomodo legendum sit, iam Plinius indicauit, & luculentius demonstrant nummi Augusti æuo cusi, cum his litteris: LIBERALITATIS IVLIAE EBORAE: & alius, LIBERALITATIS IVL. EBORAE PERM. CAES. AVG. P. M. id est, *permissu Cæsaris Augusti Pontificis maximi.* Et itidem alius, MVN. LIBER. IVLIA, hoc est, *Municipium Liberalitas Iulia.* Vide clarissimi viri Ioannis Harduini de Numm. populor. & vrbium.

In austrum inde *Pax Iulia* recedit, Plinio dicta *Pacensis colonia;* Straboni lib. III pag. 104 Πεζαυγϛα praue, quod vero non dubitatur quin legendum sit *Pax Augusta,* forte quia Iulii coloniam Augustus nouis ornamentis auxit, quod nomen vero non diu hæsit, sed vetus conditoris reuocatum, & *Pax Iulia,* etiam post Augustum a Ptolemæo lib. II cap. V, & Antonino in Itinerario appellata. Contra sunt, qui separent Pacem Augustam a Pace Iulia, eamque in Bætica ad Anam ponunt, credentes Maurorum vitio linguæ illius nomen in *Badaiox* degenerasse vel *Badaxos;* cuius sententiæ præcipuus patronus Genesius Sepulueda fuit, qui id Ioannem Vasæum admonuit, vt hic in Catalogo Episcopatuum Hispaniæ refert. Nam argumentum eius principale fuit, quod *Pacensis* Episcopus hodieque vocetur, qui Badaiosi est, non Beiæ in Lusitania, quæ Pax Iulia quondam dicta est, vt cum aliunde, tum ex multis inscriptionibus ibidem repertis manifestatur. Hanc vero sententiam doctissima ad Vasæum epistola Resendius confixit, his fere vsus telis, quibus nostra & aliorum coniungimus: quod primum Pacensis colonia in Lusitania fuerit, auctoribus Plinio lib. IV cap. XXII, & Paullo Lege III Dig. de Censibus, & inscriptione vetere apud Gruterum p. 199 num. 4 prope Eboram Oreolæ inuenta: TERMINVS INTER PACENS. ET EBORENS. Quod si confines fuerunt respublicæ Eborensis & Pacensis, & Eborensis in Lusitania fuit, quod nemo negat; necesse est Pacensem quoque in eadem fuisse prouincia. *Pacense* autem nomen ciuitatis a *Pax* deductum esse quis ignorat? quam heic vel Iuliam oportet esse, vel Augustam, vel vtriusque denominationis. Iam vero Pax Iulia est in Lusitania, vt testes sunt Ptolemæus & Antoninus & multæ apud Resendium inscriptiones in Beia Portugalliæ, v. gr. COL. PAX IVLIA: item CURIAE PONT.

 FLAM.

FLAM. PACIS IVLIAE, quæ apud Resendium & Gruterum leguntur. Badaiox autem, quæ Pax Augusta fingitur, in Bætica extra limitem Lusitaniæ. Agnoscit Sepulueda, & contributam vult Augustam suam Lusitaniæ, quamlibet extra illius limitem posita sit, vt Metallinensis apud Plinium colonia. Sed nec ita se facile extricat, quum incertissima contributio sit, neque si sit certior, in hac vrbe vllum eius est vestigium. Deinde cognomina *Iulia*, *Augusta*, insignem coloniam arguunt, quæ si diuersarum ciuitatium sunt, & Pax Augusta Lusitaniæ fuit contributa, sequitur vt sex Romanæ coloniæ in Lusitania exstiterint. At vero Plinii rationibus tantum *coloniæ sunt quinque*: & si sexta, tam illustre Augusti nomen præferens, adiecta fuerit, qui fieri potest, vt nemo post Strabonem eam memorauerit, quum Plinius, Ptolemæus, Antoninus in longe minoribus enarrandis fere nimis diligentes sint, & moleste sæpe seduli? Pax ergo Augusta Strabonis non alia est, quam Pax Iulia Ptolemæi & Antonini, aut Plinii colonia Pacensis: quod Strabone auctore, Pax Augusta in Celticis fuit, qui populus Lusitaniæ inter Tagum & Anam est, & ad Turdetanos vergit: Ptolemæi Pax Iulia in Turdetanis quidem memoratur, sed extrema, seu in confinio Turdetanorum Celticorumque. Nec nomen Pacensis Episcopatus, qui nunc est Badaiosi, officit, quia fata sunt ciuitatium nota, & Pace Iulia vel euersa, vel imminuta, episcope in vicinam vrbem tum florentiorem collata fuit, vt multis aliis euenit, seruato nomine quod olim habuerat in Lusitania. In ora maris vel aliam vel veram Merobrigam ponimus, si forte superior locus ex Ptolemæo signatus illi minus conueniat, quia Plinius *in ora* dixit positam.

Quod reliquum est spatii inter Oceanum & Anam, *Cuneus* figura dicebatur. Strabo lib. III ineunte, ubi de termino & promontorio sacro dixerat, addit καὶ δὴ καὶ προσεχῆ τοῦτο χώραν τῇ Λατίνῃ φωνῇ καλοῦσι κούνεον, σφῆνα σημαίνειν βουλόμενοι· *Et quidem adiacentem ei regionem Cuneum Latina voce appellant.* Pomponius Mela lib. III cap. I *Lusitania, qua prominet, bis in semet recepto mari in tria promontoria dispergitur. Ana proximum, quia lata sede procurrens paullatim se ac sua latera fastigat, Cuneus ager dicitur: sequens Sacrum vocant: Magnum quod vlterius est. In Cuneo sunt Mirtylis, Balsa, Ossonoba; in Sacro, Lacobriga, & Portus Hannibalis.* Ex quibus intelligimus, quæ oppida in Cuneo fuerint, de quibus singulis postea

Isaacus

[illegible] Vossius ad Melam huc Liuium quoque trahit, quasi locum po[illegible]des vocarit *Cuneos*, numero multitudinis, id quod ex Putea[illegible]odice accepisse refert, vbi vulgati *Cimbios* legunt lib. XXVIII cap. XXVII. Sed valde dubitandum est, quia is Liuii locus, *haud pro[illegible] a Gadibus abest*, Melæ autem & Strabonis Cuneus longe hinc v[illegible]Anam est remotus. Idem Vossius improbauit, a Mela & Stra[illegible]ad figuram id nominis referri, quod corruptum putat ex Κύνης [illegible]nde Κύνητες, *Cynetæ* populi fuerint. Herodotus lib. IV cap. X[illegible]ἴστρος ἀρξάμενος ἐκ Κελτῶν, οἱ ἔσχατοι πρὸς ἡλίου δυσμέων μετὰ Κυνήτας οἰκέουσι, *Danubius oritur ex Celtis, qui vltimi ad solis occasum post Cynetas habitant.* Sed quam late hi Celtæ patent, & tamen post Cynetas ad occasum dicuntur esse? nihil inde ad Cuneum. Propius videri Κυνητικὸν Byzantii scriptoris populorum vrbiumque, qui Ἰβηρίας τόπον πλησίον Ὠκεανοῦ, *Hispaniæ locum, prope Oceanum* interpretatur, vsus Herodori de Rebus Herculis auctoritate.

Oppida Cunei secundum Melam hæc sunt: A septemtrione prima est *Mirtylis*, vt ipsum scripsisse meliorum editionum constantia probat, Andr. Schotti, Is. Vossii, & Iac. Gronouii: siue vt Plinius & Antoninus, *Myrtilis.* Hodie Mertola ad Anam: Vulgo *Iulia Myrtilis*, incertum quo auctore. nec Resendius de cognomine habet, qui plura lib. IV Antiquit. de Myrtili. Credo ex Ptolemæi Latina versione esse, vbi post Pacem Iuliam in Græco iterum Ἰουλία est, sine Myrtilis tamen nomine, quod interpres adiecit. Sic sane in Petri Bertii præclaro opere Græcus & Latinus discrepant. B[illegible] vrbs Cunei secunda est, hodie, Resendii iudicio, Tauilla, maxi[illegible]garbiæ ciuitatum. Tertia *Ossonoba* Plinii, vel Ossonaba Ptole[illegible]cet diruta, cuius priscæ nobilitatis exstant vestigia, præcipue i[illegible]s Pharl, propinquæ ciuitatis, magisque litoralis. Ita Resendi[illegible]m ducem sequimur: alii paullo longius reducunt, fere in lo[illegible]es. Strabo corrupte Σόνοβα pag. 99, nisi de alio ibidem loco a[illegible]stra scriptura certa est, quam inscriptio antiqua apud Gruterum [illegible]74 confirmat, RESP. OSSON. id est *Respublica Ossonobensis.* Sub [illegible]montorio Sacro est *Lacobriga*, Mela solo inter antiquos auctor[illegible], cuius nominis alia in Tarraconensi prouincia in Vaccæis est. [illegible]ac autem Vasæus in Episcopatuum Catalogo: *Duas inuenio Lacobrigas, alteram in promontorio Sacro, quod vulgo promontorium D. Vincentii appellatur, cuius nunc ruina & antiquorum ædificiorum vestigia*

gia exstant prope Lagos, Algarbiorum urbem, in vico qui Lusitanica lingua dicitur de Lagoa. Nec *Hannibalis Portum* forte alius, præter Melam, memorauit, qui iuxta promontorium fuit.

Hæc de Lusitania, extrema Romanorum prouincia, cuius formam reipublicæ Plinius dicto cap. XXII lib. IV cum cura delineauit. *Vniuersa*, inquit, *prouincia diuiditur in conuentus tres, Emeritensem, Pacensem, Scalabitanum. Tota populorum* XLVI. *in quibus coloniæ sunt quinque: municipium ciuium Romanorum vnum; Latii antiqui tria: stipendiaria* XXXVI. *Coloniæ, Augusta Emerita, Anæ fluuio apposita; Metallinensis, Pacensis, Norbensis, Cæsariana cognomine. Contributa sunt in eam Castra Iulia, Castra Cæcilia. Quinta est Scalabis, quæ Præsidium Iulium vocatur. Municipium ciuium Romanorum Olisipo, Felicitas Iulia cognominatum. Oppida veteris Latii, Ebora, quod item Liberalitas Iulia; & Myrtilis ac Salacia, quæ diximus.* Posteaipsum non piget etiam stipendiaria oppida enumerare, quorum repetitio nunc nimia foret, quia numero plura sunt, aut prouinciæ omnia, præter iam laudata ob dignitates. De singulis actum, de sola *Metallina colonia* dicendum restat, quæ quod cum hodierna *Medelin* & nomine situque conueniat, quia noua vrbs Medelin, vt in tabulis exhibetur, in dextra Anæ ripa posita, siue in Lusitania fuit, cuius etiam Metallinensis colonia erat; videtur res in vado esse, nec quidquam restare difficultatis. At non adeo facilem aut expeditam hanc caussam esse, doctissimi Hispanorum confitentur, qui rudera coloniæ contemplati sunt oculis. Vnde est quod Sepulueda hanc coloniam *contributam* Lusitaniæ dixit, non in ipsa vere sitam: & Resendius, inspectis ruderibus, alium & veterem alueum Anæ inuestigauit, quo, tamquam termino, Metallinensis in Lusitania constituatur. Non possum mihi temperare, quin quæ ille doctissimus vir L. A. Resendius ad Vasæum scripsit, illustrandæ caussæ gratia, integre huc transscribam. Dixerat miratusque erat, Metallinensem coloniam *in eadem Anæ ripa sitam esse, quæ ad Bæticam spectat*, & tamen inter quinque Lusitaniæ colonias numerari. Ipse ergo vestigandæ antiquitatis caussa Metallinense oppidum deuenit, quod quum cerneret situm esse ex parte Bæticæ; *magnopere*, inquit, *admirabar, hæsitabamque, essetne ea Metallinensis olim colonia. Inde conscensa arce subiectum agrum circumspiciens, aduerti longo limite depressum locum, in speciem sicci aluei, ad australe ipsius oppidi latus. Supra*

qua

quare rogati commonstratores responderunt, vbi paullum excreuisset amnis, redundantia illac etiam meare. E vestigio subiit animum illud Horatii nostri,

- - cursum mutauit iniquum frugibus amnis,
Doctus iter melius.

Idque quum apud me pro non ambiguo iam esset, non audebam tamen adseuerare, donec e re natam sententiam eam corroboraui. Ex eodem enim latere a medio arcis colle ad imam planiciem, brachium duplici muro ac opere fornicato ductum olim, nunc ruderibus pene obrutum, inueni, per quod ii, qui in arce essent, tecti & inuisi aquarentur. Manifestum indicium, illa parte fluxione perenni antiquitus iuisse fluuium, oppidumque ipsum reuera in prouincia fuisse Lusitania, quod nunc, mutatione fluenti, Baeticae parua quaedam est accessio. Hæc Resendius ad amicum Vasæum.

Quid vero de *Metellino* Antonini iudicandum, itinere a Corduba Emeritam? quod Metallinensis æque apposita Anæ fuit, vt est Emerita, qui potest Metellinum XXIIII M. P. ab Emerita, atque ita ab Ana abesse? Sed bene se res habet, & ex Antonini Itinerario illas Hispaniæ tabellas geographicas, quæ recto cursu amnem a Metallinensi colonia ad Emeritam deducunt, corrigendas esse videmus, & inter vtramque vrbem Anæ fluuium in austrum deflectendum, quod etiam in recentioribus quibusdam tabulis factum esse intelligimus. Sic bene rationes passuum millenorum Antonini constabunt, & idem oppidum sunt Metallensis colonia Plinii, Metellinum Antonini, & quod hodie visitur, Medelin vel Medelino. Vtrum vero rectius *Metallinum* Plinius prima vocali, an *Metellinum* secunda Antoninus scripserit, antequam nummus inueniatur aut lapidis antiqui inscriptio, difficile est iudicare. Metallifera enim Hispania est, & Cæcilius Metellus res præclare in illa prouincia gessit, vt ex Appiani Hispaniensi extremo constat, & *Caecilia Castra* Plinii, siue *Caeciliana* Antonini, descripta supra, probant. Est quidem apud Reinesium Class. II num. 31 POPVLVS METELLINORVM, sed loco alieno, & inscriptione suspecta.

PROVINCIA BAETICA.

Bætica, altera pars Vlterioris Hispaniæ, sic a flumine dicta, ab incolis antiquis vel tota vel magnam partem *Turdetania*, Strabone au-

ctore lib. III pag. 90, inter Anam & mare australe comprehensa est. Mediam diuidit Bætis fluuius, a quo ad Anam regio, præcipue ad orientem & Oretanos vergens BAETVRIA separatim appellatur; inferior, quæ fretum spectat, a Bastetanis, Bastulis, & Turdetanis culta, nomen traxit TVRDETANIAE. Sed minus hoc tritum, quam Bæturiæ; & vel solius Strabonis si omnem vel plurimam sonet Bæticam regionem. Limes orientalis non omnibus æque certus, quod principes sæpe in prouinciis addendo, demendo aliquid immutauerunt. In maritimis Ptolemæo lib. II cap. IV *Βαρεῖα*, *Barea* vel *Baria*, post Portum Magnum & Charidemi promontorium sita, vltima est prouinciæ: Plinio Murgis est terminus Bæticæ, sed litoralis Murgis, non altera mediterranea Ptolemæi: sita in sinu Virgitano, inter Vrgi vel Vrce, & Baream. Ad septemtriones inter Ostigi & Castulonem, & vlterius circa Sisaponem terminus constituitur ita, vt Sisapon, vel Sisapona, a Ptolemæo Tarraconensi adscribatur, ab aliis relinquatur in Bætica.

Hæc *cunctas prouinciarum*, vt Plinius laudat lib. III cap. I, *diuite cultu & quodam fertili ac peculiari nitore præcedit*. Iuridicos conuentus habuit quatuor, Gaditanum, Cordubensem, Astigitanum, Hispalensem: colonias VIIII; municipia VIII; Latio antiquitus donata XXIX; libertate VI; fœdere III; stipendiaria CXX. Ex quibus & amplitudo prouinciæ, & nobilitas ciuitatium cognoscitur. Ex superiori parte, quæ longius obtenditur Lusitaniæ, initium enarrandi facturi sumus. Pars, Bæti amne ab altera separata, *Bæturia* vocatur, inter Anam & Bætim comprehensa, & *in duas*, vt Plinius refert, *partes diuisa, totidemque gentes. Celticos, qui Lusitaniam attingunt, Hispalensis conuentus: Turdulos, qui Lusitaniam & Tarraconensem accolunt, iura Cordubam petunt*. Inter Anam & Bætim pars litoralis minus frequentata, nec inter vtriusque ostia Ptolemæus habet quidquam, præter obscurum nomen *Onobalisturiam*, quod corruptum est ex Plinii *Onoba Aestuaria*. Hanc enim ibidem ponit eodem cap. I lib. III *A flumine Ana*, inquit, *litore Oceani, oppidum Onoba, Aestuaria cognominatum*. Hanc supra; intus quodammodo *Seria*, post cognomento *Famæ Iuliæ* ab Romanis ornata. Ibidem Plinius: *Seriæ adiicitur Fama Iulia*, puta cognomen. Memorat & Ptolemæus, cui situm & positionem debemus. Paullo longius a mari aberat *Ilipa* Liuii (lib. XXXV cap. I) ad quam P. Scipio,

Cn. F.

Cn. F. pro prætore Lusitanos vicit; quæ eadem & Ptolemæi *Ilipula* est. *Tucci* Antonini succedit, medium inter Ilipam & Italicam: sed tam clarum non est quam alterum inter Cordubam & Castulonem, de quo postea dicemus. Illustrior fama *Italica*, in qua P. Scipio, Punico bello, debilitatos milites deposuit, qui quod sociûm & Italici nominis erant, oppido nomen Italicæ dederunt. Appianus Alexandrinus Bell. Hisp. pag. 463 συνῴκισε τοὺς τετρωμένους ἐς πόλιν, ἣν ἀπὸ τῆς Ἰταλίας Ἰταλικὴν ἐκάλεσε, *milites* [Scipio] *vulneribus debiles in vnam vrbem compulit, quam ab Italia Italicam nominauit.* Principio municipium erat, quod constat ex nummo Augusti: MVN. ITAL. PERM. AVG. & nummo Liuiæ Augustæ MVNICIP. ITALIC. PERM. AVGVSTI, quod itidem in nummis Tiberii, Drusi, Germanici legitur. Adi Vaillantium de Nummis Coloniarum. Post colonia facta: quod miratur imperator Hadrianus, quum meliori iure, quam coloniæ municipia fruantur. Gellius lib. XVI cap. XIII *Sic adeo & municipia quid, & quo iure sint, quantumque a colonia differant, ignoramus: existimamusque meliore conditione esse colonias, quam municipia. De cuius opinionis tam promiscæ erroribus D. Hadrianus, in oratione, quam de Italicensibus, vnde ipse ortus fuit, in Senatu habuit, peritissime disseruit, mirarique se ostendit, quod & ipsi Italicenses, & quædam item alia municipia antiqua, in quibus Vticenses nominat, quum suis moribus legibusque vti possent, in ius coloniarum mutare gestinerint.* Nec gestiuerunt modo, sed impetrarunt quoque quod concupiverant. Vetus inscriptio apud Gruter. pag. 385 COLON. ITALICENSIS IN PROV. BAETICA PRAET. Clara Augustis alumnis fuit, Traiano & Hadriano. De illo Eutropius lib. VIII cap. II. *Natus Italica in Hispania:* de hoc præter Gellium, quem modo cognouimus, Spartianus in Vita, itemque Eutropius cap. III *natus & ipse Italica in Hispania.*

Ripa Bætica Anæ habet *Serpam* & *Arucci,* vtrumque Itinerario notam, Serpam etiam inscriptione. Gruterus pag. 682. num. 7 ex lapide ibi reperto, FABIA PRISCA SERPENSIS. Nomen hodieque seruat. Supra hæc, eadem ripa, sunt Ptolemæi *Cariana* & *Curgia,* & *Arunda* eiusdem ac Plinii: & tandem ad flexum fluminis *Badia,* nec vero hæc Ptolemæi, sed a Valerio Maximo lib. III cap. VII n. I nominata, vbi de Scipione dixit, *quum oppidum Badiam circumsederet,* quo etiam die postero potitus est. Nomen seruauit

etiam Plutarchus Apophtheg. Rom. p. 144 πολιορκῶν δὲ πόλιν Βαδίαν, *Quum vrbem Batheam obsideret.* Dubius hoc pono, *Badiam* vel *Bathiam* esse, vbi nunc est vrbs Badaios siue Badaxos; nec vero sine duce Hispano in opinionem hanc ingressus sum. Is Iacobus Degaldus est Epistola de hac re ad Benedictum Ariam Montanum, a quo, amicitiæ officio, accepit Abraham Ortelius. Siue ergo aliis rationibus inductus Degaldus est, vt ita sentiret; siue tantummodo conuenientia nominis; idem tamen iuris habet, idemque præsidii, aut maius etiam, quam Genesius Sepulueda, qui Pacis Augustæ illustre nomen Badaiaso vindicare conatus est. Nititur enim Maurorum deprauatione nominis, qua ex *Pax Augusta,* sit primum *Paxaugus,* deinde, transposita littera, *Badaxos* factum: heic vero sine transpositione prior pars antiqui nominis integra conseruatur. Deinde fuisse in illis partibus vrbem Badiam, gemino testimonio adfirmatum fuit: Pacem Augustam autem separatam ab Iulia colonia vmquam exstitisse, nullo signo aut vestigio probari adhuc potuit. Si ergo Badaios est vetus aliqua ciuitas, nec a Gothis vel Mauris primum condita, malim ad Romani belli Badiam, quæ certa est, referre, quam ad dubiam aut confictam illam in Bætica Pacem Augustam. Quod nomen, quum a solo Strabone significatum sit, vbi sita illa fuerit, & quibus aliis vsa nominibus, in Lusitania abunde est expositum.

Medio situ inter Emeritam & Astigi colonias sunt multa minora, quæ ordini & loco suo dare non est facillimum. Sunt autem *Iulia Contributa* Plinii, siue *Contributa* Ptolemæi, posthabito illustri cognomine, qui sedem vtcumque & dubie ostendit. Inscriptiones tamen plures effosæ IVLIAE CONTRIB. splendidum cognomen repetentes. Vide Harduinum ad Plinium. *Corticata* eiusdem Ptolemæi, quam inter Curgiam & Italicam media via locavit: inter Corticatam & Italicam ab occasu *Lælia* eiusdem, a C. Lælio, comite Scipionis, vicinæ Italicæ auctoris, nomen & originem trahens, etiam in nummo Lucii Cæsaris laudata hac epigraphe L. CAES. cum capite sine laurea: in altera parte LAELIA cum spica, quæ agri circumiacentis fertilitatem & frumenti copiam significat. *Regina* Plinii & Ptolemæi, &, quæ eadem ex situ est, *Regiana* Antonini, huc quoque in itinere ab Hispali Emeritam, est reponenda. Fuit ciuium Romanorum oppidum. Et *Nertobriga* cum cognomine

nomine *Concordia Iulia*, itidem Plinii ac Ptolemæi, qui inter Arundam & Reginam locat: & *Segida* Plinii, quæ eadem *Restituta Iulia* est; post quam orientem versus sub eodem flumine *Arsa* Plinii & Appiani, quam Cæpio Viriati bello, Romanis legibus subiecit: & *Sisapo*, ad quem minii præstantis fodinæ erant, Plin. lib. XXXIII cap. VII, quo & Ciceronis *Sisaponem* Philipp. II cap. XIX per adlusionem Turnebus refert in Aduersariis lib. X cap. XII. Ptolemæus autem Σισαπώνην, *Sisaponam* in prouincia Tarraconensi scribit, in cuius limite in Oretanis sita fuit. His in austrum obuertitur *Setia* Ptolemæi: *Ilurgis* eiusdem: *Vergentum* Plinii, quod *Iulii Genius*: *Artigi* Antonini in itinere a Corduba Emeritam: & in eodem inter Artigi & Cordubam, *Mellaria* Turdulorum, Cordubensis Conuentus non ignobile oppidum, vt Plinius censet, qui ei *Mirobrigam* quandam adiungit, quam Ptolemæus inter Nertobrigam & Italicam locauit, inter quam & Læpam Magnam eiusdem Ptolemæi *Spoletinum* est.

Nunc quæ in dextra Anæ ripa sunt, perlustrabimus. Inter Italicam & Cordubam est ad Bætim *Ilipa* Strabonis, quæ *Ilia* cognominatur secundum Plinium, non Italica, vt Frobenius eiecta vocula, doctis etiam hominibus persuasit, & in his quoque doctissimo viro Samueli Bocharto, qui Plinium erroris accusat, quod Ilipam & Italicam vnam vrbem faciat, quas Strabo & Ptolemæus distinguant. Huius enim Læpa Magna Bocharto est eadem, quæ Ilipa Straboni, in quo certe sentit, quod res est, & æquo cælo iudicat. Error autem Plinio adfictus, qui adhuc multos tenuit, ex eo est, quod in MSS. legitur *Ilipa cognomine illa Italica*, quod pronomen, vt apparebat, tamquam superfluum eiecit Frobenius, quem plures postea sequuti sunt. Harduinus vna litterula mutata restituit *Ilipa cognomine Ilia Italica*; monitus veteri inscriptione apud Gruter. pag. 351 n. 5. IMMVNES ILIENSES ILIPONENSES, qui sine cognomine pag. 246 num. 7 sunt MVNICIPIVM INLIPENSE. Cognomen autem hæc Ilipa accepisse videtur, vt ab aliis ciuitatibus distinguatur, quia plures in Bætica & Hispania Carthaginiensi vrbes sunt eiusdem nominis, quod acute Bochartus ex Punica lingua, quasi עליון פאור *celsa plaga* deducit, Geogr. S. Part. II lib. I cap. XXIV.

Post Ilipam Iliam est vrbs clarissima *Corduba*, in eadem ripa, Marcelli opus, vt Strabo prodit, sed cuius? incertum. Vasæo videtur

detur Marcelli illius, qui civili Cæsaris & Pompeii bello interfuit quod Cordubæ ante illud tempus nulla fiat mentio. Mavult Noniu cap. XIX priorem, quod Strabo eam *πρώτην ἀποικίαν, primam colo niam* vocat, quam Romam *ἔστειλαν, miserint* in loca illa. Etiam Si lius lib. III v. 401 Cordubæ in secundo Punico bello meminit,

Nec decus aurifera cessavit Corduba terra.

Colonia Corduba, *Patricia* cognominata, quod Plinius tradit, & confirmant inscriptiones. Gruterus pag. 323 num. 12

VALERIAE C. F. ATINAE
TVCCITANAE SACERDOTI
COLONIAE PATRICIAE
CORDVBENSIS.

Nummus Augusti æuo in corona quernae COLONIA PATRICIA Eius coloni absolute *Patricienses* dicti. Gruterus pag. 460 num. 10 PYRAMVS II VIR PATRICIENSIS. Cognominis caussam re velauit Strabo lib. III pag. 97 *ᾤκησαν ἐξαρχῆς Ῥωμαίων τε καὶ τῶν ἐπ χωρίων ἐπίλεκτοι ἄνδρες, inhabitarunt* [Cordubam] *initio delecti Roma norum & indigenarum viri,* atque ita a conditu coloniæ nobilium fui & patriciorum. Ciceronis ætate iamdum studiis litterarum fui dedita, quamuis vt solent initia, non admodum feliciter, vt Cordu bæ nati poetæ probant, quos pro Archia poeta cap. X dicit *pingu quiddam atque peregrinum sonare:* breui post feracissima ingeniorur facta, vt ambo Senecæ & Lucanus exemplo sunt illustrissimo. Mar tialis lib. I epigram. LXII

Duosque Senecas, vnicumque Lucanum
Facunda loquitur Corduba.

In proxima aduersi fluminis ripa fuit *Calpurniana* Ptolemæi & Anto nini, distans a Corduba M. P. XXV. Inde Illiturgi, fere in loco Andu xar, Plinio & Liuio commemoratum: tum *Ossigi*, vt Plinius ait, cir ca flumen ipsum, cognominatum *Laconicum*, siue vt in MSS. est *La tonium:* civitas *Ossigitania* dicta apud eundem. Finis heic Bætica fuit, quod Plinii verba significant dicto lib. III cap. I de Bæti fluui dicentis: *Bætica primum ab Ossigitania infusus, amœno blandus alueo crebris dextra læuaque accolitur oppidis.* Ergo vltra Ossigitaniam a mnis ille extra Bæticam fluit, id est in Tarraconensi.

Altera pars prouinciæ, quæ inter mare & Bætim est, ab solis oc casu habet fluminis Bætis ostia. nam duobus olim effundebatur

se

sed alterum postea oblimatum fuit. Inter ostia tamquam in insula fertur celebris vrbs *Tartessus* fuisse. Strabo lib. III pag. 102. Δυοῖν δὲ ὄντων ἐκβολῶν τοῦ ποταμοῦ, πόλιν ἐν τῇ μεταξὺ χώρᾳ κατοικεῖσθαι πρότερόν φασιν, ἣν καλεῖσθαι Ταρτησσόν, *Quum Bætis duobus ostiis in mare exeat, aiunt olim in medio horum vrbem fuisse, appellatum Tartessum.* Addit regionem Ταρτησσίδα, *Tartessidem* vocatam fuisse. Pomponius Mela lib. II cap. VI: *Sinus vltra est, in eoque Carteia, vt quidam putant, aliquando Tartessus.* Sed hic de alio situ loquitur, quo Carteia est proxima monti Calpæ ad fretum: atque sic etiam multis eadem Carteia & Tartessus, quod aliis plerisque secus videtur. Sed non infrequens antiquis Carteiæ, Tartessi, Gadium nomina permiscere, quod doctissimi etiam viri Salmasius atque Bochartus queruntur, quia non parum obscuritatis peperit. Quoquo modo autem se vrbs Tartessus habuit, illius nomen poetis extremi occidentis plagam significat. Silius III vers. 399

Tartessos stabulanti conscia Phœbo:

& lib. VI principio idem:

Iam Tartessiaco quos soluerat æquore Titan
In noctem diffusus equos, iungebat Eois
Litoribus.

Et Ouidius Metamorphos. lib. XIV. vers. 416

Presserat occiduus Tartessia litora Phœbus.

Ab ostiis proxima sunt *Gades*, insula Græcis Γάδειρα, vt Punice est, appellata, cum frequenti oppido eiusdem nominis. Solinus cap. XXIII de Hispania: *In capite Bæticæ, vbi extremus est noti orbis terminus insula a continenti septingentis passibus separatur, quam Tyrii, a Rubro profecti mari, Erythraam, Pœni lingua sua Gadir, id est sepem nominarunt.* גדר enim sepimentum est. Ex Plinii lib. IV extremo hausit, qui eadem de nomine, de conditoribus, de freti angusto spatio narrauit. Veteres crediderunt, vt Scylacis Periplo est, δύο νῆσοι Γάδειρα, *binas insulas Gades*, sed vnam oppidum habere. Altera est quam Erythiam Strabo vocat, exiguam & proximam Gadibus, quæ vero difficulter hodie ostenditur. Tam propinqua ergo continenti, & tanto cum Hispanis commercio quum sit; non cum insulis narramus, sed quasi continenti cohæreat, cum ceteris partibus, quæ in continente sunt, exponimus. Pergit Plinius: *Habet oppidum ciuium Romanorum, quod appellatur Augusta vrbs Iulia Gaditana.* Vetus

tus inscriptio, Gadibus reperta apud Gruter. pag. 358 num. 4 MVN. AVG. GAD. Etiam conuentum Iuridicum habuit, vt adiacentes populi ibidem ius peterent, ut supra ex Plinio cognouimus. Creuit sub Romanis, nouam vrbem Balbo Gaditano, consulari viro, adstruente. Hanc νέαν, *Nouam* appellauerunt; vtramque διδύμην, *Geminam*, vt apud Strabonem est lib. III pag. 116.

Proxima est Peræa Gaditanorum, parua regio, quam Gaditani in continente possederunt. Heic *Menesthei portus* erat, ὁ Μενεσθέως καλούμενος λιμὴν Straboni pag. 96, qui ibi & μαντεῖον τοῦ Μενεσθέως, *oraculum Menesthei* ponit. Ptolemæus quoque portum laudauit. Plinio non plane eodem, at propinquo loco *Portus Bæsippo* est, & oppidum *Bæsippo* Gaditani conuentus, quæ videtur *Carteia* Liuii esse extra fretum & columnas posita. Libro enim XXVIII cap. XXX, *Lælius*, inquit, *freto in Oceanum euectus ad Carteiam classe accessit. Vrbs ea in ore Oceani sita est, vbi primum e faucibus angustis panditur mare.* Diligens descriptio, nec vero ab aliis vrbs eo loco obseruata quam Gades, Liuio alibi suo nomine appellatæ; aut inter Gades & fretum, quam *Bæsippo* seu *Besippo*, quod præter Plinium dicto loco etiam Pomponius Mela lib. II cap. VI extremo memorauit: & vltra illam *Iunonis promontorium* & templum eiusdem Melæ & Ptolemæi. Rauennas anonymus lib. IV postquam cap. XLIII extremo oppida freto apposita recensuerat vsque Mellariam & Bælonem, pergit cap. XLIII, *Item super fretum Septem sunt ciuitates, id est Bepsipon.* Nemo non videt, *Bæsipponem* Melæ, Plinii, Ptolemæi, Antonini, voluisse dicere. Hanc autem post Bælonem & Mellariam, quas in extrema freti ora ponit, *super fretum*, id est extra fretum in Oceani ora primam collocauit, cuius nomen ridicule ἑπτάπολιν, *septem ciuitates* interpretatur. Aliam heic pro Liuio Carteiam non inuenio, isque sequutus veterum morem, quo Carteia, Tartessus & Gades, in extrema occidentis vrbe notanda ab imperitis confundebantur. Alii omnes Carteiam cum Calpe coniungunt, Mela, Plinius, Ptolemæus, Antoninus, Rauennas.

Patria Melæ in his oris fuit, vnde confidas eum minus in ora freti errare, quam ita progressus ab ortu in occasum delineauit. Dixerat de Calpe: pergit, *Sinus vltra est, in eoque Carteia, vt quidam putant, & quam transuecti ex Africa Phœnices habitant, aliquando Tartessos: atque vnde nos sumus Tingitera. Tum Mellaria, & Belo & Besippo,*

sippo, vsque ad Iunonis promontorium oram freti occupat. In plerisque Ptolemæus consentit. it contra ab occasu in ortum, & a Menesthei portu Iunonis promontorium ponit, ἀφ' ὃ πορθμὸς, *vnde initium freti fit:* tum est Bælon fluuius & oppidum, Menralia, (scribe *Mellaria,*) Transducta, Barbesola, Carteia, Calpe mons. Isaacus Vossius *Barbesolam* abundare putat, & ad flumen cognomine extra fretum, in oram maris Iberici, reducendam. Non recens vero irrepsit, quia Marcianus Heracleota, qui Ptolemæum presse Periplo sequutus est, illam Barbesolam etiam legit. Antonini Itinerarium post Calpen Carteiam, Portum Album habet, deinde Mellariam, tum Bælonem Claudiam, & tandem Bæsipponem. Rauennas geographus hoc ordine: Cartegia, (*Carteia*) Transducta, Cetraria, Mellaria, Bælone, Bepsipon siue Bæsippon. E quibus apparet plenissime Pomponium, vt in his oris natum, scripsisse, cuius ductum in ordinanda ora freti vt sequamur, omnino æquum esse putamus, quod peritiorem eius regionis vix inueniemus.

Itaque post Bæsipponem ad initium freti ex Oceano excurrentis *Balo*, *Balon*, vel *Belo* fuit, ad flumen eiusdem nominis, *Claudia* apud Antoninum cognominata, vnde breuissimus traiectus in Tingin Africæ, Strabone obseruante pag. 96. Tum *Mellaria,* alia ab illa, quæ in Bæturia fuit, Ptolemæo Μενραλία corrupte in nostris libris: quod haud dubie Μενλαρία fuit, vt Heracleota pag. 70 excerpsit, vnde ceteri omnes, euphoniæ rationem habentes, *Mellaria.* Hanc proxime consequitur Melæ patria, siue *Tingentera,* siue *Tingi Cetraria* appellanda, de quo postea differemus. Inde, si non eadem, *Transducta* fuit, in quam Phœnices ex Africa transuecti: de cuius nomine & auctore post paullo pluribus dicemus. Denique Carteia cum Calpe est, indeque initium Interni maris. Marcianus Heracleota dicto loco pag. 70 Ἀπὸ Κάλπης τῦ ὄρυς καὶ ςήλης, ἥτις ἐςιν ἐν ἀρχῇ τῆς ἐντὸς θαλάσσης, *a Calpe monte & columna, qui est in initio maris interni.* Vnde suppleri forsan Ptolemæus potest qui mutile, vt videtur, Κάλπη ὄρος καὶ ςήλη τῆς ἐντὸς θαλάσσης. Et Plinius Calpen extremum freti facit iuxta mare mediterraneum, hoc ordine, quæ diximus, lib. III cap. I enarrans: *Promontorium Iunonis, Portus Basippo. Oppida: Balon, Mellaria: fretum ex Atlantico mari. Carteia, Tartessos a Græcis dicta. Mons Calpe. Dein litore interno oppidum Barbesula cum fluuio.*

De Calpe eſt quod dubitant eruditi. Plinius enim, Ptolemæus, Marcianus Heracleota *montem*, ὄρος nude appellant, & Mela tantum vt montem, & pæne totum prominentem in mare, deſcribit: nec aliud oppidum iuxta eum, quam Carteiam agnoſcunt. Quæ cauſſa fuit, vt Caſaubonus & Bochartus, principes ingenii atque doctrinæ, in Strabone pro vrbe Κάλπη legendum Καρτεία cenſuerint. Sub initium enim libri III Strabo, poſtquam Calpen montem & columnam deſcripſerat, addidit, πρὸς αὐτὸ Κάλπη πόλις ἐν τετταράκοντα σταδίοις ἀξιόλογος καὶ παλαιά, ναύσταθμόν ποτε γενομένη τῶν Ἰβήρων, *Iuxta eum* [montem] *vrbs Calpe a quadraginta ſtadiis eſt memorabilis & vetuſta, nauale quondam Hiſpanorum.* Heic cenſent duumuiri illi, Καρτεία πόλις ſcribendum eſſe. At nulla correctione Strabonem indigere, alii ſummi & illuſtres viri obſeruarunt, Ezechiel Spanhemius de Præſtant. & Vſu Numiſm. pag. 766, & Henricus Noris Cenotaph. Piſan. pag. 207. Ex nummo enim auguſtæ Chriſtinæ Suecicæ inſcriptionem non dubitandam proferunt C. I. CALPE, id eſt, *colonia Iulia Calpe.* Accedit non parui momenti argumentum ex Nicolai Damaſceni libello de Inſtitutione Auguſti, quem cum excerptis aliis Henricus Valeſius vulgauit, pag. 482, Ἀφίκετο δὲ εἰς Ἰβηρίαν πρὸς Καίσαρα περὶ πόλιν Καλπίαν, *Adſequutus tandem eſt* [Octauius] *Cæſarem circa vrbem Calpiam.* Plures ergo ad fretum vrbes exſtiterunt opportunitate loci ad habitandum inuitante. Aut ita ſentiendum eſt fortaſſe, ipſam vrbem Carteiam, quod iuxta promontorium Calpen fuit, fuiſſe etiam *Calpen* & *Calpiam* appellatam, quemadmodum idcirco Antonini Itinerario, a Malaca Gades itinere coniunguntur, vt vna vrbs *Calpecarteia.* Sic nihil mutandum in Strabone, qui & alibi eodem libro pag. 124 Carteiæ nomen vſurpauit: & vna nummo laudato & Nicolao Damaſceno ſua auctoritas ſtabit, nec coloniæ & ciuitates in anguſto loco coaceruantur. Sed nihil adfirmamus, cuique integrum, vtram ſententiam ſequatur, relinquentes.

A Calpe ad patriam Pomponii Melæ reuertendum eſt, & de nomine eius deſpiciendum. Mela vbi dixit, *atque vnde nos ſumus;* ſequitur in manu exaratis libris, *Cingenteratum*, vel *Tingenteratum*, vel *Tingenteria tum;* vel *ingente ratum.* Liberior Iſaacus Voſſius, veſtigia Rauennatis ſequutus, legit: *atque vnde nos ſumus, Tingi Cetrariam.* quia anonymus ille ſemibarbarus ſcripſit, vt ſupra vidimus,

mus, hoc ordine: *Cartegia, Transducta, Cecraria, Melaria, Belone;* ex quibus leue est Carteiam, Cetrariam, Mellariam, Bælonem, antiqua nomina restituere. Sed quod Cetrariæ nomen a manuscriptis recedit, vir clarissimus Iacobus Gronouius, vnice membranarum ductum sequutus, expressit, *atque vnde nos sumus, Tingentera. Tum Mellaria,* & reliqua. Quicumque locus Tingentera fuit, obscuriorem fuisse & forte vicum necesse est, latitaturum obliuione, nisi, quem genuerat, Pomponius leuiter indicasset. Isaaco Vossio, Henrico Norisio, Io. Vaillantio, quos honoris caussa nominamus, hæc Tingi Cetraria siue Tingentera est ipsa Iulia Traducta: diuersæ & distinguendæ sunt Iacobo Gronouio. Lis e grammatica distinctione pendet, prout grauius, leuiusue post Melæ verba, *Phœnices habitant,* velis incidere.

Maior concertatio de ipsa *Iulia Traducta* est. Sunt Augusti nummi & Caii Luciique Cæsarum, quibus expressum singulis est IVL. TRAD. hoc est, *Iulia Traducta,* quæ eadem est & *Transducta* Ptolemæi & Rauennatis, & Strabonis *Iulia Ioza* libro III post principium. Nam יוצא participium *egressa* sonat, idem videlicet quod *traducta.* Originem his verbis idem Strabo reuelauit: Ἦν δὲ καὶ Ζέλης τῆς Τίγγιος ἀστυγείτων, ἀλλὰ μετῴκισαν ταύτην εἰς τὴν περαίαν Ῥωμαῖοι, καὶ ἐκ τῆς Τίγγιος προσλαβόντες τινάς, ἔπεμψαν δὲ καὶ παρ' ἑαυτῶν ἐποίκους, καὶ ὠνόμασαν Ἰουλίαν Ἴοζαν τὴν πόλιν. Hoc est: *Fuit & Zeles vicina Tingi vrbs* [in Mauritania:] *sed eam Romani in oppositam* [transfretanam] *transtulerunt, additisque a Tingi nonnullis, colonos alios ipsi ex Italia miserunt, vrbique nomen Iuliæ Iozæ indiderunt.* Non ipsi hoc nomen Romani dederunt, sed Tingitani & Zelitani suæ linguæ nomine Romanum *Traducta,* quod in nummis est, reddidere. De cetrariis cohortibus, ab Iulio Cæsare Tingin traductis, indeque reductis in Bæticam, res dubia & incerta est, quia Pompeium illæ sequutæ fuerant, *Cæsar* I. *Civ. B. cap.* XXXIX; nec ornari a Cæsare potuerunt, præsertim eo tempore, quo de præmio suis militibus tribuendo nondum cogitauerat. Plinius etiam in Africa *Traductam Iuliam Tingin* habet, sed a Claudio traductam, in quo a multis notatur, quasi Mauretaniæ attribuat quod debetur Bæticæ: etiam Claudio, quod C. Iulio Cæsari. nam & Augusti & Cæsarum fratrum Caii atque Lucii nummos iam tum nomen Iuliæ Traductæ, longe ante Claudii tempora præferre. Plinium Ioannes Hardui-

nus, vt in ceteris mirifice ornauit, ita quoque hanc caussam eius suscepit defendendam, Emend. I libri V. Iulium Tingitanos in Bæticam traduxisse censet, & id nummos laudatos loqui: postea Claudium, quum prouincias in Mauretania constitueret, colonos illos reduxisse Tingin, pristinæ iis Iuliæ Traductæ nomine seruato, nouo non imposito. Hinc esse quod Plinius, quum Bæticæ oram, quam pro prætore rexerat & exploratam habebat, in geographica sua historia enarraret, *Traductæ* nullam rationem habuerit, quæ tum nulla esset, aut exigua admodum: in Africa vero, quo transierat, eam omnino commemorauit. Speciosa ratio, sed cui id solum obest, quod Ptolemæus, Heracleota Marcianus, & Rauennas anonymus *Transductæ* mentionem post Plinium etiam non prætermittendam putauerunt. Atque hæc Bastetanorum, a Gadibus ad Calpen ex Strabonis dispositione habitantium, ora maritima: inde quæ reliqua est, vsque ad Tarraconensis terminum prosequemur.

Post Calpen promontorium Ptolemæo prima sunt ostia amnis *Barbesolæ:* Plinio oppidum *Barbesula* cum fluuio huius nominis: Melæ *Barbesul,* itidem oppidum. Colonia fuit. Nummus Galbæ e Golzii thesauro, etiam ab Harduino commendatus, COL. BARBESVLA LEG. XVIII. Eodem tractu Antonino sunt *Barbariana* & *Cilniana.* Deinde *Salduba.* Melæ & Plinii; post eam *Suel* eorumdem & Antonini. Inscriptione veteri, Fuengirolæ, quæ in loco Suelis est, reperta, quam clarissimi viri, Thomas Reinesius classe I num. 99, & Iacobus Sponius Miscell. erud. Antiq. p. 189 exhibuerunt, legitur IN MVNICIPIO SVELITANO. Tum sequitur *Malaca* cum fluuio, *fœderatorum,* vt Plinius lib. III cap. I cognominat. quam etiam hoc situ Mela, Ptolemæus, Antoninus posuerunt. Punica Straboni colonia atque emporium: dicta a מלח *sal,* quia ταρίχείας ἔχει μεγάλας, *multa salsamenta habet,* quod idem adnotauit, qui etiam tantum a Calpe abesse tradit, quantum hæc abest a Gadibus. *Mænoba* sequitur, siue *Menoba,* (praue Ptolemæus *Manoba)* quod Mela, Plinius, Antoninus ponunt: inde *Ex, Sex, Sexi* vel *Sexti* [varie enim scribitur] cum cognomento *Firmi Iulii* apud Plinium. Sine sibilo Mela & Strabo scripserunt, ille *Ex,* hic pag. 108 Ἐξιτανῶν πόλις, ἐξ ἧς καὶ ταρίχη ἐπωνύμως λέγεται, hoc est, vt Latinus interpres scripsit, *Exitanorum vrbs, vnde salsamentis Exitanis nomen.* Quod ἑξ cum adspiratione *sex* Latinis est, hi *Sex, Sexi*

aut

aut similimodo expresserunt: Antoninus *Sexitanum:* Plinius, vt dictum, *Sexti Firmum, cognomine Iulium.* Hinc post *Salambinam* Plinii ac Ptolemæi in hoc litore est *Abdera,* Stephano Ἄβδηρα, Straboni Ἄυδηρα, Ptolemæo Ἄβδαρα, sed in nummo Tiberii ABDERA Latinis litteris, quæ arguunt Hispanicæ Abderæ nummum esse, non illius, quæ fuit in Thracia, cuius nomismata inscripta Græce sunt. Fuit ipsa quoque Φοινίκων κτίσμα *Carthaginiensium opus,* vt Strabo iudicauit. Alia aliis hodie ciuitas videtur; illustrissimo viro Petro de Marca, Almeria. Ex modico interuallo abest Portus Magnus Ptolemæi: vnde in recessu maris Charidemi promontorium distat, & tandem in Virgitano sinu *Baria* siue *Barea,* Βαρεία πόλις, quæ vltima Bæticæ Ptolemæo est, sicut Plinio *Murgis Bæticæ finis,* & initium Tarraconensis. Est enim proxima post Baream, vt limes per alterutram ductus Bæticam prouinciam a Tarraconensi exiguo discrepantia distinguat.

Ex ora maritima introrsum progredimur, & quod mediterraneum a mari ad Bætim fuit, perlustramus. Ad ostium oblimatum Bætis supra Gades insulam *Asta* est, quæ *regia* dicitur auctore Plinio, a *Gaditano portu* sedecim M. P. remota, vt Antoninus tradit; etiam colonia, vt Pomponius lib. III cap. I: ad æstuarium sita, quod Ptolemæo est ἡ κατὰ Ἄσταν ἀἰχυσις lib. II cap. IV. Inter ostia Bætis (nunc VIII M. P. ab amne, postquam alterum ostium oblimatum est) *Nebrissa* erat, cognomine *Veneria,* Plinio laudante, nunc Lebrixa. Nummus Claudii Imperatoris teste P. Ligorio COLONIA VENEREA NABRISSA AVGVSTA. Inde *Vgia* Antonini, & *Orippo* in itinere ad Hispalim iuxta flumen Bætim: & ipsa tandem *Hispalis,* vetus emporium, nauigabili amne adhuc ex mari onerarias naves ferente, & inde ad Cordubam lembos fluuiales, quod diligentissime Strabo adnotavit. *Colonia Romulensis* dicta apud Plinium, quod nummi Iuliæ Augustæ & Germanici confirmant, signati COL. ROM. PERM. DIVI AVG. *Colonea Romulea permissu diui Augusti.* Vetus inscriptio in foro Hispalensi apud Gruterum pag. 257 num. 12 sub Aurelio Vero: QVI IVLIAE RVMVLEAE NEGOCIANTES, quod scriptum pro *Romulea* vt in nummis est. Et tribus syllabis *Romula,* inscriptione alia Hispalensi eiusdem ætatis apud Reines. class. III, 26 SCAPHARII QVI ROMVLAE NEGOTIANTVR. Habuit etiam Iuridicum conuentum, vt supra ex Plinio adnota-

notauimus. Hodie dicitur Seuille. Vlterior, prope *Singulis* confluentem, *Obucula* Ptolemæi & Antonini, in itinere ab Hiſpali Cordubam, eadem *Obulcula* Plinii: cum qua is *Oningin* coniungit, quæ Ambroſio Morali *Oringis* Liuii eſt lib. XXVIII cap. III. *Scipio*, inquit, *L. Scipionem fratrem ad oppugnandam opulentiſſimam in iis locis vrbem (Oringin barbari appellabant) mittit.*

Supra fretum *Munda* eſt, ad quam Cæſar Pompeii filios vicit, in belli illius hiſtoria ſæpe numero memorata. Lucanus lib. I verſ. 40

Vltima funeſta concurrant prœlia Munda.

Inde, in occaſum paullo, *Saguntia* Plinii & Ptolemæi, ſiue *Segontia:* in ortum *Salduba* oppidum, & fluuius: & Bætim verſus *Vrſo, Orſo,* ſiue *Vrſaon,* vt Hirtius ſcripſit. Gruterus pag. 259 num. 2 RESP. VRSONENSIVM. Plinius cognomen addit: *Vrſo, quæ Genua Vrbanorum.* Nec procul *Attubi* diſtabat, *Claritas Iulia* cognominata, quod etiam Plinius narrauit: inter quæ, vt idem notat, *Munda* fuit, quod laxo ſitu capiendum. Ad dextrum latus *Oſtippo* Plinii & Antonini, itinere a Gadibus Cordubam: & Singili, Plinii, quæ Antonini videtur *Antiquaria* eſſe, nunc Antequera. Inſcriptio ibi reperta apud Gruterum pag. 437 num 4.

GALLO MAXVMIANO
PROC. AVGG.
ORDO SINGILIENSIVM OB
MVNICIPIVM DIVTINA
BARBARORVM OBSIDIONE
LIBERATVM.

Et alia itidem Antiquariæ reperta, pag. 395 num. 7

ORDO M. LIB. SING.

Sequitur ad Singulim fluuium, Bætim verſus ruentem, *Aſtigi,* colonia & conuentus iuridicus. Plinius ſæpe dicto lib. III cap. I *Singulis fluuius in Bœtin, quo dictum eſt ordine irrumpens, Aſtigitanam coloniam adluit, cognomine Auguſtam Firmam, ab ea nauigabilis.* Hodie Ecya, inter Hiſpalim & Cordubam, quo itinere fere medio etiam Antoninus Aſtigi poſuit. Inſcriptio apud Gruterum pag. 101 num. 8 COL. AVG. FIRM. Et alia apud Mart. de Roa in Hiſt. Aſtig. COL. IVL. AVG. FIR. Nummus Auguſti huc referendus videtur COL. AST. AVGVSTA inſcriptus, quem vir clariſſimus Io. Vaillantius de Nummis

mis Coloniarum libro pag. 14 mauult ad Asturicam coloniam reductum. Hinc *Vlia* non procul abest, ab Hirtio, Dione & Mela *Vlla* dicta, nisi scribarum is lapsus est. Veram scripturam nummus prodit a Spanhemio, illustri viro, pag. 901 productus, in quo est VLIA: & inscriptio vetus apud Gruterum pag. 271 num. 1 ORDO REIP. VLIENSIVM. Sed *Attegua* Dionis lib. XLIII, siue *Ategua*, vt ab Hirtio Hispaniensi bello scribitur, ambigui situs apud ipsos Hispanos est. Quidam in via ponunt ab Antiquaria Hispalim: alii prope Alcala Real, quod veri similius videtur, quia *flumen Salsum* in propinquo fuit, notante Hirtio cap. VII, quod & Salado est, aut proximum aliquod, in Singulim a dextra se infundens. Eodem situ vrbs *Vcubis* fuit, inter quam & Ateguam Pompeius castra constituit trans flumen Salsum, liberaturus Ateguam obsidione Cæsaris. Prope Cordubam ad Bætin erat *Ianus Augustus*, tribus inscriptionibus, quæ Corduæ exstant, & a Grutero p. 153 exhibentur memoratus, A BAETE ET IANO AVGVSTO AD OCEANVM: & altera, AB IANO AVGVSTO QVI EST AD BAETEM, VSQVE AD OCEANVM; & sic etiam tertia.

Post Cordubam in altera ripa *Ataxi* fuit, ortum hibernum versus, municipium Romanum, cuius vetus inscriptio mentionem facit apud Gruterum pag. 432 num. 7 IN MVNICIPIO FLAVIO AXATITANO. Inde *Epora* succedit, elemento P ab Ebora Lusitaniæ distincta. Eodem loco inscriptio reperta, quam Gruterus pag. 499 præbet, RES PVBL. EPORENSIS. Et alia pag. 162 num. 5 EPORENSI MVNICIPIO. Plura pag. 105 leguntur. Nunc Montori dicta, XXVIII M. P. a Corduba distat, vt itinere Antonini est a Corduba Castulonem. Aut eadem fuit, aut vicina *Ripepora* Plinii, quasi *in ripa Epora*. Et *Illurco* illa regione fuit, distincta ab Ilurgi & Illiturgi; etiam ab Ilorci, nunc Lorca in Murciæ regno; quemadmodum & Plinius distinxit. Inscriptio antiqua apud Gruterum pag. 406 ad Pontem Pinorum, DECRETO ORDINIS ILLVRCONENSIS. Non minus *Obulco* Plinii, siue *Obulcum* Ptolemæi, cum *Pontificensis* cognomine huc pertinet. Plinius III cap. 1, postquam de *Sitia* huius regionis dixerat, quæ Ptolemæi Σέτια est, ait: *&* XIV M. *passuum remotum in mediterraneo Obulco, quod Pontificense appellatur.* Apud Gruterum pag. 105 num 12 FLAMEN II VIR MVNICIPI PONTIFICIS. Et pag. 458, n. 5 ORDO PONTIFI-

TIFI-

TIFICIENSIS OBVLCONENSIS. Clarissimus vir Andreas Morellius ex Schvvarzburgico thesauro nummum Tabula XXVI ostendit, vna parte barbaris Hispanorum litteris cum spica vbertatis signo; altera Latinis OBVLCO signatum. Porcuna esse inter Cordubam & Iaenam videtur, propter plures huius nominis inscriptiones ibidem inuentas. Adiacet *Vrgao*, Plinii & Antonini, quæ & *Alba* eodem Secundo auctore: plene *Alba Vrgaon.* Gruterus pag. 234 num. 6 inscriptione Lucio Cæsari, Augusti filio, dicata: MVNICIPIVM ALBENSE VRGAONENSE. Et pag. 249 n. 3 MVNIC. ALBENGENSE VRGAVONEN. ex æuo Hadriani. Eodem tractu *Ilipula Magna* Ptolemæi, siue *Ilipula* Plinii, *Laus* cognominata, in loco fere vrbis regiæ, vt multi putant, Granadæ fuit. *Tucci* quoque Plinii, quæ *Augusta Gemella* cognominatur, huius regionis. Ptolemæo lib. II cap. IV Τοῦκι, Appiano iam tum Viriati bello Γέμελλα simpliciter, pag. 496, sed anticipando dicta est, quia Gemellæ aut Geminæ legionis nomen ex Cæsarum fuit temporibus, ideoque nostra alibi non simpliciter *Gemella,* sed *Gemella Augusta* vocitata. Plinii testimonium inscriptio antiqua iuuat apud Gruterum pag. 323 num. 12 FLAMINICA COLONIAE AVG. GEMELLAE TVCCITANAE. Hispanorum opinione hodie Martos inter Cordubam & Giennum siue Iaenam est.

Ad *Iliberi* reflectamus, de quo Plinius, *Iliberi, quod Liberini,* quasi vtroque nomine appellatum. Dicitur & *Eliberi:* Ptolemæo Ἰλλιβερίς eique vltima Turdulorum. Huius concilium Eliberinum siue Eliberitanum fuit: non alterius in Ruscinonensi agro, quod Mariana lib. IV cap. XVI Hist. Hispan. & Petrus de Marca Hispan. lib. I cap. VI probauerunt. Duabus leucis a Granada afuit, vt Vasæus tradit: olim diruta, nominis tamen nobilitatem seruans. Ad *Sacilim* reuocor, Plinio *Sacili,* tamquam ἄκλιτον: Ptolemæo Σακιλίς, *Sacilis,* quam formam nummus a Golzio descriptus probat, MVN. SACILIS. Inter Sacilim & Iliberim Ptolemæus *Lacippo* ponit, cuius nominis Plinius inter Barbesulam & Bæsipponem habet. Adeo incerta & turbata multa sunt, ideoque cetera vel obscura, vel ignoti situs, prætermittimus. Si scire cupis, lege Plinium & Ptolemæum. Sunt enim eius generis pleraque, vt certo loco vix adscribi possint, quo etiam Strabonis γνωριμωτάτη Κονίστοργις, *notissima vrbs Conistorsis* pertinet, quam ait in Celticis sitam

pag.

pag. 97: Appianus autem pag. 484 in Cuneis Κουνίστοργιν πόλιν μεγάλην, *Cunistorgin urbem magnam* laudat, quam Lusitaniæ fuisse non dubitamus, quia in illius angulo australi & promontorium Cuneum, & ager Cuneus situs fuit. Hanc & Strabonis Conistorsin eandem esse videtur: an vero eadem etiam sit Liuii *Anitorgis* lib. XXV cap. XXXII, non desit forsan cur dubitemus.

Superest antequam in prouinciam Tarraconensem procedamus, vt de *Batis* amnis nomine, quod varie inclinatur, & de montibus illius prouinciæ nobilioribus pauca adiiciantur. Amnis in Tarraconensis prouinciæ Tugiensi saltu, vt Plinius refert, exoritur, valde pronum ad fidem qui *Batis* & *Bates* dicitur: illa vulgaris est, hæc forma insolens & rara. Silius lib. III vers. 405

Palladio Bates vmbratus cornua ramo.

Rarissime sine diphthongo *Betis*: atque sic BETICA semel forsan in inscriptione Gruter. pag. 168 num. 4, VICE SACRA BETICAM GVBERN. ex Antoninorum sæculo. Vnde corripiendi licentiam poetæ quidam sumserunt, quasi fracta diphthongo & diminuta. Paullinus Nolanus Carm. X ad Ausonium vers. 236

Qua Betis Oceanum, Tyrrhenumque auget Hiberus.

Græci Βαῖτις, quos quarto casu plerique imitantur *Batin* flectentes, non tantum poetæ, vt Martialis lib. IX epigram. LXII

Qua diues placidum Corduba Batin amet:

& Statius Genethliaco Lucani lib. II Silv. VII vers. 34

Graio nobilior Melete Batis.

Batin Mantua prouocare noli;

verum etiam Plinius lib. III cap. I *Singulis fluuius in Batin irrumpens.* Hirtius tamen Latino ore *Batim* dixit, non tantum Hispaniensi bello, sed Alexandrino etiam, vbi de rebus vna agit Hispanicis: & Livius lib. XXVIII cap. XXX bis, *ad Batim fluuium.* Ex altera forma *Bates*, quarto casu *Batem* supra inscriptione de Iano Augusto vidimus, vnde sextus etiam ibidem casus *Bate* legitur, qui aliis *Bati* est, ex quarto IM vel IN Grammaticorum lege factus.

Alterum, quod restat, de montibus est Bæticæ, quos duo Ptolemæus posuit lib. II cap. IV extremo, τό τε ὄρος Μαριανὸν, καὶ τὸ καλούμενον Ἰλίπουλα, *Marianum, & qui Ilipula vocatur.* Mariani parallelus secundum Ptolemæum inter Hispalim fere & Italicam transit: Ilipulæ, cum Cordubensi prope conuenit: aut intra Cor-

dubensem cadit: eiusque meridianus idem quæ Calpes est, siue Herculis columnæ, a quo Mariani meridianus per gradum & sextantem ad occasum versus recedit. De Ilipulà vix alius præter Ptolemæum: de Mariano pauci, nec hi omnes intemerato nomine. Plinii enim *montes Arianos* ex lib. III cap. I huc multi trahunt, a Marianis vna littera differentes, qua vel ille addita, vel hic detracta commiserit, quod leuem errorem arguat, a quo Ptolemæum inscriptio Hispali adseruata, & ab industrio viro Iacobo Sponio Miscell. erud. Antiq. pag. 191 producta, liberare potest, in qua est PROC. MONTIS MARIANI, id est, procurator rei metallicæ in illo monte. Plinio Antoninus aduocare potest, qui itinere ab Anæ ostio Emeritam, post Italicam proxime *Montem Ariorum* ponit, in illo fere parallelo, quem modo ex Ptolemæo designauimus, vt si qua superest erroris forte suspicio, vel deprauationis, in hos potius, quam in Ptolemæum, recidat. Sic Antonino cum Ptolemæo convenit, non autem cum Plinio, qui montes suos prope Onobam Aestuariam & Bætis ostia collocauit. Hispani quoque dissentiunt. Resendius de Pacensi colonia commentario, *Esurim* Antonini, quam circa Anæ ostia fuisse ex itineribus non obscurum est, ad Marianos montes pertinuisse adfirmat. Quo genere Pliniana sententia non mediocriter adiuuatur. Ambrosius autem Moralis, Descriptionis Cordubæ principio, ita disserit: *Qua parte septemtrionem Corduba spectat, posita est ad ipsas Marianorum montium radices, quos nunc Hispani prisco nomine Sierra Morena, hoc est Morenos montes dicimus. Ea vero horum montium pars, qua Cordubæ imminet, aut saltus Castulonensis est portio, aut cum eo ad ortum coniungitur.* Quid in tanta dissensione constituendum? nisi dicamus, Bæturiæ longa iuga ab ostio vsque ad fontes pæne fluminis porrecta, *Marianos* forsan, siue *Arianos* montes fuisse, qui Bæticam secundum Bæturiæ limitem & Bætis fluminis cursum prope omnem, (quamuis non tam notabiliter, vt Apenninus Italiam) diuiserint, certis vero locis, ad ostium Anæ & Bætis secundum Plinium; aut circa Italicam secundum Ptolemæum & Itinerarii auctorem, præcipue id nominis habuisse: in ceteris partibus aliter atque aliter, & forsan etiam alicubi *Ilipulæ* appellatione nominatos esse, atque ita inter sese aut in partibus suis distinctos. Addo, vbi vbi fuerunt Mariani montes, metalli fodinis diuites fuerunt, quod ante laudata inscriptio probat, quam confectores

æris

æris procuratori montis & fodinarum honoris caussa posuerunt, quæ quod breuis est, integram huc referre non alienum a loco & instituto nostro est.

T. FLAVIO AVG
LIB. POLYCHRYSO
PROC. MONTIS
MARIANI PRAES
TANTISSIMO
CONFECTORES AERIS.

De monte *Calpe*, quem columnarum fabula nobilitauit, supra satis actum fuit, neque is inter iuga a geographis notanda, quæ protractiora sunt pleraque, referri poscit. nam τῇ περιοχῇ οὐ μέγα, τῷ δ' ὕψει μέγα καὶ ὄρθιον, *ambitu quidem non magnus, in altitudinem vero magnam erectus* est, vt Strabo lib. III pag. 96 delineauit. Quæ forma montis, & oppositi alterius in Africa, inter quos se fretum infert, origo fabulæ de Herculis columnis vbique decantatis est.

PROVINCIA CITERIOR
SIVE
TARRACONENSIS.

Citerior Hispania ab Augusti temporibus etiam *Tarraconensis* dicta fuit, quia Tarracone, tamquam præcipua vrbe, Romanis certe percommode sita, præses prouinciæ sedem habebat. Termini ex ceterarum explicatione noti sunt, quia vbi Bætica & Lusitania desierunt, Tarraconensis incipit, & quidquid reliquum Hispaniæ est ad Pyrenæos vsque montes sibi vindicat, ceteris terminis satis certa, quia illic Oceano, hic mediterraneo mari est conclusa. Supra dictis vnum addo de Bæticæ & Tarraconensis ad mare limite, qui non satis explicatus est omnibus, vt ipse Plinius in eo statuendo repugnare sibi videatur. Libro enim III cap. I, *a fine Vrgitano citerior:* mox ait eodem capite, *Murgis Baticæ finis.* Non autem erat, quod quidam verbum sollicitarent, in locum eius *a sinu* supponentes. Sinus enim propter latitudinem non potest terminare, neque Plinius secum ipse in his partibus pugnat. Nam *Murgi* vel *Murgis* vere finis erat Bæticæ, & in Bætica ex Plinii sententia oppidum extremum:

Vrgi autem vel *Vrci* principium Tarraconensis, & prima in ea vrbs, hodie Muxara, vt accuratiores censent, appellata.

Vt vero maior hæc Tarraconensis, quam vel Bætica, vel Lusitania, erat; ita plures etiam in ea gentes nominantur, quæ singulæ suas vrbes & ciuitates habuerunt, pleræque secretæ distinctius, quam Bastuli, Bastetani, Turduli, & Turdetani, ac Celtici in Lusitania ac Bætica fuerunt, in quorum discriminatione Ptolemæus, Strabo atque Plinius non vbique, si comparantur, conueniunt, quarum gentium etiam aliquæ in Tarraconensem sese extendunt: ceteræ vero, eæque plurimæ, sunt propriæ huius prouinciæ, & a nobis singulæ suis locis enarrabuntur, & quas vrbes ac oppida possederint, ex librorum & inscriptionum monimentis explicabitur.

Nobiliores fluuios plures cum Bætica & Lusitania communes habet Tarraconensis prouincia, *Batin, Anam, Tagum, Durium*, ortos omnes in Hispania citeriori: proprios *Iberum, Minium, Rubricatum,* aliosque multos minores. Iberum etiam *Hiberum* veteres scripserunt. Romæ in marmorea vrna maiore apud Gruterum pag. 690 num. 5

ILLIC VNDE TAGVS ET NOBILE FLVMEN HIBERVS.

Plurimi tamen *Iberus* sine adspiratione. Montes præter *Pyrenæos*, qui a Gallia separant, sunt *Orespeda, Idubeda*, & qui connexi his, a saltibus nominantur, *Saltus Tugiensis, Castulonensis*, & alii: Non possum mihi temperare, quin ex Marianæ lib. I cap. III huc de montibus Hispaniæ transscribam breuiter excerpta. *Montes*, inquit, *ex Pyrenæi iugis præcisi, rectaque in occasum delati, Cantabris Asturibusque ad dexteram septemtrionem versus relictis, Calæcosque medios secantes, Nerium promontorium, quod longissime procurrit in mare, in extrema Hispania constituunt, Citramontanorumque appellationem ab Vltramontanis vulgo in Hispania secernunt. Ex his montibus Idubeda mons austrum versus ad Iberi fontes in Pelendonibus deriuatur, & per Virvescam Areuacesque, vbi Orbionis cacumina surgunt, neque procul Cauno, qui hodie Moncaius est, Bilbilim Darocamque præteruectus, mare mediterraneum attingit, non procul Dertusa vrbe, vnde extremæ eius montis partes hodie etiam nomen habent. Iberum amnem, contra quam alii insigniores Hispaniæ faciunt, ad occasum ire Idubeda mons prohibet, duobus ostiis sese confundentem mari mediterraneo. Paullo infra Caunum ex Idubeda emissus Orospeda mollioribus iugis vix adsurgere videatur: sensim*

sim

sim tamen sese efferens, ulteriusque progressus, Molinæ primum montes erigit, Conchæ deinde, vbi Sucronem ad læuam; ad dextrum Tagum emittit. Inde Consaburonis seu Consuegræ montibus constitutis, & in campis Laminitanis Anæ fontes enixus, ad Alcarassum Seguramque procedens in diuersas partes, mariaque diversa, Taderem [hic hodie Segura fluuius est] Bætimque in saltu Tigensi non longe a Casorla oppido fundit, ab Anæ fontibus amplius centum millibus passuum. vnde in duo brachia scissus parte vna e regione Murciæ factus ad Murgim, hoc est Muxacram, mareque terminatur, relictis ad occasum Bastetanis, a Basta vrbe, quæ hodie Baza est; at ortum vero Contestanis, veteris Hispaniæ populis: parte altera porrectus Malacam versus, & Eliberitanis iugis sese adnectens, vltra Calpem, vltraque Tartessum tanta procurrit auiditate, vt, penetrato mari fretique angustiis Africæ complexum non semel appetere videatur. Ex Orospeda prope Alcarassum Mariani montes (nostris Serramorena) surgunt. quorum radices perpetuo ferme vsque ad Oceanum Bætis ad læuam adluit, ab Iliturgi Bæticam mediam secans, Cordubam, Italicam atque Hispalim præterlabens, demum in Oceanum euoluitur, ad oppidum quod antiquis Luciferi templum erat. Hactenus accuratissime Mariana. Magnitudinem prouinciæ & illustrem claritatem Plinius lib. III cap. III ita distincte proposuit: *Vniuersa prouincia diuiditur in conuentus septem: Carthaginiensem, Tarraconensem, Cæsaraugustanum, Cluniensem, Asturum, Lucensem, Bracarum. Prouincia ipsa continet oppida* CLXXIX: *in his colonias* XII: *oppida ciuium Romanorum* XIII: *Latinorum veterum* XVIII: *fœderatorum vnum*: *stipendiaria* CXXXV. Ab occasu solis extremo, vt institutum est geographiæ, etiam in Tarraconensi prouincia incipiemus.

Supra Durium amnem, quidquid est in septemtrionem versus, ab Augusti temporibus Tarraconensi prouinciæ adscriptum fuit. Proxime flumen *Callæci* habitarunt, qui etiam *Callaici*, praue *Gallæci* vel *Gallœci* scribuntur. Nec enim a *Gallis* nomen habent, sed a *Calle*, oppido antiquo, ad Durii amnis ostium in colle sito, qui flumini imminebat, cuius portus erat in ostio, qui in dies magis ædificatus in vrbem excreuit, quæ hodieque *Porto, Puerto*, vel Belgis *Port a Port* appellatur: vnde etiam nomen *Portugalliæ* est, tamquam a portu Calle. Vide Duardi Nonii Censuram I in Iosephi Teixeræ de Originibus Regum Portugalliæ libellum. Mirum vero, Callen illam a vetustis geographis, Strabone, Plinio, Ptolemæo præteriri:

a solo fere Antonino memorari, itinere a Lisipone Bracaram Augustam, XXXV M.P. ab illa remotam, quum tamen populi Callæci nomen sit antiquissimum: nisi credas intercidisse illam, aut exiguam fuisse geographorum temporibus, postea instauratam amplificatamque, vt Itinerarium probat: tandem Portus nouum nomen, abrogato prisco, induisse. Græci populi Καλλαικὺς appellant, & in Strabonis libris diuulsa diphthongo Καλλαϊκὺς, quem modum e Latinis Silius imitatus est lib. III vers. 352

quidquid duro sine Marte gerendum est,
Callaici coniux obit irrequieta mariti.

Alias Latini *Callaci* dicunt, & regionis nomen *Callacia* cum diphthongo. Gruterus pag. 402 num. 5 ASTVR. ET CALLAEC. Vulgo G adsumunt, vt *Brutus Gallacus*, Vellei. Paterc. lib. II cap. V, qui Straboni pag. 105 est ὁ Καλλαϊκός. Atque ita etiam vetus inscriptio in Gruteri Opere pag. 193 ASTVRIAE ET GALLAECIARVM.

Sub his Callæcis siue Callaicis plures populi continebantur, *Bracari, Celerini, Gronii, Limici, Querquerni, Artabri*, & alii obscuriores, quibus singulis suos fines dare, quia difficillimum est; contenti sumus in vniuersum cum Ptolemæo in duo genera distribuisse, *Callaicos Bracarios*, a Durio ad Minium pertinentes; & *Callaicos Lucenses*, qui a Minio sunt ad Astures: vt tamen, quantum compertum est, & vbi dederit occasio, minorum quoque gentium rationem habeamus. Propinqui Durio sunt *Bracari*, vel *Bracares* Plinii, (siue *Bracarii*, diphthongo, Βρακάριοι Ptolemæi, quam vero falsam scripturam esse, inscriptiones, quæ sequuntur, comprobabunt. nam gentis & vrbis adfine nomen est) Horum enim erat *Bracara*, semel inscriptio Gruteri pag. 158 C gemino BRACCARA; sæpius cum cognomine *Bracara Augusta*, aut vna voce *Bracaraugusta*. Eodem Gruteri Opere pag. 156 num. 3 BRACARA AVG. & pag. 324. num. 11 BRAC. AVG. ac pag. 465 & 562 BRACARAVG. Ptolemæus etiam haud dubie coniunxit, quod separatim editum est Βράκαρ Αὐγοῦστα. Plinius lib. IV cap. XX *Bracarum oppidum Augusta, quos super Gallacia.* Io. Harduinus huc nummum Caii & Lucii Cæsarum refert, quo cusum est COL. B. A. quod interpretatur *Colonia Bracara Augusta.* Conuentum iuridicum habuit, vt supra ex Plinio cognouimus. Confines sunt Braca-

ris

ris *Calerini* Ptolemæi & Plinii. Hic lib. III cap. III *Bracarum* XXIV *ciuitates*, CLXXV M. *capitum, ex quibus præter ipsos Bracoros Bibali, Cœlerini, Gallæci, Hequæsi, Limici, Querquerni, citra fastidium nominentur.* Cœlerinis Ptolemæus oppidum dat Καιλιόβριγαν, *Cæliobrigam*, quod putant hodie oppidum Barcelos esse. Illustris vir E. Spanhemius de vrbe hac nummi epigraphen AEL. MVNICIP. COEL. de Præst. & Vsu Num. pag. 772 interpretatur, quasi ab Hadriano ornata, id augustum nomen acceperit. Bibalorum fuit *Forum Bibalorum* Φόρος Βιβαλῶν Ptolemæo: & Querquernorum Antonini *Aquæ Querquernæ*: ac Limicorum, *Forum Limicorum*, Ptolemæi Φόρος Λιμικῶν, siue *Limia* Antonini, quarto itinere a Bracara Asturicam; ad amnem *Limeam* Melæ, seu *Limium* Ptolemæi, siue *Limæam* Strabonis, qui & *Lethes* seu *Obliuionis* est. Strabo pag. 105 Δύριος, - - - εἶτ' ἄλλοι ποταμοὶ, καὶ μετὰ τούτους ὁ τῆς Λήθης, ὅν τινες Λιμαίαν, οἱ δὲ Βελιῶνα καλοῦσι. *Durius, - - - deinde alii fluuii; & post hos, Obliuionis, quem nonnulli Limæam, alii Belionem vocant.* Pomponius Mela dicto loco: *Fluunt per eos* [Grouios] *Auo, Celadus, Nebis, Minius, & cui Obliuionis cognomen est, Limias.* Hic est famosus ille Obliuionis fluuius, τῆς Βρούτου στρατείας ὅρος, *terminus expeditionis D. Bruti,* vt Strabo dicit pag. 106, cuius caussam Epitoma Liuii LV ita narrat, vt tamen transgressum, sed forsan non longe vltra progressum referat. *D. Iunius*, inquit, *Lusitaniam triginta vrbium expugnationibus vsque ad occasum & Oceanum perdomuit: & quum fluuium Obliuionis transire nollent milites, ereptum signifero signum ipse transtulit, & sic, vt transgrederentur, persuasit.* Idem fere Appianus tradit pag. 500, nec vero id plane adfirmat. De Decimo Bruto enim, quem perperam Σέξτον, *Sextum* contra omnium consensionem nominauit, refert, ἐπὶ Λήθης μετῄει, πρῶτος ὅδε Ῥωμαίων ἐπινοῶν τὸν ποταμὸν τόνδε διαβῆναι, *ad Obliuionis* [flumen] *progressus est, eumque Romanorum primus transire cogitauit.* Florus lib. II cap. XVII sect. 12 vocat, *formidatum militibus flumen Obliuionis.* Caussam appellationis Strabo dicto loco manifestat. *Ferunt*, inquit, *inter Celticos & Turdulos, quum fecissent expeditionem eo, Limæo flumine transito ortam seditionem, ad quam quum obitus ducis accessisset,* καταμεῖναι σκεδασθέντας αὐτόθι· ἐκ τούτου δὲ καὶ τὸν ποταμὸν Λήθης ἀγορευθῆναι, *mansisse ibidem dispersos, & hinc flumen* OBLIVIONIS *appellatum.* Et tantum de maritimis Bracararum Callaicorum. Intus in hoc tractu nobiles

les erant *Aquæ Flauiæ*, ignobilis hodie vicus Chiaues, pontis tamen ruderibus priſtinam magnificentiam conteſtans. Exſtant de iis & ponte earum inſcriptiones multæ. Ipſa veteri ſede in columna, apud Reſendium Antiq. Luſit. lib. I cap. XXI & Vaſæum pag. 254, legitur

CIVITATES X
AQVIFLAVIENSES, AOBRIGENS
BIBALI, COELERINI, EQVAESI
INTERAMICI, LIMICI, AEBISOC
QVARQVERNI, TAMAGANI.

Et indidem Gruterus pag. 162 num. 4 adfert:

IMP. CAES. NERVAE
TRAIANO AVG. GER
DACICO PONT. MAX
TRIB. POT. COS. V. P. P.
AQVIFLAVIENSES
PONTEM LAPIDEVM
DE SVO F. C.

Et pag. 156 num. 4 in via ab Aquis Flauiis Bracaram:

IMP. CAES. TRAIANVS
HADRIANVS AVG.
P. M. TR. POT. XX REFECIT
AQVIS FLAVIS
M. P. II

quod iisdem verbis alio loco propinquo repetitum inuenitur, præterquam quod ſubſcriptum M.* P. V.

Callaici Lucenſes a Minio fluuio incipiunt ſecundum Ptolemæum, quibuscum *Grouii*, tum *Artabri* continentur. De Grouiis res difficilior. Vulgo in Melæ lib. III cap. I lectum fuit: *a Durio ad flexum Gronii.* Vnde opinio manauit, *Gronios* alios eſſe a *Grauiis*, quos Plinius per A ſcripſit, & Silius pro *Graiis* origine ſiue Græcis habet lib. III verſ. 366

Et quos nunc Grauios violato nomine Graiûm
Oeneæ miſere domus, Aetolaque Tyde.

Ptolemæus Γρόυϊοι, vnde Iſaacus Voſſius in Mela *Grouii* ſcripſit, per O, quem Iac. Gronouius, recentiſſimus editor, ſequutus eſt. Nec Voſſius tolerare *Grauios* poteſt, quos Plinius nominauit, quia

iidem

iidem sint, qui *Grouii*, atque ita etiam scribendi. Quod confirmat oppidi Tydes situs supra Minium amnem, quod Silius Grauiis, Ptolemæus Grouiis suis adsignat. *Tyde* Ptolemæo Τοῦδαι, Plinio *castellum Tyde*, Antonino *Tude*, hodie Tuy in Gallicia.

Strabo dicto lib. III pag. 106 ἔσχατοι οἰκοῦσιν Ἀρτάβροι περὶ τὴν ἄκραν, ἣ καλεῖται Νέριον, *Vltimi habitant Artabri, ad promontorium, quod vocatur Nerium.* Vocant idem *Celticum* promontorium, vti ex Plinio lib. IV cap. XXII obseruatur, quia, vt Strabo dicto loco notauit, περιοικοῦσι Κελτικοὶ, *Celtici iuxta illud habitant*, cognati eorum, qui ad Anam fluuium colebant. *Artabrum* etiam a gente dicitur, quamuis id nomen cum appellatione Olisiponensis promontorii, Plinius confundit, qui etiam Artabros nescio quo reiicere videtur, propterea merito notatus a Resendio lib. I cap. XX Antiq. Lusitanicarum. Artabros sua ætate Strabo Ἀρετρέβας, *Aretrebas* dictos refert. At Mela quoque *Artabros* appellat, in iisque *Abobricam vrbem* ponit, quæ Plinio *insigne oppidum Abobrica* est, in inscriptione supra data *Aobriga:* hodie Bayona ad Oceanum, vt Harduino in Plinium & aliis videtur. Infra Nerium promontorium, quod nunc Caput Finis Terræ est, Ptolemæus *Artabrorum Portum* locat: supra illud, paullo intus, *Claudomerium;* etiam *Nouium*, aliud oppidum: & ad latus Cantabricum *Flauium Brigantium* est eiusdem Ptolemæi, in loco quo hodie est celebris portus Corugna siue Corunna: quod Dio Cassius etiam *Brigantium* lib. XXXVII pag. 54 dixit, de Cæsare narrans Βριγάντιον πόλιν Καλλαικίας παραπλεύσας, *Brigantium vrbem Callæciæ præteruectus*, id quod maritimum situm arguit, qualis non est Compostellæ, quam vulgo, vt Tarapha refert, interpretantur. Interiora ad Minium *Nemetobriga*, & *Aquæ Celeniæ* vel *Ciline*, vtræque Antonini, prior etiam Ptolemæi, quæ in posteriorum fere loco habet *Aquas Quintianas.* Supra flumen *Iria Flauia, Flauia Lambris, Lucus Augustus*, vnde pars Bracarorum Lucenses nominati. De Flauiis plura sunt digna, quæ excutiantur. Inscriptio Astigitana apud Gruterum pag. 305 n. 8 CONCILII IRIENSIS meminit, quod non dubito Iriæ Flauiæ Ptolemæi esse, quam Mariana lib. IV cap. II Padrono interpretatur; Isaacus Vossius ad Melam pag. 131 in Compestellæ, S. Iacobi exuuiis, vt creditur, celebratæ locum refert: aliis est S. Maria Finis terræ. Hinc in ortum recedit *Flauia Lambris* Ptolemæi in Asturum finibus: medio

inter has Flauias loco *Lucus Augusti*, de quo diximus. Addo conventum iuridicum habuisse, vt supra ex Plinio est demonstratum, qui *Lucensem conuentum* appellabat. Ptolemæus & Antoninus sedem designant, vt minus dubitetur Lugo vrbem, quæ hodie est, in eius loco existere.

Hinc in fines Asturum, qui Callæcis proximi sunt progredimur. Populus *Astures*, regio *Asturia*. Gruterus pag. 193 num. 3 PROVIN. HISPANIAE CITER. ASTVRIAE ET CALLAECIARVM: & pag. 426 num. 5 PER ASTVRICAM ET GALLAECIAM. Caput gentis *Asturica Augusta*, Ptolemæo Ἀςȣ́ρικα Αὐγȣ́ςα. Approbat nummus sub Augusto cusus cum epigraphe COL. ASTVRICA AVGVSTA. Ita Harduinus ex Golzio profert: Holstenius ad Ortelium, vel huic vel simili nummo interponit verbum, COL. ASTVRICA AMAKVR AVGVSTA, quod vel nomen pristinum vrbis est, vel gentium minorum alicuius, in quas Astures diuisi erant. Ptolemæus certe Asturicam Augustam in gente Ἀμακῶν, *Amacorum* scripsit, quod proxime accedit ad nomen in nummo Holstenii significatum. Conuentum iuridicum etiam in hac vrbe fuisse, supra auctore Plinio probatum est, quo antiqua inscriptio referenda GENIO CONVENT. ASTVRICENSIS, Gruter. pag. 110. Sita in extrema fere Asturiæ parte, in ortum hibernum versus, nec hodie ignobilis vrbs Astorga. Ex nomine vrbis huius Augustæ diuiduntur Astures in *Augustanos*, & *Transmontanos*, quorum illi australes sunt, hi septemtrionales. In Transmontanis *Lucus Asturum* Ptolemæi, nunc Ouiedo; & *Libunca* eiusdem, etiam Pomponii Melæ, si salua lectio, quam Vossius proscripsit, nec reuocauit Gronouius, vtroque *Iuia* substituente, quod fluuii nomen est, hodie Iuuia apud Ferrolium portum in mare se effundentis. Mela *Nœgam* addit, *in Asturum litore*; & *Tres Aras*, quas *Sestianas* dicant, in peninsula Augusti nomine sacratas. Et Plinius ibi *Nœgam* habet, quam Nouiam interpretantur: Ptolemæo Νοῖγα Οὐκεσία, *Nœga Vcesia* in Cantabris est maritimis: sed maior auctoritas Melæ.

Clariora sunt cis montes in Augustanis. Post Augustam coloniam quæ Asturica est, fuit *Legio* VII, sed quo cum cognomine? Ptolemæus Λεγιὼν ζ Γερμανικὴ Βριγαικινῶν, *Legio* VII *Germanica Brigaciorum*. Verum, quod etiam Vasæus a Didaco Neila monitus obser-

obseruauit Chron. Hisp. ad ann. Chr. CVI, nusquam *Legionis* VII *Germanica* in titulis & inscriptionibus facta mentio: sæpe autem *Legionis* VII *Geminæ*. In iis ipsis oris, duabus leucis a Legione, in lapide incisum est LEG. VII GEM. & Aquis Flauiis LEG. VII GEM. FEL. Vix ergo dubitare licet, quin corrigendus Ptolemæus sit, & *Gemina* pro *Germanica* legendum. Est illa vrbs regia Leon vel Legio, nominis prisci adhuc custos & conseruatrix. Ab hac in austrum *Lancia* siue *Lanciatum* fuit, supra in Lusitania, quum de Oppidana Lancia & alia ageremus, satis declarata: Adiacent *Vallata* & *Interamnium Flauium*, & *Brigæcum*, seu *Brigecum*, vnde modo regioni nomen Ptolemæus tribuebat; & ab occasu *Bergidum*, singula ex Antonini noscenda itineribus, a Bracara Asturicam, & ab hac Tarraconem vel Cæsaraugustam institutis.

Ab Asturibus sub mari *Cantabria* procurrit, quæ nomen cum *Cantabrico Oceano* communicat. Ptolemæus ante Cantabros posuit *Pæsicos*, quos Plinius lib. IV cap. XX *in peninsula* sedere dicit. Pæsicorum oppidum *Flauionauia*, quod S. Andreæ fanum & portum Hispani interpretantur. Post hos Cantabris *Nœgam Vcesiam*, vt diximus, adiudicat: *Autrigonibus* autem inde sequentibus *Flauiobrigam*, quæ Marianæ lib. IV cap. IV vel Vermeo (Bermeus) est, vel prope sita Bilbao: sed Arnaldo Oihenarto Notit. Vascon. lib. II cap. VIII, cui Bilbao recentius opus est, citra dubitationem Vermeo in Ipuscoa: tum *Vardulorum* populi *Menosca*, post quos sunt *Vascones*, quorum est *Olarso* Plinii, eademque Ptolemæi *Oeaso*, oppidum & promontorium, ad radices Pyrenæi, nunc pagus Oiarso, duabus leucis a Fontarabia.

In mediterraneis Cantabriæ *Concana* Ptolemæi, perperam Κόυκανα in editis scripta, recte in Palatino codice Κόνκανα. nam *Concani*, populus sunt Scythica feritate in Hispania. Horatius lib. III oda IV vers. 34

Et lætum equino sanguine Concanum,

quem frustra Torrentius vult ex Hispaniis exterminatum, defendente Silio Italico, lib. III vers. 361 in recensione Hispaniæ populorum etiam Concanorum rationem ita habens,

Cornipedis fusa satiaris, Concane, vena.

Præterea fuit *Vellica* Ptolemæi, quæ etiam Io. Georgio Græuio, viro accuratissimo, monente, in Flori lib. IV cap. XII legenda est, ab

Augusto capta, vbi male editores *Belgicam* intrudunt, quæ nulla fuit in Hispania. Infra eam *Iuliobrica*, siue *Iuliobriga*, Plinii & Ptolemæi, prope fontes Iberi. Plinius enim lib. III cap. III *Iberus amnis ortus in Cantabris, haud procul oppido Iuliobrica.* vnde quibusdam oppido Fuente d'Iuero videtur respondere. Inscriptio vetus apud Gruterum pag. 354

C. ANNIO L. F.
QVIR. FIAVO
IVLIOBRIGENS
EX GENTE CANTA
BRORVM PROVINCIA HISPA
NIA CITERIOR.

Hanc solam Plinius in Cantabricis septem populis memorabilem dixit. Cetera Ptolemæi, *Octauiolca, Camarica*, minus nota sunt: *Aracillum* Flori & Orosii in bello Cantabrico, incertæ positionis est, nisi *Aracœlis* Antonini itinere ab Asturica Burdigalam, XXIIII M. P. ante Pompelonem sita, est eadem. *Murbogii*, Ptolemæi populus, *Deobrigulam* habebant, etiam ab Antonino, dicto Itinere, memoratam XV M. P. post Segisamonem. *Autrigones* Ptolemæi sequuntur, male *Aurigones* a Floro scripti, aut ab alio descriptore prauati, quibus is *Gurgonios* coniungit, non minus nominis corruptione suspecti, saltem in historiis & geographia incogniti. In mediterraneis Autrigonum, prætermissis obscuris, Ptolemæus ponit *Virucscam, Deobrigam, Vendeliam*, quæ Antonini eodem itinere sunt, *Virouesca, Vindeleia, Deobriga*, cohærentes hoc ordine & pæne æquali distantes interuallo. Sub Autrigonibus *Berones*, Βηρωνες erant, quorum *Tritium Metallum*, Ptolemæo teste, fuit, quod Antoninus dicto loco simpliciter *Tritium* nominauit, positum inter Deobriculam & Virouescam, ab illo XXI M. P. in occasum: ab hoc in ortum M. P. XV.

Ad Pyrenæum pertingunt *Vascones* Hispani (nam etiam in Galliam trans montes procurrunt) quorum ex Ptolemæi relatione extra maritimam oram, quam supra attigimus fuit *Iturisa*, seu, vt Pomponius scripsit lib. III cap. I extremo, *Iturissa*, quæ Antonini *Turissa* est, posita inter Pompelonem & Summum Pyrenæum. *Pompelon*, vt nobilissimum haud dubie oppidum, ita, quod ad nomen originemque attinet, non mediocriter est controuersum. Hispani pleri-

plerique Pompeio vindicant, vt belli Sertoriani monimentum. Ioannes Mariana lib. III cap. XVI de Pompeii rebus in Hispania: *In Vasconibus condendæ vrbis nouæ & cognomento suo appellandæ gloriam aucupatus, Pompelonem fundauit, (ex eo quidam Pompeiopolim vocant. Strabo Pompelonem, quasi Pompeiopolim dictam ait) Nauarræ hodie metropolim.* Io. Vasæus Chron. Hisp. ad A. C. IↃC LXXXIV *Cn. Pompeius, edomita Hispania, & ad triumphum redire festinans Pompelonem siue Pompeiopolin de nomine suo condidit, vt ex D. Hieronymo patet.* Franciscus Tarapha de Reg. Hisp. pag. 607 *Pompilos, ciuitas regni Nauarræ primaria, per hoc tempus a Pompeio Magno condita est, Strabone teste.* Arnaldus Oihenartus Notit. Vascon. lib. II cap. II inscriptionem æneæ tabulæ adfert, in eius gentis vico Arre non ita pridem repertæ,

NERONE CLAVDIO CAESARE
AVG. GER. II
CAESIO MARTIALE COS. VIII
IDVS DECEMBRIS CIVITAS POM
PEIONENSIS HOSPITIVM RENOVA
VIT CVM L. POMPEIO I. F. & reliqua.

Heic L in I mutato, non Pompelon, sed *Pompeion,* scriptum videmus, quæ vox, Oihenarti opinione, a nomine Pompeii & a Vasconica dictione *One* vel *Vne,* id est, locus, composita est.

Operæ pretium erit singula in hanc sententiam conlata examinare. Primum auctoritate Strabonis nituntur. Sed ait ipse Oihenartus: *Apud Strabonem haud quaquam conditoris nomen legitur, sed id tantum, dictam Pompelonem* TANQVAM POMPEII VRBEM. Strabonis verba sunt lib. III pag. III ὑπέρκειται δὲ τῆς Ιακκητανίας πρὸς ἄρκτον τὸ τῶν Οὐασκώνων ἔθνος, ἐν ᾧ πόλις Πομπέλων, ὡς ἂν Πομπηιόπολις, *Supra Iaccetaniam, septemtrionem versus, habitat gens Vasconum, in qua vrbs est Pompelon, quasi vrbs Pompeii.* Fateor dubie dixisse Strabonem, quidquid in hâc caussa dixit; incertumque esse, vtrum adluserit ad nomen Pompeii, an ipsum pro conditore oppidi habuerit. Si habuit, cur non clarius exposuit, vti in aliis vrbium conditoribus fecit? cur non solum nomen Pompeiopolis ponit, vt in Cilice & Ponticis Pompeii monimentis geographi faciunt? cur nemo posteriorum repetiit, sed Plinius, Ptolemæus, Antoninus constanter *Pompelonem* nominarunt? An vero de Strabone,

 bone,

bone, diligentiſſimo ſcriptore peritiſſimoque, credi poteſt, ignoraſſe quas vrbes Pompeius condiderit, aut de fama dubitaſſe, quæ non antiqua erat, ſed intra ſæculum concluſa, aut breuiori contenta ſpatio? Sed quoquo modo res Pompelonis habet, Strabonis verba nolim ſollicitare, aut gloſſæ mouere ſuſpicionem: quin credam potius, ὡς voculam, non ſimilitudinis aut adluſionis, ſed veritatis, vt ſæpe ſolet, notam eſſe.

Deinde quod Vaſæus ad Hieronymum prouocauit, velim locum certum eius auctoris, aut verba ipſa indicaſſet. Vix autem dubium cuipiam poteſt eſſe, Hieronymi libellum aduerſus Vigilantium, ſubiunctum Epiſtolæ LIII ad Riparium, quam quidam lib. I aduerſus eundem vocant, reſpexiſſe, quia creditum nonnullis fuit, de Pompeiopoli Vaſconum in eo aliquid dictum eſſe, quod etiam in Indicem Operum Hieronymi ita inſertum eſt. Verba autem ſancti viri ita habent: *Nimirum reſpondet generi ſuo, vt qui de latronum & conuenarum natus eſt ſemine, quos Cn. Pompeius, edomita Hiſpania, & ad triumphum redire feſtinans, in Pyrenæi iugis depoſuit, & in vnum oppidum congregauit: vnde & Conuenarum vrbs nomen accepit. Hucvsque latrocinetur contra eccleſiam Dei, & de Vettonibus, Arebacis, Celtiberisque deſcendens, incurſet Galliarum eccleſias, portetque nequaquam vexillum Chriſti, ſed inſigne diaboli.* Quis non videt de Gallorum Conuenis, ſeu Lugduno Conuenarum dici, non de Pompelone Hiſpaniæ? Ait enim Pyrenæi latrones incurſaſſe Galliam, & in Conuenarum vrbem, quæ in auſtrali Aquitania eſt, compulſos eſſe a Pompeio. Nec illud officit ſententiæ noſtræ, quod de Vettonibus, Arebacis, Celtiberisque dicit deſcendere. Oratorio enim more transgreſſus fines, augendæ rei cauſſa iuſto longius arceſſit, quaſi & illi ſub Pyrenæis prædones habitaſſent. Hadrianum Valeſium, virum doctiſſimum conſentientem habemus, eodem quo nos modo Hieronymi verba Notit. Gall. in *Conuenæ*, interpretatum. Quod ſi ergo Vaſæus non aliud Hieronymi, quod proprium ſit, protulerit, in his nihil præſidii inueniet, quo Hiſpanorum Pompeiopolim, vt credebat, tueatur.

Oihenarti inſcriptioni, ſi ſana eſt, quod dubitari ex ſignis forſan quibusdam poſſit, inſcriptio alia in Gruteri Opere, eaque gemina pag. 325 num. I, & 455 num II, illa Tarracone, hæc Barcinone viſenda opponatur, qua ſi non profligari, tamen ſuſtineri poſſit vis & im-

& impetus illius. In vtraque enim est POMPAELONENSI, & per diphthongum quidem, scriptum est, sicut in priore Strabonis loco, vbi Casaubonus κατὰ Πομπελῶνα habet, Aldus Manutius Venetiis ediderat κατὰ Πομπιαίλωνα· Quæ in vtramque partem plene integreque adferre placuit, vt eligat quisque, vtri sententiæ de origine & nomine Pompelonis vel Pompeiopolis accedere velit, quia vtraque habet, quod probabile videtur; neutra autem ita certa est & confirmata, vt nihil, quod dubitares, relinquatur.

Præter Iturissam & Pompelonem Ptolemæus in mediterraneis Vasconum scribit *Iaccam, Graccurim, Calagorinam, Cascantum, Ergauiam, Alauonam* & alia obscuriora, quibus *Aracœlis* Antonini addenda, a qua, quod proxima Cantabris & Autrigonibus fuit, initium enarrationis faciemus. *Aracœlis* Antonini a Pompelone quinque vel sex leucis in solis occasum recedit, nunc Huarte Araquil: quos *Arocelitanos* Plinii esse lib. III cap. III non est quod dubitemus, & consentit nobiscum Oihenartus lib. II cap. II extremo. *Iacca* nomen hodieque retinet, Iaca, inter Oscam & Pyrenæum posita. Circumiacens ager *Iaccetania* Strabonis est, antea in Pompelonis descriptione memorata, de qua tantum illud adnotamus, Strabonem ampliores iusto Iaccetanorum fines facere vsque ad Ilerdam, quod etiam vir maximus Petrus de Marca lib. II cap. XXVII principio obseruauit. *Ergauia* super Iberum etiam Vasconum fuit, & hæc nempe, quam Ptolemæus nominauit, distinguenda ab Ergauica Celtiberorum, cuius nomen elemento C vel K est auctius, de qua infra dicturi sumus. Trans Iberum est *Calaguris,* cognomine, quo Plinius distinguit, *Nascica,* in dextra ripa Ptolemæi *Calagorina,* hodie Calahorra. Huius exsecranda fames Sertoriano bello a Valerio Maximo lib. VII cap. VI extremo descripta est, cuius verba referre abominor. Attigit Florus lib. III cap. XXII, & Iuvenalis Satyr. XV vers. 93. Vrbs eximia & illustris, quod etiam nummi testantur, quibus cognomento *Iuliæ* ornatur, & municipii honore, & tandem coloniæ. Augusti nummus MVN. CALAG. IVL. & alius eiusdem, MVN. CAL. IVLIA. & concisius in nummo Tiberii: M.C.I. C. CELERE C. RECTO IIVIR. id est, *Municipium Calaguris Iulia, Caio Celere, Caio Recto duumuiris.* Ambrosius Morales ex veteri inscriptione MVN. CALAGVRIS IVL. NASCICA. Hactenus municipium Calaguris: deinceps coloniam factam

ctam Plinius auctor est, sæpe dicto lib. III cap. III. Quum enim dixisset, Cæsaraugustanum conuentum CLII populos recipere, addit: *Ex his ciuium Romanorum Belitanos, Celsenses: ex colonia, Calaguritanos, qui Nascici cognominantur: Ilerdenses, Oscenses, Turasonenses.* Non equidem ignoro, doctissimos viros esse, qui Calagurim Nascicam cis Iberum ponant, quatuor leucis ab Osca in septemtrionem: alteram vero, quæ Fibularensis cognominatur apud Plinium, trans flumen in ripa dextra: ego vero, summo duce fretus, Petro de Marca, hæc prorsus inuertenda esse statuo. Nascica enim, vt ex inscriptione Morales docuit municipium primo, dein colonia, æque vt Osca, Ilerda, Turiaso, quod Plinius adnotavit. Fibularensis autem a fibularum, vt videtur, opificio dicta, multo deterior erat, contributa cum Oscensibus, & ab iis pendens, vt ex Cæsaris lib. I B. Civ. cap. LX constat, ideoque Oscæ vicina, &, quod Plinius addit, stipendiaria. Ipsius loci etiam vestigia & ambitus ostendunt, vrbem in ripa maiorem, quam mediterraneam cis Iberum fuisse, quantum nempe inter Calahorram interest & montanum oppidulum Loharram. Non pœnitebit laudati Archiepiscopi verba ex lib. II cap. XXVIII de Marca Hispania relegisse: *Non puto,* inquit, *dubitari posse, quin eorum vrbs* [Caliguritanorum Cæsaris lib. I Civ. cap. LX] *referenda sit ad eam, quæ hodie* XII M. P. *interuallo ab Osca visitur, vulgo Loharre dictam, vbi Romanorum ædificiorum vestigia superfuisse adhuc ætate sua, testatur Hieronymus Blanca in initio commentariorum suorum de Rebus Aragonensibus, vbi istius quoque opinionis, quam nos præferimus, se præstat auctorem. Sed qui sententiam illius sequimur in hoc loco, ab illius & ab Antonii quoque Augustini & Hieronymi Suritæ opinione discedere cogimur, existimantium, hanc Calagurim Oscæ vicinam, illique contributam, atque adeo Ilergetibus adscriptam, eam esse, quæ a Plinio vocatur cognomine Nascica, non autem Fibularensem. Duplex enim Calaguris a vetusto hoc scriptore commemoratur, Fibularensis nempe & Nascica. Calaguritanos qui Fibularenses, vt ille ait, cognominantur, fortassis a fibularum opificio, omnino arbitramur esse eos, qui contributi erant Oscensibus. Calagurim vero Nascicam inter colonias vna cum Ilerda & Osca diserte recenset idem Plinius, æquior haud dubie erga tres illas ciuitates, quam fuerunt recentiores quidam, qui videntur illis inuidisse coloniæ dignitatem. Adeo altum est de illis silentium in eorum scriptis.* Nec alia quam Nascica

scica Calaguris & flumine Iberi adfusa Sertoriano bello, quid vltimum in fame esset, experta fuit. nam Strabo lib. III pag. III distincte prodit, postremum belli Sertoriani gestum esse præter alia loca καὶ ἐν Καλαγούρει τῶν Οὐασκώνων πόλει, *etiam in Calaguri, Vasconum vrbe*, non illa quæ fuit Ilergetum. Sic Græci scribunt ρ simplici: & vno R in veteri inscriptione, quam Morales, vt dictum, edidit: quam scripturam ita præferendam ducimus, vt sylla-ba, quasi geminatum R fuisset, perinde producatur. Quod ex poetis manifestum est. Prudentius Passione Cæsaraugustanorum XVIII Martyrum versu 31 Sapphico

Nostra gestabit Calaguris ambos.

Et Paullinus Nolanus Carm. X ad Ausonium vers. 231

Bilbilis huic tantum, Calaguris, Ilerda notatur.

Superest *Graccuris* ex Ptolemæi vrbibus Vasconiæ. Origo satis clara: non æque situs & positio. Epitome Liuii XLI *Ti. Sempronius Gracchus proconsul Celtiberos victos in deditionem accepit, monimentumque operum suorum Graccburim oppidum in Hispania constituit.* Idem adfirmat Festus Pompeius, & vna vetus oppidi nomen ostendit. *Graccburis*, inquit, *vrbs Iberæ regionis dicta a Gracchо Sempronio, quæ antea Illurcis nominabatur.* Scribitur Gracchuris & Graccuris. Nummus Tiberii MVNICIP. GRACCVRIS; & alio cum boue vittato MVNICIP. GRACCVR. Ptolemæus Γρακουρὶς, qui cis Iberum situm dat, procul amotum a flumine, a quo in occasum solis tantumdem spatii aut amplius Antoninus vel quisquis auctor est, reducit. Itinere enim ab Asturica Tarraconem, hoc ordine collocatur:

Graccurim	— —	
Balsionem	M. P.	XXVIII
Cæsaraugustam	M. P.	XXXVI

Ergo LXIIII M. P. ab Ibero & Cæsaraugusta afuit Asturicam versus & Palantiam. Hodie Agreda est prope Tariasonem: vnde martyres Graccuritanos in Martyrologio *Martyres de Agreda* appellari vir doctissimus Io. Harduinus obseruauit. Etiam *Cascantum* oppidum ex numero illorum est, quæ Vasconibus a Ptolemæo adscribuntur. Sic autem in Palatino codice legitur Κάσκαντον, quod male editum Βάσκοντον fuerat. Plinius lib. III cap. III: *Latinorum veterum, Cascantenses, Ergauicenses, Graccuritanos, Leonicenses,*

censes, Ossigerdenses. Nummus Tiberii MVNICIP. CASCANTVM. Non difficilis inuentu eius positio est, quia nomen in oppido Cascante, inter Tutelam & Turiasonem sito, seruatur. *Tutelæ* autem incerta antiquitas, nec quidquam de ea in vetustis libris aut monimentis. Hoc solum constat, quando Mauris erepta sit, nec priorem eius mentionem superesse in Notitia Vasconiæ vir industrius & sæpe a nobis laudatus Arnaldus Oihenartus pag. 84 adnotauit. Huic *Tarraga* Ptolemæi, vnde Plinii *Tarragenses*, est ipsa Larraga, inter Pompelonem & Iberum fere media ad Argam fluuium: quæ verisimilior est opinio, quam illa Harduini, qui Tarregam, leucis quinque ab Ilerda Barcinonem versus, interpretatur, vbi nihil Vasconiæ possessionis erat. Cetera, vt ignobiliora, prætermittamus, de nomine tantum *Vasconum* hoc notasse non alienum sit, Strabonem & Ptolemæum per Ω scribere, media syllaba porrecta: quam contra Latini poetæ corripiunt. Iuuenalis Satyra XV vers. 93 de fame Caluguritana:

Vascones, hæc fama est, alimentis talibus olim
Produxere animas,

id est, carne humana. Prudentius Peristephan. I, seu Calaguritanorum Passione vers. 93

Iamne credis bruta quondam Vasconum gentilitas.

Et Paullinus Nolanus Carm. X ad Ausonium vers. 212

Sic Vascone saltu
Quisquis agit purus sceleris vitam inter iniquos.

Antequam per Pyrenæos montes ad alterum litus seu mediterraneum mare progrediamur, necesse est, etiam illas gentes Tarraconensis prouinciæ expediamus, quæ Callæciæ & Lusitaniæ a tergo in mediterraneis ad Iberum vsque fluuium obiiciuntur. Magna nomina in Romanis historiis sunt *Vaccæi, Pelendones, Areuaci, Carpetani, Lusones, Oretani, Lobetani, Contestani, Edetani, Illercaones,* & imprimis *Celtiberi,* quibus nunc amplos, nunc angustiores terminos constituunt. Bellicosissimi enim fuerunt, atque multis sæpe populis imperauerunt, vt Celtiberia interdum maiorem Hispaniæ partem, a principe populo denominatam, comprehendat. Strabo lib. III pag. 88 αὐξηθέντες οἱ Κελτίβηρες ἐποίησαν καὶ τὴν πλησιόχωρον πᾶσαν ὁμώνυμον ἑαυτοῖς, *Celtiberi, aucti potentia, a se etiam regionibus circumiacentibus nomen fecerunt.* Cladibus vero Roma-

Romani belli factum, vt ad eos fines, aut iis similes, redigerentur, quos Ptolemæus describit; & ceteris populis sui limites redirent. Strabo & Plinius in quatuor gentes diuisos fuisse tradiderunt: neuter plures quam vnam illarum nominauit, & Strabo quidem *Areuacas*, Plinius *Pelendones*: Vtrosque vero Ptolemæus a Celtiberis separauit. Ceteros duos Appianus nobis detexit, *Bellos* nempe & *Titthos*, parum clara nomina. Nos Ptolemæi vestigia ita legemus, vt in oppidorum enumeratione consensum historicorum, vbicumque haberi potest, coniungamus, & eum in dubiis rebus malimus sequi, quam unius peregrini geographi, qui Ptolemæus est, auctoritatem.

Callæcis siue Gallæcis ad ortum solis adiacebant *Vaccai*, ab Liuio sæpe commemorati, quorum ex Ptolemæi dispositione fuit primum *Intercatia*, a pluribus memorata. Epitoma Liuii XLVIII *L. Lucullus cum Claudio Marcello, cui successerat, quum lacessere omnes Celtiberiæ populi viderentur, Vaccaos & Cantabros & alias incognitas adhuc nationes in Hispania subegit. Ibi P. Cornelius Africanus, Scipio Aemilianus, L. Paulli filius, Africani nepos, sed adoptivus, prouocatorem barbarum tribunus militum occidit: & in oppugnatione Intercatiæ vrbis maius multo periculum adiit. nam murum primus omnium transcendit.* Singularis illa cum barbaro pugna apud eandem vrbem commissa fuit. Aurelius Victor de Viris illustribus in Scipione Aemiliano: *apud Intercatiam oppidum prouocatorem singulari prœlio vicit.* Adde Appianum in Ibericis. Vetus inscriptio apud Gruterum pag. 324 num. 10 MODESTVS INTERCAT. EX GENTE VACCAEORVM VXORI PIENTISSIMAE. Situm Antonini Itinerarium describit, itinere ab Asturica per Pintiam & Cluniam ad Turiasonem & Cæsaraugustam, ita vt LX M. P. afuerit ab Astorga, vno interiecto oppido Brigeco. *Portam Augustam* nemo præter Ptolemæum memorauit. neque est vt credamus Plinii Nouam Augustam esse. hæc enim in Areuacis fuit, & in iis ab ipso Ptolemæo nominatim recensetur Νοὀαυγύστα appellata. Circumiacentia proxima tria oppida eiusdem Ptolemæi *Viminacium*, *Lacobriga*, *Segisama*, continenti sic serie etiam Itinerario traduntur, ab Asturica Burdigalam versus itinere. *Viminacium* XXXI M. P. a Pallantia: XV a *Lacobriga*, inter quæ medium est. Ptolemæi quidem Græcus codex corruptus in hoc nomine: Latina autem versio *Lacobriga*,

qui sunt *Lacobricenses* a Plinio lib. III cap. III memorati: iidem forte Plutarchi Λαγγοβρίται in Sertorio pag. 574. nam etiam geminata littera in nummo Galbæ scribitur LACCOBRIGA MVN. id est *Laccobriga municipium*. Alia vero Lacobriga in Lusitanis est, de qua supra diximus. A Lacobriga itidem M. P. XV abest *Segisamo*, quæ vrbs poterat Ptolemæi *Segisama Iulia* videri, nisi Plinius dicto loco distinguat *Segisamonenses* & *Semisameiulienses*. Segisamonis situm habemus ex Itinerario: Segisama si diuersa fuit, nobilioris vtique famæ fuit, quam situs nunc certus & definitus est: nisi in Ptolemæi numeris adquiescemus, qui eam Palantiæ a septemtrione opponit. Nobilitat autem ciuitatem & coloniæ dignitas, & *Iulia* agnominatio. Nummus Tiberii, COL. IVL. SEGISAMA. Accedit in historiis eiusdem clara mentio, Flori lib. IV cap. XII, Augustum Cantabrico bello in eam deuenisse: & Polybii apud Strabonem.

Reliqua Vaccæorum oppida secundum Ptolemæum, eaque memorabilia, sunt *Palantia, Cauca, Pintia.* Prima *Palantia*, Appiano & Ptolemæo Παλαντία, cuius ciues Plinio *Pallantini*; (nam Pallantia & Palantia scribitur) cum per se nota est, quia nomen hodieque seruat in Legionis regno Palencia; tum ex Itinerario Antonini de situ eius constat. Claram antiquitus fuisse Pomponius Mela lib. II cap. VI testis est. *Vrbium*, inquit, *de mediterraneis in Tarraconensi clarissima fuerunt, Pallantia & Numantia: nunc est Cæsaraugusta.* Appianus in Iber. pag. 482 Ἐπὶ δὲ Παλαντίαν ᾔει πόλιν, ἣ δόξαν τε ἀρετῆς εἶχε μείζω, *Inde Pallantiam itum est, vrbem virtutis fama clariorem*, quam Intercatia, vnde egressi fuerant. *Cauca* etiam nobilior vrbs, sed positionis dubiæ. Plures putant Cocam esse nominis inducti consonantia: quod vero hæc trans Durium, ceteræ omnes Vaccæorum vrbes quas enumerauimus, cis illud flumen sunt; suspecta interpretatio videri potest. Sed iuuat Appianus sententiam receptam, quia Lucullum Celtiberico bello ex inferiori Hispania aduersus Caucæos profectum, flumen Tagum dicit, pag. 478, non Durium traiecisse. Nempe περάσας τὸν ποταμὸν, τὸν καλούμενον Τάγον, ἀφίκετο πρὸς Καύκαν πόλιν, καὶ παρεστρατοπέδευσεν, *traiecto amni, quem Tagum appellant, ad Caucam vrbem peruenit, & eam circumsedit.* Ex quo non dubie probatur, quod tantummodo Tagi traiectus memoratus est, antequam ad Caucam

perue-

perueniret; adeunti Lucullo non trans Durium vrbem, sed citra illum, hoc est, inter Durium, & Tagum sitam fuisse, Durio tamen propiorem quam Tago, vt Situs Cocæ, quæ hodie est, ostendit. Calamitatem vrbis a Lucullo contra fœdus illatam, & inde ortam Romanis infamiam, siue, vt Appianus appellat, δόξαν κακήν; ex eiusdem descriptione intelligimus. Hanc de Cauca opinionem plus Zosimus perturbat, quum de Theodosio, qui inde ortus fuit, lib. IV cap. XXIV scripsit: αἱρεῖται τῆς βασιλείας κοινωνὸν Θεοδόσιον, ἐκ μὲν τῆς ἐν Ἰβηρίᾳ Καλλεγίας, πόλεως δὲ Καύκας ὁρμώμενον, hoc est, [Gratianus] *imperii socium Theodosium legit, ex Hispanica Callegia vrbe Cauca ortum.* Nemo non videt, Callæciam corrupto illo vocabulo notari, in qua si Cauca sita fuit, frustra ad Vaccæos illa, qui multo citeriores sunt, refertur. Sed tanti non est in hac caussa Zosimus, vt de Plinii nos sententia & Ptolemæi, qui in Vaccæis ponunt, depellat: quin potius Zosimum, si non errasse, tamen singulari opinione fuisse iudicamus, dum ampliores Gallæciæ fines, quam ceteri solent, adsignauit, vt Vaccæorum quoque contineat regionem. Facilis etiam error in vicinis, quia Vaccæi & Gallæci sunt ὁμόροι. Præterea *Pintia* Ptolemæi est, quam plures ponunt in loco eximiæ nunc vrbis Vallisoleti siue Valladolid. Mariana lib. X cap. VII *Pincia, qua nostris Vallisoletum esse creditur in Vaccais:* alii ad latus paullo ab illa vrbe deducunt. Antonini Itinerarium inter Cluniam & Intercatiam ponit mediam, itinere ab Asturica Cæsaraugustam per Cantabriam: estque ab Asturica CVI M. P. Tandem *Rauda* quoque Vaccæorum fuit, quam idem Itinerarium inter Pintiam & Cluniam constituit, vtrique proximam, nulla vrbe interiecta. Et hactenus de Vaccæis.

Sequuntur *Areuacæ* Strabonis & Ptolemæi, de quibus ita Plinius lib. III cap. III, *Areuacis nomen dedit fluuius Areua. Horum sex oppida: Saguntia & Vxama; præterea Segouia, & Noua Augusta; Termes, ipsaque Clunia, Celtiberiæ finis.* Ptolemæus prætermissa Saguntia addit *Numantiam* & *Velucam*, & alia quædam obscuriora. De singulis breuiter, quæ inueniri possunt, adferemus. *Saguntia*, quæ & *Seguntia* ac *Segontia* dicitur, illa vrbs est, de qua Liuius lib. XXXIV cap. XIX, *Consul audito Seguntiæ Celtiberum omnes sarcinas impedimentaque relicta, eo pergit ducere ad oppugnandum.* Vetus inscriptio apud Gruterum pag. 324 num. 2.

C. ATILIO C. F. QVIR. CRASSO SEGONTINO.

Itinerarii auctor duas Segontias vno itinere ab Emerita Cæsaraugustam tradit, vnam inter Complutum & Bilbilim; alteram inter Bilbilim & Cæsaraugustam. Prior illarum est, quæ Areuacis vindicatur. Qui locorum periti sunt iudicant esse vrbem Siguenzam, ad fontes amnis, Complutum adluentis, qui hodie vocatur Henarez. Aliam Segontiam in Bætica supra exposuimus; & iterum aliam *Segontiam Paramicam* Ptolemæus ponit in Vardulis. Hoc de prima Plinii vrbe. Secunda est *Vxama*, Ptolemæo Οὔξαμα Ἀργέλλαι, vel vt Palatinus codex habet, Ἀργαῦλαι: in Itinerario inter Cluniam & Numantiam posita, itinere ab Asturica Cæsaraugustam. Floro est *Auxima* lib. III cap. XXII extremo corrupte. nam veram scriptionem vetus lapis Compluti conspectus, ostendit apud Gruterum pag. 693 num. 8

LICINIVS IVLIANVS
VXAMENSIS
ANN. XX. H. S. EST
IVLIA MATER F. C.

Hodie el Borgo d' Osma dicitur, nomine veteri non penitus exstincto; & adiacet amni Durio.

Illustre nunc nomen *Segouia* siue *Segobia*, quæ Σεγουβία Ptolemæi est, ad se nos aduocat, nisi retrahet Harduinus, qui Areuacarum Segouiam, Plinio & Ptolemæo memoratam, dicit non illam esse mediam inter Madridum & Vallisoletum, quæ mirabiles aquæductus cum Segouiæ nomine conseruat: sed vrbeculam, quæ sub eadem cæli parte atque Numantia, eodemque situ a Ptolemæo collocetur. Hæc numeris confisus Ptolemæi scripsit, qui si recti sunt, eadem longitudo Segubiæ est & Numantiæ; latitudo in septemtrionem, quam Numantiæ, eleuatior. Quum vero numeri illi sæpe fefellerint, & plura in Hispania conturbet alibi Ptolemæus, nolim sola illius iussione a celebriori Segouia ad ignobilem obscuramque diuerti. Fateor, celebrem illam vrbem pæne extra fines Areuacarum esse: sed esto, quod satis sit, in limine fuisse, id quod vt credam, facilius adducor, quia & Plinius & Ptolemæus & Itinerarii auctor tantum vnam Segouiam habent, nec ipsi Hispani aliam in his circa Durium oris ostendunt, aliam demum prope Cordubam ad Bætin, de qua Vasæus pag. 91 consulatur; quæ nihil cum nostra,

vt

vt alieno situ, commune habet. Quod si omnino etiam positio repugnaret, quæ vero non plane aliena est: tamen vel nominis & famæ caussa illustre opus explicaremus, quod nihil certi constat, cui alii hoc genti sit adscribendum, nec alia forsan se offert ad prædicandum illud occasio. Est enim hæc Segobia vel Segouia hodieque conspicua, cum ob alias rationes, tum maxime propter mirandum aquæductum, ex Traiani æuo, vt putatur reliquum, de quo Marineus Siculus lib. 1 Rer. Hisp. tradit, se vltra septingentos in Hispania pontes numerasse, sed nihil vidisse, quod cum hoc arcu seu aquæductu & ponte Alcantarensi conferri possit.

In Plinianis Areuacarum oppidis *Noua Augusta* succedit, nec alii memorata, nisi Ptolemæo, quamuis ille in nomine aliquid corrupit, Νουδαυγοῦσαν scribens, pro Νεοαυγοῦστα, vel Νέα αὐγοῦστα. Ad *Termestinam* ergo vrbem progredimur, cuius *Termes* nomen est apud Plinium & Florum; & Τέρμες quoque apud Ptolemæum: Τερμισσὸς, μεγάλη πόλις, *Termisus, magna vrbs*, Appiano pag. 535. Hodie multis Lerma est, sita ad fluuium Areuam, qui nunc Arlanza: aliis ad Durium, Nuestra Sennora de Tiermes. Ciues *Termestini* vocantur, socii Numantinorum. Liuii epitoma LIV *Q. Pompeius consul in Hispania Termestinos subegit: cum eisdem & Numantinis pacem ab infirmitate fecit.* Et Tacitus annali IV cap. XLV *nationis Termestinæ* dicit fuisse, qui prætorem Hispaniæ citerioris L. Pisonem ex improuiso in itinere adortus, vno vulnere in mortem adfecerit. An eadem sit *Termantia* Appiani, quæ Plinii Termes: & *Termantini* apud eundem, qui Liuii Termestini, non liquido constat. Termantini prope Numantiam fuerunt. De eodem Q. Pompeio, quum nihil ad Numantiam perficeret Appianus dicit pag. 506, μετέβαινεν ἐπὶ Τερμαντίαν ὡς εὐχερέστερον ἔργον, *Termantiam castra promouit, tamquam ibi minus negotii habiturus*: & paucissimis interiectis; τὴν ἀγορὰν αὐτῷ φέροντα χιλίαρχον οἱ Τερμαντεῖς ἐτρέψαντο, *tribunum militum, qui commeatum aduehebat, Termantini in fugam verterunt.* Multis ergo iidem sunt, qui Termestini; & eadem Termes, quæ Termantia. Hoc autem me dubium reddit, quod non credibile, vnum auctorem eodem libro, & eiusdem belli descriptione, vnam vrbem nunc Τερμαντίαν, nunc Τερμισὸν appellare.

Vltima vrbium in Areuacis in Celtiberiæ conlimitio posita, fuit *Clunia*, omnium post Numantiam deletam clarissima, Romana colonia,

colonia, & iuridici conuentus amplissimi sedes. Hæc de ea ex Plinio. Situm Antonini Itinerarium monstrat, inter Raudam & Vxamam fere medium, ab illa XXVI M. P. ab hac XXIIII, quo loco nunc pagus superest ad Durium amnem. In historiis rarum nomen, nec fere nisi Dionis Cassii lib. XXXIX pag. 115 referentis de rebellibus Hispanis, quod Metello Nepoti, *πολιορκοῦντι Κλουνίαν, ἐπελθόντες ἀμείνους ἐγένοντο καὶ ἐκείνην μὲν περιεποιήσαντο*, *obsidenti Cluniam superuenientes, vicerint ipsum, ac vrbem in suam redegerint potestatem.* Crebrior mentio in nummis. Vaillantius tres promit cum nominibus quartumuirorum CLVNIA inscripti: Golzius autem habet signatum COL. CLVNIA: & alium MVN. CLVN. id est, *municipium Cluniense*. Hæc de sex vrbibus Plinii in Areuacis.

Ptolemæus addit *Numantiam* & *Velucam*. Nobilissima Numantia, *Hispaniæ decus*, vt Florus vocat, quod ex bello Numantino constat: quam licet deleuerint Romani Scipione Aemiliano duce; non tamen dubitandum est, quin post ea instaurata fuerit, quia non tantum Ptolemæus eam memorauit, sed Antoninus quoque, itinere ab Asturica Cæsaraugustam; qui etiam situm determinat, inter Vxamam & Turiasonem, interiectis tamen aliis. Durius præterfluit, vt Strabo dicit lib. III pag. 112, sed recens ille & fontibus suis propinquus. Florus Bello Numantino & situm & virtutem ita describit: *Sine muro, sine turribus modice edito in tumulo apud flumen Durium sita, quatuor millibus Celtiberorum, quadraginta millium exercitum per annos quatuordecim sola sustinuit; nec sustinuit modo, sed sæpius aliquando perculit, pudendisque fœderibus adfecit.* Quod instar Spartæ *sine muro* fuisse dicit, forte solus dicit, & Strabo dicto loco videtur *τὸ τεῖχος*, *murum* meminisse, sed obscuris ceteris: & Appianus *ἐπιτείχισμα*, sed ita dubie, vt, vrbisne fuerit an castrorum Scipionis, non facile diiudicetur. Paullus Orosius lib. V cap. VII explicatius proponit, quæ breuius superiores. *Numantia*, inquit, *haud procul a flumine Durio tria millia passuum in ambitu muri amplexabatur: quamuis aliqui adserant, eam & paruo situ, & sine muro fuisse. Vnde credibile est, quia hoc spatii cura alendorum custodiendorumque pecorum, vel etiam exercendi ruris commodo, quum bello premerentur, incluserint: ipsi arcem paruam, natura munitam obtinentes. Alioqui tantam paucitatem hominum tam amplum vrbis spatium non munire magis, quam prodere videbatur.* Commentarii loco possunt

possunt esse, quæ Ioannes Mariana lib. III ineunte tam de muro, quam de situ vrbis & vestigiis a se inspectis prodidit: *In extremo,* inquit, *Celtiberiæ ad septemtrionem angulo sita fuit, atque in Areuacis, quatuor amplius millibus supra Soriam ad Garai pontem, non procul ab ortu Durii fluminis eius vrbis vestigia monstrantur. Natura loci, quam arte munitior fuit, in cliuo posita molli quidem adscensu, aditu tamen difficili, quod, tribus ex partibus, montibus ambiatur, vno tantum latere in planiciem desinente, prouentu fertilem, & secundum Teram amnem duodecim millia, quousque in Durium proflait, protensa. Lacedæmoniorum instituto nec mœnibus munita erat, nec turribus circumvallata, & ad gregum pascendorum commoditatem regionibus aliquanto latior, quam vt perpetuo muro includi posset. Arce tantum munita erat, vnde lacessenti hosti repugnare soliti erant, in eamque fortunas omnes in belli discrimine conferre.* Præterea Ptolemæus etiam *Velucam* adiecit, quam Antoninus *Volucem* dixit, XXV M. P. a Numantia in occasum remota, eodem itinere, quod ab Asturica Cæsaraugustam per Cantabriam ferebat. Hæc de Areuacis, qui primo casu *Areuaci* & *Areuaca* appellantur, illo modo a Strabone & Plinio; hoc, a Ptolemæo.

Proximi Areuacis supra Numantiam erant *Pelendones,* quem populum vetus inscriptio apud Gruterum pag. III num. 5 littera duplici notat:

GENIO LOCI
PELLENDONES
AREACON.

Plinius & Ptolemæus scribunt L simplici. Ille [Plinius] lib. III cap. III vocat *Pelendones Celtiberorum:* & lib. IV cap. XX *Durius amnis ex maximis Hispaniæ, ortus in Pelendonibus, & iuxta Numantiam lapsus: dein per Areuacos Vaccæosque, disterminatis ab Asturia Vettonibus, a Lusitania Gallæcis, ibi quoque Turdulos a Bracaris arcens.* Ptolemæus tres vrbes illis tribuit, *Visontium, Augustobrigam,* & *Sauiam.* Idem *Visontium* paullisper deducit ab Augustobriga & Savia in austrum, *Sauiam* ab vtraque nonnihil in ortum: *Augustobriga* itinere Antonini ab Asturica Cæsaraugustam inter Numantiam & Turiasonem media locatur, ab illa XXIII; ab hac XV M. P. reducta. Plinius Numantiam in Pelendonibus scribit, quæ ceteris est in Areuacis.

Arc-

Areuacorum ab austro vicini *Carpetani,* Plinio *Carpetani ad Tagum* lib. III cap. III: Polybio lib. III cap XIV Καρπήσιοι, qui an iidem sint, qui Liuii *Carpesii* lib. XXIII cap. XXVI, dubitat Ludouicus Nonius in sua Hisp. cap. XLV. Regio *Carpetania:* maior gens, quam Pelendones, & pluribus oppidis exculta. Caput secundum Plinium *Toletum* est lib. III cap. III. Seruat nomen vrbs incluta ad Tagum, ideoque certæ sedis, etiam ex Antonino nota & Ptolemæo. Incolæ Plinio *Toletani,* & inscriptionibus. Adiacet *Complutum* Ptolemæi ac Antonini, quod nemo dubitat Alcalam de Henarez esse. ciues *Complutenses* Plinio dicto loco. Martyres eius Iustum & Pastorem laudat Prudentius hymno IV Peristeph. vers. 41

Sanguinem Iusti, cui Pastor hæret,
Ferculum duplex, geminumque donum,
Ferre Complutum gremio iuuabit
Membra duorum.

Inter Complutum & Toletum *Titulcia* Antonini, itinere ab Emerita Cæsaraugustam. Ad latus occiduum Compluti *Mantua* Ptolemæi, in loco fere vbi hodie regia Hispanorum Madrid: aut proxime eam in pago exiguo Villamanta, teste eodem Ludouico Nonio cap. LXXI. Durium versus *Ilurbida* & *Etelesta* fuerunt eiusdem Ptolemæi; qui Plinii *Egelestani* lib. III cap. III: Prope Tagum *Aebura* Liuii lib. XL cap. XXX & XXXIII, & Stephani Αἴβουρα ex Strabone: forsan eadem, quæ *Libora* Ptolemæi. Et Hippo Liuii in his oris fuit. Libro XXXIX enim, cap. XXX dicit, *Haud procul Hippone & Toleto vrbibus inter pabulatores pugna orta est.* Ergo hæ finitimæ vrbes fuerunt Hippo & Toletum. Celebratior *Contrebia* eiusdem Liuii lib. XL cap. XXXIII, quam & Velleius lib. II cap. V, Valerius Maximus lib. II cap. VII exempl. 10, & Florus lib. II cap. XVII memorauerunt. In limite Celtiberorum fuit, vti ex Liuio coniicitur. *Sauciis,* inquit, *in oppidum Aeburam deuectis, per Carpetaniam & Contrebiam ducta legiones. Ea vrbs obsessa, quum a Celtiberis auxilia arcessisset,* & reliqua. Videtur etiam in Valer. Maximi lib. V cap. I exemplo 5 pro Centobrica *Contrebia* legendum, quia eandem historiam Velleius & Florus dictis locis Contrebiæ tribuunt. Nec *Laminium* ignobile fuit, quod vltimum Ptolemæus in Carpetanis ponit. Situm dat Antonini Itinerarium VII

M. P. a capite Anæ, vnde per duas mansiones Toletum iter est. Idcirco Plinius lib. III cap. I dixit: *Ortus Anæ Laminitano agro citerioris Hispaniæ.* Idem cap. III *Laminitanos* ad Carthaginiensem conventum transcribit, quamlibet longius inde remotos; nec tamen hi vltimi, qui ius inde petebant. Inter Laminium & Toletum est *Consabrum* Antonini, qui Plinii sunt *Consaburenses* lib. III cap. III in conuentu, quem modo dixi, Carthaginiensi. Vetus inscriptio apud Gruterum pag. 402 num. 5: IIVIR. MVNIC. CONSABVRON. & alia pag. 909 num. 14

Q. DOMITIVS Q. F. MACER
CONSABVRENSIS
L. P. IN FRONT. XV IN
AGR. P. XX

Addit Ptolemæus *Ilarcurin*, obscurum oppidum, quod vero etiam Antonini itinere ab Emerita Cæsaraugustam, inter Sisaponem & Laminium inuenitur, vna littera truncatum *Larcuris.* Hæc quoque de Carpetanis, quos Polybius lib. III cap. XIV σχεδὸν ἰσχυρότατον ἔθνος τῶν κατ' ἐκείνους τοὺς τόπους, *totius illius tractus fere validissimam gentem* laudauit.

Carpetanos attingunt *Oretani* inter Anam & Bætin fere extensi, sed vtrumque fontibus propinquiorem. Nomen dat *Oretum*, Ὤρητον Γερμανῶν, *Oretum Germanorum* Ptolemæo: quæ & Ὠρία, *Oria* est, & regio *Oretania.* Strabo lib. III pag. 105, τῆς Ὠρητανίας κρατιστεύουσα ἐστὶ πόλις Κάστουλον, καὶ Ὠρία, *Oretaniæ princeps vrbs est Castulo, & Oria.* Dicitur etiam *Orisia.* Stephanus Byzantinus, Ὠρισία πόλις Ἰβηρίας. τὸ ἐθνικὸν, Ὠριτανός, *Orisia vrbs Hispaniæ: gentile, Oritanus.* Addit ex Artemidoro easdem vrbes, quas Strabo, *Orisiam* & *Castulonem,* nominibus leuiter prauatis, quæ restituimus. Tarapha *Oretum* Calatrauam interpretatur, de quo dubitat Ludouicus Nonius in Hispania cap. LXII. Celebrior *Castulo* ad Bætim amnem, bello Punico clarissima, patria Imilces, quæ vxor fuit Hannibalis, quod ex Liuii lib. XXIV cap. XLI clarum est. Silius Italicus lib. III vers. 391

Fulget præcipuis Parnassia Castulo signis:

Idem ante paullo vers. 97

Cirrhæi

Cirrhai sanguis Imilce
Castalii, cui materno de nomine dicta
Castulo, Phoebei seruat cognomina vatis.

Parnassia ideo & Castalia origo nominis, quia fingunt, Phocensium coloniam esse, de quo plura ad Silii locum notauimus. Siue vere ita fuit, siue fictum est a poetis; non tamen ratione caruit illa fictio, siue fama fuit & opinio. Nam, vt Ludouicus Nonius cap. LXIV tradit, mons vrbis biuertex est, ut Parnassus: ab vno latere tenuis scaturigo, non impar Castalio fonti: etiam numismata ibi reperta, quæ alatum Pegasum referebant. Sed lusum ita esse, vera nominis origo, a Bocharto tradita, ostendit, quippe a crepidine fluuii (Arab. קשטלרן) deriuat, & ex Strabone confirmat, qui Bætim ad hanc vrbem propter *ῥάχεις ὀρῶν rupes amni imminentes,* negat esse nauigabilem. Vrbs valida fuit & municipium. Vetus inscriptio apud eundem Nonium: SACERDOTI MVNICIPII CHASTVLONENSIS. Plinius lib. III cap. III de conuentu Carthaginiensi: *ex colonia Salariensi oppidani Latii veteris Castulonenses, qui Cæsari Venales appellantur.* Ex hoc Harduinus reprehendit Ptolemæum, qui duo diuersa Oretanorum oppida Salariam & Castulonem fecerit. Mox enim in Bastulis sequetur *Salaria,* ex qua colonia videntur quidam Castulonenses deducti. Adsitus *Castulonensis saltus* a Liuio non semel memoratus. Lib. XXVI cap. XX *supra Castulonensem saltum:* & lib. XXVII cap. XX, *quum Scipio saltu Castulonensi excessisset.* Mariano monti cohærere inde a Corduba huc procurrenti, supra dictum est.

In ortum paullo a Castulone recedit *Mentissa* Liuii. Lib. XXVI cap. XVII *Is locus inter oppida Illiturgim & Mentissam,* locus scilicet castrorum Asdrubalis. Ptolemæi est *Μέντισα.* Plinio *Mentesani qui & Oritani,* distincti a *Mentesanis* Bastulis. Ergo & *Mentesa* scribitur. Recte. nam sic etiam veteri inscriptione apud Gruterum pag. 384 num. 2

D. M. S
CALPHVRNIAE L. F. SCVNDVRAE
HVIC ORDO MENTESAN. FVN
DVM PATRIAE PVB. OB MER.
DEDER.

A Mentesa non longe *Tugiensis saltus* distat, ab oppido *Tugia* dictus, in quo

in quo fontes sunt Bætis fluuii. Plinius lib. III cap. I *Bætis in Tarraconensis prouinciæ, non vt aliqui dixere, Mentesa oppido, sed Tugiensi exoriens saltu.* Oppidi *Tugiæ* meminit Antoninus itinere a Castulone Malacam, XXXV M. P. a Castulone distantis. Vltra erat *Ilorci*, hodie Llorca vel Lorqui, ad *Tuderem* fluuium. Plinius dicto loco: *Iuxta quem* (Tugiensem saltum) *Tader fluuius, qui Carthaginiensem agrum rigat, Ilorci refugit Scipionis rogum, versusque in occasum Oceanum Atlanticum, prouinciam adoptans, petit.* Ob flexum illum, quidam in Bæticam transsumunt.

Eodem tractu quamquam incerto loco, in Oretanis fuit *Biatia* Ptolemæi, qui sunt *Viatienses* Plinii. In Thesauro Brandenburgico nummus est, inscriptus BIATE, quem huc refert nobilissimus vir Laurentius Beger pag. 522, secus ac clari viri Io. Harduinus & Iacobus Wildius ad Messeniam, in qua fluuius eius nominis est, reducunt. Ignota sunt Ptolemæi *Ceruaria, Bergula, Lacuris, Lusparia*, quæ idcirco prætermittenda censemus. In septemtrionem & ad Anæ fontes reuertimur, vbi oppida Ptolemæi sunt *Libisoca, Aemiliana, Salica, & Merobriga*, omnia in Oretanis recensita. Λιβισώκα, *Libisoca* Ptolemæi, est *Libisosa* Antonini, itinere a Laminio Cæsaraugustam, distans ab Anæ capite VII M. P. Eadem Plinii est *Libisosona*, quod vt plenius est vocabulum, ita quod genuinum oppidi nomen sit, non difficulter inuenitur. Vetus inscriptio apud Gruterum pag. 260 num. 3 imperatori Marco Antonino sacra, COLONIA LIBISOSANORVM plenis litteris exscriptum habet. *Libisosanus* autem ex media forma, quæ Antonini Itinerarii erat, est deductum, ideoque illa præferenda: Ptolemaica autem emendanda, quia κ in locum σ manifesto errore irrepsit. Situs iam ante ex Itinerario remonstratus est. *Aemiliana* (puto *Castra* subaudiri) a Ptolemæo in occasum versus ponuntur a Libisosa, quæ prope fontes Anæ erat: *Salica* inter vtrumque oppidum in austrum declinat. De *Merobriga* autem, siue *Mirobriga*, vt Palatinus præfert, vereor, ne illarum vna sit, in Lusitania quæ describuntur: aut si diversa est, nominum æqualitate dubitatur, vbi quæque sita fuerit, & quæ ex multis sit illustrior, cui antiquæ inscriptiones & aliæ laudes possint accommodari. Tales sunt quæ partim supra sunt productæ pag. 76: ORD. MEROBRIG. & quam Gruterus pag. 257 num. 2 commendat MIROBRICENSIVM MVNIC. dicato Aelio Adriano Antonino. Et de Oretanis hactenus.

Nunc *Olcades,* alium populum, accedimus, a Polybio, Liuio, Stephanoque Byzantio commendatos. Sed de his quoque quod dubitemus non deest, quum ne id quidem certo sciamus, ex quo latere Oretanis aut Carpetanis appositi fuerint. Liuius lib. XXI cap. V de Hannibale: *In Olcadum fines prius (vltra Iberum ea gens, in parte magis quam in ditione Carthaginiensium erat) induxit exercitum, vt non petisse Saguntinos, sed rerum serie finitimis domitis iungendoque tractus ad id bellum videri posset.* Victi ab Hannibale, Carpetanes concitant, eisque contra communes hostes se coniungunt. Polybius eandem historiam texens lib. III cap. XIII seq. primum Ὀλκάδων ἔθνος *Olcadum gentem,* dein Vaccæos, & postea omnes vltra Iberum populos adgressum Hannibalem, Carthaginiensium potestati subiecisse tradit, vt omnibus in ditionem redactis, soli Saguntini restarent, bellorum nexu ex finitimis subiugandi. Nihil ex his de sede certa cognosci potest. Nec plus addit Stephanus ille vrbium & populorum descriptor, quam ex Polybio, ad quem prouocat, ἔθνος Ἰβήρων, τῶν ἐντὸς Ἴβηρος τοῦ ποταμοῦ, *gentem esse Hispanorum, qui intra Iberum habitent.* Quum vero primariam eorum vrbem exponit, quam *Althaam* Polybius vocat, ex quo Liuius dicto loco corrigendus est, in quo *Carteia* legitur; Olcades πλησιοχώρους Καρχηδόνος, *finitimos Carthagini Noua* esse pronuntiat. Sic ab austro essent Oretanis adiiciendi. At peritissimi rerum Hispanicarum Aelius Antoninus Nebrissensis, & Io. Mariana, quem Ludouicus Nonius in sua Hispania cap. XLVII sequitur, *Althaam* in regno Toletano ponit prope vrbem *Ocanna* hodie dictam, decem circiter leucis a Toleto in ortum remotam. Nec id alienum a Liuii descriptione est, quæ magis in media Hispania, quam in ora eius videtur Olcades locare. Præter Althæam autem de Olcadibus nihil memoriæ est proditum.

Expositis his nationibus quæ principi genti *Celtiberis* a tergo sunt, id est ab occasu solis; ad ipsam Celtiberiam explicandam adgredimur. Supra autem diximus, non ab omnibus eosdem limites Celtiberiæ constitui, sed pro potentia gentis & felicitate nunc amplioribus extendi, nunc includi post Romanum bellum angustioribus, quos in præsenti etiam, vti a Ptolemæo definiti sunt, persequemur. Caput Celtiberiæ, vt Plinius dixit lib. III cap. III, est Segobriga, quæ vt ex Strabone pag. 112 & Ptolemæo apparet, haud longe

longe illinc a Numantia fuit, hinc a Bilbilitano oppido. Nec vero Hispani in situ consentiunt, aliis aliam respicientibus. Nummi & inscriptiones an huc pertineant, incertum [illegible] est, Vaillantio falsum; quia hæc vrbs, quamlibet clara gentis suæ & magna, tamen ab Romanis, haud dubie gentis odio propter diuturnum bellum in stipendiariis relicta sit, quibus ius monetæ cudendæ permissum nunquam fuerit. Plinius enim lib. III cap. III in Carthaginiensi conuentu: *Stipendiariorum autem celeberrimi, Alabanenses, Bastitani, Consaburenses, Dianenses, Egelestani, Ilorcitani, Laminitani, Mentesani, qui & Oritani, Mentesani qui & Bastuli, Oretani qui & Germani cognominantur; caputque Celtiberia Segobrigenses.* Ex dissensione autem de loco Segobricæ duas Segobricas Io. Vaillantius ad nummum Tiberii, quo SEGOBRICA in querna scriptum est, distinguit, alteram Plinii stipendiariam, de qua diximus: alteram incerto loco, veteris Latii iure donatam. *Segobriga,* inquit, *vrbs gemina Hispaniæ Tarraconensis, altera in Valentino regno ad Turulim fluvium: altera in regno Castellæ ad montis Orospedæ radices & Duratonam fluuium: hæc Sepulueda quibusdam: illa Cabbezza del Griego, aliis Segorue. Sed quæ Celtiberorum vrbs, immo ipsorum caput a Plinio lib.* III *cap.* III *dicitur; & a Strabone lib.* III, *& a Ptolemæo lib.* II *cap.* VI *Numantiæ proxima ponitur. - - - - - De vtrisque Segobrigæ situ ambigitur, & non parua inter recentiores de ipsa contentio.* In dubiis itaque res, dum certiora inuenientur, relinquenda est, tantum hoc addito, vrbem Segorue in Valentino esse ad flumen Mouedre; Cabezza del Griego vicum in Castella Noua.

In Celtiberiæ oppidis, quæ certiora sunt est *Turiaso* vel *Turiasso*, Ptolemæo Τυριασσώ: Plinio *Turiasonenses* in Cæsaraugustano conuentu. Augusti nummus, MVN. in querna, supra quam TVRIASO: & Tiberii, MVN. TVR. DIVVS AVGVSTVS, hoc est, *municipium Turiaso.* Situs certus, quia hodieque superest, nomine non penitus abdicato, Tarazona, vt constanter Hispani tradunt, & Antonini Itinerarium confirmat, itinere ab Asturica Cæsaraugustam. Nobilis, ferri gloria, quam aquæ suæ debet, perinde ac Bilbilis, quas idcirco Plinius lib. XXXIV cap. XIV æquauit. Celebratior tamen *Bilbilis*, alumni ingenio, Martialis poetæ, illustrata. Hic lib. X epigrammate CIII

„Iuni-

Municipes, Augusta mihi quos Bilbilis acri
Monte creat, rapidus quem Salo cingit aquis.

Cognomen *Augustæ* [illegible]m in nummis est Tiberii: M. AVGVSTA BILBILIS TI. CAESARE III, id est, *municipium Bilbilis Tiberio Cæsare tertium consule.* Et alio eiusdem: M. AVGVSTA BILBILIS TI. CAESARE V. L. AELIO SEIANO. Iterum Martialis eiusdem libri epigrammate vltimo ad librum suum:

Et cursu facili, [illegible]isque ventis
Hispanæ pete Tarraconis arces.
Illinc te rota tollet, & citatus
Albam Bilbilin, & tuum Salonem
Quinto forsitan essedo videbis.

Flumen igitur, quo ferrum temperatur, ille *Salo*, qui præterfluit; inde etiam *Bilbilis* dictus ab Iustino lib. XLIV cap. III. *Nec vllum*, inquit, *apud eos telum probatur, quod non aut Bilbili fluuio, aut Chalybe tinguatur.* Eundem enim Salonem & Bilbilim esse censet etiam Hieronymus Paullus, Barcinonensis de Flum. Hisp. Nec gloriam illam ex fodinis habet. Plinius dicto lib. XXXIV cap. XIV de ferri differentia: *Summa differentia in aqua* est, *cui subinde candens immergitur. Hæc alibi atque alibi vtilior nobilitauit loca gloria ferri, sicut Bilbilin in Hispania & Turiasonem, Comum in Italia, quum ferraria metalla in his locis non sint.* Quanta autem ferri Bilbilitani siue chalybis præstantia fuerit, idem lib. IV epigram. LV prædicauit:

Nostræ nomina duriora terræ
Grato non pudeat referre versu:
Sæuo Bilbilin optimam metallo,
Quæ vincit Chalybasque Noricosque.

Inde absunt XXIV M.P. in occasum solis *Aquæ Bilbilitanæ*, Antonini itinere ab Emerita Cæsaraugustam, quæ, vt solent huius nominis, ægrotantibus salutares sunt; quum ipsa *Bilbilis* a Cæsaraugusta distet M.P. LI. Circa Bilbilim sunt itidem ex Itinerario nota oppida *Balsio*, XX M.P. a Turiasone, quod videtur *Belsinum* Ptolemæi esse, si per numeros eius licet: *Nertobriga* Ptolemæi eiusdem & Antonini, nisi forsan *Nergobriga* legendum est. nam Appianus in Ibericis sæpe habet Νεργόβεργες, quam vetustam lectionem esse, ex Suida constat, qui, in μετεωροπαθεῖν eodem modo Appiani verba pag. 475 ed. Toll. refert: Νεργόβεργες δ' αὐτοῦ περὶ τῆς μετεωροπαθείας πυθο-

πυθόμενοι. *Nergobriges, cognita Marcelli moderatione*, ac reliqua. Quod vero Itinerarium Ptolemæo consentit, nihil mutandum in nomine censemus. Vrbem non mediocrem fuisse, ex Appiani historia apparet. A Bilbili aberat XXI M. P. Cæsaraugustam versus, quod ex Antonini itineribus ab Emerita Cæsaraugustam est perspicuum. Hodie *Ricla* censetur esse, media inter Bilbilim & Calonis ostium, quod etiam Io. Franciscus Andreas de Patria S. Laurentii approbauit. *Arcobriga* autem, itidem Ptolemæi, recedit a Bilbili Complutum versus, quod ex Itinerario liquet, quo hoc ordine posita oppida sunt, itineribus ab Emerita Cæsaraugustam:

Complutum	— —	
Arriacam	M. P.	XXII
Cesatam	M. P.	XXIIII
Segontiam	M. P.	XXVI
Arcobrigam	M. P.	XXIII
Aquas Bilbilitanorum	M. P.	XVI
Bilbilim	M. P.	XXIIII.

Ex quibus etiam *Cesatam* intelligimus quo loco sita fuerit, quam Ptolemæus Κέσαδαν, siue vt in Palatino est, Καίσαδαν, *Cesadam* vel *Cæsadam* appellat. Nobilior *Valeria* Celtiberorum, Ptolemæi; Plinii *Valerienses*, lib. III cap. III, qui in coloniis recenset: Ortelius cognomen *Iuliæ* addit, nescio ex quo nummo. Quem quod diligentissimi viri Harduinus & Vaillantius ignorant, error haud dubie est, & ex notiore nummo legendum COL. IVLIA VALENTIA, itidem in citeriori Hispania, quam postea perlustrabimus. Sita erat Valeria, Vasæi opinione, ad fontes *Sucronis*, vt ipsa vrbs Cuença sit: vel quod Morales mavult, septem inde leucis reducta ad eundem amnem. Supra hanc *Parietinæ* Antonini, itinere a Laminio Cæsaraugustam, XXII M. P. a Libisosa. Nobilis præ ceteris *Ergauica* Celtiberum, diuersa ab Ergauica Vasconum, de qua supra dictum est. Vtramque Ptolemæus distincte posuit, vt gente, ita & situ diuersam. Augusti nummus MVN. ERGAVICA. Et alius Tiberii, ERGAVICA. Inscriptio vetus apud Gruterum pag. 382 num. 9

M. CALP. M. F
LVPO FLAM. P. H. C
EX CONVEN
CAESAR. ERCAVIC.

hoc est, *Marco Calpurnio, Marci filio, Lupo flamini prouinciæ Hispaniæ citerioris, ex conuentu Cæsaraugustano, Ercauicensi,* per C loco G. Et Plinius in Cæsaraugustano conuentu *Ergauicenses* lib. III cap. III scripsit. Quibus inducti, minus dubitamus, quin apud Liuium quoque lib. XL cap. L *Ergauica* scribendum sit, non *Ergauia,* quia *nobilem & potentem ciuitatem* vocat, quod Ergauicæ potius, quam obscuræ Vasconum *Ergauiæ,* tribuendum videtur, quod etiam Carolo Sigonio, viro doctissimo, visum fuit. Situm Hispani in loco *Alcannis,* septem leucis a Dertosa in occasum æstiuum, adnotant. Vide Ortelium & Holstenium in *Ergauica.* Cetera Ptolemæi in Celtiberia, *Candabora, Bursada, Laxta, Alaba, Libona, Vrcesa, Mediolum, Attacum,* cum per se obscura, tum ignotæ etiam positionis omnia, prætermittuntur, quibus addimus *Segedam* Appiani in Bellorum confinio, quæ Morali *Segestica* Liuii est lib. XXXIV cap. XVII: & eiusdem *Certimam* lib. XL cap. XLVII; *Tutiam* Flori & Plutarchi in Sertorio.

Celtiberorum finitimi erant ad Iberum *Edetani* siue *Hedetani,* qui Strabonis Σιδητανοὶ, *Sidetani* sunt lib. III pag. 112, & Liuii *Sedetani* lib. XXVIII cap. XXIV; item lib. XXIX cap. II, & lib. XXXIV cap. XX, nisi obstabit forte, quod vbique Liuius cum populis cis Iberum sitis coniungit. Sed tamen etiam summus vir Petrus de Marca lib. II cap. VII sect. 3 ita censet, *Edetanos a Strabone & Liuio Sedetanos dici, perspicuum manifestumque esse.* Regio *Edetania* Plinio lib. III cap. III dicta. *Sucro fluuius,* inquit, *& quondam oppidum, Contestaniæ finis. Regio Edetania, amœno prætendente se stagno ad Celtiberos recedens.* Eadem Appiani Σηδητανία, *Sedetania* pag. 507. Fines ergo ex maritima parte ponit Plinius a Sucrone ad Iberum fere; in aliis ad ipsum flumen. A Sucrone etiam Silius eos deducit lib. III vers. 371:

Hos inter clara thoracis luce nitebat
Sedetana cohors, quam Sucro rigentibus vndis,
Atque altrix celsa mittebat Sætabis arce.

Strabo dicto libro pag. 108 *Aeletanos* omnes vocat, qui a Carthagine vsque Iberum habitabant, sub quibus tam Edetanos, quam Contestanos & Ilercaones comprehendit. Sidetanos autem suos, siue Sede-

Sedetanos Strabo a Carthagine ad Sucronem ducit, nulla Contestanorum habita mentione, quos numquam memorauit. Hæc longitudo Editaniæ: latitudo secundum Ptolemæum est a Cæsaraugusta vsque Saguntum. Nunc vrbes & oppida singula perlustramus.

Caput Edetanorum *Cæsaraugusta* est, Ibero adiacens colonia, antea dicta *Salduba*. Sic enim Plinius dicto loco: *Cæsaraugusta colonia immunis; amne Ibero adfusa, vbi oppidum antea vocabatur Salduba, regionis Edetaniæ, recipit populos* CLII, id est, tot populi ius ab ea petunt, quia conuentum habuit iuridicum. Ptolemæus diuise Καισάρεια Αὐγοῦστα *Cæsarea Augusta*: Strabo pag. 104 coniuncte ἡ περὶ τοὺς Κελτίβηρας Καισαραυγοῦστα, *Cæsaraugusta apud Celtiberos*, quorum fines attingebat. Atque sic vulgo Latini, vt Plinius, quem modo cognouimus, & Mela lib. II cap. VI, *Vrbium de mediterraneis in Tarraconensi clarissimæ fuerunt Pallantia & Numantia: nunc est Cæsaraugusta*. Sic etiam multis locis Antonini Itinerarium. Possis dubitare, an primis coloniæ temporibus composito vocabulo nominata fuerit. In nummis enim huius vrbis, quotquot descriptos vidimus, diremtio est conspicua. Plurimi notis tantum signant C. C. A. hoc est, *colonia Cæsarea Augusta*: multi, CAESAR. AVGVSTA incisionis puncto interiecto: quidam CAES. AVGVSTA, quod vtrumque legendum est *Cæsarea Augusta*. Vide Vaillantii Nummos Augustorum in Coloniis & Municipiis. Vnde suspicari possis, mediam formam CAESAR. AVGVSTAM, eiecto puncto, ita coaluisse. Tamen poetæ compositionem iuuant, qui neglectæ aut expulsæ interpunctionis non possunt accusari. Prudentius hymno IV Peristeph. de Cæsaraugustanis Martyribus:

Tu decem sanctos reuehes & octo,
Cæsaraugusta studiosa Christi,
Verticem flauis oleis reuincta
Pacis honore.

Etiam inscriptio Gruteri pag. 324 num. 12, si recte descripta est, aliquid adferre potest:

POSTVMIAE MARCELLINAE
EX CAESARAVG. KARENSI

hoc est, illustri interprete Petro de Marca lib. II cap. X num. 5 *Postumiæ origine Carensi ex conuentu Cæsaraugustano*. Plinii Carenses

ſes ſunt lib. III cap. III. in eodem conuentu. *Cares* oppidum quatuor leucis a Pompelone in meridiem, nunc Puente de la Reyna. Hæc de nomine, quod vna auctorem vrbis ſeu amplificatorem commendat: nobilitatem ſupra Pomponius commendauit: de ſitu eius, quia ſuperſtes eſt, nemo dubitat.

Circumiacent coloniam, *Segontia* Antonini a XVI M. P Bilbilim verſus: *Belia*, Βέλεια Ptolemæi, vnde Plinii *Belitani* videntur dicti lib. III cap. III, niſi cum Thoma Reineſio, magni iudicii viro, lib. I var. Lect. cap. XXV *Bilbilitanos* velis legere. quod non improbabile videtur, quia de Plinio non credi poteſt, in recenſione Hiſpaniæ, & conuentus Cæſarauguſtani, Bilbilim, tam clarum municipium, prætermiſiſſe, qui minora etiam perſequutus eſt. Adiacebat etiam *Leonica* eiusdem Ptolemæi, in occaſum paullo recedens. Plinio Latinorum veterum *Leonicenſes*. In Golzii nummo MVN. LEONICA. A Leonica auſtrum verſus retracta *Etouiſſa*, quam quidam ex male diſpuncto Liuii loco lib. XXI cap. XXII flumini Ibero apponunt, quum longius inde in occaſum, Ptolemæo auctore, quorum conſoriat hiſtoricus recte diſpenſatus, reducenda ſit. Liuii verba ſunt: *Ab Gadibus Carthaginem ad hiberna exercitus rediit. atque inde profectus præter Etouiſſam vrbem, ad Iberum maritimamque oram ducit.* Ptolemæus in Edetanis ſcribit Ἠτόβημα, *Etobema*, ſed dudum a ſummis ingeniis obſeruatum eſt, Ἠτόβησα legendum, idemque oppidum eſſe *Etobeſam* & *Etouiſſam*. Vide Sigonium ad Liuium, & P. de Marca lib. II cap. VII extr. Mare verſus Ptolemæus ponit *Edetam*, quæ & *Leria* dicta fuerit; Ἤδητα ἢ καὶ Λείρια; vnde nomen Edetanorum eſt ſiue Hedetanorum: & ſub ea, ſiue propius mare *Saguntum*, fida Romanis ciuitas, ſita paſſus mille ferme a mari, vt Liuius notauit lib. XXI cap. VII; aut tribus millibus, vt Plinius; cuius iniuſta oppugnatione ſecundum Punicum bellum Hannibal accendit, poſt octo annos Pœnis erepta (Liv. lib. XXIV cap. XLII) & ciuium Romanorum facta oppidum. Plinius ſæpe dicto lib. III cap. III, *Valentia colonia* III M. *paſſuum a mari remota: flumen Turium: & tantumdem a mari Saguntum, ciuium Romanorum oppidum, fide nobile.* Maritimum ſitum etiam nummus Tiberii expreſſa triremi teſtatur, cui SAG. adſcriptum cum duumuirorum nominibus: & alius cimelii regii SAGVNT. itidem cum triremi, apud Harduinum. Scribitur *Saguntum* & *Saguntus*; illud Liuii,

Stra-

Strabonis, Plinii & Ptolemæi: hoc Melæ, Flori & inscriptionis antiquæ apud Gruterum pag. 499 num. 2 SAGVNTVS PATRONIS VI. Silius quoque lib. I vers. 502

Conclamant vtrimque acies, ceu tota Saguntos
Igne micet.

Vrbs antiquissima, vt etiam Hercules crederetur fundamenta iecisse. Ibidem vers. 505 Murrus Saguntinus precatur:

Conditor Alcide, cuius vestigia sacra
Incolimus, terræ minitantem auerte procellam.

Quod vero hoc nimis fabulosum, ad Zacynthios originem plerique referebant. Strabo lib. III pag. 110 Σάγουντον κτίσμα Ζακυνθίων, *Saguntum a Zacynthiis conditum.* Aucta ab Ardeatibus colonis Rutulorum. Idem Silius lib. I I vers. 603.

Armaque Dulichia proauis portata Zacyntho,
Et prisca aduectos Rutulorum ex vrbe penates.

Adde Liuium lib. XXI cap. VII. Gleba & argilla præstabat, vnde pocula laudatiora. Martialis lib. VII epigram. VI

Ficta Saguntino pocula malo luto.

Et lib. XIV epigram. CXIV

Sume Saguntino pocula ficta luto.

Superest ex Ptolemæi numero in Edetanis *Valentia*, III millibus passibus a mari secedens ad flumen *Turiam*, quæ hodieque nomen cum regio splendore seruat. Originem describit Liuii epitoma LV, *Iunius Brutus consul in Hispania iis, qui sub Viriato militauerant, agros oppidumque dedit, quod Valentia vocatum est.* Deleuit Sertoriano bello Pompeius, vt ipse ad senatum scribit in fragmentis Sallustianis, *Dux hostium C. Herennius cum vrbe Valentia & exercitu deleti.* Instaurata ab Iulio Cæsare. Nummus Augusti, quem Harduinus vidit: COL. IVL. VALENTIA. In ceteris, quos & Vaillantius exhibet, per notas & signa tantum est C. I. V. id est, *Colonia Iulia Valentia*, cum prætoria naue. Coloniam fuisse etiam Plinius testis est verbis supra in Sagunto productis. Non ergo Hieronymus Surita in Antonini Itinerar. pag. 549 audiendus est, qui Liuii locum de Valentia quadam Lusitaniæ, quæ nusquam fuit, interpretatur, quod hæc Edetanorum nimis longe a Viriato Lusitano afuerit, quasi is arma non per omnem Hispaniam circumtulerit. Adi Ludouicum Nonium in Hispan. cap. LXIX. Post *Sucro* est flumen,

Edetanorum finis, quem laxius, vt solent poetæ, Silius Italicus ponit, vt *Sætabin*, Xatiua, Sedetana cohorte sua comprehendat, de qua supra dictum abunde est. Si ad Sucronem *Sætabis*, quod censet Nonius, excusatior est poeta Silius, dum in Edetanis eos scribit, qui adiacent illorum termino. *Sucro* autem, oppidum ad ostium amnis, quod prætermisit Ptolemæus, ex Strabone addendum est. Is enim lib. III pag. 109 Sucroni fluuio πόλιν ὁμώνυμον, *vrbem cognominem* iuxta ostium statuit, cuius etiam Liuius meminit lib. XXVIII cap. XXVI & cap. XXIX extremo, quia seditio militum, quam Scipio sedauit, cœpta apud Sucronem vrbem erat. Plinius verbis supra editis, *Sucro fluuius & quondam oppidum.* Ergo excisum fuit ipsius & Ptolemæi temporibus. Reliqua Edetanorum, quæ Ptolemæus dat, *Ebora, Damiana, Larissa,* obscuriora sunt: *Osicerdam* in Ilercaonibus referemus: *Dianium* in Contestanis.

Ab occasu Edetanos attingebant *Lobetani,* quorum *Lobetum* Λώβητον fuit, Ptolemæi: & supra hos *Lusones,* Λούσωνες Strabonis lib. III pag. 112, συνάπτοντες τοῖς τοῦ Τάγου πηγαῖς, qui ad Tagi fontes pertingunt: de quorum oppidis nihil certi notum est: & pars *Turdetanorum,* finitimi Saguntinorum, qui contraxerant eis cum Carthaginiensibus bellum, controuersiam fingentes, Hannibale instigante, ferenteque auxilium. Quam ob caussam postmodo Romani *Turdetanorum vrbem,* cuius nomen non memoratur, deleuerunt. Hæc Liuius lib. XXI cap. VI, & lib. XXIV cap. XLII. Hanc Turdetanorum vrbem Hispani censent *Teruel* supra fontes Turiæ esse. Nunc quæ in maritima ora sunt a Bæticæ limite ad amnem Iberum, persequemur.

Primi, ex Bætica reliqui, sunt *Bastitani,* quibus ad mare Ptolemæus solum Οὔρκη, *Vrce* dat; longum vero in mediterranea excursum, in quo sunt *Acci,* Ἄκκι, in Bæticæ confinio colonia, ex plurium Hispanorum consensu nunc Guadix in regno Granatensi. Plinius lib. III cap. III in Carthaginiensi conuentu: *Ex colonia Accitana Gemellenses.* Scilicet ciues coloniæ *Gemellenses* vocantur. Inscriptio vetus apud Marianam & Gruterum pag. 271 num. 6 COL. IVL. GEM. ACCITANA, id est, *Colonia Iulia Gemella Accitana.* Id nummi confirmant, Augusti COL. ACCI. LEG. VI id est, *Colonia Accitana legionis sextæ:* & Tiberii, C. I. G. ACCI. L. III, siue *Colonia Iulia Gemella Accitana legionis tertiæ:* qui conlati inter

se,

se, ostendunt rationem, cur *Gemella* illa colonia appelletur, videlicet, quod ex duabus legionibus, VI & III, colonos accepit. Post hunc *Vergilia,* Ptolemæi Ὀυεργιλία, Plinii *Virgilienses.* Sed etiam inscriptio in Gruteri opere pag. 324 num. 5 VERGILIENSes, per E. Quidam Hispani, etiam Harduinus, in loco Murciæ, regiæ vrbis, ponunt: Ludouicus Nonius autem cum aliis Murciam *Menlariam* Ptolemæi in Contestanis sitam interpretatur. *Orcelis* proxima est Ptolemæi, Hispanorum nunc iudicio Origuella supra Murciam, ad *Seguram* fluuium: an eadem *Ocilis* Appiani, non liquet. *Bigerram* autem Ptolemæi etiam Liuius laudauit lib. XXIV cap. XLI, sociam Romanorum ciuitatem, ideo oppugnatam a Carthaginiensibus, liberatam a Scipione. Situs eius parum certus. Clusio videtur Villena esse inter Murciam & Valentiam fere media. *Turbula* Ptolemæi, forsan *Turba* Liuii est lib. XXXIII cap. XLIV, ad quam Q. Minucius aduersus duos imperatores Hispanos prospere pugnauit, alterum etiam viuum cepit. *Abula* quoque in Bastitanis his a Ptolemæo numeratur, quam perperam quidam Auilam putant esse, non ignobilem vrbem medio itinere inter Salmanticam & Madritum. Longius enim abest illa, quam vt huc reduci ad Bastitanos nostros possit. Forsan & ibidem eius nominis oppidum fuit, ex quo illa Auila fuit enata. Missis obscurioribus *Segisa, Arcilaci, Illuno, Bergula, Saltiga,* & aliis, de *Salaria* aliquid addimus, quam fere extremam Bastitanorum Ptolemæus collocauit. Posuit idem *Salariam* in Oretanis inter Tagum & Anam supra Castulonem, vt vereri subeat, ne eadem vrbs, quod non insolens Ptolemæo, bis posita ab illo fuerit. quamuis nec ignotum sit, salinis Hispaniam abundare. Hispani Cazorlam suam in loco illo tradunt esse; alii inde in occasum reductam, tribus leucis supra Vbedam a septemtrione ponunt, & de illa inscriptionem interpretantur COL. IVL. AVG. SALARIENSIS, quæ tamen ad Oretanos referri poscit, quia Plinius cum Castulone, vt eandem fere, coniunxit lib. III cap. III, in Carthaginiensi conuentu Salariensem coloniam ita recensens: *ex colonia Salariense oppidani veteris Latii Castulonenses.* Sic Frobenius, Harduinus, alii ediderunt. Sed satis de Bastitanis prouinciæ Tarraconensis, qui nomen a *Basti* oppido habent, prætermisso a Ptolemæo: Plinius autem ciues *Bastitanos* habet, & Antonini Itinerarium *Basti,* inter Carthaginem & Acci, itinere a Tarracone Castulonem.

lonem. Bastitanos excipiunt *Contestani.* In ora, cui Strabonis *Spartarius campus* prætenditur est *Carthago Noua* in sinu Virgitano, hodie Golfo de Cartagena, excurrenti paruo sinui apposita, vrbs noua & primaria Carthaginiensium in Hispania, ab Asdrubale condita, eo qui Barcæ, Hannibalis patri, successit; vt Strabo notauit p. 109; a Scipione expugnata, cuius situs & dignitas accurate a Liuio lib. XXVI cap. XLII describuntur. Antonini Itinerario differentiæ caussa *Carthago Spartaria* cognominatur, a campis, quos modo Strabo a sparti prouentu ita vocari tradit. Conseruarunt Romani dignitatem eius colonia in eam deducta, & conuentu iurisdictionis, ubi LXV populi disceptabant, quod Plinius dicto loco narravit; & iure concesso cudendi monetam. Nummus Augusti C. I. N. C. EX. D. D. & alius C. I. N. C. hoc est, *Colonia Iulia Noua Carthago, ex decreto decurionum.* Proxima in littore *Alone* Pomponii Melæ, Ἀλωναὶ Ptolemæi, quam vulgo Alicantam credunt esse, sed falso, quia Alone a salinis nomen habet, quales nullæ ad Alicantam sunt, de quo Isaacus Vossius ad Melam pag. 192 consulatur. Hanc sequitur *Lucentum* Plinii, *Lucenti,* Λουκεντοὶ Ptolemæi, *Lucentia* Melæ, quæ verius Alicante emporium est, consonante ipso nomine, articulum more Arabum præferente. Latinorum ciuitas fuit, siue iure Latii donata, vt Plinius memorauit. His *Portus Illicitanus* Ptolemæi (*Illicitatus* corrupte scribitur) interponendus est. Ipse geographus in hac ora turbat omnia, ob id merito a doctis viris castigatus; vt ex illo locum & ordinem non licebat designare. Vossius dicto loco inter Carthaginem & Alonem locat. Quod vero Elche, quam plurimi dicunt *Illicem* esse, vnde sinui nomen & portui; haud procul emporio Alicante est, saltem ex regione illius; Illicitanorum portum inter Lucentum & Alonem fuisse lubentius crediderim, si per Antoninum liceret, quia ipse Vossius Alonam dicit in loco Guardamar esse ad ostium *Taderis* fluuii, nunc Segura dicti. Antoninus quidem itinere a Tarracone Castulonem vnam mansionem ponit inter Ilicim & Carthaginem Spartariam, sed spatio satis longo LII M. P. vt ab eo in tantis anfractibus maris nihil nostræ sententiæ metuendum sit. Accedit quod Guardamar, *Alone,* cis Seguram siue Taderem est, in dextera ripa ostii: Elche, id est *Ilice,* longe trans fluuium. Mediterraneis Contestanorum Ptolemæus dat *Illiciadem,* quæ Plinio *Illici,* Melæ *Illice* est, hodie Elche, vt iam

vt iam diximus. Hinc & a portu illorum Sinui Illicitano apud Plinium & Melam nomen est, qui hodie Golfo d'Alicante vocatur. Plinius sæpe dicto lib. III cap. III *colonia immunis Illici,* quod confirmant nummi Augusti & Tiberii C. I. IL. A. id est, *colonia immunis Illice Augusta.* Paullus autem Lege VIII de Censibus: *Emeritenses iuris Italici sunt. Idem ius Valentini & Licitani habent.* Licitani errore scribarum manifesto pro Ilicitani siue *Illicitani.* Succedit in Ptolemæi Contestanis *Setabis* oppidum, prope Sucronem amnem in edito loco, quod Silius lib. III vers. 373 probat:

> - - - - *celsa mittebat Setabis arce,*
> *Setabis & telas Arabum spreuisse superba,*
> *Et Pelusiaco filum componere lino.*

Linificio & subtilibus textis operam hæc ciuitas dabat, vnde *sudaria Setaba* Catullo epigrammate XXV dicta, cuius rei caussa fuit in lini præstantia ibi nati. Plinius lib. XIX cap. I *a Setabi tertia in Europa lino palma.* Idem lib. III cap. III honorifico cognomine, Sætabitani, qui Augustani. Strabo E simplici Σέταβις scripsit. Sed præstat diphthongus, quia in nummis SAETABIS teste Antonio Augustino. Multi Xatiua interpretantur, quod oppidum paullo reductum a Sucrone est: Ludouicus Nonius autem cap. LXVIII dicit collem eius adlui a Sucrone. nisi fortassis ille latior, aut ex ruinis illius Xatiua in loco paullisper remoto ab amne resurrexit. *Dianium* Ptolemæus in Edetanis falso scripsit, quia trans Sucronem est, illorum terminatorem amnem. Contestanis ergo restituimus, quorum reuera fuit. Hispanorum consensione est Denia in ora maris. Dicitur etiam *Hemeroscopium,* a specula in promontorio. Strabo pag. 109 γνωριμώτατον τὸ Ἡμεροσκοπεῖον, ἔχον ἐπὶ τῇ ἄκρᾳ τῆς Ἐφεσίας Ἀρτέμιδος ἱερὸν σφόδρα τιμώμενον, *Celeberrimum est Hemeroscopium, habens in promontorio Ephesiæ Dianæ templum valde religiosum,* a quo *Dianium* vt idem Strabo obseruat, appellatur, Sertorii ὁρμητήριον κατὰ θάλασσαν, *arx belli ad res mari gerendas.* Cicero in Verrem VII cap. LIX *Ostendito illos cum Sertorio fuisse: a Dianio fugientes ad Siciliam esse delatos.* Plinius loco sæpissime indicato: *Dianium stipendiarium.* Alterum nomen, quod Strabonis erat, Festus Auienus Latine expressit

- - - - - Hemeroscopium quoque
Habita pridem heic ciuitas, nunc iam solum
Vacuum incolarum languido stagno madet.

Inter Edetanos & Iberum in ora sunt *Ilercaones*, qui etiam aliquantum vltra amnem extenduntur. Liuius lib. XXII cap. XXI *agrum Ilercaonensium* illum tractum dixit, quæ Plinio lib. III cap. III est *Ilergaonum regio*. Cæsari lib. I Civ. B. cap. LX *Illurgauonenses*. In ora cis flumen Edetaniam versus Ptolemæus *Tenebrium promontorium* & *portum* habet: intus obscuriora *Adebam* & *Theam* [illegible] nobiliorem *Biscargim*, cuius sunt Plinii *Bisgargitani* lib. III cap. III, & nummus Golzii MVN. BISCARGIS. Ptolemæus in dextra ripa aliquanto longius a mari reduxit, cui doctissimi viri adsentiuntur, ad radices Idubedæ montis Morellam, quæ nunc est, in eius locum substituentes, a qua non procul *Sigarra* fuit, vt ex nomine, quod ibidem superesse fertur, Hispani quidam coniiciunt. His addimus *Ildum* & *Intibili* ex Itinerario Antonini, quæ quamuis longius ab Illiturgi absint, non dubitamus tamen, quin alterum sit Liuii *Incibili* lib. XXIII extremo. *Illiturgi*, inquit, *obsidione liberato ad Incibili oppugnandum Punici exercitus traducti*. Frontinus autem lib. II cap. III ineunte *Indibile* scripsit *oppidum*, ad quod Hannonem Scipio obliqua acie in fugam compulit, Hispanos in deditionem accepit. Distantia a Dertosa XXVII M. P. apud Antoninum, ostendit hodie esse oppidum San Mattheo in publica illa via situm. Vide sæpe laudati Petri de Marca lib. II cap. VIII num. 7. Clarior his *Osigerda*, quam frustra Ptolemæus in Edetanis posuit, quum propior ostiis sit Iberi, vt non possit in Ilercaonensem agrum non incidere. Plinio in tractu illo sunt *Ossigerdenses*, conuentus Cæsaraugustani. Tiberii nummus: MVN. OSICERDA. Et Barcinonensem inscriptionem apud Gruterum pag. 321

PORCIAE [illegible]. F.
MATERNAE
O. SACER. DESI. P. H. C.

Vir summus quem modo laudauimus P. de Marca legit *Porciæ Maternæ Osicerdensi*. Huius, & doctissimi cuiusque Hispani sententia, est hodie Xerta dicta prope Dertosam interfluente Ibero. De Liuii opulentissima vrbe *Ibera*, lib. XXIII cap. XXVIII, a propinquo flumine appellata, quam transito amne Romani oppugnatum ibant,

ibant, nihil compertum habemus: neque de ea ὁ πάνυ de Marca adfert, quam vt probet, non esse Dertosam, vt falso quidam suspicati fuerant.

Trans flumen Ptolemæus duas insignes vrbes Ilercaonibus adscribit Dertosam & Carthaginem Veterem. *Dertosa* vt nobilissima, ita haud dubie caput Ilercaoniæ fuit, quæ nomen seruat, vt de situ non liceat dubitare. Nummus Tiberii M. H. I. ILLERGAVONIA DERT. qui iudicio peritissimi antiquitatum viri Ezechielis Spanhemii pag. 766 legatur *Municipium Hibera Iulia Illergauonia Dertosa*, quod cognomen ideo inditum P. de Marca censet, quia caput fuerit gentis Ilercaonum. Non ergo virum clarissimum Io. Vaillant sectari in hac caussa possumus, qui ex eodem nummo nouam vrbem *Illergauoniam*, ad vtramque ripam Iberi positam, diuersamque ab Dertosa, vult ædificare, neque DERT. inscriptionis *Dertosa* legit, sed Dertosanorum. cuius opinionis nullum præsidium in antiquitate est, atque inualidum quo confidit, quod hæc municipium appelletur: Dertosa alibi colonia. nam sæpe eadem vrbs municipium & colonia dicta, vt supra exemplis cognouimus, & in Golzii alio Tiberiano nummo MVN. DERTOSA expressum est, vt dubitare possis de Augusti nummo C. I. A. D inscripto, quem Vaillantius *colonia Iulia Augusta Dertosa* legit; Harduinus autem ad Dertonam refert Liguriæ. Transitus heic Iberi erat, quod a Strabone proditum: & maris commercium, quod nauis in priore nummo, *Illergauonia Dertosa* præscripto, significat. Altera vrbs nomine, quam historia & monimentis nobilior *Carthago Vetus* est, Καρχηδὼν παλαιά, a nemine præter Ptolemæum, memorata, cuius numeri haud longe a ripa sinistra Iberi, cis Sicoris tamen confluentem cadunt: alii longius producunt ad Villam Francam, quæ prope Barcinonem est. Ortelius *Pœnorum* cognomen addit, ex Plinii verbis lib. III cap. III *Colonia Tarraco Scipionum opus, sicut Carthago Pœnorum*; quæ etiam Harduini est sententia. At malim credere principes vrbes a Plinio comparari, ab Romanis ita Tarraconem conditam, vt caput rerum gerendarum in Hispania esset; quemadmodum Carthaginem Nouam in illum vsum condiderint Pœni ad sinum Virgitanum. Atque ita Plinii verba Solinus quoque interpretatus est cap. XXIII de Hispania ita sublegens: *Carthaginem apud Iberos, quæ mox colonia facta est, Pœni condiderunt; Tarraconem Scipiones: ideo*

est caput prouinciæ Tarraconensis. Aeque deceptus est Ortelius, vir cetera diligentissimus, quum Ciceronem Agrar. I cap. II eius Carthaginis Veteris meminisse prodit. Verba oratoris sunt: *Agros in Hispania apud Carthaginem Nouam duorum Scipionum eximia virtute possessos; tum vero ipsam veterem Carthaginem vendunt.* Verum ipse in Agrar. II cap. XIX sui interpres, quam veterem Carthaginem intellexerit, Africanam scilicet, non Hispaniensem, exponit. *Agros,* inquit, *in Hispania propter Carthaginem nouam, & in Africa ipsam veterem Carthaginem vendit.* Plura non habemus, quæ de hac Ptolemæi Carthagine adferamus. Superest eiusdem *Tiariulia,* a qua Plinio sunt *Teari, qui Iulienses,* quæ nisi *Traia Capita* Antonini sunt, inter Tarraconem & Dertosam sita, vt Hieronymus Surita ad illum auctorem suspicatus est, vix erit, vt in certo loco possimus constituere.

Transito sic amne Ibero, quæ inter illum & Pyrenæum restant, explicamus. Ab illo maiore fluuio Pyrenæum versus, vsque ad *Rubicatum* amnem, nunc dictum Lobregat, sunt *Cositani,* Ptolemæo Κοσιτανοὶ, *Cosetani*; Plinii *regio Cossetania.* Inscriptio vetus apud Gruterum pag. 499 num. 10, TARRAC. VRBS COSITANORVM. Scribitur enim per I & E, *Cositani* & *Cosetani,* & secundum Plinium *Cossetani,* sibilo geminato. In his *Tarraco* a Ptolemæo locatur, & in prædicta inscriptione. Tarraco nempe opus Scipionum fratrum, Cnei & Publii, colonia, etiam iuridico conuentu XLIII populorum ornata, secundum Plinium, & caput Hispaniæ Romanæ, non quidem insigni portu prædita, quod Strabo obseruavit, percommoda tamen Romanis, siue terra siue mari in Hispaniam euntibus. Paullinus Nolanus carm. X verf. 232 & situm & dignitatem describit breuissime,

Et capite insigni despectans Tarraco pontum.

Multi nummi eius gloriam commendant. Caii & Lucii Cæsarum, C. V. T. C. L. CAES. AVG. F. hoc est: *Colonia victrix Tarraco, Caius & Lucius Cæsares, Augusti filii.* Et alius Tiberii, C. V. TI. CAES. Et iterum alius cum Augusti consecratione AVGVSTO DEO, in postica C. V. T. T. AETERNITATIS AVGVSTAE, id est, *Colonia victrix togata Tarraco.* Victricis cognomen solemne vrbibus de Iulio Cæsare bene meritis, a quo colonia videtur deducta. Scipiones enim tantum ædificiis ornarunt, quorum temporibus nullæ

colo-

coloniæ extra Italiam erant, vti ex Velleii Paterculi lib. I cap. XV liquet. Hinc *Iuliæ* augustum cognomen inuenitur additum inscriptione Tarraconensi apud Gruterum pag. III num. 3

GENIO COL. I. V. T. TARRAC.

id est, *Iuliæ victricis togatæ Tarraconensis.* Heic desinunt Cosetani Harduino: Petro de Marca lib. II cap. XI sect. 2 ad Rubricatum vsque pertingunt, ad cuius ripam ostio coniunctam *Subur* fuit, a Mela in paruis oppidis, quæ iuxta Tarraconem erant lib. II cap. VI numeratum. Plinius reducere a mari videtur sæpissime dicto loco: *Regio Ilergetum, oppidum Subur, flumen Rubricatum.* Ptolemæus autem Σοῦβουρ in Læetanorum maritimis ponit. Ciues *Suburitani* dicti. Inscriptio ad Tarraconem eruta apud Gruter. p. 414

L. FVRIO L. F.
FAVENTINO
SVBVRITANI
PVBLICE.

Quo Thomas Reinesius Class. VI inscr. 84 refert ex Hispanico lapide PLEBS. C. I. P. S. quod interpretatur, *Plebs coloniæ Iuliæ Paternæ Suburitanæ.* Cosetanorum pars *Suessitani* erant, ab Liuio sæpe commemorati, a mari ad interiora recedentes. Virum ingenio non minus quam dignitate illustrem P. de Marca, vt sæpe a nobis laudatum, ita numquam laudandum satis, de Suessitanis audiamus lib. II de Marca Hisp. cap. IX erudite disserentem: *Non dubito,* inquit, *quin populos Cosetanos, vel potius aliquam eorum partem, existimare debeamus eosdem esse, qui apud Liuium Suessetani. Hi socii populi Romani quum essent, cohortes suas exercitu Romano adiunxerunt ad expugnandum Vergium castellum Lacetanorum, qui e vicino Suessetanorum agros depopulati fuerant. Nulli alteri genti, præter Cosetanam & Ilergetum competit hæc agrorum vicinia cum Lacetanis. Quare omissis Ilergetibus, quæ ibidem* [lib. XXXIV cap. XX] *a Liuio commemorantur; reliqui sunt Cosetani, quorum pars aliqua Suessetania olim dicta fuit.* Nec *Vergium* tantum castellum iis erat, cap. XXI ineunte; sed *oppidum* etiam *longum, in latitudinem haudquaquam tantumdem patens* cap. XX, quod an idem & *Corbio* fuerit, certe non habemus dicere. Lib. XXXIX cap. XLII de Corbione: *A. Terentius in Suessetanis oppidum Corbionem vineis & operibus expugnauit, capti-*

vos vendidit. Alii oppidum illud longum Solſonam ex ſitu interpretantur.

A Rubricato fluuio Pyrenæum verſus incipiunt *Laletani*, vt Plinius vocat, Ptolemæo corrupte *Laetani.* Fines ſunt vsque ad *Blandam* oppidum. Ceterum *Laletanos* recte hanc gentem dici, probat Martialis verſus lib. I epigrammate L

Aprica repetes Tarraconis litora,
Tuamque Laletaniam.

Caput gentis *Barcino*, correpta media. Auſonius epiſt. XXIV ad Paullinum verſ. 89

Tarraco, & oſtrifero ſuperaddita Barcino ponto.

Mela in minoribus ſcribit. At iam olim inſignis colonia fuit, licet minor quam Tarraco. Plinius lib. III cap. III *In ora colonia Barcino, cognomine Fauentia.* Idem confirmat Galbæ nummus apud Golzium COL. BARCINO FAVENTIA. Ornamenta etiam a Flauiis accepiſſe videtur, inſcriptione teſte, ſi diis placet, in Gruteri Opere pag. 429 num. 5.

COL. I. V. T. TARRACON.
ET COL. FLAV. P. BARC

quod vero eadem pagina iterum iterumque, hoc eſt ſexies ſignificatur COL. F. I. A. P. BARC. id eſt, *colonia Fauentia, Iulia, Augusta, Pia Barcino*, litteras FLAV. ita emendat & in ordinem reſtituit felix ille antiquitatis indagator Petrus de Marca, vt F. I. A. P ex aliis inſcriptionibus & ibidem legat, perperam ab imperito deſcriptore, qui pro vna voce habebat, quum nihil ſonaret, mutata in FLAV. quæ vox notior ipſi & conſuetior videbatur. Harduinus autem vulgari opinioni inſiſtit, & vtrobique legit *Flauia*, quaſi ad Flauiæ gentis imperatores pertineat. Barcinoni proxima in maris ora eſt Plinii *Batulo*, ſiue *Betulo*; Melæ *Batullo*, nunc Badalona. Scribitur dubie per AE & E in lapidibus, quos Petrus de Marca exſcriptos ſic exhibet:

DEIS MANIBVS
C. PICARII C. F. PVB. NOVATI
HVIC ORDO BETVLON. LOCVM
SEPVLTVRAE EIVS IMPENSA
FVNERIS PVBLICA ET OMNES
HONORIS DEDIT.

Et

Et alius lapis apud eundem Tranquillinæ Gordiani sacer:

SABINIAE TRANQVILLINAE
SANCTISSIMAE AVG. CON
IVGI D. N. M. ANTONINI
GORDIANI PII FELICIS AVG.
ORDO BAETVLONENS. DE
VOTISSIMVS NVMINI MA
IESTATIQVE EORVM.

Ptolemæus nullum heic oppidum habet, populum autem Βαιτȣλῶν, *Bætulorum* memorat, vt oppidum excidisse videatur. Caue vero hanc *Bætulonem* confundas cum *Bæcula* Ptolemæi, quæ mox sequetur; aut *Betula* Liuii lib. XXVII cap. XVIII, quæ in ora Bæticæ est, & nonnullis eadem videtur, quæ Βαίκυλα Stephani, & *Obucula* Hirtii ac Ptolemæi. Tandem *Blandæ* Plinii in hac gente erant, siue *Blanda*, singulariter, Ptolemæi, hodie Blanes. Ciuium Romanorum fuit æque vt *Bætulo* & *Iluro*, Plinio auctore, quod postremum oppidum varie scribitur, *Eluro* Melæ, *Iluro* Plinio, & praue Διλȣρῶν, *Diluro*, Ptolemæo. Inter Blandam & Bætulonem est prope Ptolemæi *Lunarium* promontorium. Hactenus ora Laletaniæ. Intus *Rubricatum* oppidum solius Ptolemæi, fluuio, a quo nomen est, adfusum. Doctissimis viris videtur Aulesa, quæ nunc est, in eius loco esse. In quo tractu & *Egara* municipium fuit, cuius nemo geographorum mentionem fecit: inscriptiones autem duæ, ibidem loci repertæ, non sinunt ignorari: quas Puiadesius descripsit, & ex illo Petri Marcani diligentia repetiit. Altera Antonino Pio dicata habet MVNICI.... F. EGARA: alteram vxor marito posuit

Q. GRANIO Q. FIL. GAL.
OPTATO IIVIR
EGARA. TRIBVNO
MILITVM.

Locorum periti censent ibi fuisse, vbi nunc Terracia siue Terrassa est, in ortum paullo recedens ab Aulesa. In valle illa Tarraciensi sunt aquæ calidæ, qui *Aquicaldenses* Plinii, olim magni pretii, & publicum balneum, cuius ruinæ de nobili & Romanis digna structura testantur.

Indi-

Indigetes sequuntur post Laletanos, quorum fines a Blanda vsque Ceruariam in Gallico limite. Plinius dicto loco: *Rubricatum: a quo Laletani & Indigetes.* Straboni Ινδικῆται: Ptolemæo Ενδιγέται. *Batullo* fluuius Melæ, est *Sambroca* Ptolemæi; *Alba* Plinii, postea Tezerus dictus, nunc vulgo *Ter,* inter Blandam & Emporias decurrens. *Scalæ Hannibalis,* quas Mela ponit, non in maritimis, sed in iugis sunt quærendæ. *Emporiæ,* Straboni δίπολις, *gemina vrbs,* muro diuisa, quo modo etiam Liuius descripsit lib. XXXIV cap. IX de Catonis maioris siue censorii expeditione. *Iam tunc Emporiæ,* inquit, *duo oppida erant, muro diuisa, vnum Græci habebant a Phocæa; vnde & Massilienses oriundi: alterum Hispani. sed Græcum oppidum, in mare expositum, totum orbem muri minus quadringentis passus patentem habebat: Hispanis retractior a mari trium millium passuum in circuitu murus erat. Tertium genus Romani coloni a diuo Cæsare post deuictos Pompeii liberos adiecti.* Et Plinius veteres & Græcos incolas Phocæensium sobolem appellat. Silius quoque Italicus lib. III vers. 369

Phocaicæ dant Emporiæ, dat Tarraco pubem.

At Strabo lib. III pag. 110 vocat Μασσαλιωτῶν κτίσμα, *opus Massiliensium,* quod repetitum a Stephano, qui cum Scylace vrbem non pluraliter, sed Εμπόριον; & Strabo ac Polybius lib. III Εμπορεῖον vocarunt: Ptolemæus autem, vt Latini Ἐμπορίαι. Sed facilis in origine consensus, quia Massilienses quoque Phocæa oriundi: aut Massiliensium studio noua iuuentus fuit ex Phocæa Ioniæ aducta. Etiam ante aduentum Græcorum videtur oppidum cum *Indicæ* nomine ibidem fuisse. Stephanus Byzantinus vrbium enarrator: Ινδικὴ πόλις Ιβηρίας πλησίον Πυρήνης. τὸ ἐθνικὸν Ινδικῆται, *Indica vrbs Hispaniæ prope Pyrenæum. Gentile Indicitæ.* quod conuenit cum Strabonis Ινδικῆται, vt suspicari possis *Indigetum* gentem quam illo nomine significauit Strabo ab Indica oppido nomen habuisse. *Rhoda* hinc propior Pyrenæis, forte in Rhodi memoriam a Græcis Emporiensibus condita, quam *Ticer* Melæ, *Tichis* Plinii, ex Pyrenæis amnis adluit. Heic Cato cum in prouinciam iret, exposuit exercitum, vt Liuius lib. XXXIV cap. VIII iter eius descripsit. Nunc Roses nominatur. Incolæ non *Rhodii,* qui insulares sunt, sed *Rhodenses* dicti. Gruterus Inscript. pag. 404 num. 4 ex lapide ad Rhodam Hispaniæ exstante:

Q. EGNA-

Q. EGNATVLO Q. F. EQVO PVB. DON. AB
AELIO HADRIANO CAES. NERVAE TRAIA
NI F. RHODENSES OB PLVRIM. LIBERAL.
ET MVLTA IN REMP. S. BENEFAC.
EQVESTR. E MARMORE STATVAM
PRO AEDE MINERVAE
CONSTITVER.

Tandem *Iuncaria* eſt proxime Pyrenæum, nec Antoninus inter eam ac *Summum Pyrenæum* aliquid interpoſuit. Ibidem *Campus Iuncarius*, qui oppido nomen dedit. Strabo lib. III pag. 110 Ἐμποϱῖται χώϱαν τὴν μεσόγαιαν ἔχουσι τὴν μὲν ἀγαθὴν, τὴν δὲ σπαϱταϕόϱον - - - - καλοῦσι δὲ Ἰουγγάϱιον πεδίον, *Emporienſes mediterranea habent partim bona, partim iunciferacia. Vocant autem Iuncarium Campum.* Hodie vicus ibi eſt nomen retinens V M. P. a Summo Pyrenæo: ſed alium oportet eſſe a veteri Iuncaria, quia ſecundum Antonini Itinerarium & Tabulam Peutingerianam XVI M. P. ab illo vertice montis aberat, quæ diſtantia cadit potius in oppidum *Figueras* ſiue Ficaria, ſita in extremo Iuncarii campi meridiano, ſicut vicus eius nominis in campi borea extremitate, eo loco fere, quo eſt *Deciana* Ptolemæi & Peutingerianæ. Antoninus ab Iuncaria Barcinonem verſus ponit *Cinnianam* ignotam, deinde *Aquas Voconias*, hodie Caldes de Malauella.

Hæc de maritima ora, e qua in mediterraneam ingrediemur, ſi prius de *Pompeii Tropæis* aliquid adiecerimus. Lapidea monimenta erant victoriæ e bello Sertoriano, vere limes Hiſpaniæ atque Galliæ. Strabo lib. IV ſub initium de Narbonenſi: Ἐντεῦθεν ἡ παϱαλία παϱατείνει μέχϱι τοῦ ἱεϱοῦ τῆς Πυϱηναίας Ἀϕϱοδίτης. καὶ τοῦτο δ' ἐστὶν ὅϱιον ταύτης τε τῆς ὑπαϱχίας [illegible] τῆς Ἰβηϱικῆς. ἔνιοι δὲ τὸν τόπον, ἐν ᾧ ἐστὶ τὰ πομπηΐου τϱόπαια, ὅϱον [illegible] Ἰβηϱίας ἀποϕαίνουσι καὶ τῆς Κελτικῆς. *Hinc ora maritima protenditur vsque ad templum Veneris Pyrenææ, limitem huius prouinciæ atque Hiſpaniæ. Quidam vero eum locum in quo Pompeii Tropæa ſunt, Hiſpaniæ atque Galliæ terminum dicunt.* Idem lib. III non τϱόπαια, vt hoc loco, ſed bis terue ἀναθήματα τοῦ Πομπηΐου, a fixis ibi ſpoliis & honorariis appellat. In via publica fuerunt, vt ab omnibus conſpicerentur, qui iter per Pyrenen facerent. Strabo lib. III pag. 110, quum de Iuncario campo dixiſſet: *Quidam,* inquit, *extrema Pyrenes accolunt* μέχϱι τῶν

ἀναθημάτων τῦ Πομπηΐυ, δι' ὧν βαδίζουσιν εἰς τὴν ἔξω καλουμένην Ἰβηρίαν ἐκ τῆς Ἰταλίας, καὶ μάλιστα τὴν Βαιτικήν. αὕτη δ' ἡ ὁδὸς ποτὲ μὲν πλησιάζει τῇ θαλάττῃ, ποτὲ δ' ἀφέστηκε, καὶ μάλιστα ἐν τοῖς πρὸς ἑσπέραν μέρεσι, vsque ad Tropæa Pompeii: per quæ iter est ex Italia in vlteriorem Hispaniam, maxime Bæticam. Hoc iter aliquando appropinquat mari, aliquando recedit, maxime in occiduis partibus. Ex quibus intelligitur ad vtrumque viæ latus tropæa fuisse erecta, vt per media transiretur. Eorum etiam meminit Sallustius apud Seruium in Aeneid. XI verf. 6 de Pompeio dicens: *Deuictis Hispanis tropæa in Pyrenæis iugis constituit.* Plinius lib. III cap. III *Pompeius Magnus tropæis suis, quæ statuebat in Pyrenæo,* IↃCCCLXXVI *oppida ab Alpibus ad fines Hispaniæ vlterioris in ditionem a se redacta testatus est.* Quod repetitum est lib. VII cap. XXVI.

Post Indigetes in mediterraneis sunt *Ausetani* Plinii. Pars illorum *Castellani.* Duæ hæ gentes cingunt Cerretanos ex parte occidentali. Diuersi hi ab *Ausetanis* Liuii, qui ad Iberum erant. Castellanorum a Ptolemæo quatuor oppida recensentur, in quibus *Basi* deletum est: *Engosa* siue *Egosa* videtur esse Camprodon, id est Campus rotundus: *Bedesa* corruptum in Badesa, hodie S. Ioannes de las Badesas. *Besendunum* vero, siue *Beseldunum* est Besalu ad flumen *Clodianum.* Plinii autem *Ausetani* sunt *Authetani* Ptolemæi, quorum oppida fuerunt *Ausa,* vnde nomen *Ausetanorum;* medio æuo *Ausona* episcopalis, nunc Vicus Ausonensis (Vic de Osona, vulgo *Vich,* inter Gerundam & Manresam) a Ludouico Pio post euersionem Saracenicam mediocriter restitutus. Altera vrbs Ptolemæi est *Gerunda* ad *Sambrocam* fluuium, hodie Girona: vnde Plinii *Gerundenses,* veterum Latinorum in conuentu Tarraconensi: & C. MARIO - - - GERVN[illegible]SI in Tarraconensi lapide. Non amplam fuisse Prudentii ver[illegible]stendit* Peristeph. hymno IV num. 29

Parua Felicis decus exhibet
Artubus sanctis locuples Gerunda.

Tertia vrbs Ausetanorum apud Ptolemæum *Bæcula,* Βαικύλ[illegible], vnde *Bæculonenses* Plinii, in stipendiariis scripti, ideoque distinguendi a Bætulonensibus, qui ciuium erant Romanorum in eadem prouincia, in maritima ora Laletaniæ, de quibus paullo ante diximus. *Aquæ* quoque *Calidæ,* ὕδατα θερμὰ Ptolemæi in his mediterraneis, sunt ipsæ *Aquæ Voconiæ* Antonini: hodie Bagnolas, inter Gerundam

ab

ab austro & Clodianum flumen a septemtrione. *Gessorienses* Plinii etiam ad Ausetanos pertinuisse vero non absimile est.

Cum Ausetanis apud Plinium lib. III cap. III coniunguntur *Itani* & *Lacetani*: illi obscuri, & ab Harduino expuncti, tamquam vane repetiti ex superiore vocabulo; cuius consilii sui rationem reddit Emendatione XX; hi nobiliores, & ab Liuio etiam memorati lib. XXI cap. LX, qui situm non obscure significauit. *Quum*, inquit, *ab ostio Rhodani profectus, Pyrenaeosque montes circumuectus* [Scipio] *Emporiis appulisset classem, exposito ibi exercitu orsus a Lacetanis, omnem oram usque ad Iberum flumen partim renouandis societatibus, partim nouis instituendis Romanae ditionis fecit.* Hi sunt Ptolemaei *Iaccetani*, a cognominibus Strabonis, de quibus supra in Vasconia actum est, distincti. Oppida Ptolemaei in Lacetania, siue illius Iaccetania, de quibus coniici potest, sunt *Lissa*, excisa prope Manresam: *Vdura*, quae videtur Cordona esse: *Setelsis*, forte Solsona: *Telobis* in ripa Rubricati vlteriore, nunc Martorellum: *Bacasis*, hodie Manresa. *Scissum* autem Liuii lib. XXI cap. XX, siue *Cissum* potius, quia Polybii Κίσσα est lib. III cap. LXXVI, vbi primum Carthagienses a Scipione superati sunt; putatur esse Guissona. Quae omnia laudatissimus Petrus de Marca lib. II cap. XXIII latius persequutus est.

Amnis *Sicoris*, nunc Segre, diuidit *Ilergetes*, celebrem populum, a Lacetanis. Thucydides, quum ineunte lib. VI Sicanos Siciliae ἀπὸ τοῦ Σικανοῦ ποταμοῦ τοῦ ἐν Ἰβηρίᾳ, *a Sicano fluuio Hispaniae* deducit, haud dubie hunc *Sicorim* in animo habuit. Is nobilior ciuili bello factus per castra Caesaris & legatorum Pompeii, quae circa illum erant. Lucanus principio libri IV

> *Colle tumet modico, lenique excreuit in altum*
> *Pingue solum tumulo: super hunc fundata vetusta*
> *Surgit Ilerda manu: placidis praelabitur vndis*
> *Hesperios inter Sicoris non vltimus amnes,*
> *Saxeus ingenti quem pons amplectitur arcu,*
> *Hibernas passurus aquas.*

E quibus simul *Ilerdae* situm, principis vrbis Ilergetum, cognoscimus. Municipium fuit, quod nummus Augusti probat, MVN. ILERDA inscriptus. Plinius vero inter populos ciuium Romanorum recenset. In lapide apud Gruterum pag. 407 num. 6 ILERDEN-

DENSES. Infelix ciuitas plerisque bellis vtpote in aditu hostium ex Galliis irrumpentium opportuno loco posita: sæpe oppugnata, capta: aliquando etiam a Germanis sub Gallieno euersa, quod de illa Paullinus refert Carm. x ad Ausonium vers. 222

- - - - *Et deserta tuo legis oppida versu,*

- - - - - - - *collemque iacentis Ilerdæ.*

quale fatum Tarraconis etiam eodem tempore fuisse Eutropius lib. IX cap. VI, & significantius metaphrastes eius Pæanius verbo *κατασκάψαι* adnotauit. Instaurata, nunc Lerida vocatur. Ad populum inde redimus, qui *Ilergetes* & *Ilergetæ*, Ptolemæo Ἰλέργητες vocantur. Inscriptio antiqua apud Gruterum pag. 519 num. 9 VICTORIS CONTRA ILERGITAS. Aliud eorum oppidum *Octogesa* fuit, quod ita Cæsar Civ. B. lib. I cap. LXI describit: *Toto flumine Ibero naues conquirere, & Octogesam adduci iubet. Id erat oppidum positum ad Iberum, milliaque passuum a castris* [ad Ilerdam] *aberat* XX. Eo loco hodie Mequinensa est, ad confluentem Sicoris & Iberi. Medio æuo Octogesa corrupte *Ictosa* dicta, vt in Notitia Episcopatuum sub Gothis est. *Gallica Flauia,* Ptolemæi, videtur plurimis esse Fragua, ad Cingam fluuium, (qui Sicori prope confluentem miscetur) ex eodem ciuili bello notum. Cæsar dicto lib. I cap. XLVIII *Castra quum essent inter flumina duo, Sicorim & Cingam, spatio millium* XXX, *neutrum horum transiri poterat, necessarioque omnes his angustiis continebantur.* Lucanus lib. IV vers. 20

- - - - - - *camposque coercet*

Cinga rapax.

Præterea in Sicorim, ante Cingam, duo flumina infunduntur, ambo *Nucariæ* nomine, cognominibus distincta. Orientalior *Nucaria Palliarensis,* vulgo Noguera Pallaresa: occidentalior *Nucaria Ripacurtia,* vulgo Noguerra Ribagorçana. Cursus vtriusque a septemtrione in austrum, æquali inter se distantia. Inter Sicorim & Nucariam *Iesona* siue Iessona, vel *Aesona* fuit, quo loco multi Romanis litteris inscripti lapides inueniuntur: in quorum vno est

FVLVIO FILIO F. RESTITVTI

FILIO CATVLAE P. AESONENSI,

quod illustris vir P. de Marca interpretatur, *patria Aesonensi.* Nec minus antiquitatis studio clarus Iacobus Sponius Miscell. Erud. Antiq. pag. 188. hanc inscriptionem Romæ repertam adiecit

IESSO-

IESSONIA CN. F
PROCVLA
EX HISPANIA CITERIORE
IESSONENSIS ANN
XXIII H. S. E.
IVLIVS NATALIS VXORI
OPTIMAE DE SE MERITAE.

Ilergetes latius se diffuderunt, & in ipsam *Vescitaniam*, vbi originis eorum erat *Osca*, antiqua vrbs & diues. Quo Liuii *Oscense argentum* lib. XXXIV cap. XI, in triumpho M. Heluii prælatum, referunt. In nummis Tiberii & Germanici V. V. OSCA, quod in aliis Augusti & eiusdem Tiberii sic plenius expressum est, VRBS VIC. OSCA D. D, *Vrbs Victrix Osca, decreto decurionum.* Plinius in Cæsaraugustano conuentu: *Oscenses regionis Vescitaniæ.* Etenim Ilergetum diuersæ regiones erant, & vt *Ilerdenses, Surdaonum* ibidem dicuntur, ita *Oscenses Vescitaniæ.* Plutarchus in Sertorio pag. 575 πόλιν μεγάλην vocat, *vrbem magnam,* in qua Sertorius ludum Ἑλληνικῶν καὶ Ῥωμαϊκῶν μαθημάτων, *Græcarum Romanarumque litterarum* instituit, quibus nobilium pueri imbuerentur, quod præstat ad hanc vrbem Ilergetum referre, quam cum Mariana ad obscurissimam quamdam Bæticæ. Hodie Huesca est, non minus clara ciuitas. Hanc doctissimi viri in Velleii lib. II cap. XXX pro *Etosca* legunt, & Oscæ oppressum Sertorium volunt, inuito, quem adhuc ducem sequuti sumus, Petro de Marca, cui Velleii Etosca, locus cædis Sertorianæ, est Strabonis *Ileosca*, Ilerdæ vicina, quam ipse eadem pag. III ab *Osca* distinguit: & sicut acute Puteanus prauatum ἐτελεύτα νόσῳ, emendat ἐν Ὄσκῃ, ita hic ἐν Ἰλεόσκῃ mauult subrogari. Nihil definimus in tanta dissensione, quum vtrimque rationes sint minime pœnitendæ.

De *Celsa* non minor lis est, quam Strabo ad Iberum locat, lapideo ibi ponte coniunctum: Ptolemæus ad radices Pyrenæi, procul ab Ibero remouet. Vnde quidam duas *Celsas* citra Iberum fuisse existimant; alii deserentes Ptolemæum, vt sæpe falsum in Hispania, vnam & Ibero appositam Strabonis *Celsam* agnoscunt, quorum certior vtique sententia est, quia alterius nulla vestigia supersunt, neque ex historicis monimentis vlla vetera ostendi possunt; hæc, iuxta Iberum sita, in Xelsa nomen priscum nemine contradicente

 tuetur.

tuetur. Huic ergo nummos vindicari videmus Augusti & Tiberii C. V. I. CELSA signatos, id est, *Colonia Victrix Iulia Celsa*; & alium Hadriani, COL. V. IVL. quem Tristanus Calaguri dat; Harduinus itidem Celsæ, quod de Calaguritana colonia nihil apud antiquos scriptores inueniatur, Pliniusque, qui pro illo stare videbatur, leui interpunctione sit castigandus: *Cæsaraugusta - - - - - recipit populos* CLII. *Ex his ciuium Romanorum Belitanos*, [Bilbilitanos;] *Celsenses ex colonia: Calaguritanos, qui Nascici cognominantur: Ilerdenses, Surdaonum gentis, iuxta quos Sicoris fluuius: Oscensis regionis Vescitaniæ.*

Præterea Ptolemæus in Ilergetibus scribit *Bergidum* & *Bergusiam*. Hoc, *Bergium*, inter Oscam ponit & Nascicam Calagurim: quod quibusdam videtur *Vergium* esse; supra in Lacetanis ex Liuii lib. XXXIV cap. XXI expositum, nomine sane non abludente, forsan autem minus ferente situ. In Ripa Curtia videtur fuisse, aliis quidem Benauarri, aliis Rota, aut aliud inter Balbastro & Vrgelam situm oppidum. Mentio est etiam in antiqua inscriptione apud Gruterum pag. 478

C. VALESIO ALBINO
FLAMINI E BERGIDO

Bergusia denominat *Bergusios*, gentem Polybio, Liuio, & Stephano commemoratam. Situm Stephanus ostendit: Βαργύσιοι ἔθνος δυτικὸν πρὸς τῷ Ἴβηρι ποταμῷ: *Bargusii gens occidentalis ad Iberum fluuium.* nempe cis fluuium, aut ad sinistram eius ripam, quia Polybius de Hannibalis profectione in Italiam lib. III cap. XXXIV dicit, traiecto amne Ibero Ilergetes & Bargusios subegisse. Eadem Liuius lib. XXI cap. XXIII, *Iberum copias traiecit, - - - - Ilergetes inde, Bargusiosque, & Ausetanos subegit.* Horum ergo finitimos verisimile est fuisse. Quorum quod nulla posthæc est mentio facta, caputque Bergusiam in Ilergetibus scripsit Ptolemæus; videntur cum Ilergetibus vicinis suis coaluisse. Bergusiæ, dicit P. de Marca, nullum oppidorum, quæ supersunt, respondere quam Balbastro: & *Burtina* eiusdem Ptolemæi ac Antonini, quam, Suritæ iudicio, Almuderar. etenim XII M. P. *Bortina* ab Osca est, itinere a Cæsaraugusta Tarraconem. Vt vero diuersis locis Turdetani, & Celtici & Bastitani habitarunt: ita etiam *Bargusii* quidam trans Iberum ad mare videntur coluisse, quos Romani legati, Carthagine

thagine regressi, primum adierunt. Liuius lib. XXI cap. XIX *Legati Romani ab Carthagine, sicut his Romæ imperatum erat, in Hispaniam, vt adirent ciuitates, & in societatem pellicerent, aut auerterent a Pœnis, traiecerunt. Ad Bargusios primum venerunt, a quibus benigne excepti, quia tædebat imperii Punici, multos trans Iberum populos ob cupidinem nouæ fortunæ erexerunt.* Quo autem loco, aut cui populo intermixti fuerint, nostrum non est definire.

Alii a Bargusiis *Bergistani*, siue *Bergitani*, itidem cis Iberum populus, fuerunt, ab tergo videlicet Lacetanorum, siue in ortum solis ab illis habitantes. Liuius lib. XXXIV cap. XVI *Bergistanorum ciuitatis septem castella defecerunt.* Ciuitatis, id est societatis, reipublicæ. Vir eminens, quem toties laudauimus lib. II de Marca Hisp. cap. XXIII sect. 8 ita sedem illorum describit: *Lacetanos Bergitanis ad orientem: Ausetanis & Suessetanis ad meridiem & occidentem; Ilergetibus ad occidentem & septemtrionem concludemus.* Et sectione 7, *Ad montes Bergitanos est Vergium.* Vergium, inquam, de quo supra actum ex Liuio est.

Sic omnibus perlustratis, quæ Ilergetum fuerunt; tandem ad id quod præcipuum in iis, inuestigandum accedimus. Oppidum illud *Athanagia* est, caput gentis, Liuio auctore lib. XXI cap. LXI. *Excito,* inquit, *Scipione hibernis,* [Asdrubal] *toto cis Iberum rursus cedit agro. Scipio relictam ab auctore defectionis* [Asdrubale] *Ilergetum gentem, quum infesto exercitu inuasisset, compulsis omnibus Athanagiam, vrbem; quæ caput eius populi erat, circumsedit.* Vbi vero locorum fuit, in tam late patente populo? superatne an euersa est? Scipio sane non deleuit, sed in fidem recepit deditione. Taraphæ Tarraga videtur esse: pluribus Manresa. Sed hæc in Lacetanis sita, non in Ilergetibus. Aliorum missis opinionibus, Petro de Marca, summi iudicii viro, accedimus, qui lib. II de Marca Hisp. cap. XXVI rationibus omnibus circumspectis, quod nulla alia vrbs occurrit, quæ ob situs firmitatem, & sui amplitudinem, solique præstantiam caput Ilergetum dici potuerit, præter Ilerdam; ipsam hanc putat aliquando *Athanagiam* vocatam fuisse. Nomen Græcæ originis est, & quasi *Athanasiam,* id est, æternam vrbem significat. A Græcis ergo oportet impositum, aut prisco *Ilerdæ* nomini esse superadditum. Supra de *Sicano* fluuio, qui Sicoris sit, & de Sicanis ex Hispania in Siciliam delatis ex Thucydidis lib. VI ineunte prædiximus.

ximus. Caussam migrationis Dionysius Halicarnasseus aperit lib. I pag. 17 de Sicilia: Κατεῖχον αὐτὴν Σικανοὶ, γένος Ἰβηρικὸν, οὐ πολὺ πρότερον συνοικισάμενοι, Λίγυας φεύγοντες, *Sicani eam* [insulam] *tenebant, gens Hispanica, quæ pulsa ab Liguribus, paullo ante ibi habitare cœperat.* Hi vero Ligures non tam in Italia erant, quam trans Alpes in Gallia, *Salyes* dicti, & Massiliensibus Græcis permixti. Strabo lib. IV pag. 140 Καλοῦσι τοὺς Σάλυας οἱ μὲν παλαιοὶ τῶν Ἑλλήνων Λίγυας, καὶ τὴν χώραν, ἣν ἔχουσι, οἱ Μασσαλιῶται, Λιγυστικὴν, *Salyas veteres Græci appellant Ligures, & regionem, quam Massilienses tenent, Ligusticam.* Et gens illa Ligurum οἰκεῖ ἀναμὶξ τοῖς Ἕλλησι, *habitat permista Græcis.* Hinc Græcum nomen *Athanagiæ* a Liguribus in Hispania: quo postea deposito, vetus *Ilerdæ* rursus receptum fuit.

Ad Pyrenæum rursus & limitem Gallicanum procedimus. De Bergistanis hactenus, qui a tergo erant Lacetanorum. *Lacetania* autem (sic bene Sigonius emendat) *subiecta Pyrenæis montibus est,* censente Liuio lib. XXI cap. XXIII. Et apud Sallustium epistola Pompeii, loco quem supra attigimus, vbi vulgo *Laletaniam* legunt, Sigonius & alii Lacetaniam hoc modo substituunt: *Recepi Galliam, Pyrenæum, Lacetaniam,* videlicet regiones se proxime contingentes. Ab horum tergo *Bergistani* erant, ad quorum fines amnis *Clodianus* oritur, qui inter Emporias & Rhodam in mare decurrit, nunc Fluuià Hispanis dictus. Mela lib. II cap. VI *Deinde Ticer flumen ad Rhodam: Clodianum ad Emporias.* Quod probat & clarius proponit Ptolemæus in Indigetum descriptione hoc ordine seruato:

Ἐμπορεῖαι	*Emporiæ.*
Κλωδιανοῦ ποτ. ἐκβολαὶ	*Clodiani fl. ostia.*
Ῥώδη πόλις (ed. Ῥωδίπολις)	*Rhoda ciuitas.*
Μεθ' ἣν τὸ εἰρημένον Ἀφροδίσιον ἱερόν.	*Post quam Veneris templum.*

Hoc est *Veneris templum* in promontorio, quod Galliam ab Hispania diiungit, aliquando simpliciter *Venus Pyrenæa* appellatum. Plinius lib. III cap. III *Flumen Ticbis: ab eo Pyrenæa Venus in latere promontorii altero,* XI M. Sic P. de Marca emendat; vulgo lectum XL M passuum, quod nimis longum interuallum est. In sinistro promontorii latere in Galliam vergente, fuisse illud templum, ex Plinii verbis non obscure coniicitur. *Ticbis* amnis autem eidem est, qui Rhodam veterem præterfluebat. Strabo itidem hunc Galliæ

ter-

terminum ponit post principium libri quarti: Ἐντεῦθεν ἡ παραλία παρατείνει μέχρι τοῦ ἱεροῦ τῆς Πυρηναίας Ἀφροδίτης. καὶ τοῦτο δ' ἐστὶν ὅριον ταύτης τε ὑπαρχίας, καὶ τῆς Ἰβηρικῆς. *Hinc* [a Varo flumine] *ora maritima* [Galliæ Narbonensis] *protenditur vsque ad templum Veneris Pyrenææ, quod limes est huius prouinciæ atque Hispaniæ.* Mons etiam post paullo pag. 125 vocatur τὸ Ἀφροδίσιον, τὸ τῆς Πυρήνης ἄκρον, *Aphrodisium, quod est Pyrenæ promontorium.* Male hoc quidem cum *Portu Veneris*, qui inde retractior in septemtrionem est, confundunt. Pomponius Mela lib. II cap. V extremo: *Colonia Ruscino, vicus Eliberri magnæ quondam vrbis, & magnarum opum tenue vestigium. Tum inter Pyrenæi promontoria Portus Veneris insignis fano, & Ceruaria locus finis Galliæ.* Portus Veneris est post Caucoliberum, austrum versus, in Gallia inclusus duobus paruis promontoriis: vltra Ceruariam vero ex Gallia proficiscenti promontorium maius est, ex Pyrenæis procurrens, veteribus *Aphrodisium* a Veneris templo, quod habebat, dictum, nunc Crucianum, siue Cap. de Creus. Huius promontorii vertex, non ille portus, limitem Hispaniæ constituit, vt Ceruaria vltima Galliarum sit: sicut ex altera Pyrenæi parte ad Oceanum nunc fluuius Vidasso est, non memoratus ab antiquis, quibus finis Hispaniæ, vt apud Ptolemæum est, in Vasconum promontorio *Oeaso* siue *Oiarso*, iuxta oppidum eiusdem nominis: initium Galliæ Aturii fluuii ostia fuerunt, quo tempore Vidasso, vtpote ex boreali latere summi Pyrenæi ortus, secundum Petrum Marcanum in veteri Aquitania extra antiquæ Hispaniæ limitem in mare se exonerauit. Vide illius Marcam Hispan. lib. I cap. XIV.

Inter hos terminos & promontoria sub Pyrenæis hinc Vascones coluerunt: illinc Indigetes & Lacetani, quibus propius ad montes accedunt, aut intrant verius, & ex parte transeunt limitem *Cerretani* siue *Ceretani*. Plinius sæpe dicto cap. III libri III *Post eos* [Laletanos & Indigetes] *quo dicetur ordine, intus recedentes radice Pyrenæi, Ausetani, Lacetani, perque Pyrenæum Cerretani: dein Vascones.* Ibidem in Tarraconensi conuentu, illorum duo genera facit. *Cerretani*, inquit, *qui Iuliani cognominantur, & qui Augustani.* Iuliani ab ortu *Iulia Libyca*, quam solam Ptolemæus in suis Cerrœtanis (sic scripsit cum diphthongo) memorauit. An vero Augustani pariter ab vrbe *Augusta* nominantur? Ita censet Harduinus, sed quænam illa fuerit, non exponit. Nihil de ea geographi, &, vt

diximus, Ptolemæo sola Iulia in Cerretanis est: Strabo Iulianos non attingit, solis Augustanis contentus, sine tamen nomine. Dicit enim τὰ μέσα περιέχει καλῶς οἰκεῖσθαι δυναμένους αὐλῶνας. ἔχουσι δ' αὐτοὺς Κερρητανοὶ, τὸ πλέον τοῦ Ἰβηρικοῦ φύλου. *Media* [Pyrenæi] *convalles continent habitationibus opportunas. Tenent illas Cerretani maiori ex parte, Hispanicæ gentis.* Nullius oppidi mentionem facit: vnius Iuliæ Liuiæ Ptolemæus, quæ nunc exiguus locus ad Sicorim fontibus propinquum: at in vicino trans flumen vrbs recens enata Podium Ceretanum dictum, vulgo Puigcerda. Vt ergo vtrumque cognomen eluceat manifestius, ex Marca Hispanica laudatissimi Archiepiscopi pauca excerpemus. *Ceretani,* inquit lib. I cap. XII *comprehendebant frequentissimas valles tum comitatus hodierni Ceritaniæ, tum etiam Vrgellensis, Palliarensis, & Ripacurciensis, vsque ad Sobrarbium & Aynsam oppida, Iaccæ contermina. Veteres Ceretani, qui Iuliani dicti, non adeo late patebant; Augustanorum adiectio provinciam fecit ampliorem. - - - Iuliani sunt veteres Ceretani, qui Latii iure potiebantur. Istud vero videntur adsequuti beneficio Iulii Cæsaris. vnde eorum oppidum Iulia Liuia dictum. Illis aliquot populos vicinos adiunxit Augustus vsque ad limites Vasconum, quo Ceretaniam faceret ampliorem. Solemne enim erat huic principi, vt obseruat Dio Cassius, eas prouincias sua auctoritate augere & amplificare, quæ contractiores illi videbantur, eisque vicinos populos adiiciebat, qui in vnum corpus coalescerent.* Et post paullo sectione III, *Iuxta genuinum Strabonis sensum Ceretani, qui ex instituto Augusti valles omnes complectebantur, expansas vsque ad Vasconum limites, maiore sui parte inter Hispanas gentes accensebantur. Quod manifeste significat, partem superiorem Ceretanorum, vbi est Liuia & Podium Ceretanum cum vicinis pagis, id est integrum fere comitatum Cerdaniæ ad Gallos pertinere.* Et sectione IV, *Ptolemæus, omisso instituto Augusti, solos Ceretanos Iulianos descripsit, recensens Augustanos inter Ilergetes; doletque Ceretanorum caput esse Iuliam Libycam. Rectius scribitur* LIBIA *siue* LIVIA, *de qua ita Iulianus Toletanus in expeditione Wambæ regis:* CASTRVM LTBIAE, QVOD EST CIRRITANIAE CAPVT. Silius etiam Italicus huius gentis meminit lib III vers. 357

Nec Cerretani, quondam Tirynthia castra.

Scilicet Herculem hac transiisse, & montibus nomen a Pyrene, regis

gis Bebrycum filia, quam amauerat, dedisse, fabulatur: alias de termino, quem montes faciant, recte iudicauit vers. 417

Pyrene celsa nimbosi verticis arce

Diuisos Celtis late prospectat Iberos:

qui montes quod ab Oceano ad mediterraneum mare pertingunt; idcirco Ausonius epist. XXIV ad Paullinum vers. 69 dixit

- - - *bimaris iuga ninguida Pyrenei,*

quæ iuxta vtrumque mare angustam viam transeuntibus præbent, ideoque *claustra* ab Orosio lib. VII cap. XL, & *clausura* Lege IV Cod. de Offic. mag. officior. & Lege II de Offic. præf. præt. per Afric. sect. 4 vocantur, quæ nomina ad medii æui geographiam potius, quam ad hanc nostram pertinent. Altera via iuxta internum mare, vtebantur Romani, & ante hos Hannibal vsus fuerat: altera, Aquitanica, posteriores barbaros & Francos ex Aquitania in Hispaniæ superiores partes irrupisse, alibi subnotabimus.

INSVLAE HISPANICAE.

In Oceano extra columnas est parua, sed celebratissimæ famæ insula *Gades*, pluratiuo numero, etiam singulariter *Gadis* apud Liuium lib. IV extremo, appellata, de cuius nomine, & origine, & incrementis aliquid supra diximus pag. 87, quia ita propinqua continenti est, vt cum ea cohærere videatur. Quæ restant dicenda de illa, breuissime adiiciemus. Nominibus insulæ addimus antiquum, quod ante deductam Tyriorum coloniam fuit, a Festo Auieno Descript. Orb. vers. 610 seqq. memoratum:

Gadir prima fretum solida supereminet arce

Attollitque caput geminis inserta columnis.

Hæc Cotinussa prius fuerat sub nomine prisco,

Tartessumque dehinc Tyrii dixere coloni.

Barbara quin etiam Gades hanc lingua frequentat,

Pœnus quippe locum Gadir vocat vndique septum

Aggere praducto.

Eadem fere Plinius tradit lib. IV extremo: *Maiorem* [insulam Gades respectu Erythiæ] *Timæus Cotinussam apud eos vocatam ait: nostri Tartesson appellant: Pœni Gadir, ita Punica lingua sepem significante.* Insula non multo longior est centum stadiis secundum Strabonem: latitudine autem admodum angusta, III fortasse M. P. vt ex Poly-

 bio

bio Plinius refert, in cuius occidua parte *Gades* sita, vrbs frequentissima, nec vero multi eam habitare videbantur, διὰ τὸ πάντας θαλαττεύειν τὸ πλέον, *quia omnes plerumque in mari mercaturam exercebant.* Equites sua ætate quingentos habuisse Strabo, cuius & superiora sunt, lib. III p. 116 notauit, quot nullius, vel Italicæ vrbis censi sunt, præter Patauinam. In ortum ab vrbe XII M. P. templum Herculis aberat, tanto scilicet interuallo, vt milliariorum numero labores Herculis significati fuerint, itidem Strabone obseruante pag. 117, quamuis is paullo longius illud spatium esse iudicet. Templum Herculis, quo Tyrios conditores suos Gaditani sunt imitati, summæ semper religionis fuit, vt Romani etiam voti caussa adirent, tradente Diodoro Siculo lib. V cap. XX, quod de Hannibale etiam memorauit Liuius lib. XXI cap. XXI. Plura de templo illo Silius lib. III sub initium. Insula *Erythia*, Ἐρύθεια, quam proximam veteres adiungunt Gadibus, vel demersa est, vel in scopulis quærenda, vel pars est ipsarum Gadium, neque hodie eius formæ aliqua, vti descripta est, fertur superesse. Hanc fabulosum Geryonem inhabitasse poetæ fingunt. Hesiodus Theogon. vers. 289,

Γηρυονῆα
Τὸν μὲν ἄρ' ἐξενάριξε βίη Ἡρακληείη
Βουσὶ παρ' εἰλιπόδεσσι, περιρρύτῳ εἰν Ἐρυθείῃ

Geryonem quem armis exuit vis Herculana boues apud flexipedes in insula Erythea. Eustathius vero ad Dionysii vers. 558 Geryonis Erythiam vbi in Atlantico mari reponat, plane dubius & incertus est.

Nec minus obscura res est *Cassiteridum* insularum, quas decem numero Strabo & Ptolemæus in occidentali Oceano post Nerium siue Artabrum promontorium Hispaniæ opponunt. Quod plumbo & stanno abundare scribuntur, in suspicionem venerunt qui Britannicas insulas minores (Sörlinges vocant) per errorem huc forsan retractas esse opinentur. Alii mitius de tantis geographis censent, freti consensu plurium, Melæ lib. III cap. VI, Plinii lib. IV cap. XXII & lib. VII cap. LVI, & in primis Diodori Siculi, qui lib. V cap. XXXVIII clarissime ait: ὑπεράνω τῆς τῶν Λυσιτανῶν χώρας ἐστὶ μέταλλα πολλὰ τοῦ κασσιτέρου, κατὰ τὰς προκειμένας τῆς Ἰβηρίας ἐν τῷ Ὠκεανῷ νησῖδας τὰς ἀπὸ τοῦ συμβεβηκότος Κασσιτερίδας ὠνομασμένας, *Supra Lusitanorum prouinciam multum stannei est metalli, in insulis videlicet Oceano obiacentibus, quas idcirco Cassiterides nuncupant.*

cupant. Malunt ergo incultas insulas cum scopulis quidam conquirere, vt numerum suppleant: non tamen stanni tantam copiam inueniunt, quantam inde exportatam fuisse veteres prodiderunt. Dionysius periegeta vers. 62 locat

ὑπ' ἄκρην
Ἱρὴν, ἣν ἐνέπουσι κάρην ἔμεν Εὐρώπης
Νήσους, θ' Ἑσπερίδας, τόθι κασσιτέροιο γενέθλη

sub promontorio sacro, quod dicunt caput Europa esse, insulas occidentales, vbi stannum gignitur. Adeo incerti veteres sunt, ex qua plaga Hispaniæ suas Cassiterides apponant. Ingenue ergo & caute Herodotus lib. III cap. CXV, οὔτε νήσους οἶδα Κασσιτερίδας ἐούσας, ἐκ τῶν ὁ κασσίτερος ἡμῖν φοιτᾷ, *Neque ego insulas noui Cassiterides, vnde stagnum nobis venit:* quæ circa Hispaniam nullæ sunt. Ptolemæus addit θεῶν νήσους δύο, *duas Deorum insulas*, quarum numerum, si eædem sunt, auxit Plinius lib. IV cap. XXII extremo. *Ex aduerso*, inquit, *Celtiberia complures sunt insulæ, Cassiterides dictæ Græcis a fertilitate plumbi: & e regione Arrotrebarum* (quod Celticum siue Nerium est) *promontorii, Deorum sex, quas aliqui Fortunatas appellauere.* Quod si *Fortunatas* intelligit, in Africa lib. IV, quo referre illas satius est, exponemus.

In mediterraneo mari, e regione Dianii, Strabo pag. 109 νησίδια paruas insulas, *Planesiam* & *Plumbariam* ponit. Tres vtique Strabo Planasias siue Planesias tradit, hanc Hispanicam, quam præter illum, nemo veterum quantum constat, agnoscit: & Gallicam ante Massiliense litus: & denique Italicam, notissimam Romanis, Etruriæ obiacentem. Nostri chorographi nullas hoc loco insulas ostendunt, paullo inferius autem siue in austrum reductas habent, de S. Pola, infra Lucentum siue Alicantam e regione Orcelis: & alias paruas Carthagini Hispanicæ obuersas. Sed ipse Strabo proxime Carthaginem, id est XXIV stadiis ab illa, ponit *Insulam Herculis*, quæ & *Scombraria*, a captis ibi scombris, appelletur. Memorabiliores habet *Balearicum mare*, & maiores etiam, *Pityusas* duas, & totidem *Gymnesias*, quarum illæ his ad occasum sunt obiectæ. De vtrisque, quod crebra illarum mentio occurrit, operæ pretium erit diligentius enarrare.

Pitiusæ duæ sunt, a pini prouentu Græcis dictæ, quarum maior *Ebusus*, minor *Ophiusa* appellatur. Sic Strabo & Ptolemæus. La-

tini copiosius de illis tradunt. Pomponius Mela lib. II extremo: *Ebusus e regione promontorii, quod in Sucronensi sinu Ferrariam vocant, eodem nomine vrbem habet, frumentis tantum non fecunda, ad alia largior, & omnium animalium, quæ nocent, adeo expers, vt nec ea quidem, quæ de agrestibus mitia fiunt, aut generet, aut si inuecta sunt sustineat.* Plinius lib. III cap. V extremo: *Insulæ per hæc maria prima omnium Pityusæ a Græcis dictæ, a frutice pineo: nunc Ebusus vocatur, vtraque ciuitate fœderata, angusto freto interfluente: patent* XLVI M. *passuum: absunt a Dianio septingentis stadiis. Tantumdem a Pityusis in altum Baleares duæ, & Sucronem versus Colubraria.* Ex his intelligimus, quæ olim Pityusæ diuersis nominibus appellatæ *Ebusus* & *Ophiusa* sunt, post vno nomine *Ebusi* comprehensas esse, vel quod freto diremtæ sunt exiguo, vel quod minoris, tamquam desertæ, nulla habita fuit ratio. Strabo enim dicto loco pag. 115 ἡ δ' Ὀφιοῦσσα ἔρημος, καὶ πολλὴ ἐλάττων, ταύτης πλησίον κειμένη, *Ophiusa autem deserta, & multo minor* [quam Ebusus] *& huic proxime adiacet.* Et Liuius lib. XXVIII cap. XXXVII *nauibus ad Pityusam insulam traiecit,* tamquam vna esset, maiorem seu præcipuam intelligens. Nos de vtraque distincte.

Ebusus maior Pityusarum, habuit πόλιν ὁμώνυμον, *cognomine oppidum,* vt Strabo & Ptolemæus referunt. Si antiqua monimenta inspicimus, *Ebusus* nomen insulæ, *Ebusium,* leuiter mutata terminatione, oppidi in ea nomen fuit. Vetus inscriptio apud Gruterum pag. 277 num. 5 imperatori Caro dicata, ORDO EBVSII: & alia pag. 868 num. II R. P. EBVSII, id est, *respublica Ebusii.* Insula fertilis pascendo pecori. Festus Auienus Descript. Orb. vers. 621

Ac dilecta vago pecori consurgit Ebusus.

Fici quoque, & si Ludouico Nonio credimus, etiam sacchari prouentu diues fuit, qui cap. XCIV huc Statii versum 15 lib. I Silv. VI trahit hendecasyllabum:

Et quas percoquit Ebusia cannas.

Ebusia autem vel vt alii legunt *Ebosia* interpretum consensu est eadem, quæ Ebusus. Barthius cum Geuartio legi vult *Ebusita,* incola Ebusi insulæ, metri facilioris caussa: multi etiam *præcoquit:* Claudius Beraldus *Caunas* non Cannas, quas ἰσχάδας, ficus siccatas interpretatur, quæ ita dicantur, quia ex Cauno vrbe aduectæ sint, sicut

carica,

carica, quia ex Caria. Plinius lib. XV cap. XIX *Ficis mollis omnibus tactus : maturis frumenta intus : succus maturescentibus lactis : percoctis mellis : - - - Siccas bonos laudatas seruat in capsis Ebuso insula praestantissimas amplissimasque; mox in Marrucinis.* Ciuitas *Ebusus,* siue *Ebusium* , colonia Pœnorum fuit, Silio idcirco *Phœnissa* cognominata. Libro III enim vers. 362

Iamque Ebusus Phœnissa mouet, mouet Artabrus arma.

Corripuit mediam, secus ac supra Dionysius. Est enim etiam Ἔβυσος, sicut Ptolemaeus Ἔβυσσος littera scripsit geminata.

Altera & minor Pityusarum dicitur *Ophiusa,* Graeco vocabulo, quam multi putant eandem esse, quae Latine *Colubraria* appellatur. At si Melae & Plinio attendimus, diuersae sunt insulae, quamlibet vi vocis idem plane referant. Plinius enim verbis modo prolatis *tantumdem,* id est septingentis stadiis, a Pityusis Colubrariam distare dixit Sucronem versus, quod spatium insulae paruae inter scopulos, septemtrionem versus ab Ebuso sitae, conuenit, quae nunc *Mont colobre* appellatur. nec enim Ophiusam nominauit distincte, sed sub *Ebusi* communi nomine comprehendit. Colubraria ergo ipsi alia ab Ophiusa est, nec interuallum, quod definiit Ophiusae competit. Eodem modo sunt Melae verba interpretanda, *Contra est Colubraria,* id est, non adiacens, sed ex longinquo opposita: quod pluribus declarat, quem toties honoris caussa nominauimus, Petrus de Marca lib. II cap. XII.

A Pityusis in ortum tanto spatio, quanto ab illis Colubraria abest, *Baleares* insulae, Maior praecipue (nam minor longius recedit) distant, ampliores quam Pityusae, & pluribus oppidis habitatae. Dicuntur Baleares Latine Liuio, Plinio, Melae: Graece autem Βαλεαρίδες plerumque, vt a Strabone & Ptolemaeo: raro Βαλιάρειαι νῆσοι, ab Agathemero: a Diodoro Βαλιαρεῖς. Id nominis vulgo a βάλλειν, *iaculando* deducunt, quia praestantissimi funditores Balearici erant. Quibus praeiuit Diodorus Siculus lib. V cap. XVII de his insulis tradens: ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων καὶ Ρωμαίων προσαγορεύονται Βαλιαρεῖς ἀπὸ τοῦ βάλλειν ταῖς σφενδόναις λίθους μεγάλους κάλλιστα ἁπάντων ἀνθρώπων, *ab indigenis & Romanis Baleares vocantur a* βάλλειν *iaciendo funda magnos lapides peritissime omnium.* In eo omnes conveniunt, iaculatores funditoresque hoc nomine significari: an vero ita a βάλλειν, vt Diodorus dixit, nominentur, aliorum non minori

minori auctoritate dubitatur. Strabo lib. XIV pag. 450 φασὶ τοὺς Γυμνητὰς ὑπὸ φοινίκων Βαλεαρίδας λέγεσθαι, διότι τὰς γυμνασίας Βαλεαρίδας λεχθῆναι, *Gymnetas aiunt a Phœnicibus Balearides vocatos: idcirco exercitationes Balearidas appellari.* Eustathius ad Dionysii vers. 457 διὸ καὶ Βαλιαρεῖς λέγονται, ὅ ἐστι σφενδονῖται, κατὰ τὴν ἐγχώριον γλῶσσαν, *ideo Baleares dicuntur, hoc est funditores, secundum ipsorum vernaculam linguam.* Quod si est Punicæ originis hoc vocabulum, vt tres hi auctores confirmant; non a βάλλειν, Græco verbo, potest esse, sed in Punica lingua aut Phœnicia natales eius quærendi: quos vir doctissimus Samuel Bochartus non inepta coniectura invenisse videtur, dum a בעל, quod & *dominus* & *peritus* est, ac ירה *iecit*, quasi peritus iaculandi significetur deriuat. Alterum nomen, ex Græcia petitum, est *Gymnesiarum*, siue *Gymnasiarum.* Strabo pag. 115, τὰς Γυμνασίας δύο καλοῦσι Βαλεαρίδας, quod Plinii verbis ex lib. III cap. V interpretamur: *Baleares, funda bellicosas, Græci Gymnasias dixere.* Diodorus Siculus dicto loco idem tradit, & simul rationem appellationis manifestat: ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων ὀνομαζόμεναι Γυμνήσιαι, διὰ τὸ τοὺς ἐνοικοῦντας γυμνοὺς τῆς ἐσθῆτος βιοῦν κατὰ τὴν τοῦ θέρους ὥραν, *a Græcis* [Baleares insulæ] *vocantur Gymnesiæ, quia incolæ æstiuo tempore nudi degunt.* Consentit Liuius, ex cuius LX libro hæc epitoma superest: *Præterea res a Q. Metello consule aduersus Baleares gestas continet, quas Græci Gymnesias appellant, quia æstatem nudi exigant.* Hæc de nominibus.

Diuiduntur *Baleares* in *Maiorem* & *Minorem*, vnde nomina hodieque servantur. Mela pluraliter, *Maiores*, *Minores* dixit: verba mox exhibebuntur. In Maiore duo oppida Strabo & Ptolemæus nominant, *Palmam* & *Pollentiam*, hanc in orientis litore; illam ad occasum. Plinius plura addit sed minus cognita: *Maior*, inquit, *oppida habet civium Romanorum Palmam & Pollentiam: Latina, Cinium & Cunici: & fœderatorum Borchorum fuit.* Palmæ & Pollentiæ situm a Strabone & Ptolemæo designatum habemus: Plinius a se superadditis certum locum non addixit. Mela *colonias* dixit a Strabone laudatas Palmam & Pollentiam. *In Maioribus*, inquit, *Palma & Pollentia coloniæ.* Palma in loco censetur esse, vbi nunc vrbs Mallorca est. In Minore insula Baleari Mela duo *castella* ponit; quas Plinius *ciuitates* vocat, Ptolemæus etiam πόλεις, quæ sunt *Iamno* & *Mago*: alterum nomen in celeberrimo portu Maon superest.

ſupereſt. Et Strabo portus vtriusque inſulæ laudauit: ἄμφω εὐδαίμονες καὶ εὐλίμενοι, *ambæ,* inquit, *inſulæ ſunt fortunatæ & bonis portubus præditæ.* Plinius & huic adiecit oppidum, ſed æque ignotum, vt erant Maiori addita: Ceterum totam inſulam ita plenius deſcribit: *A Maiore* XXX M.P. *diſtat Minor, longitudine* XL M. *circuitu* CL M.P. *Ciuitates habet Iamnonem, Saniſeram, & Magonem.* Fuerunt autem Gymneſiæ in Carthaginienſium poteſtate, antequam Romani ſuæ illas ditionis fecerunt. *Strabo pag. 116 φοίνικες κατεῖχον τὰς νήσους, *has inſulas Phœnices* (ſiue Pœni) *poſſederunt.* Romanis ſubiecit Q. Metellus, inde *Balearicus* cognominatus. Lege Strabonem dicto loco, & Florum lib. III cap. VIII.


Tandem quæ circa Baleares ſunt, paruas has inſulas Plinius addit: *A Maiore* XII M.P. *in altum abeſt Capraria, inſidioſa naufragiis; & e regione Palmæ Vrbis, Mænariæ, ac Tiquadra, & parua Hannibalis.* Capraria nunc *Cabrera,* Maiori Gymneſiæ in auſtrum ſubiecta: ceteræ ita ſunt incognitæ, vt Harduinus mari demerſas exiſtimet. Hæ inſulæ, tam Baleares, quam Pityuſæ, & vtrisque adiacentes, prouinciæ citerioris ſiue Tarraconenſis pars fuerunt, quod Plinius lib. III cap. III incunte indicauit: *Nunc vniuerſa prouincia* [citerior] diuiditur *in conuentus ſeptem: - - - - Accedunt inſulæ.* Etiam poſt paullo Conuentum, cui adſcriptæ fuerant, deſignat. *Carthaginem,* inquit, *conueniunt populi* LXV, *exceptis inſularum incolis.* Ergo & hi Carthagine Noua ius ſuum petierunt.

CAPVT II
DE
GALLIA TRANSALPINA.

GAllia vniuerſa Romanis erat vel *Citerior* & *Ciſalpina* vel *Vlterior* ſiue *Tranſalpina.* Citerior proprie pars erat Italiæ, & in Italia quoque a nobis explicanda: quippe *Gallia,* tantum a Gallis colonis, qui occupauerant, appellata. Vlterior autem ſiue Tranſalpina eſt propria huius loci, quam in præſenti illuſtrabimus, quum de ipſa diuiſione in *Citeriorem* & *Vlteriorem* aliquid præfati fuerimus. Cicero de Prouinciis conſular. cap. XV *Illæ ſententiæ virorum clariſſimorum minime probandæ ſunt, quorum alter vlterio-*

rem Galliam decernit cum Syria: alter citeriorem. Idem Philippica VII cap. I de Antonio: *remittere eum nobis Galliam citeriorem: illam vltimam postulare.* Et lib. VIII ad Attic. epist. III *Ille Galliæ vlterioris adiunctor,* Pompeius scilicet, qui effecerat vt Cæsari decerneretur. Eadem diuisio est in *Cisalpinam* & *Transalpinam.* Pro Lege Manilia cap. XII *Gallia Cisalpina præsidiis ac nauibus confirmata.* Et pro Murena cap. vlt. *An se in contrariam partem terrarum abdet, vt Gallia Transalpina, quem nuper summo cum imperio libentissime viderit, eundem nunc lugentem, mœrentem, exsulem videat?*

His tertia denominatio a vestibus & habitus diuersitate hæsit. Quod enim post Sociale bellum omnis citerior Gallia ius ciuitatis fuit adepta, ideoque qui incolebant, vt ceteri Romani ciues, toga vtebantur; ipsa inde prouincia *Togata Gallia* appellata est. Vlterioris autem incolæ quod crines alebant, quos tum tondere soliti erant Romani; factum inde est, vt Transalpina *Comata* diceretur: pars etiam australis, quæ postea Narbonensis dicebatur a braccarum vsu, Romanis insolito, *Braccata.* Cicero Philipp. VIII cap. IX de Antonio: *Galliam, inquit, Togatam remitto: Comatam postulo,* quas oratione VII, cuius verba modo proferebamus, dixerat *citeriorem* & *vltimam.* Dio Cassius lib. XLVI extremo, quum de Triumviris prouincias inter se primo consilio diuidentibus dixisset, Cæsarem Africam vtramque, Sardiniam & Siciliam sortitum esse: Lepidum omnem Hispaniam & Galliam Narbonensem; ait Antonio obtigisse τὴν λοιπὴν Γαλατίαν, τήν τε ἐντὸς τῶν Ἄλπεων, καὶ τὴν ὑπὲρ αὐτὰς οὖσαν. Ἐκαλεῖτο δὲ ἐκείνη μὲν Τογάτα, ὅτι εἰρηνικωτέρα παρὰ τὰς ἄλλας ἐδόκει εἶναι καὶ ὅτι καὶ τῇ ἐσθῆτι τῇ Ρωμαϊκῇ τῇ ἀστικῇ ἐχρῶντο ἤδη· αὕτη δὲ δὴ Κομάτα, ὅτι οἱ Γαλάται οἱ ταύτῃ, ἐς κόμην τὸ πλεῖστον τὰς τρίχας ἀνιέντες, ἐπίσημοι κατὰ τοῦτο παρὰ τοὺς ἄλλους ἦσαν, *obtigisse,* inquam, *Antonio reliquam Galliam, tam Cisalpinam quam Transalpinam. Vocabatur autem illa Togata, quod reliquis videretur esse pacatior, quodque iam tum vrbanum Romanorum vestitum vsurparet: altera Comata, quod Galli isti Coma, quam prolixam gerebant, a ceteris dignoscebantur.* Consentiunt Latini scriptores alii. Pomponius Mela lib. II cap. IV *sinistra parte Carni & Veneti colunt Togatam Galliam.* Plinius lib. III cap. XIV *Ab Ancona Gallica ora incipit, Togatæ Galliæ cognomine.* Ergo hæc cis Alpes in Italia. Tacitus lib. XI cap. XXIII *A. Vitellio, L. Vipsanio consulibus, quum de supplendo senatu agitaretur, pri-*


Septentrio
Meridies
Oriens
GALLIA
NARBONENS
LVGDVNENS
ET AQVITAN
OCEANVS BRITANNICVS
OCEANVS
AQVITANICVS
GALLICVS
SINVS
MARE MEDITERRANEVM
MARE
LIGVSTICVM
GERMANIAE PARS
HISPANIAE PARS
Caletes
Vangiones
Mediomatrices
Nemetes
Vnelli
Lexouii
Biducaßes
Abrincatui
Eburouices
Parisii
Meldi
Tricaßes
Leuci
Tribocci
Diablindi
Cenomani
Carnutes
Senones
Lingones
Rhedones
Osismii
Curiosolitæ
Veneti
Nannetes
Andes
Turones
Mandubii
Rauraci
Sequani
Pictones
Bituriges
Cubi
Vadicaßes
Aedui
Santones
Lemouices
Aruerni
Segusiani
Seduni
Veragri
Allobroges
Petrocorii
Gabali
Cadurci
Heluii
Vasates
Tarbelli
Elusates
Ruteni
Tolosates
Volcæ Arecomici
Segalauni
Tricastini
Salyi
Stoechades Insul.
Gebenna Mons
Lugdunum
Vienna
Burdegala
Tolosa
Narbo Martius
Pyrenæi Montes
Ligeris flu.
Rhodanus flu.
Garumna flu.
Sequana flu.
Rhenus flu.
Durius flu.
Alpes Maritimæ
Liguria
Genua
Vesontio
Augusta Rauracorum
Alesia
Bibracte
Augustodunum
Gergouia
Limonum
Burdigala
Antros Insul.
Sarnia
Arica
Cæsarea
Vxantos Insul.
Gobæum promont.
Veneticæ Insulæ

primoresque Galliæ, quæ Comata appellatur, fœdera & ciuitatem Romanam pridem adsequuti, ius adipiscendorum in Vrbe bonorum expeterent, multus ea super re variusque rumor & studiis diuersis apud principem certabatur.

Hæc Comata Gallia tres prouincias, vt postea diuidebantur, complexa fuit, Aquitaniam, Lugdunensem, & Belgicam. Narbonensis autem *Braccata* olim dicta fuit. Diodorus quidem Siculus lib. II cap. XXX videtur omnibus Gallis transalpinis ἀναξυρίδας, ἃς ἐκεῖνοι βράκας προσαγορεύουσι, *femoralia, quas illi* BRACCAS, *appellent*, tribuere: sed in *Braccatæ* nomine Romanis potius, quam Siculo homini credendum est. Pomponius Mela lib. II cap. IV *Pars nostro mari apposita, fuit aliquando Braccata, nunc Narbonensis.* Et Plinius lib. III cap. IV ineunte: *Narbonensis prouincia appellatur pars Galliarum, quæ interno mari adluitur, Braccata antea dicta, amne Varo ab Italia discreta.* Quæ ipsa, hunc imitatus, Martianus Capella lib. VI iisdem pæne verbis repetiit, & pariter hoc nomen Narbonensi prouinciæ vindicauit. Dicta autem a *braccis* fuit, id est a femoralibus, quod vestimenti genus Romanis inusitatum, ab iis primum in Gallia Narbonensi visum fuerat, quam inde Braccatam cognominauerunt.

Græci Galliam Γαλατίαν, & Gallos Γαλάτας vt plurimum appellant, atque sic Polybius, Siceliota Diodorus, Dio Cassius, Iosephus, Pausanias, alii; posteriores autem cum Latinis Γάλλους, & regionem Γαλλίαν dixerunt, qua vocabuli Latina forma passim Pæanius, Græcus Eutropii metaphrastes; etiam ecclesiastici scriptores Eusebius lib. V cap. VI, & Socrates I cap. XXXV, ac Theodoritus lib. I cap. XXXI vsi sunt. Agathemerus vero lib. II cap. IV diuersorum casuum nomina videtur hisce conciliare: τῶν Γαλλιῶν ἃς πρότερον Γαλατίας ἔλεγον, ἑξῆς κειμένων, *deinceps sitæ sunt Galliæ, quas antea Galatias dixerunt.* Scilicet Γάλλους & Γαλλίας non nisi posteriores dixisse iam accepimus. Plutarchus in Cæsare Κελτῶν & Γαλατῶν vocabula promiscue vsurpat, licet *Celtæ* secundum Cæsarem principio Operis partem tertiam, distinctam a Belgis & Aquitanis, constituant, quam posteri Lugdunensem appellauerunt. Sed laxior alibi vsus vocabuli *Celtarum* est: quemadmodum Ptolemæus lib. II cap. VII, eumque sequutus Heracleota Marcianus, Κελτογαλατίαν; etiam Strabo lib. IV τὴν ὑπὲρ τῶν Ἄλπεων Κελτικήν,

non partem sed vniuersam trans Alpes Galliam, in quatuor partes diuidendam, nominarunt. Et quos Cæsar indigenarum lingua *Celtas*, tertiam partem Gallorum, appellari dixit, id nominis Herodianus vniuersis tribuit, πᾶσαν τῶν Κελτῶν καὶ Ἰβήρων χώραν, *omnem*, dicens, *Celtarum & Hispanorum regionem*. Trans Rhenum quoque in Germaniam Celtarum nomen prolatum fuit. Suidas, Κελτοὶ, ὄνομα ἔθνους, οἱ λεγόμενοι Γερμανοὶ, οἱ ἀμφὶ τὸν Ῥῆνον ποταμὸν εἰσιν, *Celtæ gentis nomen: qui Germani dicuntur vtrimque Rhenum accolentes*. Nec tantum Rhenani Germanorum Celtæ, verum etiam interiores. quid? quod Philippus Cluuerius lib. I Germaniæ Antiquæ operosus in eo est, vt Illyricos quoque, & Britannos & Hispanos Celtarum nomine comprehensos, & communi Celtica lingua vsos esse, dialectis tantummodo distincta, approbet. Maxime tamen sic Gallos appellauere veteres, idque ex propria indigenarum lingua. Pausanias Attic. cap. III Ὀψὲ αὐτοὺς καλεῖσθαι Γαλάτας ἐξενίκησε. Κελτοὶ γὰρ κατά τε σφᾶς τὸ ἀρχαῖον καὶ παρὰ τοῖς ἄλλοις ὠνομάζοντο, *Sero vsus obtinuit, vt Galatæ* [siue Galli] *appellarentur. Celtas enim cum ipsi se, tum alii eos nominarunt*. Fabulosum autem est, quod Diodorus Siculus lib. V cap. XXIV tradit, Herculis filium Γαλάτην, *Galatam*, ex Celtici principis filia susceptum, omnes sibi subiectos Γαλάτας ex suo nomine appellasse, & regnum suum Γαλατίαν *Galatiam*, id est Galliam.

Hactenus de nomine & nominis diuisione, aut si plus aliquid dictum fuit, de generali & interiectu Alpium facta diuisione in Citeriorem Vlterioremque, seu Cisalpinam & Transalpinam Galliam. Nunc de diuisione huius Transalpinæ. Diuidi autem nequaquam potest, nisi de finibus Galliæ vniuersæ, & partium limitibus, quæ flumina plerumque sunt, aut montes etiam, recte prius nobis, quod opus est, constiterit. Quare quæ de iis prius dicenda sunt, iam adgrediemur. Gallia vniuersa quæ trans Alpes Romanis erat, a Pyrenæis montibus intra Oceanum, internum mare, & Alpes, vsque ad Rheni ripas expandebatur. De ceteris terminis inter omnes conuenit: de Rheno Plinius nos quodammodo dubios possit facere, qui lib. IV cap. XVII principio: *A Scalde ad Sequanam Gallia Belgica*. & mox: *a Scalde incolunt extera Toxandri*, quasi extra limitem Galliarum positi. At Cæsar, Strabo, Mela, Ptolemæus ad Rhenum Belgarum fines, tamquam vltimos Gallorum

rum

rum terminos, proferebant. Cæsar lib. I cap. I Belgæ ab extremis Galliæ finibus oriuntur: pertinent ad inferiorem partem fluminis Rheni. PERTINENT, id est pertingunt. Metaphrastes, διήκει μέχρις ἐπὶ τὰ κάτω τοῦ ῥήνου. Strabo lib. IV initio: τὴν Κελτικὴν ὁρίζει ἀπὸ τῶν ἀνατολῶν ὁ Ῥῆνος, *Galliam terminat ab ortu Rhenus.* Pomponius Mela lib. III cap. II *A Pyrenæo ad Garumnam Aquitania: ab eo ad Sequanam Celtæ: inde ad Rhenum pertinent Belgæ.* Plinius autem sibi non constat, quia eodem capite in Belgicæ populis numerauit etiam *Rhenum accolentes, Germaniæ gentium in eadem prouincia, Nemetes, Triboccos, Vangiones; hinc Vbios, Batauos, & quos in insulis Rheni* dixerat. De partium limite antequam agamus, de fluminibus singulis aliquid prædicendum est, quia sine illis partes nec internosci neque distingui accurate possunt.

Præter Rhenum ergo *Garumna* nobilis fluuius est & nauium patiens, qui ex Pyrenæo demissus Aquitaniam olim terminabat a septemtrione: post id tempus, ex Augusti dispensatione, mediam illam discreuit, supra Burdegalam, quam adluit, in Aquitanicum Oceanum se exonerans. Ausonius Mosella extrema *æquoream* dixit,

æquoreæ te commendabo Garumnæ,

scilicet propter marinos æstus, quos refert; quia vt Claudianus lib. II in Rufinum vers. 113 scripsit,

retro pernicior vnda Garumnæ
Oceani pleno quoties impellitur æstu.

Recipit Garumna & in mare defert duos celebres fluuios, *Tarnem* & *Duranium:* illum Albam Heluorum adluentem; hunc inde in boream nonnihil remotiorem. Tarnem olim arena aurifera commendauit. Ausonius iterum in Mosella vers. 465

auriferum postponet Gallia Tarnem.

De Duranio idem vers. 464

Concedes gelido, Durani, de monte volutus Amnis.

nunc la Dordogne corrupto nomine dictus. Miscetur Garumnæ iam πελαγίζοντι, commune cum illo faciens æstuarium. Sidonius Apollinaris Carm. XXII vers. 101

Est locus, irrigua qua rupe Garumna rotate,
Et tu qui simili festinus in æquora lapsu
Exis curuata, Durani muscose, saburra,

Iam pigrescentes sensim confunditis amnes.
Currit in aduersum heic pontus, multoque recursu
Flumina quas voluunt & spernit & expedit vndas.

Ceteri amnes in Garumnam infusi, *Veronius* & *Oldus*: aut in Duranium, vt *Illa*, quasi obscuriora nomina, prætermittuntur. Inter Garumnam autem & Pyrenæos, aut proxime hos montes, *Aturus* exit siue *Aturrus*, Ptolemæi Ατούριος, de quo Ausonius dicto Carmine vers. 468

Tarbellicus ibit Aturus,

quia Tarbellos populos percurrit, & Aquas Tarbellas, non ignobile oppidum, præterfluit. Supra Garumnam, septemtrionem versus, per Santones labitur *Carantonus* fluuius, hodie Charente, Ptolemæi Κανέντελος, *Canentelus*. Ausonius itidem Mosella vers. 463

Santonico refluus non ipse Carantonus æstu.

nam & ipse Oceani æstu repellitur. Tandem *Liger* longissimo cursu & quasi rex fluuiorum Galliæ, vt Valesius appellat, ex Augusti descriptione determinator Aquitaniæ, qui antea Garumna fuerat, mediam secat Galliam. Iterum vers. 461 de Mosella Ausonius:

Non tibi se Liger anteferet.

Sic omnes veteres nominandi casu *Liger* scribunt, non *Ligeris*, vt recentiores. Cæsar lib. VII cap. LV *Liger ex niuibus creuerat.* Fortunatus lib. VI carm. VII

vitrea Liger algidus vnda.

Ibidem Cæsar, *ad ripas Ligeris*, eodemque casu Lucanus lib. I vers. 439

Andus iam placida Ligeris recreatur ab vnda.

Quarto casu Cæsar semper *Ligerim*: & Sidonius Maioriani panegyrico vers. 209

Ligerimque bipenni
Excisum per frustra bibit.

Sexto Cæsar ambigue, lib. III Gall. cap. IX *in flumine Ligeri*: & lib. VII cap. LIX *interclusum itinere & Ligere Cæsarem.* Tam longo cursu, quem diximus, multos amnes recipit, etiam in his nauigabiles. Ab austro confluit *Elauer*, non minus nauium patiens flumen, quam ipse Liger. Cæsar dicto lib. VII cap. LIII *ad flumen Elauer pontem refecit.* Patrius casus *Elaueris*, Cæsar lib. VII cap. XXXIV *inter-*

interruptis pontibus ab altera Elaueris parte iter facere cœpit. Posterioribus *Elaris* vel *Elauris*. Sidonius dicto Panegyrico verſ. 209

Clitis, Elaris, Atax, Vahalis, - - -

Et Theodulfus Aurelianensis Paræneſi ad Iudices verſ. III

Rhodanus quas adluit acer,

Elauris, ſiue his connumerandus Atax.

Infra flumen Elauer, in Ligerim *Caris* Bitugerum, & *Vigenna* Pictonum effunduntur, vterque ex medii æui ſcriptoribus, quam antiquis, nobilior. Gregorius Turonenſis lib. v cap. XLII *Liger fluvius maior ab anno ſuperiore fuit, poſtquam ei Carus torrens ſe adiunxit.* Legitur idem *Chares*, vt Browerus edit, apud Fortunatum Venantium lib. VII carm. IV, quod cum *le Cher*, huius temporis nomine apprime congruit. Guilielmo Britoni *Carus* alia forma dictus eſt lib. III Philippid. verſ. 708

Planities, caſtris ſedes aptiſſima, cuius

Lambit vtrumque latus Ligeris Carique fluentum.

Idem lib. v eiusdem Philippidos verſ. 101

latus inde ſiniſtrum

Lene fluens per prata virentia Carus amœnat.

Vigenna vlterior eſt, in Pictonibus ad Ligerim, cui inſinuat ſe decurrens. Iterum Fortunatus lib. VI carm. VII

Vigennæ volucer transmittitur alueus alno.

Gregorius Turonenſis *Vingenna* ſcribit Hiſt. Franc. lib. I extremo *Turonici per Vingennam fluuium deſcendunt.* His nos vti teſtimoniis oportet, vbi deficiuntur vetuſtiora. Dextrum latus Ligeris poſt Andium vrbem ſiue Andegauum inuadunt *Lidericus* ſiue *Ladus* & *Sarta* & *Meduana*, omnes prius coniuncti in vnum. *Lidericus*, nunc le Loir, a Guilielmo Britone Armorico vocatur lib. III verſ. 73, quum de caſtro Vindocino, nunc Vendosme, ſcribit:

Quod Lidericus aqua ſubterfluit amnis amœna.

Hunc Caſpar Barthius, Michael Baudrandus & Papirius Maſſonus putant Sidonii & Theodulfi *Ledum* eſſe ſiue *Ladum*, quod negat Hadrianus Valeſius, quia exſerte Mela Ledum in Narbonenſis fluminibus numeret, vt neceſſe non ſit, alium huius nominis Sidonio & Theodulfo vindicare, præſertim, quum laxe illi loquantur, nec certæ prouinciæ id nomen fluenti adſignent. Vterque enim

plures

plures diuersarum nationum fluuios sine ordine prouinciarum componit. Sidonius dicto loco vers. 208

Rhenus, Arar, Rhodanus, Mosa, Matrona, Sequana, Ledus,
Clitis, Elaris, Atax, Vahalis.

Theodulfus, itidem prædicto suo carmine vers. 105, vagatur latius:

Rura, Mosella, Liger, Vulturnus, Matrona, Ledus,
Ister, Atax, & reliqui:

quippe non tam prouinciarum, sed metri rationem vnice habuerunt. Sit ergo le Loir *Lidericus* Armorici, quia neque certius nomen, neque antiquius, quantum nobis licet cognoscere, reperimus. Is in *Sartam* influit prope Meduanæ confluentem, & vrbem Andium Iuliomagum seu Andegauum: Sarta autem nomen seruat, hodieque *la Sarte* appellatur, decurrens per Cenomanos, a Meduana haustus proxime Ligeri infertur. Antiquum nomen Sarta est & prioribus Gallis vsurpatum: vix tamen apud antiquiorem Aurelianensi Theodulfo reliquum, qui vocis originem & fluminis cursum ita descripsit lib. IV carmine VI

Est fluuius, Sartam Galli dixere priores,
Perticus hunc gignit, & Meduana bibit.
Fluctibus ille suis penetrans Cenomanica rura,
Mœnia qui propter illius vrbis abit.

Idem lib. II carm. III de vrbe Andegauensi:

Quam Meduana morans fouet & Liger aureus ornat
Qua rate cum læui Sarta decora iuuat.

His relictis ad Sequanam, & quos accipit ille amnes, progressum facimus. A sinistra confluunt in Sequanam *Autura,* siue *Audura,* tantum ex Vitis Sanctorum notus, illaudatus apud antiquos, vulgo Eure, & longe supra hanc inter Parisios & Senones *Icauna,* sed neque hic vetustioris famæ, quam quæ ex Vitis Sanctorum & eiusdem ætatis monimentis est: Guilielmo Aremorico *Itumna* dictus, siue *Ytumna,* nisi *Icumna* forsan, quod Valesio probatur, legendum est. lib. X Philippid. vers. 646

At Senones & terra ferax a flumine Ytumna
Vsque locum quo Sequanio Lupa confluit amni.

In dextram ripam nobiliores amnes cum Sequana conueniunt, *Axona,* & *Matrona,* vtroque vocabulo corripiente mediam, perinde, vt *Sequana* in carminibus. Ausonius Mosella vers. 461

Non

Non tibi se Liger anteferet, non Axona praeceps,
Matrona non Gallos Belgasque intersita fines.

Recte. nam Matronæ Sequanæque fluentis Belgica a reliquis Gallis discernitur, quod etiam Cæsar testatus est lib. I cap. I. *Gallos,* inquit, (id est Celtas) *ab Aquitania Garumna flumen: a Belgis Matrona & Sequana diuidit.* De Sequana Sidonius supra memorato versu 208 panegyrici Maioriani dixit

Rhenus, Arar, Rhodanus, Mosa, Matrona, Sequana, Ledus.

Vterque fluuius, Matrona & Axona, multos minores accipiunt, deferuntque in Sequanam, sed minus nobiles in historiis, præter Isaram amnem Belgicum, ab Antonino siue Aethico non obscure significatum itinere ab Cæsaromago Lutetiam, quibus oppidis *Briuam Isara,* aut sicut scriptum est, *Briuanisaram* interiecit. Reliquos Belgarum fluuios in prouincia Belgica exponemus.

Ad illos nunc fluuios venimus, qui ex Gallicis in mediterraneum se mare effundunt, in quibus præcipuæ famæ est *Rhodanus,* Alpinus fluuius, qui plures alios, eosque maiores accipit, *Ararim* videlicet, & *Isaram* Allobrogicam & *Druentiam,* vt minores prætereamus. De Arari, qui nunc Saone est, ex Vogaso ortus, lib. I cap. XII Cæsar: *Flumen Arar per fines Aeduorum & Sequanorum in Rhodanum influit incredibili lenitate, ita vt oculis, in vtram partem fluat, iudicari non possit.* Ideoque *segnis* Plinio dictus est lib. III cap. IV *Rhodanus,* inquit, *segnem deferens Ararim.* Et Eumenio in Constantini Panegyrico cap. XVIII itidem *segnis* est & *cunctabundus.* Etiam Silius lib. III vers. 451 de Rhodano, in quem influit Arar:

Auget opes stanti similis tacitoque liquore
Mixtus Arar, quem gurgitibus complexus anhelis
Cunctantem immergit pelago, raptumque per arua
Ferre vetat patrium vicina ad litora nomen.

Genuinum nomen *Arar,* quod Cæsar, Silius, Sidonius, singuli verbis modo adlegatis; etiam Strabo lib. IV pag. 129 & Ptolemæus lib. II cap. V, quibus ὁ Ἄραρ est, confirmant. Primus Dio Cassius lib. XLIV pag. 262 Ἄραρις, recto casu, formauit; quem dubie Claudianus sequutus est, qui quamuis antiquo more de Cons. Mall. Theod. vers. 53 dixerat

Lentus Arar Rhodanusque ferox:

& lib. II in Eutropium verſ. 169

Quam Rhodano ſtimulatus Arar

tamen etiam mutata forma lib. II in Rufinum verſ. III dixit

Quos Rhodanus velox, Araris quos tardior ambit:

Et lib. I in Eutropium verſ. 405

Cinyphiisque ferax Araris ſucceſſit ariſtis.

Quarto caſu *Ararim* formant. Plinio auctore iam ſupra vſi ſumus: Lucanum addo lib. I verſ. 433

Rhodanus raptum velocibus vndis

In mare fert Ararim.

Nauigabilis æque eſt Arar ac Rhodanus; & Dio Caſſius dicto loco πλεῖται Ἄραρις, *nauigatur Araris*, ideoque Cabillonenſem portum (quod oppidum adfunditur hoc amne) Eumenius dicto loco memorauit: & inſcriptio vetus apud Gruterum pag. 375

PATRONO NAVTARVM
ARARICORVM ET RHO
DANICORVM.

Augetur Arar flumine *Dubi*, qui ex Iura monte demiſſus, Veſontionem atque Dolam præterlabitur, corrupte in Cæſaris libris Alduabis, vel Alduadubis ſcriptus, quum genuinum nomen a Strabone, Ptolemæo aliisque Δοῦβις, *Dubis*, duabus ſyllabis ſcribatur: hodie le Doux.

Ipſe Rhodanus, in Alpibus natus, per Valeſiam decurrens, tranſito Lemano lacu, nobiles vrbes adluit, Geneuam ad lacum, Lugdunum ad Araris confluentem; Viennam, Auguſtam Tricaſtinorum, Auenionem, Arelate: notus ex Punico Hannibalis bello, & quam multis aliis ſcriptoribus, etiam ex poetis, quos ſupra nominauimus, Silio maxime, qui de Hannibalis itinere lib. III verſ. 446 tradit:

Accedit Rhodani feſtino milite ripas.
Aggeribus caput Alpinis & rupe niuali
Proſilit in Celtas, ingentemque extrahit amnem
Spumanti Rhodanus proſcindens gurgite campos.

Infra Araris confluentem, & poſt Viennam vrbem, *Iſara*, itidem Alpinus amnis, infunditur, in epiſtolis Planci ad Ciceronem laudatus, quippe XV epiſtola lib. X ſcripſit: *In Iſara, flumine maximo, quod in finibus eſt Allobrogum, ponte vno die facto, exercitum a. d.* IIII *Idus*

Idus Maii traduxit. Sic & Plinius vocat lib. III cap. IV. Et Lucanus lib. I verſ. 399

Et vada liquerunt Iſara, qui gurgite ductus
Per tam multa ſuo famæ maioris in amnem
Lapſus ad æquoreas nomen non pertulit vndas

Græci autem, Strabo & Ptolemæus, ὁ Ἴσαρ, *Iſar* in recto formant; & Dio Caſſius lib. XXXVII pag. 51 παρὰ τὸν Ἴσαρα οἰκοῦντες, *Iſaram accolentes,* quod ab eadem forma eſt.

Rhodanus propior oſtiis, hoc eſt inter Auenionem & Arelate *Druentiam* flumen accipit, quod Liuii verbis lib. XXI cap. XXXI notabiliter ita in Hannibalis tranſitu deſcriptum eſt. *Ad Druentiam flumen peruenit. Is & ipſe Alpinus amnis, longe omnium Galliæ fluminum difficillimus tranſitu eſt. nam quum aquæ vim vehat ingentem; non tamen nauium patiens eſt, quia nullis coercitus ripis, pluribus ſimul, neque iisdem alueis fluens, noua ſemper vada, nouosque gurgites faciens, & ob ea pediti quoque incerta via eſt; adhæc ſaxa glareoſa voluens, nihil ſtabile, nec tutum ingredienti præbet, & tum forte imbribus auctus, ingentem ingredientibus tumultum fecit.* Eadem Silius Italicus de ipſo narrat lib. III verſ. 468

Turbidus hic truncis ſaxisque Druentia lætum
Ductoris vaſtauit iter. namque Alpibus ortus
Auulſas ornos, & adeſi fragmina montis
Cum ſonitu voluens fertur latrantibus vndis,
Ac vada translato mutat fallacia curſu.
Non pediti fidus, patulis non puppibus æquus.
Et tunc, imbre recens fuſo, correpta ſub armis
Corpora multa virûm ſpumanti vertice torquens
Immerſit fundo laceris deformia membris.

Vterque vt nauium impatientem deſcribit. Videtur tamen poſtea ab Romanis nauigabilis hic amnis factus eſſe. In Notitia enim Imperii, Præpoſitura militum præſentalium, in prouincia Gallia Ripenſi, mentio fit *Præfecti claſſis Bracariorum Ebruduni Sapaudiæ,* quam ad hunc amnem pertinuiſſe neceſſe eſt, ad quem ſitum eſt oppidum *Ebrodunum,* hodie Embrun. Eſt & antiqua inſcriptio apud Gruterum pag. 413 num. 4

PATRONO NAVTAR. DRVENTI
CORVM ET VTRICLARIORVM

Minora flumina cis Rhodanum multa ſunt, plura autem illorum ab hiſtoricis geographisque ſine nomine prætermiſſa. De quorum nominibus aliquid conſtare poteſt, ſunt *Dracus*, qui Iſaræ miſcetur ad Cularonem, quæ poſtea Gratianopolis dicta fuit: *Druna*, quæ infra Valentiam in Rhodanum illabitur. Auſonius eius mentionem fecit in Moſella verſ. 479:

Te Druna, te ſparſis incerta Druentia ripis
Alpinique colent fluuii.

Et Strabonis *Sulgas* lib. IV pag. 128, nunc la Sorgue, itidem in Rhodanum ſupra Auenionem immiſſus. Videtur *Vindalicus* Flori eſſe lib. III cap. II a Vindalio oppido in Epit. Liuii LXI, Strabonis Οὐνδάλῳ ad confluentem Sulgæ poſito, fortaſſis nominatus. Inter Druentiam & mare ſunt cis Rhodanum *Varus*, a curſu obliquo dictus, qui quod Italiam finit, vt Mela ait lib. II cap. IV, idcirco notior exiſtit. Plinius quoque lib. III cap. IV *amne Varo*, inquit, *ab Italia diſcreta Narbonenſis prouincia.* Lucanus lib. I verſ. 404

Finis & Heſperiæ promoto limite Varus:

quod cur dicat, *promoto limite* demum finem Varum eſſe conſtitutum, ignorare ſe fatetur Hadrianus Valeſius. Certe non tantum quos laudauimus, ſed Strabo etiam & Ptolemæus, & quos alibi nominamus, Varo diſtinguunt a Narbonenſi prouincia Italiam. Ad Forum Iulium in mare exit *flumen Argenteum*, nunc Argens, iuxta quod caſtra Marcus Lepidus poſuerat, vt ipſe Ciceroni lib. X epiſt. XXXIV perſcripſit. *Ad Forum*, inquit, *Voconium veni, & vltra caſtra ad flumen Argenteum contra Antonianos feci.* Data eſt illa epiſtola ex caſtris ex *Ponte Argenteo*, qui locus vel vicus fuit cum ponte in illo fluuio. *Foſſa Mariana* etiam huc referenda eſt ex Rhodano, cuius oſtium difficulter adibatur, ideo per Campum Lapideum in lacum Maſtramelam, qui prope Maſſiliam eſt, Cimbrico bello deducta, & Maſſilienſibus, quod Strabo addit, ob fidem Romanis præſtitam donata. Pomponius Mela lib. II cap. V *Foſſa Mariana partem eius amnis nauigabili alueo effundit, alioquin litus ignobile, & Lapideus, vt vocant Campus.* Strabo lib. IV pag. 127 de Rhodano: Μάριος ὁρῶν τυφλόστομον γινόμενον ἐκ τῆς προσχώσεως καὶ δυσείσβολον, καινὴν ἔτεμε διώρυχα, καὶ ταύτῃ δεξάμενος τὸ πλέον τοῦ ποταμοῦ, Μασσαλιώταις ἔδωκεν ἀριστεῖον κατὰ τὸν πρὸς Ἄμβρωνας καὶ Τωΰγενοὺς πόλεμον ἐξ οὗ πλοῦτον ἠνέγκαντο πολυτελῆ. *Marius videns adgeſtione limi oſtium*

ostium obturari, intratuque reddi difficile, nouam duxit fossam, qua maiorem amnis partem exciperet, eamque Massiliensibus ob nauatam contra Ambrones & Tugenos operam, præmii loco donauit, vnde multum lucri acceperunt. Hi duo fossam vnam memorant. Plinius *fossas* nominat pluratiuo. *Vltra fossa,* inquit, *Rhodano C. Marii opere & nomine insignes: stagnum Mastramela, oppidum Maritima Auaticorum: superque Campi Lapidei, Herculis præliorum memoria.* Hinc ipsa Rhodani ostia aliis plura numerata, aliis pauciora. Scilicet quia in ipso æstuario ostia diuidebantur, & paruas insulas faciebant, numerus non idem illorum fuit omnibus. Plinius tria nominat lib. III cap. IV. *Libyca,* inquit, *appellantur duo eius* [Rhodani] *ora modica: ex his alterum Hispaniense, alterum Metapinum: tertium idemque amplissimum Massalioticum.* Vox *Libyca* non omnibus videtur sincera, & sunt qui *Ligyca* vel *Ligya,* id est Ligustica, malunt, quia Ligures in illis oris coluerunt.

Inter Rhodanum & Pyrenæos hæc flumina Pomponius lib. II cap. V enarrat: *Vltra sunt stagna Volcarum, Ledus flumen, - - - - - tum ex Gebennis demissus Arauris iuxta Agathan: secundum Beterras Orbis fluit. Atax ex Pyrenæo monte digressus, qua sui fontis aquis venit, exiguus vadusque est, & ingentis alioquin alvei tenens, nisi vbi Narbonem attingit, nusquam nauigabilis: sed quum hibernis intumuit imbribus vsque eo solitus insurgere, vt se ipse non capiat. Lacus accipit eum Rubresus nomine, spatiosus admodum, sed qua mare admittit, tenuis aditu. Vltra est Leucata litoris nomen, & Salsulæ fons, non dulcibus, sed salsioribus etiam quam marinæ sunt, aquis defluens. - - - Inde est ora Sardonum, & parua flumina, Tetis & Tichis: vbi accreuere, persæua. Colonia Ruscino vicus Eliberri,* & cetera, vsque Ceruariam, finem Galliæ. De singulis breuiter. *Ledus* hoc loco suam patriam habet, non trans Ligerim, vbi cum Liderico a nonnullis confundebatur. Respondet nomini haud procul a Montepessulano decurrens *le Lès* siue *le Lez.* Et de hoc cum Sidonii, tum Theodulfi carmina, supra recitata, vt intelligantur, conueniens est. Accedit Auienus, quem mox producturi sumus. *Arauris* Ptolemæi Ἀράυριος, Plinio etiam *Arauris,* vt bene Harduinus emendauit, quod perperam editum erat *Araris.* nunc Airau vel Erhau. Locum, quo defluat, Mela designauit, iuxta Agathan videlicet. *Orbis* vel *Obris* sequitur in

Beterrensi agro, qui & *Orobis* dicitur, vt Festus Auienus in Ora Maritima legit:

At nuncce Ledus, nunc & Orobis flumina
Vacuos per agros & ruinarum aggeres
Amœnitatis indices prisca meant.

Atque ita Ptolemæus etiam Ὄρϐις. Plinii *Liria* in mendo lalet: contra ille nec Ledum nec Orobim habet. Nobilior ceteris *Atax*, nunc l' Aude est. Plinius lib. III cap. IV *Atax e Pyrenæo Rubrensem permeat lacum.* Lucano *mitis Atax.* Libro enim I vers. 403

Mitis Atax Latias gaudet non ferre carinas.

Ptolemæus Ἄταγος ποταμοῦ ἐκβολαί, obliquo casu, *Atagis fluuii ostia,* quem imitatus est Auienus, nomen per G formando,

Heic salsum in æquor amnis Attagus ruit:

At Strabo pag. 125. τοῦ Ἄτακος declinauit, id est *Atacis* Latine. Minora flumina quæ sequuntur, Melæ sunt *Tetis* & *Tichis,* Plinio inuerso ordine, quia ex Hispania progreditur, *Tecum* & *Vernodubrum.* Melæ *Tetis,* (sic scribo cum Petro de Marca, non Telis, vt editum) est hodie la Tet, apud Perpinianum delabens in sinum Gallicum: & si Harduinum sequemur, idem & Plinii Vernodubrum est. *Tecum* autem Plinii, est *Tichis* Melæ, hodie Tec, iuxta Eliberim siue Helenam decurrens in mare. Atque hæc de Galliæ fluminibus satis dicta sunt: ad *montes* quoque illustrandos properamus.

Præter Pyrenæum & Alpes, aliunde notos montes, tria sunt præcipua iuga montium, quibus Gallia exsurgit, & se cum ab aliis regionibus, tum inter se discernit, *Cebenna* siue *Gebenna, Iura,* & *Vogesus,* siue *Vosagus.* Primus *Cebenna* verius scribitur, quam per G, vt vulgo fit, *Gebenna,* quia & Græci, præsertim Strabo, Κέμμενος appellant, K in fronte posita, non Gamma littera, quamuis Metaphrastes Cæsaris Γεϐέννα vulgare retineat. Cæsar lib. VII cap. VIII *Mons Cebenna, qui Aruernos ab Heluiis discludit, durissimo tempore anni, altissima niue iter impediebat.* Et cap. LVI eiusdem libri: *oppositus mons Cebenna viarumque difficultas impediebat.* Melæ lib. II cap. V ineunte sunt *Gebennici montes.* Longo tractu a Garumna fere ad Rhodanum per Vellauos & Aruernos protenduntur. Hodie les Ceuennes. Galliam quasi in duo latera, septemtrionale & austrinum separant, id quod Pomponius Mela dicto loco obseruat: *Gallia,* inquit, *Lemano lacu & Gebennicis montibus in duo latera diuisa,* *atque*

atque altero Tuscum pelagus attingens, altero Oceanum, hinc a Varo, illinc a Rheno ad Pyrenæum vsque promittitur. Narbonensi prouinciæ etiam limitem hi montes ponunt. Plinius lib. III cap. IV *Narbonensis a reliqua Gallia latere septemtrionali montibus Gebenna & Iura discreta.* Lucanus lib. I vers. 434

qua montibus ardua summis
Gens habitat cana pendentes rupe Gebennas.

Sed quod longiora iuga vix dici possunt *a cana rupe pendere;* sæpe laudatus Valesius non de toto illo montano tractu, sed de parte eius præcipiti ac summa, in qua Velauniæ caput Anicium siue Podium sedet, nunc le Puy, interpretatur.

Mons *Iura* quoque in altissimis Gallicorum numeratur, Ptolemæi Ιυράσσος, *Iurassus* lib. II cap. IX. Cæsar lib. I B. Gall. cap. II *Vndique loci natura Heluetii continentur; vna ex parte flumine Rheno latissimo atque altissimo, qui agrum Heluetium a Germanis diuidit: altera ex parte monte Iura altissimo, qui est inter Sequanos & Heluetios.* Et paullo post cap. VI, *Iter per Sequanos angustum & difficile inter montem Iuram & flumen Rhodanum, quo vix singuli carri ducerentur.* Et cap. VIII libri eiusdem: *A lacu Lemano, quem flumen Rhodanum influit, ad montem Iuram, qui fines Sequanorum ab Heluetiis diuidit, millia passuum decem nouem murum in altitudinem pedum sexdecim, fossamque perducit.* E quibus facile de situ Iuræ montis cognoscitur. Sunt ergo montes qui Heluetiæ ab occasu obiacent, eamque a Burgundiæ finibus discludunt, in variis partibus, aliis atque aliis nominibus insigniti.

Tandem *Vogesus* mons in Belgicam magis procurrit, siue in Superiorem Germaniam. Inter Lotharingiam & Alsatiam protensus Austriam a Burgundia diuidebat. Expandit enim iuga sua ita, vt quorundam sententia ad Rhenum vsque, in Rauracos, Triboccos, ac in Nemetes, Vangionesque certis locis proferantur, a Treviris in Lingonas Sequanosque dorso longissime exporrecto. Nam & Cæsar a Lingonibus eos montes ducit lib. IV cap. X, *Mosa*, inquit, *profluit ex monte Vogeso, qui est in finibus Lingonum.* Lucanus lib. I vers. 397 veram nos pronuntiationem docet, si, vt editum est, antiqua lectione firmatur, cui sane non desunt manu exarati libri. Ait vero

Dese-

Deseruere cauo tentoria fixa Lemano,
Castraque, quæ Vogesi curuam super ardua rupem
Pugnaces pictis cohibebant Lingonas armis.

Medio æuo transpositis litteris non *Vogesus*, sed *Vosagus* dixerunt. Venantius Fortunatus lib. VII carm. IV

Ardenna an Vosagus cerui, capræ, ilicis, vrsi
Cæde sagittifera silua fragore tonat.

quæ metri ratio, quamlibet traiectis vocabuli elementis, receptam Lucani lectionem non mediocriter confirmat. *Vosacum siluam* etiam appellauerunt. Turonensis Gregorius lib. X cap. X *dum ipse Guntheramnus rex per Vosacum siluam venationem exerceret.* Quam vocabuli formam metaphrastes Cæsaris haud dubie respexit, Βοσήκα vertendo, vt suæ ætatis genio seruiret, & quod omnes nominabant, exprimeret. Supra enim adlata de Mosa verba ita reddidit: Ὁ δὲ Μόσης ποταμὸς ἀπὸ μὲν τῦ Βοσήκυ, ὄρους τῆς Λιγγονικῆς, καταῤῥεῖ.

Expositis sic & fluminibus Gallorum, & qui præcipui illorum sunt, montibus, ad ipsam diuisionem, partiumque limites explicandos accedimus. C. Iulio Cæsare Galliæ præfecto ex consulatu, primum Romanis, quam longe pateat, & quibus terminis contineatur, innotuit. Armis tum & victoriis compertum fuit, in quam sinuosos tractus Armorici recedant, & quinam fretum Britannicum accolant, & quot gentes Rheni ripæ a fontibus ad ostia vsque prætendantur. Primus itaque Iulius Cæsar est, qui populos tam diuersos, tam late habitantes in certas nationes descriptos, vti antea fuerant, Romanis patefecit. Quorum prouincia excepta, quæ ab Italia Narbonem & ad Pyrenæos patebat, reliquam omnem Galliam in tres partes descripsit, Aquitaniam, & Galliam propriam siue Celtarum regionem, & tandem Galliam Belgicam. Singulis partibus quos terminos constituerit, ipsius verbis ita breuiter declaramus. *Gallia omnis,* inquit, *diuisa est in tres partes: quarum vnam incolunt Belgæ, aliam Aquitani, tertiam, qui ipsorum lingua Celtæ, nostra Galli appellantur.* Exemtam igitur voluit prouinciam Romanam, vtpote qui de illa Gallia, quam ipse armis subegerat, non quam deuicissent maiores, scribere quod res erat, apud animum constituerat: prouinciæ autem rationes, præsertim tam propinquæ, satis exploratæ perspectæque erant. De terminis partium singularum ita tradit: *Gallos ab Aquitania Garumna flumen; a Belgis Matrona &*

Sequa-

Sequana diuidit. GALLOS, inquam, quos proprie tales appellaverat, ipsorum lingua Celtas, diuisos a Belgis & Aquitanis, qui etiam Galli erant, sed laxiore vocis significatione. Addit interiectis paucis pro Celtica parte illustranda: *Vna pars, quam Gallos obtinere dictum est, initium capit a flumine Rhodano: continetur Garumna flumine, Oceano, finibus Belgarum: attingit etiam a Sequanis & Heluetiis flumen Rhenum.* Hæc præcipua & propria pars Galliæ: etiam ex hac limitum descriptione, omnium partium amplissima. At Belgæ *ab extremis Galliæ* [propriæ seu Celticæ] *finibus oriuntur:* (id est, a Sequanæ Matronæque ripis) *pertinent ad inferiorem partem fluminis Rheni.* nam superiorem partem Celticæ adiudicauerat, quum Sequanos Heluetiosque, quos Celticarum parti transcribit, Rhenum flumen dixit attingere. Arctiores limites *Aquitaniæ* ponit. *Aquitania*, inquit, *a Garumna flumine ad Pyrenæos montes, & eam partem Oceani, quæ ad Hispaniam pertinet, spectat, inter occasum solis & septemtriones.* Quod reliquum vsque ad Alpes erat, cedebat prouinciæ Romanæ, quam ita simpliciter appellabant, quia & prima illa & sola eis trans Alpes erat. Hæc diuisio Galliæ temporibus Iulii Cæsaris, qui primus eam in potestatem Romanorum, saltem maximam eius partem redegerat.

Augustus autem Cæsar sicut vbique prouincias Orbis Romani ordinauit: ita etiam in Gallia inæqualitatem correxit, demtis maximæ, hoc est Celticæ, quibusdam regionibus, quas Aquitaniæ partim, partim Belgicæ adiecit. Aquitaniæ enim limitem ad flumen Ligerim perduxit: Heluetios atque Sequanos, qui in eadem Celtica censi erant, in Belgicam prouinciam transcripsit: Narbonem & Lugdunum capita prouinciarum constituit, vt inde prima & antiqua prouincia *Narbonensis Gallia*, media vero siue Celtica, *Lugdunensis* appellarentur: & nisi sub idem tempus, tamen non longe post, pars Belgicæ Rhenana ab incolis Germanis nouarum quasi prouinciarum Germaniæ Superioris & Inferioris nomina accepit. Strabo primus hanc Augusti reformationem prodidit lib. IV sub initium: cuius interpretes per exempla sunt Plinius & Ptolemæus, qui novam Augusti diuisionem populorum & prouinciarum presse persequuntur. Mirum vero, Pomponium Melam, sine dubio posteriorem Augusto, quasi nescium illius renouationis, veterem Iulii Cæsaris diuisionem sequutum esse. Comatam enim Galliam non

aliter quam Cæsar per Garumnam & Sequanam hoc modo distribuit: *A Pyrenæo ad Garumnam Aquitani: ab eo ad Sequanam Celtæ. inde ad Rhenum pertinent Belgæ.* Nos auctorem Augustum, scriptores Plinium & Ptolemæum per singulas partes sequemur, vt initium ab Aquitania faciamus, tamquam maxime occidentali & Hispaniæ limiti, quem continuamus, proxima: inde ad Lugdunensem progressuri siue Celticam: tandem ad Narbonensem, in vsque Italiæ fines se proferentem: Belgicam autem insequenti capiti & nouæ tractationi relinquemus, in quo itidem non discedemus a more veteri, quo & alibi a tribus reliquis Romani Belgicam provinciam diiunctam separatamque voluerunt. Vetus inscriptio apud Gruterum pag. 440 num. 3

TRIVM PROV. GALL. LVGDVNENS
NARBONENS. ET AQVITANENS

& sæpius sine expressis nominibus ita, TRES PROVINC. GALL. Vid. pag. 476 num. 4 & aliis multis locis. Pari modo & nobis liceat expositionem specialem Galliæ in duo capita distribuere, & tres prouincias seorsum enarrare, antequam nouo capite nouoque tractatu adgrediamur quartam, quæ, vt remotissima erat ab Italia, & plures populos insignes atque nobiles & in historiis memoratos continet, ita digna vtique videtur, quæ singulari enumeratione gentium vrbiumque proponatur. Sit ergo nunc primo ordine expedienda

AQVITANIA
SIVE
GALLIA AQVITANICA.

Aquitania, quæ & Plinio lib. VI extremo dicta est *Gallia Aquitanica*, & in Notitiis veteribus *prouincia Aquitanica* hodie ex parte Guienne, quod ex *Aquitaine* corruptum videtur: Hæc, inquam, Aquitania latitudinem, Augusto Cæsare dante, habet a Pyrenæis ad flumen Ligerim, sed propinquum Rhodano, *μέχρι τῆς κεφαλῆς αὐτῆς, vsque ad caput eius*, siue fontes, vt Ptolemæus definiuit lib. II cap. VII. Sæpe Aquitania ita distincta a ceteris Galliarum partibus fuit, vt tamquam separata prouincia poneretur, quod credo inde ortum esse, quia non vna cum cæteris prouinciis deuicta fuit, sed ab Augusto tandem in potestatem Romanorum redacta, quo

tempore

tempore Vitruuius lib. II cap. I scripsit: *Ad hunc diem nationibus exteris ex his rebus* [fronde, arundine, luto inductis] *ædificia constituuntur, vt in Gallia, Hispania, Aquitania scandulis robusteis aut stramentis.* Inde est, quod Sextus Rufus cap. VI totam Galliam descripturus, vt integram præfecturam prætorii per Gallias, distinctam mentionem Aquitaniæ, separatæ aliquando partis, faciat. *Sunt,* inquit, *in Gallia cum Aquitania & Britanniis decem & octo prouinciæ.* Ad quem locum vide sis, quæ editione secunda commentati sumus. Prius Aquitaniam veterem, Garumna definitam, exponemus, postea demum adiectam ab Augusto addituri.

Limes, quo cum Hispania cohæsit ad Oceanum, ponitur a Ptolemæo flumen *Aturis.* Sic ille recto casu appellat, Ἄτουρις, τοῦ Ἀτούριος. Sed *Aturus* alii, in quo vocabulo Lucanus secundam corripuit lib. I vers. 420

Qui tenet & ripas Aturi, quo littore curuo
Molliter admissum claudit Tarbellius æquor:

adrexit Ausonius Mosellæ versu 468

In mare purpureum domini tamen ante Mosellæ.
Numine adorato, Tarbellicus ibit Aturus.

nisi ideo duplicatur littera, quippe in libris *Aturrus* est. Hodie prope ostia nobilis vrbs Baiona: medio æuo *Lapurdum* dicta, sed ignorata cunctis antiquioribus, neque prior Lapurdi mentio occurrit, quam in Notitia imperii, & apud Sidonium Apollinarem lib. VIII epist. XII, ideoque ad illorum temporum geographiam a nobis reseruatur. Plures populi sunt Aquitaniæ, sed de quibus vere Strabo dixit lib. IV pag. 131 ἔθνη μικρὰ καὶ ἄδοξα, *& exiguas & ignobiles gentes* esse, vt obscura & pœne monstrosa nomina, quæ a Plinio referuntur, ostendunt, quorum qui inter Garumnam, qui extra fuerint, quod discerni facile non possunt; vel solius Cæsaris, qui intra Garumnam Aquitanos concludit, ignoti populi, *Preciani, Vocates, Tarusates, Sibuzates, Garites,* argumento nobis sunt, multa nostris temporibus in Aquitaniæ cognitione nobis deesse. Ergo nobiliores sectabimur & notiores in historiis, e quibus præcipui *Tarbelli* sunt, quos Cæsar lib. III B. Gall. cap. XXVII primo loco numerat in gentibus Aquitanis. A Pyrenæo ad Aturum & circa eum sub Oceano habitabant. Pyrenæum attigisse, Tibullus docet, quum lib. I elegia VIII vers. 9 dixit,

Tarbella Pyrene
Testis, & Oceani littora Santonici.

Esse autem παρωκεανιτικοὺς præcipue, quod de plurimis Aquitanorum Strabo lib. IV pag. 131 dixit, hoc est Oceano proximos, antea prolatus Lucani versus 421 libri I demonstrat,

Molliter admissum claudit Tarbellius æquor,

Tarbellius, id est, *Tarbellus*, poetice, non *Tarbellicus* vt vulgo est editum. Cognominantur apud Plinium lib. IV cap. XIX *Tarbelli Quatuorsignani*, forte quod quatuor signa militum præsidio tenuerunt, vt Cocossates *sexsignani* ibidem, quibus sex vexilla præsidiariorum fuerunt. Oppidum Tarbellorum ad idem flumen *Aquæ Augustæ*, ὕδατα Αὐγοῦστα, vt Ptolemæus appellat; *Aqua Tarbellica* Antonini; *Tarbella ciuitas* Vibii Sequestri in *Atur*: & *Aquensis ciuitas* in Notitia ciuitatum Galliæ. Hodie Acqs siue Dax. Extra limitem forte Tarbellorum, ad idem vero flumen Aturum, oppidum aliud fuit, vt apparet, satis antiquum, intactum autem vetustioribus geographis. Notitia ciuitatum Galliæ *Aturensium ciuitatem* nominat in Nouempopulana sitam: & si Hadrianum Valesium sequimur, hic *Vicus Iulii* est antiquo nomine, a Gregorio Turonensi lib. VII cap. XXXI tamquam episcopalis ciuitas nominatus; eædem *Aturæ* vel *Aturres* Sidonii lib. II epist. I, vbi Iacobo Sirmondo notata legas velim, qui consentit Valesio Hadriano: prauius postea *Aduris* scriptum & tandem *Aire*, vt nunc nomen sonat non ignotæ ad id flumen ciuitatis. *Atures* autem & *Aturenses* dictos fuisse, qui iuxta flumen Aturum colebant, Tibullus quoque dicto carmine de Messalæ victoria approbare potest. Canit enim principio

Hunc [diem] *fore Aquitanas posset qui fundere gentes,*
Quem tremeret forti milite victus Atur.

Cæsaris *Sottiates* lib. III cap. XX seq. sunt ille ad Aturum populus, quibus illustris vir P. de Marca pag. 191 Marcæ Hispan. tribuit conciliorum & Turonensis historici *Vicum Iulium*. Idem Cæsar lib. III cap. XXVII Tarbellis apponit *Bigerrones*, siue *Bigerros*, (Plinii *Begerros*) itidem ad Pyrenæum vergentes. ideo *pelliti* ob cæli asperitatem, quæ sub Pyrena est, ab habitu seu vestitu dicuntur. Paullinus Nolanus Carm. X ad Ausonium vers. 246

Dignaque pellitis habitas deserta Bigerris.

Horum *Turba* fuit oppidum ad Aturum, nunc Tarbe, cum castro

Bigorra.

Bigorra. Vetus Notitia Ciuitatum Galliæ in Nouempopulana: *Civitas Turba cum castro Bigorra.* In eo tractu *Benebarnum* fuit, sed dubium an ad veterem geographiam, in qua versamur, vere pertineat, quia nullum eius vel leue monimentum, ante auctorem Itinerarii, quod Antonini vel Aethici vocatur, superest. Sunt etiam sub Pyrenæi montibus, quas Strabo laudat, *Onesia Therma*, τὰ τῶν Ὀνησιῶν θερμὰ κάλλιστα ποτιμωτάτου ὕδατος, *præstantissima thermæ saluberrimis aquis*, lib. IV pag. 131. Coniungit cum Conuenarum Lugduno, quod aliquam fidem facit aut in Conuenis, qui Bigerriones ab ortu attingunt; aut in ipsis Bigerronibus exstitisse. Est ibi iuxta Aturum amnem, oppidum Bagneres, aquis salubribus nobilitatum, quæ videntur ipsæ fuisse, quas Strabo vocat, ignotum vnde, *Onesias.* Quos autem iam *Conuenas* dixi, is populus erat ad Pyrenæi radices, ab Aturo ad Garumnam & vltra, quorum caput *Lugdunum Conuenarum* fuit, quod Strabo, Ptolemæus, & Itinerarii auctor commendant, hic etiam ita situm designauit, vt cum oppido S. Bertrandi plurimorum opinione conueniat. Origo huius Luguduni (sic Itinerario scriptum est: Græci autem auctores, quos nominauimus, Λούγδουνον) origo, inquam, illius ex Pompeii bello Sertoriano est, qui Pyrenæi prædones ac fugitiuos in hanc vrbem fertur compulisse, de quo pretium erit relegere, quæ supra pag. 110 ex S. Hieronymi aduersus Vigilantium libello attulimus. Idcirco Plinius lib. IV cap. XIX *in oppidum contributi Conuenæ*, nempe a Pompeio. Ad eandem rem gestam P. Vatinius iussu Cæsaris lib. III B. Civ. cap. XIX prouocauit, quum ex Pompeianis trans Apsum castra habentibus, quæsiuit, *liceretne ciuibus ad ciues de pace legatos mittere, quod etiam fugitiuis ab saltu Pyrenæo prædonibusque licuisset?* Eodem itinere Antonini ab Aquis Tarbellicis Tolosam, inter Beneharnum & Lugdunum ponuntur *Aquæ Conuenarum*, quæ nisi sunt ipsæ Onesiæ Strabonis, quas in S. Bertrandi fano hodie plurimi inquirunt; difficulter sane inueniuntur. Sunt tamen clari viri, qui in vico Bagneres in valle Arbusia, duabus leucis a fano S. Beati, se illas inuenisse opinantur, eoque applicant inscriptionem apud Gruterum pag. 112 num. 7 NOMINE VICANORVM AQVENSIVM, quam vero, quod lapis ille Tarbellicis Aquis repertus fuit, vt Gruterus adnotauit, dubito huc referri posse.

Supra Conuenas ſeptemtrionem verſus, itidem inter Aturum & Garumnam ſunt *Auſci*, Ptolemæo *Auſcii*, Mela cenſente lib. III cap. II *clariſſimi Aquitanorum*, quorum nobiliſſimum oppidum vocat *Climberrum*, quo nomine etiam ab Antonino itinere ab Aginno Lugdunum Conuenarum, commemoratur, quæ haud dubie Ptolemæi *Auguſta* eſt, mutata appellatione, vt in pluribus aliis, Auguſti Cæſaris benignitate; pro quo tandem, vt in Itinerario eſt, exoleta beneficiorum memoria, priſcum nomen reſumtum eſt. Sed auſpicatius vocabulum non minus celebri gentis nomine, vt ſolemne medio æuo erat, penſatum, & *Auſci* ciuitas appellata fuit, vt apud Ammianum eſt lib. XV cap. XXVIII, vnde *Auſcenſes* Sidonii ſunt lib. VII epiſt. VI, id quod nomen corrupte in *Aux* vel *Auſch* hodieque conſeruatur. Finitimi horum erant *Eluſates* Cæſaris & Plinii, locis ſæpe dictis; ſiue *Eluſani* Apollinaris Sidonii lib. VII epiſt. VI ab *Eluſa* oppido dicti, patria Rufini illius, in quem duos inuectiuos libros Claudianus ſcripſit. Libro I enim verſ. 137 de Megara furia, Rufinum inſtigante, vt orbem perdat terrarum, dicitur:

Inuadit muros Eluſæ, notiſſima dudum
Tecta petens.

Eluſatibus proximi iuxta Garumnam *Lactorates* fuerunt, vel ipſi pars Eluſatium: quorum oppidum in Itinerario Antonini *Lactura*; in Theodoſiana Tabula, quam Peutingerianam vocamus, *Lactora*: in Notitia Galliæ, in Nouem populis *Ciuitas Lactoratium*: nunc Lectoure. Oppidum præclarum, nec non antiquum fuiſſe, multorum lapidum inſcriptionibus, ex Antoninorum ſæculo ibidem repertorum probatur, quarum aliquas a Grutero pag. 29, 30, 31 ita excerptas huc attuliſſe non pœnitebit.

PRO SALVTE IMP. M.
ANTON. GORDIANI PII FEL.
AVG. ET SABINAE TRANQVILLINAE
AVG. TOTIVSQVE DOMVS DI
VINAE PROQVE STATV CIVI
TATIS LACTORATEN
TAVROPOLIVM FECIT ORDO
LACT.

Et alio lapide idem breuius notatum

PRO

PRO SALVTE ET INCO
LVMITATE DOMVS DI
VINAE R. P. LACTORAT.
TAVROP. FECIT

Est etiam in quodam (pag. 29 num. 11) LECTOR. secunda vocali, sed in aliis cunctis lapidibus & Itinerario vtroque, etiam in Notitia antiqua, vocali prima.

Sequuntur in eodem tractu sub Garumnæ ripa Burdegalam versus, *Vasates*, non ignobilis populus, Cæsaris forte *Vocates*, quod describentium lapsu prauatum putarem, nisi & Plinius Basabocates haberet, quæ vox ex gemina lectione videtur esse commixta. Ptolemæus emendandus est, & ex Ὀυασάριοι scribendi Ὀυασάτιοι, Valesio etiam admonente. Verum autem nomen *Vasates* ab Ausonio & Sidonio habemus. Illius verba postmodo adferemus: hic lib. VII epist. VI *Elusani, Vasates, Conuenæ, Auscenses.* Alia forma *Vasata* dicti, quod nomen postea eorum oppido, perinde vt *Vasates*, hæsit. Proprium & antiquum nomen oppidi fuit *Cossio* primo casu, non Κόσσιον *Cossium*, vt in Ptolemæo scriptum est, quod Κοσσιὼν per Ω legendum est. Ausonius Parental. XXIV de sororis genero Paullino:

Stirpis Aquitanæ mater tibi. nam genitori
Cossio Vasatum, municipale genus.

Vt vero solemne illis temporibus fuit, vrbs populi nomine vtriusque formæ appellabatur. Idem Ausonius Epicedio patris, quod II idyllium est

Vicinas vrbes colui patriaque domoque,
Vasates patria, sed lare Burdigalam.

Et Ammianus Marcellinus lib. XV cap. XXVIII *Nouem populos Ausci commendant & Vasata*, quæ oppidorum ibi, non gentium sunt nomina. Dicitur etiam *Ciuitas Vasatium.* Sidonius lib. VIII epist. XII ineunte ad Trigetium: *Tantumne te Vasatium ciuitas, non cespiti imposita, sed pulueri?* In Notitia Ciuitatum Galliæ est *Ciuitas Vasatica:* hodie Bazas.

Tandem in angulo, quem Garumna cum Oceano facit, *Bituriges* fuerunt *Viuisci*, vel *Vibisci* cognomine, peregrina gens inter Aquitanos, Biturigibus Celticis orta, quos Cubos denominarunt; quod a Strabone obseruatum est. Ipse vero cognomen corrupte

rupte Ἰόσκυς, *Ioscos* tradit: nec id saluum apud Plinium, qui *Vbiscos* vocat: sincerius apud Ptolemæum, cuius sunt Οὐίβισκοι, *Vibisci*, quia B & V litteræ sæpius permutantur. Vera autem & antiqua scriptura *Viuiscorum* est, videlicet per V, quod auctore Ausonio probatur, qui de se in Mosella vers. 438 dicit,

Hæc ego, Viuisca ducens ab origine gentem.

Burdigalensis enim fuit, vt postea cognoscetur, atque ita in illis Biturigibus natus. Confirmat inscriptio aræ Burdigalensis apud Gruterum pag. 227 num. 4

AVGVSTO SACRVM
ET GENIO CIVITATIS
BIT. VIV.

Nec vero deest, quod pro Plinii scriptura *Vbisci* adferatur. Nam lapide alio, Burdigalæ & ipso eruto, apud eundem Gruterum pag. 731 num. 3 legitur

IVLIVS LVPVS C.
BITVRIX VB
DE ANN. XXXV
FIL. EIVS. F. C.

Sed malo priorem scripturam sequi, quod de lapide non satis certi sumus, verene sic ibi, an lapsu opificis incisum; etiam an inde curatius sit exscriptum. His Biturigibus Ptolemæus duo oppida dat, *Nouiomagum*, proximum Oceano, quod intercidit: & Βυρδίγαλα, *Burdigalam*, quod ita etiam Strabo scripsit, qui emporium vocat, & situm ita accurate designat lib. IV pag. 131, Μόνον τὸ τῶν Βιτυρίγων τούτων ἔθνος ἐν τοῖς Ἀκουϊτανοῖς ἀλλόφυλον ἵδρυται, καὶ οὐ συντελεῖ αὐτοῖς· ἔχει δὲ ἐμπορεῖον Βουρδίγαλα ἐπικείμενον λιμνοθαλάττῃ τινὶ, ἣν ποιοῦσιν αἱ ἐκβολαὶ τοῦ ποταμοῦ, *Sola hac Biturigum gens in Aquitanis peregrina degit, nec illis contribuit. Habet autem emporium Burdigala, appositum paludi marinæ, quam fluminis ostium efficit.* Latini sæpe scribunt *Burdegala*, secunda vocali; neque vero minus etiam tertia. Dubitationis caussa est, quod adhuc neque marmora, neque alia monimenta, quæ id nomen ferant, facile sunt reperta, vt antiquitatis testimonio leuis discrepantia componatur. Patria Ausonii poetæ fuit, qui singulari eam carmine claris vrbibus, a se laudatis, adsociauit. Ex quo hæc protulisse breuitati nostræ sufficiat.

Bur-

Burdigala est natale solum: clementia cœli
Mitis vbi & rigua larga indulgentia terræ;
Ver longum brumæque breues iuga frondea subsunt.

Et Sidonius Apollinaris Carmine, lib. IX epistolæ XIII inserto,

Declamans gemini pondere sub stili
Coram discipulis Burdegalensibus

Fuit enim illa vrbe sedes incluta litterarum, quod Ausonii liber PROFESSORES inscriptus, exemplis eruditissimis demonstrat in omnibus disciplinis. Atque hæc de veteri Aquitania inter Garumnam & Pyrenæos contentam nota sunt. Sequitur

Aquitania ab Augusto adiecta, id est omnis Aquitania Prima & Secunda, vt medio æuo diuidebatur: siue quidquid spatii inter Ligerim & Garumnam comprehenditur, sedes quatuordecim populorum, qui auulsi a Celtica seu Lugdunensi prouincia, Aquitaniæ ab Augusto ad æquandas prouincias adscripti sunt. Strabo lib. IV pag. 131 Ἑξῆς περὶ τῶν Ἀκουϊτανῶν λεκτέον, καὶ τῶν προσωρισμένων αὐτοῖς ἐθνῶν τεσσερακαίδεκα Γαλατικῶν τῶν μεταξὺ τοῦ Γαρούνα κατοικούντων καὶ τοῦ Λείγηρος, *Deinde dicendum est de Aquitanis & eorum conterminis Celticis quatuordecim gentibus, habitantibus inter Garumnam & Ligerim.* Ad quem numerum XIV gentium etiam reducenda sunt quæ sub initium huius libri praue scribuntur ἑπτάρας καὶ δέκα ἔθνη, & vtique etiam ibi cum Casaubono legendum τέσσαρας καὶ δέκα, *quatuordecim* gentes, non *decem.* Ex illis autem Oceanum attingunt *Santones* atque *Pictones;* illi a Garumna extensi in medium spatium, quod inter duo illos amnes comprehensum est: hi exinde ad ripam vsque Ligeris. *Santones,* siue *Santoni,* vtroque modo dicuntur, vt Andes & Andi, Turones & Turoni. Plinius & Ptolemæus *Santones.* ille dicto capite de Aquitania, *Santones liberi*: hic Σάντωνες, perperam cum O magno, quod poetæ Latini eleuant, etiam Strabo Græce. *Santonus* autem, *Santoni,* forma altera, Pomponii Melæ est & Lucani, pluriumque posteriorum. Mela lib. III cap. II *ab Santonis ad Osismios:* Lucanus lib. I verſ. 422

gaudetque amoto Santonus hoste

Tacitus lib. VI cap. VII *Iulius Africanus e Santonis Gallica ciuitate:* quod de gente malim, quam de vrbe cum aliis & ipso Valesio, interpretari. Taciti enim ætate mos nondum inualuerat, vt principes

vrbes ſuarum gentium nominibus appellarentur. Auſonius epiſt. XXIV verſ. 79

Santonus vt ſibi Burdigalam mox iungit Aginnum
Illa ſibi.

Santonus, non ipſa vrbs (quæ *Santoni* vel *Santones* illo æuo, multitudinis numero, appellanda fuiſſet) ſed incola vrbis Santonicæ, qui vtramque vrbem vicinam habebat Burdigalam & Aginnum, ſed ita vt media eſſet Burdigala inter Santonicam & Aginnum. Santonibus Strabo & Ptolemæus Μεδιολάνιον, *Mediolanum*, ſex ſyllabis, tribuunt, quod *Mediolanum* Latino ore cum Antonino ac Tabulæ Peutingerianæ auctore, etiam Græco Stephano, demta ſyllaba, dicimus, ſita ad Carantonum flumen. Eadem *vrbs Santonica* nominata. Auſonius epiſt. VIII principio:

Tandem reluctati retinacula blanda morarum
Burdigalæ molles linquimus illecebras:
Santonicamque vrbem vicino acceſſimus agro.

Ipſa etiam temporum illorum conſuetudine nomen gentis induit, *Santoni* & *Santones* pluraliter dicta. Auſonius Epiſt. XI

Vinum quod biiugo parabo plauſtro
Primo tempore Santonos vehendum.

Et Epiſtola XV ad Tetradium verſ. 11

Cur me propinquum Santonorum mœnibus
Declinas?

vbi tam vrbis nomen poteſt, quam etiam gentis ad περίφερειαν vrbis, intelligi. Altera forma vſus eſt Ammianus Marcellinus lib. XV cap. XXVIII. *Prima,* inquit, *prouincia eſt Aquitanica, amplitudine ciuitatum admodum culta: omiſſis aliis multis, Burdegala & Aluerni excellunt, & Santones & Pictaui.* Ptolemæus etiam *Portum Santonum,* & *Promontorium* eorumdem memorauit. *Portus* ille hodie qui ſit, non eſt apertiſſimum. Valleſius exiſtimat oppidum Broüage nunc appellari: at Ptolemaici numeri longius inde boream verſus remouent ſupra oſtium Canenteli fluminis. Tandem etiam *Blaniæ*, ad dextram æſtuarii Garumnæ ſitæ infra Duranii confluentem, aliqua mentio facienda eſt. *Militarem* cognominat Auſonius Epiſt. X ad Paullum, quia præſidium militare habuit: qui & ſitum cum cura delineauit his verſibus:

Te

Te quoque ne pigeat consponsi fœderis: & iam
Citus veni remo, aut rota.
Aequoris vndosi qua multiplicata recursu
Garumna pontum prouocat.
Aut iteratarum qua glarea trita viarum
Fert militarem ad Blauiam.

Videlicet a Burdigala, vbi Ausonius erat. Antonini Itinerario, a Burdigala Augustodunum itinere, *Blauutum* appellatur, corrupte puto, quia æqualis auctor Tabulæ Peutingerianæ *Blauia* nomen conseruat: &, Simlero teste, in antiquo Antonini libro *Blavium* est. Bene. Hodie Blaye.

Pictonum fines descripti sunt antea. Latius patebant, quam Santonum, sed in littore arenoso, ideoque sterili & inculto. Strabo pag. 131 ἔστι ἡ παρωκεανῖτις τῶν Ἀκουϊτανῶν ἀμμώδης ἡ πλείστη καὶ λεπτὴ κέγχρῳ τρέφουσα, τοῖς τε ἄλλοις καρποῖς ἀφορωτέρα, *Aquitaniæ litus arenosum est & tenue, milio alens, reliquarum frugum minus ferax.* Quod cumprimis de Pictonum terra dictum crediderim, quæ tam inculta ad mare fuit, vt in longo litore Ptolemæus nihil habuerit, quod memoraret, præter obscurum portum *Secor,* & vnicum *promontorium Pictonicum.* Intus duas in hac gente vrbes ponit, Αὐγουστόριτον, *Augustoritum;* & Λίμωνον, *Limonum.* Quod primo loco *Augustoritum* nominatur, clarissimi viri persuasum habent, esse eam primariam Pictonicæ gentis ciuitatem, quæ *Pictauorum* nomen postea sibi vindicauit, nunc Poictiers. Sed Antonini itinere a Burdigala Argantomagum, id est Argenton, vt plurimi interpretantur, non alia potest Augustoritum esse, quam vrbs Lemouicum præcipua, Limoges vulgo, sita inter Vesunam Petrocoriorum, & Argantomagum. Ordo itineris hic est, omissis ignotis mansionibus ad Aginnum vsque:

Burdigala	—	—	—
Aginnum	M.	P.	LXXI
Traiectum	M.	P.	XXXIIII
Vesunnam	M.	P.	XVIII
Fines	M.	P.	XXI
Augustoritum	M.	P.	XXVIII
Argantomagum	M.	P.	XXI

Iter Aginnum primum ferebat, vt quilibet videt, fluminis caussa.

Quis vero ex hoc loco Argantomagum profecturus deflectet prius in ſeptemtrionem pæne ad Ligerim vsque, atque inde in ortum hibernum, quum poſſet recta ire per Petrocorios atque Lemouices. Vulgaris interpretatio vrbium Ptolemæi in hoc tractu talis eſt, vt *Auguſtoritum* ſit Pictauium: *Limonum*, propter nominis conuenientiam, Lemouices; quamuis alii *Ratiaſtum* Ptolemæi pro oppido habeant Lemouicum. At Magno, qui Notas Iuris Romani regi Karolo dedicauit, ante nongentos circiter annos ita has vrbes interpretatus eſt, vt ei propius cum Antonino quam ceteris conueniret. Dicit enim: *Lemoſex, Auguſtoretum: & Pictaus, Lemonum:* quem etiam in tabula noſtra ſequuti ſumus, nec adhuc induci poſſumus, vt deſeramus: præſertim quum Limonum, quod concedit Valeſius, non ſit in Lemouicibus, ſed, cum Antonino etiam, in Pictonum gente quærendum. Itinere enim a Burdigala Auguſtodunum hunc ordinem nobiliorum ciuitatum, omiſſis minoribus, inuenimus:

Burdigala	—	—	
Blauutum ſiue *Blauium*	M.	P.	XVIIII
Mediolanum Santonum	M.	P.	XLIII
Limonum	M.	P.	LVII
Argantomagum	M.	P.	XLII
Auaricum	M.	P.	XL
Auguſtodunum	M.	P.	LXXVIII

Heic ab Mediolano Argantomagum iter per Limonum, a curſu longius abſunt Lemouices, Santonibus ab ortu æquinoctiali oppoſiti: a quibus recta in ſeptemtrionem remotum eſt Argantomagum. Quo vero *Ratiaſtum* Ptolemæi referemus, vrbem & caput Λεμουίκων, quos omnes putant Lemouicum gentem eſſe? Quod ſi Auguſtoritum vrbs eſt Lemouicum, vti cum Antonino & Magnone poſuimus; non poteſt Ratiaſtum in illum locum reduci, ſed a latere inueſtigandum eſt, nec vero facile, quia ſolius Ptolemæi eſt, quoquo reſpicis, inuenitur. Recentiores Galli *Enguliſma*, ad Carantonum vrbem, quod alia memorabilis non ſupereſt, Ptolemæi Ratiaſtum eſſe exiſtimant, quos, quia meliores non videmus, omnino ſequendos duces eſſe exiſtimamus. Nec vero diuturnum illud nomen fuit, ſed ætate Romanorum nondum ſuprema aut decre-

crepita, in *Iculisma* imm...um. Ausonius Epist. XV ad Tetradium vers. 21

Quondam docendi mune... adstrictum graui
Iculisma quum te absc...ret.

Siue *Iculisma*, siue, vt in libris vetustis est, ...*ulisna* scripseris, nemo dubitat Engulismam illam siue Angoulesme... esse, vrbem insignem, Canentelo flumine adfusam. Hæc si Ptolemæ... *...tiastum* est, non tamen antiquissimum id nomen fuit, sed fortasse... si coniecturis locus est, *Agesina* Plinii ibidem constituenda. *Cambo...tri*, inquit, *Agesinates*, *Pictonibus iuncti*, lib. IV cap. XIX. Agesina...s Iculisnenses clari viri interpretantur, quasi in nomine aliquid in...conuenientiæ. Id vero vrbisne nomen, an gentis cognomen sit, ...certum, quia eo ab aliis Cambolectris, Atlanticis scilicet, prouinciæ Narbonensis, lib. III cap. IV discriminatur.

Sequuntur *Petrocorii* Cæsaris, Strabonis, & aliorum, quorum *Vesunna* fuit, Ptolemæi Ὀυέσουνα, clara ciuitas, & Augusto cognomine digna. Vetus inscriptio apud Gruterum pag. 105 num. 1

TVTELAE AVG
VESVNNAE
SECVNDVS
SOTER D. S. D

Sic Valesius versum vltimum emendat, praue descriptum a Grutero. Locum vrbis auctor Itinerarii, vt supra vidimus M. P. LII ab Aginno Nitiobrigum. Et hic etiam *Vesunnam* vocat; auctor Pintingerianæ tabulæ *Vesonnam*: ciues Sidonius lib. VIII epist. XI ineunte *Vesunnicos*, vt sero gentis nomen vrbi impositum esse oporteat. Caroli M. ætate Magno, qui cuique ciuitati antiquum nomen adiungit, *Petragorius, Vesonna.* Aimoinus lib. III cap. XXXIX *Chilpericus Desiderium ducem ad perdendas Petrogoricum & Agennum, Aquitaniæ vrbes, cum instructis dirigit copiis.* Valesius quidem Sidonium etiam auctorem laudat, qui lib. VII epist. VI dixerit, *Burdigala, Petrocorii:* quod vero subnectit idem, post alios, etiam *Auscenses;* ciuium potius, quam vrbis nomen videtur significari. A gente in Notitia Ciuitatum περιφερειακῶς nominatur *Ciuitas Petrocoriorum.* Hodie Periguex.

Proximi his in austrum sunt Nitiobriges Cæsaris lib. VII cap. LXXV, quibus Ptolemæus oppidum *Aginnum* dat, cuius situs tam

ex reliquo nomine *Agen*, in dextr[illegible]a Garumnæ vrbis, quam ex Itinerario & Peutingeriana Ta[illegible] notus est. Supra quoque Ausonii versum ex Epistola XXI[illegible] produximus:

Santonus vt sibi B[illegible]igalam: mox iungit Aginnum

Illa sibi,

quo par distantia [illegible]m harum vrbium significatur. Scribitur etiam *Agennum*, [illegible]n tantum a posterioribus, vt de Aimoino Rer. Franc. scrip[illegible]e, modo vidimus; verum etiam Hieronymus de Scriptor. [illegible]cclesiast. in Sœbadio (al. Phœbadio) *Agenni Galliarum Episco[illegible]s.*

Hos Nitiobriges attingunt *Cadurci* Cæsaris & Strabonis, circa Oldum fluuium, qui Garumnæ miscetur. Ptolemæus illis vrbem tribuit Δυήωνα, *Duionam*, quod peruerse scriptum pro Διούωνα, vt *Diuona* vel *Deuona* legatur. Tabula Peutingeriana corrupte *Bibona*, lege *Dibona*: & Magno, *Cadurcus, Diuonna*. Ergo caput gentis fuit, quod moris est Ptolemæo hoc capite, atque Magnoni, primas vrbes nominare. Hæc tandem gentis nomen illorum tempore consuetudine adsumsit, & *Cadurci, Cadurcum,* nec non *Cadurx*, & denique *Caors* siue *Cahors*, quod hodieque obtinet, appellata est. Alterum oppidum Cadurcorum *Vxellodunum* fuit, natura loci egregie munitum, cuius situm & expugnationem Hirtius lib. VIII B. Gall. cap. XXXIII seqq. describit. Sunt qui hanc primariam vrbem Cadurcorum dicant, siue Cahors, vt hodie vocatur: sed Diuonam illam esse, iam satis probatum fuit. Accedit quod Hirtius dicto loco dixit, *Vxellodunum in clientela Luterii*, principis Cadurcorum, *fuisse*, quod infra dignitatem vrbis primæ esset, quæ caput totius gentis sit. Quod si ergo diuersum est oppidum vel nominis indicio, in Peuch d'Vsselou, vel le Peuch d'Vsseldun, tribus leucis a Cadenaco, ad eumdem amnem Oldum, cui Diuona adposita est, inueniri non dubitamus. Pars Cadurcorum cognominantur *Eleutheri*, id est liberi, apud Cæsarem lib. VII cap. LXXV. Horum quibusdam videtur *Albiga* fuisse, ad flumen *Tarnem*: hodie *Alby*, quæ *ciuitas Albigensium* in Notitia vrbium Galliæ; *vrbs Albigensis* apud Gregorium Turonensem lib. VII cap. I. Est etiam in litteris pactionis apud Gregorium Turonensem lib. IX cap. XX *Albige* sexto casu, quasi *Albix* in primo. Hinc *Albigenses* & *Albienses* in Notitia Imperii sub dispositione Magistri mil. per Thracias, *Equites cata-*

phra-

phractarii Albigenses, quos [illegible]irolus ex Albinga Liguriæ duxit: malumus cum Valesio ex Aquit[illegible].

Succedunt Cæsaris *Ruteni* lib. VII sæpe. Ptolemæus *Rutanos* vocat, eisque vrbem adscribit *Segedun*[illegible]. Sed Strabo etiam Ῥυτηνὺς appellat, ac Plinius *Rutenos:* & Lu[illegible]us lib. I vers. 401

Soluuntur flaui longa statione Ruteni.

Nomen vrbis *Segedunum* apud Ptolemæum, vt dix[illegible]us, etiam in Tabula Peutingeriana: postea *Ruteni*, gentis nomine, & ipsa nominata, & *vrbs Rutena:* hodie Rodes. Pars Rutenoru[illegible]d prouinciam vergebat, eratque ditionis Romanæ iam Cæsaris temporibus, ideoque ab ipso lib. VII cap. VII *Ruteni prouinciales* dicti. Contermini his & Narbonensi prouinciæ Gabali, itidem Cæsaris li[illegible] VII cap. LXXV; & Ptolemæi, & vrbs illorum Ἀνδέριδον, *Anderidum*, apud eumdem Ptolemæum, vbi Scaliger *Anderedon*, Ἀνδερηδῶν legit: in eadem Tabula Peutingeriana *Anderitum:* in Conciliis *Gabalitana Ecclesia & ciuitas.* Sidonius Carm. XXIV, Propemptico ad libellum, vers. 23

Tum terram Gabalum satis niuosam,
Et quantum indigenæ volunt putari,
Sublimem in puteo videbis vrbem.

id est, ex profunda valle celsam vrbem adspicies. Iacobus Sirmondus ad illum locum inscriptionem adfert, in finibus Aruernorum Gabalorumque effossam:

I M P. C A E S
M. C A S. L A T
P O S T V M O
P. F. A V G. C O S
M. P. G A B A L L. V

Populum Strabo lib. IV pag. 132 Γαβάλεις, *Gabales:* regionem Gabalitanam Plinius lib. XI cap. XLII *pagum Gabalicum* vocat; posteriores *Gaualdanum* pagum, vnde *Geuaudan* hodie; & ex Gabalis, vrbis nomine, *Javols*, siue *Javouls*, & *Javoux*, quatuor leucis a Mende. Huc Valesius refert quoque *milites Anderetianos* sub dispositione Ducis Mogontiacensis, Notit. Gall. pag. 213.

Omnium maxime in ortu ex Aquitanis *Aruerni* recedunt, nobilissimæ famæ populus, a Cæsare, Strabone, Plinio, Ptolemæo, & inter recentiores a Sidonio, qui episcopus eorum fuit, multum

com-

commemoratus. Potentia illor[...] ex bellis contra Ro[...]os ge-
stis elucet. Plinius lib. IV ca[...] XIX *Aruerni liberi*, quibus aui-
tam libertatem Romani eti[...] victis seruauerunt, propter præstan-
tiam virtutis. Tanta en[...] antiquitate erant, vt genus æque a Tro-
ianis per Antenorem, [...]am Romani per Aeneam deriuarent. Lu-
canus lib. I verſ. 4[...]

Aruern[...]ue auſi Latio ſe fingere fratres,
San[...]ine ab Iliaco populi.

Quæ re[...]cit & ſua facit Sidonius lib. VII epiſt. VII. Primariam vrbe[...] Strabo Νεμωσσὸν, *Nemoſſum* vocat; Ptolemæus, & per no-ta[...] auctor Tabulæ Peutingerianæ *Auguſtonemetum*, quod Caſaubonum induxit, vt de emendando Strabone cogitaret, quaſi ille non Νεμωσσὸς, ſed Νεμετὸς vel Νεμεττὸς ſcripſiſſet, cui vocabulo ex Auguſti nomine, vt multis aliis acceſſio facta fuerit. Cito fuit, quum vrbs, depoſito priſco nomine, gentis ſibi nomen aptauit. Sidonius lib. VII epiſt. II *Aruerni huic pàtria: parentes natalibus non ſuperbis, ſed abſolutis:* qui etiam lib. III epiſt. XII *urbem Aruernam* vocat. Notitia Ciuitatum Galliæ eſt *Ciuitas Aruernorum*. Magno, ille Notarum collector & explicator: *Aruernus, Aguſtanemetum,* id eſt, Auguſtonemetum. Atque eadem vrbs a mille prope annis, vt probat Valeſius, ex ſitu cœpit *Clarus Mons* vocari, quam hodieque nominationem tenet. Diuerſa ab hac, attamen vicina, *Gergouia* Aruernorum erat, in editiore monte, iuxta Elauer flumen ſita, & validiſſime munita; diſtincta etiam a Gergobia Boiorum. Strabo clare diſtinxit inter *Nemoſſum* ſiue *Nemetum*, & inter Γεργουΐαν πόλιν Ἀρουέρνων, *Gergouiam oppidum Aruernorum*. Hæc omnes aditus tam difficiles habebat, vt Cæſar de expugnatione deſperaret. Cladem, inter oppugnandum acceptam, ipſe deſcripſit lib. VII cap. L, LI. Vnde Sidonius de virtute Aruernorum gloriabundus iudicat Panegyrico Auiti ſoceri, verſ. 150

teſtis mihi Cæſaris eſto
Heic nimium fortuna pauens, quum colle repulſus
Gergouiæ caſtris miles vix reſtitit ipſis.

Exciſa iacet Gergouia, ſed rudera in monte Gorgoie nomine, quod ſeruant, vna leuca ab Elaueri flumine, nec multo longius a Claro Monte, teſtantur de ſede genuina. Vt autem de Aruernorum

voca-

vocabulo eiusque scriptura antiqua certiores simus, ex Appendice Reinesii inscriptionem V referemus:

GENIO ARVERNORVM
SEX. ORCIVS SVAVIS
AEDVVS.

Subesse Aruernis *Vellaui*, siue *Velauni* consueuerant. nam vtroque modo scribuntur. Strabo Οὐελλάϊοι, qui *Vellaui* sunt Latine; Ptolemæus Οὐέλλαυνοι, *Velauni*. Cæsaris codices variant lib. VII cap. LXXV. Vulgo ita editum: *Parem numerum* (imperat Vercingetorix) *Aruernis, adiunctis Eleutheris Cadurcis, Gabalis, Velaunis, qui sub imperio Aruernorum esse consueuerunt.* Oppidum Velaunis Ptolemæus tribuit *Ruesium:* mauult Valesius *Ruesionem,* quia *Reuessione* in Tabula Peutingeriana est. Sunt qui in Anicio siue Podio (le Puy) illud quærant, sed propius afuisse ab illo *Vellauam vrbem,* vt Turonensis vocat, siue *Vellauorum ciuitatem,* vt vocatur Notit. Ciuit. Galliæ, ex eiusdem Gregorii Turonici verbis lib. X cap. XXV intelligimus: *Ingressus Vellaua vrbis terminum, ad locum, quem Anicium vocitant, accedit.*

Supra Aruernos ad Ligerim in angulo flectentis fluminis sunt *Bituriges, Cubi* a Strabone, Plinio, Ptolemæo cognominati. Plinius lib. IV cap. XIX *Hinc Bituriges liberi, qui Cubi appellantur.* Ptolemæus: Βιτούριγες οἱ Κοῦβοι, atque ita etiam Strabo. Cæsar *Bituriges* simpliciter sine cognomine appellat: cognomine autem a Viuiscis Biturigibus discernuntur, qui ad Garumnæ ostium erant. Inscriptio LXXXIV Reinesii Class. I, in Biturigibus reperta, subiecta statuæ Martis:

FLAVIA CVBA FIRMANI FILIA
COSOSO DEO MARTI SVO HOC
SIGNVM DICAVIT AVGVSTO

Oppidum illorum *Auaricum* nominat Ptolemæus, notum satis ex Cæsaris bello, qui ita de eo lib. VII cap. XIII scripsit: *Cæsar ad oppidum Auaricum, quod erat maximum munitissimumque in finibus Biturigum, atque agri fertilissima regione, profectus est, quod, eo oppido recepto, ciuitatem Biturigum se in potestatem redacturum confidebat.* Quod etiam expugnauit, vt cap. XXVII seq. ab ipso est perscriptum. Dictum *Auaricum,* a flumine *Auara,* quem postea *Auerum* vocauerunt, præterfluente: nunc ille Evre siue Yevre appellatur.

Bb Vrbis

Vrbis nomen cum gentis vocabulo postmodum, vt solemne erat, commutatum fuit. In Tabula tamen Peutingeriana & Antonini Itinerario vetus nomen retinetur: Sidonio autem *Biturica* funt vrbis nomen lib. VII epist. V ineunte. *Bituricas*, inquit, *decreto ciuium petitus, adueni*. Adde epist. IX eiusdem libri. Apud Magnonem: *Biturex, Auaricum*. Ex illo gentis nomine *Bituriges*, siue *Biturica*, & in dies prauato magis, tandem *Bourges* natum est, nunc vrbis nomen istius celeberrimae. Non enim aliud Auaricum fuisse iter Antonini a Burdigala Augustodunum, quod supra excerpsimus, euidenter demonstrat, idque magna confessione recentiores Galli approbant.

Atque haec etiam de Aquitania noua, siue XIV gentium, Iulianae ab Augusto Caesare adiecta, quae inter Garumnam, Ligerim & Cebennam montem sita omnis est. Plurimas etiam illarum XIV gentium exposuimus, quas quidem Strabo non plene omnes enumerauit, sed tantum pag. 132 Aruernos, Vellauos, Lemouices, Petrocorios, Nitiobriges, Cadurcos, Bituriges Cubos, Santones, Pictones, Rutenos, Gabalos. Addit primo loco Ἐλουοὺς ἀπὸ τοῦ Ροδανοῦ τὴν ἀρχὴν ἔχοντας, *Eluos*, siue *Heluios*, Rhodanum accolentes: sed illos Caesar prouinciae Romanae contribuit: Plinius & Ptolemaeus in Narbonensi censent, quae Prouinciae respondet. Ergo vndecim tantummodo enumeratos populos habemus: duodecimum *Eluos* condonamus Strabonis errori: reliquos duos ignoramus, forsan in obscuris Plinii quaerendos.

Sed vbi Gallica *Vasconia* censenda est, vnde Gascogne hodie pars magna Aquitaniae nominatur? Est in Gallis quaedam Vasconia, sed illa non est eius aetatis, cuius nos geographiam paramus, verum aeui multo recentioris. Vascones veteres omnes in Hispania fuerunt, quamdiu Romanum in ea imperium stetit. Exstincta autem Romanorum dominatione turbatisque rebus prouinciarum, in Transalpina citeriore Francis iam regnantibus, & Alanis, Vandalis, Sueuis in Hispaniam effusis; coacti Vascones, seu pars illorum, nouas sedes circumspicere, & transcensis Pyrenaeis in Aquitaniam, a Romanis desertam, a Francis adhuc intactam, demigrarunt. Ausonii autem aetate, quod ex eius epistola XXIII & XXV, & Paullini ad Sidonium carmine X constat, suis in Hispania terminis immoti Vascones continebantur. Post illa tempora eruptiones fiebant, in illam

illam partem Galliæ, quam tandem occupatam possederunt. Venantius Fortunatus lib. x carm. vltimo ad Galactorium, Comitem vlterioris Galliæ:

Vt patriæ fines sapiens tuearis, & vrbes
Adquiras vt ei, qui dat opima tibi.
Cantaber vt timeat, Vasco vagus arma pauescat,
Atque Pyrenææ deserat Alpis opem.

Et Gregorius Turonensis lib. IX cap. VII *Vascones de montibus prorumpentes in plana descendunt, vineas agrosque depopulantes, domos tradentes incendio, non nullos abducentes captiuos cum pecoribus.* Tum temporis Gothi adhuc agebant in Septimania. Post demum Vascones ex prædatoribus facti sunt possessores. Sic expedita Aquitania ad Celticam Galliam seu Lugdunensem vt progrediamur, instituti ratio postulat.

GALLIA CELTICA
SIVE
LVGDVNENSIS.

Pars altera Galliæ, a Gallis proprie dictis siue Celtis habitata, antea *Celtica* dicta, post *Lugdunensis* a metropoli Lugduno, præfecti sede, est appellata. Plinius lib. IV cap. XVII *A Sequana ad Garumnam Celtica eademque Lugdunensis.* Facilioris expeditionis caussa diuidimus hanc rursus in tres partes, primum expositurі Armoricum tractum, qui peninsulam Britannicam cum reliquo litore vsque ad ostium Sequanæ tenet: deinde tractum qui inter Armoricum, Ligerim & Sequanam est comprehensus: & tandem illum, qui est inde a Sequana, & circa Ararim, vsque ad huius & Ligeris confluentem. Primum igitur de *Armoricis* siue *Aremoricis*, (nam vtroque modo scribitur) id est de populis maritimis inter Ligerim & Sequanam, dicendum est. Vt Cæsar definit, ad Oceanum habitarunt, Celtica lingua quasi *maritimi* dicti, quia *ar mœr* est *ad mare,* Celtis æque ac Teutonibus *mœr* mare appellantibus. Cæsaris verba sunt lib. VII cap. LXXV, *Vniuersis ciuitatibus, quæ Oceanum attingunt, quæque eorum consuetudine* ARMORICAE *appellantur, quo sunt in numero Curiosolites, Rhedones, Ambibari, Cadetes, Osismii, Veneti, Vnelli.* Nec minus Hirtius continuator librorum Cæsaris cap. XXXI eos ad eundem modum describit. *Ceteræ*, inquit, *ciuitates positæ in vltimis*

Galliæ finibus Oceano coniunctæ, quæ Armoricæ appellantur, impetum faciunt. Plinius quidem lib. IV cap. XVII *Aquitanica*, ait, *Aremorica antea dicta:* ſed nemo, præter eum, hoc unquam dixit. Quin potius Santones Pictonesque, nobiliſſimos populos Aquitaniæ, ab Armoricis diſtinxit Auſonius epiſt. IX verſ. 35

Sunt & Armorici qui laudent oſtrea ponti,
Et quæ Pictonici legit accola litoris:

quibus paullo ante præceſſerant,

Santonico quæ tecta ſalo.

Neque quas antea Cæſar nominauit Armoricas ciuitates, in Aquitania, aut in Belgica ſitæ ſunt, ſed omnes inter has prouincias interceptæ. Non ergo proprie dictum in Notitia Imperii eſt, quum capite *de Duce tractus Armoricani*, eius limes extendi dicitur *per quinque prouincias, Aquitaniam vtramque, Senoniam, Secundam & Tertiam Lugdunenſem.* Non, inquam, niſi improprie & vocabulorum abuſione hæc dicta ſunt, quod tractus illius Dux plures prouincias, quam Armoricas, vna rexit. nam multæ illarum in mediterranea [illegible]runt, a quibus Armoricæ ſeiunctæ fuerunt, vt non modo Celtici vis vocabuli oſtendit, quod maritimum ſonat; verum etiam Rutilius Numatianus, quum lib. I verſ. 213 notanter ſcripſit,

Cuius Aremoricas pater Exſuperantius oras
Nunc poſtliminium pacis amore docet.

ORAS dum dicit, extremitates ſiue litoralem tractum, non mediterraneum, ſignificat. Aliæ autem oræ non ſunt Oceani in Gallia, niſi inter Ligerim Aquitaniæ terminum; & Sequanam finitorem prouinciæ Belgarum. Hinc eſt, quod Ericus, Altiſiodorenſis monachus, lib. V de Vita S. Germani dixit:

Gens inter geminos notiſſima clauditur amnes,
Armoricana prius veteri cognomine dicta.

INTER GEMINOS AMNES, hoc eſt inter Ligerim Sequanamque, amnes Galliarum nobiliſſimos. Ora illa, ſiue maritima regio, ſæpe *Tractus Armoricus* ſiue *Armoricanus* appellatur, vt iam vidimus in Notitia Imperii Occidentalis: quod etiam abſolute dicunt, virili genere ſuppreſſo *tractus* vocabulo. Venantius Fortunatus lib. III Opuſculorum, carmine VI ſub initium,

Vltima ſit quamuis regio Armoricus in orbe,

accentu contra morem traiecto, quod non inſolens huic auctori eſt: & Græ-

& Græcus etiam Zosimus lib. VI cap. V eodem: ὁ Ἀρμόριχος ἅπας καὶ ἕτεραι Γαλατῶν ἐπαρχίαι. quod Leunclauius vertit: *totus ille tractus Armoricus, ceteraque Gallorum prouinciæ.* Nec vero minus femineo sexu *Armorica* simpliciter dicebatur, vt ora, prouincia, regio, aut simile subaudiretur. Eutropius lib. IX cap. XIV *Carausius quum apud Bononiam per tractum Belgicæ & Armoricæ pacandum mare accepisset, quod Franci & Saxones infestabant; - - - - purpuram sumsit.* Cæsar non semel vocat *Armoricas ciuitates* loco supra dicto; & lib. V cap. LI *Certior factus, magnas Gallorum copias earum ciuitatum, quæ Armoricæ appellantur, oppugnandi sui caussa conuenisse.* De singulis ergo earum ciuitatum, a Ligeris ostio progrediendo, qui Aquitaniæ explicatæ limes est, ad Sequanam seu initium Belgicæ maritimæ, nunc distincte & perspicue dicturi sumus.

Primi Armoricorum in Aquitanico limite *Namnetes* sunt, siue *Nannetes*, inter quos & Pictones, Liger amnis, vt Strabo lib. IV pag. 131 obseruat, effluit. Cæsar Gall. B. lib. III cap. IX *Socios sibi ad id bellum Osismios, Lexobios, Nannetes, Ambialites, Marinos, Diablintes, Menapios adsciscunt.* Plinius lib. IV cap. XVIII *Vltra peninsulam* (hodie Britanniam minorem) *Nannetes.* Ptolemæo Ναμνῆται, *Namnetæ* sunt, ὧν ἡ πόλις Κονδιούικνον, *quorum oppidum Condiuicnum est.* Vrbs ergo *Condiuicnum* est illa primaria gentis ad Ligerim sita, quæ hodie Nantes appellatur. Vt enim solemne fuit medio æuo, abolito veteri nomine, gentis vocabulum principi illius vrbi impositum est, nec tantum, vt in Notitia prouinciæ Lugdunensis III habetur, *ciuitas Namnetum*, vt apud Gregorium Turonensem lib. VI cap. XV ineunte est, *Ciuitas Namnetica* vocatur; verum etiam *Namnetes* simpliciter, siue Ptolemæi forma *Namnetæ.* Idem Turonensis lib. VIII cap. XLIII *Antestius Namnetas accessit.* Et Venantius Fortunatus lib. III epistola solutæ orationis ad episcopum Namneticum Felicem: *Si Ligerim vobiscum adscendissem, secundis flatibus Namnetas occurrissem.* Inde vulgari ore *Nantes* factum, vt hodie appellatur.

Proximi Namnetibus, in peninsula autem primi erant *Veneti*, antiquus populus & nautica exercitatione clarus. Cæsar lib. III Gall. cap. VIII *Q. Velanius missus in Venetos. Huius ciuitatis est longe amplissima auctoritas omnis oræ maritimæ regionum earum, quod & naues habent Veneti plurimas, quibus in Britanniam nauigare consuerunt:*

runt: & scientia atque vsu nauticarum rerum ceteros antecedunt: & in magno impetu maris, atque aperto paucis portubus interiectis, quos tenent ipsi, omnes fere, qui eodem mari vti consueuerunt, habent vectigales. Capite x insequenti: regionem illorum vocat *Venetiam*. Regionem, inquam, non vrbem quam nusquam Cæsar nominauit: nec *ciuitas* superioribus verbis vrbem, sed, vt vbique apud Cæsarem, populum & societatem significat. Ptolemæus autem vrbem illorum nominat Δαριόριγον, *Dariorigum*, quam non dubitamus primam fuisse & præcipuam, vt solitus est Ptolemæus, vbi vnam tantummodo in gente nominat. Hæc in Notitia Lugdunensis tertiæ, *ciuitas Venetûm:* & apud Gregorium Turonensem *ciuitas Venetica*, eo modo vt *Veneticum bellum* dixit Cæsar lib. IV cap. XXI. Medio æuo gentis nomen vrbi pro more datum. Notitia Imperii sub dispositione Ducis Tractus Armoricani: *Præfectus militum Maurorum Venetorum Venetis*. VENETIS, sexto casu, vt solent pluralia vrbium. Additur autem hospitii locus eo casu apud singulos præfectos militiæ, vti statim ibidem sequuntur, qui Constantia, Aleto, Rothomago stationes habebant: interdum casu quarto, vt *apud* subaudiatur. Sed de his proprie in medii æui geographia: nunc prælibare tantum lubuit, vt etiam ex nomine *Vennes*, quamlibet prauato, quod hodie obtinet, demonstretur, veterem Venetorum vrbem primariam in eo loco exstitisse. Portus in illo tractu est *Vindana*, quem Ptolemæi numeros sequuti Venetiæ tribuimus, quamuis Valesius ad Gobæum promontorium, & vltimum angulum peninsulæ, quod nihil interposuit Ptolemæus, reductum velit, quem videas in *Briuates*.

Extremi, in latere australi peninsulæ illius, *Curiosolites* Cæsaris, *Curiosuelites* Plinii, erant. Gemina forma Cæsar *Curiosolita* & *Curiosolites:* illa, lib. III cap. VII *missus Trebius Gallus in Curiosolitas: Q. Velanius in Venetos:* hac, lib. VII cap. LXXV *Curiosolites, Redones, Osismii, Veneti, Vnelli*. Plinii vox mendosa Hadriano Valesio videtur, legendumque putat *Curiosulites*. Posteriori æuo liquida mutata *Coriosopites* dixerunt. Sic vrbs eorum, cuius vetus nomen nemo superstitum scriptorum tradidit, in Notitia Ciuitatum Galliæ Lugdunensis III dicitur *Ciuitas Curiosopitum*, quam indidem ortus Io. Harduinus in Plinium Notis, eam esse, quæ nunc Quimper vocatur, adseuerat.

Vltimi

Vltimi in septemtrionali latere *Osismii*, prope *Gobeum* promontorium. Ptolemæus τελευταῖοι, οἱ μέχρι τῦ Γοβαίου ἀκρωτηρίου Οσίσμιοι, *extremi vsque ad Gobæum promontorium Osismii*. Cæsar lib. II cap. XXXIV *Miserat ad Venetos, Vnellos, Osismios, Curiosolitas.* quos socios etiam lib. VII cap. LXXV coniungit. Strabo Venetis proximos facit *Osismios*. ἐνθένδε, *hinc*, id est post Venetos, *Osismii*, quos ἐπί τινος ἀκρωτηρίου ἱκανῶς ἀνέχοντος εἰς τὸν ὠκεανὸν, *super quodam satis longe in Oceanum procurrente promontorio* locauit, quod Gobæo Ptolemæi a pluribus tribuitur. Est ibi etiam portus *Brivates* eiusdem Ptolemæi collocandus, quamuis idem illum multo citeriorem posuerit. Gallorum enim consensu nomen suum, sed vulgi ore contractius, in *Brest*, nobili oppido & capacissimo portu, conseruat. Sed tantum λιμένα, *portum* ille vocat; oppidum Osismiorum nominat *Vorganium*, quod breuiata scriptura *Vorgium* in Tabula Peutingeriana est. Gentis quoque nomen pro temporum illorum consuetudine adsumtum, & Notitia Imperii etiam vrbem *Osismios appellat*. Sub Ducis enim Armoricani dispositione habet *Præfectum militum Osismiacorum Osismiis*, id est, illi oppido præsidii caussa impositorum: Cui illa nostrorum temporum ciuitati, vtrum Lantriguet, an S. Pol de Leon, aut alii respondeat, incertum est Hadriano Valesio.

Inde plus in ortum eodem litore situm fuit *Aletum*, non obscura quondam vrbs & præsidio munita, etiam Christianis temporibus ornata episcopatu. Notitia Imperii Occidentalis sub dispositione Ducis tractus Armoricani: *Præfectus militum Martensium Aleto*. Vetustiorem, qui memorauerit non cognouimus, neque eius nominis hodie oppidum, vel in tractu isto castrum superest. Fuisse autem ferme in loco, vbi nunc fanum S. Maclouii est, vulgo S. Malo; non sinit nos dubitare Robertus de Monte ad annum CIↃCLXXXII. *Obiit*, inquit, *venerabilis vir Albertus, Aletensis episcopus, quem moderni de sancto Mademo vocant, cuius episcopatus antiquitus ciuitas Alita vocabatur*. Eodem manente litterarum ductu, separatis tantum quæ coniuncta sunt perperam, pro *Mademo* legas velim *Maclouio*; vt etiam legit Hadrianus Valesius in Notitia Galliarum, qui S. Maclouii fanum circiter mille passus in mare seu parvam peninsulam magis reductam esse tradit, quam Aleti vetusti oppidi sint vestigia. Cui vero populo adscriptum quondam Aletum

fuerit,

fuerit, Rhedonibusne, an Abrincatuis, an ab vtrisque diuerso alicui, in tanta veterum monimentorum paucitate non facile forsan ab vllo demonstrari poterit.

Intus, ab ortiua plaga peninsulæ, *Rhedones*, siue *Redones* coluerunt. Cæsar lib. VII cap. LXXV *Curiosolites, Rhedones, Ambibari, Cadetes, Osismii, Veneti, Vnelli:* ex quo numero Ambibari & Cadetes ignorantur. Ptolemæus etiam Ῥήδονες, *Rhedones* habet, sed loco alieno, παρὰ τὸν Λίγειρα ποταμὸν, *ad Ligerim fluuium*, ὧν πόλις Κονδάτε; *quorum vrbs Condate sit.* Vrbis nomen etiam in Itinerario Antonini est, itinere ab Alaunio ad Condate, hoc ordine positum

Alaunium	—	—	—
Cosedias	M.	P.	XX
Fanum Martis	M.	P.	XXXII
Ad Fines	M.	P.	XXVII
Condate	M.	P.	XXIX.

Est [illegible] Condate in alio itinere a Iuliobona Durocasses, & in Theodo[illegible]a Tabula, sed diuersum a nostro esse oportet, forsan situm in Carnutibus, non apud Rhedones, vt nostrum. nam nomen illud, si Valesio credimus, commune est, & *confluentem* Celtica lingua significat. Ex itinere autem iam explicato constat, oppido *Condate* Antonini cum Rennes, præcipua vrbe Britanniæ, vt nunc peninsula Armorica vocatur, bene conuenire, quod quidem non ad Ligeris, sed ad cuiusdam fluuioli & Vicinoniæ confluentes est positum. In Notitia Ciuitatum Galliæ Lugdunensis III dicitur *Ciuitas Redonum,* Inde postea gentis nomen ipsi vrbi hæsit, dictaque *Redona.* Notitia Imperii Occidentalis pag. 147 ed. Panciroli: *Præfectus Latorum Francorum Redonas Lugdunensi tertia.* Inde contractum magis illud Rennes, quod nunc vulgare nomen est. Ager circumiectus *regio Redonica* apud Turonensem Gregorium lib. V cap. XXX dicitur. Et hæc de peninsula illa Armorica, quam ita Plinius lib. IV cap. XVIII laudauit: *Lugdunensis Gallia habet peninsulam spectatiorem, excurrentem in Oceanum a fine Osismiorum, circuitu* IↃCXXV M. *passuum: ceruice in latitudinem* CXXV M. *Vltra eam Nannetes.*

Extra peninsulam in septemtrionem Abrincatui vergebant, quos Plinius cum Venetis & Osismiis loco dicto coniungit: Ptole-

Ptolemæo Αβϱιγκάτυοι, quos producit μέχρι τοῦ Σηκοάνα ποταμοῦ, *vsque ad Sequanam amnem*, quod [illegible]tem iusto longius est, interiectis Biducassibus, Aulercis & Lexouiis. Nomen in oppido Avranches nondum abolitum, indicium est genuinæ sedis, atque ibidem Ptolemæi oppidum Ἴγγενα, *Ingenam* collocamus, cui medio æuo nomen *Abrincatarum* accessit, (primo casu *Abrincatæ*) desumtum pro temporum consuetudine ex gentis nomenclatura. Notitia Imperii in eodem tractu Armoricano, de cuius Duce sæpe diximus: *Præfectus militum Dalmatarum Abrincatis.* Inde tandem Avranches natum, quod his temporibus vrbis nomen est.

Ab his in angulum supremum septemtrionem versus *Vnelli* se proferebant, ex Cæsare supra memorati sæpius, qui cum Osismiis & Venetis ac Rhedonibus componit. Vide vel solum caput LXXV libri VII. Addi potest lib. II cap. XXXIV, & lib. III cap. XI & XVII. Ptolemæus *Venelos*, Οὐενέλους vocat, iisque portum tribuit *Crociatonum*, Κϱοκιατονὸν in Palatino codice, qui in Peutingeri Theodosiana scribitur *Croucia connum*, supra quem in eadem septem millibus distat *Alauna*, in Itinerario *Alaunium*, vt ante ostendimus: infra, *Cosedia*, in eadem Tabula: in Itinerario *Cosedia* pluraliter: quas Brietius *Coutance* interpretatur.

Excipiunt *Biducasses*, Plinii *Vidiucasses*, Ptolemæi Βιδυκέσιοι, quorum oppidum an nominatim significauerit, non manifestum est. Vbi oram & flumina delineauit, in Biducesiis vox vna addita Αϱγένυς, quam Latinus interpres vertit *Argenis fluuii ostia:* Valesius, nescio ex quo codice, supplet pag. 74 ὧν πόλις Αϱγένυς, *quorum vrbs Argenûs est.* Non vana est hæc vel repertio vel coniectura, quia in Peutingeriana conspicitur oppidum *Araegenue*, quod laudatus Valesius *Arägenus* legit. Notitiæ Ciuitatum Gallicarum hoc oppidum est *Ciuitas Baiocassium* in Lugdunensi II, quippe & *Baiocasses* dicebantur, qui prius erant Biducasses, seu Biducesii. Idem etiam vrbis nomen factum ex more illorum temporum. Ausonius Professoribus num. IV in Auito Patera:

Doctor potentum Rhetorum,
Tu Baiocassis stirpe Druidarum satus:

Baiocassis, sexto casu, primo Baiocassi & Baiocasses, tum vrbis & populi commune nomen: quod truncatum in Notitia Imperii Occidentalis pag. 147 ita legitur: *Præfectus Lætorum Batauorum & Gentilium*

tilium Sueuorum Baiocas, & Constantia Lugdunensis secunda. Inde est, quod vulgo nunc dicitur nomen [illegible]s *Bayeux.*

Tandem ad ostium Sequanæ *Lexouii* erant siue *Lexobii*, quos vtroque modo Cæsar scripsit lib. III cap. IX: *Socios sibi ad id bellum Osismios, Lexobios, Nannetes adsciscunt.* Idem lib. VII cap. LXXV *Bellocassis, Lexouiis, Aulercis.* Plinius itidem *Lexouii:* Strabo pag. 134 Ληξούιοι, παρωκεανῖται ὄντοι, *Lexouii in Oceani ora:* Ptolemæus Ληξούβιοι, *Lexubii,** quorum est Νοιόμαγος, *Nœomagus:* in Palatino additur λιμὴν *portus.* Verum etiam oppidum fuit *Noutiomagus* itinere Antonini ab Iuliobona Duriocasses: Valesius autem subdubitat de illo itinere, an forsan propter ambages *Nouigentum*, hoc est Nogent sur Andelle legendum sit. Notitiæ Ciuitatum Galliæ in Lugdunensi II est *Ciuitas Lexouiorum.* Inde *Lexouii* gentile, nomen vrbis factum, cuius vestigia in hodierno *Lisieux* non obscura relinquuntur.

† De Armorico hactenus, siue maritima ora Lugdunensis Galliæ. Ad interiora progredimur, quæ Ligeri in occasum verso, ac Sequana & Oceano concluduntur. Namnetes supra perlustrauimus, quum de exitu Ligeris ageremus, quia ex parte sunt maritimi: quamuis maiore mediterranei. Hos attingunt *Andes, Andi, Andegaui,* siue *Andicaui.* tot modis enim idem scribitur gentis nomen. Cæsar lib. II extremo: *in Carnutes, Andes, Turones.* Et lib. III cap. VII *proximus mare Oceanum in Andibus hiemabant.* Altera forma Lucanus lib. I vers. 438

In nebulis Meduana tuis marcere perosus
Andus, iam placida Ligeris recreatur ab vnda.

Plinius lib. IV cap. XVIII *Andegauos* nominat. Tacitus Annal. III cap. XLI *Andecauos:* Ptolemæus Ὀνδικάυαι, corrupte, quod in Ἀνδικάυοι restituendum. Idem vrbem eorum vocat *Iuliomagum*, quod nomen etiam in Theodosiana Tabula repetitum est. Notitia Lugdunensis tertiæ, *Ciuitas Andicauorum.* Post gentis suæ vocata nomine. Gregorius Turonensis lib. VIII cap. XLII *Andegauos veniens, multa mala ibidem gessit.* Et singulariter Magno: *Andicauus, Iuliomagum.* Et rursus Turonensis lib. II cap. XVIII *Odouacrius de Andegauo & aliis locis obsides accepit.* Hodie Angers, cuius situs cum per se notus, tum supra in fluminibus Meduana & Sarta demonstratus est.

In

In ripa Ligeriana progressis, ortum versus, *Turones* vel *Turoni* occurrunt. *Turones* Cæsar lib. VI extremo dixit: at lib. VII cap. LXXV *Pictonibus & Turonis*: vt Teutones & Teutonos Germaniæ populum promiscue Romani appellabant. Lucanus lib. I vers. 437

Instabiles Turonos circumsita castra coercent.

Et Sidonius in panegyrico Maioriani vers. 210

quum bella timentes

Defendit Turonos, aberas.

Vrbem habuere Ptolemæo indicante *Cæsarodunum*, in Aquitanica ripa Ligeris, Celticæ tamen contributam. In Notitia Lugdunensis III, *Metropolis ciuitas Turonorum.* Et Gregorius Turonensis lib. X cap. XXXI *intra vrbem Turonicam.* Etiam gentis vocabulo vrbs insignita. Sulpicius Seuerus Dialogo III cap. VIII *qui quum in cunctis vrbibus ederet crudelitatis suæ infanda monimenta, Turonis tantum innocens erat.* Idem Gregorius lib. X cap. XXIX *Aduenit Turonos post festiuitatem S. Martini.* Ex qua forma contractum est nomen, quod hodie illa metropolis tenet, *Tours* videlicet, quasi Turones, quod gentis quondam proprium erat.

Superiori ripa *Carnutes* Ligerim attingunt in septemtrionem inde iuxta Sequanam protensi latius. Cæsar lib. II extremo: *Carnutes, Andes, Turones, quæ ciuitates propinquæ his locis erant vbi bellum gesserat.* Idem lib. V cap. XXV *Erat in Carnutibus summo loco natus Tasgetius.* Et mox: *in Carnutes proficisci iubet, ibique hiemare.* Liuius lib. V cap. XXXIV in Gallis, qui Italiam inuaserunt, numerat etiam *Carnutes*. Plinio *Carnuti*, siue, vt in MSS. est, *Carnuteni*: Plutarcho in Cæs. pag. 720 Καρνουτῖνοι: Ptolemæo Καρνοῦται, *Carnutæ*, quibus duas vrbes attribuit, Ἄυτρικον, *Autricum*, quæ prima gentis erat; & Κήναβον, *Cenabum*, Cæsari *Genabum* lib. VII cap. III, & *Genabum Carnutum* ibidem cap. XI. De prima pauciora reperiuntur, quam de altera, quæ emporium habebat. Præter nomen enim *Autrici* apud Ptolemæum vix antiquum scriptorem testem nominis habemus. Magno tandem: *Carnotenus, Autricum.* Scilicet posteriores, dimisso proprio nomine, periphrasi delectabantur. In Notitia Lugdunensis Senoniæ, *Ciuitas Carnotum*: Et Sulpicius Seuerus Dialogo III cap. II *Carnotena ciuitas*: & Paullinus Aquitanus de Vita Martini lib. IV vers. 255

Carnotena iacent patulis qua mœnia campis.

Hinc Magnonis *Carnotenus* est, quod *Autricum* veteri vocabulo explicabat. Ex gentis nomine simpliciter etiam *Carnotum* vel *Carnutum* dictum fuit. Notitia Imperii Occidentalis pag. 147: *Præfectus Latorum Teutonicianorum Carnuto Senoniæ Lugdunensis.* Conspirant Galli non aliam vrbem esse, quam quæ *Chartres* hodie appellatur. Alterum oppidum licet dignitate inferius, fama tamen, vt emporium, vtique nobilius fuit. Strabo lib. IV pag. 132 de Ligeri: ῥυεὶς δ' οὗτος παρὰ Γήναβον, τὸ τῶν Καρνούτων ἐμπορεῖον, κατὰ μέσον που τὸν πλοῦν συνοικούμενον, *hic præterfluit Genabum Carnutum emporium fere ad medium fluminis conditum.* Cæsarem supra de eo cognouimus. Hirtius lib. VIII cap. V *in oppido Carnutum Genabo:* & cap. VI *in hibernis Genabi collocauit.* Antonini itinere ab Augustoduno Luteciam, & Theodosiana Tabula *Cenabum.* Sed ab restitutore Aureliano etiam aliud nomen *Aurelianorum* acceperat. Notitia Lugdunensis Senoniæ: *Ciuitas Aurelianorum.* Et Sidonius Apollinaris lib. VIII epist. XV *Aurelianensis vrbis obsidio.* Mirum de instauratione noui nominis caussa, nihil in historiis superesse. Nunc *Orleans* dici nemo est qui ignoret.

Supra Carnutes *Aulerci* habitabant, a Sequana in Armoricam vsque peninsulam extensi. In tria genera diuisi erant, Eburouices, Diablintes, Cenomanos. Antiquum nomen *Aulercorum* etiam a Liuio lib. V cap. XXXIV in Gallis inuasoribus Italiæ numeratum. Diuisio est ex Cæsare, Plinio, & Ptolemæo. *Aulerci Eburouices* plene & clare nominantur a Cæsare lib. III cap. XVII, vbi cum Lexouiis coniungit. *Aulerci,* inquit, *Eburouices Lexouiique.* Et hi Sequanæ propiores, quibus Ptolemæus oppidum *Mediolanum* dat, ideo in Peutingeriana Theodosii Tabula & Antonini itinere a Rotomago Luteciam *Mediolanum Aulercorum* dictum: Situm eius illud iter declarat, XXIII M. P. a Rotomago. XVII a Durocassibus: a Lutecia XXXVII. Nobilitatem Ammianus ostendit, quum lib. XV cap. XXVII inter vrbes ponit, quæ secundam Lugdunensem (duæ tantum illius æuo erant) nitore suo illustrent. Gentis nomen postea, vt solent, vrbi accessit, & in Notitia Galliæ *Ciuitas Ebroicorum,* quod ex *Eburouicum* mutatum est. Inde Ebroicæ, & tandem, vt nunc est, Evreux. *Durocasses* vel *Durocassa* in finibus Carnutum & huc referendæ sunt, in Itinerario *Durocases,* & in Peutingeriana Ta-

Tabula *Durocassium*, quod nunc est Dreux, supra quod oppidum X M. P. aliud *Condate* Antonini, itinere ab Iuliobona Durocases, quod eodem situ etiam in Peutingeriana locatur. Hæc de Aulercis Ebu-rouicibus, qui praue *Eburones* apud Cæsarem lib. VII cap. LXXV cognominantur, gentis nomine longius hinc remotæ, quum potius ex lib. III cap. XVII *Eburouices* restituendi sint. At Aulerci Ce-nomani, non secus ac Senones & Boii, ex coloniis, in Italiam antiquitus deductis, noti sunt, vbi multa cum Romanis bella gesserunt, postquam Insubriæ partem occupauerant. Vide Liuium lib. XXXIII cap. XXIII & alibi. Antiqua sedes in Lugdunensi Gallia circa flumen Sartam & vltra fuit. Cæsar lib. VII cap. LXXV *Aulercis Cenomanis totidem imperant*, puta milites in bellum aduersus Romanos. Plinius sæpe dicto loco; *Aulerci, qui cognominantur Eburouices, & qui Cenomani.* Ptolemæus Αὐλίρκιοι οἱ Κενομανοί. Et quia Eburouices in extrema Lugdunensi ad Sequanam flumen inuenimus; altera Aulercorum pars non potest alibi sedem habuisse, nisi proxime hos, ab occasu solis; & πρὸς ἀνατολὰς, *ab ortu* Andegauorum, vt Ptolemæus adnotauit. Idem vrbem illis adsignat Οὐίνδινον, *Vindinum*, quod Valesius putat *Suindinum* legendum esse, quia in Peutingeriana sit huius tractus oppidum *Subdinnum*. Sed nolumus in veteri nomine, quod abolitum est, difficiliores esse, quum alterum, quod commune cum gente fuit, *Cenomani*, ad locum inuestigandum sufficiat. In Notitia Galliæ Lugdunensis III est *Ciuitas Cenomannorum*, & Gregorius Turonensis lib. II cap. XLII *apud Cenomaniam ciuitatem.* Sed hæc κατὰ περίφρασιν. Pure gentile nomen vrbi impositum est in Notitia Imperii pag. 147 *Præfectus Latorum Gentilium Sueuorum Cenomanos Lugdunensis tertiæ.* Id quod argumento est, in truncato *Mans*, quod clarum nunc oppidum ad Sartam est, Cenomanos, vrbem veterem, latere, nec alibi locorum inquirendam esse.

Tertium Aulercorum genus, si quod fuit, superest inuestigandum, illud nempe, quod *Diablintes* cognominetur. Nusquam hoc clare indicatum est, & Cæsar ac Plinius duo tantum genera agnoscunt, Eburouices & Cenomanos. Sunt quidem *Diablintes* lib. III cap. IX & apud Plinium lib. IV cap. [illegible] *Diablindi*, sed neuter cum nomine *Aulercorum*, quod vero [illegible]que Eburouicibus & Cenomanis addiderunt. A Ptolemæo demum coniunctura *Aulercorum*

corum Diablintum videtur esse, qui in Lugdunensi præter Aulercos geminos, Cenomanos & Ἐβουρικοὺς, *Eburnicos*, qui ipsi sunt Eburouices; de tertio genere ita scripsit: ἐν τῇ μὲν μεσογείᾳ τῶν Οὐενέτων εἰσὶν δυσμικώτεροι (Palat. ἀνατολικώτεροι) Αὐλίρκιοι Διαυλῖται, ὧν πόλις Νοιόδουνον, *In mediterraneo Venetorum sunt* (magis orientales, an occidentales, incertum ambigua lectione) *Aulerci Diaulitæ, quorum vrbs Nœodunum.* Hic putant *Diaulitæ* corruptum esse ex *Diablintæ*, quod pronum quidem est ad fidem faciendam, non autem omnino certissimum. Quid enim, si error sedeat in altera voce Αὐλίρκιοι? sane si recepta lectio est tuenda, qua *occidentaliores* sunt Venetis; quam distracta erit, & quot populorum intercursu diremta gens vna Aulercorum? Andes, Rhedones, alii & ipsi Veneti discludent illos a cognatis Cenomanis, ne cum iis cohæreant, sicut hi cum Eburouicibus. Quæ caussa fuit, vt multi recentium *Nouiodunum*, vrbem horum a Ptolemæo proditam, malint in Nouigento Rotrudo, *Nogent le rotru*, quam in vllo oppido Britanniæ minoris quærere. Vide Philippum Brietium in Geograph. parallela pag. 357, & Mich. Antonium Baudrandum in *Diablintes* & *Nouioduno*. Et illos quoque duces in Tabula nostra sequuti sumus.

Quæ reliquæ sunt partes ex Lugdunensi, vsque ad ipsam metropolim Lugdunum, nunc pari modo persequendæ sunt. A Sequana autem incipiendum: nec vero iam multis attingemus, quæ in dextera ripa, infra Matronæ confluentes, ex Velocassibus & Caletibus principum arbitrio contributa Lugdunensi prouinciæ fuerant, præter vrbem *Rotomagum*, in ripa sedentem, a Ptolemæo in Veliocassibus scriptam, in Notitia Imperii Armoricis adnumeratam. Sub Duce enim tractus Armoricani dicitur fuisse *Præfectus militum Vrsariensium Rotomago.* Itinere Antonini a Carocotino Augustobonam, ponitur inter Iuliobonam & Luteciam, ab illa M. P. XIX, ab hac XXXIV, vt dubitare non liceat, quin celebre emporium ad Sequanam sit, quod Rouen appellitamus. Iam tum Theodosii & Gratiani ætate illustris vrbs & decus suæ prouinciæ fuit. Ammianus Marcellinus lib. XV cap. XXVIII *Secundam Lugdunensem Rotomagi, Turoni, Mediolanum ostendunt.* Rotomagi, male plurali numero posuit, qua[illegible] inde genti & vrbi commune nomen sit vt Turoni. Gentiles enim non *Rotomagi*, sed *Rotomagenses* dicuntur. Notitia Galliæ Lugdunensis secundæ: *Metropolis ciuitas Rotoma-*

tomagensium. Quamquam autem in ripa Belgica Rotomagus fuit, tamen in Lugdunensi prouincia principum voluntate & iussione censebatur.

Ad Sequanam circa Matronæ confluentem, sunt *Parisii*, etiam Iulii Cæsaris temporibus cum Lutecia oppido non ignoti, qui lib. VI cap. III concilium Galliæ quod indixerat, *Luteciam Parisiorum transfert. Confines hi erant Senonibus, ciuitatemque patrum memoria coniunxerant.* De oppidi situ plenius lib. VII cap. LVII *Labienus cum IIII legionibus Luteciam proficiscitur. Id est oppidum Parisiorum positum in insula fluminis Sequanæ.* Strabo lib. IV pag. 134 περὶ τὴν Σηκουάναν ποταμὸν, εἰσὶ καὶ οἱ Παρίσιοι, νῆσον ἔχοντες ἐν τῷ ποταμῷ, καὶ πόλιν Λουκοτοκίαν, *Circa Sequanam fluuium sunt etiam Parisii, insulam habentes in flumine, & vrbem Lucotociam,* id est Luteciam. Nondum illa ad vrbis magnitudinem excreuerat: intra oppidi mediocritatem continebatur, munita tamen, vt videtur; ideo *castellum* potius, quam oppidum ab Ammiano lib. XV cap. XXVII appellata. *A Belgis,* inquit, *eandem gentem* [Celtarum] *Matrona discindit & Sequana, amnes magnitudinis geminæ, cui fluentes per Lugdunensem post circumclusum ambitu insulari Parisiorum castellum, Luteciam nomine, consociatim meant.* quamuis tribus millibus supra Luteciam hi omnes confluant. Itinerarii Antoniniani auctor adhuc veteri nomine Luteciam, vel *Luticiam* quoque, appellat. Notitia Senoniæ: *Ciuitas Parisiorum,* quæ inter Senonias est penultima. Iulianus imperator Misopogone pag. 340 τὴν Παρισίων πολίχνην, *Parisiorum mediocre oppidum* inter laudes vocat. Sub idem tempus nomen gentis inhæsit, quod hodieque obtinet. Zosimus lib. III cap. IX Ἰουλιανοῦ ἐν τῷ Παρισίῳ διατρίβοντος, *Iuliano Parisii commorante:* quod ne tractum siue agrum interpreteris, ipse addit, esse id πολίχνην, *paruum oppidum* Lugdunensis Galliæ, non vt scriptum est, Germaniæ, quod etiam Iacobus Godofredus notauit: vt prouinciæ nomen in Zosimo emendandum sit.

Fuit & aliud oppidum Parisiorum quatuor millibus passuum infra Luteciam, ad idem flumen positum, *Metiosedum,* a solo Cæsare lib. VII cap. LXI memoratum. Labienus enim in Parisios, oppugnaturus Luteciam, profectus, quum nihil propter paludem profeceret, eodem quo venerat itinere, (venerat autem Agendico) ad Melodunum rediit. Inde rursus secundo flumine ad Luteciam iter facere

cere instituit, cap. LVIII. Quo cum peruenit, vt hostem deciperet, *naues quas a Meloduno deduxerat, singulas equitibus Romanis attribuit, & , prima confecta vigilia,* IIII *millia passuum secundo flumine progredi silentio, ibique se exspectari iubet. Ipse post paullo silentio egressus cum* III *legionibus eum locum petit, quo naues appelli iusserat.* Iussi interea alii cum sonitu aduerso flumine Melodunum versus referri, quibus hostes auditis, præsidio e regione castrorum, quæ ad Luteciam erant, relicto, *parua manu* METIOSEDVM *versus missa, quæ tantum progrederetur, quantum naues processissent, reliquas copias contra Labienum duxerunt.* Quo ergo naues a Labieno IIII M. P. a Lutecia præmissæ secundo flumine fuerant, eum locum appellat *Metiosedum.* Magnas heic turbas editores Cæsaris, sed recentes tantum, concitarunt, dum ex tribus locis cap. LVIII & LX eiecere vrbis nomen Melodunum, & contra veterum librorum fidem *Metiosedum* substituerunt, inducti plerique auctoritate Scaligeri, cui vrbs eadem Metiosedum & Meledunum est, quas vero ita Cæsar disparatas esse scripsit, vt Melodunum sit supra Luteciam in Senonibus situm; Metiosedum IV M. P. infra Luteciam eandem in Parisiis. Raimundus Marlianus distinxit quidem oppida, Metiosedum autem in loco Corbelli, quod inter Luteciam & Melodunum est, ponit, quem aliquando, etiam in Tabula cum multis aliis sequuti sumus: post vero Cæsaris verba curatius expendentes vtrumque oppidum, eo loco, quo narratum iam fuit constituimus, in quo præiuit nobis, quem honoris caussa nominamus, vir exactissimus Hadrianus Valesius.

Ad latus Parisiorum sub Matrona Meldi sunt, Strabonis Μέλδοι, Plinii *Meldi liberi;* Ptolemæi Μέλδαι, *Meldæ;* nec Cæsari ignoti. Lib. V enim cap. V dicit: *naues quæ in Meldis factæ erant, cursum tenere non potuisse.* Ptolemæus attribuit oppidum Ἰάτινον, *Iatinum,* quod in Notitia Lugdunensis Senoniæ *Ciuitas Meldorum* est, sita ad Matronam, nunc *Meaux* dicta, ex gentis nomine *Meldi,* post vrbi tributo, pro linguæ Gallicanæ indole vocabulo deducto.

Supra Parisios ad Sequanam circa Icaunæ confluentes sunt *Senones,* omnium notissimi propter Italiæ inuasionem & Romam in ea captam exustamque. Sed id damni colonia Senonum, dudum transducta Alpes & ad superum mare collocata, reipublicæ Romanæ intulit; non qui domicilium in Transalpina habebant. Strabo

Σένω-

Σένωνες porrecta media: melius Σένονες Ptolemæus O breui ſcripſit, quia Latini poetæ corripiunt. Silius Italicus lib. VIII verſ. 454

Et Clanis, & Rubico, & Senonum de nomine Sena.

Et Sidonius Apollinaris Panegyrico Maioriani verſ. 82

ſed reppulit vnus
Tum quoque totam aciem, Senones dum garrulus anſer
Nuntiat, & vigilat veſtrum ſine milite fatum.

Ptolemæus illorum trans Alpes Senonum vrbem principem Ἀγηδικόν, *Agedicum* nominat, Cæſar ſemper *Agendicum*, vt lib. VII in Labieni expeditione; idque in Senonibus cenſet lib. V extremo. *Legiones*, inquit, IIII *reliquas in Senonum finibus Agendici in hibernis collocauit.* Alii malunt *Agedincum* dicere, & in Antonini itinere a Carocotino Auguſtobonam, veteres libri, etiam Aldi, *Agredicum*, habent, ex quo *Agedincum*, Surita fecit. In Notitia Senoniæ ſiue Lugdunenſis quartæ: *Metropolis ciuitas Senonum.* Per idem tempus gentis nomen etiam vrbi conceſſum. Ammianus lib. XV cap. XXVII *Lugdunenſem primam* (tum duæ ſolum erant) *Lugdunus ornat, & Cabillones, & Senones, & Biturigæ.* Omnia enim hæc vrbium nomina. Et Eutropius lib. X cap. VII *Magnentius vim vitæ ſuæ apud Lugdunum attulit: frater quoque eius Senonis.* de qua voce aliquando dubitauimus: ſed bene ſe habet. Sicut enim dicimus Santoni & Santones, Turoni & Turones; ita quoque *Senoni & Senones*, a qua altera forma ſextus caſus, quo opus eſt in pluralibus vrbium, *Senonis* factus, id eſt in vrbe Senonum. Hodie contractius *Sens* appellatur, vrbs non ignobilis, adpoſita flumini Icaunæ, nunc Yonne, quod aliquot millibus infra eam vrbem flumini Sequanæ miſcetur.

Erant & alia oppida ditionis Senonum: *Vellaunodunum*, de quo Cæſar lib. VII cap. XI & ſequentibus. *Altero*, inquit, *die, quum ad oppidum Senonum Vellaunodunum veniſſet, oppugnare inſtituit.* Multorum iudicio eſt Chaſteau Landon, in occaſum a Senonibus reductum: & *Melodunum* reſtituendum Cæſari lib. VII cap. LVIII & LX, quod multi nuper abſtulerant, *Metioſedum*, quaſi idem eſſet, ſubſtituentes. Id enim & ſcripti & olim impreſſi codices Cæſaris cum metaphraſta conſeruant. Situm ipſe dicto lib. VII cap. LVIII deſcribit in Labieni obſidione Pariſiorum. *Silentio*, inquit, *e caſtris* III *vigilia egreſſus, eodem quo venerat itinere* (Agendico autem venerat) *Melodunum peruenit. Id eſt oppidum Senonum in inſula Sequanæ*

 poſitum,

positum, vt paullo ante Luteciam diximus. Decem leucis abest auerso flumine, a Lutecia. Cuius quamuis nemo veterum, præter Cæsarem, quod mireris, mentionem fecit; non obscure tamen nomen antiquum, sed constrictius, seruatur in *Melun*, quod eodem situm loco est, quem supra Cæsar designauerat. Etiam *Antisiodorum*, vt vulgo dicitur, etiam *Altisiodorum*; sed vtroque rectius Autesiodorum, vt in Antonini itinere a Mediolano per Alpes in Galliam; & in Tabula Theodosiana est; hoc, inquam, Autisiodorum etiam in Senonum oppidis fuisse videtur, quamuis alii Aeduis attribuant: nescimus autem quam antiquum sit, quia priores iis, quos diximus, non habemus qui memorauerint: Ammianus autem Marcellinus eiusdem ferme ætatis, qui lib. XVI cap. II de Iuliano Cæsare dixit, *percurso eodem itinere, Autosidorum peruenit*; & Antonini *Autesiodorum*, idem est oppidum Henrico Valesio, quia quæ itinerario coniunguntur Sidolaucum & Aballo, ipse quoque ex Regio & Colbertino codicibus Ammiano suo restituit. Abest ab Augustoduno M. P. LXXXIIII, ab Tricassibus LI, quæ distantia in oppidum Auxerre, vt nunc vocatur, incidit, Icaunæ flumini adpositum.

Senonibus ab ortu proximi erant Tricasses Plinii, Τρικάσσιοι Ptolemæi, inter Sequanam ferme Matronamque positi. Scribuntur etiam *Trecasses*; item *Tricases*, & *Trecases*, nec non *Tricassini*. Ammianus iam dicto lib. XVI cap. II *Cæsar, percurso eodem itinere, Autosidorum peruenit. vbi breui, sicut solebat, otio cum milite recreatus, ad Tricassinos tendebat. - - - - Proinde certiore iam spe ad resistendum ingruentibus confirmatus, per multa discrimina venerat Tricassas adeo insperatus*, & reliqua, quæ post paullo recensebimus. Vetus inscriptio apud Gruterum pag. 371 num. 8

AETE. MEMORIAE. AVRELI
DEMETRI ADIVTORI
PROCC. CIVITATIS SENONVM
TRICASSINORVM MELDO
RVM. PARISIORVM. ET. CI
VITATIS AEDVORVM.

Ex quibus vna videmus, ratione procurationis Senonum & Aeduorum ciuitates fuisse præcipuas & singulares: Tricassinorum, Meldorum, Parisiorum aliquando cum Senonibus coniunctas. Sed hæc ἐν παρόδῳ. Tricassium vrbem Ptolemæus vocat Αὐγουστόμανα, *Augu-*

Augustomanam, quæ eadem est *Augustobona* Antonini siue Aethici, itinere a Carocotino portu Augustobonam. Vtriusque enim vocabuli idem sensus, idem omen est, quia quod Varro prodit lib. v de Latina Lingua cap. II *Bonum antiqui dicebant Manum*. Notitiæ Galliarum in Senonia est *Ciuitas Tricassium*, quæ deinde gentis nomen, vt solemne erat, accepit. Sidonius Apollinaris lib. VI epist. IV de Prudente quodam: *hoc viro nomen, quem nunc Tricassibus degere fama diuulgat*. Auctor Itinerarii dicto itinere a Mediolano per Alpes, *Tricases* scripsit, & hoc ordine posuit:

Autesiodorum	—	—	
Eburobricam	M.	P.	XVIII
Tricases	M.	P.	XXXIII
Artiacam	M.	P.	XVIII
Durocatelaunos	M.	P.	XXXIII
Durocortorum	M.	P.	XXVII

Ammianus alia forma *Tricassas* dixit lib. XVI cap. III. *Per multa*, inquit, *discrimina venerat adeo insperatus, vt eo portas pæne pulsante, diffusæ multitudinis barbaræ metu aditus vrbis non sine anxia panderetur ambage*. Posteriores, truncata voce, *Trecæ* vel *Treci* dixerunt; ex eoque tandem, vt nunc est nomen, *Troyes* ortum. Iam enim ex Itinerario clarum fuit, hanc ipsam esse, quam veteres primum Augustomanam siue Augustobonam dixerant: deinde Tricasses, Tricases, & ciuitatem Tricassium.

Supra Senones in austrum vergunt *Mandubii*, ex altera parte finitimi Aeduorum, a Cæsare atque Strabone memorati, quorum munitissimum oppidum *Alesia* fuit, quod Cæsar expugnauit & forsan etiam deleuit. De gente & oppido sic scripsit lib. VII Belli Gall. cap. LXVIII *Vercingetorix protinus Alesiam, quod est oppidum Mandubiorum, iter facere cœpit. - - - Cæsar altero die ad Alesiam castra fecit. Prospecto vrbis situ adhortatus ad laborem milites, Alesiam circumuallare instituit. Ipsum erat oppidum in colle summo, admodum edito loco, vt, nisi obsidione, expugnari non posse videretur. cuius collis radices duo duabus ex partibus flumina subluebant*. Strabo lib. IV pag. 132 tradit eadem, Gallos contra Cæsarem pugnasse περὶ Ἀλεσίαν, πόλιν Μανδουβίων, ἔθνους ὁμόρου τοῖς Ἀρουέρνοις, καὶ ταύτην ἐφ᾽ ὑψηλοῦ λόφου κειμένην, περιεχομένην δ᾽ ὄρεσιν καὶ ποταμοῖς δυσίν; *circa Alesiam oppidum Mandubiorum, gentis finitimæ Aruernis* (Aeduis mauult Valesius)

lesius) *quod in excelso colle situm, montibus & duobus fluminibus cingitur.* Ardua & operosa eius obsidio, si qua fuit alia. Velleius Paterculus de Cæsare lib. II cap. XLVII *Circa Alesiam tanta res gesta, quantas audere vix hominis, perficere, pæne nullius, nisi DEi fuerit.* Tantæ quoque antiquitatis fuit Alesia, vt ab Hercule, quum in Hispaniam iret aduersus Geryonem, crederetur condita, quod Diodorus Siculus refert lib. V cap. XXIV. Florus dicit lib. III cap. X Cæsarem *flammis adæquasse,* sed ipse Cæsar silet de euersione, nec alius quisquam historicorum de illa memoriæ prodidit. Scribunt veteres *Alesia* per S, simplicem sibilum, Cæsar videlicet, Diodorus Siculus, & Strabo, ac Velleius, etiam Liuius Epit. CVIII ed. Gronouii (nam Vinetus & Gruterus *Alexia)* Dio Cassius, Polyænus, & Orosius; non *Alexia,* vt Metaphrastes Cæsaris & Florus, quamuis etiam hic vetustis editionibus, vt Io. Petiti Pariensis est, *Alesiam* præ se ferat. Possit aliquid inscriptio in Delphinatus triuiali columna prostans, apud Reinesium Class. II num. XV adferre, si certior illa & diligentius sit descripta, aut magno iudicio viri Th. Reinesii interpretatio satis tuta, cuius versus vltimus est

C. M. NOBILISSIMVS SALEX. M. P. M.

Putat enim vir summus, Alexiam notari, prioris vocis littera extrema describentis oscitatione perperam repetita. Brietio & Marliano testibus nunc vicus est *Alise* in Burgundiæ Ducatu. Haud longe abest *Diuio,* siue *Diuionum,* nunc Dijon: olim castrum, ab Aureliano imperatore, vt fama est, vel conditum, vel emunitum ac ornatum, quod, quia Lingonicæ diœcesi Aimoinus lib. II cap. XXIV subiecit, cum Lingonibus in Belgica prouincia considerabimus.

His subiungit Ortelius aliique, aut Aeduis coniungunt *Vadicassios* Ptolemæi: *Vadicasses* Plinii, de quibus, quid dicam, vix habeo. Philippus Brietius pag. 355 dicit partem Aeduorum fuisse, ipsisque attribuit Nouiodunum Aeduorum, seu Niuernium, nunc Neuers. Sed vnde firmari possint, quæ dixit, ne verbum quidem profert. Frobenius, & alii inde ab Hermolao editore, in Plinio legunt coniunctos, diuersos tamen populos, *Viducasses, Vadicasses* cap. XVIII lib. IV; sed posteriores ex MSS Harduinus nominat *Bodiocasses,* sedem eorum non designat. Ptolemæus *Vadicassios* suos post Meldos ponit πρὸς τῇ Βελγικῇ, *ad Belgicam,* vt ita Matronam accoluisse oporteat. Sed nemo ibi Viducasses vidit, nemo

ibi

ibi eorum oppidum *Nœomagum* siue *Nouiomagum,* quod Ptolemæus dat, cognouit.

Clariores sunt certioresque *Aedui* siue *Hedui,* populus antiquo fœdere Romanis coniunctissimus, cuius vbique multa & frequens occurrit mentio. Plinius scribit *Hedui,* Strabo & Plutarchus Ἐδοῦοι, semel Strabo Ἀιδοὶ pag. 129 Casaub. edit. atque sic etiam in Aldina: Ptolemæus & Dio Cassius Ἄιδουοι, & sic etiam Cæsar ac Mela *Aedui,* quæ vtique genuina & antiqua scriptura est, antiquis monimentis comprobata. Cuius generis modo lapidem in *Tricassinis* produximus; addimus nunc alium ab Reinesio descriptum Class. I num. 146

TI. CL. PROFESSVS NIGER OMNIBVS
HONORIBVS APVD AEDVOS ET
LINGONAS FVNCTVS.

Situm gentis ita Strabo designauit: Μεταξὺ τοῦ Δούβιος καὶ τοῦ Ἄραρος οἰκεῖ τὸ τῶν Ἐδούων ἔθνος, *Inter Dubim & Ararim amnes habitant Aedui:* fœdus Romanum memorat Plutarchus in Cæsare pag. 120, &, vbi eos rebellantibus Gallis sociatos dixerat, addit οἱ τὸν ἄλλον χρόνον ἀδελφοὺς ἀναγορεύσαντες αὐτοὺς Ρωμαίων, *qui alio tempore se fratres Romanorum appellauerant.* Et Tacitus lib. XI cap. XXV *Primi Aedui senatorum in vrbe ius adepti sunt. Datum id fœderi antiquo, & qui soli Gallorum fraternitatis nomen cum populo Romano vsurpant.* Potentiam Aeduorum Cæsar lib. VI cap. XII notauit. *Summa,* inquit, *auctoritas antiquitus erat in Aeduis, magnaque eorum erant clientelæ.* Vrbes Ptolemæus illis attribuit *Augustodunum, Caballinum* & *Lugdunum,* sed postremam cum Strabone & Plinio in Segusianis scribemus. Addi vero Aeduis debent *Bibracte, Nouiodunum* & *Matisco.* Præcipua autem gentis *Augustodunum* fuit. Tacitus lib. III annal. cap. XLIII de Aeduis: *Augustodunum caput gentis.* Primus eorum, qui supersunt, eo nomine Pomponius Mela vsus est lib. III cap. II vna vrbis & gentis dignitatem ita collaudans, vt cum nobilissimis ea conferatur. *Aquitanorum,* inquit, *clarissimi sunt Ausci: Celtarum Aedui: Belgarum Treuiri: vrbesque opulentissimæ in Treuiris Augusta; in Aeduis Augustodunum; in Auscis Climberrum.* Tacitus dicto loco addit, quod in præcipuis ornamentis numeramus, *nobilissimam Galliarum sobolem liberalibus studiis ibi operatam.* Id quod sub sequentis æui principibus non mutatum, sed auctum adeo mirifice fuit, vt Mœnia-

niana ædificia in ipſo ore ciuitatis ac tranſitu aduenientium inter auguſtiſſima deorum templa ſacræ Muſæ poſſiderent. Quod Conſtantius Cæſar, Conſtantini pater, epiſtola ad Eumenium, rhetoricæ ibidem profeſſorem, liberaliter confirmauit. *Merentur*, inquit, *Galli noſtri, vt eorum liberis, quorum vita in Auguſtodunenſium oppido ingenuis artibus eruditur, & ipſi adoleſcentes, qui hilari conſenſu meum ſuſcepere comitatum, vt eorum indoli conſulere cupiamus.* Plura in hanc rem in Eumenii oratione pro reſtaurandis ſcholis: & in eiuſdem gratiarum actione ad Conſtantinum auguſtum. Ab vtroque principe, qui ex Flauia gente ſuum genus deducebant, ornamentis nouis poſt Bagaudicam calamitatem aucta Auguſtunenſis vrbs *Flauiæ* nomen, & ciues *Flauienſium* acceperunt, quod ex eiſdem Eumenii orationibus manifeſtum eſt. Nunc contracte *Auſtun* vel *Autun* appellatur.

Vetus vrbis nomen, antequam Auguſtus ſuum dedit, ignoratur: Sunt quidem clariſſimi viri, in quibus & Lucam Holſtenium numeramus, in Ortelium obſeruationibus, &, quem is ſequitur, Thomam Auguſtodunenſem, qui eamdem vrbem Bibracte & Auguſtunum putant, quaſi illud vetus nomen ſit apud Cæſarem; hoc nouum ab Auguſto amplificatore inditum, quod inde videtur probari poſſe, quia vtraque in Aeduis poſita, & poſt Auguſtum nemo geographorum Bibracte memorauit, vltimusque Strabo eius mentionem fecit, qui vero Auguſtoduni nomen nouum prætermiſit. Digna verba eius lib. IV pag. 133, quæ memoriæ ſubiiciamus. Μεταξὺ, inquit, τοῦ Δούβιος καὶ τοῦ Ἄραρος οἰκεῖ τὸ τῶν Αἰδούων ἔθνος, πόλιν ἔχον Καβυλλῖνον ἐπὶ τῷ Ἄραρι, καὶ φρούριον Βίβρακτα, *Inter Dubim & Ararim colit gens Aeduorum, vrbem habens Cabillonum & munimentum Bibracta.* Nec caſtellum hoc φρούριον notatur, ſed oppidum bene munitum, quippe *Bibracte oppidum Aeduorum longe maximum & copioſiſſimum* fuit, auctore Cæſare lib. I de B. Gall. cap. XXIII: & *maxima apud eos auctoritatis* lib. VII cap. LV, vbi in Vercingetorigis tumultu *totius Galliæ concilium indicitur*, ibidem cap. LXIII, & *ipſe Cæſar Bibracte hiemare conſtituit.*

Quamuis autem nihil ſit, quod de dignitate vrbis *Bibracte*, aut de amplitudine dubitemus; eo tamen nondum adprobatum eſt, primariam gentis vrbem, & eandem, quæ Auguſtodunum poſtea dicta eſt, fuiſſe. Eumenius enim rhetor non obſcure eas extrema

trema gratiarum actione ad Constantinum distinxit. *Omnium*, inquit Flauiensium nomine, *sis licet dominus vrbium, omnium nationum: nos tamen etiam nomen accepimus tuum iam, non antiquum. Bibracte quidem hucusque dicta est Iulia; Pola, Florentia; sed Flauia est ciuitas Aeduorum.* Hoc est: Bibracte quidem in Aeduis, & Pola Istriæ, & Florentia Tuscorum ab Iulio Cæsare cognomen accepere, & *Iuliæ* sunt cognominatæ: At ciuitas Aeduorum primaria, Augustodunum, a Flauio Constantio & Flauio Constantino Maximo augustis, restitutoribus suis, *Flauia*, nunc non minus illustri nomine appellatur, & eius incolæ *Flauienses*. Nobiscum sentiunt & diuersa oppida statuunt Bibracte & Augustodunum, doctissimi viri Raimundus Marlianus & Hadrianus Valesius: & nomen corruptum *Beurect*, quatuor M. P. in septemtrionem ab Augustoduno, in loco iam desolato conseruari, Ortelius ab Ioanne Macario accepit.

Cetera oppida Aeduorum sunt Nouiodunum, Cabilonum, Matisco. *Nouiodunum* iis clare attribuit Cæsar, simul situ eius adnotato, lib. VII cap. LV *Nouiodunum*, inquit, *erat oppidum Aeduorum, ad ripas Ligeris opportuno loco positum.* Plura ibidem, quæ ad laudem oppidi pertinent. Non dubitatur *Niuernum* vel *Neuirnum* Antonini esse, itinere ab Augustoduno Luteciam: &, quod truncatum in Peutingeriana est Tabula, *Ebirnum*, id est Nebirnum. Posteriores enim idem confirmarunt. Hugo Floriacensis monachus lib. III Hist. Ecclef. *Niuodunus, qua & Niuernis:* & Robertus Autissiodorensis in Chronico: *Ciuitas Niuodunum qua & Niuernis.* Vterque corrupte *Niuodunum*, vbi *Nouiodunum* dicendum erat: forsan ad flumen *Niueris* respiciente, quod ibi in Ligerim effluit, &, quod huius temporis est, nomen *Nevers* ex sese progenerauit. Quod dum ita censemus, non possumus, quin aliud *Nouiodunum*, in Biturigibus situm, & quia tam clarum non est, supra in loco suo prætermissum, nunc apponamus. De eo Cæsar itidem lib. VII cap. XII *Vercingetorix obuiam Cæsari proficiscitur. Ille oppidum Biturigum, positum in via, Nouiodunum oppugnare instituerat.* IN VIA, quæ Genabo Carnutum siue Aurelianis Auaricum Biturigum ferebat. eo enim tendebat Cæsar. Qui periti locorum sunt, aiunt *Neuve sur Baranion* nunc dici. Baranio autem amnis in Auaram *(Eure)* influit: Auara in Carim siue Carum; hic in Ligerim. Et hæc de

vtro-

vtroque *Nouioduno* Cæsaris, altero nobiliore Aeduorum: altero minus nobili Biturigum.

Supersunt ad Ararim sita oppida Aeduorum *Cabilonum* & *Matisco.* Cæsar de se lib. VII extremo: *Q. Tullium Ciceronem, & P. Sulpicium Cabiloni & Matiscone in Aeduis ad Ararim rei frumentariæ caussa collocat.* Non aliud nomen vrbis, quam huius, quod etiam Valesius conqueritur, peius fuit acceptum. Strabonis est Καβυλλῖνον, *Cabyllinum:* Ptolemæi Καβάλλινον, *Caballinum;* Tabulæ Theodosianæ, quam sæpe ab editore Peutingerianam cum vulgo diximus, *Cabillio:* in Itinerario Aethici, vulgo Antonini, itinere a Mediolano per Alpes *Cabellio,* praue, quia hoc oppidi in prouincia nomen est, nec vero illud ibidem accipiendum, quia in Lugdunensi versatur auctor, inter Matisconem & Augustodunum: in Notitia Imperii pag. 147 *Caballodunum.* Ibi enim memoratur *Præfectus classis Araricæ Caballoduno:* apud Ammianum lib. XIV cap. XXXI *Cabillo:* & lib. XV cap. XXVII *Cabillones* numero pluratiuo. Sed verum nomen est, quod ex Cæsaris commentariis habemus, idque comprobatur nummis veterum Francorum regum, qui a Meroueo genus duxerunt, quibus *Cabillonnum,* Valesio teste expressum est. Hodie, quod nemo dubitat, *Challon* appellatur.

Matisconem supra in Cæsaris verbis cognouimus. Post Cæsarem longo tempore neminem illius oppidi meminisse, vtique, quod miremur, est. Proximi enim sunt auctores Itinerarii, dicto itinere per Alpes a Mediolano: & modo laudatæ Tabulæ Theodosianæ. Notitia Imperii, sub dispositione Magistri officiorum, habet in Galliæ fabricis *Matisconensem Sagittariam.* Hodie *Mascon* vocatur.

Boii ab occasu habitabant, populus vnde Boii Galliæ Cisalpinæ siue Italicæ originem habuerunt, de quorum migratione Liuium videas lib. V cap. XXXV. In limite fuerunt Aquitaniæ circa Elaueris æque & Ligeris ripas: Plinius tamen in Lugdunensi inter Carnutos & Senones numerat. Multa illorum mentio apud Cæsarem, qui *Gergoniam* siue *Gergobiam* oppidum illis tribuit lib. VII cap. IX. *Vercingetorix,* inquit, *rursus Bituriges exercitum reducit, atque inde profectus Gergobiam, Boiorum oppidum, quos ibi Heluetico prælio victos Cæsar collocauerat, Aeduisque attribuerat.* Quod vt obsidione liberaret, Cæsar ex Senonibus in Carnutes profectus,

Genabi

Genabi exercitum Ligerim transduxit, vt per Biturigas in Boios deveniret. Vide cap. XI. Quæ narratio habitationem gentis non obscure ostendit, Burbonensem scilicet regionem esse, qui olim ager Boiorum, Aeduis attributorum, fuerat. Esse Boiorum *Gergobiam*, a Gergouia Aruernorum diuersam, facile est, Cæsare auctore, adprobare. Aruerna enim vrbs in monte sita hostilis fuit erga Romanos: Boia autem amica, quia Boios, post Heluetium prœlium in fidem receptos, ipse Cæsar ibi collocauerat, vt attributi Aeduis, fœderatis Romanorum, essent. Ex quibus intelligitur, vt diuersæ gentes Boii & Aruerni erant, sic etiam oppida illorum atque horum duas distinctas Gergouias fuisse, nihil commune habentes præter nomen.

Tandem ad *Segusianos* venimus, populum, in quo caput provinciæ *Lugdunum* fuit. Plinius lib. IV cap. XVIII extremo: *Secusiani* (sic scribit) *liberi, in quorum agro colonia Lugdunum*. Et Strabo pag. 129 de Rhodano: συμβάλλει τῷ Ἄραρι κατὰ Λούγδουνον πόλιν τῶν Σεγοσιάνων, *cum Arari concurrit apud Lugdunum, vrbem Segusianorum*. Cæsar lib. I B. Gall. cap. X *ab Allobrogibus in Segusianos exercitum ducit*. Et lib. VII cap. LXIV *His constitutis rebus, Aeduis Segusianisque, qui sunt finitimi prouinciæ, X millia peditum imperat*. Situm vrbis iam ostendit Strabo dicto loco, & pag. 132 ac sequenti repetit, adiectis laudibus vrbis illius præstantissimæ. Ait ἐπὶ τῇ συμβολῇ τῶν ποταμῶν *ad confluentes fluuiorum*, Rhodani & Araris, ἐπὶ λόφῳ *in colle*, quod & Celtica vox *dunum* significat, conditam esse, post Narbonem omnium Gallicarum vrbium εὐανδρῆ μάλιστα, *frequentissimam*, qua præsides Romani vtantur, ibique monetam habeant, qua aurei argenteique nummi percutiantur: præterea admirandum templum extra portam ad confluentes habere, ab omnibus Gallis communi sententia Augusto Cæsari dedicatum, cum ara LX gentium nominibus inscripta. Aræ huius plures meminere, Suetonius Claud. cap. II, Dio Cassius lib. LIV sub finem, & Iuuenalis Satyr. I vers. 44

Aut Lugdunensem rhetor dicturus ad aram:

& vetus inscriptio apud Gruterum pag. 13 num. 15

SACERDOS ROMAE ET AVG
AD ARAM AD CONFLVENTES
ARARIS ET RHODANI
FLAMEN

Originem Lugdunensis vrbis & coloniæ habemus ex ciuili bello, tempore inter Cæsaris necem & Octauiani triumuiratum medio, quum L. Munatius Plancus illi parti Galliæ præesset, quem, veritus senatus, ne cum Antonio se coniungeret, apud Dionem lib. XLVI pag. 323 iussit Viennenses, ab Allobrogibus expulsos, qui ad confluentes Rhodani & Araris consederant, συνοικίσαι, hoc est in coloniæ formam ordinare, quod ille etiam fecit, & coloniam eo deduxit. Inscriptio enim in Gruterianis pag. 439 num. 8 prostat

L. MVNATIVS L. F. L. N. L. PRON
PLANCVS COS. IMP. ITER.
IN GALLIA COLONIAS DEDVXIT
LVGDVNVM ET RAVRICAM.

Miraris autem Ausonium inter claras Galliæ vrbes Lugduni rationem non habuisse? quod ibi Gratianus imperator, discipulus eius, interfectus fuerat, silentio vt infaustum locum inuolutum voluit: Aquileiam contra laudauit, ad quam Maximus Gratiani interfector perierat, quam ita vltione refectus adloquitur:

Felix quæ tanti spectatrix læta triumphi
Punisti Ausonio Rutupinum Marte latronem.

Rutupinum latronem, Magnum Maximum, Britanniæ, vbi Rutupiæ sunt, tyrannum. Recens colonia adeo celeriter creuit, vt etiam Augusti ætate amplissima esset, & metropolis fieret, ac sedes præfectorum. Claudius Cæsar ibi natus est Suetonio teste, a quo alumno plura ornamenta accepit, & propter illa nouum nomen *Coloniæ Claudiæ Copiæ Augustæ*. Id quod lapidis fragmentum, in Rhodani ripa repertum, probat apud Gruterum pag. 30

\- - - - - - - - - - - DOMVSQ. DIVI
COLON. COPIAE CLAVD. AVG. LVGD
TAVROBOLIVM FECIT Q. AQVIVS
ANTONIANVS PONTIF. PERPETVVS

Ex quo eruditi viri etiam alios lapides, compendio scripturæ incisos, interpretantur, cuius generis sunt, quem Sponius exhibet Miscell. erud. Antiq. pag. 170

D. M. MEMORIAE AETERNAE
C. VLATTI MELEAGRI IIIIII VIR AVG
C. C. C. AVG. LVG. PATRONO EIVSDEM
CORPORIS ITEM PATRONO OMNIVM
CORPOR. LVG. LICITE COEVNTIVM

id est, *Sextumviri coloniæ Claudiæ Copiæ Augustæ Lugduni*, siue *Lugu-duni*: vbi *Claudiæ* nomen beneficiorum auctorem; *Copiæ* abundantiam omnium rerum, & frugum maxime, significat. Sunt id generis exempla plura apud Gruterum vt pag. 388 num. 6 C. C. C. LVGVD. & pag. 488 num. 8 IIIIII VIRI AVG. C. C. C. AVG. LV-GVDVNI. Ammiano non Lugdunum, sed *Lugdunus* dicitur lib. XV cap. XXVII. *Lugdunensem*, inquit, *primam Lugdunus ornat, & Cabillones, & Senones*. Veteres etiam *Lugudunum* quatuor syllabis dixerunt. Dio Cassius lib. XLVI pag. 322 τὸ Λουγούδουνον μὲν ὀνομασθὲν, νῦν δὲ Λούγδουνον καλούμενον, *quod olim Lugudunum vocatum fuit, nunc autem Lugdunum*. Soloturensis lapis apud Sponium pag. 171

MERCVR. AVG. VALER. HISPA
NVS IIIIII VIR AVG. LVGVD.
EX S. VOTO

plura apud Gruterum sunt, vt pag. 390 IIIIII VIRI AVG. LV-GVD. & pag. 388, quæ verba paullo ante, quum de notis C. C. C ageremus, produximus.

Segusianis Ptolemæus duo oppida extra Lugdunum metropolim, quam in Aeduis scripserat, attribuit, *Rodumnam* & *Forum Segusianorum*, vtrumque Ligeri adpositum, quæ etiam in Theodosiana Tabula inueniuntur, sed corrupte scripta, *Roidomna* & *Furo-segustanarum*, quæ vero facile, Ptolemæo doctore, emendari possunt. Adhuc seruantur nomina, sed magis prauata. Illa enim *Roane* siue *Rohane*; hoc *Feurs*, abiecta altera voce præter primam litteram, appellatur. Et tantum de Lugdunensi Gallia, eiusque populis nobilioribus. Ignobiles & ignotos, quibus sedem certam definire non possumus, valere iubemus, in quibus sunt Ambibari, Atesui, Bodiocasses, & alii eiusdem ordinis ac notionis.

GALLIA NARBONENSIS SIVE PROVINCIA ROMANA.

Narbonensis Galliæ prouincia a Pyrenæo, Hispaniæ termino, ad Alpes & Italiam, inter mare mediterraneum, Cebennas montes & Rhodanum Arari nondum permixtum, ac lacum Lemanum extensa fuit. Dicta ante Augusti tempora *Prouincia Romana* & a Cæsare sæpe *prouincia*, item *prouincia nostra*, quia ad id temporis illa prima & sola Romanorum trans Alpes in Gallia fuerat prouincia. Cæsar lib. I cap. I *Belgæ a cultu atque humanitate prouinciæ longissime absunt.* Et cap. VII, *quum nuntiatum esset Heluetios per prouinciam nostram iter facere conari.* Et cap. X *Tolosatium ciuitas est in prouincia.* Plinius lib. III cap. IV sic terminos prouinciæ constituit: *Narbonensis prouincia pars Galliarum, quæ interno mari adluitur. Braccata antea dicta, amne Varo ab Italia discreta, Alpiumque vel saluberrimis Romano imperio iugis: a reliqua vero Gallia latere septentrionali montibus Gebenna & Iura.* Tam culta coloniis Romanis & oppidis Latini iuris fuit, vt idem Plinius dicto loco censeat, Italiam verius quam prouinciam esse, ideoque nulli prouinciarum postferendam. Tacitus oratione Claudii lib. XI cap. XXIV *Num pœnitet Balbos ex Hispania, nec minus insignes viros e Gallia Narbonensi transiuisse?* nam Plinius etiam dicto loco ait, *virorum morumque dignatione & amplitudine opum* illam prouinciam abundasse.

Varias gentes continebat Bebryces, Volcas Tectosages, Tolosates, Volcas Arecomicos, Heluios, Salyes, Cauares, Deciates, Tricastinos, Vocontios, Tricorios, Centrones, Veragros, Sedunos, Segalaunos siue Segouellaunos, Allobroges, & plures alios incerti situs ac obscuriores, quorum nomina Plinius lib. III cap. IV notauit. Initium ducimus a fabula *Bebryciæ aulæ* & *Bebrycum* populi, quia Pyrenæo monti ab regis filia Pyrene, quam ab Hercule vitiatam feræ in illo saltu dilacerassent, nomen hæsisse fingitur. Silius Italicus lib. III vers. 420

Nomen Bebrycia duxere a virgine colles
Hospitis Alcidæ crimen,

Patrem enim sæuum hominem, partum enixa fugiens

plange-

plangebat in antris
Et promissa viri siluis narrabat opacis
Donec mœrentem ingratos raptoris amores
Tendentemque manus atque hospitis arma vocantem
Diripuere feræ.

Reuersus ex Hispania Hercules, membris Pyrenæ inuentis, magno clamore & cum lacrymis Pyrenen vocauit,

Defletum que tenent montes per sæcula nomen.

Quæris forsanqua in parte montium illa *sæua Bebrycis aula* fuerit? Non certe in Hispaniæ ora, sed vltra illius limitem, in finibus Volcarum, Gallicani populi. Idem Silius dicto libro vers. 442

Bebrycia Pœnus fines transcenderat aula
Inde ferox quæsitum armis per inhospita rura
Volcarum populatur iter.

Stephano quidem vrbium & populorum scriptori *Bebryces* sunt populus παρὰ τοῖς Ἴβηρσιν ἐν τῇ Εὐρώπῃ, *iuxta Iberos Europæos*, id est Hispanos. Sed παρὰ si *prope*, *iuxta* & vicinitatem sonat, dixit chorographus quod verum est: sin Bebryces Hispaniæ includit, alios, itidem Græcos auctores, quam Byzantium illum, est tutius sequi. Tzetzes Lycophronis Scholiastes ad vers. 1305 ἕτεροι Βέβρυκες ἔθνος Γαλατῶν, οἱ καλοῦνται Ναρβωνήσιοι, *Alii Bebryces* [diuersi ab Asiaticis in Mysia] *populus Gallorum sunt, qui Narbonenses vocantur.* Et Zonaras Tom. II de initio Belli Hannibalici pag. 70 ἡ θάλασσα, ἡ πάλαι μὲν Βεβρύκων, ὕστερον δὲ Ναρβωνησίων, *mare quod olim Bebrycium, post Narbonense dictum fuit.* Et Festus Auienus in Ora Maritima

Gensque Bebrycum prius
Loca hæc tenebat: atque Narbo ciuitas
Erat ferocis maximum regni caput.

Ex quibus clarum est Bebryciam regionem a Gallico latere Pyrenæorum Narbonem versus, vbi *Sardones* in ora locat Plinius, aut paullo vltra fuisse, qui tractus postea Volcis Tectosagibus, finitimis illorum, attributus fuit. Intus Plinius ponit *Consuaranos*, qui vt nomen etiam ostendit, nunc habitant *les pais de Foix & de Conserans.* Ceteri omnem illum tractum adsignant Volcis, qui discriminis caussa *Tectosages* appellantur, atque ita Strabo & Ptolemæus. Ille lib. IV pag. 129 Οὐολκῶν οἱ Τεκτοσάγες καλούμενοι τῇ Πυρήνῃ πλησιάζουσιν?

ζυσιν, *Volcæ, qui Tectosages vocantur, proximi sunt Pyrenæo:* hic lib. II cap. V ab *Iliberi* & *Ruscinone* incipit eosdem Tectosages Volcas enumerare. Ergo ad ipsum Hispaniæ terminum in ora maris Narbonensis pertinuerunt, & Tectosagarum primus ab Hispania locus *Ceruaria* Pomponii Melæ fuit, quod promontorium tum sine oppido videtur fuisse: ideoque *locus* tantummodo vocatur. Ait enim Mela lib. II cap. V extremo: *Tum inter Pyrenæi promontoria Portus Veneris insignis fano, & Ceruaria locus, finis Galliæ.* Hodie *Ceruera,* prisco nomine leuiter mutato, appellatur. Propinquus in septemtrionem est *Portus Veneris,* iam a Mela cum fano laudatus, duobus paruis promontoriis inclusus, diuersis a promontorio Veneris, seu fano eiusdem in Hispania. Nunc Porto Vendres. Hunc emensis locum occurrit, qui *Caucoliberum* medio æuo, nunc Colibre siue Colliovre vocatur, quem perperam multi, etiam Hadr. Valesius, cum Illiberi, siue Eliberri confundunt, quæ reductior a mari: illud vero in extrema eius ora est, nec idoneum castris Hannibalis, vt campus iuxta Tecum & Elnam: etiam dubiæ antiquitatis, quia in monimentis, quibus vtimur, nulla eiusdem prostat mentio: Martyrologium Romanum XIII kalend. Maii, *Caucoliberi in Hispania Tarraconensi passio sancti Vincentii martyris.* Vide Petrum de Marca, virum accuratissimum in Marca Hisp. pag. 23. 24. Post illud deinde *Eliberri* Melæ, *Illiberi* Liuii neutro genere: *Illiberis* Plinii: Ἰλίβερις Iliberis Ptolemæi: Strabonis *Ilybiris* (Ἰλυβίῤῥις) olim insignis vrbs, etiam Hannibalis tempore, qui ibi castra habuit. Liuius lib. XXI cap. XXIV *Cum reliquis copiis Pyrenæum transgreditur, & ad oppidum Illiberi castra locat.* Postea temporis iniuria imminutum. Plinius dicto cap. IV *Illiberis magnæ quondam vrbis tenue vestigium.* Hausit ex Mela, qui dicto loco: *Vicus Eliberri, magnæ quondam vrbis & magnarum opum tenue vestigium.* Non memoratur ante restitutum oppidum, quam Constantinus Magnus cum oppido etiam castrum in illo loco posuit, & vtrique *Helenæ,* matris nomen indidit, cuius multa mentio apud historicos est, qui Constantis augusti, a Magnentio oppressi, necem describunt. Eutropius lib. X cap. V de Constante: *factione Magnentii occisus est. Obiit haud longe ab Hispaniis in castro, cui Helenæ nomen est.* Huius verba Hieronymus in Chronico, vt solet, repetiit. Zosimus lib. II cap. XLII πρός τινα πολίχνην ὡρμήθη τῷ Πυρηναίῳ πλησίον ᾠκισμένην, Ἑλένη δὲ τῷ-

δὲ τὔνομα τῷ πολιχνίῳ, fugit [Constans] *ad oppidum, cui Helena nomen est.* Orosius quoque & Epitoma Victoris *oppidum* vocant, cui haud dubie castrum munitius adpositum fugit, in quod Constans, percussorem fugiens, se recepit. Tabula tamen Theodosiana, vt sæpe solet, etiam hoc loco antiquum nomen præfert, cuius hic ordo est: *In summo Pyreneo* V. *Ad Centenarium* XII. *Illiberre* VII. *Ruscinone* VI. Concordant numeri cum Antonini Itinerario, in quo etiam sunt XXV M. P. inter Summum Pyrenæum & Ruscinonem, itinere ab Arelate Tarraconem sic:

Combustam	—	—	
Ruscinonem	M.	P.	VI
Ad Centuriones	M.	P.	XX
Summum Pyrenaum	M.	P.	V

Ergo *Ad Centuriones* locus idem, quem Tabula dixit *Ad Centenarium.* Ex quibus situs *Ruscinonis*, veteris oppidi, apparet. Liuius lib. XXI cap. XXIV *Galli quamquam Italiæ bellum inferri audiebant; tamen Ruscinonem aliquot populi conueniunt.* Et mox: *capti donis cum bona pace exercitum per fines suos præter Ruscinonem oppidum transmiserunt.* Mela lib. II cap. V *colonia Ruscino: vicus Eliberri.* Plinius lib. III cap. IV, *Ruscino, Latinorum.* Ergo ius Latii postea consequuta est. Strabo etiam & Ptolemæus meminere eius, qui id peculiare habent, quod huius & Illiberis cognomines tradunt amnes præterfluentes, quos Latini singulos suis nominibus appellant. Strabo lib. IV pag. 126 vbi de Pyrenæi & Gebennæ fluminibus agit: *ἐκ μὲν τῆς Πυρήνης, ὅτε Ῥουσκίνων, καὶ ὁ Ἰλλίβερρις, πόλιν ἔχων ὁμώνυμον ἑκάτερος αὐτῶν, E Pyrena fluunt Ruscino & Illiberis, vterque vrbem habens cognominem.* Auienus in Oræ Maritimæ lib. I dixit alia terminatione *Roschinum* flumen cognomine oppidi,

Post Pyrenæum iugum
Iacent arenæ litoris Cynetici,
Easque late sulcat amnis Roschinus.

Ex quo, quamuis prauato nomine, de accentu *Ruscinonis* iudicare procliue est. Nihil ex eo superest præter turrim: cetera in ruinis iacent, dimidio leugæ a Perpiniano, quod indidem resurrexit. Vltra est *Leucata* litus, & fons *Salsula.* Pomponius Mela lib. II cap. V a Narbone progrediens & lacu Rubreso: *Dein est Leucata, litoris nomen, & Salsula fons, non dulcibus, sed salsioribus etiam*

quam

quam marina sint, aquis defluens. Itinere Antonini a Mediolano in Hispaniam:

Narbonem	— • —		
Salsulas	M.	P.	XXX
Ad Stabulum	M.	P.	XLVIII
Ad Pyrenaeum	M.	P.	XVI

In eisdem Tectosagibus Volcis ad Ataoem fluuium est *Carcaso* siue *Carcasum*, quod & *Carcasso*, & *Carcassio* a posterioribus scribitur. Cæsar lib. III Gall. cap. XX *viris fortibus Tolosa, Carcasone & Narbone euocatis.* Ptolemæus in Tectosagum mediterraneis Καρκασώ, *Carcaso.* Plinius lib. III cap. IV *Carcasum Volcarum Tectosagum.* Itinere Hierosolymitano sexto casu *Carcassone;* & in Peutingeriana, *Carcassione.* Hodie *Carcassonne,* nomine prisco retento. Inter Carcassonem & Narbonem *Redæ* fuere, quarum nihil reliquum est. Inde *Pagus Redensis,* & *Comitatus Redensis* nominantur. Theodulfus Parænesi ad Iudices vers. 141.

Inde reuisentes te Carcassona Redasque
Mœnibus inferimus nos cito Narbo tuis.

Vlteriores in Aquitanico limite *Tolosates* sunt; pars Tectosagum Volcarum, quibus etiam Tolosam Ptolemæus adscripsit. Cæsar lib. I B. Gall. cap. X *nuntiatur iter in Santonum fines facere, qui non longe a Tolosatium finibus absunt, quæ ciuitas est in prouincia.* Et Plinius sub finem capitis dicti: *Tolosani Tectosagum, Aquitaniæ contermini.* Eorum vrbem Cæsar dicto loco nominauit, quum *Tolosa, Carcasone & Narbone* viros fortes a P. Crasso, quem in Aquitanos miserat, euocatos scripsit. Ptolemæus, Τολῶσα κολωνία, *Tolosa colonia.* Sidonius lib. IV epist. XXII ineunte, *vrbs Tolosatium,* sicut in Notitia Galliæ est *ciuitas Tolosatium.* Ampla & olim fuit, ideoque Ausonius epist. XXIV, vers. 83

Quincuplicem socias tibi Martie Narbo Tolosam,

id est, in quinque partes diuisam, quo modo vers. 81

Vtque duplex Arelas,

propter nouam vrbem in altera ripa adpositam. Proprium cognomen habet *Palladiæ,* nec vero certum satis, vtrum a Palladis cultu, an a proventu oliuæ, quæ *Palladia arbor* apud Silium Italicum est lib. I vers. 238; an potius a studiis litterarum, quod pluribus interpretibus placet. Martialis lib. IX epigram. CI

Marcus

Marcus Palladiæ non inficianda Tolosæ
Gloria, quem genuit pacis alumna quies.

De studiis litterariis agit, vt primus versus ostendit,

Marcus amat nostras Antonius, Attice, Musas.

Martialem posteriores imitati sunt. Ausonius Parental. carm. III

Te sibi Palladia antetulit toga docta Tolosa:

& in Professoribus idem carm. XVII

Palladia primum toga te venerata Tolosa.

Et Sidonius Apollinaris Panegyrico, quem Auito socero dixit vers. 436

Palladiam implicitis manibus subiere Tolosam.

Interpretantur Ioannes Sauaro ad hunc locum, & ad Martialem Vincentius Colesso de studiis litterarum, ibidem ad magnum prouentum excultis, in quo plurimi adquiescunt. Sed nec prima ratio de Palladis seu Mineruæ in ea vrbe singulari cultu videtur contemnenda. Ipse Sidonius Sapphico in vltima epistolarum de Saturnino martyre Tolosæ crudeliter necato:

Quem negatorem Iouis ac Mineruæ
Et crucis Christi bona confitentem
Vinxit ad tauri latus iniugati
plebs furibunda.

Magnificam vrbem fuisse ex eo liquet, quod Capitolium habuit. Idem cultus Mineruæ argumentum, vtpote sociæ Ioui Capitolino. Sidonius eodem carmine

E quibus primum mihi psallat hymnus
Qui Tolosatem tenuit cathedram,
De gradu summo Capitoliorum
Præcipitatum.

Templum ibi antiquum fuit summæ religionis, de quo Strabo lib. IV pag. 130 Ἐν τῇ Τολώσσῃ τὸ ἱερὸν ἦν ἅγιον τιμώμενον σφόδρα ὑπὸ τῶν περιοίκων, καὶ τὰ χρήματα ἐπλεόνασε διὰ τοῦτο, πολλῶν ἀνατιθέντων, καὶ μηδενὸς προσάπτεσθαι θαρροῦντος. *Tolosæ templum fuit sacrosanctum, quod valde venerabantur vicini, ideoque abundabat thesaurus, multis donaria dedicantibus, & nemine attingere auso.* Ausus vero id est sacrilega manu Seruilius Cæpio, qui postea calamitatibus suis prouerbio *Aurum Tolosanum* locum dedisse fertur. Vide

Ff Gellium

Gellium lib. III cap. IX, & Iustinum lib. XXXII cap. III, qui paullo aliter recenset.

Superest *Narbo*, caput prouinciæ in maritimo tractu Volcarum, sed dubium videri possit, Tectosagum, an Arecomicorum. Strabo enim pag. 129 videtur Arecomicis tribuere, *quorum* ἐπίνειον ἡ Ναρβὼν λέγεται, *nauale dicatur Narbo esse.* Sed dum ibidem dicit μητρόπολις τῶν Ἀρηκομικῶν ἐστὶ Νέμαυσος, *caput Arecomicorum Nemausum esse*, quæ vero vt ipse censet, cum Narbone non conferenda erat; istum extra Arecomicos positum esse, non obscure subindicauit, quod Ptolemæus clarius adfirmat in Volcarum Tectosagum vrbibus *Narbonem* numerans *coloniam.* Antiquum emporium ad Atacem fluuium, ibi per *Rubresum* lacum vt Mela, siue *Rubrensem*, vt Plinius vocat, in mare se effundentem: & postquam Romanis cessit (cessit autem diu ante Cæsarum tempora) eo colonia deducta fuit. Velleius lib. I cap. XV *Narbo Martius in Gallia M. Porcio & Q. Marcio* COSS. *abbinc annos circiter* CLIII deducta colonia est. hoc est anno V. C. IↃCXXXV qui est annus antè consulatum Cæsaris LIX; Ciceronis LV. Cognomine ornatur, & *Narbo Martius* dicitur apud Melam atque Plinium, a Marte potius aut legione Martia, quàm a Marcio consule, qui coloniam deduxit. Quod Valesius ex Ausonio: Sirmondus ex Apollinari Sidonio confirmari ostendunt. Ille enim in Claris Vrbibus dixit

Nec tu Martie Narbo silebere,

qua lege a *Marcius* non possit deduci: hic epistola carmini XXII præfixa: *Dum apud Narbonem quondam Martium dictum, sed nuper factum, moras necto.* NVPER FACTVM, obsidione Gothica. Plinius sæpe dicto loco: *Narbo Martius, Decumanorum colonia* XII M. P. *a mari distans.* Idem in Tiberii nummo apud Golzium dicitur COL. NARBO MART. DECVMANOR. Et Pomponius Mela: *Antestat omnes Atacinorum Decumanorumque colonia, vnde olim terris auxilium, nunc & nomen & decus est, Martius Narbo.* Aucta colonia e Decumanis, id est decima legione, cuius veterani cum Atacis accolis huc ab Iulio Cæsare deducti fuerunt, ad quod negotium Nero Claudius, Tiberii augusti pater, missus est, quod Suetonius Vita Tiberii cap. IV obseruauit. *Martii* autem cognomen antiquius fuit, quam illud Cæsaris supplementum, & haud dubie ex prima deductione. Cicero pro Fonteio cap. I *Est in eadem prouincia Narbo Martius,*

Martius, colonia nostrorum ciuium, specula populi Romani ac propugnaculum. Sidonius carm. XXIII in laudes eius latius excurrit:

Salue Narbo potens saluberrime,
Vrbe & rure simul bonus videri,
Muris, ciuibus, ambitu, tabernis,
Portis, porticibus, foro, theatro
Delubris, capitoliis, monetis,
Thermis, arcubus, horreis, macellis
Pratis, fontibus, insulis, salinis,
Stagnis, flumine, merce, ponte, ponto.

Nihil ergo defuit, quod vrbem eximiam & opulentam possit condecorare. Ad ornamenta etiam pertinent noua ab Iulio Cæsare conlata cognomina, quæ in marmorea tabula dedicatæ Augusto aræ apud Gruterum sunt, pag. 229

COL. IVL. PATERN. NARB. MART.

quod in aliis lapidibus, Narbone effossis, per notas ita signatum est C. I. P. N. M. quæ æque sic legi postulant *Colonia Iulia Paterna Narbo Martius.* Sirmondus talem inscriptionem profert ad Sidonii carmen XXII. Ab Augusti ætate maior dignitas accessit, vt provinciam quoque, cuius metropolis erat, denominaret.

Tectosagum oppidis a Ptolemæo adnumerantur quoque *Βαιτίρραι, Batira,* quæ *Beterra* sunt Plinii: *Baterra* Melæ, vtrobique cum *Septimanorum* cognomine, quod coloniam septimam eo deductam arguit. Itinere Antonini ex [illegible]ia Hispaniam etiam *Beterræ:* apud Stephanum, Vrbium per[illegible]etam *Βαιτάῤῥα.* Lucas Holstenius, ad Ortelium obseruationibus, nummum describit a Peireiscio acceptum, cuius similem illustris Spanhemius apud Harlæum æque illustrem virum vidit, in quibus legitur ΒΗΤΗΡΡΑΤΩΝ, ex quo vera scriptura, quæ Plinii fuit & Antonini, *Beterra* vel *Beterræ,* luculenter adprobatur: contra vulgaris, *Bliterræ,* reiicitur, quam vir summus ille, Lucas Holstenius, ex errore ortam putat, quo, in diphthongo, Λ pro Α acceptum fuerit. Nam cum diphthongo etiam scriptum id nomen invenitur, vti ex Ptolemæo & Stephano ostensum fuit, quod etiam lapide Narbonensi probatur, quo incisum est apud Gruterum pag. [illegible] num. 10

M. IVLIO PHILIPPO
NOBILISSIMO CAESA. PRINCIPI
IVVENTVTIS SEP. BAETERR. & reliqua.

In Notitia Galliæ eſt *Ciuitas Beterrenſium*, nunc *Beziers*, in ſiniſtra ripa *Obris*, nunc Orbis, fluminis ſita.

Erat etiam Volcarum Tectoſagum vrbs *Agatha*, ſiue *Agathe*, Græce Ἀγάθη, quamquam Ioſephus Scaliger Arecomicis hanc & Beterrram tribuat, quod improbat Valeſius: κτίσμα Μασσαλιωτῶν, *a Maſſilienſibus condita*, vt Strabo refert pag. 126. Inde eſt quod Marcianus Heracleota Perieg. pag. 9 dicit

οἱ Μασσαλίαν κτίσαντες ἔσχον Φωκιεῖν.
Ἀγάθην.

id eſt, *Maſſiliæ conditores Phocenſes* (qui Maſſilienſes ſunt) *Agatham tenuere*. Et Plinius lib. III cap. IV *Agatha quondam Maſſilienſium*. Dum *quondam* dixit, ad ſua tempora reſpexit, poſtquam ciuili bello Iulius Cæſar, vt Dio Caſſius tradit lib. XLI pag. 165, λοιπὰ πάντα πλὴν τοῦ τῆς ἐλευθερίας ὀνόματος, *omnia, præter libertatis nomen, ademerat*. Pomponius Mela lib. II cap. V *Tum ex Gebennis demiſſus Arauris iuxta Agatham*. Vibius autem Sequeſter de Fluminibus libello: *Cyrta Maſſilienſium ſecundum Agatham vrbem*. Quos ita conciliat Valeſius, vt *Cyrta* nomen Græcum ſit, a Maſſilienſibus, conditoribus Agathæ ad illud flumen, impoſitum: *Arauris* nomen antiquum Celtarum. Agatha hodie *Agde*, præiacentibus ſtagnis ſupra inſulam, quam Ptolemæus etiam Ἀγάθην nominat, κατὰ τὴν ὁμώνυμον πόλιν.

Supra Agatham [illegible]em flumen *Araurim* cognominis vrbs *Araura* eſt, antiquiore nomine *Ceſſero* appellata. Plinius dicto loco: *Carcaſum Volcarum Tectoſagum, Ceſſero*. Ptolemæus in eisdem Tectoſagibus, Κεσσερὼ, *Ceſſero*. Antoninus, vel Aethicus, itinere a Mediolano Italiæ in Hiſpaniam, *Ceſſeronem* & *Arauram* eamdem eſſe docet, & locum ſimul ac diſtantiam ita demonſtrat:

Nemauſum	—	—	—
Ambruſſum	M.	P.	XV
Sextationem	M.	P.	XV
Forum Domitî	M.	P.	XV
Arauram ſiue Ceſeronem	M.	P.	XVIII
Beterras	M.	P.	XII
Narbonem	M.	P.	XVI.

Hæc

Hæc de Volcis Tectosagibus, quorum colonia *Tectosages* in Gallogræcia fuerunt, quod Strabonis testimonio clarum est. Alterum genus Volcarum est Arecomicorum, Strabonis Οὐωλκαὶ, οὓς Ἀρηκομικοὺς προσαγορεύουσι, *Volcæ, quos Aricomicos nominant:* Ptolemæi Οὐόλκαι Ἀρηκόμιοι: Melæ & Plinii *Volcæ Arecomici.* Ad Rhodanum vsque pertinuerunt: non autem vltra illum, Strabone clare dicente pag. 129, ἐπὶ θάτερα μέρη τοῦ ποταμοῦ, *ad alterum ripam fluminis* habitare, non *ad vtramque*, vt Liuius dixit lib. XXI cap. XXVI. Ptolemæus duas illis in mediterraneis vrbes dat, *Nemausum* coloniam & *Vindomagum.* Vrbs insignis *Nemausus,* & caput Arecomicorum. Strabo ibidem: Μητρόπολις τῶν Ἀρηκομικῶν ἐστὶ Νέμαυσος, *metropolis Aricomicorum Nemausus est.* Et Mela *Arecomicorum Nemausus:* ac Plinius dicto cap. IV *Nemausum Arecomicorum.* nam vtroque genere nominatur. Nummus cum capitibus Augusti & Agrippæ, inscriptus COL. NEM. apud Vaillantium pag. 81, id est *colonia Nemausus* siue *Nemausensis.* Meruit etiam *Augustæ* nomen, quod non datum est nisi amplissimis ciuitatibus. Inscriptio cippi Nemausensis apud Gruterum pag. 323 num. 5

D. M.
T. INDESII TERTII
AED. COL. AVG. NEM
DOMITIA EORTE SIBI
ET VIRO DE SE BENE
MERITO V. F.

Amphitheatrum, antiquitatis Romanæ testimonium, pæne integrum Nemausus seruat, ex quo forma & structura Romanorum operum cognoscitur. In Notitiis Galliæ *Ciuitas Nemausensis* est: hodie *Nismes.*

Altera vrbs Ptolemæi, Arecomicis Volcis tributa, est *Vindomagus,* cuius nominis nulla mentio apud alios est: ideo difficile de eius loco & situ iudicium. Hadr. Valesio, viro doctissimo, videtur esse, quæ postea *Vcecia,* siue *Vcetia* dicta fuit; in Notitia ciuitatum Narbonensis primæ *Castrum Vcecense:* hodie *Vzes,* tribus leucis a Nemauso in septemtrionem. Addo Ptolemæi vrbibus *Luteuam,* quæ in occasum & septemtrionem recedit; in Notitia prouinciarum *Ciuitas Luteuensium, id est Luteua castrum.* Non posterioris æui esse ostendit Plinius in Narbonensi. *Luteuani,* inquit, *qui &*

Foroneronienses. Cognomen autem *Forum Neronis*, caue cum alio huius nominis, quod cis Rhodanum prope Druentiam est, confundas. Hodie notum oppidum *Lodeve*.

Rursus in maritima diuertamur, vbi *Forum Domitii* est ex itinere Antonini paullo ante enumerato, & alio eiusdem ab Arelate Narbonem: & ex Tabula Theodosiana. Antiquum fuisse ab Ahenobarbo Domitio, qui res in his oris gessit, conditum, non est facile quod deuocet in dubitationem, licet antiqui scriptores illud non prodiderint. Sæpe laudati Valesii iudicio, & ratione itinerum postulante, fuit in Frontignani loco, quod supra Volcarum longissimum lacum inter Montem Pessulanum & Beterras est, vini generosi prouentu nobilitatum oppidum, nec dubitat multum Valesius, quin *Frontignan* corruptum malo fato linguarum sit ex *Forum Domitianum*. Quæ in insula sita est *ciuitas Magalonensium*, vt in Notitia vocatur; siue *Magalona*, vt separatim appellatur a Theodulfo Parænesi ad Iudices vers. 133, magis ad medii æui geographiam pertinet, quam temporum antiquorum, in quibus nulla eius mentio reperitur. Moniti Theodulfi nomine, Aurelianensis episcopi, non possumus nobis temperare, quin omnem pæne Volcarum tractum, eiusdem versibus pro temporum illorum doctrina eleganter in dicta parænesi descriptum, quia itineris rationem habet, a versu 131 repetamus:

Inde Nemausiacas sensim properamus ad arces,
Quo spatiosa vrbs est, resque operosa satis.
Hinc Magalona habuit lauam, Sextantio dextram
Hic scabris podiis cingitur, illa mari.
Queis bene transitis, Agathem mox parte sinistra
Linquimus & nosmet tecta Beterris habent.
Mox sedes, Narbona, tuas vrbemque decoram
Tangimus.

De *Sextantione*, quem supra etiam in Itinerario *Sextationem* dictum vidimus, & *Ambrusso*, ibidem coniuncta, quæ plura iam dicamus non habemus, nisi quod vtrumque etiam in Theodosiana Peutingeri Tabula notatur. Situs ex Itinerario accurate cognosci potest. *Vgernum* vero in eadem Peutingeriana inter Nemausum & Arelate positum, certioris antiquitatis est, vt iam tum a Strabone memoratum. Post initium enim lib. IV pag. 123 ait, ἐκ Νεμαύσου διὰ Οὐγέρνου

γέρνε καὶ Ταρασκῶνος εἰς τὰ θερμὰ ὕδατα τὰ Σέξτια καλούμενα, *a Nemauso per Vgernum & Tarasconem ad Aquas Sextias.* Heic Auitus, Sidonii socer, Augustus ab exercitu proclamatus, vt est in Panegyrico eiusdem vers. 57

fragor atria complet

Vgerni.

Tandem & oppidum veteres adpositum Rhodano tradiderunt, Rhodiorum opus, vnde nomen fluuius acceperit. Plinius lib. III cap. IV *vbi Rhoda Rhodiorum fuit, vnde dictus multo Galliarum fertilissimus amnis, ex Alpibus se rapiens per Lemanum lacum, segnemque deferens Ararim, nec minus se ipso torrentes Isaram & Druentiam.* Hæc diuersa *Rhoda* ab Hispanica, eosdem autem, quos illa, conditores nacta. Marcianus Heracleota Periegesi pag. 9 vocat *Rhodanusiam.*

Οἱ Μασσαλίαν κτίσαντες ἔσχον Φωκαεῖς
Ἀγάθην, Ροδανουσίαν τε, Ροδανὸς ἣν μέγας
Ποταμὸς παραῤῥεῖ.

id est, *Phocaenses Massiliæ conditores, tenuerunt etiam Agatham, & Rhodanusiam, quam magnus fluuius Rhodanus præterfluit.* Dum vero Plinius dicit FVIT, ostendit nihil eius oppidi superfuisse suis temporibus. Si fuit quondam tale oppidum, ad ostium Rhodani occidentale fuisse veri non est absimile.

Vna gens superest in Prouinciæ parte, quæ Romanis trans Rhodanum erat, *Heluiorum* scilicet, siue *Heluorum*, qui & *Elui, Ilui* in quibusdam Cæsaris libris, Valesio teste, appellantur. Hi *contingebant Aruernos*, vt Cæsar eos locat lib. VII cap. VII, (id est pagos Aruernis subiectos, Vellauos, Gabalos) *Cebenna monte eos ab Aruernis discludente,* quod additur ibidem cap. VIII. Male ergo Strabo Ἐλουΐους, *Heluios*, in quatuordecim gentibus, ab Augusto Aquitaniæ adiectis, numerat, a quibus Gebennæ iugis separantur, vt supra probauimus. Cæsar autem, & Plinius, & Ptolemæus, ille in Prouincia; hi in Narbonensi, quæ eadem est, scripserunt. Coluerunt ad Rhodanum supra Arecomicos. Plinius in mediterraneis prouinciæ Narbonensis vrbem illorum *Albam* nominat, *Albam* nempe *Heluorum.* nam *Heluos* ille vocat, non *Heluios*, vt alii. Ptolemæus corrupit Heluiorum nomen in *Elicocos,* quos perperam in altera ripa ponit, eorumque vrbem laudat *Albaugustam,* id est, *Albam Augustam,* quod argumento est, non ignobilem

lem vrbem *Albam* Heluiorum fuisse, sed quæ Augusti cognomen dignitate sua sustinere potuerit. Ab *Alba* capite posteriori æui *Albenses* dicti Heluii, & vrbs eorum in Notitiis Galliæ *Ciuitas Albensium*; in quibusdam additur *Viuarium*, aut *nunc Viuarium*: & in veteri Chronico apud Valesium, *Ciuitas Albensium, quæ & Viuarium.* Hæc satis ostendunt *Albam* Heluiorum esse, quæ nunc *Viuiers* vocatur in tractu Viuariensi, vulgo *le Viuarois*. Supra Heluios in limite Arvernorum prope Rhodanum Ortelius in Tabula Galliæ Antiquæ posuit *Maximi Aemiliani Tropæum*, quod solus Strabo lib. IV pag. 128 ita delineauit: Καθ' ὃ συμπίπτουσιν ὅ τ' Ἴσαρ ποταμὸς καὶ ὁ Ῥοδανὸς καὶ τὸ Κέμμενον ὄρος, Κόϊντος Φάβιος Μάξιμος Αἰμιλιανὸς, οὐχ ὅλαις τέτταρσι μυριάσιν, εἴκοσι μυριάδας Κελτῶν κατέκοψεν. καὶ ἔστησε τρόπαιον αὐτόθι λευκοῦ λίθου. *Quo loco Isara & Rhodanus confluunt, prope Cemmenum* (Gebennam) *montem Q. Fabius Maximus Aemilianus* XXX *millium non integrorum exercitu* CC *millia Gallorum cecidit, ibique tropæum statuit ex albo lapide.* Describit ibi sinistram ripam Rhodani, vt & prœlii locum & erectum tropæum credas cis flumen exstitisse. At pag. 132 in Aruernis idem prœlium commemorat κατὰ τὴν συμβολὴν, *ad confluentes Isaræ & Rhodani*, καθ' ἣν καὶ τὴν Κέμμενον ὄρος πλησιάζει τῷ Ῥοδανῷ, *vbi Gebenna mons appropinquat Rhodano:* quibus dextrum Rhodani latus videtur indicari. Id quod Ortelium in Tabula puto respexisse. Consentit Philippus Brietius, qui quamuis in Segalaunis Aemilii tropæum referat, tamen *vltra Rhodanum ad radices Cemeni montis* fuisse scripsit. Nec vero repugnabimus, si quis tropæum cis flumen requisierit.

Hactenus de prouincia Narbonensi vltra Rhodanum: nunc citeriora, id est inter Rhodanum & Alpes comprehensa enarramus. Ab orientali ostio Rhodani vrbs prima est *Maritima Auaticorum.* Pomponius Mela lib. II cap. V. *Inter eam* [Massiliam] *& Rhodanum Maritima Auaticorum stagnum obsidet. Fossa Mariana partem eius amnis nauigabili ostio effundit.* Ergo intra fossam est *Maritima* oppidum. Plinius lib. III cap. IV, *Vltra, fossæ ex Rhodano C. Marii opere & nomine insignes: stagnum Mastramela: oppidum Maritima Auaticorum, superque Campi Lapidei, Herculis præliorum memoria: regio Anatiliorum.* Ptolemæus *Anatilios* finitimos cum *Auaticis* confundit: Ait enim Μετὰ τὸν Ῥοδανὸν ἐπὶ θαλάσσῃ κεῖται Ἀνατίλων

πόλις

πόλις Μαστράμελα κολωνία. *Post Rhodanum super mare sita est vrbs Anatiliorum, Maritima colonia.* Oppidum etiam lacus nomine, cui adiacebat, fuit appellatum Stephanus de Vrbibus: Μαστραμέλη, πόλις καὶ λίμνη *Mastramela oppidum & lacus.* Et Festus Auienus in Ora Maritima:

- - - - - - - oppidum Mastramela

Priscum paludis.

Nec vero diuersa *Mastramela* oppidum & *Maritima*, etiam iudicio Isaaci Vossii ad Melam. Ex situ colligitur *Maritimam* coloniam esse quod hodie est oppidulum *Martegue:* & *Mastramelam* lacum *Merde Martegues.* Nec est quod Ptolemæum corruptum putes, quum utique etiam populus, *Anatilii*, in hac ora fuerit, vt Plinio auctore constat, & inscriptione San-Remigiana, in qua ANATILII sunt, Harduino ad Plinium testante.

Hinc proxima est *Massilia*, Phocæensium, Ioniæ ciuitatis, colonia, ab omnibus laudata, quia non tantum portu & commerciis aut munimentis suis, verum maxime etiam morum humanitate & litterarum studiis fuit nobilissima. Conditores supra Heracleota nominauit. Consentiunt Mela ac Plinius, & cetera etiam quæ diximus, confirmant. Mela sæpe dicto lib. II cap. V *Massilia, a Phocæis oriunda, & olim inter asperas posita, nunc vt pacatis, ita dissimillimis tamen vicina gentibus; mirum quam facile & tunc sedem alienam ceperit, & adhuc morem suum teneat.* Plinius lib. III cap. IV *In ora Massilia Græcorum Phocæensium fœderata.* Et Tacitus Agricolæ vita cap. IV *Sedem & magistram studiorum Massiliam habuit, locum Græca comitate & prouinciali parsimonia mistum ac bene compositum.* Plenius hæc Strabo exsequitur lib. IV pag. 125, dicitque barbaris παιδευτήριον fuisse, *ludum* quasi *litterarium:* item, φιλέλληνας κατεσκεύασε τοὺς Γαλάτας, *studium Græcarum litterarum in Gallis excitasse* adeo, vt etiam τὰ συμβόλαια *contractuum formulas* Græce conscriberent. Addit ἐν δὲ τῷ παρόντι καὶ τοὺς γνωριμωτάτους Ῥωμαίων πέπεικεν ἀντὶ τῆς εἰς Ἀθήνας ἀποδημίας, ἐκεῖσε φοιτᾷν φιλομαθεῖς ὄντας. *Et hodie nobilissimis etiam Romanis persuasit, vt discendi studio pro Atheniensi peregrinatione Massiliensem amplecterentur.* Portus vrbi proximus *Lacydon* dictus. ὁ Λακύδων, vt Eustathius ad Dionysii versum 75 obseruat. Adde Melam infra. Ciuili bello sua in rempublicam fide, damnum passa, & a Cæsare armis, oppidis, agro, & ceteris, præter nomen libertatis, exuta, vt supra in *Agatha* prædiximus.

In Antonini Itinerario maritimo per portus, itinere ab Vrbe ad Arelate, post Massiliam occurrit *Citharista* portus, quod ἄκρον *promontorium* vocat Ptolemaeus: dein *Taurentus* portus, pro *Tauroëntus*; Melae *Tauroïs*, vt Vossius emendauit, Straboni & Ptolemaeo oppidum, illi *Ταυρόεντιον Tauroentium*, huic Ταυροέντιον *Tauroëntium*: Caesari lib. II Civ. cap. IV *Tauroënta*, pluraliter, castellum. *Nacti*, inquit, *idoneum ventum ex portu exeunt, & Tauroenta, quod est castellum Massiliensium, ad Nasidium perueniunt.* Tum demum *Telo Martius* sequitur XII M. P. a Tauroënto remotus: cuius antiquior, quam ex hoc per portus itinerario, non habetur memoria. In Conciliis episcopus *Telonensis* subscripsit, aliquando corrupte *Tolonensis*, vnde *Toulon* hodiernum nomen portus celeberrimi. Plinius dicto loco memorat *Athenopolin Massiliensium*, quam Harduinus suspicatur Telonem Martium esse. Mela etiam *Athenopolis* illius meminit. Ab Alpibus progressus, *Deinde*, inquit, *Forum Iulii, Octauanorum colonia. Tunc post Athenopolin & Olbiam, & Tauroin, & Citharisten, est Lacydon, Massiliensium portus, & in eo ipsa Massilia.* Non abludit a loco & ordine Melae, coniectura Harduini. Aliorum opiniones varias vide apud Baudrandum. Sed sic *Olbia* oppidum, quod Ptolemaeus prope ostium amnis *Argentei* locat, reducendum est vltra Telonem. Nec vero Ptolemaeus in hac ora satis certus; propterea etiam ab Isaaco Vossio notatus. *Argenteum flumen*, quod Ἀργέντιον, *Argentium* Ptolemaeus vocat, exposuimus supra in fluminibus Galliae, Planci epistola XXXIV ad Ciceronem vsi, qui secundum optimos libros per E vocalem scripsit non per I, vt Ptolemaeus. Adde Plinii verba mox proferenda.

Post ostium eius amnis *Forum Iulium* est, nobilis colonia; Tacito in Agricola cap. IV *illustris Foroiuliensium colonia:* Plinio in Narbonensis descriptione, *Forum Iulii, Octauanorum colonia, quae Pacensis appellatur, & Classica: amnis in ea Argenteus.* Cur *Classica* dicatur, Strabo ostendit pag. 127, τὸ ναύσταθμον τὸ Καίσαρος τοῦ Σεβαστοῦ, ὃ καλοῦσι Φόρον Ἰούλιον, *nauale Caesaris Augusti, quod Forum Iulium vocatur.* Nec vero ab Augusto demum in Iulii honorem ita appellatum est, sed ab ipso Iulio deducta colonia fuit. Plancus enim iam tum Mutinensi bello *Forum Iulii* appellauit ad Ciceronem epistolis XV & XVII. Rari nummi vrbium Gallicarum: huius tamen aliquot supersunt apud Goltzium: Augusti, COL. IVLIA OCTA-

OCTAVIANORVM ... Neronis, COL. PACENS. CLASS. vtriusque explicator Plinius est, qui vero cum Mela *Octauanorum* refert, tamquam legionis Octauæ, sicut supra Beterras Septimanorum: Narbo Decumanorum erant. Si nummus recte descriptus est, ad Octauii Cæsaris nomen vel honoris caussa vel errore credamus adlusum esse.

Ad Italiæ limitem in ora pertingebant *Oxubii* & *Deciates*, vtrique a Plinio dicto loco, & Polybio Excerpt. Legat. CXXXIV; & Floro lib. II cap. III; hi etiam a Mela memorati. Ptolemæus Deciatibus, quos Δεκιάτιους vocat, *Antipolin* vrbem, Massiliensium coloniam, nunc *Antibe*, prope flumen *Varum*, attribuit. Mela Antipolin a *Deciatum oppido* distinguit. Ait enim, *Nicæa tangit Alpes, tangit oppidum Deciatum, tangit Antipolis.* Quod si est, inter Antipolin & Nicæam *Deciatum* oppidum fuit. Stephanus tamen Δεκιῆτον, *Decietum*, (nam etiam Polybii Δεκιῆται per η, qui aliis *Deciates*) πόλιν Ιταλίας, *vrbem Italiæ* dixit, quasi in Cisalpinis Liguribus situm, quum ad Transalpinos seu Gallicos vtique pertinuerit. *Varus* amnis terminus Galliæ supra expositus, vltra quem *Nicæa* est, iisdem Massiliensium opus, sed in Italiæ ora; nihilominus a Mela & Stephano in Narbonensi Gallia numeratur. Plinius autem lib. III cap. V & Ptolemæus lib. III cap. I Italiæ vindicarunt, etiam Strabo pag. 127 ἡ Νίκαια τῆς Ιταλίας γίνεται κατὰ τὸν νῦν δεδειγμένον ὅρον, καίπερ οὖσα Μασσαλιωτῶν, *Nicæa secundum iam demonstratum limitem* (qui Varus est) *Italiæ adscribitur, quamquam est Massiliensium.*

Maritima ora explicata in mediterranea progressum facimus, iterum ab Rhodano incipientes, vt ab occasu in ortum, geographorum more, succedamus. Rhodanum accolebant *Salyes* Strabonis, siue *Salyi*, vt Florus vocat, qui etiam *Saluii* in Epitoma Liuii, & *Salluuii* apud Plinium appellantur, quod postremum nomen videtur antiquissimum. Ex vetusto lapide Gruterus pag. 298 num. 3

C. SEXTIVS C. F. CALVIN. PRO CO
DE LIGVRIB. VOCONTIEIS SALLVVIEISQ.

& reliqua. Hi *Salyes*, potentiores ceteris, fere omnem regionem ab Rhodano, vnde Ptolemæus initium sumit illorum, vsque ad Italiæ fines tenuerunt. Strabo lib. IV post principium: [illegible] [illegible] οἵ τε Μασσαλιῶται καὶ οἱ Σάλυες μέχρι Λιγύων, ἐπὶ τὰ πρὸς Ιταλίαν

λίων μέρη, καὶ τὸν Ὀύαρον ποταμόν. *Maritima tenent Massilienses & Salyes, vsque ad Liguriam & Italiæ fines ac Varum fluuium.* Nec tantum in maritimis erant, verum etiam ἡ τῶν Σαλύων ὀρεινὴ πρὸς ἄρκτον ἀπὸ τῆς ἑσπέρας κλίνει μᾶλλον, καὶ τῆς θαλάττης ἀφίσταται κατὰ μικρόν, *montana regio Salyum in septemtrionem ab occasu inclinat, & paullatim a mari recedit,* quod Strabo post paullo pag. 125 adiecit. Liuius lib. XXI cap. XXVI *P. Cornelius profectus ab vrbe sexaginta longis nauibus præter oram Etruriæ Ligurumque & inde Salyum montes peruenit Massiliam.* Sæpe tamen fines eis arctiores ponuntur, vt ad Rhodanum ab Auaticis & Anatiliis; ad Varum a Deciatibus & Oxubiis, alibi ab aliis distinguuntur, quibus etiam non omnem tractum Ptolemæus dat, sed ab Arelate non vltra Aquas Sextias. Florus lib. III cap. II *Prima trans Alpes arma nostra sensere Salyi, quum de incursionibus eorum fidissima atque amicissima ciuitas Massilia quereretur.*

Prima vrbs Rhodano imposita est *Arelate* siue *Arelatum,* quæ quod coloniam sextæ legionis acceperat, *Arelate Sextanorum* a Plinio & Mela appellatur. Nummus Caii Cæsaris apud Golzium: COL. ARELAT. SEXTAN. Et inscriptio vetus apud Gruterum pag. 257

DIVAE
FAVSTINAE
AVG.
SEXTANI
ARELATENSES.

Ptolemæus Ἀρελάτων κολωνίαν, *Arelatum coloniam* vocat, plures vero *Arelate* dicunt, quasi ἄκλιτον. Cæsar Ciuil. I cap. XXXVI *naues longas Arelate facere instituit.* Suetonius Tiberio cap. IV *Pater ad deducendas in Galliam colonias, in queis Narbo & Arelate erant, missus est.* Eumenius Panegyr. Constantini cap. XVIII *Rhodanus parum illis videbatur ruere, minus solito Arelate properare.* Et paucis interiectis: *quum illum, Arelate deserto, comperissent abiisse Massiliam.* Ita de singulis fere casibus huius nominis ex productis iam exemplis iudicare licet. Dicunt etiam primo casu *Arelas* præsertim poetæ. Prudentius hymno Peristeph. IV de XVIII Cæsaraug. martyr. vers. 35

Teque

Teque praepollens Arelas habebit
Sancte Genesi.

Et singulari carmine Ausonius de laudibus huius vrbis:

Gallula Roma Arelas:

qui vero proximo versu etiam *Arelate* dixerat vocandi casu,

Pande, duplex Arelate, tuos, blanda hospita, portus.

Eidem etiam epist. XXIII vers. 81 *duplex Arelas* est, quia primum in sinistra ripa fuit condita; post Constantinus, vt putatur, in ripa altera vrbem nouam quasi adposuit, ponte nauali coniunctam. Ausonius ibidem in Clar. Vrbibus de hac ipsa:

Praecipitis Rhodani hic intercisa fluentis
Vt mediam facias nauali ponte plateam.

Sed hoc medii aeui est, quo reseruamus; nostro vocatur *Arles*, quod est in veteri sinistrae ripae loco. Quod vero Iulius Caesar, vt modo ex Suetonio diximus, coloniam huc per Tiberii patrem deduxit, nomen inde coloniae inditum *Julia Paterna*. Iac. Sponius vir solertissimus in Erud. Antiq. Miscell. pag. 165 lapidem ex saeculo Antonini Pii, quatuor leucis ab Aquis Sextiis repertum, exscripsit, in quo est

COL. IVL. PATERNA ARELATE.

Nam eo vsque potentis vrbis Arelatensis fines patuisse non mirum est, quia etiam tribus millibus passuum ab Aquis lapis inuentus fuit, ex vna parte inscriptus FIN. AQ. ex altera FIN. AREL. Sed plura de hac vrbe in Geographia medii aeui forsan dicturi sumus.

Supra Arelate in ripa *Tarusco* fuit Strabonis, quem in via a Nemauso ad Aquas Sextias ponebat. Ptolemaeus praue Ταρύσκων, *Tarusco* scripsit, quia hodieque *Tarascon* vocatur, nomen oppidi e regione Belloquadri. Inter Arelate & Cabellionem, qui ad Druentiam est, interiacent *Ernaginum* Ptolemaei, & *Glanum* eiusdem, vtraque oppida Salyorum, illud in itinere Antonini a Mediolano Arelate, VII M. P. ab Arelate; hoc XVI a Cabellione; XII ab Ernagino. Ex quo apparet in loco *Glani*, quod Plinius *Glanum Liuii* cognominat, esse S. Remigii fanum, vulgo Saint Remy. Vtrumque etiam habetur in Tabula Theodosiana: alterum etiam in antiqua inscriptione apud Gruterum pag. 413 num. 4

CORP. ERNAGINENSIVM.

Sed omnium illustrissima in hoc tractu, & Salyum gente antiquis tem-

temporibus colonia erat, quæ *Aquæ Sextiæ* a conditore Sextio Calvino, victore illius gentis nominantur. Epitoma Liuii LXI, *C. Sextius proconsul, victa Saluiorum gente coloniam Aquas Sextias condidit, ab aquarum copia & calidis & frigidis fontibus, atque a nomine suo ita appellatas.* Et Velleius Paterculus lib. I cap. XV *Cassio Longino & Sextio Caluino, qui Sallues apud Aquas, quæ ab eo Sextiæ appellantur, deuicit, consulibus,* & cetera. Strabonis appellationem supra in Vgerno cognouimus: Ptolemæo sunt ὕδατα Σέξτια κολώνια, *Aquæ Sextiæ colonia.* Eleganter Sidonius in Narbone suo vers. 13 Baiarum Campaniæ nomine decorauit, ad v. c. Consentium Narbonensem:

Nuper quadrupedante cum citato
Ires Phocida, Sextiasque Baias,
Illustres titulisque prœliisque
Vrbes per duo consulum tropæa.

Phocida, id est Massiliam, a Phocæis conditam. Est in lapide, quem Scaliger vidit, & ab eo descripsit Gruterus pag. 413 num. 4, COL. IVL. AVG. AQVIS SEXTIS, ex quo manifestum est, veterem coloniam C. Sextii ab Augusto Cæsare auctam aut renouatam fuisse. Nummus Vespasiani apud Golzium COL. AQVAE SEXTIAE LEG. XXV. In Notitia ciuitatum & prouinciarum Galliæ *Metropolis ciuitas Aquensis.* Hodie contracto nomine *Aix*, vrbs splendida & archiepiscopalis. Atque hæ sunt quinque illæ vrbes, quas Salyum genti attribuit Ptolemæus.

Vlterius inter Massiliam & Antipolim medio loco a mari longius recedit *Forum Voconii*, prope flumen *Argenteum* situm; de quo Plancus Ciceroni epistola XVII *Lepidus ad Forum Voconii castra habet, qui locus a Foro Iulii quatuor & viginti millia passuum abest.* Et ipse Lepidus epist. XXXIV eiusdem libri X ad Plancum, sic Ciceroni scripsit: *Continuis itineribus ad Forum Voconium veni, & vltra castra ad flumen Argenteum contra Antonianos feci.* Plinius quoque meminit in Narbonensis descriptione; & Tabula Peutingeriana XVII M. P. a Foro Iulii remouet, quod forte XXII legendum est, vt cum Plancianis numeris, quos modo proposuimus, magis conueniat. Ipsi vero Galli magnopere dissentiunt in huius oppidi loco designando; sed paullo supra flumen fuisse Argenteum, ex epistola, quam diximus, non obscurum esse potest.

Inde in septemtrionem distant *Rei Apollinares*, colonia, veteri nomine *Alebece*, aut, vt Harduinus suspicatur *Albiœce* dicta. Plinius de hac lib. III cap. IV, vt Harduinus ex Reg. & Colbert. codicibus expressit, *Alebece Reiorum Apollinarium*, quod ante illum etiam Sirmondo ad Sidonii lib. VI epist. XII suboluerat. Nec nulla aut inepta est illa de Albiœce coniectura. Nam Strabo lib. IV pag. 140 Ἀλβιοίκυς, *Albiœcos* cum Salyibus & Vocontiis coniungit, quos & Alebeceros Philippus Brietius eosdem putat Geogr. Parall. pag. 346, quorum oppidum potuit Albiœce esse. Rara in historiis est oppidi huius, in vetustis chorographiis, præter Plinii, vix vlla mentio. Posteriores autem non siluerunt neque inscriptiones lapidum. Tabula Peutingeriana *Reiis Apollinaris*, id est Apollinaribus, sexto casu. Notitia Galliæ, *Ciuitas Reiensium*. Sidonius Apollinaris lib. VI epist. XII *Arelatenses, Reienses*. Coloniam Romanam fuisse, quamquam Plinius in oppidis Latinis censet, testatur inscriptio apud Sirmondum dicto loco, & Gruterum pag. 428 num. 9

COL. REIOR. APOLLINAR.

Et alia apud Sponium Miscell. Erud. Antiq. pag. 178 ex lapide Massiliensi:

FLAM. IN
COL. REIOR. APOLL.

Cognomen vrbs ab Apollinis cultu, religiosius in ea celebrato, haud dubie accepit. Scribitur aliquando etiam *Regium* id vrbis nomen, ex soni puto similitudine. Gennadius de Scriptor. Ecclesf. cap. LXXXV *Faustus ex Abbate Lerinensis monasterii episcopus apud Regium Galliæ factus*: qui vulgo, etiam recte, *Faustus Reiensis* appellatur, quia illud *Regium* est Reiensis ciuitas, nunc *Riez*.

Hinc magis in septemtrionem vergit *Dinia* Plinio in *Bodionticis* sita, quos Narbonensis formulæ ex inalpinis Galba adiecit: Ptolemæo est in *Sentiis*. Sunt enim hi obscuri populi confines & male distincti. Notitia Galliæ in prouincia Alpium Maritimarum: *Ciuitas Diniensium*. Hodie *Digne*. Hinc Varum versus *Suetri*, populus Plinii, etiam ex inalpinis Ptolemæi lib. III cap. I Σκήτριοι, *Suetrii*, ἐν παραλίοις Ἄλπεσι, *in maritimis Alpibus*, quorum oppidum Σαλῖναι *Salinæ*, quod doctissimi viri Lucas Holstenius ad Ortelium, & Hadrianus Valesius in Notitia Galliæ, putant esse *Solliniensium* ciui-

ciuitatem, quæ in Notitia prouinciarum sub Maritimis Alpibus reperitur. Situm dant inter Vintium & Sanitium, fere in loco vbi nunc Prouinciæ oppidum Chastelane, in quo v. c. Iacobus Sponius pag. 198 inscriptionem inuenit

DECC. CIVITATIS SALIN.

id est, *Decurionum ciuitatis Salinarum* siue *Salinensis:* nec longe abhinc ad Varum fluuium vidit aliam

Q. VIBIVS Q. F. SALIN.

qua patria Vibii significatur. Suetriis Ptolemæus subiungit *Vesdiantios,* quibus duo oppida attribuit *Sanitium* & *Cemeneleum.* Illud non incertum est, quia nomen quodammodo conseruat, *Senez,* quod etiam *Sanecium* posteriores scribebant. Notitiæ prouinciarum in Alpibus maritimis est *Ciuitas Sanicienfium, id est Sanicio.* Situm est oppidum in austrum a Dinia. Alterum vero *Cemeneleum,* quia nihil eius superat, incertioris positionis est. Apud Nicæam Prouinciæ ex lapide reperto laudatus Sponius pag. 104 exscripsit

CL. PATERNVS CEMENELENSIS

& ex duobus aliis pag. 163 ORDO CEMENEL. Plinius lib. III cap. V *Cemelion,* elapsa syllaba habet, & *Vediantiorum* pro *Vesdiantiorum* Ptolemæi, quos Italiæ quidem adscribit, tamquam cis Varum positos: quod vero Ptolemæus oppidum *Sanitium* adiungit, idque vltra Varum situm est, non poterat vel illius caussa non in Gallia etiam attingi, præsertim quum incertus locus Cemenelei sit, cuius rudera volunt in loco quodam Cimies dicto ostendere. Ptolemæus quoque, turbatis terminis non tantum Sanitium & Cemeneleum, verum etiam Eborodunum & Vintium, quæ omnia, excepto Cemeneleo, cuius sedes ignoratur, manifesto trans Alpes & vltra Varum in Gallia sunt, lib. III cap. I ad Italiam pertraxit.

De *Glanatena* in dextra Vari ripa, nunc Glandeue, non certum habeo sitne antiquum oppidum, an medio æuo excitatum, quia, qui ante Notitiarum auctorem nominauerit, non occurrit. In iis autem varie scribitur, *Ciuitas Glamnateua,* & *Glannateua,* item *Glannatiua, Glannatera* & *Glanmatina:* etiam in recentioribus *Glandetum* & *Glandatum.* In austrum certioris antiquitatis oppidum *Vintium* subiunctum est, quod *Nerusiorum* genti Ptolemæus lib. III cap. I adsignat, qui Plinio lib. III cap. XX *Nerusi,* Alpinus populus, sunt. Nemine autem dubitante *Vintium* Ptolemæi est id oppidum,

quod

quòd hodie *Vence* in Prouincia dicitur cis Varum Gallis, trans eumdem Italis. Inscriptio in oppidi Vence suburbio exstat, Gordiano dicata,

CIVITAS VINT. DEVO
TA NVMINI MAIES
TATIQVE EIVS

Et alia ibidem Traiano Decio imperatori, claudit ita:

P. P.
CIVIT. VINT.

In Notitia Prouinciarum *Ciuitas Vintiensium.* In alia *Ciuitas Venciensium, id est Ventio.* Vnde propius deductum nomen est *Vence,* quod hodieque obtinet. Gregorius Turonensis lib. IX cap. XXIV *Obiit Deutherius, Vinciensis episcopus.*

Hactenus de Narbonensis prouinciæ parte, quæ inter mare & Druentiam est: nunc etiam expediemus, quæ Druentia & Isara fluminibus continetur. Ad Rhodanum in ea sunt *Cauares* siue *Cauari.* Illa forma Mela & Plinius: hac Ptolemæus vtitur, qui quatuor vrbes huic populo adscribit, duas in ripa, *Auenionem* & *Arausionem:* vnam inde in ortum paullo reductam, *Cabellionem:* quartam dubitati iuris & situs *Acusionem* coloniam. *Auenio* in Cauaribus a Mela, Plinio & Ptolemæo scribitur. Mela in opulentissimis vrbibus Narbonensis prouinciæ posuit. Memoratur etiam Straboni Ἀυενιὼν, *Auenio* lib. IV pag. 128, & Stephano Ἀυενίων πόλις Μασσαλίας πρὸς τῷ Ροδανῷ, *Auenio vrbs Massiliæ est ad Rhodanum.* Quod si verum, ad Rhodanum vsque illum tractum Massiliensibus paruisse probatur, quod etiam de Cabellione dixit, πόλις Μασσαλίας, *Massiliæ,* seu Massiliensis regionis, *vrbem* esse. Sita est ad Rhodanum inter Druentiam & Sulgam, colonia Ptolemæo, Latinum oppidum Plinio, quæ iura sæpe coniuncta in vna ciuitate fuerunt. Posteriores *Auennio* scripserunt N geminato, & inde gentile formarunt *Auennicus.* Tabula Peutingeriana *Auennione,* vt solet sexto casu refert vocabulum. Sidonius lib. VI epist. vlt. *Auennicus & Arausionensis possessor.* Gregorius Turonicus lib. VI ineunte: *Mummolus se intra murorum Auennicorum munitionem concludit.* In Notitia Viennensis prouinciæ *Ciuitas Auennicorum.* Hodie, quod omnes sciunt, *Auignon.*

Hh Secunda

Secunda ex situ, at prima dignitate vrbs Cauarum ad idem flumen est *Arausio*, colonia *Secundanorum*, vt Mela & Plinius tradunt, quod secundæ legionis veterani in eam deducti fuere. Nummus Neronis apud Golzium COL. ARAVSIO SECVNDANOR. COH. XXXIII VOLVNT. id est *colonia Arausio Secundanorum cohortis* XXXIII *voluntariorum*, putà legionis sextæ cohortem XXXIII, quæ voluntariorum erat, in eam fuisse immissam. Censetur caput Cauarum, quia in omnibus Notitiis præfertur Auenioni, etiam Cabellioni. In iisdem vocatur *Ciuitas Arausicorum*: nunc *Orange*, quod omnibus notum est. Ab Rhodano recedit vrbs *Cabellio*, Durantiæ fluuio adposita. *Cabellio* dicitur Plinio, Ptolemæo, Stephano, & Itinerarii auctori: at Straboni *Caballio*, etiam in Peutingeriana. Ptolemæo colonia est: Plinio numerata in Latinis. In Notitiis *Ciuitas Cabellicorum*, nunc Cavaillon.

Quarta vrbs Cauarum ex Ptolemæi distributione est *Acusio*, itidem colonia, quæ an in Cauaris ponenda sit, quum præter Ptolemæum nemo illius meminerit, difficile ad iudicandum est. Latinus interpres male *Acusiorum colonia*, quum Ἀκυσίων rectus casus sit singularis numeri; non pluratiui patrius. Sansoni est Vasio: Ortelio Gratianopolis. At Vasio Vocontiorum est secundum Melam, eorumque caput secundum Plinium: Cularo, quæ post Gratianopolis dicta, Allobrogum fuit, docente Planco epist. XXIII ad Ciceronem. Non dubitanter Lucas Holstenius vir magno iudicio & doctrina, in Ortelium adnotationibus, definit locum huius coloniæ. *Nunc*, inquit, *Ancone est, medio loco inter Arausionem & Valentiam, prope Montelimart ad ripam Rhodani.* Tantum ducem in nostra Tabula non dubitauimus sequendum esse.

Quamuis vero excidat *Acusio* ex vrbibus, quas Cauares possederunt; tamen alias illis ad numerum supplendum, immo ad augendum, vindicamus, quæ sunt *Vindalum* & *Aëria*, vtraque a Strabone commendata. *Vindalum* vel *oppidum Vindalium*, Straboni lib. IV pag. 128 Οὔνδαλον, *Vndalum*, elapsa littera, eodem monstrante ad *Sulga* ostium, hoc est μεταξὺ, *inter* Auenionem Arausionemque situm fuit, vt ipse clarissimis verbis adiecit. Iuxta id oppidum ab Domitio Aenobarbo ingentem vim Gallorum dicit prostratam esse. De quo bello ita Liuius epitoma LXI *Cn. Domitius proconsul contra Allobroges ad oppidum Vindalium feliciter pugnauit.* Idem ergo op-

go oppidum *Vindalum* siue *Vindalium* Liuii, & *Vndalum* Strabonis, vt alter ex altero corrigendus sit. Sed Liuium tuetur Florus lib. III cap. II, qui eiusdem belli Allobrogici testes adlegat, poetarum more, *Varum, Isaram, Vindalicum* & *Rhodanum* fluuios. Sic enim legendum ibi, non *Vindelicus*, vt adhuc perperam vulgatum est, quia longius Vindelici remoti sunt, quam vt flumen inter Isaram, Rhodanum & Varum denominare possint. Quem ergo *Sulgam* Strabo amnem dixit, hunc Florus ab oppido, quod adluit, & iuxta id Rhodano miscetur, *Vindalicum* appellat, qui hodie *Sorgue* est, vt supra etiam de fluminibus prædictum fuit.

Altera, quam addemus Cauaribus vrbem, est Aëria, Ἀερία Strabonis dicto loco, ita dicta, διὰ τὸ ἐφ᾽ ὕψους ἱδρύσθαι μεγάλου, *quod in celsissimo loco sit posita.* Philippus Brietius Part. II lib. VI *Vasio sita in edito loco, vnde & Aeria dicta.* Sunt apud Ortelium, qui & hanc Gratianopolim interpretentur. At vero Plinius *Aëriam* lib. III cap. IV a *Vasione* distinxit. Præterea Vasio Vocontiorum fuit, Gratianopolis autem in Allobrogum finibus est, & sic neutra in Cauaribus, in quorum regione *Aëriam* Strabo collocauit. Vt vero Vindalum, vicinum Aëriæ oppidum, excisum est, ita nihil impedit quo minus idem fatum Aëriæ contigisse credamus, si forte in tractu illo, extra Vasionem, nullus locus excultus est, cui illam possimus vindicare.

Supra Cauaros *Tricastini* ad Rhodanum fuerunt, quorum vrbs *Augusta Tricastinorum* a Plinio laudatur. Ptolemæus illis tribuit Νοιόμαγον, *Nouiomagum* vel *Nœomagum*, quam Philippus Brietius & Hadrianus Valesius pag. 60, putant eamdem esse, quæ Plinii Augusta sit, illudque vetus vrbis nomen; hoc ab Augusto superadditum. At magni viri Lucas Holstenius & Iof. Scaliger, quos Io. Harduinus in Plinium sequutus est, separauerunt, illamque hodie S. Pauli Tricastini fanum, vulgo S. Pol de trois Chasteau: hanc Nions vel Nyo in Delphinatu vrbem esse, sex leucis a fano Pauli in ortum distantem, adseuerant, quod vtique non improbabile videtur, quia neutrius vel locus repugnat, vel nomen abhorret. Princeps vrbs in itinerariis Antonini & Burdigalensi, etiam in Tabula Peutingeriana, tantummodo *Augusta* vocatur, sine gentis cognomine: contra in Notitia prouinciarum, Augustæ neglecto nomine, *Ciuitas Tricastinorum* appellatur. Huius populi etiam Silius in

Hannibalis itinere lib. III verſ. 466 rationem habet, poſt traiectus Rhodanici deſcriptionem canens:

Iamque Tricaſtinis incedit finibus agmen,

vnde etiam verus accentus diſcitur: & Liuius lib. XXI cap. XXXI *quum iam Alpes peteret, non recta regione iter inſtituit, ſed ad laeuam in Tricaſtinos flexit.*

Inferius, & iuxta Cauares, *Memini* populus, vt Plinius vocat, ſeu Μίμηνοι *Mimeni*, vt a Ptolemaeo dicti, habitauerunt. Plinus dat ſuis oppidum *Carpentoracte:* Ptolemaeus *Forum Neronis.* Vnde colligit Hadrianus Valeſius, quod oppidum Celtarum lingua *Carpentoracte* dictum fuerit, ab Romanis *Forum Neronis* appellari, nec id diuerſum a Carpentoracte eſſe. Contra Brietius & Baudrandus *Forum Neronis* in loco ponunt, qui nunc *Forcalquier* vocatur, ſitus inter Seguſteronem & Aptam Iuliam, in ortum nonnihil a Carpentoracte remotus. Nec incredibile videtur Neronem, ambitioſum hominem, plura oppida de ſuo nomine appellari voluiſſe, ſicut ſupra alios *Foroneronienſes* in Luteua vidimus. Carpentoracte autem noti ſitus eſt, quia nomen ſuum in *Carpentras* notabiliter conſeruat. Brietius quoque *Seguſteronem*, nunc Siſteron, ad Druentiam ſitum oppidum, adſcribit Meminis, idque illorum caput fuiſſe Baudrandus cenſet, quod vero minus eſt credibile, quia *Seguſteronis* non priorem mentionem inuenimus, quam in Antonini itinere a Mediolano Arelate, vbi inter Vapincum & Aptam Iuliam collocatur. Fieri autem vix potuit, vt caput gentis a prioribus numquam, quum minora nominarent, commemoratum fuerit. Ceterum, Meminorum fuiſſe, facile vt credam adduci poſſum, quia qui alii genti attribuerit, memoriae meae non ſuccurrit. In Notitia prouinciarum in Narbonenſi ſecunda vocatur *Ciuitas Segeſterorum.*

Infra Meminos ad latus Cauarum oportet *Vulgientes* coluiſſe, quibus Plinius *Aptam Iuliam* adſignat, cuius ſitus ex ſeruato nomine *Apt* non ignotus eſt, eſſeque illud noſtrorum temporum oppidum ipſam veterem *Aptam Iuliam*, etiam Auctor Itinerarii iam dicto itinere demonſtrat, quum inter Seguſteronem & Cabellionem ponit *Aptaiuliam*, huic tamen quam illi nonnihil propiorem. In prouinciarum Notitiis *Ciuitas Aptenſium* nominatur. In Latinis oppidis Plinius numerauit: coloniam fuiſſe, Arelatenſis lapis probat, quem

quem Sirmondus ad illa Sidonii verba lib. IX epist. IX ineuntis, *qui tunc Aptæ fuistis, aptissime defuistis;* exscriptum protulit:

IVL. C. F. TERTVLIN
FLAM. COL. APTA
L. VALLIVS ATILAN
NEPOS.

Tricastinis ad latus ab ortu sunt *Vocontii*, populus clarissimus & plurium oppidorum possessor. Sedem ostendit Hannibalis iter, quod ita Liuius lib. XXI cap. XXXI dixerit: *quum iam Alpes peteret, non recta regione iter instituit, sed ad lauam in Tricastinos flexit: inde per extremam oram Vocontiorum agri tetendit in Tricorios.* Quæ Silius Italicus lib. III vers. 466 ita expressit:

Iamque Tricastinis incedit finibus agmen
Iam faciles campos, iam rura Vocontia carpit.
Turbidus heic truncis saxisque Druentia latum
Ductoris vastauit iter.

Straboni sunt & Ὀυοκόντιοι, *Vocontii* pag. 128, & Ὀυοκούντιοι, *Vocuntii* pag. 140, vbi ait νέμονται μέχρι Ἀλλοβρόγων, *habitare vsque ad Allobroges*, & τάττονται, καθ᾽ αὑτοὺς, *sui iuris esse*, exemtos, Romanorum liberalitate, ab iurisdictione præsidis prouinciæ. Vnde est, quod Plinius lib. III cap. IV extremo, eorum gentem *ciuitatem fœderatam* dixit. *Vocontiorum*, inquit, *ciuitatis fœderatæ duo capita, Vasio & Lucus Augusti: oppida vero ignobilia* XIX. Etiam Melæ lib. II cap. V *Vasio Vocontiorum* vrbs clarissima est, in opulentissimis Galliæ Narbonensis numerata. Hoc ergo antiquum gentis caput fuit, cui Augustus *Lucum* ornamentis & dignitatibus æquauit, vt duo fierent, quæ Plinius laudauit, Vocontiorum capita. Sidonii lib. VII epist. II extrema est *Vasionense oppidum.* quod postea ita defecit, vt in vicum pæne ex ingenti vrbe redigeretur. Hodie *Vaison*, vrbs semiruta. *Lucus* autem *Augusti*, nunc *le Luc* in Delphinatu auctorem suum, vel eum, cui dedicatus fuit, cognominis splendore prodidit. Tacitus lib. I Hist. cap. LXVI *Lucum* appellat, suppresso *Augusti* nomine. Sic enim de Fabio Valente, Vitellii legato: *Lento agmine per fines Allobrogum & Vocontiorum ductus exercitus - - - - - - adeo minaciter, vt Luco (municipium id Vocontio est) faces admouerit, donec pecunia mitigaretur.* Miratur inde Valesius, cur *Lucum* Plinius caput alterum dixerit, quum id honoris potius *Deæ*,

tertiæ vrbi, prope illum Lucum, debeatur. Accedit enim memoratis oppidis vrbs clara & insignis *Dea Vocontiorum*, priscis geographis quidem ignorata, quod miratur Valesius; nec vero recens aut noua, sed vt *Lucus* Augusto a Vocontiis sacratus fuerat; ita *Dea Vocontiorum*, oppidum, eiusdem Valesii iudicio, Liuiæ Augustæ, quæ in nummis quoque *Dea* appellatur. quo prisci marmoris inscriptionem refert LIVIAE AVG. DEAE MVNICIPIVM. Id enim videtur certum, *Deam* in oppidi nomine diuam seu numen significare, ac vere Latinum vocabulum esse: ideoque in Peutingeriana Tabula legitur: *Ad deam Bocontiorum*, id est ad templum deæ Vocontiorum. Memoratur prisco lapide Arelatensi, quo *colonia* & *Augusta* vocatur, apud Gruterum pag. 323 num. 2

CAECILIAE D. F. APRVLLAE FLAM
DESIGNATAE COL. DEA AVG. VOC.

quam inscriptionem etiam Sirmondus ad Sidonii lib. V epist. VI de *Dea*, Vocontiorum vrbe, interpretatur. Præterea nemo veterum illius mentionem fecit, in Itinerariis autem & Notitiis prouinciarum crebro memoratur. Antonini itinere Mediolano per Alpes Cottias Viennam, ita rationes sunt positæ:

Eburodunum	—	—	—
Caturigas	M.	P.	XVI
Vapincum	M.	P.	XII
Montem Seleucum	M.	P.	XXIIII
Lucum	M.	P.	XXVI
Deam Vocontiorum	M.	P.	XII
Augustam	M.	P.	XXIII
Valentiam	M.	P.	XXII

Atque hic ordo, sed inuersa via etiam in Itinerario Burdigalensi habetur, poniturque *Dea Vocontiorum* inter *Augustam*, quæ Tricastinorum est, & *Lucum*, & ab hoc quidem perinde XII M. P. interuallo. In Notitiis prouinciarum est *Ciuitas Deensium*, hodie *Die*.

Vocontiis Sirmondus dicto loco pag. 55 *Montem Seleucum* addit, in modo productis itineribus Antonini & Burdigalensi laudatum, inter Vapincum & Lucum situm, qui clade Magnentii memorabilis est. Tripartita Historia lib. V cap. X de Magnentio tyranno: *Sequentibus Constantii militibus, circa Montem Seleucum facta congressione, solus fugiens venit in Lugdunensem vrbem* . . . . *interfecit*

semet-

semetipsum. Ex Socratis Hist. Eccles. lib. II cap. XXXII compilator decerpsit, vbi editum quidem Μιλτοσέλευκος corrupte; in Allatii autem codice Μοντοσέλευκος, perinde vt in Itinerariis, quorum hæc sola differentia est, quod Antoninianum habet *Montem Seleucum*: Burdigalense casu patrio *Monte Seleuci*. Et tantum de Vocontiis.

Ex Vocontiorum oris Hannibal in *Tricorios* veniebat, vt ex Liuio supra cognouimus: quos & Strabo lib. IV pag. 140 μετὰ Οὐκοντίους, *post Vocuntios* locauit. *Tricoriis* Valesius oppidum *Vapincum* tribuit, id persuasus ex Itinerariis sæpe laudatis, & itinere Hannibalis. Hoc enim ex Vocontiorum ora per Tricorios ad Druentiam tendebat, quo spatio Itinerarium vtrumque *Vapincum* ponit, vt dubitare non liceat, id oppidum fuisse Tricoriorum. Priscis geographis ignotum aut prætermissum est, vt de ætate eius nihil certi constet. In prouinciarum Notitia est *Ciuitas Vappincensium*. Situs ex Itinerario vtroque, Antonini, quod vocatur, & Burdigalensi; etiam ex Theodosiana Tabula perspicuus est, & conuenit cum oppido, quod nunc vocatur *Gap*.

Inter hæc & Eburodunum Itineraria eadem *Caturigas* ponunt ab illo XVI, a Vapinco XII M. P. reductos, quæ haud dubie gentis *Caturigum*, qui Κατόριγες Straboni sunt pag. 141, cum Veragris & Centronibus coniuncti, & *Caturiges* Cæsaris lib. I Gall. cap. X, ac Plinii lib. III cap. XX: Ptolemæi lib. III cap. I corrupto nomine Κατουριγίδες *Caturigides*, in Graiis Alpibus, qui ipsis aliud oppidum Ἐβορόδουνον, *Eborodunum* adsignat, quæ in Notitiis prouinciarum *Metropolis Eborodunum* est. Itinere Antonini a Mediolano Arelate, *Eburodunum*: in Peutingeriana *Eburunum*, forte compendio scripturæ pro *Eburodunum*, sicut in eiusdem temporis est Itinerario: in Notitia prouinciæ Maximæ Sequanorum *Castrum Ebredunense*. Nunc *Embrun*, situm in monte, cuius radices ab austro Druentia præterlabitur.

Caturigibus adiungunt a latere ex Alpinis cum Cæsar, tum Plinius dictis locis *Centrones*, qui Strabonis & Ptolemæi Κέντρωνες sunt, quibus hic duo oppida attribuit *Forum Claudii*, & *Aximam*. Hæc in Theodosiana Tabula vitiose *Axuna* scribitur, & exiguus vicus superest, corruptum nomen conseruans Esma siue Aime: *Forum* autem *Claudii*, caput Centronum ab Romanis teste Ptolemæo vocatum, postea, ignotum quam ob caussam, in Itinerariis dicitur *Da-*

ranta-

rantasia: in dicta Tabula x millibus ab Axima in occasum: in Antonini itinere ab Mediolano per Alpes Graias Viennam, sita est inter *Lemincum* & *Augustam Pretoriam*, sed propior Leminco. In Notitia prouinciæ Alpium Graiarum & Peninarum, *Ciuitas Centronum Darantasia.* Nunc Moustier seu Môtier en Tarantaise, vocatur.

His finitimi sunt *Veragri*, itidem Alpinus populus, quorum magnus vicus erat *Octodurus* siue *Octodorus*, vt Cæsar refert lib. III Gall. cap. I, a quo gens illa, vel pars eius, *Octodurenses* apud Plinium lib. III cap. XX nominantur. Vicus ille ex plurium sententia est Martiniacum, id est *Martigni*, siue vt nostri enuntiant, *Martinach*, in valle Pennina, quæ *Veragris* Cæsaris atque Plinii, postea aliud nomen dedit, vt *Vallenses* appellarentur. Notitia modo laudata *Ciuitas Vallensium Octodoro.* Vallis autem Pennina a fontibus Rhodani vsque ad eiusdem & Dransæ confluentes, siue ad Octodurum pertinuit. Aethici vel Antonini itinere a Mediolano per Penninas Alpes Maguntiacum:

Augustam Pretoriam	—	—	—
Summum Penninum	M.	P.	XXV
Octodurum	M.	P.	XXV

inde per ignobiles mansiones fertur *Auenticum Heluetiorum.* Ex vico ergo ciuitas facta, cuius episcopatus postea *Sedunos* translatus est, sed post veteres conscriptas Notitias. *Seduni* autem populus ad Rhodanum in iisdem vallibus ponuntur. Cæsar ineunte lib. III de B. Gallico: *Galbam in Nantuates, Veragros, Sedunosque misit, qui a finibus Allobrogum & lacu Lemano, & flumine Rhodano ad summas Alpes pertinent.* Plinius quoque in tropæo Alpinarum gentium, a Cæsare victarum, tamquam finitimos numerat *Nantuates, Sedunos, Veragros, Salassos.* Oppidum eorum a priscis, quod sciam, nusquam memoratum est. Prisca quidem inscriptione quam Casaubonus ad Suetonii Aug. cap. LVIII correxit & suppleuit, CIVITAS SEDVNORVM est, verum Augusti æuo non ita oppidum, sed populus & societas significabatur. Medio æuo nomen gentis *Seduni* oppido adsumtum; post singulariter *Sedunum;* in Martyrologio Romano v kalend. Octobris, *Seduni in Gallia* [natalis] *S. Florentini martyris:* in aliis libris Valesio testante est: *in castro Seduno.* Nunc Gallis *Sion*, nostris *Sitten.* Ceterum *Nantuates* Cæsaris & Plinii,

Plinii, Ναντουᾶται Strabonis, *Nantuani* Tabulæ Peutingerianæ, vbi inquiramus, incertùm plane eſt, niſi exinde aliquid iudicauerimus, quod Cæſar lib. III cap. I cum Veragris & Sedunis coniungit: cap. VI inde in Allobroges proxime iuit: lib. IV cap. X cum Heluetiis componit. *Salaſſi* ad Italiam referendi. Ptolemæus quidem omnes Alpinas gentes ad Italiam trahit, etiam quasdam trans Varum ſitas: ſed de his omnes repugnant, a limite Vari non recedentes: de Veragris, Sedunis, Centronibus reclamat Cæſar lib. III ineunte dicens, eos a finibus Allobrogum & Lemano lacu & flumine Rhodano ad ſummas Alpes [qui verus terminus eſt] *pertinere,* id eſt pertingere. Ergo in Galliæ finibus fuerunt.

Ad Iſaræ & Rhodani confluentes *Segalauni,* vt Ptolemæus vocat lib. II cap. V, ſiue *Segouellauni,* inter Vocontios & Allobroges habitauerunt. Plinius lib. III cap. IV *Intus regio Vocontiorum & Segouellaunorum, mox Allobrogum.* Horum, Ptolemæo cenſente, fuit *Valentia,* eaque *colonia,* quam multi in Cauaribus ſcripſerunt, mala inciſione verborum Plinii inducti. Sed Cauares longe remoti ab Iſara Tricaſtinis & Vocontiis interiectis. Plinii lib. III cap. IV ita vulgo, etiam ab Harduino, editum: *In mediterraneo coloniæ: Arelatæ Sextanorum, Beterræ Septimanorum, Arauſio Secundanorum. In agro Cauarum Valentia, Vienna Allobrogum.* Quin potius cum Valeſio pag. 581 ita legamus: *Arauſio Secundanorum in agro Cauarum, Valentia, Vienna Allobrogum.* Non eſt ergo quod Cauaribus tam longum aut multiplex territorium tribuamus, quum *Valentia,* non inuito Plinio, ſit & maneat penes Segalaunos. Ex itinerario *Valentiam* ſupra vidimus, itinere Viennam a Mediolano, & quia nomen ſeruat, per ſe nota eſt, ſita paullo infra confluentes Iſaræ Rhodanique. In Notitia prouinciarum *Ciuitas Valentinorum* appellatur. Atque ita quæ inter Druentiam ſunt & Iſaram, atque huic tractui in Alpinis adiacent, omnia expoſuimus: ſuperſunt ex Narbonenſi prouincia, quæ Iſara, Rhodano & lacu Lemano continentur. quem tractum Allobroges, gens nobiliſſima, poſſidebant. Nota ſunt bella cum Allobrogibus ex iisque victoriæ & cognomina, apud Liuium epitoma LXI, Velleium lib. II cap. X, Florum lib. III cap. X. Laudat fidem eorum Cicero Catilinaria III: quam Horatius Epod. XVI incuſat aliam ob rationem:

Nouisque rebus infidelis Allobrox.

Ptolemæus vocat Ἀλλοβρύγες per Υ, sed praue, quia post tantum consensum Latinorum genuinæ scripturæ testes etiam marmora habemus. Gruter. pag. 225 DE GALLEIS ET ALLOBROGIB. & pag. 298 aliud, ob victoriam Ahenobarbi positum, DE ALLOBRO - - - - Horum caput fuit *Vienna,* adfusa Rhodano. Cæsar lib. VII cap. IX *qua maximis potest itineribus Viennam peruenit.* Strabo lib. IV pag. 128 Οὐιέννα ἡ τῶν Ἀλλοβρόγων μητρόπολις, *Vienna Allobrogum metropolis.* Laudant etiam Mela & Plinius, ille in *opulentissimis* vrbibus ponit, hic in coloniis *Viennam Allobrogum:* & Ptolemæus solam adscripsit Allobrogibus, saltem vt præcipuam & caput. Ausonius de Clar. Vrb. in Arelate,

Accolit Alpinis opulenta Vienna colonis.

Studia litterarum coluit, vt etiam Romanorum poemata in pretio & deliciis haberet. Martialis lib. VII epigr. LXXXIII de suis:

Fertur habere meos, si vera est fama libellos
Inter delicias, pulchra Vienna suas.

Nec minor laus eius æuo medio, quo ei, tamquam metropoli, integra prouincia contributa fuit, vt passim in Notitiis antiquis & apud Sextum Rufum est. Alia vrbs Allobrogum fuit *Cularo* ad Isaram flumen. Plancus ad Ciceronem epist. XXIII extrema libri X, *Cularone ex finibus Allobrogum.* EX FINIBVS ait, quia ad dextram ripam Isaræ vrbs posita, quod flumen claudit Allobroges & a Vocontiis separat. Nominatur item in Tabula itineraria Peutingeri, & in Notitia Imperii (in prouincia Gallia Ripensi pag. 147) quæ *tribunum cohortis primæ Flauiæ Sapaudicæ, Cularonæ* stationem habuisse indicat. *Cularona* posteriori æuo, sicut ex Narbo, Narbona. Situm ostendunt duæ inscriptiones Diocletiano augusto & Cæsari Maximiano Galerio dicatæ, quæ Gratianopoli in porta & ad episcopium visuntur. Post principum enim titulos in vtraque legitur apud Gruterum pag. 167

MVRIS CVLARONENSIBVS CVM IN
TERIORIBVS AEDIFICIIS PROVIDENTIA
SVA INSTITVTIS ATQVE PERFECTIS

quæ dubitare non sinunt, *Cularonem* olim fuisse, quam Gratianus augustus suo de nomine *Gratianopolim* iussit nominari. In quo doctissimi viri Sirmondus, Valesius & Scaliger consentiunt. Quemadmodum vero Cularo in austrinis partibus extremus fuit Allobro-

gum,

gum, ita vltima illorum in parte borea vrbs *Geneua* erat, ad lacum Lemanum, vbi Rhodanum emittit, condita. Cæsar lib. I B. Gall. cap. VI *Extremum oppidum Allobrogum est, proximumque Helvetiorum finibus, Geneua: ex quo oppido pons ad Heluetios pertinet.* Mirum, vsque ad Itineraria & Theodosianam Tabulam, neminem fuisse geographorum, qui post Cæsarem oppidi huius habuerit rationem. Posteriores autem illi *Genaua, Gennaua,* aut alia leui mutatione scripserunt, de qua in medii æui geographia forte plura proferentur. Sunt quoque in Antonini itinere, quod per Alpes Graias Viennam fert ex Italia, plura oppida inter Darantasiam & Viennam, sed ignobiliora omnia, quibus vix aliquis certum locum adiudicauerit. Medium ferme in iis est *Lemincum,* quod quidem Chambery Sabaudiæ esse suspicantur, sed certo adfirmare non possunt.

INSVLAE CIRCA GALLIAM.

Insulæ circa Galliam in Oceano partim, partim in Mediterraneo mari sunt. In Aquitanico mari seu Oceano, ante ostium Garumnæ, aut in ipso ostio siue æstuario, est *Antros,* parua insula, a Mela descripta lib III cap. II, *In eo,* inquit, [Garumna cum mari iam commisto] *est insula Antros nomine, quam pendere & attolli aquis increscentibus ideo incolæ existimant, quia quum videantur editiora queis obiacet; vbi se fluctus impleuit, illa operit, hæc, vt prius tantum ambitur.* Supra hanc Santonibus obiecta insula *Vliarus,* vt Plinius vocat lib. IV cap. XIX extremo, quæ postea *Olarion* videtur dicta. Sidonius enim Apollinaris lib. VIII epist. VI de Nammatii, cui scribit, venationibus dicit, *insidiari lepusculis Olarionensibus,* vbi Ioannes Sauaro commentatur: *Olarion insula, conferta leporibus: vulgo Oleron.* Quæ vlteriores hinc septemtrionem versus sunt, & circa Ligeris ostia a potentiore populo, qui haud dubie possedit, *Veneticæ* appellatæ sunt. Plinius dicto loco: *Insulæ complures Venetorum, quæ & Veneticæ appellantur: & in Aquitanico sinu Vliarus.* An eædem, aut pars illarum, etiam dictæ fuerint *Namnetica,* non equidem certum habeo dicere. Sunt qui ex Dionysii Periegesi vers. 570 probant, vbi mulieres *Amnitarum,* quos Namnetas putant præcisa littera, in paruis insulis, quæ ἄγχι, *iuxta* Britannicas sint, Bacchi sacra celebrasse

feruntur. Propinquitatem ἀγχι arguit, quam dubito Britanniæ respectu, in Aquitanico sinu reperiri.

Inter Galliam Britanniamque plures sunt, nec vero nominatæ a veteribus, quæ Lugdunensi parti obiacent, nisi quod auctor Itinerarii maritimi, quod cum Antoniniano coniunctum est, plures Oceani, Britanniam & Galliam interfluentis, vna serie, sed indistincte, nominat, vt nemo facile ex illius narratione discreuerit, quod huic nomen, quod illi nunc conueniat. Has autem post *Vectam,* quæ Britanniæ proxima est, enumerat: *Riduna, Sarmia, Cæsarea, Barsa, Lisia, Andium, Sicdelis, Vxantisina, Vindilis, Siata, Arica.* E quibus plerique putant, nominis inducti similitudine, quæ nunc Garsey siue Iarsey est, veterem *Cæsaream* esse: quæ vero Gransey, maior altera, esse *Sarniam* siue *Sarmiam,* quæ Aldina editione est *Armia.* Ceteras inuestigare, & prisca nomina componere recentioribus, supra notitiam nostram est, & ab illis exspectandum, qui mare illud nauigauerunt, & obscuriorum insularum nomina & situm singulari cura & industria examinarunt.

In mari mediterraneo Ptolemæus lib. II cap. X exponit insulas Agatham, Blasconem, Stœchades, Leronam. *Agatha,* inquit, κατὰ τὴν ὁμώνυμον πόλιν, *iuxta cognominem vrbem.* At vero iam nulla insula vrbi Agathæ (nunc Agde) adiacet præter Blasconem, quæ vulgo dicitur Briscou. Valesius ergo suspicatur, Ptolemæum duas de vna insula fecisse, nominibus duobus deceptum, Celtico altero, quod Blasco sit; & altero Agatha, imposito a Massiliensibus. *Blasconis* situm male Plinius inter ostia Rhodani & Stœchadas, Massiliæ obuersas, adsignat. Verba Plinii sunt lib. III cap. V extremo: *In Rhodani ostio Metina: mox quæ Blascon vocatur: tres Stœchades a vicinis Massiliensibus dictæ propter ordinem.* At Blasco inter Pyrenæum & Rhodanum iacet sub vrbe Agatha, non inter Stœchades & illum amnem. Nunc *Blasco,* vt Valesius tradit, continenti adiuncta est, iniecta mari mole, & Agathensibus est pro portu. De *Magalona,*, quæ medio æuo cognominem vrbem habuit, supra diximus. *Metina* in MSS. Plinii est *Metania,* vnde suspicatur Harduinus, nomen ex *Metapina* esse, ostio Rhodanico, in quo olim fuit. In Rhodani ostio fuit, vt Plinius modo dixit. Ergo alii amnicam *Camargue* id est, Camarariam; alii maritimam *l'Anguillade,* vt Valesius obseruat, intelligunt.

Stœcha-

Stœchades πέντε τὸν ἀριθμὸν, quinque numero censet Ptolemæus, nec vero nominat: Strabo etiam quinque habet, tres autem memorabiles. Ait enim pag. 128 *αἱ Στοιχάδες νῆσοι, τρεῖς μὲν ἀξιόλογοι, δύο δὲ μικραὶ, Stœchades insulæ, tres quidem memorabiles: duæ autem paruæ.* Plinius illas memorabiles nominat, *Proten,* id est Primam ab Rhodano, nunc Porqueyroles: *Mesen,* siue Mediam hodie Portecroz: quæ & *Pomponiana* vocata fuerit: tertiam *Hypæam,* nunc l'isle du Levant, siue, du Titan, quæ maxima omnium in ortum vergit. Plinius addit: ab his *Sturium, Phœnice, Phila: Lero & Lerina aduersum Antipolim.* priores parum nobiles sunt, in iisque Strabonis duæ paruæ latent: *Lero* & *Lerina* nobiliores. Idem Strabo: *μετὰ τὰς Στοιχάδας ἡ Πλανασία καὶ Λήρων, ἔχουσαι κατοικίας, Post Stœchades Planasia est & Lero, in quibus pagi sunt.* Eadem ergo *Planasia,* quæ Plinii *Lerina.* Mela lib. II cap. VII & has sub Stœchadibus comprehendit. *In Gallia,* inquit, *quas referre conueniat, solæ sunt Stœchades, ab ora Ligurum ad Massiliam vsque dispersæ.* Sed præstat cum Strabone Plinio & Ptolemæo distinguere. Hic vero, Ptolemæus puto, vnam tantum ponit, cui *Lerona* nomen sit. Ait scilicet *ὑπὸ τὸ Οὔαρον ποταμὸν Ληρώνη, sub Varo flumine Lerona.* Sed reuera duæ sunt, longitudinem communem habentes, non autem latitudinem, quia altera in septemtrionem, altera in austrum tendit. Cum Plinio facit auctor maritimi Itinerarii, quod ita habet:

A Nicia Antipolim	M. P. XVI
Ab Antipoli Lero & Larina insulæ	M. P. XI
A Lerone & Lerina Forum Iuli	M. P. XXIV.

Coniungit Leronem & Lerinam, diuersas insulas, sub vno numero milliariorum, quia, vt dixi, eamdem habent longitudinem. Bene etiam Plinius, *aduersum Antipolim,* cui oppido vicinæ sunt. *Lero* est superior, aquilonem spectans, propiorque Antipoli, quæ nunc vocatur de S. Margarita: *Lerina,* inde freto IO C passuum diremta, in austrum vergit, Straboni *Planasia* a planitie ita dicta, quo Sidonius respexit Eucharistico ad Faustum Reiensem vers. 109

- - - - - - quantos illa insula plana
Miserit in cælum montes.

Loquitur autem de Lerina, quam vers. 105 *Lirinum* vocauit,


Seu te Lirinus priscum complexa parentem est.

Eadem quæ Sidonius, quasi verba ipsius sublegisset, Ennodius tradit Ticinensis episcopus Vita S. Epiphanii pag. 385 ed. Sirmondi: *Medianas insulas, Stœchadas, Lerum, ipsamque nutricem summorum montium, planam Lerinum adiit.* Atque ita Lerum & Lerinam cum inter se, tum a Stœchadibus distinguit, & *Lerus* quidem eadem quæ Strabonis Ληρων, & Plinii *Lero*, nunc Sanctæ Margaritæ: *Lerina* autem siue *Lerinus* hodie nomen S. Honorati habet, qui celeberrimi quondam totius Galliæ monasterii in illa insula auctor fuit & conditor.

CAPVT III
DE
GALLIA BELGICA.

QVarta pars Galliarum est BELGICA, quæ inter Oceanum a septemtrione, & fluuios Sequanam Matronamque ab occasu; ab ortu Rheno continetur. Ab austro non iidem semper limites fuerunt. Cæsar Heluetios & Sequanos Celticæ parti, quæ postea Lugdunensis dicta fuit, attribuit. Ait enim lib. 1 de Bello Gall. cap. 1, *Gallos* (sic Celtas vocat) *ab Aquitania Garumna flumen; a Belgis Matrona & Sequana diuidit. Horum omnium fortissimi sunt Belgæ, propterea quod a cultu atque humanitate Prouinciæ longissime absunt, minimeque ad eos mercatores sæpe commeant, atque ea quæ ad effeminandos animos pertinent, important. Proximi sunt Germani, qui trans Rhenum incolunt, quibuscum continenter bellum gerunt. qua de caussa Heluetii quoque reliquos Gallos virtute præcedunt, quod fere quotidianis prœliis cum Germanis contendunt, quum aut suis finibus eos prohibent, aut ipsi in eorum finibus bellum gerunt. Eorum vna pars, quam Gallos obtinere dictum est, initium capit a flumine Rhodano: continetur Garumna flumine, Oceano, finibus Belgarum; attingit etiam a Sequanis & Heluetiis flumen Rhenum: vergit ad septemtriones. Belgæ ab extremis Galliæ finibus oriuntur: pertinent ad inferiorem partem fluminis Rheni: spectant in septemtriones & orientem solem.* Ex quibus manifestum est, Sequanos Cæsari Heluetiosque a Belgis separari, tamquam adscriptos parti Celtarum, quæ media est inter Belgicam & Aquitaniam.

Vt



Septentrio
OCEANVS
GERMANICVS
BRITANNIAE PARS
GERMANIAE MAGNAE PARS
Venta
Villa Faustini
Camulodunum
Londinium
Dubris
Nouus Portus
FRETVM BRITANNICVM
OCEANVS BRITANNICVS
Caninefates
Batauorum Insula
Toxandri
Menapii
Aduatici
Morini
Sueconi
Betasii
Neruii
Eburones
Atrebates
Ambiani
Samarobriua
Veromandui
Caletes
Velocasses
Bellouaci
Suessones
Rhemi
Silua Arduenna
Treuiri
Mediomatrici
Leuci
Lingones
Tricasses
Senones
Meldi
Lutetia
Mandubii
Sequani
Rauraci
Lugdunum
Colonia Agrippina
Bonna
Tornacum
Gessoriacum
Teruana
Valentiana
Bagacum
Aqua
Leodium
Sunici
Augusta Treuirorum
Diuodurum
Tullum
Virodunum
Catalaunum
Durocortorum
Vangiones
Nemetes
Argentoratum
Augusta Rauracorum
Bibracte
Augustodunum
Cabilonum
Matisco
Geneua
Tigurini
Tugeni
FINES GALLIAE LVGDVNENSIS
GALLIA BELGICA
Meridies
Oriens

Vt Augustus Cæsar autem nouam partitionem prouinciarum vbique fere instituit, qua etiam Aquitaniam ampliauit quatuordecim populis, Celticæ parti, cuius fuerant, detractis; ita etiam, vt æqualitas prouinciarum esset, Sequanos Heluetiosque, qui Celticæ adhuc contributi fuerant, ad Belgicam transscripsit, cuius mutationis satis fidos testes Plinium & Ptolemæum habemus, qui vtrumque populum, Sequanos & Heluetios, in Belgis enumerarunt, quod vtique ex Augusti diuisione necesse est habuisse. Vide Plinium lib. IV cap. XVII, vbi in Belgarum recensione vltimos ponit *Mediomatricos, Sequanos, Rauricos, Heluetios.* Ptolemæo quoque lib. II cap. IX postremi in Belgica sunt *Heluetii* atque *Sequani:* postremi, inquam, quia ab altero limite Scaldi & Toxandris Plinius; Morinis Batauisque Ptolemæus initium enarrationis populorum instituerunt.

Maior controuersia de Rheno inferiore est post diuortium eius fluminis. Quia enim in plures alueos diuisus in Oceanum exoneratur, quæstio eruditorum, aut dubitatio potius enata est, quisnam ex illis alueis sit limes inter Belgicam Germaniamque. Quod vt plenius intelligatur, de fluminibus Belgicæ aliquid præfari nos oportet, præsertim quum instituti ratio, in superioribus seruata, ita exigat, vt de fluminibus agamus ante, quam prouincias exponamus, quia hæ per illa tam inter se & partes suas, quam ab aliis prouinciis plerumque distinguuntur. Explicationi autem alueorum perquam commode de limite disceptatio adiungi potest, & facilius etiam intelligi.

Rhenus notissimus fluuiorum, ortus in Alpibus Lepontiorum, primum Rhætos Vindelicosque ab Heluetiis, deinde Germanos a ceteris Gallis siue Belgis discludit. Primum singulorum verba, quorum aliqua auctoritas est, de Rheno proferemus. Cæsar lib. IV cap. X *Rhenus oritur ex Lepontiis, qui Alpes incolunt, & longo spatio per fines Nantuatium, Heluetiorum, Sequanorum, Mediomatricorum, Triboccorum, Treuirorum citatus fertur: & vbi Oceano adpropinquauit, in plures diffluit partes, multis ingentibusque insulis effectis, quarum pars magna a feris barbarisque nationibus incolitur: ex quibus sunt qui piscibus & ouis auium viuere existimantur; multisque capitibus in Oceanum influit.* Pomponius autem Mela lib. III cap. II ita de Rheno disserit: *Rhenus ab Alpibus decidens, prope a capite duos lacus efficit, Venetum*

netum & Acronium. Mox diu solidus, & certo alueo lapsus, haud procul a mari huc & illuc dispergitur, sed ad sinistrum amnis, etiam tum & donec effluat, Rhenus; ad dextram primo angustus & sui similis; post, ripis longe & late recedentibus, iam non amnis, sed ingens lacus, vbi campos impleuit, Fleuo dicitur, eiusdemque nominis insulam amplexus, fit iterum arctior, iterumque fluuius emittitur. Plinius extrema tantum huius fluminis persequutus, lib. IV cap. XV ita diuortia Rheni & comprehensas insulas describit: *In Rheno ipso prope centum* M. *passuum in longitudinem, nobilissima Batauorum insula & Cannenufatum: & aliæ Frisiorum, Chaucorum, Frisiabonum, Sturiorum, Marsaciorum, quæ sternuntur inter Helium ac Fleuum. Ita adpellantur ostia, in quæ effusus Rhenus ab septemtrione in lacus, ab occidente in amnem Mosam se spargit: medio inter hæc ore modicum nomini suo custodiens alueum.* Tandem Cornelius Tacitus lib. II Annal. cap. VI de alueis Rheni & ostiis hæc refert: *Rhenus vno alueo continuus, aut modicas insulas circumueniens, apud principium agri Bataui velut in duos amnes diuiditur, seruatque nomen, & violentiam cursus, qua Germaniam præuehitur, donec Oceano misceatur: ad Gallicam ripam latior & placidior adfluens. verso cognomento Vahalem accolæ dicunt: mox id quoque vocabulum mutat Mosa flumine, eiusque immenso ore eumdem in Oceanum effunditur.*

Ex quibus luculenter clarum est, tria Rheno ostia vindicare Plinium, occidentale siue *Helium:* septemtrionale siue *Fleuum;* & inter hæc medium quod nomen *Rheni* custodiat. Consentit Ptolemæus itidem tria constituens, τὸ δυσμικὸν στόμα, *occidentale ostium:* τὸ μέσον στόμα τοῦ ποταμοῦ, *medium amnis ostium:* & τὸ ἀνατολικὸν στόμα, *orientale ostium.* Mela & Tacitus duos alueos memorant & totidem ora: ille sinistrum atque dextrum, hic latum ad Gallicam ripam, & alterum qua Germaniam præuehitur. Atque ita etiam Asinius Pollio apud Strabonem lib. IV, cuius verba post paullo producemus: & Virgilius Aeneid. VIII vers. 727

Extremique hominum Morini, Rhenusque bicornis.

quem Claudianus imitatur de bello Getico vers. 336

te Cimbrica Thetys
Diuisum bifido consumit, Rhene, meatu.

De Virgilio res certa est, quia loquitur vt suo tempore Rhenus erat, antequam Drusus, fossa in Salam ducta, adiecisset alueum nouum, qui

qui per lacus ad ſeptemtrionem verſus in Oceanum ad Fleuum inſulam deferret. Virgilium, vt principem poetarum, Claudianus imitatus eſt, aut cum Mela & Tacito medium flumen poſthabuit. Hi enim perinde duos tantum, quos memorent, alueos dignos habent, quod tertius, qui medius eſt Plinii ac Ptolemæi, permodicus erat, aliorſum Rheno foſſa Druſiana deriuato. Veterem enim Plinius *modicum alueum* adpellauit. Vnde vero Iulio Cæſari, longe ante Druſiana tempora, ſunt *plures partes,* in quas Rhenus, Oceano adpropinquans diffluat? vnde *multa* illa *capita,* quibus influat in Oceanum? Plures, quam duos, maiores alueos Rheni, & nauigabiles, Iulii Cæſaris temporibus fuiſſe, credibile non eſt: ex illis autem riuos deductos natura ſua, & elices, adeo non negandum eſſe putamus, vt aliter *multitudinem* Cæſaris non cenſeamus explicari poſſe, qui quidem nonnullis incertus de his oris videtur, quaſi non vbique ad oſtia ipſe adſuiſſet: ſecundum alios autem vere ſcripſit, vtpote verſatus in locis illis, & qui Rheni fluenta perſpecta oculis, & explorata, ſi quis alius, habuerit. Io. Iſacius Pontanus de Rheni diuortiis Diſceptat. III pag. 14 nobiſcum ſentit. *Sane,* inquit, *perquam ſimile vero videtur, Cæſarem, in oſtiorum Rheni deſcriptione, & elices & lacus aliaque eiusmodi ſpectaſſe.* Confirmatur, quia Cæſaris æuo Aſinius apud Strabonem lib. IV pag. 133 ſcripſit, Rhenum δίστομον εἶναι, μεμψάμενος τοὺς πλείω λέγοντας, *duobus oſtiis effluere, reprehendens eos, qui pluribus, dicant:* in cuius ſententia & Strabo adquieſcit. Vtrumque maiora oſtia intellexiſſe, quæ maiores alveos emittant; non eſt quod dubitemus. De ſingulis oſtiis alueisque vt agamus, & dignitas rei, & varietas opinionum monet.

Rhenus, vbi agrum Batauorum attingit, in duos quaſi amnes diuiſus, alueum ſiniſtrum in Galliam demiſit; dextrum, vt limitem inter Batauos Germanosque ad Oceanum vsque continuaret. Siniſter ille alueus nomen *Vahalis* antiquitus adſumſit. Cæſar dicto lib. IV cap. X *Moſa profluit ex monte Vogeſo, qui eſt in finibus Lingonum, & parte quadam Rheni recepta, quæ appellatur Valis, inſulam efficit Batauorum.* Sic Glareanus teſtatur in libris vetuſtis eſſe, in aliis *Vacalos:* Gryphius *Vualis* edidit, vnde recentiores *Walis* in Cæſaris libro ſcripſerunt, quaſi W littera Latinis antiquis cognita fuiſſet. Tolerabilior hæc ſcriptura in Aurelianenſi Theodulfo eſt, quam in Iulio Cæſare. Ille vero Parænesi ad Iudices verſ. 103 ſcripſit:

Cui parent Walis, Rhodanus, Mosa, Rhenus, & Ocnus.

Quod plures *Vacalos* habent, etiam metaphrastes Βάκαλος; Ioachimus Camerarius existimat, veram scripturam Cæsaris *Vaalos* fuisse, cui vocabulo errore postmodum c vel k insertum fuerit: nisi forte, quod credibilius videtur, ille æque, vt Tacitus, *Vahalis* vel *Vahalos* scripsit (terminatio enim Romanorum additamentum est) ex quo sequiori tempore *Vachalos* factum, vt corrupte *michi* pro *mihi;* & tandem adspiratio eiecta, quum extrudi accessio aliena c debuerit. Confirmant libri omnes Sidonii Apollinaris a Sauarone, Sirmondo, Wovverio vulgati, quia constanter præferunt non *Vahalis,* vt Tacitus, sed *Vachalis.* Carm. XIII verf. 31

Detonsus Vachalim bibat Sicamber.

Et Narbone, siue Carm. XXIII, verf. 244

Tu Tuncrum, & Vachalim, Visurgin, Albin,
Francorum & penitissimas paludes Intrares.

Sed præferenda Taciti scriptura *Vahalis,* quam & Paca-Panegyr. Theodos. cap. V seruauit. *Quæ Rhenus,* inquit, *aut Vahalis vidit.*

Quum vero Cæsar *Mosam* dicit, *recepta quadam Rheni parte, quæ Vahalis adpellatur, efficere insulam Batauorum;* id arguit & illis temporibus confluentem Mosæ & Rheni exstitisse, eumque longius paullo ab ostio communi in citeriora reductum, id quod est, quod contra Cluuerum Pontanus Disceptatione IX propugnat. Nec vero ita ille alueus, ex Rheno emissus, sibi proprium nomen *Vahalis* fecit, vt pristinum, quod ante diuortium habuit, numquam sibi reuocatum vindicauerit. Pomponius enim Mela Vahalim amnem siue alueum aperte *Rhenum* appellat. *Ad sinistram,* inquit, *amnis* (qui Vahalis est Cæsaris atque Taciti) *etiam tum, & donec effluat, Rhenus; ad dextram* (dexter alueus, qui lacum facit) *Fleuo dicitur.* Qui secus sentiunt, eos oportet negare, Melam vsquam rationem Vahalis habuisse.

Alter alueus, isque dexter, Pomponio ille est, qui post Cæsaris Iulii tempora, Dru[illegible] Nerone auctore, ex dextro diuortii alueo, fossa ab Rheno ad Salam ducta, effectus est, atque per lacus in Oceanum egestus. Clare Pomponius Mela: *ad dextram primo angustus, & sui similis; post, ripis longe & late recedentibus, iam non amnis, sed ingens lacus, vbi campos impleuit, Fleuo dicitur: eiusdemque nominis insulam amplexus, fit iterum arctior, iterumque fluuius emittitur.*

tur. Medium igitur alueum, quem hic nouus exhausit, tamquam indigniorem videtur præteriisse, duos maiores celebrioresque commemorasse contentus. Vt vero Vahalim Pomponius non proprio, sed veteri & natiuo nomine *Rhenum* adpellauit: ita vicissim alteram partem, quæ Pomponio *Fleuo* est, itidem *Rhenum* Cornelius Tacitus dixit, quum *seruare nomen, & violentiam cursus, qua Germaniam prævehitur, donec Oceano misceatur*, loco supra dicto adnotauit. De extimo enim alueo, qui ex fossa Drusiana in septemtrionem fertur, ibidem Tacito sermonem esse, non de *modico* Plinii interiacente, vel sola *cursus violentia* euincere videtur, quæ nulla illius medii est, extremorum autem notissima. Quæ si ita sunt, & medius quoque alueus nomen *Rheni*, vt Plinius dixit, custodiuit olim, & hodieque conseruat; manifesto argumento est, Romanis singulos alueos, præter cognomenta propria, ab accolis imposita, *Rheni* etiam nomine adpellauisse, licet aliquando etiam illis propriis denominationibus vsi, sinistrum Vahalem; dextrum latiorem vel Fleuum vel Salam, sicut hodie Isalam, cum quo coniunctus est, adpellauerint.

De medio superest vt pauca adiiciamus. Is alueus, ante Drusi effossionem, olim genuinus, & dexter solus, ac par Vahali siue sinistro erat, nauigabilem aquam præter Traiectum & Lugdunum in Oceanum emittens. Rheno autem per Drusi fossam & Fleuum, siue Salam, in septemtrionem effuso; fieri non potuit, quin vetus alveus, postea dictus medius, exhauriretur, adeo, vt ostio tandem & exitu priuaretur. Plinii autem ætate, etiam Ptolemæi, quamuis exiguus, tamen in mare effluebat. Ille enim supra de Rheno dixit: *medio inter hæc ore modicum nomini suo custodiens alueum*. Vnde credibile est, huic alueo nullum proprium aut singulare nomen, sicut ceteris erant, præter commune Rheni, fuisse. Dum μέσον ςόμα, *medium ostium* fluuii Rheni Ptolemæus dixit, suo æuo illum alueum nondum exitu destitutum fuisse probauit. Præter hos duos, Ptolemæum atque Plinium, qui huius aluei, vt tertii, meminerit, non succurrit: vtique vero qui in bifida diuisione, vt Asinius & Virgilius, eius rationem habuerint, quum illorum ætate tertius alueus, a Druso factus, nondum exstiterit. Virgilius enim ante defunctus vita fuit, quam Drusus in Germaniam & Rheni ripam ab Augusto

Kk 2 mitte-

mitteretur: Asinius autem æqualis prope C. Cæsari fuit, & Tullio. Ciceroni.

Sic de medio Rheni alueo Io. Isacius Pontanus censet, sic etiam Hadrianus Iunius, qui Hist. Batav. cap. VIII ait, Taciti æuo *habitum fuisse loco riui ex illo flumine deducti*. Secus iudicat insignis geographus Philippus Cluuerus, & qui hunc hodie non pauci insequuntur, in quibus etiam vir amplissimus est Menso Alting, Notitia Batauiæ, siue Descriptione Agri Batauini, opere vt recentissimo, ita perquam etiam erudito. Hi & Melæ & Tacito descriptionem medii aluei vindicatum eunt, de eo tam illius verba, *ad sinistrum amnis donec effluat;* quam, quæ huius sunt, *seruat nomen & violentiam cursus, qua Germaniam prauehitur,* interpretantes. Nec hi de sententia sua verbo Plinii dimouentur, qui *modicum* illum medium Rheni alueum dixit, quia *modicus* non sit omnino exiguus, sed minus latus, quam qui ad Gallicam ripam adfluit, vt tamen cursus violentia conseruetur. Quod si est, Pomponium Melam neglexisse Vahalem oportet, quod de illo, qui Cæsarem sublegit, a quo nominatim is alueus descriptus est, non vtique pronum ad fidem videtur. Idem de Tacito iudicium esto, qui tot nauigationes per lacus & Drusi fossam, quæ Rheni pars nulli secunda est, descripsit, vt mirari subeat, si nullam illius aluei rationem in partitione Rheni fluminis habuerit. Qui secus de vtroque sentiunt, & illum Vahalem, hunc Isalam posthabuisse in Rheni dispensatione credunt, ex nomine ratione petita in eam sententiam inducti videntur, quum id hodieque medii aluei sit, & de ambiguis Melæ ac Taciti referatur, quod ille *Rhenus* sit *donec effluat;* & hic *nomen seruet donec Oceano misceatur.* Quod si vero admiseris, vtrumque alueum, Vahalem & Isalam, præter proprium nomen, ab accolis forsan impositum, ab Romanis etiam natiuo nomine illius fluminis significari, cuius aquam deuehebant; aliter forte rationes, quam dispositæ erant, in hoc argumento possunt institui. Sane Tacitus Histor. lib. V cap. XXIII Vahalem alueum aperte *Rhenum* vocauit. *Spatium,* inquit, *velut æquoris electum, quo Mosæ fluminis amnem Rhenus Oceano adfundit.* Nec aliter de dextro alueo, qui per lacus fertur, videtur sensisse annal. IV cap. LXXIII. *Exercitum,* inquit, *Rheno deuectum, Frisiis intulit.* Non enim tam superiori prouincia accitum exercitum intelligit, quam *vtrumque exercitum,* vt diserte ait. Inferior autem ad Vetera,

prope

prope diuortium iam tum ſtationem habuerat. Clarior res eſt ex Melæ verbis, quæ ſupra propoſuimus. Sed noſtrum non eſt ipſorum Belgarum, & tanto ingenio virorum, Cluueri, Pontani & Iunii diſſenſiones ac controuerſias diiudicare, quum vtraque pars rationibus haud pœnitendis innitatur. Ex quibus, quam quisque velit, ſequatur licet opinionem, dum nobis etiam in hanc vel illam propendere conceſſum ſit. Ad foſſam nunc, Druſi opus, explanandam progrediendum eſt.

De *Druſiana foſſa* agunt Tacitus, Suetonius, & dubie Dio Caſſius. Tacitus lib. II Annal. cap. VIII de Germanico, Druſi filio: *Iamque claſſis aduenerat, quum præmiſſo commeatu* [ex Gallia, per Moſæ os & Vahalem, vt Cluuerus p. 564, haud dubie ex Taciti lib. V Hiſt. cap. XXIII ſect. 3 ſuppleuit] *& diſtributis in legiones ac ſocios nauibus, foſſam, cui* DRVSIANAE *nomen, ingreſſus, precatusque Druſum patrem, vt ſe eadem auſum, libens placatusque exemplo ac memoria conſiliorum atque operum iuuaret; lacus inde & Oceanum vsque ad Amiſiam flumen, ſecunda nauigatione peruehitur.* Dum per *lacus* duxit in Oceanum; ſimul etiam foſſam ex Rheno indicauit, non aliam illam eſſe, quam quæ inter Rhenum & veterem Iſalam eſt, foſſa VIII M. paſſuum: a qua tota illa nauigatio *per Rhenum* fieri dicebatur, vti vere etiam Rheni pars nauigabilis per eam & lacus in Oceanum effuſa eſt. Idem annali IV cap. LXXIII *Vtrumque exercitum,* [non ſolum ſuperioris prouinciæ; verum etiam inferioris, qui prope diuortium ſtatiua habuit] *Rheno deuectum, Friſiis intulit.* Et vt opus neceſſarium, ſaltem percommodum Germanicis bellis, eſſet firmum perpetuumque, ſicuti eſt; illud aggere muniuit, qui an idem ſit, quem, inchoatum a Druſo, Paullinus Pompeius abſoluit, apud Tacitum lib. XIII cap. LIII; incertum eſt. Aiunt Iunius, Tillemonius, Freinshemius: negat, ſaltem dubitat, ad eum locum Lipſius, qui Paullini laborem mauult in ripam Gallicam referre ad diuortium Rheni, ſeu Vahalis initium, vt *moles* ſit, quam Ciuilis deiecit, lib. V Hiſtor. cap. XIX apud eumdem.

Alter, qui auctoris nomen memorauit, eſt Suetonius principio Vitæ Claudii, cuius pater hic Druſus fuerat. *Is Druſus,* inquit, *in quæſturæ præturæque honore dux Rhætici, deinde Germanici belli, Oceanum ſeptemtrionalem primus Romanorum ducum nauigauit, transque Rhenum foſſas noui & immenſi operis effecit, quæ nunc adhuc* DRVSI-

NAE *vocantur.* Fossas, tamquam plures, vocat, multitudinis numero, non eam tantum respiciens, quam Tacitus vt vnam nominavit, breuiorem illam, sed latam, quæ inter Rhenum est & Isalam, a Doesburgo ad Isseloort, vt hodie loca adpellantur; neque enim hæc *immensi operis* fuit: verum etiam alias vltra illam, aut illius longiorem prorogationem, quia etiam antiquum Salæ alueum, qui modicus erat, vt caperet partem Rheni, in lacum & Oceanum vsque ampliauit, quæ Cluueri est sententia: aut nouas iuxta eum fossas duxit, quod non desunt, qui veteris Salæ aluei vestigia seorsum inuenisse, separatumque ab Isala, qui hodie est, videntur. Quem iterum honoris caussa nominamus, Menso Altingius pag. 115 *Tanto studio Drusus Rheni aquas per Salam effusas, ex lacu in Fleui alueum coegisse & collegisse videtur; vt vix amplius quidquam veteri Salæ reliquum remanserit. Hodie tamen, ingentem licet in maris sinum conuersus, non modo vetus ductus, sed ipsum quoque ostium, ni fallor, veteri iterum nomine cognoscitur,* Tesselstroom & Tesselgat, *id est, alueus & ostium amnis Salæ.*

Dixi supra, dubie Dionem pro Drusiana fossa adlegari. Id fit a Grutero pag. 564. Sed non tam fossa dubitatur, quam cuius Dio lacus faciat mentionem. Verba sunt ex lib. LIV pag. 544 de Druso: ἐς δὲ τὸν Ὠκεανὸν διὰ τοῦ Ῥήνου καταπλεύσας, τοὺς τε Φρεισίους ᾠκειώσατο, καὶ ἐς τὴν Χαυκίδα διὰ τῆς λίμνης ἐμβαλὼν ἐκινδύνευσεν, *Inde secundo Rheno in Oceanum deuectus, Frisios subegit, ac per paludem in Chaucorum fines profectus, in periculo fuit.* Dubium, inquam, quæ hæc λίμνη sit, Fleuo, an sinus ad Amisiam Stationem. Illud Grutero videtur; hoc non minus laudato viro, Mensoni Altingio p. 86. Interea id certum est, ex Rheno in Oceanum per fossam suam & Fleuonem deuectum Drusum esse, licet non omnino certum, per quem lacum ex Frisiis in Chaucos promouerit.

Quod vero in huius cursus descriptione Tacitus plurali numero *lacus* nominat, vt lib. I annal. cap. LX *per lacus vexit;* & lib. II cap. VIII *lacus & Oceanum peruehitur:* quos & *æstuaria* dixit lib. XI cap. XVIII; id pluralitatem arguit, sed quam numero non possimus definire. Vis enim & inundatio Oceani regionis faciem mutauit, & in vnum lacum ingentem siue Austrinum mare, vt vocatur, lacus & paludes plures coegit & coniunxit. Mela tantum

tum vnius meminit, sed *ingentis*, qui maximus illorum fuit, & ad quem fossa propius pertinuit.

Quid vero de *Lecca* alueo dicemus? vel par vel maior de illo, quam de ipsis ostiis Rheni, est dissensio. Cornelius Aurelii lib. I Batauiæ pag. 94, & Hadrianus Iunius Histor. Batav. cap. VIII ex annalibus Traiectinis referunt; circa Christianorum annum IↃCCCLX Batauos superiores, inundationibus vexatos, vt futuris periculis præcauerent, stillantem riuum tamquam ducem sequutos, obliquam illam fossam & aggeres, quibus Lecca nunc continetur, manu adparasse. Quantum fidei habendum sit huic historiæ, illi videant, quibus copia est illos chronicos libros inspiciendi, quos laudati viri adlegant, & qui eosdem cum aliis componunt monimentis. Alii certe clarissimi viri, non contenti narratione illa, manu quidem & industria factum Leccam esse non dubitant, sed antiquiorem ei originem arcessunt, quam ex Romanorum sæculo repetunt.

Sed & hi in diuersas sententias abeunt. Abraham Ortelius, cui Io. Isacius Pontanus Disceptat. XIII consentit, de *Corbulonis fossa*, a Tacito & Dione memorata, interpretatur: Philippus Cluverus, quem sequitur laudatus Menso Altingius p. 110, de *Ciuilis abactione* fluminis Rheni, itidem a Tacito descripta. Operæ pretium est, vtriusque verba, Taciti & Dionis, & de vtroque opere referre, vt quisque libere, quam sequi velit sententiam, ex diuersis eligat atque diiudicet. Tacitus lib. XI cap. XX de Cn. Domitio Corbulone, Claudii Cæsaris in Inferiori Germania legato: *Vt miles otium exueret, inter Mosam Rhenumque trium & viginti millium spatio fossam produxit, qua incerta Oceani vetarentur.* Dio Cassius lib. LX pag. 685 de eodem: Πιστευθὴς δὲ πάλιν τὸ στράτευμα, καὶ οὐδὲν ἧττον ἤσκει αὐτὸ, καὶ ἐπειδή γε εἰρήνουν, διετάφρευσε δι᾽ αὐτῶν πᾶν τὸ μεταξὺ τοῦ τε Ῥήνου καὶ τοῦ Μόσου, σταδίους ἑβδομήκοντα καὶ ἑκατὸν μάλιστα, ἵνα μὴ οἱ ποταμοὶ ἐν τῇ τοῦ Ὠκεανοῦ πλημμυρίδι ἀναῤῥέοντες πελαγίζωσιν, hoc est: *Iterum præpositus exercitui, nihil minus illum in exercitio habuit: quumque pax esset, eorum opera fossam a Rheno ad Mosam perduxit, longam ad millia passuum* XXI (*siue stadia* CLXX) *ne ii fluuii, æstuante Oceano, refluentes stagnarent.* Ex quibus hæc certa sunt, primum pacis id opus fuisse, quo otium militi excuteretur: deinde Oceano æstuanti oppositum fuisse, vtique maiori cum commodo, si &

ſi & propinquum Oceano, & in transuerſum obductum fuit, quam ſi abeſſet longius, aut oblique fuiſſet actum. Quæ quum ita ſint, vti eſſe nemo forſan dubitabit; probabilior ſane illorum eſt opinio, qui Corbulonis foſſam a Lugduno ad oſtium Moſæ ducunt, quam qui in Leccæ alueo, non antiquiſſimo forſan, inquirunt. Quod ſi minus ſpatii inter ambo fluuios videtur eſſe, quam pro numero millenorum paſſuum, quos Tacitus deſignauit; ſciendum eſt, numquam locorum naturam ita ferre, vt foſſa recto tramite vbique deprimatur, nec vſquam declinet ad latera. Si vero leniter illam foſſam inflectamus, ad eum modum, quem Altingianæ nuper Tabulæ expreſſerunt; & ſpatio ſui numeri paſſuum vel ſtadiorum, & ceteris rationibus, quas produxi, ſua veritas conſtabit. In eius ergo doctiſſimi viri, auctoris tabularum, ſententia & ductu foſſæ perſtamus & adquieſcimus.

Supereſt Rheni *abactio*, illa, quæ *Claudium Ciuilem*, principem Batauorum, aduerſus Romanos res nouas molientem, auctorem habebat, an fortaſſis immiſſione illa fluminis, vt Cluuero videtur, Lecca, nouus alueus, natus fuerit. Taciti de molimento Ciuilis hæc verba lib. v Hiſtor. cap. XIX ſunt: *Non auſus oppidum Batauorum armis tueri, raptis quæ ferri poterant, ceteris iniecto igne in inſulam conceſſit, gnarus deeſſe naues efficiendo ponti, neque exercitum Romanum aliter transmiſſurum. quin & diruit molem a Druſo Germanico factam, Rhenumque prono alueo in Galliam ruentem, disiectis quæ morabantur, effudit. Sic, velut abacto amne, tenuis alueus inſulam inter, Germanosque continentium terrarum ſpeciem fecerat.* Id ergo abigendo amnem Ciuilis intendebat, vt Romanis hoſtibus difficiliorem acceſſum auctu aquarum faceret, quibus naues ponti efficiendo deeſſe intelligebat: Germanorum contra auxiliis perfacilem aditum pararet; ſuisque ad illos tranſitum, ſi quid aduerſi accidiſſet. Quod ſi vero Leccam ex medio Rheno emiſiſſet, ſuis in inſula damnum inundatione, non Romanis in Gallia, intuliſſet. Ait Tacitus, *prono alueo in Galliam effudiſſe Rhenum*, quod per Vahalem alueum efficiendum erat, qui Galliam ab inſula terminabat. Qui vero alueus extenuatus eſt abacto amne? Cluuero eſt medius Rhenus: Pontano ſeptemtrionalis, ex dextro ad Fleuum oſtium deductus. Tacitus dicit, *inſulam inter Germanosque* illum fuiſſe. Cauſſa ergo ex limite inter Gallos Germanosque diiudicanda. In Cæſaris æuo erat

medius

medius Rhenus Traiectum & Lugdunum præterlabens: Rheno autem per fossam effuso, quod Drusi opus fuit, limes ad Fleuum, amnem & ostium, est prorogatus, quod etiam auctores qui post Drusi ætatem scripserunt, Plinium, Tacitum, Melam ita obseruasse, supra notatum fuit. Sed de hoc pluribus infra in Batauia.

Moles etiam inspicienda est, tam illa Drusi, quam diruit Ciuilis, quam altera, ab eodem Ciuili oblique ducta in Rheno, *cuius obiectu reuolutus amnis adiacentibus superfunderetur*, Tacito explicatore lib. v Hist. cap. XIV. Si Ciuilis Vahalem auxit, & per illum in Gallicam ripam effudit Rhenum; non alibi moles illa quam ad diuortium, videtur quærenda, a Druso adstructa propterea, ne plurimum Rheni per Vahalem delaberetur, sed, quantum opus erat, de illo per fossam emitteretur, vt classis per eam exire in Oceanum, & inde redire in prouinciam posset. Quem commeatum vt Ciuilis impediret, abegit flumen, deiecta mole, quæ aquam dispensabat; extructa noua, & oblique in Rhenum producta, qua illum omnem aut plurimum, tamquam obex, cogeret in Gallicam ripam sinistro alueo, qui Vahalis est, deferri. Hoc visum nobis de vtraque mole narrare. Quibus vero Lecca alueus ex Ciuilis abactione est, aliter necesse est de vtraque mole, vel alterutra saltem, censeant, & inferius eam ad Leccæ emissionem ponant. Quibus Pontanus obuertit, nouos alueos facere, non tam abactionis rem, sed fossionis esse præcipue: idque Romanorum opera, Drusi & Corbulonis fossas perdocere. Quum vero diuersis locis de illis molibus agat, cap. XIV de Ciuilis noua obliqua: cap. XIX de diruta Drusiana; non ineptum erit eas & loco distinguere, vt ad Drusi fossam altera fuerit, altera ad diuortium Rheni & initium Vahalis. Adi Lipsium ad Taciti lib. XIII cap. LIII. Victo Ciuile, & Batauia recepta; Rheni cursus ad illum modum reuocatus est, quem Drusus mole, fossis, aggere instituerat: nec dubitatur, quæ diruerat Ciuilis, illico reparata; & quæ posuerat ipse, destructa euersaque fuisse omnia.

Tandem etiam de *Nabalia* Taciti, extremo libro v Historiarum, heic loci vel hac de caussa agendum est, quia multi ad vnum ex Rheni alueis id ignotum ceteris flumen referri volunt. Lipsius, & alii, ex *Vahalis* corruptum autumant. Sed præterquam quod expunctio violenta, pugnat id cum historia, quia Ciuilis trans Rhe-

num ex prœlio concesserat: Romani agebant in insula Batauorum. Redeundum ergo ipsi ad Vahalem per medias legiones Romanas fuisset, quibus adeo non fidebat, vt, nisi in scisso ponte, interiecto flumine, cum Romano colloqui non auderet. Tacitus dicto loco: *Petito colloquio, scinditur Nabaliæ fluminis pons. In cuius abrupta progressi duces*, ac cetera. Pontano *Naua* Superioris prouinciæ videtur intelligendus: sed hic nimis remotus a castris Romanorum in insula dicta. Iunius Hadrianus ad *Naualia*, Ptolemæi oppidum, suspicatur fuisse, atque ita ad Isalam. Sed quanta fides Ptolemæi in his oris sit, quem fugit? Nihilominus & Cluuerus, & Altingius, clari nominis viri, ad fossam Drusianam referunt, putantque historiæ hoc ordinem suadere. Iuuant sententiam etymologia, quasi *Nabalia* Celtica lingua sit *Nach-Wale*, id est posterior Vahalis. Quæ opinio adhuc, vt probabilior, a plerisque recepta. Refellere facilius aliena possum: firmare adhuc ipse nihil.

Hæc de Rheno satis sint: de ceteris fluminibus breuiter, & primum de *Mosa*, æmulo Rheni, & partis interceptore. Cæsar de eo lib. IV cap. X *Mosa profluit ex monte Vogeso, qui est in finibus Lingonum, & parte quadam Rheni recepta, quæ adpellatur Valis* (siue Vaalis) *insulam efficit Batauorum, neque longius ab eo millibus passuum LXXX in Oceanum transit.* Et Tacitus Annali II cap. VI *Ad Gallicam ripam Rhenus latior & placidior adfluens, verso cognomento Vahalem accolæ dicunt: mox id quoque vocabulum mutat Mosa flumine, eiusque immenso ore eumdem in Oceanum effunditur.* Vterque ita sentire videtur, quasi Mosa excipiat Rhenum vel Vahalim, eiusque abolito nomine suum impertiat, & suo immenso ore in Oceanum effundat. Sed idem Tacitus de Rheno aliter loco alio, eumque, vt nobiliorem amnem, etiam post confluentem, & in ostio illo immenso præfert. Libro V enim Historiarum cap. XXIII de Ciuilis nauali pugna: *Spatium velut æquoris electum, quo Mosæ fluminis amnem Rhenus Oceano adfundit.* Ex quo colligitur, ambigue Romanos de Mosa loquutos esse, nunc ferri ab Rheno; nunc Rhenum ab ipso deferri. De ostio Mosæ magno & patente diximus supra in Rheno, cuius partem Vahalem simul effundit: & id est, quod *Helium* Plinius nominauit, quam vocem *inferius* sonare, opinio quorumdam est Batauorum. De confluente itidem in *Rheno* supra diximus, quem qui negant olim fuisse citra ostium, nescio quo pacto verba Cæsaris lib. IV cap.

cap. x interpretari velint.* Ait enim clare, *Mosa, parte quadam Rheni recepta, quæ adpellatur Vaalis, insulam efficit Batauorum;* quod sine confluente non potest fieri. Nec demum in ostio efficitur insula, sed citra illud longiore tractu, vt cum Vahali australe insulæ latus claudat. Neque scriptura Cæsaris sollicitanda est, quam non tantum consensus librorum, verum etiam metaphrasis Græca confirmat. Quo posito, nequaquam ad Vahalem referri potest, quod Cæsar Mosæ adsignauit, *efficere insulam Batauorum,* licet Mosa per receptam Rheni partem, quæ Vahalis est, non per se, illud efficiat.

Tertius in Belgicæ maioribus fluminibus *Mosella* est, qui ortus in Vogeso monte, per Leucos, Mediomatricos, Treuerosque decurrens, inter Vangiones Vbiosque se Rheno commiscet. Nomen a *Mosa* trahit ὑποκοριστικῶς, quasi paruus Mosa, cui post ortum propinquus, & velut æmulus illius decurrit. Guilielmus Brito lib. x Philippid. vers. 385

> *Millibus a Mosa distans, vbi Mosula paucis*
> *Leucos & Metes speciosis irrigat vndis.*

Nam etiam *Mosula* adpellatur, non modo a posterioris æui scriptoribus; verum etiam a Floro lib. III cap. x. *Cæsar,* inquit, *infra Mosulam nauali ponte transgreditur ipsum Rhenum.* Sic Vinetus vocem emendauit. nec est quod *Mosellam* ex vno Palatino substituas, quum æque Latine & *Mosula* & *Mosella* per modum deminutæ rei, vt in aliis exemplis, dicamus. Eius laudes singulari carmine Ausonius scripsit, quod in Idylliis eius est decimum. quo post principium ita Mosellam adloquitur:

> *Salue amnis laudate agris, laudate colonis,*
> *Dignata imperio debent cui mœnia Belgæ:*
> *Amnis odorifero iuga vitea consite Baccho,*
> *Consite gramineas amnis viridissime ripas.*
> *Nauiger, vt pelagus; de[illegible]pronus in vndas,*
> *Vt fluuius; vitreoque lacus imitate profundo.*

Venantius Fortunatus *Musella* dixit lib. VII carm. IV ad Gogonem vers. 7,

> *Insuper vuifera Musella obambulat amnem,*

vt puto, porrigendæ syllabæ caussa, quamuis sæpe negligentior idem eius legis sit. Ausonius corripuit primam dicti carminis vers. 108

ne lata Mosella
Flumina tam celebri defraudarentur alumno.

Addo ex eodem idyllio, quæ laudes augent, a versu 374

Quod si tibi, dia Mosella,
Smyrna suum vatem, vel Mantua clara dedisset;
Cederet Iliacis Simois memoratus in oris,
Nec præferre suos auderet Tibris honores.

Quid Ptolemæus animo volutauerit, quum celebri nomine fluuium, vt plerique interpretantur, *Obringam*, ὁ Ὀβρίγγα, lib. II cap. IX adpellauerit, diuinare non possum, præsertim quum ante ipsum Tacitus *Mosellam* nominasset. Sed solemne ipsi est in Belgica, inusitatis fluuiorum nominibus vti, vbi Scaldim *Tabudam*; Samaram *Phrudin* vocauisse, ex situ & loco manifestum videtur. Quamuis vero etiam doctissimus, vir Hadrianus Valesius, p. 363 in ea sententia est, vt Ptolemæo Mosellam *Obringam* dictum esse sibi persuadeat: tamen, quia Ptolemæus Obringam suum constituit limitem vtriusque prouinciæ, Germaniæ Superioris & Inferioris, nec vero Mosella is limes est; non desino cum Cluuero dubitare, aut minorem fluuium, ignobilioremque circumspicere, quo vtraque prouincia, tamquam communi termino, diuisionis caussa vtatur. Sed de hoc infra, quum Germaniam Cisrhenanam explicabimus. Haud quoque tacendus est præclarus L. Veteris conatus, vt Mosellam fossa cum Arari coniungeret, de quo sic Tacitus lib. XIII cap. LIII *Vetus Mosellam atque Ararim, facta inter vtrumque fossa, connectere parabat, vt copiæ per mare, dein Rhodano & Arare subuectæ, per eam fossam, mox fluuio Mosella in Rhenum; exin Oceanum decurrerent, sublatisque itinerum difficultatibus nauigabilia inter se occidentis septemtrionisque litora fierent.* Egregium opus, & Romanis dignum, si perfectum fuisset! quod quo minus fieret, inuidia Aelii Gracilis, Belgicæ legati, impediuit, quod idem Tacitus subnotauit. An etiam Cæsar *Mosellam* memorauerit, dubium primus Cluuerus fecit lib. II Germ. Antiq. cap. XIV, Cæsaris verba ex lib. IV cap. XV, *quum ad confluentem Mosæ & Rheni peruenissent*, legens ita, vt in *Mosæ* locum *Mosellam* inducendum esse contendat, sed inuitis libris omnibus. Cæsaris locum, a violenta correctione seruatum, interpretatur Pontanus Disceptatione IX, qui consuli potest. Confluentes

Mo-

Mosellæ & Rheni tam nobiles sunt, vt etiam vrbi adpositæ nomen impertiuerint.

Pergimus ad *Scaldim*, vt Cæsar, Plinius, Antoninus, Fortunatus vocant: Solius Ptolemæi, vt diximus, est ille amnis *Tabuda*. Oritur in Veromanduis, & per Neruios aliosque populos delapsus, quum Oceano adpropinquauit, in plures diffluit partes. Eius riuus qui Bergam attingit, olim Mosæ adiungebatur. Hinc est, quod apud Cæsarem lib. VI cap. XXXIII legitur: *ipse cum reliquis tribus* [legionibus] *ad flumen Scaldim, quod influit in Mosam, ire constituit.* Cetera ostia in Oceanum ferebantur, sed incertum quo modo & ordine, quum vis Oceani, & casus, & ipsa natura in huius fluuii, etiam in Mosæ & Rheni exitu, multum immutauerint. Plinius lib. IV cap. XVII *A Scalde ad Sequanam Belgica.* & mox: *A Scaldi incolunt extera Toxandri.* Et cap. XIII, *Toto hoc mari ad Scaldim vsque fluuium Germanicæ accolunt gentes.* Ex quo intelligitur, quare Scaldim finem Belgicæ loco antea dicto constituerit, qui aliis, & ipsi non nunquam Plinio, sed alio respectu, Rhenus est. Venantius Fortunatus pa[illegible]nte nominato carmine IV libri VII ad Gogonem

Isara, Sara, Chares, Schaldis, Saba, Somena, Sura.

Vltra Morinos, in Ambianis est *Samara*, cuius nomen separatim in antiquis monimentis, quæ reliqua sunt, non exstat: vtique vero in adposito oppidi nomine *Samarobriua*, quod Cæsaris & Ciceronis est. Ille lib. V de B. Gall. cap. XXIV *concilio Gallorum Samarobriuæ peracto.* & cap. XLV *Crassum Samarobriuæ præficit:* hic lib. VII epist. XI ad Trebatium: *Vna mehercule collocutio nostra pluris erit, quam omnes Samarobriuæ.* Quod nomen *Pontem Samaræ*, vt Valesius interpretatur, significat. Oppidum postea *Ambiani* dictum, gentis nomine, nunc *Amiens*: fluuius autem medio æuo *Somena* vel *Sommena*, vt modo ex Fortunati versu vidimus: vel *Summina*, vt scripsit Gregorius Turonensis lib. II cap. IX extremo, *vsque Suminam fluuium occupauit.* Ptolemæo *Phrudis* est: hodie *la Somme*, qui ex Ambianis in Oceanum defertur.

Ex ora Oceani ad Mosam redimus qui *Sabin* flumen recipit: is nunc *Sambre* est, satis notus: Fortunato *Saba*, vti ex prædicto versu lib. VII carm. IV modo visum fuit. Antiquum autem nomen *Sabis* erat. Cæsar lib. II de Bello Gall. cap. XVI *inueniebat ex ca-*

ptiuis, Sabin flumen ab castris suis non amplius millia passuum X *abesse.* & cap. XVIII *collis de summo aequaliter decliuis ad flumen Sabin.* In altera ripa, sed inferius, Mosa *Ruram* accipit, a Tolpiaco, Marcoduro, Iuliaco delatum amnem, sed in vetustis historiis minus memoratum, nec prior, qui meminerit, ad manum est, quam Theodulfus Aurelianensis, cuius, Paraenesi ad Iudices, hic versus est num. 105

Rura, Mosella, Liger, Vulturnus, Matrona, Ledus.

Esse vero ipsum amnem, quem descripsimus, etiam Valesius consentit.

In Mosellam vero memorabilior *Sarauus* influit, vt Ausonius in Mosella vers. 367 id nomen scripsit,

Nauiger vndisona dudum me mole Sarauus
Tota veste vocat: longum qui distulit amnem,
Fessa sub Augustis vt volueret ostia muris.

nam paullo supra Augustam Treuerorum in Mosellam se infundit. Hi sunt illi *Augusti Muri*, quos poeta dixit. Tabulae Theodosianae est *Ponte Sarani*, quod nomen praue in Itinere Antonini a Lugduno capite Germaniarum Argentoratum, [illegible]itur *Saruix*, errore ex compendio scripturae orto, quum vtique *Sarani*, sicut in Tabula, hoc ordine legendum sit:

Nouiomagum	—	—	—
Treueros	M.	P.	XIII
Diuodurum	M.	P.	[illegible]XXXIIII
Pontem Sarani	M.	P.	XXIIII
Argentoratum	M.	P.	XXII.

Vnde apparet, oppidum illud esse, quod nomen pontis in Sara hodieque seruat, vt eo minus dubitemus, *Sarauum* fluuium esse qui hodie *Sara* siue *Saara* est. An vero *Sarani* nomen antiquissimum huius amnis fuerit, antiqua inscriptio apud Gruterum pag. 225 facit vt dubitemus, quae ita habet:

CAES. PRO EXER. IMP. P. P.
S. C. AV. TREVE. INGR
ESSVM H. CASTRA SARRAE
FLV. PRO MIL. CVSTODIA
BIENN. POTITVS EST.

Hic fluuius *Sarra*, cum Augusta Treuerorum in hoc lapide coniunctus, non alius est, quam qui ceteris dictus est *Sarauus*, quod eo cer-

[illegible]us

tius videtur, quia is hodieque *Saar* vocatur, & a Venantio Fortunato *Sara*, in supra ostenso versu ex lib. VII carm. IV ad Gigonem, quem propter amnem, qui insequitur, & hic loci repetendum esse duximus,

Isara, Sara, Chares, Schaldis, Saba, Somena, Sura.

Qui ergo in versu vltimus est fluuius *Sura*, nunc proximus erit vt explicetur. Is vero perinde vt Sara, sed in opposita ripa, ad vicum Aquæbellicum (*Wasserbillich*) octo millibus passuum supra Treuerorum Augustam, Mosellæ fluentis miscetur. Conuenit nomen, quod hodieque est *Saur*, Gallis le Sour. Laudatur etiam ab Ausonio in Mosella vers. 354

Pronæa Nemesaque adiuta meatu
Sura tuas properat non degener ire sub vndas,
Sura interceptis tibi gratificata fluentis.

Minora ergo flumina, quæ in Suram exeunt, sunt *Pronæa* & *Nemesa*, quorum nomina parum mutata conseruantur, illius *Prum* vel *Pruym*; huius *Nyms*, quod flumen præter Schönekium, & Bidburgum, ac Villarium (*Viller*) delapsum, ad Suram, cui ingerit se, devoluitur ab septemtrione.

Et *Alisontiam* flumen Mosella excipit, eodem Ausonio auctore vers. 370. Post Saraui enim descriptionem ait:

Nec minor hoc, tacitum qui per sola pinguia labens
Stringit frugiferas felix Alisontia ripas.

Dissentiunt interpretes. Frehero est *Eltz*, apud vicum cognominem Mosella exceptum flumen. Sed paruitas fluuioli obstat, quum maiorem describat Ausonius. Valesio videtur *Alsitz* esse, amnis qui Luzzelburgum præterlabitur; sed hic in Suram, non in Mosellam proxime, infertur. At Sura exceptos fluuios iam ante poeta narrauerat: iam eos tangens, qui in Mosellam infunduntur. Scaliger refert ad *Alf* vel *Alb*. Id autem nominis Latine *Alba* potius, quam *Alisontia* esset. Adeo nihil definiri potest in re dubia.

In superiora Mosellæ recedamus ad Diuodurum & vltra, vbi cum lusu aduenientem *Salliam* vel *Saliam* exceptat. Oritur is amnis ex lacu Lindrensi, Decem Pagis vicino, quod oppidum recens natus adluit: indeque per viginti millia prolapsus, Diuoduri, quæ Mettis est, post gyros & circumductiones se condit in Mosellam.

Ve-

Venantius Fortunatus lib. III carm. XII ad Villicum, Metensem episcopum:

Hinc dextra de pa[illegible] fluit, qua Salia fertur,
Flumine sed fluctus pauperiore trahit.
Hinc vbi perspicuis Musellam cursibus intrat,
Alterius vires implet, & ipse perit.
Hoc Mettis fundata loco, speciosa, coruscans,
Piscibus obsessum gaudet vtrumque latus.

A *sale* putatur nomen habere, quod ipse Fortunatus lib. VII carm. IV docet, post fluuios ante enumeratos repetito versu, subiungens,

Seu qui Mettin adit de sale nomen habens.

Hodie *la Seille* nuncupatur. Hæc fere paullo maiora & nobiliora flumina, quæ in Mosellam inlabuntur: minora & obscura verbo attingemus. Cuius generis sunt quæ eodem idyllio Ausonius addit vers. 359 & sequentibus:

Te rapidus Gelbis, te marmore clarus Erubrus
Festinant famulis quam primum adlambere lymphis.

Et paucis interiectis versibus:

Prætereo exilem Lesuram, tenuemque Drahonum,
Nec fastiditos Salmonæ vsurpo fluores.

Sunt plures, qui a sinistra Mosellæ, & sinistram eius ripam petunt, paullo infra Augustam, *Gelbis* scilicet, *Salmona*, & *Lesura*, nunc Kyle, Salm & Lesera: pars citra flumen sunt & dextram ripam accedunt, *Erubrus* siue *Erubris*, & *Drahon* siue *Drahonus*: qui nunc Rouver & Dron nuncupantur. Sunt omnes inter se vicini, nec longius absunt a metropoli.

Tandem *Naua*, amnis nobilis, in Gallica ripa Rheno adfunditur, ad oppidum *Bingium*, quod nomen seruat, IX millibus passuum infra Magontiacum. Nec fluuii nomen deletum, sed vnius litteræ conuersione leuiter immutatum. *Nahe* enim & *Naha* nunc adpellatur. Primus qui mentionem eius cum ponte imposito & adiacente oppido fecit, est Tacitus Hist. lib. IV cap. LXX. *Tutor*, inquit, *Treueris comitantibus, vitato Magontiaco, Bingium concessit; fidens loco, quia pontem Nauæ fluminis abruperat.* Ausonius etiam hinc idyllium Mosellam ita orditur:

Transieram celerem nebuloso lumine Nauam,
Addita miratus veteri noua mœnia vico.

[illegible]us

Vicus ille, nouis mœnibus ornatus, interpretum consensu oppidium *Bingium* est. Oppidi nomen etiam Itinerarium Antonini habet & Tabula Theodosiana.

Quæ heic plures fluuii minores memorandi essent, in Rhenum, in Mosam, in Scaldim inruentes, quod nominati non sunt in antiquis monimentis, silentio prætermittuntur. In limite australi Belgicæ, qui Matrona est, addendus amnis *Axona*, nunc Aisne vel Esne, in extremis Rhemorum, vnde ad Augustam Suessionum delatus, coniunctusque cum alio, cui Esiæ nomen dicunt esse, in Sequanam se infundit. Cæsar Belli Civ. lib. II cap. V *Flumen Axona, quod est in extremis Rhemorum finibus.* Et Ausonius Mosella vers. 461

Non tibi se Liger anteferet, non Axona præceps.

Hinc ortum versus in Heluetiis præcipuus amnis *Arola*, qui nomen, contractius tamen, retinet: quod vero non succurrit qui ex antiquis memorauerit, nihil de eo, quod antiquæ geographiæ sit, referre ad explicandum possumus, atque ita de fluminibus Belgicæ, quam instituimus tractationem, pro lege breuitatis nostræ ad alia adgressuri, finimus.

De *montibus* etiam & *saltibus* dicemus pauca. De Vogeso enim siue *Vosago*, qui in Belgicam excurrit, superiori capite actum fuit, quia initium sumit in prouincia alia. Eadem de Iura velimus obseruari. Sola ergo *Arduenna* est reliqua, nostræ propria prouinciæ tantæ longitudinis, vt nullus maior saltus in cunctis Galliis inveniatur. Cæsar lib. V cap. III *Indutiomarus iis, qui per ætatem in armis esse non poterant, in siluam Arduennam abditis, quæ ingenti magnitudine per medios fines Treuerorum a flumine Rheno ad initium Rhemorum pertinet, bellum parare instituit.* Et lib. VI cap. XXIX idem Cæsar: *ipse quum maturescere frumenta inciperent, ad bellum Ambiorigis, per Arduennam siluam, quæ est totius Galliæ maxima, atque ab ripis Rheni finibusque Treuerorum ad Neruios pertinet, millibusque amplius* IↃ *in longitudinem patet, L. Minucium Basilum cum omni equitatu præmittit.* Nimia longitudo IↃ M. passuum, ideoque doctissimis viris videtur L siue *quinquaginta*, quod in Orosii vetustis libris (nam recentiores ad Cæsaris lectionem vulgarem demutati sunt) & in Miscella Historia legitur, restituendum. Vide Hadrianum Valesium in *Arduenna*, & Dionysium Vossium in Cæsarem. At nec *quinquaginta* M. P. longitudo maxima siluarum videtur esse, quum non desint longio-

res, vt adeo vix certi aliquid definiri possit, in siluis maxime, quæ cæduntur, interlucantur. Græcus metaphrastes hæc omnia ignorat, vt ex Orosio inserta suspicari possis, præsertim quod eamdem rem Cæsar iam supra lib. V tradiderat, quamquam neque hæc verba, de quibus dubitatur, a genio & stilo Cæsaris abhorreant. Missa de numero passuum disceptatione, id certum nobis relinquitur, *Arduennam* ab Rheno Treuerorum ad Scaldim & Neruios; etiam inferius, ad Rhemos vsque pertinuisse, &, præter hos, alias multas gentes complexam esse, saltem attigisse, in quibus Condrusi sunt & Leodici & Namurci, cum Atrebatibus & Veromanduis: cohæsisseque cum Vogaso saltu. Vnde est quod Fortunatus quoque Venantius tamquam vicinos & coniunctos in sæpe dicto ad Gogonem IV carmine libri VII coniungat,

Ardenna, an Vosagi, cerui, capræ, helicis, vrsi
Cæde sagittifera, silua fragore tonat?

Tacitus quoque pluratiue, vt multos & continuos saltus, nuncupat lib. III Annalium cap. XLII *Aliud,* inquit, *vulgus obæratorum aut clientium arma cepit: petebantque saltus, quibus nomen Arduenna.* Atque hæc etiam de Arduenna præsignificasse satis sit: nunc ad populos Galliæ Belgicæ enumerandos accedimus, initium ab illa ora facientes, qua Belgica Lugdunensem Narbonensemque contingit.

HELVETII.

Primi nobis in Belgicæ populis sint *Heluetii*, finitimi Allobrogum & prouinciæ Romanæ, clari virtute & studio bellorum. Cæsar lib. I Gall. B. cap. II vocat *homines bellandi cupidos*, sed qui *pro gloria belli & fortitudinis angustos se fines habere arbitrati* sint. Fines autem illorum ita ibidem describit: *Vndique loci natura Heluetii continentur: vna ex parte flumine Rheno latissimo atque altissimo, qui agrum Heluetium a Germanis diuidit: altera ex parte monte Iura altissimo, qui est inter Sequanos & Heluetios: tertia, lacu Lemano, & flumine Rhodano, qui prouinciam nostram ab Heluetiis diuidit.* Rheni igitur contenti flumine, ad Gallos pertinebant, diuisi a Germanis eodem amne: ideo *gens Gallica* a Tacito dicti lib. I Hist. cap. LXVII, & de Morib. Germ. cap. XXVIII: etiam a Cæsare, Strabone, Plinio, Ptolemæo pro Gallis habiti, olim pars Celticæ, post ab Augusto Cæsare in Belgicam transscripti, vt supra sub initium huius capitis tradi-

tradidimus. Habuerunt quondam, vt idem Cæsar cap. v notauit, *oppida numero ad duodecim; vicos, ad quadringentos*, quibus omnibus incensis, quum nouas sedes quærerent, à Cæsare repulsi, & oppida reædificare coacti sunt.

Illa, vt Cæsar eodem libro, cap. XII vocat, *Heluetia ciuitas*, id est societas atque natio, in quatuor *pagos*, hoc est populos singulares minoresque diuisa fuit. Itidem Cæsar dicto loco: *Omnis ciuitas Heluetia in quatuor pagos diuisa est.* Ex quibus ipse tantum duos nominauit, *Tigurinum* & *Vrbigenum*; ceterorum nomen & notitiam aliunde supplere satagemus. Dicto cap. XII Cæsar de Tigurinis: *Vbi per exploratores Cæsar certior factus est, tres iam copiarum partes Heluetios id flumen traduxisse, quartam vero partem circa flumen Ararim reliquam esse; de tertia vigilia cum legionibus tribus e castris profectus ad eam partem peruenit, quæ nondum flumen transierat: eos impeditos & inopinantes adgressus, magnam partem eorum concidit; reliqui se fugæ mandarunt, atque in proximas siluas abdiderunt. Is pagus adpellabatur* TIGVRINVS. De altero, quem nominatim memorat, eodem libro, cap. XXVII ita refert: *Dum ea conquiruntur & conquiruntur* [obsides nempe & arma tradenda] *nocte intermissa, circiter hominum millia* VI *eius pagi, qui* VRBIGENVS *adpellatur, siue timore perterriti, ne, armis traditis, supplicio adficerentur: siue spe salutis inducti, quod in tanta multitudine dediticiorum suam fugam aut occultari, aut omnino ignorari posse existimarent; prima noctis vigilia ex castris Heluetiorum egressi, ad Rhenum finesque Germanorum contenderunt.* Ita legimus cum Philippo Cluuerio, quamquam non ignoramus, libros omnes Cæsaris *Verbigenus* exhibere, errore sane, vt videtur perantiquo, quia metaphrastes etiam Βερβιγένη φυλὴ expressit. Quum vero in Antonini Itinerario oppidum *Vrba* eius regionis reperiatur, quod hodieque, & fluuius etiam præterlabens *Orbe* adpelletur; non est quod dubitemus, *Vrbigenus* antiquum & genuinum nomen esse, quod, qui Cæsarem exscripserunt, in *Verbigenus*, Christianis non ignotum vocabulum, transformauerunt. Itinerarii Antoniniani rationes hæ sunt, itinere à Mediolano Argentoratum:

Equestrim	—	—	—
Lacum Lausonium	M.	P.	XX
Vrbam	M.	P.	XVIII

vnde situs *Vrba* non obscurus est: quem certiorem facit superstes, vt diximus, oppidum *Orbe* in eo tractu, ad fluuiolum cognominem, id est *Orbe* positum. Quis ergo nunc *Verbigenus* Cæsari in animo fuisse credet, quum medio æuo & nostro oppidum cum fluuio, *Vrba* vel *Orba*, tam manifestum sit?

Sic ergo duos pagos Heluetiorum nominatos habemus a Cæsare: reliquos duos Strabo nobis & scriptores belli Cimbrici manifestant. Strabo lib. IV pag. 127 de C. Mario, victore Cimbrorum sociorumque, qui Heluetii erant: Μασσαλιώταις ἔδωκεν ἀριστεῖον κατὰ τὸν πρὸς Ἄμβρωνας καὶ Τωΰγενοὺς πόλεμον, *Massiliensibus premium dedit pro nauata in bello contra Ambrones & Tugenos opera.* Eutropius lib. V ineunte: *M. Manilius & Q. Cæpio a Cimbris & Teutonibus, & Tigurinis, & Ambronibus, quæ erant Germanorum & Gallorum gentes, victi sunt iuxta flumen Rhodanum.* Cimbri scilicet & Teutones Germanorum: Ambrones vero & Tigurini Gallorum. Plutarchus in Mario ex Cimbrorum & Teutonum sociis tantummodo *Ambrones* nominat, & sæpius nominat, vt pag. 414, 416, quod argumento est, illum pagum præ cæteris insignem, validum, & bellicosum in Heluetiis exstitisse. Epitome Liuii LXV sub initium Cimbrorum belli: *L. Cassius consul a Tigurinis Gallis, pago Heluetiorum, qui a ciuitate secesserant, in finibus Allobrogum, cum exercitu cæsus est.* Et Epitome LXVIII eiusdem: *C. Marius consul summa vi oppugnata a Teutonis & Ambronibus castra defendit: duobus deinde prœliis circa Aquas Sextias eos hostes deleuit.* Hæc de Ambronibus Heluetiis sententia vtique nobis firmior probabiliorque ob connexionem in laudatis historiis, videtur, quam altera Reineri Reineccii, cui etiam illustrissimus auctor Paderbornensium Monimentorum subscripsit; qui *Ambrones*, Cimbrorum in Romano bello socios, a Westphaliæ fluuio *Emmer* deducunt, quam *Ambram* putant Latinis fuisse, qua opinione auctoribus suis relicta, in veteri & pluribus recepta sententia manemus. *Ambronicus* ergo pagus a Strabone, Liuio, Plutarcho & Eutropio in illo bello laudatus, ad quatuor illos Heluetiorum pagos vtique, vt validus & bellicosus, referri debet, quibus si *Tougenos* siue *Tugenos* Strabonis adnumeramus, quos ille cum Ambronibus in eadem caussa coniunxit; habemus quatuor a Cæsare distributos Heluetiorum pagos siue populos, *Tigurinum*, *Vrbigenum*, *Ambronicum*, & *Tugenum*. Horum inter se fines atque

ter-

terminos quod nemo designauit, Cluuerii coniecturam in enarra-
tione vt plurimum insequemur. Id vero praenotandum est, Hel-
vetiorum quondam agrum non iisdem vbique limitibus conten-
tum, quibus hodie Suizerorum regiones terminantur: quum
Rauraci, ad Rhenum populus, seiuncti olim essent ab Heluetiis;
contra accesserint Vrbigenis fortasse ad Iuram montem, quae extra
foederatam sunt horum temporum Rempublicam.

PAGVS VRBIGENVS.

Proximi prouinciae Romanae VRBIGENI erant, ab *Vrba* oppido,
quod ex Itinerario ostendimus, nominati, haud dubie antiquiore
ceteris, aut maiori etiam potentia, quam vero postmodum amisit,
quum splendidius valentiusque factum esset *Auenticum*, vsque adeo,
vt non pagi tantum Vrbigeni, verum etiam totius ciuitatis Helue-
tiae caput censeretur. Tacitus lib. I Histor. cap. LXVIII de Caeci-
na, Vitellii duce: *Quum direptis omnibus Auenticum, gentis caput,
iusto agmine peteretur, missi qui dederent ciuitatem, & deditio accepta.*
Nec est quod caput vnius pagi intelligas. nam citra diuisionem
Tacitus ibidem vniuersos Heluetios commemorat. *Plus praedae,*
inquit, cap. LXVII, *ac sanguinis Caecina hausit. Irritauerant turbi-
dum ingenium Heluetii, Gallica gens, olim armis virisque, mox memoria
nominis clara, de caede Galbae ignari, & Vitellii imperium abnuentes.*
Hos ergo Heluetios intelligit, & horum caput Auenticum esse di-
cit, qui Marii & Caesaris temporibus tam clade quam pugnis memo-
riam nominis consequuti erant, qui non tam Vrbigeni, quam Am-
brones, quam Tugeni, quam Tigurini etiam fuerunt. Dignita-
tem illam Auenticum ab Romanis accepit, qui cum aliis ornamen-
tis, tum colonia auxerunt. Flauiorum saeculo id Fredegarius im-
putauit, quasi Vespasianus, Germanis rebellibus superatis, reparari
iusserit, & inchoatum splendorem reliquerit filiis perficiendum.
Quo auctore id tradiderit, non liquidum est: nec vero de tempore
dubitamus, quia Traiani aeuo coloniam fuisse inscriptione proba-
tur, apud Gruterum pag. 427, quam Caio Laelio imperatorum
Neruae & Traiani legato posuit,

COLONIA PIA FLAVIA CONSTANS EMERITA
AVENTICVM HELVETIORVM FOEDERATA.

Cognomen *Flauiae* non sinit nos de tempore dubitare. Nec num-

mus Domitiani adversatur, inscriptus, vt Valesius refert, COLONIA IVLIA AVANTICORVM, quum possit etiam in gratiam *Iuliæ*, fratris Titi filiæ, quam amauit Domitianus, id cognomen esse additum. Vide Suetonium cap. XVII & XXII. *Auanticorum* autem, vocali prima scriptum nomen, minus habet quod deuocare nos ab hac opinione possit, quum & Ptolemæus Ἀυάντικον scripserit; & forsan vtrumque receptum fuit, vsitatius tamen per E vocalem secundam, qua etiam in alia inscriptione pag. 110 num. 3 expressum est INCOLAE AVENTICENS. qui curatori coloniæ TABVLAM ARG. POSVER. quod opes & splendorem illorum potest comprobare. Male vero in Sequanis Ptolemæus hanc vrbem posuit, & vtique maior nobis est Tacitus, qui Heluetiis adscripsit ita, vt caput etiam gentis esset. Quod vetera Itineraria confirmant, Antonini, itinere a Mediolano Magontiacum; & Tabulæ Peutingerianæ. vtrobique enim *Auenticum Heluetiorum* adpellatur; & quidem eo situ ac ordine, vt non possit extra Heluetiorum fines esse. Testatur & ipsum nomen, quod Galli nostri ei loco conseruarunt, *Avenches*, in quo prisci nominis non obscura insunt vestigia. Amisit splendorem Germanorum irruptione, Gallieno imperium deserente. Vnde est, quod Ammianus lib. XV cap. XXVII *Aenticum, desertam ciuitatem,* dixit, *sed non ignobilem quondam, vt ædificia semiruta nunc quoque demonstrant.* Illud QVONDAM longius tempus respicit, quam vastationes erant, quas Iulianus cæsar sub augusto Constantio; aut Constantius, pater Constantini, necdum augustus, sub Diocletiano & Herculio, vltus fuit. Hodie a nostratibus vocatur *Wiflisburg*, quasi Wiuilonis burgus, quia is comes fertur post diuturnas ruinas restaurasse.

Alia vrbs huius pagi ad lacum Lemanum antiqua & nobilis fuit *Colonia Equestris.* Plinius lib. IV cap. XVII de Belgica post alios populos: *Mediomatrici, Sequani, Raurici, Heluetii. Colonia, Equestris, & Rauriaca.* Tabula Theodosiana, Peutingeri vulgo dicta,

Condate, *Gennaua* XII. *Colonia Equestris* XII.

Antonini Itinerarium, itinere a Mediolano Argentoratum;

Darantasia			
Casuariam	M.	P.	XXIIII
Bautas	M.	P.	XVIII

Gena-

Genauam M. P. XXV
Equestrim M. P. XVII
Lacum Lausonium M. P. XX
Vrbam M. P. XVIII.

Inscriptio vetus, in Geneuatis agri pago Versoy reperta, apud Gruterum p. 478 num. 3

D. VALERIO ASIATICI LIBERT
SISSI IIIIII VIRO COL. EQ.

Hæc sunt antiqua monimenta quæ Coloniam Equestrem Heluetiorum nominatim significant. Opus videtur Iulii Cæsaris esse qui equites ibi deposuerat limitaneos. Et ad hanc coloniam referuntur a doctissimis viris poetæ Lucani verba lib. I Pharsal. vers. 394 de Cæsare:

sparsas per Gallica rura cohortes
Euocat, & Romam motis petit vndique signis.
Deseruere cauo tentoria fixa Lemano.

Quod si enim ductum Itinerarii sequimur, inter Geneuam & Lausonam *Equestris colonia* sita fuit, XII millibus passuum a Geneua secundum Theodosianam Tabulam, ex qua Itinerarii numerus XVII corrigendus est, inducto V, quinarii signo. Iam vero quatuor leucis siue XII millibus passuum a Geneua abest oppidum *Nyon*, positum *in cauo Lemano*, vt Lucanus dixit, hoc est in sinu & angulo lacus. Confirmat Notitia prouinciarum & ciuitatum Galliæ, cuius in Maxima Sequanorum est *Ciuitas Equestrium Noiodunum.* Antiquum ergo nomen fuit *Noiodunum*, quod postea, coloniæ nomine ac memoria sensim obsolescente, reductum, & linguæ fato in breuiorem formam deprauatum fuit, vt fieret *Nion* siue *Nyon.* Ptolemæo Ἐκυεστρὶς in Sequanis est, quod non miramur, quum eodem errore Auenticum etiam Sequanis, a quibus longius abest, adscripsisset.

Qui vero in Antonini itinerario est *Lacus Lausonius;* & in Tabula Peutingeri Lacus Losanne; ipsa vrbs *Lausanna* est, a lacu, cui adiacet, nominata, XIII millibus secundum Tabulam ab Equestri distans colonia; secundum Antoninum, XX, quarum alter numerus ex altero corrigendus est. Reliqua oppida pagi Vrbigeni ex Tabula & Itinerario conspiciuntur. Huius auctori proxime ad Auenticum ab austro *Minnidunum* est, in Tabula compen-

di-

dio scripturæ *Minodum*; quod videtur esse *Milden*, Gallis *Moul-don*, medio loco inter lacum & Auenticum situm oppidum: inter idem Auenticum & Salodurum ponit *Penesticam*, quæ *Petenisca* in Tabula est, cui ex Cluuerii opinione respondet oppidum *Biel*: eiusdem Tabulæ *Eburodunum* & situ & nomine cum *Yverdon*, quod in ora australi lacus Neocomensis est, conuenire non dubitamus. In Notitia ciuitatum prouinciæ Maximæ Sequanorum est *Castrum Ebredunense*, quod idem est.

PAGVS AMBRONICVS.

Supra Vrbigenum pagus est *Ambronicus*, cui Cluuerius duo oppida adsignat, *Salodurum* & *Vindonissam*, quorum prius quam antiquum sit, incertum est, quia antiquiorem eius memoriam, quam in Theodosiana Tabula, & Itinerario eiusdem forte ætatis, quod Antonini vulgo adpellatur. In eo enim hoc ordine collocatum est, vt iter ab *Auentico Peteniscam*, quam diximus Biel videri, ferat; inde *Salodurum*; ab hoc *Augustam Rauracorum* spatio XXII M. P. deducat. Quum ergo nomen vrbis non ignobilis ad Arolam, *Solothurn* nempe, siue vt Galli vocant, *Soleurre*, superfit, non est quod plura verba de *Saloduro* veterum faciamus, quia sic deprehensum in Soleurre est, vt dubitare de situ non liceat.

Oppidum alterum, *Vindonissa*, certioris est antiquitatis, vtpote etiam a Tacito memoratum lib. IV Hist. cap. LXI. *Hiberna*, inquit, *subuersa cremataque, iis tantum relictis, quæ Magontiaci ac Vindonissæ sita sunt.* Et cap. LXXI *Tutor maturauit superiorem Germaniæ ripam & ardua Alpium præsidiis claudere. Atque interim vna & vicesima legio Vindonissa; Sextilius Felix cum auxiliariis cohortibus per Rhætiam irrupere.* Situm ostendit Itinerarium Antonini & Tabula Theodosiana. Illud itinere de Pannoniis in Gallias per mediterranea:

Brigantiam	— — —
Arborem Felicem	M. P. XX
Ad Fines	M. P. XX
*	*
Vindonissam Leg.	M. P. XXX

Quod deest suppletur ex sequenti itinere a Taurunno per ripam, ita

Fines

Fines	—	—	—	
Vitudorum	M.	P.	XXII	*Leg.*
Vindonissam	M.	P.	XXIIII	*Leg.*

Ex quo adparet, etiam nomine consonante, nunc vicum Bernatium *Windisch* esse, quæ olim fuit Vindonissa. In Notitia Galliæ ciuitatum *Castrum Vindonissense* est in Maxima Sequanorum: & *Campi Vindoni*, in Eumenii Panegyrico, Constantino dicto, cap. IV & VI, in quibus pater Constantius *bella plurima* aduersus Germanos gesserat. Quod autem in Tabula interponebatur *Vitudorum*, de eo in Tigurino pago videbimus. Inter Salodurum & Vindonissam trans Arolam fluuium *Iura* mons procurrit, cuius pars asperrima nunc *Bözen* vel *Bözberg*, quod nomen sonat, videtur *mons Vocetius* esse, in quem victi & dispersi a Cæcina Heluetii refugerunt. Tacitus lib. I Hist. cap. LXVIII *Ipsi in medio vagi, abiectis armis, magna pars saucii aut palantes, in montem Vocetium perfugere.*

PAGVS TIGVRINVS.

Tigurinus pagus a *Tiguro* nominatur, quod oppidum nemo veterum scriptorum memorauit: haud vero dubie e duodecim fuit, quæ migraturi in interiorem Galliam, vt apud Cæsarem lib. I cap. V est, ipsi Heluetii exusserunt. Quod pronius ad fidem fit, quia vrbs nobilis eius nominis *Zürch* hodieque superest, quod ipsum *Tigurum* cum Germanorum præpositione *zu* est, sicut cum eadem vocula ex Taberna fit *Zabern*; ex Tolbiaco, *Zülpich*. Ptolemæi in hoc tractu est φόρος Τιβερίου, *Forum Tiberii*, quod vi nominis suadente est oppidum Rheno adpositum *Keyserstul*, quasi tribunal Tiberii, quod, quum imperator in Rhætorum bello esset, ibidem videtur habuisse.

Huius pagi etiam sunt, quæ Antonini Itinerario supra dictis itineribus inter Brigantiam & Vindonissam ponuntur, *Arbor Felix*, & *Ad Fines*. Vtriusque non obscura vestigia in oppidis, quæ nomen corrupte conseruant, videlicet illius in *Arbon*, quod lacui Brigantino est adpositum: huius in *Pfin*, quod supra flumen est Durum. *Vitudorum* autem eiusdem itineris, inter Fines & Vindonissam, in illum locum incidit, quo hodie est oppidum *Winterthür*, quasi Vintodurum aut Vinterdurum Romani olim pronuntiauerint. Etiam in hunc tractum cadit Γανόδουρον, *Ganodurum* Ptolemæi, de quo

nihil certi constat. Plures autumant in loco Constantiæ fuisse ad lacum: Cluuerio videtur nomen ex Σαλόδυρον, *Salodurum*, corruptum: sed numeri Ptolemaici ab illo longius in ortum solis nos reducunt. *Constantia* vero, quia in altera ripa effluentis lacus est, ad Germaniam potius, quam Galliam aut Heluetiorum ciuitatem pertinuit, idcirco in subscriptionibus episcoporum quondam dicta *Constantia Alemanica*. Vide Valesii Notitiam.

PAGVS TVGENVS.

Tugenorum nomen a Strabone est, qui Τωΰγενὺς vocauit, vt supra commemorauimus. Nomen ab oppido habuisse non dubitamus, quod *Tugum* fuisse vel *Tugium*, probabile ex analogia est: etiam celebri oppido nostra ætate *Zug* respondere, quia quæ vrbium nomina Romanis ex T incipiebant, Germani adposito *zu*, pronuntiavere, vt supra in Tiguro ostensum fuit. Nusquam sic oppidi nomen in antiquis monimentis occurrit: nec vero nouum censemus esse, quum *Tugenorum* nomen sit satis antiquum, quamuis nec alium auctorem illius, quam Strabonem, possimus nominare.

Præterea huc Cluuerius locum Taciti refert, in modum municipii exornatum, & salubrium aquarum vsu frequentatum, lib. I Hist. cap. LXVII. *Cæcina*, inquit, *belli auidus, proximam quamque culpam, antequam pœniteret, vltum ibat. mota propere castra: vastati agri: direptus, longa pace in modum municipii exstructus locus, amœno salubrium aquarum vsu frequens.* Sic locum plane Tacitus describit, etiamsi nomine abstinet. Quod vero is intra fines Heluetiorum sit, non difficiliter in perculto oppido *Baden*, consensu omnium, invenitur: neque nomen eius potest dubium, minus ignotum esse, quia Romani salubrium aquarum loca plerumque *Ad aquas*, adpellauere, adiecto regionis cognomine, vt ab aliis locis, salubritate simili celebratis, discerni facilius possint. Qua ratione Taciti in Heluetiis locum, salubritate aquarum præditum, *Ad aquas Heluetias* dictum fuisse, nihil quidquam est, quod credere nos prohibeat. Hæc sunt quæ de Heluetiis & chorographia illorum in antiquis monimentis inuenimus.

Heluetios ab austro multæ gentes vel attingebant, vel subiacebant, *Veragri, Seduni, Nantuates;* quibus *Latobrigos* & *Tulingos* adiungerem, si certius aliquid de illorum sede constaret. Cæsar

sane

ſane cum Heluetiis coniungit lib. I Belli Gall. cap. V, ſed a quo latere aut plaga cum illis cohæreant, non exponit. Priores itaque, *Veragros*, *Sedunos*, *Nantuates* Prouinciæ Romanæ ſiue Narbonenſi vindicamus, duplici ratione inducti, primum quia Cæſar ineunte lib. III de Bello Gallico, eosdem cum Allobrogibus coniungit, a quorum finibus ad ſummas Alpes pertinebant. Deinde quia Ptolemæus omnes illos populos adſcribit Italiæ, quamlibet trans ſummas Alpes ſitos. Si ergo inter Allobrogum fines & ſummas Alpes fuerunt, adeo, vt reuocari quodammodo ad Italiam potuerint; non poſſunt ad Heluetios, & cum ipſis ad Belgas transferri, ſed Narbonenſi relinquendi ſunt, quæ inter Italiam Belgicamque ex Heluetiorum parte interiacet: quamuis nec Nantuatibus certiorem ſedem adiudicare potuerimus. *Latobrigos* Cluuerius in Valleſiæ pago *Brige* quærit, certo autem & ſine dubitatione non inuenit. Leuior eſt Nic. Sanſonis coniectura, qui ex *Bri*, ſyllaba, ad Briſiacos refert. Nec ipſa etiam ſyllaba ſatis certa eſt, quia Oroſius lib. VI cap. VII *Latobrogios* ex Cæſare ſublegit. Modeſtior Hadrianus Valeſius eſt, qui imbecillitatem coniecturæ vtriusque oſtendit: ipſe a loco definiendo abſtinet, quem potius nobis, quam illos, imitandum ducimus. *Tulingos* multi trans Rhenum & ſupra Brigantinum lacum quærunt in Germania. De ceteris in Prouincia ſeu Narbonenſi Gallia actum eſt.

Tandem de hoc lacu, qui Heluetios a Vindelicis & Germanis ſeparat, aliquid addere pretium eſt. Plinius lib. IX cap. XVII vocat *lacum Rhætiæ Brigantinum*, quia & Rhætos attingit, ſaltem Vindelicos, a Tacito quoque ſub Rhætorum nomine comprehenſos. nam ſecundum Strabonem lib. IV pag. 142 *καὶ Βριγάντιοι τῶν Οὐϊνδελικῶν εἰσι*, *Brigantii quoque Vindelicorum ſunt*, illorumque oppidum *Βριγάντιον*, *Brigantium*, in ora lacus poſitum, ſupereſt. Ammianus Marcellinus lib. XV cap. VI ipſum lacum *Brigantiam* vocat, communi cum oppido nomine. *relegens*, inquit, *margines lacus Brigantiæ*. & paucis interiectis: *Rhenus lacum inuadit, quem Brigantiam accola Rhætus adpellat*. In eo vero errat Ammianus, quod lacum hunc *rotundum* dicit, & *pari pæne ſpatio late diffuſum*, vti longus eſt; quod ſecus ſeſe habet. Pomponius Mela lib. III cap. II duos lacus memorat, per quos Rhenus transmittatur, *Venetum* &

Acronium, quamquam nominum originem non exponat. *Rhenus*, inquit, *ab Alpibus decidens, prope a capite duos lacus efficit, Venetum & Acronium*. Ex quo ordine apparet, *Venetum* esse longiorem illum, qui a Brigantia incipit & longe procurrit ad Constantiam, & vlterius ad oppidum, quod hodie est, Bodmen vocatur. Vnde idem lacus est Venetus, Brigantinus, Constantiensis & Bodamicus: *Acronius* autem est minor & inferior, quem Rhenus inuadit, quum præter Constantiam, elapsus iam e maiore, in occidentem supra Heluetios defertur ad Rauracos, qui nunc proximi succedunt Heluetiis.

RAVRACI siue RAVRICI.

Hunc populum Cæsar & Itineraria *Rauracos*, prima vocali, vocant: Plinius, Ptolemæus, & inscriptio vetus, tertia, *Rauricos*. Vt finitimi sunt Heluetiorum, ita etiam socii fuerunt Romano bello. Cæsar lib. I cap. V *Persuadent Rauracis, & Tulingis, & Latobrigis finitimis, vti eodem vsi consilio, vna cum iis proficiscantur*. Et cap. XXIX in tabulis repertis quibus ratio confecta erat qui numerus domo exisset; *summa erat capitum Rauracorum millia* XXII. Vnum his præ ceteris eximium oppidum fuit, quod Plinius lib. IV cap. XII *Rauricum Galliæ oppidum* adpellat. De Danubii siue Istri fonte agens, *Ortus hic*, inquit, *in Germania iugis montis Abnobæ, ex aduerso Raurici Galliæ oppidi*. In hoc L. Munatius Plancus, olim Ciceronis discipulus & amicus, vti ex lib. X epistolarum notum est, post Antonium sectatus, & inter adparatum Actiaci belli regressus ad Octauianum Cæsarem, a quo ad censuram & præfecturam Rhætiæ euectus fuit; hic, inquam, Munatius Plancus Augusti auspiciis coloniam deduxit, cuius rei superest inscriptio honorifica apud Gruterum pag. 439 num. 8

L. MVNATIVS L. F. L. N. L. PRON.
PLANCVS COS. CENS. IMP. ITER. VII VIR
EPVL. TRIVMPH. EX RAETEIS AEDEM SATVRNI
FECIT DE MANVBIIS AGROS DIVISIT IN ITALIA
BENEVENTI IN GALLIA COLONIAS DEDVXIT
LVGDVNVM ET RAVRICAM.

Supra in Lugduno pag. 218 partem quoque huius inscriptionis protulimus, Dione duce ac auctore in eam opinionem ingressi, vt

Lugdu-

Lugdunum ante triumuiratum deductam censeremus, quam nec nunc sententiam mutamus; de *Raurica* autem vt aliter iudicemus, sub Augusto ab eodem esse deductam; cum alia argumenta, tum ipsum Augustæ nomen, quod vel eodem tempore vel postea accessit, non vanis significationibus persuadent. Plinius alio loco, eodem lib. IV cap. XVII, vocat *coloniam Rauriacam:* Ptolemæus Ραυρικῶν Αὐγούστα, *Augustam Rauricorum:* Theodosiana Tabula *Augusta Rauracum*, quod vel syncope est *Rauracûm*, vel, vt sæpe in illa Tabula, compendium scripturæ pro *Rauracorum:* eodem modo auctor Itinerarii, itinere a Mediolano per Penninas Magontiacum:

Auenticum Heluetiorum	—	—	—
Penesticam	M.	P.	XIII
Salodurum	M.	P.	X
Augustam Rauracum	M.	P.	XXII

Quod itidem *Rauracorum* lego. Vt vero mos illorum temporum fuit, etiam gentile nomen vrbi est impositum. Itinere alio, a Tauruno in Gallias per ripam Pannoniæ,

Vitodurum	—	—	—
Vindonissam	XXIIII		
* *	*		
Rauracos	XXVII.		

Et Ammianus Marcellinus lib. XV cap. XXVII *Apud Sequanos Bisontios vidimus, & Rauracos, aliis potiores oppidis.* Bisontii vel Visontio quidem in Sequanis, non autem Sequani sunt ipsi Raurici, sed in prouincia Maxima Sequanorum, quæ & Rauracos, & Heluetios vna cum Sequanis complectebatur. Sic Eutropius lib. VI cap. XIV *Cæsar vicit Heluetios, qui nunc Sequani adpellantur*, id est, in Maxima Sequanorum prouincia continentur, Sequanis contributi, & nominis illorum, si laxe id de toto ambitu intelligatur, interdum participes. In Notitia prouinciarum vocatur *Castrum Rauracense.* Hodie nomen priscum Augustæ, vulgo *Augst*, conseruat exiguus vicus ad curuaturam Rheni, vbi ab occasu in septemtrionem inflectitur, sed ruinis & ruderibus, quæ ibi visuntur, clarissimæ quondam coloniæ magnitudinem prodit, situs VI millibus passuum a Basilea, quæ ex fato illius incrementa maiora cepit.

Præterea in Rauracis Ptolemæus ſcribit *Argentuariam* (Græce Αργεντεαρία eſt) quæ ſi recte eſt poſita, & Rauracis vere attributa, oportet horum fines in ſeptemtrionem longius procucurriſſe, & in ipſam Superiorem, quæ ab Romanis dicta fuit, Germaniam. Tabula Theodoſiana *Argentuariam* ponit inter Helellum & Cambete: aut ſi longius fines ex Antonini Itinerario (itinere a Mediolano Magontiacum) repetere volumus, ſita fuit inter Auguſtam Rauracorum & Argentoratum. Ordo ibi talis eſt

Auguſtam Rauracûm	—	—	—
Cambetem	M.	P.	XII
Stabula	M.	P.	VI
Argentuariam	M.	P.	XVIII
Elcebum	M.	P.	VI
Argentoratum	M.	P.	XII.

Ex quo ſitu alii Colmar, alii Horburg vel Arburg interpretantur. Hæc etiam *Argentaria*, eiecta littera, ab Ammiano & Aurelio Victore ſcribitur, nobilis ille locus, apud quem Gratianus Alemannos vicit. Ille lib. XXXI cap. XXVII *Primum apud Argentuariam, ſigno per cornicines dato, concurri eſt cœptum: - - - - barbari ita ſunt cæſi, vt ex prædicto numero* [XL M.] *non plus quam quinque millia, vt æſtimabatur, euaderent:* hic [Aurel. Victor in Epitoma] de Gratiano: *apud Argentarium oppidum Galliæ triginta Alemannorum millia in bello exſtinxit.* Nec audiendus Andreas Schottus, qui ad Argantomagum [*Argenton*] in agro Lemouicum vult relatum.

Quod ſi Argentuaria fuit Rauracorum, vti videtur antiquitus fuiſſe; eorumdem fuerunt etiam, quæ inter illam & Auguſtam interiecta fuerunt, *Cambes* ſiue *Cambete* Itinerarii & Tabulæ, nunc vicus Kems; & *Arialbinum* eiusdem Tabulæ Theodoſianæ, quod in Antonini itinere a Tauruno per Pannoniæ ripam, *Artalbinum* ſcribitur, poſitum inter Rauracos ſiue Auguſtam, & Vruncim. Id quibusdam videtur Mulhuſa Sequanorum eſſe: verum non conuenit cum itinere quod tanto ſpatio non poteſt ab Rheno recedere, ſed ab Auguſta per Vruncim ad Montem Briſiacum, qui ad Rhenum eſt, fertur, & inde Argentoratum. Cluuerius pag. 350, neſcio qua coniectura, *Baſel* interpretatur, quod itidem dubitandum aut negandum eſt, quia Theodoſii ætate, qua Tabula Peutingeri conſcripta

ſcripta putatur, etiam Baſilea iam tum fuit, Ammiano teſtante lib. XXX cap. VIII. *Valentiniano*, inquit, *poſt vaſtatos aliquos Alemanniæ pagos, munimentum ædificanti prope Baſileam, offertur præfecti relatio, docentis Illyrici clades*. Sed de hac plura in medii æui Geographia. Nihil ergo certi habemus quod de *Arialbino* dicamus; ſicut neque Hadrianus habuit Valeſius. Ad *Sequanos*, nobiliſſimam gentem properamus.

SEQVANI.

Sequani, olim pars Celticæ, vti ex Cæſaris lib. I cap. I ſupra demonſtrauimus; poſtea Belgicæ ab Auguſto contributi ſunt, quod ex Plinio & Ptolemæo notum, & ſub initium huius capitis probatum eſt. Iura mons Sequanos ab Heluetiis diuiſit, Cæſare definiente, eodem lib. I Belli Gall. cap. VIII. *A lacu Lemano*, inquit, *ad montem Iuram, qui fines Sequanorum ab Heluetiis diuidit, millia paſſuum decem nouem murum foſſamque perducit*. Altera parte ad Rhenum vsque fines protuliſſe Strabo auctor eſt lib. IV pag. 133, ἔθνος Σηκουανῶν συνάπτον Ῥήνῳ πρὸς ἕω, *Gens*, inquit, *Sequanorum attingit ab oriente Rhenum*; quod pro more forſan ex Cæſare hauſit, qui dubie lib. I cap. I *Galli* [Celtæ] *attingunt a Sequanis & Heluetiis flumen Rhenum*.

Quid vero eſt A SEQVANIS? an *poſt?* an *per?* metaphraſtes vertit κατὰ τοὺς Σεκανοὺς, quod itidem dubiæ interpretationis eſt. Apertius idem lib. IV cap. X *Rhenum per fines Sequanorum, Mediomatricorum* dixit *citatum ferri*; de quo plus infra in *Mediomatricis* dicemus. Ex altera parte Tacitus annali III cap. XLV *pagos Sequanorum conterminos Aeduis* dixit. nam late habitarunt non tantum ad horum vsque fines, verum etiam ad Lingonum, Seguſianorumque. An vero etiam ad Rhenum vsque; res eſt dubitatior, quia Rauraci & Tribocci, Rheni accolæ, ex illa parte obſtabant, qua Sequani poſſent ad Rhenum forte pertinere. niſi pulſi inde a Germanis gentibus fuere, ſicut de Ariouiſto conſtat, tertiam partem eorum agri eamque optimam occupauiſſe, quæ haud dubie propior Rheno atque Germaniæ fuit. Cæſar lib. I cap. XXXI Diuitiaci Aedui oratione: *Peius victoribus Sequanis, quam Aeduis victis accidiſſe, propterea quod Ariouiſtus rex Germanorum in eorum finibus conſediſſet, tertiamque partem agri Sequani, qui eſſet optimus totius*

Galliæ, occupauisset. Ammianus quidem Sequanos ad Rhenum vsque perducit lib. XV cap. XXVII. *apud Sequanos,* inquit, *Bisontios vidimus, & Rauracos, aliis potiores oppidis multis.* Rauraci vero, siue Augusta Rauracorum, ad Rhenum sunt. Sed Ammianus ex more suorum temporum dixit, quibus prouincia Maxima Sequanorum constituta erat, qua non Sequani modo, verum etiam Helvetii & Rauraci continebantur.

Nullum autem certum oppidum Sequanorum nominatur, nisi *Vesontio,* quod illis nominatim Cæsar tribuit lib. I cap. XXXVIII. *Nuntiatum est ei, Ariouistum cum suis omnibus copiis ad occupandum Vesontionem, quod est oppidum maximum Sequanorum, contendere.* Et Dio Cassius lib. XXXVIII pag. 8 τὸν Ὀυεσοντίωνα, τὴν τῶν Σηκανῶν πόλιν, *Vesontionem, Sequanorum vrbem* vocat. Et Magno: *Sequanus, Vesontio.* Posteriori enim æuo etiam gentis nomine dicta fuit. Antonini itinere a Mediolano per Graias Argentoratum, *Visontio* scribitur, & sic recto tractu ab Lemano in septemtrionem locatur:

Lacum Lausonium	—	—	—
Vrbam	M.	P.	XVIII
Arioricam	M.	P.	XXIIII
Visontionem	M.	P.	XVI

Nummos etiam adferunt Augusti & Galbæ, impressos MVN. VISONTIVM; verum quod hic casus magis conuenit Hispaniæ oppido in Pelendonibus, supra pag. 121 descripto; eo cum Harduino referri volumus. Ptolemæus quidem etiam *Visontium,* Græce Ὀυισόντιον, dixit, quo duce Hadrianus Valesius Galbæ nummum, VISONTIVM MVN. id est *Visontium municipium,* ad Sequanos adplicuit; sed ipse simul de fide sui ducis dubitat, annon forte Ὀυισοντίων, *Visontio,* virili genere, in eo, vt in Cæsare & Dione, legendum sit: qua admissa dubitatione, incerta & huius nummi ratio erit. Notitia prouinciarum in Maxima Sequanorum: *Metropolis ciuitas Vesontiensium.* Nunc, quod nemo dubitat, *Besanco* est, nostris *Bisanz,* vrbs incluta ad Dubim fluuium. Id quoque non prætereundum est, quum cultior ab Romanis Gallia fuit facta, Vesontionem habuisse municipalem scholam & oratoriæ artis professores. Ausonius Gratiar. act. ad Gratianum cap. XIII *Quomodo Titianus magister? sed gloriosus ille municipalem scholam apud Visontionem*

Lugdu-

Lugdunumque variando, non ætate quidem, sed vilitate consenuit. Titianus autem ille magister est ille, quo Maximinus Iunior, Maximini Thracis filius, *Oratore* vsus est, id est oratoriæ præceptore: de quo Capitolinus.

Alterum oppidum, quod multi credunt a Cæsare tributum Sequanis, & nomine & situ suspectum est doctissimis viris. Lib. I cap. XXXI Cæsar Diuitiaci oratione: *Ariouistum, vt semel Gallorum copias prœlio vicerit, quod prœlium factum sit Amagetobriæ, superbe & crudeliter imperare.* Sed inde colligi haudquaquam potest, vbi locorum prælium commissum fuerit, in Sequanis, an Aeduis, an in aliarum gentium finibus: nec, genuinum sit, an mendosum vocabulum, quia nemo alius id nomen memorauit, & Cæsaris codices variant vel *Amagetobriam*, vel *Amagetobrigam*, alii *Magetobrigam*, vel aliter referentes. Quod vero Ioannes Goduinus ad Bingium superioris Germaniæ refert, eodemque adplicat Ausonianos versus principio Mosellæ,

Transieram celerem nebuloso flumine Nauam,
Addita miratus veteri noua mœnia vico.
Aequauit Latias vbi quondam Gallia Cannas;

id longe nimis petitum est, vti, quum ad Bingium deuentum fuerit, plurium iudicio doctorum hominum demonstraturi sumus.

Ptolemæus præter Visontium vel Visontionem, & Heluetias vrbes, quas perperam huc reduxit, Equestrem & Auenticum; etiam in Sequanis *Didattium*, Διδάττιον, locat, quod vero æque obscurum & ignotum est, vt Cæsaris Amagetobria. Esto, vtrumque in Sequanis fuisse, quis vero locum in tam amplis finibus vel huius vel illius oppidi demonstrabit, vbi neque nomen aliquod vestigia nobis prodit, neque itineraria vetera nos ductu suo confirmant? Vere ergo de Amagetobrigæ loco Cluuerius dixit: *Frustra sunt, semperque erunt, qui eum peruestigare laborant:* quod idem etiam de Didattio Ptolemæi iudicamus.

LINGONES.

Lingones quoque in Belgica ponit Plinius lib. IV cap. XVII, eosdemque *fœderatos* Romanorum fuisse dicit. Ptolemæus corrupto nomine Λόγγωνες, *Longones;* sed etiam Belgicæ adscribit. In collimitio autem Belgicæ Celticæque fuerunt, quia ad caput Matronæ

fluuii habitarunt, qui terminus gentis vtriusque fuit. Straboni sunt iidem & Λίγγονες, *Lingones*; & Λιγκάσιοι, *Lincasii*, altero nomine corrupto. Exempla mox proferemus. Mosa amnis in finibus Lingonum, vt Cæsar ait lib. IV cap. X, nascitur, ex Vogeso monte erumpens: de quo supra in fluminibus dictum. Arar flumen Lingones & Aeduos a Sequanis distinguit. Strabo lib. IV pag. 129 ὁ Ἄραρ ὁρίζων Σηκουανούς τε καὶ Αἰδούους καὶ Λιγκασίους, *Arar terminus Sequanorum, Aeduorum, & Lincasiorum* siue Lingonum. Et pag. 134 ὑπὲρ τῶν Ἐλουηττίων καὶ Σηκουανῶν Ἔδουοι καὶ Λίγγονες οἰκοῦσι πρὸς δύσιν, *Super Heluetios & Sequanos occasum versus habitant Aedui & Lingones.* Quamuis autem ad Vogesum montem ex parte pertinebant; tamen vber illorum solum & eximiæ fertilitatis fuit. Claudianus Consulatu II Stilich. vers. 94

Vexit Lingonico sudatas vomere messes.

Vrbem Longonibus suis, id est Lingonibus, Ptolemæus attribuit *Andomatunum*, Ἀνδομάτουνον, τ forte pro δ errore scribarum posito, quia videtur ex *dunum* esse, plurium oppidorum terminatione, qua montanus situs significatur. Sed nihil definio, quia etiam Antoninus iter ab *Antematunno* Tullum ducit, vtrimque T recepto in vocabulum. Et quia solam hanc ponit Ptolemæus, sine dubitatione gentis illius vrbs primaria fuit, quæ posteriori æuo, vt moris erat, ipsius gentis vocabulum adsumsit, & *Lingones* ipsa vrbs adpellata. Eutropius lib. IX cap. XV *Per idem tempus a Constantio cæsare in Gallia pugnatum est circa Lingones: die vna aduersam & secundam fortunam expertus est. Nam quum repente barbaris ingruentibus intra ciuitatem esset coactus tam præcipiti necessitate, vt clausis portis in murum funibus tolleretur; vix quinque horis mediis, aduentante exercitu,* LX *fere millia Alamannorum cecidit.* Quæ integra verba recitaui, vt constet non de gente, sed oppido sermonem esse. In Notitia prouinciarum *Ciuitas Lingonum* pro vrbe est. Taciti quidem etiam est *ciuitas Lingonum*, lib. I Hist. cap. LIX & LXIV; sed ibi *ciuitas* populus, non id oppidum est, quod hodie *Langres* nuncupatur. Eius gentis vnus & singularis homo *Lingon* a Tacito dicitur lib. IV Hist. cap. LV.

In Lingonico agro etiam *Diuio* fuit, quod *Diuionense castrum* Gregorius Turonensis lib. III cap. XIX, & ex illo Aimoinus lib. II cap. XXIV accurate describunt. Agunt de Gregorio Lingonensi

nensi episcopo, quem ibi *maxime moratum* Aimoinus, siue *maxime assiduum in eo fuisse*, Gregorius historicus testantur. Cuius sedis & commorationis caussa descriptionem castri instituerunt. *Est castrum*, inquit Gregorius, *firmissimis muris, in media planitie & satis iucunda compositum. Terra valde fertilis atque fecunda.* - - - - *A meridie habet Oscarum fluuium, piscibus valde praediuitem: ab aquilone vero alius fluuiolus venit, qui per portam subueniens ac sub pontem decurrens, per aliam rursus portam egreditur; totum munitionis locum placida vnda circumfluens; ante portam autem molinas mira velocitate diuertit. Quatuor portæ a* IV *plagis mundi sunt positæ, totumque ædificium* XXXIII *turres exornant. Murus vero illius de quadris lapidibus vsque in* XX *pedes, desuper a minuto lapide ædificatus habetur; habens in altum pedes* XXX; *in latum pedes* XV. *Quæ cur non ciuitas dicta sit ignoro.* - - - - *Veteres ferunt ab Aureliano hoc imperatore fuisse ædificatum.* Valesio videtur antiquius fuisse vel oppidum vel vicum, Aurelianum demum munimenta noua addidisse. Repetere autem hæc integra ex Gregorio visum fuit, quia *Castrorum* formam nobis describunt, quæ non arces solæ aut nuda munimenta fuerunt, sed oppida etiam ampla munimentis circumdata, quæ notio frequens in Notitia prouinciarum & ciuitatum est. Scribitur etiam alia forma *Dibio*. Marmore Romanum nostra memoria effosso, DIBIONE CONSISTENTES. & inscriptio apud Reinesium class. I num. CCLXIII

ARAM POSVERVNT FABRI
FERRARI DIBIONENSES.

Hodie *Dijon* vocatur, vrbs bene culta & caput Ducatus Burgundici.

LEVCI.

Lingonibus proximi in septemtrionem *Leuci* erant, circa Mosellam colentes, aut inter Mosellam & Mosam. Cæsar lib. I cap. XL *Hæc sibi curæ esse: frumentum Sequanos, Leucos, Lingones subministrare.* Strabo lib. IV pag. 134 ὑπὲρ τῶν Μεδιοματρικῶν Λεῦκοι καὶ τῶν Λιγγόνων τι μέρος, *supra Mediomatricos sunt Leuci & pars Lingonum.* Plinius lib. IV cap. XVII *Leuci liberi.* Laudantur a iaculandi peritia. Lucanus lib. I vers. 424

Optimus excussit leucus Rhenusque lacerto. Tacitus lib. I Hist. cap. LXIV *Nuntium de cade Galba, & imperio Othonis, Fabius Valens in ciuitate Leucorum accepit.* Vbi non vrbs intelligenda, Leucorum caput, sed ager cum inhabitante populo. Oppida autem Ptolemæus Leucis duo tribuit. Τοῦλλον, *Tullum*, & Νάσιον, *Nasium*. Prioris nomen quia seruatur episcopali ad Mosellam ciuitati, vulgo *Toul* dictæ, quæ in Notitia prouinciarum, in Belgica prima est *Ciuitas Leucorum Tullo;* de situ nulla est dubitatio. Confirmat Itinerarium Antonini, quod habet *Iter ab Antematunno Tullum Leucorum vsque.* In ipsis autem vrbium vocabulis, tam hoc itinere, quam alio, a Durocortoro Diuodurum, simpliciter *Tullum* vocatur, vt tamen milliariorum numerus, in Leucos id oppidum incidere probet, vt rationes ostendent, in altero Ptolemæi oppido vel castro proferendæ.

Illud est *Nasium*, quod ob nominis similitudinem multi adhuc crediderunt Nanceium siue Nancy esse, splendidam vrbem Lotharingiæ. Quod secus esse, iter a Durocortoro Diuodurum, id est a Rhemis Mettim, ostendit, cuius hæ rationes sunt:

Durocortorum	—	—	—
Fanum Mineruæ	M.	P.	XIIII
Ariolam	M.	P.	XVI
Caturigas	M.	P.	IX
Nasium	M.	P.	IX
Tullum	M.	P.	XVI
Scarponam	M.	P.	X
Diuodurum	M.	P.	XII.

Heic proficiscentibus a Rhemis citerius est *Nasium*, quam Tullum, XVI millibus passibus: at Nanceium Lotharingiæ est vltra Tullum fere totidem millibus: vt alius omnino locus Nasio quærendus sit, qui Valesio videtur Grand Nanci, quasi Nancium maius, vicus, qui non longe a fluuiolo Orna, & a Commerciaco & flumine Mosa quatuor circiter leucis abest. Fredegarius quoque eodem loco & ordine ponit, & *Castrum Nasium* adpellat: cuius verba etiam Valesius in *Tullo* recitauit.

MEDIO-

MEDIOMATRICI.

Cæsar & Strabo *Mediomatricos* ad Rhenum vsque perducunt, de quo situ recte dubitat Hadrianus Valesius in *Rheno*, quum ad Mosellam potius reducendi videantur. Cæsaris verba sunt lib. IV cap. X de Rheno: *longo spatio per fines Nantuatium, Heluetiorum, Sequanorum, Mediomatricorum, Triboccorum, Treuerorum citatus fertur.* Strabo Cæsarem sequutus, vt solet, lib. IV pag. 133 μετὰ τοὺς Ἐλουηττίους Σηκουανοὶ, καὶ Μεδιοματρικοὶ κατοικοῦσι τὸν Ῥῆνον, *post Heluetios Sequani & Mediomatrici habitant ad Rhenum.* Sicut autem supra de Sequanis non sine caussa dubitauimus, ita nunc magis de Mediomatricis, quum nimis distet a Rheno Mosella eo tractu, vbi Diuodurum est, caput Mediomatricorum: nisi velis dicere, quod Straboni videtur in animo fuisse, Triboccos, Germanicam gentem, occupasse partem Mediomatricorum: Cæsarem autem & Strabonem respexisse tempora ante horum inuasionem. Addit enim modo dictis Strabo: ἐν οἷς ἵδρυται Γερμανικὸν ἔθνος περαιωθὲν ἐκ τῆς οἰκείας, Τρίβοκχοι, *in quibus* [Mediomatricis] *locata est Germanica gens, ex sua sede huc translata, Tribocci.* Sed hi ad superiorem Rhenum fuere: Nemetes & Vangiones magis oppositi Mediomatricis, qui Rhenanum illum in Belgica tractum ætate Plinii tenuerunt: incertum, an etiam temporibus Cæsaris, quos ille cum Transrhenanis lib. I cap. LI videtur numerare. Quod si post Cæsaris tempora in Cisrhenana sedem occupauerunt, constant & Cæsari & Straboni de Mediomatricis suæ rationes: etiam supra de Sequanis.

Quod ad nomen attinet fere omnes secunda forma inflectunt, *Mediomatrici, Mediomatricorum*, Cæsar videlicet, Strabo, Plinius, Ammianus, auctor Tabulæ Peutingerianæ: solus Ptolemæi est alius casus Μεδιομάτρικες, *Mediomatrices.* Plinius neque liberos neque fœderatos dixit: at fuisse illo tempore fœderatos atque socios Romanorum, ex Taciti lib. IV Historiarum cap. LXX liquet. *Legiones*, inquit, *in Mediomatricos, sociam ciuitatem, abscessere.*

Ptolemæus vnum his oppidum Διουόδουρον, *Diuodurum* tribuit. Hoc autem fuisse Mediomatricorum, consentit Tacitus lib. I Hist. cap. LXIII. *Diuoduri*, inquit, *(Mediomatricorum id oppidum est) quamquam omni comitate exceptos, subitus pauor exterruit.* Et Peutin-

tingeriana Tabula, *Diuoduri Mediomatricorum.* Eadem Tabula & Itinerarium Antonini docent, Diuodurum ad Mosellam esse, in loco vbi Metti, vel Metis est, vulgo Metz. Dubitat de eo Christophorus Brovverus ad Venantii Fortunati lib. III carm. XII pag. 90: confirmat autem Notitia prouinciarum & ciuitatum Galliæ, cuius in prima Belgica est, *Ciuitas Mediomatricorum Mettis:* in alia, *Ciuitas Mediomatricorum, id est Mettis.* Medio æuo, vt solemne pluribus ciuitatibus fuit, nomen gentis huic vrbi tributum est, id est, dicta *Mediomatrici.* Ammianus lib. XV cap. XXVII *Belgica prima Mediomatricos prætendit & Treuiros.* Et lib. XVII ineunte: *cum captiuis omnibus prædam Mediomatricos, seruandam ad reditum vsque suum, duci præcepit.* Postea *Meti, Metorum,* pluraliter, vel *Metti,* dici cœpit. In Notitia Imperii sub dispositione Magistri peditum Præsentalis, in Legionibus pseudocomitensibus: *Prima Flauia Metis,* id est quæ Metis præsidet. Et singulari forma *Mettis.* Fortunatus Venantius lib. III carm. XII ad Villicum, episcopum Mettensem, de situ huius urbis:

Hinc dextra de parte fluit qui Salia fertur,
Flumine sed fluctus pauperiore trahit.
Hinc vbi perspicuis Musellam cursibus intrat,
Alterius vires implet & ipse perit.
Hoc Mettis fundata loco, speciosa, coruscans
Piscibus obsessum gaudet vtrumque latus.

Satis hoc amœnitatis, quam etiam supra in flumine Salia vel Sallia ostendimus, eodem Fortunato præeunte. Nunc ex eodem carmine de vberiore loci voluptate, cum munitionibus, excerpendum ducimus. Pergit poeta,

Deliciosus ager ridet vernantibus aruis:
Hinc sata culta vides, cernis & inde rosas.
Prospicis vmbroso vestitos palmite colles
Certatur varia fertilitate locus.
Vrbs munita nimis, quam cingit murus & amnis,
Pontificis merito stas valitura magis.

Valide munitam vrbem fuisse, ex eo etiam cognoscimus, quod Iulianus, vt modo ex lib. XVII enotauimus, aduersus Germanos trans Rhenum iturus, in eam cum captiuis prædam omnem ex prœlio seruandam abduci iussit.

Hæc

Hæc princeps vrbs Mediomatricorum, quæ sola digna visa Ptolemæo est, quam in populo hoc & agro memoraret. Alia oppida minora huius gentis, quantum ex situ iudicare possumus, fuerunt, *Virodunum, Ibliodurum, Scarpona, Decem Pagi, Totonis villa.* A Mosa incipimus, cui *Virodunum* impositum est, quod Antonini primo itinere a Durocortoro Diuodurum hac serie, pro situ notando, collocatur:

a Durocortoro			
Virodunum	M.	P.	XXXIX
Fines	M.	P.	VIIII
Ibliodurum	M.	P.	VI
Diuodurum	M.	P.	VIII

Ex quibus colligitur, non aliud esse, quam *Verdun,* ad Mosam situm oppidum episcopale. Gregorius Turonensis lib. III cap. XXXIV vocat *vrbem Viridunensem:* alii *Veredunum* scribunt. Fortunatus lib. III carm. XXVII ad Ageritum, episcopum huius ciuitatis:

Vrbs Vereduna breui quamuis claudaris in orbe,
Pontificis meritis amplificata places.

De oppido *Ibliodurum* non habemus quod dicamus, præter distantiam ex prædicto itinere. Nobilius castrum *Scarpona,* vel *Scarponna,* ex itinere supra in *Nasium* enumerato, inter Tullum & Diuodurum loco fere medio situm. Ammianus lib. XXVII cap. II *venit prope locum Scarponna.* Tabula Peutingeriana: *Tullio,* [lege *Tullo*] *Scarponna.* Videtur pluraliter Ammiano dici: in Itinerario autem est quartus casus *Scarponam.* Castrum Paullus Diaconus de Mettensibus episcopis libello dixit. Hodie vicus est *Charpeigne* ad Mosellam.

Duodecim circiter millia passuum a Mediomatricorum vrbe abest oppidum, quod *Decem Pagos* dixere, vulgo nunc *Dieuze* in Lotharingia. Antonini itinere de Pannoniis in Gallias per mediterranea, inter *Tabernas* & *Diuodurum* ponitur, vtrimque distans XX M. P. Est etiam in Peutingeriana Tabula hoc ordine:

ad Decem Pagos, Ponte Sarau, Tabernis, Argentorato.

Tandem etiam huc referunt *Theodonis Villam,* nescio quam antiquam, quæ verius forsan ad medii æui Geographiam referretur. *Palatium Theodonis* annales vocant: contracto vocabulo *Totonis Villam* Paullus Diaconus de Gestis Langobard. lib. I cap. V *Ego,* inquit,

inquit, *in Gallia Belgica, in loco, qui Totenis villa dicitur, constitutus.* Gallis est *Thionville*, nostratibus, *Diedenhofen*, situm ad Mosellam, infra Mettim, oppidum.

TRIBOCCI, NEMETES, ET VANGIONES.

Iam Rheni ripa decurremus, eas gentes perlustraturi, quæ nomen vtrique prouinciæ, Germaniæ Superiori & Inferiori, dederunt. Ab Rauracis & Sequanis incipientes, primum *Tribocos, Nemetes, Vangiones* obuios habemus, quos ex Germania magna in citeriorem ripam Rheni transiisse, eamque ad possidendum occupauisse, omnino certum ex Plinio atque Strabone est: quo tempore accesserint, & quibus finibus possessiones nouas distribuerint, incertum. Plinius lib. IV cap. XVII ait: *Rhenum accolentes, Germaniæ gentium in eadem prouincia* [Gallia Belgica] *Nemetes, Tribochi, Vangiones: hinc Vbii, Colonia Agrippinensis, Guberni, Batavi.* Strabo ex tribus tantum vnam gentem nominat lib. IV pag. 134, Tribocos, qui in Mediomatricis sedem occupauerint. Quum enim dixisset Σηκουανοὶ καὶ Μεδιοματρικοὶ κατοικοῦσι τὸν Ῥῆνον, *Sequani & Mediomatrici habitant iuxta Rhenum;* continuo subdit, ἐν οἷς ἵδρυται Γερμανικὸν ἔθνος, περαιωθὲν ἐκ τῆς οἰκείας, Τριβόκχοι, *in quibus Germanica gens habitat, translata ex sede sua, Tribocci.* Vangiones, Nemetes nusquam memorat, vt dubitare possis, vtrum sub Triboccis comprehendat, an forte illius ætate non traiecerint amnem, occupaturi partem Mediomatricorum.

Hæc ergo grauior est illa de transitionis tempore inter eruditos disceptatio, de qua supra in Sequanis & Mediomatricis dubitanter loquuti sumus, in hunc locum, quo de ipsis populis acturi sumus, quidquid controuersiæ est, reseruantes. Philippus Cluuerius lib. II Germ. Antiq. cap. X breui ante Cæsaris bellum, & Ariouisti in Galliam aduentum, eas gentes in alteram ripam migrasse iudicat. Hinc ob recentem memoriam pristinorum finium Cæsarem & Strabonem Mediomatricos Sequanosque vsque ad Rhenum extendisse, quamquam illo tempore partem illorum agri peregrinæ gentes occupassent. Cui sententiæ etiam Hadrianus Valesius in *Nouiomago Nemetum* accedere videtur. *Ea triga,* inquit, *populorum* [Tribocorum, Vangionum, Nemetum] *paullo ante Cæsaris in Gallias aduen-*

aduentum in parte Belgicæ Rheno flumini proxima confederat, ex Germania in Galliam vel translata, vt de Tribocis ait Strabo, vel sponte profecta. Contra idem Valesius in *Mediomatricis* magno iudicio censet, si vere dixerint vterque, Cæsar & Strabo, Mediomatricos ad Rhenum vsque habitasse; conuenire vt credamus, Nemetes Vangionesque, Germaniæ gentes, Mediomatricorum fines paullo post occupauisse, atque in illorum locum ad Rhenum successisse, priusquam C. Plinius Secundus Historiæ naturalis libros componeret, in quibus Mediomatricos inter populos Rhenum accolentes non recensuit, vtique vero Nemetes, Tribocos & Vangiones. Vide lib. IV cap. XVII de Belgica. Ergo caussam eo[illegible] eo deferri videmus, vt excutiatur, quis status ripæ Rheni, & qui habitatores tempore Cæsaris, in Gallia res gerentis, fuerint. Is vero perspicue lib. IV cap. X ait, *Rhenum longo spatio per fines Nantuatium, Heluetiorum, Sequanorum, Mediomatricorum, Tribocorum, Treuirorum, citatum ferri.* Et lib. I cap. I dixit, *Celticam Galliam a Sequanis* [qui ante Augustum in illa parte censebantur,] *flumen Rhenum attingere,* quod verum potest esse, si vel angusto spatio inter Rau[illegible]os Tribocosque Sequanorum fines ad Rhenum vsque protensi fuerint. De Mediomatricis vero & Treueris idem adseuerare difficilius est, quia Triboci, Nemetes, Vangiones continuas sedes habuerunt, nullo interiecto spatio, quo Gallicæ gentes ad Rhenum pertinerent. Quæ si inter se concilianda sunt, vtique censendum videtur media inter Cæsarem & Plinium tempestate Vangiones Nemetesque in Ripensem Galliam traiecisse, expulsis qui oram illam tenebant Mediomatricis atque Treueris; Tribocos autem, quos non Strabo solus, verum etiam Plinius Germaniæ gentem vocat, paullo ante Cæsarem in ripam illam, quam postea tenuerunt, euasisse.

At Lucanus lib. I inter Belgicas gentes, quæ ciuili bello castra Cæsaris sequutæ fuerint, vers. 431 etiam *Vangiones* censet. Quod si historicam fidem poeta, vt plerumque facit, sequutus est, accedit aliquid Cluuerii sententiæ, quod non contemnendum robur habet, qui etiam hoc vrget, post Cæsaris tempora, ante inclinationem imperii, non credibile esse, nouas gentes ex Germania in Galliam transmigrasse, quas terror legionum Romanarum intra Rhenum continebat, bene secum agi credentes, si Romana nulla arma in finibus suis haberent. Auget dubitationem non mediocriter Ario-

 visti

visti acies, de qua Cæsar narrat lib. I cap. LI *Germani suas copias castris eduxerunt, generatimque constituerunt paribusque interuallis Harudes, Marcomanos, Tribocos, Vangiones, Nemetes, Sedusios, Sueuos.* Transrhenanis sic immixti sunt, de quibus disputamus, vt nondum sedem in Cisrhenana habuisse crediderim, si *Triboci* lib. IV cap. X (verba supra protulimus) non inter Cisrhenanos legerentur. Quod enim de Tribocis in acie Transrhenanorum statuemus, idem verendum est, ne de Nemetibus etiam & Vangionibus nobis obiiciatur.

Quæ quum ita sint, tandem aliquando, in quam sententiam propendeamus, aperiendum est. Qua vero modestia vsus est supra Valesius, eadem & nobis vti liceat, vt nihil simpliciter, cum conditione omnia dicamus. Si ergo vera sunt quæ Cæsar scripsit, Sequanos Mediomatricosque & Treueros Rhenum accoluisse: si etiam Tribocorum mentio cum Cisrhenanis populis, quorum Rhenus fines pertranseat, lib. IV cap. X recte facta fuit; ante Cæsaris & Ariouisti bellum Germanos in his oris consedisse credibile est, sed laxe primum habitasse, intermixtos Gallis, aut his non penitus expulsis, vt ius & nomen priscarum gentium in ipsa ripa quodammodo conseruaretur: quod euanuisse videtur, quum Germani advenæ in dies inualescerent, opprimerentque inter quos habitabant Gallos, aut hi pertæsi inter truces colere, ad interiora refugissent.

Nunc de ordine aduenarum & finibus dispiciendum est. Cæsar dicto lib. IV cap. X in accolentibus Rhenum videtur ordinem non negligere, dum Nantuates primum, deinde Heluetios, & post illos, Sequanos enumerat. Quum vero ad vlteriora pergit, Tribocos medios facit inter Mediomatricos & Treueros: quem imitatus Strabo libro IV pag. 134 Μετὰ τοὺς Μεδιοματρικοὺς καὶ Τριβόκχους παροικοῦσι τὸν Ῥῆνον Τρηουίροι· *Post Mediomatricos & Triboccos iuxta Rhenum colunt Treuiri.* Plinius in Belgica Germanicas gentes, quæ Rhenum accolunt, ita locauit: *Nemetes, Tribochos, Vangiones: hinc Vbios;* vt videantur Tribochi siue Tribocci infra Nemetes; at supra Vangiones coluisse. Tacitus Germ. cap. XXVIII *Ipsam Rheni ripam haud dubie Germanorum populi colunt, Vangiones, Triboci, Nemetes,* eodem quo Plinius ordine, nisi quod ille secundo flumine, hic aduerso, dum enarrat, progreditur. Verum omnes hi auctores magis numeri populorum, quam situs rationem habuerunt.

runt. Nam vt de Cæsare & Strabone prius dicamus; breue inter-
vallum inter Mediomatricos est & Treueros, vt se non possint non
contingere. Vbi ergo medios interseremus gentem haud exi-
guam Trebocorum? Eadem ratio est Nemetum & Vangionum,
quos Plinius & Tacitus Tribocis vtrimque adposuerunt, vt ne locus
quidem inter eos sit, qui tam numerosam gentem capiat. Quare
partim Ptolemæum, quamquam & heic turbatum, sed vbi sanus est,
sequuti; partim Notitiis prouinciarum non nihil inluminati; ha-
rum gentium positionem atque ordinem ita indagamus, vt, quia
Notitiarum plures Nouiomago Nemetum siue Nemetibus, vt me-
dio æuo vrbs gentis nomine vocata fuit, adscribunt vocabulum
Spiræ; & Vangionum ciuitati nomen *Warmatiæ* vel *Guarmatiæ*, vt
infra videbimus, illæque vrbes atque gentes satis inter se propin-
quæ sunt, vt interponi gens alia non possit; præterea Ptolemæi
vrbs altera, quam Tribocis dat, *Breucomagus*, siue vt in Tabula Peu-
tingeriana est, *Brocomacus*, ad superiorem Rhenum prope Argen-
toratum sita est; & altera, *Elcebus*, secundum Antonini iter a Me-
diolano Magontiacum, sit supra Argentoratum; vtique supra Ne-
metes & Vangiones ad superiorem Rhenum, infra Rauracos, habi-
tasse Tribocos iudicemus. Nunc de singulis distinctius agemus.

TRIBOCCI siue TRIBOCI.

Iulius Cæsar primus est qui huius gentis nomen prodidit lib. I cap.
LI, & lib. IV cap. X, in cuius libris *Triboci*, & *Triboces*, C simplici
scribuntur. Strabo post illum Τριβόκχοι, corroborata syllaba, lit-
teræ adiectione: Plinius Frobenii & Harduini, *Tribochi*: Tacitus
Hist. IV cap. LXX, & Germ. cap. XXVIII *Triboci*; etiam marmor
antiquum apud Sponium, post paullo proferendum: Ptolemæus
littera duplicata Τριβόκκοι, *Tribocci*: quam scripturam vulgo imi-
tantur, & id rationis habet, quod etiam Strabo litteram, & Plinius
adspirationem addiderunt, quæ argumento sunt, C durius olim
in hoc vocabulo pronunciatum fuisse. Quod Germanicæ originis
esse in Gente Germanica, non dubitamus. An vero a *tribus fagis*,
quæ veteri dialecto fuerint *try boken*, vt Cluuerius suspicatur, mo-
nitus vico Alsatatici nomine *zun dreien buchen*; in medio relinqui-
mus, quum nec adfirmare certo, neque fortiter refutare possimus.

Oppida Ptolemæus, vt diximus, duo Triboccis suis tribuit, Βρευκόμαγον, & Ἔλκηβον, *Breucomagum* & *Helcebum*. In Tabula Theodosiana prius *Brocomacum*, quod *Brocomagus* est, adpellatur, & VII millibus passuum infra Argentoratum ponitur. Ex qua distantia cognoscitur esse quod hodie *Brumt* vel *Brumat* contracte, forte ex Brückmag, ita dicitur. Apud Ammianum Marcellinum lib. XVI cap. III perperam scriptum bis erat *Brotomagus* Lindenbrogii editione & superioribus aliquot, quum Ptolemæi ac Tabulæ auctoritate C pro T constituendum sit. Ipse vero etiam Argentorato proximum locat. *Audiens*, inquit, [cæsar Iulianus] *Argentoratum, Brocomagum, Tabernas, Salisonem, Nemetas & Vangionas, & Magontiacum ciuitates barbaros possidentes, territoria eorum habitare, primam omnium Brocomagum occupauit.* Sic etiam verum oppidi nomen Henricus Valesius restituit.

Alterum Ptolemæi oppidum Ἔλκηβος, *Helcebus*, supra Argentoratum in prædicto Antonini itinere est, siue inter Argentouariam & Argentoratum, ab illa VI millibus passuum distans; ab hoc XII millibus. In Tabula Theodosiana (vt Peutingeriana ab eruditis vocatur) pari interuallo ab Argentorato, Argentouariam versus, distat *Helellum*, quod Cluuerius contendit esse vicum *Ell*, ad amnem *Illum* situm, in via ab Argentorato Argentuariam. Aliis Helellum Tabulæ idem & Ptolemæi *Helcebus* est, corrupta syllaba media seu λ in κ prauato & transposito, quod situs vtriusque, & distantia XII M. passuum vtrobique æqualis, videtur confirmare. Sed superiore eiusdem itinere, quod a Mediolano per Alpes Graias institutum est, ab Elcebo Argentoratum XXX millia passuum numerantur, vt alterius numerum corruptum esse oporteat. Sed nec certum, an hic numerus satis saluus sit, qui iusto maior apparet. Beato Rhenano enim & Iosiæ Simlero *Helellum* Tabulæ & Itinerarii *Heluetum* (sic enim ex MSS. quibusdam legunt) vnus locus est, & quidem, vt ipsi interpretantur, oppidum Alsatiæ quod *Sletstadium* nunc vocatur, superius ad Illum flumen situm. *Heluetum* autem in *Heluelum*, T in L facilius restituitur. Quod si ita est, *Elcebi* in aliis codicibus nomen videtur ex Ptolemæo, interpolatoris manu, intrusum esse.

Sed siue *Helcebus* vel *Elcebus*, siue *Heluetus* vel *Heluelus*, siue etiam *Helellum* legatur, certum tamen ex Tabula est & Itinerario, supra

ſupra Argentoratum fuiſſe, ſicut Brocomagus infra illam vrbem fuit: certum etiam ex Ptolemæo, vtrumque oppidum *Helcebum* & *Brocomagum* in Tribocorum agro poſitum fuiſſe, vt adeo mirari ſatis non poſſimus, quid Ptolemæo in mentem venerit, vt *Argentoratum*, quod inter vtrumque Tribocorum oppidum loco medio ſitum eſt, non Triboccis, ſed Vangionibus adſcripſerit, qui a Tribocis longius, Nemetibus interiectis, dirimuntur. Nec eſt quod in Vangionum gente Argentoratenſem vrbem quæras, quum ſatis fidi duces, auctores Tabulæ Peutingerianæ & Itinerarii Antoniniani inter Tribocorum Ptolemæi ciuitates conſtituant. Ammianus quoque, cui *Argentoratus* eſt, feminea forma, eaque *barbaricis cladibus nota*, lib. XV cap. XXVII, luculente illum locum ſignificat, vbi Germani ab Iuliano fuſi erant, quod in Tribocis potius, quam Vangionibus, factum fuit. Idem lib. XVI cap. III Rhenanas vrbes Germaniæ Primæ enumerans, ab *Argentorato* incipit, in *Magontiaco* deſinit, interponens *Brocomagum, Tabernas, Saliſonem, Nemetas,* & *Vangionas;* cuius verba paullo ante recitauimus. Primus quidem, qui *Argentorati* mentionem fecerit, Ptolemæus eſt, ſed non illius demum ætate natum credamus, verum quia ille nobiliores tantum vrbes ſolitus eſt nominare, haud dubie antiquius munimentum Romanorum fuit, & forte ex quinquaginta illis, quæ Druſus per Rheni ripam ædificauerat. Florus lib. IV cap. XII *Victor Druſus in tutelam prouinciarum præſidia atque cuſtodias vbique diſpoſuit per Moſam flumen, per Albim, per Viſurgim. Nam per Rheni quidem ripam quinquaginta amplius caſtella direxit.*

Nomen *Argentoratum* haud dubie ex Germania eſt, ab Romanis, Germanicæ linguæ ignaris, in Latinam formam detortum, cuius vim in altero, quod ſucceſſit, ex parte reliquam, intelligimus. In Notitiis enim prouinciarum & ciuitatum Galliæ nunc *Ciuitas Argentoratenſium Strateburgo;* nunc *Ciuitas Argentoratenſium, id eſt Strazeburg;* modo *Argentora, id eſt Strateburgo;* modo *Ciuitas Argentina, id eſt Strazburgis,* nuncupatur, quo oppidum in via regia & militari, quæ Germanis *ſtraſſe,* & veteri dialecto *ſtrate* eſt, (quod Latinis etiam *ſtrata* apud Eutropium in Aureliano lib. IX cap. IX ſonat) nemo non videt ſignificari. An ergo, quod multi coniiciunt, *Argentoratum* eſt maligna & intuta ſtrata ob præſidiariorum excurſiones?

ſiones? an aliunde pars prior vocabuli repetenda? cuilibet integrum, quod de his iudicet, relinquimus.

Græce Ptolemæus Ἀργεντόρατον ſcripſit: Zoſimus autem lib. III cap. III Ἀργέντορα, breuiori forma. Ἀγγειλάντων, inquit, τῶν κατασκόπων, ὡς περὶ πόλιν Ἀργέντορα, τὴν πρὸς τῇ τοῦ Ῥήνου κειμένην ὄχθῃ, πλῆθος ἄπειρον ἐπεραιώθη βαρβάρων, *Quum nuntiaſſent exploratores, circa vrbem Argentora, in ripa Rheni ſitam, infinitam barbarorum multitudinem traieciſſe:* quæ haud dubie Ammiani illa *Argentoratus* eſt, *barbarorum,* qui iam traiecerant, *nota cladibus,* vt paullo ante referebamus: quia vterque de Iuliano agit, qui ibidem barbaros ad internecionem ingenti victoria deleuit. An vero illa Zoſimi truncato nomine Ἀργέντορα, *Argentora,* ſint eadem quæ Ἀγέντορα Iuliani, Epiſtola ad Athenienſes p. 279, vt putat Petauius, quaſi ρ littera excidiſſet; non ſine cauſſa addubitamus. Non enim πόλιν, *vrbem,* vt Zoſimus, vocat, ſed tantummodo τεῖχος, *murum, caſtellum;* nec ſitum in Rheni ripa dicit, ſed πρὸς ταῖς ὑπωρείαις αὐτοῦ τοῦ Βαρσέγου, *ad Voſegi* (ſic interpres corruptam vocem emendat) *radices.* Nec vero admodum longe ab Argentorato afuiſſe, hiſtoria illius pugnæ oſtendit, quæ *Argentoratenſis* a nobiliore loco nominatur, licet non proxime illum facta eſſet, ſicut Alexandri Gaugamelenſis ab Arbelis. ſi vera ſunt, quæ tradit Cluuerius lib. II Germ. Antiq. cap. XII p. 373, ob id tamen notatus ab Henr. Valeſio ad Ammiani lib. XVI p. 150 [ed. Pariſ. in fol.]

Eximiam & olim vrbem *Argentoratum* fuiſſe, ex Peutingeriana conſtat Tabula, quæ inſignibus vrbis principis notauit: & ex Antonini Itinerario, in quo itinera ex variis locis, a Mediolano, a Lugduno Batauorum, a Treuiris, a Tauruno ad Argentoratum directa (quod tantum vrbibus fama nobilitatis contigit) deſcribuntur. Ammianus quoque, vt ſupra vidimus, in præcipuis Germaniæ Primæ ciuitatibus numerauit, dicto lib. XV cap. XXVII.

In Tribocis etiam erat *Lucus Auguſti,* non ignobilis locus, ex nullo quidem geographico libro, at vero ex vetuſta inſcriptione, quam Gruterus pag. 850 num. 10 exhibet; correctiorem Iacobus Sponius Miſcell. Erud. Antiquit. pag. 188

D. M
T. NIGRIO
SIMILI TRIBOCO
EX GERMANIA SVPERIORE
LVCO AVGVSTI NIGRIVS
MODESTVS FRATRI OPTIMO
ET PIISSIMO CINERARIVM
FECIT.

Duos geographi *Lucos Augusti* memorant, vnum in Hispania, alterum in Gallia Narbonensi: tertium in Germania Superiore, in Tribocis, addendum esse, hoc marmor docet, quod exscriptum est. Tandem de *Tabernis* aliquid memorandum, quæ plures in hoc tractu fuerunt, vnæ vero Tribocorum, ad montana versus, de quibus plura, quum reliquas recensebimus, vt ex discrimine magis intelligantur.

Quousque in austrum Triboci habitarint, an ad Rauracorum fines; non plane, aut sine temporum discretione, putamus iudicandum esse. Initio quum ex Germania Triboci in Galliam venissent, videntur Sequani inter hos & Rauracos antiquo iure aliquid possedisse, quos ideo Cæsar atque Strabo ad Rhenum vsque extenderunt. An semper vero possederint, id est quod dubitemus, quia Germanicæ gentes in Rheni ripa suas sedes ita dilatauerunt, vt nulla postea priorum gentium in tractu illo mentio fiat, & omnis ripa Germanis, tamquam propria concedat. Dubium ergo, quæ media erant, Tribocis an Sequanis adiudicemus, *Argentuariam* scilicet, siue *Argentouariam*, vt in Itinerariis est, quæ Ammiani *Argentaria*: & *Rufianam* Ptolemæi. In dubia ergo caussa sententiam diuidemus, & sicut supra, quum de Sequanis ageremus, Argentuariam illis relictam voluimus; ita *Rufianam* Tribocis nunc vindicabimus. Ptolemæus quidem *Rufianam* (Ῥεφιάνα Græce est) Nemetibus adsignat; sed non maiori iure, quam Argentoratum Vangionibus. Nullum enim huius vestigium in Nemetibus est: non obscurum autem in Alsatia superiore, in oppido *Rufach*, quod putares Ῥεφιάκον, *Rufiacum* & *Rufacum* olim scriptum fuisse, vnde nostrorum temporum *Rufach*, oppidi non ignoti nomen factum.

Antequam a Tribocis ad Nemetes progrediamur, de Taciti CARACATIBVS aliquid dicendum est, quos Cluuerius pro Nemetibus

metibus habet: Valesius Tribocis admiscet. Taciti de illis verba ex lib. IV Hist. cap. LXX sunt: *Tutor Treuerorum copias, recenti Vangionum, Caracatium, Tribocorum delectu auctas, veterano pedite atque equite firmauit, corruptis spe, aut metu subactis legionariis. qui primo cohortem præmissam a Sextilio Felice interficiunt: mox vbi duces exercitusque Romani propinquabant, honesto transfugio rediere; sequutis Tribocis, Vangionibusque & Caracatibus.* Ita Tribocis & Vangionibus tamquam vicini & propinqui, adiunguntur. MSS *Caracatium* & *Ceracatium* habent, quod Theodorus Ryckius, vir clarissimus, probat, vero propius existimans, *Caresos* Cæsaris intelligi, qui cum Eburonibus, Condrusis, & Pæmanis vno nomine Germani appellati, lib. II de Bello Gall. cap. IV memorantur. At quod ex sociis cognoscitur, iam nominatis, *Carasi* in inferiore prouincia fuerunt: Cæracates autem in superiore cum Tribocis, qui summi in ea & ab austro vltimi, multis numerosisque gentibus interiectis, coniunguntur. Cluuerius lib. II cap. XII ipsum vocabulum vt inauditum alias, atque ideo suspectum sollicitat. *Haud dubito,* inquit, *quin mendum sit in duabus vocibus* CARACATIVM & CARACATIBVS: *pro quibus repono* NEMETVM & NEMETIBVS. Acre & violentum remedium, vocem tollere, aliam in locum sufficere. Nec multo mollior medicina est, quam ὁ πάνυ Gronouius ex coniectura adferebat, suspicatus *Tabernatium* & *Tabernatibus* legendum. At cetera *gentium* nomina sunt, Triboci, Vangiones; cum quibus minus conuenit nomen vnius *oppidi* seu ciuitatis, Tabernatium. Hadrianus autem Valesius in Notit. Gall. in *Argentoratum* sub finem: *Quare quidam forte non credent Ptolemæo, Argentoratum vna cum Borbetomago Vangionibus adscribi oportere: quum inter Borbetomagum Vangionum & Argentoratum Nemetes medii intercedant, nec verosimile sit, agrum Vangionum agro Nemetum sic interruptum esse. Argentoratum itaque potius Caracatibus, quos Tacitus in lib.* IV *Historiarum Tribocis Vangionibusque vltimos adiungit, adsignandum videri.* Siue ex animi sententia, siue aliorum mente sic vir doctissimus scripsit; supra abunde ostendimus, Argentoratum vrbem, quæ media situ inter duo oppida Tribocorum, Brocomagum & Helcebum, siue Heluelum est, non longissime disiuncta, non posse alii populo, quam Triboco vindicari: quum inconueniens sit, in tam angusto spatio quod superius & inferius, secundum

ipsum

ipsum Ptolemæum Tribocorum esse: quod interiacet medium, alius gentis, Vangionum, interpositu Nemetum a Tribocis diremtæ ac seiunctæ. Nihil ergo *Caracatibus* in illo tractu relinquitur, nec desinit illorum nomen, nusquam alibi memoratum, suspectum nobis esse, saltem ita obscurum, vt nihil quidquam de eo certi a quoquam putemus proferri posse.

N E M E T E S.

Nemetum nomen primus Cæsar in Ariouisti acie lib. I cap. LI ostendit. Sedem *Nemetibus* in ripa Gallica, tamquam aduenis ex Germania, Plinius adsignat lib. IV cap. XVII, quod Tacitus Germ. cap. XXVIII confirmat. *Ipsam,* inquit, *Rheni ripam haud dubie Germanorum populi colunt, Vangiones, Triboci, Nemetes.* Idem Annali XII cap. XXVII casu quarto *Nemetas* dixit, quasi in primo *Nemetæ* sint: (neque enim Græcus casus in peregrino vocabulo locum habet) quam formam etiam Ammianus Marcellinus lib. XV cap. XXVII imitatus est, *Vangiones & Nemetæ*, Valesii editione, (aliter enim heic Lindenbrogius) quamuis oppidorum ibidem vocabula sunt, communia tamen, pro temporum illorum consuetudine, cum ipsis gentibus: & lib. XVI cap. III vterque, Lindenbrogius & Valesius, *Nemetas* casu quarto. Ptolemæus Νέμητες, Nemêtes, porrecta media: & Zonaras in Nicephoro Botaniate p. 233 Νέμετζοι, *Nemetzi.* ait enim, ἔθνος οἱ Νέμετζοι Κελτικὸν, *Gallica gens Nemetzi:* idcirco Valesius existimat, etiam Latine mediam syllabam in *Nemetes* attollendam esse. Sed primum dubitamus an *Nemetzi* Zonaræ sint ipsi veterum Nemetes, quum vetusta nomina gentium eo vsque vix conseruari potuerint. Deinde si producta media syllaba fuit, cur non vel semel aliquis veterum T duplicauit, ut solemne Romanis fuit. Nec Ptolemæi tanta fides est, vt tute in illo inniti possimus. Quod ergo poetæ in hoc vocabulo nos destituunt, nihil certi de quantitate mediæ syllabæ pronuntiari posse censemus.

Ptolemæus Nemetibus primariam vrbem tribuit Νοιόμαγος, id est *Nouiomagum*, vt Latini adpellant. In Tabula Theodosiana *Nouiomagus* est inter Tabernas & Borgetomagum, vel potius Borbetomagum, fere medio loco, ab illis XI, ab hac XII millibus passuum distans: quem posteriorem numerum auxit auctor Itinera-

rii, quod Antonino tribuitur, & recte auxit, itineribus a Mediolano Magontiacum, & a Treueris Argentoratum. Ex quo situ non difficile intellectu est, esse illam vrbem, quæ *Spira* postmodum dicta est. In Notitia Imperii sub Duce Mogontiacensi *Præfectus militum Vindicum Nemetes*, vbi gentis nomen ipsi vrbi impositum est pro illius æui consuetudine: quod etiam in Ammiani verbis videmus lib. XV cap. XXVII *Prima Germania, vbi præter alia municipia Magontiacus est, & Vangiones, & Nemetæ, & Argentoratus barbaricis cladibus nota.* Lindenbrogius ibi *Nemetes*. In Notitiis prouinciarum & ciuitatum Galliæ *Ciuitas Nemetum.* in quibusdam Notitiis recentius nomen, explicationis caussa, adiicitur, *Ciuitas Nemetum Spira.* aut sic: *Ciuitas Nemetum, id est Spira.* Nam neque hoc nomen recentissimum est, sed medio æuo vsurpatum. Anonymus Rauennas, geographus semibarbarus, lib. IV cap. XXVI *Iuxta suprascriptum Rhenum sunt ciuitates, id est Gormetia, quæ confinalis est cum prænominata Maguntia, ciuitate Francorum, item ciuitate Altripe, Sphira, Porca, Argentaria, quæ modo Stratisburgo dicitur.* Non ergo dubitandum est, *Nouiomagum* in Nemetibus Ptolemæi, & in Itinerariis esse *Spiram*, nobilem ad Rhenum vrbem, quum ipsa veterum Notitiarum interpretatio edoceat, & rationes itinerum etiam persuadeant.

Ceterâ, quæ Nemetibus oppida debebantur, difficile est determinare, id est inter ipsos & Tribocos ab austro; & inter eosdem & Vangionas a septemtrione limitem ponere. Diximus supra, in tam incerta re Cluuerii nos coniecturam sequuturos esse, quem etiam iam sequemur ita, vt si quos aliter sentire videamus, illud quoque commemoremus. Ex illius autem distributione primum Nemetum oppidum post Tribocorum fines, *Concordia* est, quod Henricus Valesius in Tribocis situm fuisse, ad Ammianum Notis censuit. In limite ergo vtriusque gentis fuit, ut incertum sit, cui adscribi verius conueniat, quod etiam nostræ expositioni nihil derogat. *Concordia* autem illa munimentum Romanorum fuit. Ammianus lib. XVI cap. XXXIII *Rex Chnodomarius reperta copia discedendi, lapsus per funerum strues, cum satellitibus paucis celeritate rapida properabat ad castra, quæ prope Tribuncos & Concordiam, munimenta Romana, fixit intrepidus, vt adscensis nauigiis, dudum paratis ad casus ancipites, in secretis secessi-*

ſeceſſibus euaderet. Egit de Argentoratenſi prœlio & fuga ex illo Chnodomarii, quod ſitum, haud longe ab Argentorato, nobis indicat: qui diſtinctius in Antonini itinere a Tauruno per ripam, ita deſignatur:

Argentoratum	—	—	—
Brocomagum	M.	P.	XX
Concordiam	M.	P.	XVIII
Nouiomagum	M.	P.	XX.

Sita ergo *Concordia* fuit inter Brocomagum Tribocorum, & Nemetum caput Nouiomagum, quæ Spira poſtea dicta eſt; & quia cetera, quæ nominantur oppida, in ripa Rheni ſunt, hanc quoque in eadem fuiſſe neceſſe eſt. Quod ad nomen attinet, ob caſum nobis ignotum & incompertum ab Romanis rerum dominis fauſto hoc nomine donata fuit. Ioſias Simlerus interpretatur *Köchersberg*, quod impugnat Cluuerius lib. II cap. XII, quod id longius a Rheno reductum ſit, & ad quod tendenti a Brocomago Nouiomagum, recedendum potius ſit, quam promouendum in via. Nam ut ſupra diximus, Brocomagus Cluuerio eſt oppidum Brumt, ſitum ad Sorram fluuium qui apud *Druſenhemium* (de quo nullum monimentum, præter nomen in hoc vico ſupereſt, a Druſi ſtatiuis, vt videtur, nuncupato) in Rhenum effluit. Sed, ſi ex nomine minus claro, verum praue corrupto, coniecturas, quæ imbecillæ ſunt, deſerimus; & Brocomagum & Concordiam magis ad ripam Rheni referre forſan æquius erit, in qua Romani ſueuerant ſua munimenta collocare.

Magis vexatum eſt, quod Ammianus prædicto loco cum Concordia coniungit Romanum munimentum *Tribuncos*, quod nomen gentis eſt Cluuerio, *Triboccos* legenti: id quod vero nec cum Ammiano, neque cum ipſa loquendi ratione congruit. *Munimenta* enim, vt plura, dixit, non *munimentum* unum: vt neceſſe ſit, non Concordiam ſolam, ſed alterum etiam, quod nominat, Romanum munimentum exſtitiſſe. Neque conueniens eſt caſtra deſignari per gentis nomen & oppidi pari ſeu eodem caſu, ſed ſi id animo Ammianus cogitaſſet, ſcribendum ipſi fortaſſis fuiſſet, *ad caſtra, quæ in Tribocis prope Concordiam fixit*, aut ſimili aliquo modo. Non dubitamus igitur oppidum vel caſtellum Romanum fuiſſe, cuius nomen ab Ammiano *Tribunci* vel *Tri-*

burci ſcribitur : codices vero, Regius & Colbertinus, legunt *Tribunos*, quod nolim ſperni, quia etiam in prouinciæ Narbonenſis finibus inter Ruſcinonem & ſummum Pyrenæum eſt Antonini Itinerario locus *Ad Centuriones*, ſimili denominatione, de quo etiam Ioſias Simlerus *Tribonos* legit, ſimplici N, ſine conſonante alia, in medio retenta. Vbi vero ſitum illud munimentum fuerit, ſupra Concordiam, an infra illam, non habemus quod definiamus. Id vero certum ex Ammiano eſt, prope Concordiam fuiſſe, vt caſtra regis, quæ in ripa erant inter vtrumque locum media, ab vtroque denominari potuerint. Hæc de limite Nemetum & Tribocorum, vt alterutri genti, prout viſum cuilibet erit, adiudicari ſine errore poſſint, quia terminus ille ex coniectura ponendus eſt, deficiente antiquorum auctoritate.

Inde in ripa deſcendenti proximus locus eſt *Saletio*, memoratus in Antonini Itinerario & in Tabula Theodoſiana. Hæc tali ordine deſcendit in ripa:

Argentorate	
Brocomagus	VII
Saletione	XVIII
Tabernis	XI
Nouiomagi	XII;

illud, in itinere a Mediolano Mogontiacum per Penninas, mutilatum eſt, quia Argentoratum & Saletio proxime, VII millium interuallo, coniunguntur, quod falſum eſt, & ſine dubio exciderunt quædam loca, *Brocomagus* & *Concordia*. Exſtat etiam in Imperii Notitia, vbi ſub diſpoſitione Ducis Mogontiacenſis eſt *Præfectus militum Pacenſium Saletione*: cui proximus in eadem Notitia eſt *Præfectus militum Menapiorum Tabernis*, tamquam in vicinia poſitus. Ex quo præſidio apparet, non exiguum aut ignobilem fuiſſe locum. Id oppidum Saletio videtur ab Ammiano lib. XVI cap. III *Saliſo* nuncupari, de quo infra plura dicemus. Ductu nominis & Tabulæ itinerariæ inuenimus in oppido *Selz* ad exitum cognominis fluenti. Caue vero cum Antonini *Saliſſone*, oppido infra Bingium, quod Cluuerius facit, confundas, quia longe a Saletione remotum eſt.

Tabernæ, quæ in Tabula Peutingeriana & Notitia Imperii cum Saletione coniunguntur proxime, ſunt Tabernæ Rhenanæ,

vulgo

vulgo *Rhein-Zabern*, distinguendæ a *Tabernis Tribocorum*, vulgo nunc *Elsas-Zabern*, longius a Rheno Lotharingiam versus remotis. Sunt & tertiæ in hoc Rhenano tractu *Tabernæ*, Montanæ vulgo cognominatæ, *Berg-Zabern*, quas vero nescio, an in quodam veteri litterarum monimento reperiantur. Reliquæ autem duæ sunt illustres, alteræ Tribocorum, in itinere Antonini de Pannoniis in Galliam per mediterranea, hoc ordine:

Argentoratum	—	—	—
Tabernas	M.	P.	XIIII
Decem Pagos	M.	P.	XX
Diuodorum	M.	P.	XX:

Hæ sunt etiam, quas Ammianus lib. XVI cap. XXI *Tres Tabernas* vocat, quas male Cluuerius ad Rhenum trahit: verius de Tribocis seu Alsaticis interpretatur Lindenbrogius & Henricus Valesius: & ipse Ammianus ita describit, vt ad Ripenses referri nequeant. *Conuersus*, inquit, *hinc Iulianus ad reparandas Tres Tabernas, munimentum ita cognominatum, haud ita dudum obstinatione subuersum hostili, quo ædificato constabat, ad intima Galliarum vt consueuerant adire, Germanos arceri.* Dum dicit oppositum munimentum fuisse, quo barbarorum excursiones IN INTIMA prohiberentur, aperte significat, non in ripa, sed interiora versus conditum fuisse, vt ab *intimis* inuadentes hostes arceret. Quod pluribus contra Cluuerium Dionysius Petauius in Iuliani Epistolam ad S. P. Q. Atheniensem pag. 100 persequutus est. Cur vero hæ Tabernæ *Tres* vocentur, fatetur Lindenbrogius non liquere: quod forsan ad imitationem *Trium Tabernarum*, loci in Italia ad Viam Appiam haud procul Roma siti, ita factum fuit.

Alteræ Nemetum, siue Rhenenses Tabernæ, in eiusdem itinere a Mediolano per Penninas Mogontiacum sic positæ:

Argentoratum	—	—	—
* *			*
Saletionem	M.	P.	VII
Tabernas	M.	P.	XIII
Nouiomagum	M.	P.	XI.

Et hæ sunt, quas paullo ante, quum de Saletione ageremus, ex Tabula Theodosiana, & Notitia Imperii memorauimus. Harum quoque mentionem fecit Ammianus lib. XVI cap. III, Rhe-

nanas ciuitates hoc ordine enumerans : *Audiens, Argentoratum, Brocomagum, Tabernas, Salisonem, Nemetas, & Vangionas, & Mogontiacum ciuitates barbaros habitare.* Rectius vero *Salisonem*, seu *Saletionem* potius, ante Tabernas posuisset. Nunc, vt diximus, hæ Tabernæ vocantur ab amnis propinquitate *Rhein-Zabern*, id est Rhenanæ siue Rhenenses.

Post Tabernas, vt in Tabula & Itinerario vidimus, est ipsa *Nouiomagus*, caput Nemetum, quam supra exposuimus. Interponendus videtur *Vicus Iulius*, cuius in Notitia Imperii fit mentio sub Duce Mogontiacensi, & inter Tabernas ac Nemetes, hoc est Nouiomagum ponitur, tota dispositione præsidiorum in Nemetum agro vsque ad Vangiones hoc ordine facta:

Præfectus militum Pacensium	*Saletione.*
Præfectus militum Menapiorum	*Tabernis.*
Præfectus militum Anderecianorum	*Vico Iulio.*
Præfectus militum Vindicum	*Nemetes.*
Præfectus militum Martensium	*Alta Ripa.*
Præfectus militum secundæ Flauiæ	*Vangiones.*

Quum ergo in ceteris ordo sit recte obseruatus; non dubitemus, quin etiam *Vicus Iulius* recte inter Tabernas & Nemetes siue Spiram collocatus sit. In quo tractu medio loco est *Germersheim*, quod oppidum *Vicum Iulium* esse Cluuerius persuadet, nec difficulter adducimur, vt in caussa probabili adsentiamur.

Vltimum oppidorum ditionis Nemetum est *Alta Ripa*, inter Nouiomagum siue Spiram & Vangionum Borbetomagum, paullo infra confluentem Nicri, posita. Quod illa nomen suum seruat, *Altrip*, locus & situs facillime inuenitur. Præfectum militum & præsidium habuit, vt modo ex Notitia Imperii cognouimus. Ibidem data est lex IV Cod. Theodos. de Reparationibus adpellationum, quæ ita subnotata est: *Dat.* XIII *kal. Iul. Altaripa, Valentiniano* N. P. *& Victore* COSS.

VANGIONES.

Infra Nemetes in Rheni ripa *Vangiones* habitarunt, memorati lib. I. B. Gall. cap. LI, ubi in exercitu Ariouisti numerat *Tribocos, Vangiones, Nemetes, Sedusios*, quorum illi, si iam tum Rhenum traniecerant & ripam Galliæ colebant, regem Germanorum

rum societate & amicitia sequuti videntur. Lucanus lib. I vers.430

> *Et qui te laxis imitantur, Sarmata, braccis,*
> *Vangiones:*

Tacitus German. cap. XXVIII *Rheni ripam haud dubie Germanorum populi colunt Vangiones, Triboci, Nemetes:* quibus clare origo illorum significatur. De transitionis tempore supra disputauimus. Ptolemæo sunt Οὐαγγίονες, correpta penultima, vti Lucanus modo corripuerat. Habitarunt, Cluuerio censente, a Nemetibus vsque ad amnem Nauam. Post Nemetum caput Nouiomagum in Tabula Peutingeriana sequitur in ripa amnis secundi *Borgetomagus*, Ptolemæi Βορβητόμαγος, ad quam scripturam in Antonini optimis membranis, itinere a Mediolano Magontiacum, proxime accedit *Borbitomagus*, quæ corrupta in aliis in *Bormitomagus* est. Maior deprauatio videtur itinere a Treueris Argentoratum, vbi *Brotomagus* inter Magontiacum & Nouiomagum distantia media in editis conspicitur. Posteriori æuo, ut solemne erat, ipsa vrbs gentis nomine donata & *Vangiones* dicta est. Ammianus Marcellinus lib. XV cap. XXVII *Dein Prima Germania, vbi, præter alia municipia, Mogontiacus est, & Vangiones, & Nemetæ.* Lege III Cod. Theodos. de Prædiis nauiculariorum a Valentiniano & Valente augustis data est *Vangionibus.* Notitia Imperii sub Duce Mogontiacensi, *Præfectus militum secundæ Flauiæ Vangiones*, id est apud Vangiones, siue Vangionibus. Et Hieronymus Epist. XI ad Ageruchiam viduam, sub finem: Vangiones longa obsidione deleti. Esse autem nostram *Wormatiam* siue *Worms*, cum situs ostendit & itinerariorum rationes, tum prouinciarum & ciuitatum Notitiæ, quarum quibusdam simpliciter est *Ciuitas Vangionum:* in aliis autem *Ciuitas Vangionum Warmatia;* in aliis *Ciuitas Vangionum, id est Warmatia*, vel *Garmatia*, aut *Guarmatia:* & *Ciuitas Vangionum, id est Warmacia*, per C litteram pro T. Circa Caroli Magni ætatem annales *Wormatia* vel Wormatia referunt. Ad Teutonicum W exprimendum veteres Latini V adhibuerunt, quod elementum quia sæpe cum B permutatur, inde factum vt plures *Borbetomagus, Borbitomagus*, quasi *Vorbetomagus* scriberetur.

Hanc inter Vangionum vrbem & Magontiacum in Tabula Theodosiana est *Bonconica*, quæ in dicto Antonini itinere a Mediolano

diolano Magontiacum, dicitur *Bauconica*, vt videtur corrupte; medio prope interuallo sita inter vtramque, quam diximus, vrbem. Rationes Itinerarii sic habent:

Nouiomagum	—	—	—
Borbitomagum	M.	P.	XIIII
Bauconicam	M.	P.	XIII
Maguntiacum	M.	P.	XI.

Tabula habet VIIII millia ad *Mogontiacum*: XI ad *Borgetomagum*, vti per G pro aliorum B scriptum habet. Si bene perspexeris, nihil in illo tractu est & in tali distantia, quam oppidum *Oppenheim*, quod non dubitat Cluuerius, esse ipsam veterum *Bonconicam*.

Principem vrbem Germaniæ Primæ, Mogontiacum, Cluuerius etiam sub Vangionibus censet, quorum fines ad *Nauam* amnem deducit. Dubitare possis, quia non huic vrbi, sed Borbetomago siue Wormatiæ, nomen gentis, quod primariæ tantum vrbi contingebat, media ætate fuit impositum, *Vangiones* scilicet, quod potius nobiliori Mogontiaco, si Vangionum gentis fuisset, reddi debuisset. Sed forte Cluuerium induxit, quod alia gens post Vangionas & Treueros in illo tractu ab antiquis non memoretur, ob quam caussam nos etiam, quum aliam gentem nominare non possimus, Cluuerii ordinem non sustinemus immutare. Scribitur varie hoc nomen: apud Tacitum, qui forte antiquissimus est, qui ex reliquis scriptoribus nominauit, *Magontiacum*. Lib. IV Histor. cap. XV *Batauorum cohortes, missæ in Germaniam, ac tum Magontiaci agentes*: & cap. XXXIII *aliis a Magontiaco vniuersas copias aduenisse credentibus*: & alibi sæpe. In Antonini Itinerario *Maguntiacum* & *Magontiacum*, illud itinere a Mediolano ad hanc vrbem; hoc, a Treueris Argentoratum. Ceteri fere *Mogontiacum* scripsere, auctor Tabulæ Peutingerianæ ex Theodosii æuo: Eutropius lib. VII cap. VIII; Notitia Imperii sub Duce Mogontiacensi: etiam interdum *Moguntiacum*, vt in Notitia prouinciarum & ciuitatum est. Ptolemæus Μοκοντίακον, κ in locum γ admisso, quod leue est: id vero castigatione dignum, quod in Germania Inferiore scripsit, quum caput Superioris fuerit. Ammianus casu femineo format *Mogontiacus* lib. XV cap. XXVII, vt supra sæpe vidimus. Postea truncatum fuit vocabulum,

cabulum, poetis præsertim, quorum metro *Mogontia* vel *Moguntia* visa aptior. Fortunatus lib. IX carm. IX ad Sidonium episcopum Mogontiacensem:

Reddita ne doleas felix Maguncia casus,
Antistes rediit qui tibi ferret opem.

Güntherus Ligurino lib. I vers. 384 a *Mogo*, id est Mœno flumine, haud procul vrbe in Rhenum effluente, nomen deducit,

Nomen ab infuso recipit Moguntia Mogo.

Sed vocis hanc originem auctori suo relinquimus, quia flumen illud *Mogum* nuncupatum fuisse inauditum est, cui *Mœno* vel *Mæno* ab antiquis Romanorum temporibus ad nostram memoriam nomen fuit, vt in Germania trademus. Quod ergo princeps vrbs Romanorum fuit in Germania Superiore; ibi plerumque sedes præsidis; ibi vir spectabilis Dux militiæ per prouinciam; ibi præfectus militum & statiua. Tacitus Hist. lib. IV cap. XXXIII *a Magontiaco vniuersis copias aduenisse:* & cap. LXI de Ciuilis tumultu : *Cohortium, alarum, legionum hiberna subuersa cremataque: iis tantum relictis, quæ Magontiaci ac Vindonissæ sita sunt.* Et Notitia Imperii sub dispositione viri spectabilis Ducis Mogontiacensis : *Præfectus militum Armigerorum Mogontiaco.*

Sub ostium *Nauæ* amnis, qui nunc Naha vocatur, in citeriore ripa, siue Mogontiacum versus, situm est antiquus vicus vel oppidum *Bingium.* Tacitus lib. IV Histor. cap. LXX *Tutor, Treueris comitantibus, vitato Magontiaco Bingium concessit, fidens loco, quia pontem Nauæ fluminis abruperat.* Notitia Imperii sub dispositione V. SP. ducis Mogontiacensis: *Præfectus militum Bingensium Bingio.* Tabula Theodosiana hoc ordine:

Vosauia VIIII. *Bingium* XII. *Mogontiaco* — —

Antonini itinere a Tauruno Pannoniæ per ripam in Gallias:

Nouiomagum	—	—	—
Bingium	M.	P.	XXV
Antunnacum	M.	P.	XXXII

Et alio itinere a Treueris Argentoratum:

Baudobricam	—	—	—
Salissonem	M.	P.	XXII
Bingium	M.	P.	XXIII
Magontiacum	M.	P.	XII.

Itinere a Lugduno capite Germaniarum; corrupte *Vincum* ſcribitur, non tam propter *V*, quod cum *B* ſæpenumero commutatur, quam propter eliſum *I*, & *C* cum *G* confuſum. Eſſe autem ipſum Bingium, ex rationibus milliariorum apparet, quæ ſunt

Confluentes	—	—	—
Vincum	M.	P.	XXVI
Nouiomagum	M.	P.	XXXVII [Treueror.]
Treueros	M.	P.	XIII.

Ammianus nouo caſu *Bingio* ſiue *Vingio*, vt in quibusdam codicibus eſt, formauit lib. XVIII cap. II. *Ciuitates*, inquit, *occupatæ ſunt ſeptem: Caſtra Herculis, Quadriburgium, Triceſimæ, Noueſium, Bonna, Antunnacum, & Bingio.* Auſonius principio Moſellæ ſitum & munitiones ita deſcribit, vt ſæpe memorauimus:

Tranſieram celerem nebuloſo lumine Nauam,
Addita miratus veteri noua mœnia vico.

Tranſierat ponte, quem ſupra ex Tacito cognouimus: & dum tranſit, veteris vici vel oppidi noua mœnia miratur, quæ magna doctorum conſenſione munimenta Bingii erant, non quod vicus immunitus fuerit, ſed quia bellorum impetu euerſum oppidum, in vicum redactum fuerat: tum autem principum liberalitate inſtauratum.

Cui genti *Bingium* adſcriptum fuerit, non vſque quaque eſt liquidum. Cluuerius, quamuis Mogontiacum Vangionibus adſignet, quorum limitem in Naua flumine ponit: tamen *Bingium*, cis Nauam ſitum, attribuere Treueris, quam Vangionibus, mauult, quia Tutor, qui Treuir fuit, quum ab Romanis defeciſſet, ſe Bingium, præterito Mogontiaco, recepit, abrupto ponte ſe tutum fore confiſus, in quo autem falſus fuit, vt ex Taciti IV Hiſt. a cap. LXX notum eſt. Mihi vero id inde, quod Cluuerius putat, nondum videtur conſequi, quia in tumultu & bello quisque occupat, quod ſibi præſidio exiſtimat fore; legum atque limitum nullam rationem habet. Cuiuscunque ergo populi Magontiacum fuit, probabile maxime eſt, in Naua fluuio territorium eius finitum fuiſſe, citra quem quum Bingium fuerit, eiusdem ditionis fuiſſe, cuius erat Mogontiacum, plane eſt credibile.

TRE-

TREVIRI seu TREVERI.

TREVIRI siue TREVERI, antiquus & potens populus, longe, late inter Mosam & Rhenum habitauerunt, a quibus Mosa Remos separauit ex occasu solis: a meridie communes cum Mediomatricis fines habuere. Cæsaris æuo orientalis limes Rhenus erat: post, traductis Vbiis in citeriorem ripam, in tantum angustior, quantum illi Augusti liberalitate ex Gallico solo acceperunt. Scribunt *Treuiri,* vocali tertia, Cæsar variis locis ac pæne innumeris: & Cicero lib. VII epist. XIII ad Trebatium, *Sed vt ego quoque te aliquid admoneam de nostris cautionibus; Treuiros vites censeo: audio capitales esse.* Peribit iocus Ciceronis, si *Treueros* substituas, quia ad III viros Romanorum capitales adludit. Hos Ptolemæus imitatur, Τρήβιροι scribens: quæ ratio etiam in nummo Vespasiani, si recte transscriptus a Golzio est, obseruata fuit, COL. AVG. PAT. TREVIROR. id est, *Colonia Augusta Paterna Treuirorum.* Ceteri plerique vocali secunda *Treueri* scribunt, atque ita in multis marmoribus legitur, quasi consuetudine Romani & commerciis experti essent postea, non a *vir,* sed ex Germanica origine id vocabuli esse; eiusque ideo mutassent pronuntiationem. Pomponius Mela lib. III cap. II *Belgarum clarissimi sunt Treueri.* Plinius lib. IV cap. XVII *Treueri, liberi antea,* id est ante Ciuilis tumultum, ob quem libertatem ademit Vespasianus, sub quo Plinius scripsit. Tacitus innumeris locis, præsertim lib. IV Historiarum eorum mentionem fecit, & semper *Treueros* scripsit. verbi gratia, lib. IV cap. LXX sæpe, *Tutor, Treueris comitantibus, Bingium concessit:* & iterum, *Ea clade perculsi Treueri:* item, *Legiones a Nouesio Bonnaque in Treueros traductæ.* Semel, at singulariter ac sine numero, *Treuir* dixit. Lib. III Histor. cap. XXXV *In Galliam Iulium Calenum tribunum; in Germaniam Alpinum Montanum præfectum cohortis, quod hic Treuir, Calenus Aeduus, vterque Vitelliani fuerant, ostentui misere.* Qua forma etiam Lucanus vsus est lib. I vers. 441

Tu quoque lætatus conuerti prœlia Treuir.

Maxime vero notabiles sunt lapidum inscriptiones. Gruterus pag. 113 num. 9 COL. AVG. TREVER. Et pag. 225 num. 4 S. C.

AV. TREVE. Et pag. 482 num. 5 CIVITAS TREVERORVM OPTIMO PRAESIDI. Germanicam originem præ ſe Treueri ferebant. Tacitus de German. cap. XXVIII *Treueri & Neruii circa adſectationem Germanicæ originis vltro ambitioſi ſunt, tamquam per hanc gloriam a ſimilitudine & inertia Gallorum ſeparentur.* Vnde minus eſt, quod de Germanico illorum nomine dubitemus.

De finibus ſupra dictum: de Rhenano latere, quod primum imminutum fuit, adiicere non nulla, pretium erit. Iulii Cæſaris temporibus ad Rhenum habitaſſe, ex illius commentariis manifeſtum eſt. Lib. IV cap. X de Rheno dixit, *per fines Heluetiorum, Sequanorum, Mediomatricorum, Tribocorum, Treuirorum citatus fertur.* Et commentario V cap. III *Hæc ciuitas* [Treuirorum] *longe plurimum totius Galliæ equitatu valet, magnasque habet copias peditum, Rhenumque, ut ſupra demonſtrauimus, tangit.* Et lib. VI cap. XXVIII *per Arduennam ſiluam, quæ eſt totius Galliæ maxima, atque ab ripis Rheni, finibusque Treuirorum, ad Neruios pertinet.* Eiusdem commentarii VI cap. VIII *Firmo in Treuiris præſidio ad pontem relicto, ne quis ab iis ſubito motus oriretur; reliquas copias equitatumque transducit.* Quum vero Vbiorum genti, qui Cæſaris tempore Transrhenani erant, Auguſtus Cæſar conceſſerit, vt Rhenum transgrederentur, ripamque Gallicam cuſtodirent, & veteres hoſtes ſuos Cattos, a quibus pulſi fuerant, a tranſitu arcerent; in controuerſiam venit, vtrum Treveris aliquid ad Rhenum, & quantum relictum fuerit. Plinius quidem, quum lib. IV cap. XVII gentes Rhenum accolentes deſcribit, poſt *Vangiones*, ſtatim *Vbios* nominat: hinc *Gubernos, Batauos*, vt ſupra productis verbis demonſtrauimus. Nihilominus eiusdem Plinii auctoritate ſuperiorem partem ripæ, quam poſſederant, relictam eſſe Treueris cenſemus; inferiorem ceſſiſſe Vbiis. Suetonius Caligulæ Vita cap. VIII ita de natali eius ſolo refert: *Vbi natus ſit, incertum diuerſitas tradentium facit. Cn. Lentulus Gætulicus Tiburi genitum ſcribit: Plinius Secundus, in Treueris, vico Ambitarino, ſupra Confluentes: addit etiam pro argumento, aras ibi oſtendi inſcriptas* OB AGRIPPINAE PVERPERIVM. Ex quibus intelligimus, quia vicus ille *ſupra confluentes* celebres Rheni & Moſellæ fuit, ad Rhenum exſtitiſſe: & quod idem

idem *in Treueris* fuit, Treueros extremis Augusti temporibus in Rheni ripa adhuc partem possedisse, quum multis ante annis traductio Vbiorum, & vel in ipso triumuiratu, vt Cluverius ex Dionis lib. XLVIII putat colligi posse, præcessisset. Quanta vero fuerit illa portio Treuericæ in ripa possessionis, non puto demonstrari certo posse: nec vero improbabile videtur, quod sentit Cluuerius, duobus confluentibus cum Rheno, Naua & Abrinca, definitam fuisse. Certe aliam ignoramus gentem, cui, quæ utrumque amnem interiacent, attribuamus: nec interest geographiæ, cuius gentis ille tractus fuerit, nosse curatius determinatum; quum sufficiat non nescire, cuius Romanæ prouinciæ fuerit, & quam distantiam inter se loca habuerint.

Inter Rhenum ergo & Mosam, circa Mosellam maxime, gens Treuerica habitauit. Oppidum gentis primarium ad Mosellam illud, quod hodieque clarum est, etiam antiquitus fuit, & ante Cæsarem ac Augustum, id quod principatus dignitas ostendit, quia statim, vbi primum memoratur, fuit amplum & potens. Quod nomen eius fuerit, antequam coloniam acciperet, nusquam est proditum: neque quo anno deducta colonia fuerit; nisi quod Augusti auspiciis deductam, nomen ostendit. Tacitus simpliciter *coloniam Treuerorum* vocat lib. IV Hist. cap. LXII & LXXII. Primus, qui nouo *Augustæ* nomine adpellauerit ex scriptoribus, quos habemus, Pomponius Mela est lib. III cap. II de Gallia. *Vrbes*, inquit, *opulentissimæ, in Treueris Augusta; in Aeduis Augustodunum; in Auscis Climberrum.* Alter est Ptolemæus, a quo Ἀυγȣ́στα Τρηβιρῶν, *Augusta Treuirorum* vocatur. Addo lapidum inscriptiones supra memoratas, quibus est COL. AVG. TREVER. item C. AV. TREVE ex Gruteri thesauro p. III & 225. Consonat nummus Vespasianus, itidem *Augustæ* nomen præferens, quem supra quoque ostendimus inscriptum COL. AVG. PAT. TREVIROR. Postea, recepto vbique more, gentis suæ vocabulo vrbs *Treueri* vel *Treuiri* nominata. Ammianus Marcellinus lib. XV cap. XXVII *Belgica prima Mediomatricos prætendit, & Treuiros, domicilium principum clarum.* Diuiso enim Romano imperio, qui Transalpinas partes tenebant Treueris plerumque sedem fixerunt, Constantius, Constantinus, Constantinus filius, & Constans, & huius percussor Magnentius, & sæpe Gratianus, & qui eum interfecit,

Magnus Maximus. Ambrosius epistola LVI ad Valentinianum II augustum, de sui ad Maximum legatione: *Quum peruenissem Treviros, postridie processi ad palatium.* Poetæ circumscribunt nomen, nunc *Treuericam vrbem*, nunc *vrbem Treuerûm* nuncupantes. Ausonius de Claris Vrbibus cap. IV

Treuericæque vrbis solium, qua proxima Rheno,

qui vna situm & commoda vrbis his verbis describit:

Lata per extentum procurrunt mœnia collem,
Largus tranquillo prælabitur amne Mosella,
Longinqua omnigenæ vectans commercia terræ.

Venantius Fortunatus de nauigatione sua lib. X carm. XII

Perducor Treuerûm qua mœnia celsa patescunt,
Vrbs quoque nobilium nobilis, atque caput.

Tanta vero felicitas mox quadruplici clade prostrata est. Salvianus Massiliensis lib. VI de Gubernat. Dei pag. 211 *Treuerorum vrbs excellentissima, quadruplici est euersione prostrata.* Et eodem libro pag. 227 *Expugnata est quater vrbs Gallorum Treuer opulentissima.*

Hæc de capite, vrbe Treuerorum Augusta. Circumiecta oppida partim in ripa vtriusque amnis, partim in mediterraneis fuerunt. Amne secundo XIII millibus, in dextra Mosellæ ripa, fuit oppidum *Nouiomagus*, siue *Nouomagus* vel *Niuomagus*; tot modis enim scribitur. Itinere Antonini a Lugduno capite Germaniarum hæc series proposita est:

Antunnacum	—	—	—
Confluentes	M.	P.	IX
Vincum [Bingium]	M.	P.	XXVI
Nouiomagum	M.	P.	XXXVII [Vales. XXXIIII]
Treueros	M.	P.	XIII.

Esse autem hanc non Nouiomagum Nemetum, tam ex itineris directione, quam distantiis locorum liquet, quam a Bingio in Nemetum vrbem sint ad XLVIII millia. In Tabula Theodosiana, itinere ab Augusta Treuerorum ad Bingium, etiam *Nouiomago* legitur, X millibus passuum ab Augusta. Et eodem tractu posita *Niuomagus* vel *Nouomagus* contracte, ab Ausonio, Mosellæ versu 10

Et tandem primis Belgarum conspicor oris
Niuomagum, diui castra incluta Constantini.

Constan-

Constantinus enim Maximus heic bello, aduersus Francos gesto, videtur castra habuisse. Quidam in mediterranea trahunt, quod Antonini itineri non repugnat : verum quia ad Mosellam eius loci vicus superstat, *Nümagen* dictus, & in Tabula Theodosii *Noviomagus* prope Mosellam locata conspicitur ; non dubitamus, eum vicum *Treuerorum Nouiomagum* esse, cui neque distantia Itinerarii Antoniniani aduersatur.

Eadem Tabulæ Theodosianæ via duo oppida inter Nouiomagum Treuerorum, & Bingium ponuntur, *Belginum* & *Dumnus.* hac serie atque distantia:

Aug. Treuiror.	VIII [Cluv. XIII]
Nouiomago	X
Belginum	VIII
Dumno	XVII
Bingium	— — —

Prius oppidum incidit fere in locum , qui non dissimili prorsus nomine nunc *Baldenau* vocatur, quasi Beldinum forsan antiquum nomen fuerit : alterum, *Dumnus*, videtur Cluuerio vicus esse infra oppidum Kirchberg, qui *Densen* vocatur. Dumno etiam nomen *Dumnisso* fuit, apud Ausonium, eodem itinere a Bingio Noviomagum, in Mosellæ descriptione , post initium:

Vnde iter ingrediens nemerosa per auia solum,
Et nulla humani spectans vestigia cultus,
Prætereo arentem sitientibus vndique terris
Dumnissum, riguasque perenni fonte Tabernas.
Aruaque Sauromatum nuper metata colonis:
Et tandem primis Belgarum conspicor oris
Niuomagum , diui castra incluta Constantini.

Dumnissus ergo Ausonii est *Dumnus* Tabulæ. *Tabernas* autem *fonte perenni riguas* suspicatur Cluuerius diuersoria fuisse iuxta egregium fontem in illa via , mille quingentis circiter passibus supra arcem Baldenau, Dumnissum versus : ex quo riuulus limpidissima aqua profluens Mosellæ redditur paullo infra Nouiomagum.

Ab hac via declinauit alia Antonini , quæ itidem Treueris Bingium ferebat, indeque Argentoratum. Rationes eius ita habent:

Treueri

Treueri	—	—	—
Baudobricam	M.	P.	XVIII
Salissonem	M.	P.	XXII
Bingium	M.	P.	XXIII
Magontiacum	M.	P.	XII.

Clarissimo viro Hadriano Valesio Notit. Gall. in *Saletione*, videtur *Baudobrica* Itinerarii esse eadem, quæ Peutingerianæ Tabulæ est *Bontobrice*, quod, si nomina intuemur persimilia, valde probabile adparet: si numeros & rationes itinerum, nimis quantum dissonat. *Bontobrice* enim VIII millibus passuum a Confluentibus abest: *Baudobriga* vero XVIII a Treueris, a quibus ad Bontobricam Tabulæ sunt circiter XL millia passuum. nec adparet ratio, quare, qui Treueris proficiscatur Bingium, tam longa ambage prope ad Confluentes accedat, vt VIII millibus tantum ab illis absit. Quum vero *Baudobricæ* nomen etiam alio itinere, a Tauruno Pannoniæ per ripam, occurrat, positum inter Bonnam & Antunnacum; non sine caussa aliquis de Baudobrica altera, quæ inter Treueros & Bingium sita sit, dubitare cœperit, quia non credibile est, in illo tractu non amplissimo, qui inter Bonnam, Bingium & Treueros existit, duas Baudobricas, oppida eiusdem nominis fuisse. Aliud ergo quoduis nomen, quam *Baudobricam* inter Treueros & Salissonem malim legi, vt & Tabulæ Theodosii suæ rationes, & Antonini Itinerario etiam suæ constent. Quare & *Salissonem* Itinerarii, & quodcumque sub *Baudobricæ* nomine antecessit, in mediterraneis fuisse autumo: & quia Tabulæ ac Ausonii via in septemtrionem declinabat; hanc Itinerarii viam in austrum plus recessisse puto, quod neutram in alteram videmus incidisse. Caue vero, quod supra etiam monuimus, ne hunc Itinerarii *Salissonem*, cum Ammiani Marcellini *Salisone*, qui *Saletio* est, confundas.

Reliquum est, vt ad Rhenum quæ ditionis Treuericæ, saltem inter Vbios & Vangiones fuerunt, consideremus. A Bingio & Nauæ confluente secundum Peutingerianam Tabulam proxima per XII millia passuum est *Vosauia*, quæ omnium consensu est *Ober-Wesel*, iam tum Hrabani ætate *Wasalia* (in eius Martyrologio prid. kalend. Iulii) dicta, vt facilis coniectura sit, in Tabula forte etiam *Vosalia* vel *Vosallia* legendum esse. Inde post XI millia

millia est Tabulæ *Bontobrice*, quæ, & Notitiæ Imperii *Bodobriga*, est eadem, vt postea probabimus: cui quod nomine consonat, sed ex alieno loco reducenda, Antonini *Baudobrica;* non inepta Cluverii coniectura est, in Tabula quoque *Bautobrice* legendum esse: vt cum *Bodobriga*, quæ in eodem loco est, vt mox probabimus, propius pleniusque conueniat. Notitia Imperii sub dispositione Mogontiacensis Ducis, præsidia Romanæ militiæ Rhenanis oppidis imposita accurato ordine, & habita geographiæ ratione, sic enarrat, vt post præfectos militum, Saletione, Tabernis, Vico Iulio, Nemetibus, Alta Ripa, Vangionibus, Mogontiaco, Bingio; *Præfectus* sequitur *militum Ballistariorum Bodobriga:* tum demum *Præfectus militum Defensorum Confluentibus:* & tandem *Præfectus militum Acicensium Antonaco.* Ex quo accuratissimo ordine intelligimus, *Bodobrigam* inter Bingium & Confluentes sitam fuisse, quo tractu etiam *Bontobrice* in Tabula Peutingeriana est, cuius numeri nos in locum ducunt, qui nunc oppidum *Boppartum* habet, quod nomen a vocabulo *Bodobriga* non plane est alienum.

Antequam ad Confluentes abeamus, dispiciemus de *Ambitarino vico*, quem Plinius apud Suetonium Caligula cap. VIII, vt supra demonstrauimus, *in Treueris supra Confluentes* posuit. Quæ formula ostendit, haud longe illum a Confluentibus abfuisse, & quidem ad Rheni ripam situm, vbi castra Romanorum haberi solita. Quum vero Caius, Germanici Cæsaris filius, auctore Plinio in hoc vico natus, feratur *in castris* natus esse, quod etiam versus diuulgatus apud Suetonium confirmat,

In castris natus, patriis nutritus in armis;

vtique verosimile est, vicum iuxta Rhenum fuisse, quod ipsa etiam verba *supra Confluentes,* non obscure arguunt, & quia nihil additum, quod ad aliam restringat, de nobiliore Rheni ripa explicari postulant: vt adeo in Cluuerii sententiam ire minus dubitemus, qui inter Bontobricam Tabulæ & Confluentes *Vicum Ambitarinum* medium, in loco fere, vbi nunc castrum *Capella* est, persuasum sibi habet. In MSS. *Ambitarinus* vicus vocatur: in vulgatis *Ambiatinus;* etiam in non nullis *Ambiatiuus*, quod Cluuerio placet propter Pipini diploma, de quo infra dicturi sumus. De situ hoc dubitationem Christophorus Brovverus mouet, Annal. Trouerens. lib. I pag. 136, vicum nostrum ab Rheno vltra Mosellam in pagum siue

campum Meginensem, qui nunc Meyenfeld dicatur, traducens, cuius indicium non spernendum, vt ait, in Pipini & Caroli M. donationum tabulis se inuenisse arbitratur. Libro VII pag. 378 ex Pipini donatione refert S. Martini ecclesiam *in Ambitiuo pago* Treverensibus contributam; & pag. 380 ex Caroli diplomate, S. Martini ecclesiam, Treuerensi ecclesiæ donatam, esse in *pago Meginensi.* Vnde pronum videtur colligere, Ambitiuum pagum ipsum. Meginensem esse; hunc autem ob soni nonnullam conuenientiam eum, qui nunc Meinfeld vel Meyenfeld adpelletur; vt S. Martini ecclesia sit Monasterium Meinfeldense, siue *Münster in Meyenfeld.* Quod si est, ampliores fines illi pago oportet constituantur. Regino enim, Chronicorum auctor, ad annum IↃCCC LXXVI dicit, *Meginensem campum non longe ab Andernaco castello* abesse. Andernacum autem infra Confluentes VIIII millibus passuum situm est; & vicus natalis C. Cæsaris *supra* eosdem, Plinio auctore: quæ, nisi multum ampliatis finibus, non facile inter se conciliantur. Cardo ergo totius caussæ in eo verti videtur, vt pagus Meginensis per fines suos describatur, & Pipini diploma bene inspiciatur ad interpretandum: quod iis vtrumque relinquemus, quibus vtriusque perficiendi copia non negata, vt nobis, est. Interea Cluuerium in Tabula nostra & expositione sequuti sumus.

Iam ad *Confluentes* accedamus, qui a fluuiis aquam confundentibus nominantur: heic autem videtur vna oppidum significari. Plinius apud Suetonium dicto loco: *Vico Ambiatino, supra Confluentes.* Quum enim Drusus quinquaginta amplius castella in Rheni ripa condidisse feratur; quis eum credet hunc omnium opportunissimum locum inter duos maximos amnes sine castro, sine munimentis exstructis præteriisse? Ait Ammianus lib. XVI cap. III ibi *oppidum esse, vbi amnis Mosella confunditur Rheno:* quamquam aberrare in illius nomine videatur, vt postea demonstraturi sumus. Notitia Imperii sub Duce Mogontiacensi *Confluentes* quoque, vt oppidum præsidio munitum, describit. *Præfectus*, dicitur ibi, *militum Defensorum Confluentibus.* Tabula Theodosii Peutingeriana, & Antonini Itinerarium itinere a Lugduno capite Germaniæ inter oppida *Confluentes* recensent. Illa hoc modo:

Autun-

Antunnacum	VIIII
Confluentes	VIII
Bontobrice	VIIII
Vosauia	IX
Bingium	XII
Moguntiacum	—

Itinerario autem Antonini hæc series est:

Bonna	—	—	—
Antunnacum	M.	P.	XVII
Confluentes	M.	P.	IX
Bingium	M.	P.	XXVI

Hodie vrbs clarissima, nomen priscum corrupte seruans, *Coblens.* Ipsam amnium commixtionem Venantius Fortunatus lib. X carm. XII de Nauigio suo seu Musellana nauigatione, ita descripsit:

Tum venio, qua se duo flumina conflua iungunt,
Hinc Rhenus spumans, inde Musella ferax.

Infra Confluentes, Treuerorum vltimum vel oppidum vel castellum ad Rhenum fuit *Antunnacum,* cuius nomen iam & situm in Tabula & Itinerario vidimus, vt aliud non possit esse, quam quod postea *Andernacum* nuncupatum fuit. In Notitia Imperii vocatur *Antonacum*, eique militum Acicensium præfectus impositus erat. Nec recens est nomen alterum, sed ab Reginone etiam, vt paullo ante vidimus, vsurpatum, qui *castellum* perinde, ac sub veteri nomine Fortunatus Venantius ante dicto de Nauigio suo, carmine dixit,

Antonnacensis castelli promtus ad arces
Inde prope accedens sarcina pergo ratis.

Arces laudat, quia aliquando Austrasiæ regibus sedem præbuit. Pergit ibidem Venantius:

- - - - Præsunt reges in sedibus aulæ,
Ac mensæ officio prandia festa colunt.

Hodie oppidum non incelebre est, *Andernach;* nec dubitamus oppidum & ciuitatem olim fuisse. Ammianus enim Marcellinus lib. XVIII cap. II in ciuitatibus, id est claris vrbibus numerat. *Ciuitates*, inquit, *occupatæ sunt septem; Castra Herculis, Quadriburgium, Tricesimæ, Nouesium, Bonna, Antunnacum, & Bingio.*

Vltra fluuius *Abrinca* est siue *Obringa*, qui ut terminus & limes

mes vtriusque Germaniæ est; sic etiam ex Cluuerii opinione finis Treuerensis ad Rhenum territorii fuit. Quæ si ita se se habent, oportet Treuerensem agrum in diuersis prouinciis fuisse. Ipsa enim colonia siue metropolis fuit in Belgica Prima: tractus illius Rhenanus in Germania Prima siue Superiore. Sed recentior est illa multiplicatio prouinciarum, nec forsan ante Diocletianum audita: nec vero ab eodem tempore sciri distincte potest, cui populo aut prouinciæ adscribi ille tractus debuerit, quia Notitia prouinciarum & ciuitatum Galliæ nullam illius rationem habet, quia tantum ciuitates episcopales enumerat, cuius dignitatis equidem nullæ in illo tractu fuerunt.

Ad Mosellam reuertamur eiusque confluentem: indeque ad ipsius coloniæ confinia. Ad vtrumque locum nos oppidum *Rigodulum* deducit, quod supra prætermisimus, quia, quæ de situ eius controuersia est, non potest explanari commode, nisi cetera illius Mosellani tractus, & partim etiam Rhenani, explicata fuerint. Alia positio eius oppidi apud Ammianum credita fuit: alia est apud Cornelium Tacitum. Ammianus lib. XVI cap. IV de vastatione Germaniæ, in Gallico solo prouinciæ, loquutus, *per quos tractus*, inquit, *nec ciuitas vlla visitur, nec castellum: nisi quod apud confluentes, locum ita cognominatum, vbi amnis Mosella confunditur Rheno, Rigodulum oppidum est, & una prope ipsam coloniam* [Agrippinam] *turris*. Ita vulgo legebatur. Obseruauit autem Fridericus Lindenbrogius, in MS. *Rigomagum* esse, quod etiam Valesius editione sua expressit. Quum vero Theodosiana Tabula *Rigomagum* inter Antunnacum & Bonnam fere medio loco constituat, & recte ita constituat, quia nomen in *Rimagen* ibidem conseruatur; ad confluentes non potuit situm esse, sed vltra Obringam fluuium, in principio Germaniæ Inferioris. An ergo quod vulgo legitur, *Rigodulum*, ad confluentes hos amnes fuisse censeamus? suadere videtur Ammianus, nec Tacitus repugnare, qui lib. IV Histor. cap. LXXI hæc de Rigodulo tradidit: *Cerialis, contracto quod erat militum Magontiaci, quantumque secum transuexerat, tertiis castris Rigodulum venit. quem locum magna Treuerorum manu Valentinus insederat, montibus & Mosella amne septum.* Nihil videtur impedire, quo minus ad confluentes Rigodulum statuamus, quia & sic tertiis castris a Magontiaco abesset; verum, si, quæ

quæ ſequuntur eiusdem libri cap. LXXII, conſideramus, fieri nequaquam poteſt, vt Taciti *Rigodulum* ad confluentes fuiſſe credamus, quia Cerialis, capto Rigodulo, dicitur *poſtero die coloniam Treuerorum ingreſſus*, a quo longius confluentes remoti ſunt per XIII milliaria Germanica, quam vt altero inde die coloniam ingredi potuiſſet. Quum ergo intra milliarii Teutonici ſpatium ab Agrippina ſit vicus *Rigol*, non dubitare licet, eſſe illum, quod Tacitus memorauit, Treuerorum *Rigodulum*. Quæ quum ita ſint, & neque Rigodulum illi Ammiani loco, neque Rigomagum etiam conueniat; Cluuerius vtroque reiecto, *exiguum* cenſet legendum eſſe, quaſi Marcellinus ſignificari velit, oppidum Confluentes clade illorum temporum tenue ac exiguum oppidum factum eſſe. Miror doctiſſimos fratres, Henricum & Hadrianum Valeſios, heic nihil adnotaſſe, quum eos nequaquam fugerit, quam acrem medicinam Cluuerius adhiberet: vt conſilium medendi defuiſſe illis pæne crediderim. Violenta, fateor, medela eſt Cluuerii, qua mitiorem vtique optamus, quam neſcio, an traiectione verbi EST, & adpoſitu copulæ ET, obtinere hoc modo poſſimus: *per quos tractus nec ciuitas vlla viſitur, nec caſtellum, niſi quod eſt apud Confluentes, locum ita cognominatum, vbi amnis Moſella confunditur Rheno: & Rigomagum oppidum, & vna prope ipſam coloniam turris.* Sic nihil violentum eſt, ſola vocula ET adiecta, quæ facile potuit excidere; & τῷ EST in citeriorem locum tranſpoſito. Caſtellum autem Confluentes potius eo tempore, quam oppidum fuiſſe, veriſimile videtur, & loci ſuadet opportunitas. Quibus admiſſis, & Marcellino ſua veritas conſtabit, & librorum MSS. conſeruabitur auctoritas.

Quæ alia minora circa metropolim Treuerorum reſtant, paucis verbis attingemus. Antoninus itinere a Durocortoro, quod in Remis eſt Campaniæ, in Treueros vſque, ponit *Tungum* vicum, qui Ligny eſt Cluuerio: deinde *Epoiſſum*, nunc Yvoix, noſtris Ipſchs in finibus Lüzelburgicis: quæ videtur Notitiæ Imperii *Epuſus* eſſe pag. 147, vbi *Præfectus* commendatur *Lætorum Actorum Epuſo Belgicæ Primæ*: at vicus *Andethannalis* Cluuerio eſt Echternach: & a Treueris Agrippinam verſus *Beda vicus*, nunc Bidburg, vel Bietburg, XII millibus paſſuum in ſeptemtrionem diſtans, & totidem fere a Rheno, Moſam amnem verſus. Addit

Peutingeriana Tabula inter Mediomatricos & Treueros *Caranuſcam*, pro qua Cluuerius *Saranuſcam* legit, & Saarburg interpretatur: & *Ricciacum*, quod ſecus ac in Tabula eſt, infra Saranuſcam transponit, vt loco *Riezingen* reſpondeat, qui inter Saarburg & Mettim ſitus eſt.

VBII TRANSDVCTI.

Transductos hos cognominamus Vbios, quod non tam in veteri ſede conſtitutos conſiderabimus, quam vt transducti ab Octauiano Cæſare ex dextra Rheni ripa in ſiniſtram fuerunt. Quum Iulius Cæſar in Galliis pro conſule eſſet, Transrhenani omnes *Vbii* fuerunt, ab Sueuis ſiue Cattis grauiter adflicti, a quorum vt ſe iniuriis tuerentur, Cæſaris auxilium & amicitiam rogabundi impetrauerunt. Id quod ex Cæſaris commentariis nunc demonſtrandum eſt. Lib. IV cap. III *Ad alteram partem ſuccedunt Vbii, quorum fuit ciuitas ampla atque florens, vt eſt captus Germanorum, & paullo, qui ſunt eiusdem generis, etiam ceteris humaniores, propterea quod Rhenum attingunt, multique ad eos mercatores ventitant, & ipſi propter propinquitatem Gallicis ſunt moribus adſuefacti.* Et cap. XVI eiusdem commentarii: *Vbii, qui vni ex Transrhenanis ad Cæſarem legatos miſerant, amicitiam fecerant, obſides dederant; magnopere orabant, vt ſibi auxilium ferret, quod grauiter ab Sueuis premerentur: vel ſi id facere occupationibus reipublicæ prohiberetur, exercitum modo Rhenum transportaret. id ſibi ad auxilium, ſpemque reliqui temporis, ſatis futurum.* Quorum precibus etiam hoc Cæſar dedit, vt ponte facto arma Romana Germanis in ipſorum ſolo oſtentaret.

Quum in fide erga Romanos Vbii manſiſſent, grauiusque a Germanis premerentur, etiam propter Romanum fœdus & amicitiam; vel ſponte transgreſſi ſunt Romanis permittentibus; vel non inuiti a duce Romanorum in alteram ripam, vt tutiorem ſedem, transducti fuerunt, quo anno, non ſatis clarum eſt hiſtoria tacente: nec vero dubitatur, recenti Auguſti imperio, aut ipſo triumuiratu migrationem illam factam fuiſſe. Tacitus de Moribus German. cap. XXVIII *Vbii transgreſſi olim, & experimento fidei ſuper ipſam Rheni ripam collocati, vt arcerent, non vt cuſtodirentur.* Quum OLIM dicit, ad longinqua tempora reſpicit:

quum

quum TRANSGRESSOS, coactam traductionem excludit. Solus Strabo rem obscuram potest illustrare, qui lib. IV pag. 134, quum de Treueris, Rhenum accolentibus egisset, addit, πέραν δὲ ᾤκουν Οὔβιοι κατὰ τοῦτον τὸν τόπον· οὓς μετήγαγεν Ἀγρίππας ἑκόντας εἰς τὴν ἐντὸς τοῦ Ῥήνου, *Trans fluuium ad ista loca habitabant Vbii, quos non inuitos Agrippa intra Rhenum transduxit.* Iam vero duas expeditiones Gallicas Agrippæ scimus, vtramque a Dione Cassio descriptam, primam primo eius consulatu factam, lib. XLVIII; alteram octauo decimo post priorem anno, C. Sentio & Q. Lucretio COSS. lib. LIV. Quarum quod prior illustrior fuit, & operosior etiam, & diuturnior, vt videtur; vtique illam Vbiorum transductioni damus, quia Rhenum in ea ponte Agrippa iunxit, per quem tunc Vbii haud dubie a dextra in sinistram Rheni ripam transierunt. Dio Cassius lib. XLVIII pag. 387 de his ita refert: τοὺς Γαλάτας αὐτὸν τοὺς νεωτερίσαντας προσπολεμούμενον, ὅτε περ καὶ τὸν Ῥῆνον δεύτερος δὴ τῶν Ῥωμαίων ἐπὶ πολέμῳ διέβη, μετεπέμψατο· - - - ὑπάτευε δὲ μετὰ Λουκίου Γάλλου. Id est, *Contra Gallos quoque rebellantes* [Agrippam] *bellum gerentem, cuius caussa secundus Romanorum Rhenum transiuit, quum is consul esset cum L. Gallo, euocauit* Octauianus, scilicet ad classem fabricandam, & militem naualem exercendum, aduersus Sextum Pompeium, Pompeii Magni filium. Consulatus is M. Vipsanii Agrippæ & L. Caninii Galli incidit in octauum annum a nece Iulii Cæsaris. Altera expeditio descripta a Dione est lib. LIV, nec, quia breuior fuit, illustre aliquod monimentum habet.

Transducti *oppidum* in ripa condiderunt: etiam *Aram*, haud dubie in honorem Cæsaris Augusti, vt plures prouinciales fecerunt. Illius quale nomen prius fuerit, ante acceptam coloniam, non puto vsquam reperiri. Tacitus annali I cap. XXXVI simpliciter *oppidum Vbiorum* vocat, præcipuum videlicet, & maius ceteris, si plura condiderunt. In id coloniam Agrippina, Germanici filia, Claudii augusti coniux, tamquam in patriam suam deduci curauit. Tacitus lib. XII cap. XXVII *Agrippina, quo vim suam sociis quoque nationibus ostentaret, in oppidum Vbiorum, in quo genita erat, veteranos coloniamque deduci impetrat, cui nomen inditum est ex vocabulo ipsius.* Dicta quippe fuit *Agrippinensis colonia.* Plinius lib. IV cap. XVII extremo: *Hinc Vbii, Colonia Agrippi-*

nensis,

nensis, Guberni, Batavi. Tacitus Hist. lib. I cap. LVII *Fabius Valens die postero coloniam Agrippinensem cum equitibus legionis auxiliariorumque ingressus.* Ptolemæus quoque in Germania Inferiore, Belgicæ Galliæ parte, post Batauodurum & Vetera, *ἔτα Ἀγριππινησίς, postea Agrippinensis*, suppresso *colonia* vocabulo. Atque ita fere veteres: recentiores etiam *Agrippinam* dixerunt. Auctor Itinerarii sub Antonini nomine, tribus itineribus, a Tauruno Pannoniæ per ripam; a Lugduno capite Germaniarum; & a Colonia Traiana, *Coloniam Agrippinam* vocat: alio a Treueris itinere, *Agrippinam ciuitatem:* Tabulæ Theodosianæ auctor, simpliciter *Agrippinam:* Fortunatus autem Venantius plene, nisi quod litteram eiecit metri caussa, lib. III carm. XVII ad Charentinum, episcopum Coloniensem,

Pontificem pollens Agripina Colonia præfert.

Nummus Neronis e thesauro Golzii, AGRIPPINA COL. Et alius Claudii apud Harduinum, COL. AGRIPPINA VBIOR. Si genuini hi nummi sunt, de altera forma nominis, *Agrippina*, de cuius vetustate non nulli dubitauerunt, *Agrippinensis* præferentes; etiam certi esse possumus.

Nec prætereundum hoc loco est, fuisse qui de auctore coloniæ dubitarent, vtrum Agrippina, Germanici filia, fuerit, an M. Vipsanius Agrippa, qui in Galliam Vbios transduxit: id quod etiam dubium doctissimum virum Christophorum Brovverum habuit, dum Iustus Lipsius per litteras illi dubitationem eriperet. Caussa dubitandi erat, quod Cornelius Tacitus, qui id de Agrippina narrauit, sibi ipse non constare videbatur. Libro enim de Moribus Germanor. cap. XXVIII *Vbii*, inquit, *quamquam Romana colonia esse meruerint, ac libentius Agrippinenses, conditoris sui nomine vocentur, origine erubescunt, transgressi olim, & experimento fidei super ipsam Rheni ripam collocati, vt arcerent, non vt custodirentur.* Respondit Lipsius, vim Taciti verbis inferens, legendo *conditoris suæ*, cum femineo pronomine, sicut Virgilius dixerit *auctor ego* Iuno; & Ouidius *sponsor dea.* Sed dubito, his duritiem emolliri: malim censere, generatim Tacitum loquutum esse, vt nec Claudium maritum, cuius auspiciis colonia vxoris nomine deducta fuit, excluderet. Inde est, quod supra idem Tacitus de Agrippina dixit (lib. XII cap. XXVII) *coloniam deduci impetrat.* Ergo non suis

ſuis auſpiciis deduxit, quia precibus *impetrauit* a marito. Non autem Agrippam auum conditorem coloniæ fuiſſe, ex eo etiam probari poteſt, quia ab Agrippa *Agrippenſis*, non *Agrippinenſis*, dicenda fuiſſet, quod recte etiam Lipſius obſeruauit.

Ad *Aram Vbiorum* pergimus, quam cum caſtro vel oppido coniunctam fuiſſe, non obſcure deſcriptione Taciti videtur indicari. Annali I cap. XXXIX *Interea legati ab ſenatu, regreſſum iam, apud Aram Vbiorum Germanicum adeunt. Duæ ibi legiones, prima atque viceſima, veteranique nuper miſſi, ſub vexillo hiemabant.* Et cap. LVII eiusdem libri; *quo anno Germaniæ deſciuere, ſacerdos apud Aram Vbiorum creatus, ruperat vittas, profugus ad rebelles.* Iacobus Campius in Franciſci Modii Nouantiq. epiſt. III, & Philippus Cluuerius exiſtimant, Aræ locum poſtmodum *Bonnæ* nomen induiſſe. Vterque hoc probari aiunt ex Taciti annali I cap. XXXIX, ſi componatur cum lib. IV Hiſtor. cap. XIX, quia, quæ ibi legio prima ad Aram Vbiorum caſtra habere dicatur; eadem hibernarit Bonnæ, teſte Tacito in altero loco. Vrget quoque Campius diſtantiam a Veteribus ad *ſexageſimum lapidem* a legionis primæ ſede, auctore itidem Tacito annali I cap. XLV. Tantum autem interualli inter Bonnam eſſe & Vetera, vbi altera caſtra. Cluuerius Florum addit, qui lib. IV cap. vlt. *Bonnam* ſub Auguſto memoret; Tacitum vero *Bonnæ* nomen ſub prioribus Cæſaribus ne ſemel quidem memoraſſe; vtique vero *Aræ Vbiorum*: hinc putat conſequens eſſe, vt Ara Vbiorum ſit ipſa Bonna: quod vero quam fortiter ita colligatur, fatemur nos nondum penetrare. De Floro infra dicturi ſumus, quum ad Bonnam acceſſerimus. Fortiora Campii argumenta ſunt, nec vero ita valida atque inuicta, vt nihil relinquant dubitationis. Inter Taciti enim duo teſtimonia multum temporis interceſſit, quantum videlicet inter Tiberium, recentem principem, & Veſpaſianum fuit: nec forma caſtrorum eadem. In millenis etiam paſſibus quantum differentiæ ſit, non poteſt ignotum ei eſſe, qui rationes ex illis confecit. Quapropter non ſpernendum Iuſti Lipſii iudicium putamus, non videri aram illam longius ab oppido Vbiorum præcipuo, poſt colonia, abfuiſſe, quam opinionem etiam in Tabula noſtra ſequuti ſumus. Iulianus Pichon ad Taciti annal. I cap. LVII rem expeditam putat, ſi caput XXXVII annalis primi cum capite XXXIX

comparetur. Ibi enim primam & vicesimam legiones in oppidum Vbiorum reductas, dici, quæ altero loco ad Aram Vbiorum fuisse perhibeantur: unde colligi putat, Aram ipsum oppidum Vbiorum fuisse. Colligerem etiam ita, si Tacitus *in oppidum* reductas dixisset: at quum dixerit *in ciuitatem*, (quod Pichonis metaphrasis *in oppidum* vertit) ager potius Vbiorum, seu populus & societas, pro more Latine loquentium, significatur, quam certa vrbs & oppidum. Reductæ enim legiones sunt ex Veteribus, quæ extra agrum Vbiorum erant; vbi quintani & vnetuicesimani sua castra habebant. Adde cap. XLV. Quidquid ergo huius caussæ est, in medio relinquo, vt ex ingenio suo quisque demat vel addat quantum velit fidei: credibilius tamen existimo, non longe a principe oppido Vbiorum aram illam reductam fuisse.

Ipsam nunc *Bonnam*, siue Ara fuerit Vbiorum olim, siue secus se res habeat; accedimus perlustrandam. Primus, de quo certi sumus, eius mentionem Tacitus fecit, nec vero illam sub primis Cæsaribus memorauit, sed post mortem Neronis, & libris Historiarum, non Annalium. Lib. IV cap. XIX, *scripsit Herennio Gallo, legionis primæ legato, qui Bonnam obtinebat, vt arceret transitu Batauos.* Et proximo cap. XX *Bataui quum castris Bonnensibus propinquarent.* Et cap. XXV *Sic mitigatis animis, Bonnam, hiberna primæ legionis, ventum:* ac cap. LXXVII *palantes captarum apud Nouesium Bonnamque legionum.* Idem lib. V Histor. cap. XXII *Cerialis profectus Nouesium Bonnamque ad visenda castra, quæ hiematuris legionibus erigebantur.* Ptolemæus post Vetera & coloniam Agrippinensem, εἶτα Βῶννα, *deinde Bonna.* Situs vrbis inclutæ per se notus est, nomine adhuc durante. An vel nomen vel oppidum etiam antiquius sit, non possumus pro certo dicere. Florus quidem lib. IV cap. XII Drusi historiam sub Augusto persequens, postquam dixerat, per Rheni ripam quinquaginta amplius castella direxisse, addit: *Bonnam & Gesoniam cum pontibus iunxit.* Sic in MSS codicibus: sic ex illis Freinshemius & Græuius ediderunt. Quum ignota *Gesonia* sit, & æque *Genosia*, vt in aliis libris scribitur; Cluuerius *Magontiacum* substituit lib. II Germ. Antiq. cap. XIII; quod, quamlibet claris viris adprobatum cerno, tamen durum nimis, & alienum a vestigiis membranarum est.

Hadria-

Hadrianus ergo Valesius Notit. Gall. in *Bonna*, mauult *Nouesiam* inde conficere, quod propius quidem ad *Gesoniam* accedit, nec vero omnem dubitationem tollit. Quid enim est *vrbes* CVM *pontibus iungere?* Dicimus *flumen ponte iungere*, *partem ponte vrbi coniungere*, vt Ianiculum Romæ, apud Liuium lib. I cap. XXXIII. *vrbes* autem CVM *pontibus iungere*, eo nempe sensu, quem heic Freinshemius exponit, *ædificare pontem apud vrbem;* ne Latinum quidem satis videtur. Quum ergo illud CVM otiosum plane in illa formula sit, quid obstat, quo minus ex *Gesoniam cum*, Elia Vineto præeunte, faciamus *Gesoriacum?* expeditæ sic rationes vnius vocis, non autem alterius? quid enim ex *Bonna* faciemus? an Bononiam? & ex pontibus eos, qui paludes inter vtramque sternant, quæ mens erat Vineti? at recentius *Bononiæ* vocabulum est, & ipsum Gesoriacum *Bononia* posteriori æuo dictum, vt ex Vita Constantini, ab Henrico Valesio euulgata, clarum est. Nihil ergo reliquum habemus, quo Florum probabilius expediamus, quam vt, quod Hadrianus Valesius fecit, deleamus CVM, & *Nouesiam* vel *Nouesium* pro Gesonia vel Genosia substituamus, præsertim quod Tacitus, vt modo vidimus ex Hist. lib. IV cap. LXX & LXXVII, & lib. V cap. XXII, *Nouesium Bonnamque*, vt castrorum loca coniungat: vt & Bonnam Drusus Transrhenanæ terræ ponte, & alio Nouesium, ad terrendos Germanos iunxisse sentiamus. Id si Florus a veteri scriptore accepit, nec rem antiquam sui temporis vocabulo expressit, vtique *Bonnæ* nomen tam antiquum erit, quam Ara Vbiorum fuit; & speciosius argumentum reddet, quo Lipsius, ac alii, ab Ara Bonnam seiunctam voluerunt. Est & *Bonnæ* mentio facta in Antonini Itinerario, & in Tabula Theodosiana: nec non ab Ammiano Marcellino, qui lib. XVIII cap. II cum aliis ad Rhenum *ciuitatibus*, vt vocat, numerauit.

Supra Bonnam *Rigomagus* fuit eiusdem Tabulæ, ad Rhenum oppidum, de quo supra diximus: deinde fluuius *Obringa*, terminus, vt Cluuerius censet, inter Vbiorum agrum & inter tractum Rhenanum Treuerorum. Infra Bonnam nobilius nihil quam *Nouesium* est, quod iam ostendimus quoties cum Bonna ab Tacito coniungatur. Alia addimus eiusdem Taciti testimonia. Lib. IV Hist. cap. XXXIII *aliis a Nouesio, aliis a Magontiaco vni-*

versas copias aduenisse credentibus. Et cap. XXXV *impedimenta legionum cum imbelli turba Nouesium missa, vt inde terrestri itinere frumentum aduceherent.* Ergo castra legionum habuit, & munitus locus fuit, isque adpositus ad Rhenum. Eodem libro cap. XXVI *Ingressis Nouesium, tertia decima legio coniungitur:* & cap. LXII *Legio* XIII *cum auxiliis simul deditis a Nouesio in coloniam Treuerorum transgredi iubetur.* MS. Itinerario est *Nouensio*, itinere a Tauruno per ripam: at itinere alio, a Lugduno Germaniarum capite est *Nouesium* in omnibus libris; vt superiorem corruptum esse oporteat. Ex his itineribus & Tabula Theodosii, & ipso vocabulo, non incertum est, esse oppidum, quod hodie *Nüs* vel *Nuys* adpellatur.

Inter Nouesium & Coloniam Agrippinensem dicto itinere a Tauruno per ripam, duo oppida ponuntur, *Durnomagum* & *Buruncum* hoc ordine,

Coloniam Agrippinam	—	—	—
Durnomagum	LEG.	VII	ALA
Buruncum	LEG.	V	ALA
Nouesium	LEG.	V	ALA.

Ex quo situ & ipsis nominibus apparet, illud esse vicum *Dürsmagen;* hoc oppidum quod dicitur *Wuringen.* Sed male in Itinerario *Durnomagus* præponitur *Burungo* vtpote quod Coloniæ propius est.

Vltimus in Vbiorum ripa locus fuit *Gelduba.* Tacitus lib. IV Hist. cap. XXVI *Ingressis Nouesium, tertiadecima legio coniungitur. Additus Voculæ in partem curarum Herennius Gallus, legatus: nec ausi ad hostem pergere, loco, Gelduba nomen est, castra fecere.* Et cap. XXXII *Mox adlatis Geldubam in castra nuntiis:* & cap. XXXV *Cohortes Geldubam perrexere, manentibus, vt fuerant, castris.* Castellum fuisse ex Plinii verbis probatum est lib. XIX cap. V. *Siser*, inquit, *ipsum Tiberius princeps nobilitauit, flagitans omnibus annis e Germania. Gelduba adpellatur castellum Rheno impositum, vbi generositas præcipua.* Ex quibus elucet, *Geldubam* ad Rhenum fuisse castellum, prope Nouesium, quod etiam ex dicto itinere a Pannonia in Galliam, manifestum est, quo is ordo redditur:

Noue-

Nouesium	LEG.	V	ALA
Geldubam	LEG.	IX	ALA
Calonem	LEG.	IX	ALA.
Vetera castra	—	—	

Qui ordo nec obscure ex Taciti cap. XXXVI apparet. Quod in vico *Gelb* ad Rhenum, IX millibus passuum a Nouesio, prisci vestigia nominis adparent, cum eoque descripta positio conuenit; non dubitamus illum veterem *Geldubam*, vel castellum vel oppidum etiam fuisse, idque in Drusi ad Rhenum positis castellis adnumeramus.

Hactenus de ripa Vbiorum: obiacent in mediterraneis *Tolbiacum*, *Marcodurum*, *Iuliacum*, & hæc fere iuxta *Roram* fluuium: medio loco *Tiberiacum* & *Belgica*. Primus locus, vt ab austro in septemtrionem progrediamur, est *Tolbiacum* vel *Tolpiacum*, quod etiam *Tulpiacum* aliquando scribitur. Tacitus lib. IV cap. LXXIX *flagrantissima cohortium* [Ciuilis] *Tolbiaci in finibus Agrippinensium agebat*, id est Vbiorum. Etenim transducti illi *Agrippinenses*, quam *Vbii*, malebant adpellari, quod ex libri huius cap. XXVIII constat, & de Morib. German. itidem cap. XXVIII. Itinere Antonini a Treueris Agrippinam ita collocatur:

Marcomagum	LEG.	VIII
Belgicam	LEG.	VIII
Tolpiacum vicum Supenorum	LEG.	X
Agrippinam ciuitatem	LEG.	XVI.

Ex quo ordine adparet, succlamante vocabulo, esse illud oppidum, quod hodie *Zülpich* nuncupatur eo modo, quem in *Tabernis* diximus & in *Tiguro*, vt Germanica præpositio cum oppidi nomine, a *T* incipiente, cohæreat. Gregorius Turonensis lib. III cap. VIII *ciuitatem Tulbiacensem* dixit.

Proximum ad Roram amnem est *Marcodurum* siue *Marcomagum*. nam idem oppidum esse, etiam exinde constat, quia *düren* & *magen* lingua Celtica idem sonabant, transitum nempe fluminis. Tacitus sæpe dicto lib. IV Hist. cap. XXVIII *Cæsæ cohortes Agrippinensium in vico Marcoduro, incuriosius agentes, quia procul ripa aberant.* Ripam Rheni intellige, vbi reliquæ, & maiores ipsorum copiæ. Vel solum hoc nomen nobis situm prodit ac po-

 sitionem,

ſitionem, quia eo tractu ad Roram flumen ſupereſt oppidum *Düren*, quod haud dubie eſt Taciti *Marcodurum*. Poſteriores *Marcomagum* dixere, quod idem ſignificat; auctor Itinerarii, vt iam oſtendimus; & auctor Tabulæ Theodoſianæ, in via ab Agrippina Treueros.

Infra Marcodurum, ad idem flumen Roram eſt *Iuliacum*, aliquoties in Itinerario Antonini memoratum. Itinere a Caſtello Coloniam:

Aduacam Tungrorum	—	—	—
Coriouallum	M.	P.	XVI
Iuliacum	M.	P.	XVIII
Coloniam	M.	P.	XVIII

Alio ibidem itinere, a Colonia Traiana Coloniam Agrippinam, ita diſponuntur oppida, vt Tiberiacum interiiciatur:

Theudurum	—	—	—
Coriouallum	M.	P.	VII
Iuliacum	M.	P.	XII
Tiberiacum	M.	P.	VIII
Coloniam Agrippinam	M.	P.	X.

Et Ammianus Marcellinus Remenſi itinere ab Rheno, Iuliaci quoque rationem habet lib. XVII cap. IV. *Remos*, inquit, *Seuerus, magiſter equitum, per Agrippinam petens & Iuliacum, Francorum validiſſimos cuneos offendit.* Etiam in Peutingeriana Tabula commemoratur, via ferente ab Atuaca ſiue Aduaca, quæ Tungrorum eſt, Agrippinam, hac ſerie:

Atuaca	XVI
Coriouallio	XII
Iuliaco	XVIII
Agrippina.	

Ex hoc poſitu, & ipſo vocabulo, luculentum eſt, *Iuliacum* oppidum *Iülich* eſſe, quod Ducatum noſtris temporibus denominat. Nomen autem ipſum ab Romanis eſſe, non dubitatur: a quo autem illorum ſit, hoc vero incertum plane eſt. Quod nemo veterum illius mentionem fecit, credibile non eſt, ab Iulio Cæſare originem habere. An vero ab Agrippina, Coloniæ Vbiorum conditrice, cui etiam *Iulia* nomen fuit, auctore Tacito lib. XII cap. I? Hoc Cluuerio non improbabile videtur: cui vero idem, quod ſuperiori

periori origini, forte opponi poteſt, mirum videlicet eſſe, antiquitatis tantæ oppidi ante Antonini Itinerarium & Theodoſii Tabulam, nullum indicium in veteri ſcriptore reperiri. Ergo alius fortaſſis Iulius, nobis ignotus fuit, qui condidit.

Tiberiacum ſupereſt, & *Belgica*, medio ſitu inter Rhenum & Roram fluuios poſita oppida, ex productis antea Itinerarii rationibus, quod ad ſitum attinet, cognita & perſpecta. Ex quo Cluverius collegit, *Tiberiacum* nunc *Berchem* eſſe: *Belgicam* autem, vicum *Balchuſen*, nomine etiam ſimul addicente.

GVGERNI TRANSDVCTI, olim SICAMBRI.

Poſt Vbios ſiue Agrippinenſes in ripa Rheni ab Auguſti temporibus *Gugerni* vſque ad diuortia habitauerunt. Sic vulgo ſcribuntur: Taciti codices non eodem modo, ſed vel *Gugerni*, vel *Cugerni*. Plinius Harduini *Guberni*: aliorum etiam *Gugerni* cum pluribus. Sedem in ripa inter Vbios & Batauos tenuiſſe, clare docet Plinius lib. IV cap. XVII. *Vangiones*, inquit; *hinc Vbii, Colonia Agrippinenſis, Guberni, Bataui.* Et Tacitus tradit lib. IV Hiſtor. cap. XXVI, Voculam, Romanum ducem, exercitum ex caſtris apud Geldubam, quæ vltima Vbiorum fuit, *in proximos Gugernorum pagos* duxiſſe. Sed ita coluerunt ab Auguſti temporibus. Quum Iulius Cæſar bellum in Galliis gereret, hunc tractum tenebant *Menapii*, ampliſſima ciuitas, qui inde a Morinis & a Scalde ad Rhenum vſque, & trans illum etiam habitauerunt, ſic Semibelgæ & Semigermani, maiori tamen ex parte Belgæ. Cæſar ſæpe *Menapios* cum Morinis coniungit, lib. II cap. IV, lib. III cap. XXVIII & lib. IV extremo. Sed eodem libro IV cap. IV de Rhenanis illorum poſſeſſionibus ita prodidit: *Vſipetes & Tenchteri complures annos Sueuorum vim ſuſtinuerunt; ad extremum tamen agris expulſi, & multis locis Germaniæ triennium vagati, ad Rhenum peruenerunt: quas regiones Menapii incolebant, & ad vtramque ripam fluminis agros, ædificia vicosque habebant.* In dextra ripa etiam erant *Sicambri*, ſiue *Sigambri*, qui ab Romanis transducti, Menapiorum ſiniſtram Rheni ripam occupauerunt, iſtis ad anguſtiores fines, & plerisque vltra Moſam fluuium redactis.

Trans-

Transductis autem, ignotum qua caussa, mutatum nomen in *Gugernos* siue *Cugernos* fuit.

Translationem gentis dixi sub Augusto factam, quod ex Suetonii verbis cap. XXI manifestum est. *Germanos*, inquit, *vltra Albim fluuium submouit, ex quibus Vbios & Sicambros, dedentes se, traduxit in Galliam, atque in proximis Rheno agris collocauit.* De Vbiis supra dictum, Augusti auspiciis, Agrippæ ductu vel transmissos, vel, si sponte venerunt, collocatos ordinatosque esse in Gallia. *Sicambrorum* autem transductio haud dubie ad illam maiorem pertinet, quam sub eodem principe Tiberius, post fratris Drusi mortem Germanico bello subfectus, perfecit. Idem Suetonius Tiber. cap. IX *Germanico bello quadraginta millia dedititiorum traiecit in Galliam, iuxtaque ripam Rheni sedibus adsignatis collocauit.* Eutropius auget numerum, *quadringenta* legens *millia*, lib. VII cap. V, qui numerus pro longitudine Germaniarum, siue vtriusque prouinciæ, Superioris & Inferioris, præsertim si mulieres & liberi adnumerati fuerint, non incredibilis videtur. Sed nondum res certa est de Superiori prouincia, quæ videtur antea colonos accepisse: certissima vero de Inferiore, in quam Sicambri ex Germania Transrhenana inducti fuerunt. Id quod clarius, & nominatim etiam, epistola Tiberii ad Germanicum explicatur apud Tacitum annali II cap. XXVI qua *se novies a diuo Augusto in Germaniam missum*, scribit, *plura consilio, quam vi perfecisse. Sic Sugambros in deditionem acceptos, sic Sueuos, regemque Marobodunm pace obstrictum.* Sicambri itaque, qui & *Sigambri* seu *Sugambri* sunt, deditione in fidem accepti, in alteram ripam abducti sunt, vt vel custodirent illam, vel ipsi custodirentur, quod probabilius videtur, quia *excisi* ex patria & *traiecti in Gallias,* loco mox indicando apud Tacitum dicuntur. De reliquis Sicambris dicemus in Germania.

Sed deleti & exstincti Sicambri videntur, non transportati. Ostorius enim, Romanus Britannico bello imperator, apud Tacitum lib. XII cap. XXXIX dixisse fertur, *vt quondam Sugambri excisi, & in Gallias traiecti forent: ita Silurum nomen penitus exstinguendum.* Sed salua res est: quia *traiecti*; non sunt exstincti aut occisi. *Excisi* autem & quasi explantati sunt, vt in alio solo collocarentur, nomenque pristinum amitterent, *Gugerni* in posterum dicendi: sic Silu-

Siluribus non internecionem, sed exstinctionem *nominis* minatur, vt translocati peregrinæ genti immisceantur, a quo nouum nomen, abolita memoria veteri, accipiant.

Oppida Gugernorum in ripa post Vbios fuerunt *Calon, Asciburgium, Vetera, Colonia Traiana.* Antoninus itinere a Lugduno capite Germaniarum, post Batauorum oppida nominat *Coloniam Traianam, Vetera, Calonem;* inde quod Vbiorum fuit, *Nouesium.* Primarium locum alio itinere ex Pannonia per ripam, adpellat *Vetera castra,* quod nomen tum demum accepisse necesse est, quum alia & noua castra processu temporis in Vbiis vel Vangionibus fuerunt constituta. Nec vero id nouum nomen aut recens ætate Taciti fuit, sed iam tum sub Augusto constat inualuisse. Tacitus sub initium Tiberiani imperii, lib. I Annal. cap. XLV, *Compositis præsentibus haud minor moles supererat, ob ferociam quintæ & vnetuicesimæ legionum, sexagesimum apud lapidem (loco* VETERA *nomen est) hibernantium.* Crebrior mentio apud eumdem in Batauorum Treuerorumque tumultu. Lib. IV Histor. cap. XVIII *Fuit interim effugium legionibus in castra, quibus* VETERVM *nomen est.* Et cap. XXI *in Vetera castra concesserant.* Nec nuda castra fuerunt & militum tabernacula; sed, vt fieri solet tam diuturna legionum commoratione, ædificia exstructa, vt oppidum non contemnendum fierent. Quæ quum a superioribus castris, quæ inter Agrippinensem coloniam & Bonnam erant, ad *sexagesimum lapidem* modo Tacitus afuisse dixit, & ratio itinerum quoque comprobat; Cluuerius in oppido *Santen* se verum locum castrorum *Veterum* persuasus est inuenisse, cum quo plurimi nunc consentiunt. Etiam loci ingenium bene respondet, vt periti eius aiunt, quod Tacitus eodem libro IV cap. XXIII ita descripsit: *Pars castrorum in collem leniter adsurgens, pars æquo adibatur: quippe illis hibernis obsideri premique Germanias Augustus crediderat.*

Itinerarium Antonini inter Vetera & Geldubam ponit *Calonem* obscurum locum, cuius vestigia Cluuerius in vico *Kalenbusen* ostendit: & nobiliorem propioremque Veteribus, *Asciburgium*, prætermissum in Itinerario, non autem in Tabula Theodosii; etiam a Tacito laudatum, vt ex quinquaginta Drusi castellis, in ripa Rheni positis, & hoc fuisse credi possit. Fabula enim est quam quidam de Vlysse conditore, vt Tacitus de Moribus Germ.

cap. III refert, crediderunt. Positionem ibidem ita delineauit: *Asciburgium, quod in ripa Rheni situm, hodieque incolitur.* Et heic castra ac præsidium fuit. Idem lib. IV Histor. cap. XXXIII *Rapiunt in transitu hiberna alæ, Asciburgii sita.* Positioni vicus paruus congruit, nomine *Asburg*, quod magis locum veterem designat, situm haud procul Mursia oppido, in via a Nouesio ad Vetera. Vltra Vetera, in Batauos versus, sed paullo reductum ab Rheno, *Mediolanum* erat, itinere Antonini a Colonia Traiana Agrippinam, memoratum, nunc vicus *Moyland*, Cluuerio teste. Ignobilia plura eodem itinere referuntur, a Colonia Traiana

Mediolanum	M.	P.	VIII
Sablones	M.	P.	VIII
Mederiacum	M.	P.	X
Theudurum	M.	P.	IX
Coriouallum	M.	P.	VII
Iuliacum	M.	P.	XII,

e quibus *Sablones* in vico latent *in t' Sand*: *Mederiaci* nominis ne inter vicos quidem aliquid superesse dicitur: *Theudurum* oppidulo vel vico *Tudder* respondet, Cluuerio indicante. Sed hæc Mosam versus, immo propius illum amnem sita sunt, longe remota ab Rheno.

Vltimus locus Gugernorum, proxime diuortium Rheni, fuit *Colonia Traiana*, vti Itinerarium & Tabula Peutingeriana adpellant, quæ situm ita designant, vt in vicum *Kellen* incidat, tribus millibus passuum a diuortio. Sicut enim Colonia Agrippina nunc *Cöllen* siue contracte *Cölln* vocatur; ita non dissimili ratione *Kellen* est Colonia Traiana. Vocata etiam fuit *Tricesimæ*, quia eius numeri legio ibi hiberna vel statiua habuit. Ammianus Marcellinus lib. XVIII cap. II Ciuitates occupatæ sunt septem, Castra Herculis, Quadriburgum, Tricesimæ, Nouesium, Bonna, Antunnacum, & Bingio. Esse autem *Tricesimæ* oppidum, ipsam coloniam Traianam, non difficile ex Antonini Itinerario est probare. Duobus itineribus illum tractum descriptum habet; primum a Tauruno Pannoniæ per ripam est: alterum a Lugduno capite Germaniarum. Prius ita habet:

Nouesium	—	—	—
Geldubam	LEG.	IX	ALA
Calonem	LEG.	IX	ALA
Vetera castra			
Leg. XXX *Vlpia*			
Burginacium	LEG.	VI	ALA
Harenacium	LEG.	X	ALA.

Alterum iter, quod a Lugduno Batauorum est, diuerso ordine ita procedit:

Harenacium	—	—	—
Burginacium	M.	P.	VI
Coloniam Traianam	M.	P.	V
Vetera	M.	P.	[XV]
Calonem	M.	P.	XVIII
Nouesium	M.	P.	XVIII.

Videmus hinc eumdem locum esse, qui priore itinere *Legio* XXX *Vlpia* : posteriore *Colonia Traiana* adpellatur. Eadem eiusdem Marcellini libro XX cap. XXV *Obtricensima oppidum*, vt in MSS. est, vel *Tricensima*, vt Valesius edidit, eiecta spuria lectione *Obtricensi Mosæ oppido*, quod nihil est; vocitatur.

EBVRONES, CONDRVSI SEGNI, CAERAESI, PAEMANI.

Ad limen Batauorum constitimus, quum Coloniam Traianam demonstraremus, adsitam diuortio Rheni, vnde Batauorum initium est. Antequam vero ad illos transeamus, vltimos Rheni accolarum; perlustrabimus quos ad latus Vbiorum Gugernorumque populos reliquimus, si forsan & ipsi aliquid ad Germanias prouincias, quas descripturi sumus, possint adferre. Illos coniungit Cæsar commentario II cap. IV *Condrusos*, *Eburones*, *Cæresos*, *Pæmanos*, *qui vno nomine Germani adpellantur*, *arbitrari ad* XL *millia.* Germanicæ ergo originis omnes fuerunt, olim transgressi Rhenum, vt in Gallia habitarent. Ex his populis potentiores ceteris *Eburones* erant, quorum situm & nouam sedem Cæsar ita descripsit, vt eorum *partem maximam inter Mosam & Rhenum* fuisse tradat. Idem Cæsar commentario VI cap. XXXI & XXXIV vnum illorum castellum nominat, *Atuatucam*, quod quia

 Ptole-

Ptolemæus & Antoninus in *Tungris* censent, ex vrbe olim præcipua illorum, quæ nomen custodit, *Tongern*, de septemtrionali situ Eburonum inter has gentes iudicare possumus. Eodem cap. XXXI libri VI Segnos & Condrusos ita locatos Cæsar scripsit, vt Eburones non possint septemtrionale latus non obtinuisse. *Segni*, inquit, *Condrusique ex gente & numero Germanorum, qui sunt inter Eburones Treuirosque, Legatos ad Cæsarem miserunt.* Treueri autem in austrum habitarunt, & quia dictæ gentes mediæ fuerunt, vtique Eburones septemtrionem versus, ceterarum respectu, coluisse oportet.

Oppidum vel castellum Cæsar vnum memorat in Eburonibus, *Atuatucam*, vt dictum est ex lib. VI cap. XXXI. *Copiis*, inquit, *in tres partes distributis, impedimenta omnium legionum Atuatucam contulit. Id castelli nomen est.* Hoc autem Eburonum fuisse, cum quæ præcedunt verba demonstrant; tum maxime quæ cap. XXXIV insequuntur. Germani enim Eburonum fines ingressi, procedunt longius in iis, & quum se III horis abesse ab Atuatuca cognouerunt, ipsi Atuatucam contendunt. Primum ergo castellum fuit, deinde amplum, nec incelebre oppidum factum, cuius situm Ptolemæus & Antoninus prodiderunt. Ille lib. II cap. IX Εἶτα μετὰ τὸν Ταβούδαν ποταμὸν Τοῦγγροι, καὶ πόλις Ἀτουάκουτον· εἶτα μετὰ τὸν Μόσαν ποταμὸν Μενάπιοι. *Deinde post Tabudam fluuium Tungri, & oppidum illorum Atuacutum: deinde post Mosam fluuium Menapii.* Errore transpositæ litteræ, scribendumque Ἀτουάτουκον. Quod ergo castellum Cæsar in Eburonibus, id, postea oppidum factum, in Tungris censet Ptolemæus. Et auctor Itinerarii, vt mox dicemus, *Aduocam Tongrorum* narrat. *Tungri* ergo sunt qui *Eburones* erant, nec Cæsar Tungros memorat, quia ei sunt Eburones: nec Plinius lib. IV cap. XVII Eburones in populis Belgicæ recensuit, quia in illis recenset Tungros.

Oppidum ergo *Atuatuca*, bene munitum, quia castellum fuerat: postea breviori & contracta forma *Atuaca* dictum, vt in Tabula Peutingeriana est; vel *Aduaca*, vti est in Itinerario Antonini, quo situs, itinere a Castello Coloniam, hoc ordine oppidorum designatus est:

Cama-

Camaracum	—	—	—
Bagacum	M.	P.	XVIII
Vodgoriacum	M.	P.	XII
Geminiacum	M.	P.	X
Perniciacum	M.	P.	XXII
Aduocam Tongrorum	M.	P.	XIV
Coriouallum	M.	P.	XVI
Iuliacum	M.	P.	XVIII
Coloniam	M.	P.	XVIII.

Sub idem tempus etiam gentis nomen adſumſit, & vrbs ipſa *Tungri* dicta. Ammianus Marcellinus lib. XV cap. XXVII *Secunda Germania, Agrippina & Tungris munita, ciuitatibus amplis & copioſis.* Ex quo ſimul claritas vrbis intelligitur, quæ etiam in Tabula Peutingeriana ſigno illuſtrium vrbium ſignificatur. Decreuit quidem ſplendor ille in noſtri temporis oppido *Tongern*, at fama & gloria priſca non decreſcit, ſed litterarum monimentis conſeruatur & alitur.

Præterea ſalubres aquæ, *fons Tungrorum*, dignæ ſunt quæ laudentur. Plinius lib. XXXI cap. II ſic de illis tradidit: *Tungri, ciuitas Galliæ, fontem habet inſignem, plurimis bullis ſtellantem, ferruginei ſaporis: quod ipſum non niſi in fine potus intelligitur. Purgat hic corpora, tertianas febres diſcutit, calculorumque vitia. Eadem aqua igne admota turbida fit, ac poſtremo rubeſcit.* Non dubitant interpretes eruditi, Spadanas aquas, ſalubritate celebratas, notari, quarum fons in vico *Spa* Leodicenſis diœceſeos, quinque leucis a Leodico in ortum hibernum, Treueros verſus poſito.

Cetera quæ Cæræſorum, quæ Condruſorum, quæ Segnorum fuerint aut Pæmanorum, non facile quiſquam eſt qui diſtincte poſſit exponere, quorum ne nomina quidem longe vltra Cæſaris tempora conſeruata ſunt, vt videantur cum Tungris coaluiſſe, & ſub illorum deinceps inualeſcente nomine comprehenſi eſſe. Horum forſan nonnulla ex illis fuerunt quæ modo ex Itinerario oppida ſunt enarrata, in quibus ne quis hæſitet interpretando, vulgarem ſingulorum expoſitionem adnotamus, qua *Bagacum* putatur Bauay oppidulum eſſe; *Geminiacum*, Gemblour; *Perniciacum*, aut potius *Peruiciacum*, Peruis; ſed hæc forſan Tungris manſerunt, aut qui ſupra illos erant, Aduaticis, de quibus poſtea dicturi ſumus.

mus. *Corionallum* autem siue *Corionallium*, & quæ circumiacent, obscuris illis, nec satis distinctis per litteraria monimenta populis videntur tribuenda, quorum illud *Corionallium* Cluuerius & alii in oppido *Falckenburg* inueniri existimant: quod Menso Altingius reiicit, & ad vicum *Keyer* trahit, IV M. P. distantem a Traiecto Mosæ. Neque vero certum plane, vtrum in aliqua nominatarum gentium id oppidum positum fuerit; an forte cum Cluuerio novæ SVNICORVM genti, & Plinio & Tacito memoratæ, tam *Theudurum*, quod supra diximus, quam *Corionallium* adsignari debeant. quæ gens æque ac superiores, incertæ est positionis.

Tacitus de SVNICIS ita refert lib. IV Hist. cap. LXVI, *Ciuilis societate Agrippinensium auctus, proximas ciuitates adfectare, aut adversantibus bellum inferre statuit. Occupatisque Sunicis, & iuuentute eorum per cohortes composita; quo minus vltra pergeret, Claudius Labeo Bethasiorum Tungrorumque & Neruiorum tumultuaria manu restitit, fretus loco, quia pontem Mosæ fluminis anteceperat.* Ex quibus Cluuerius coniecit, inter Roram & Mosam sedes habuisse. Plinius lib. IV cap. XVII nudum nomen refert, quod in MSS. eius *Sunuci*, Harduino testante, legitur. Sed hæc neque confirmari argumentis, neque refelli satis possunt, verum vt dubia & incerta in medio sunt relinquenda. Neque de *Leodico* & *Traiecto Mosæ* certiores sumus, quia non constat, quam antiquæ sint illæ ciuitates: nisi fortassis *Pons Mosæ*, apud Tacitum prædicto loco, alterutram harum vrbium, saltem initium alterius vtrius coniunctum habuit. In quo mihi gratulor, quod, hanc opinionem ingressus, laudatum virum Mensonem Altingium consentientium mihi video, qui & ipse pag. 106 mecum iudicauit, oppidum *Maastricht* Romanis vel plane incognitum, vel nullo nomine memoratum fuisse: *nisi forte Pontis Mosæ, de quo Tacitus.* Quæ enim Cluuerius ex Ammiani, vt putabat *Obtricensi Mosæ oppido* ad Traiectum Mosæ adferebat, ex MSS. dudum a fratribus Valesiis reiecta & confutata sunt, vt supra in *Colonia Traiana*, quæ & *Tricesimæ* nomen habuit, in Gugernorum gente ostendimus. De vtroque autem oppido ad Mosam, Leodico & Traiecto, plura in medii æui Geographia dicturi sumus.

BATA-

BATAVI, EORVMQVE INSVLA.

Batauorum nobilissima gens succedit, extrema Rhenanarum, ad Oceanum & ostia pertingens. Hanc Hadrianus Iunius, Historia Bataviæ cap. IV, ademtam Galliæ, Germaniæ vindicatum iuit, sed plus nihil vir doctissimus profecit, quam vt Germanicam originem Batauorum, quam nemo negauit, comprobaret. Ortum enim illorum clarissimis verbis, vt nefas sit dubitare, descripsit Tacitus lib. IV Histor. cap. XII. *Bataui*, inquit, *donec trans Rhenum agebant pars Cattorum, seditione domestica pulsi, extrema Gallicæ oræ, vacua cultoribus, simulque insulam inter vada sitam, occupauere, quam mare Oceanum a fronte, Rhenus amnis tergum ac latera circumluit.* Fuisse autem post migrationem *Batauos* partem Galliæ siue Belgicæ, nec amplius Germaniæ; testes fide digni sunt Plinius & Ptolemæus, qui in Belgicæ descriptione *Batauos* recensuerunt: nec non Tacitus lib. IV Hist. cap. XXXII, *Caninefates Batauique, exigua Galliarum portio.* Quibus addi possunt, quæ modo ex cap. XII eiusdem libri protulimus, pulsos patria Batavos *extrema Gallicæ oræ, vacua cultoribus, occupauisse.*

Vocabulum ex Germania attulerunt, cuius in Cattorum finibus vestigium quædam oppida seruant *Battenberg* & *Battenhausen;* Romanis ambiguo accentu, poetis maxime. Lucanus lib. I vers. 431

Vangiones, Batauique truces, quos ære recuruo
Stridentes acuere tubæ.

Plures porrigunt mediam. Silius Italicus lib. III vers. 607

At tu transcendens, Germanice, facta tuorum,
Iam puer auricomo performidate Batauo.

Et Iuuenalis Satyra VIII vers. 51

Hic petit Euphratem iuuenis, domitique Bataui
Custodes aquilas, armis industrius.

Etiam Martialis lib. VIII epigram. XXXIII ad Paullum:

Et mutat Latias spuma Batava comas.

Virtutem Batauorum Tacitus dicto cap. XII libri IV Historiarum laudauit. *Nec opibus*, inquit, *Romanis, societate validiorum attriti, viros tantum armaque imperio ministrant, diu Germanicis bellis exer-*

citi:

citi: mox aucta per Britanniam gloria, transmissis illuc cohortibus, quas vetere instituto nobilissimi popularium regebant. Erat & domi delectus eques, præcipuo nandi studio, arma equosque retinens, integris turmis Rhenum perrumpere. Quæ illustrantur luculenta inscriptione, Romæoburgi, vt aiunt, reperta, in Cornelii Aurelii Batauia lib. I pag. 100, & Petri Scriuerii Antiquit. Batav. pag. 194 conspicua,

GENS BATAVORVM AMICI ET
FRATRES ROMANI IMPERII.

Et alia apud Gruterum pag. 73 num. 9

CIV. BATAVI
FRATRES ET AMICI P. R.

Insulam Batauos habitasse, Tacito auctore, modo accepimus. Et Cæsar idem dixit & Plinius, *nisi quod ille etiam Mosam inter latera referat, quum ceteri Rheni alueis contenti sunt. Libro IV enim de Bello Gall. cap. X ait: *Mosa, parte quadam Rheni recepta, quæ adpellatur Valis, insulam efficit Batauorum.* quod difficile ad explicandum est, mutato temporibus Mosæ alueo. qui longius citra ostium, quam nunc est, cum Vahali videtur confluxisse. Plinius lib. IV cap. XV *In Rheno ipso prope centum millia passuum in longitudinem, nobilissima Batauorum insula & Cannenufatum: & aliæ Frisiorum, Chaucorum, Frisiabonum, Sturiorum, Marsaciorum, quæ sternuntur inter Helium & Fleuum.* Et Zosimus lib. III cap VI τὴν Βαταβίαν δίχα σχιζόμενος ὁ Ῥῆνος νῆσον ποιεῖ, πάσης ποταμίας μείζονα νήσου, - - - τότε ὑπὸ Σαλίων κατείχετο. *Batauiam bipartito Rhenus diuidens, insulam facit, omnibus amnicis maiorem - - - quam tum Franci Salii tenebant.* Hi fere sunt qui *Insulam Batauorum* nobis descriptam reliquerunt: sed quantam? hæc magna lis & controuersia est, qua plures alias inuolutas videmus, quam late habitauerint Bataui, & quinam ex tribus Rheni alueis separauerit Galliam a Germania.

De Cæsaris temporibus res certa est, quum duo tantum alvei essent in Rheno flumine; insulam Batauorum fuisse tantam, quantum spatium illi aluei comprehendunt. Et tum Bataui plerique intra insulam habitabant: pars etiam extra illam, Mosam versus, vbi oppidum habuerunt, de quo postea dicturi sumus: nec vero soli insulam tenuere, sed Caninefates etiam socii possessionis

sionis fuere, vt Plinius dicto loco, & Tacitus Hist. IV cap. XV prodiderunt, si modo de veteri insula quam Cæsar nominauit, illi duumuiri loquuti sunt, de quo post disquiremus. Ex duobus ergo alueis qui dexter & septemtrionalis erat, & insulam & Galliam a Germanis, temporibus Cæsaris, separauit. Postea quam vero Drusus, fossa ducta, nouum alueum ad Fleuum ostium adiecit, illa quoque inter lacus pars, Batauiæ videtur accessisse, & recedentibus ripis, vt Mela ait lib. III cap. II, dexter alueus, exhausto medio, ampliorem effecisse insulam, quæ ideo, quod Zosimus obseruauit, μείζων πάσης ποταμίας νήσυ, *maxima amnicarum* facta est. Hinc illud est, quod Hadrianus Iunius, vir doctissimus, duas quasi Batauorum insulas distinctas posuit, veterem Cæsaris, Vahali & medio alueo Plinii contentam: & nouam Plinii ab illo medio alueo ad fossam Drusianam & Fleuum ostium: quem licet acriter Philippus Cluuerius impugnet; non contemnenda tamen sunt quæ tuendo illi & explicando Io. Isacius Pontanus Disceptat. Chorograph. pag. 43 seqq. attulit. Quod ante ipsos etiam Cornelius Haemrodius sensit, Batauiæ Descriptione pag. 6. *Nec in tantam*, inquit, *olim angustiam, contractam fuisse insulam, vt nunc sibi quidam persuasum habent, abunde ex sequentibus verbis demonstratur: Quum enim* [Plinius] *dicat*, NOBILISSIMAM BATAVORVM INSVLAM, ET CANNINEFATVM, ET FRISIORVM ETC. *inter duo Rheni ostia comprehensas; quid aliud significat, quam has insulas Batauis adnumeratas, & a primaria insula communi etiam nomine Batauos appellatos; peculiariter autem alios Batauos, alios Canninefates, alios Frisios &c. dictos.*

Quibus diligentius examinatis, sic animum induco, vt nomen *Batauorum insulæ* per se & proprie deberi illi censeam, quam Cæsar intellexit, & Lugdunensi alueo, quem medium Plinius dicet, eiusque ostio finita fuit. An vero idem senserint, qui post Drusi tempora, eiusque effusionem amnis Rheni scripserunt, adfirmare equidem non possum, quod valde probabile videtur, noua illa fossa nouos terminos, eosque ampliatos, Romano imperio in Gallico limite statuere voluisse, vt Batauorum insulæ atque territorio contigerit, quod multis aliis regionibus, quæ auctæ prolatis finibus fuerunt, & quod adiectum fuit, in societatem venit nominis, quo vetus regio vsa erat. Sic Latio veteri additum fuit

nouum, quod *adiectum* Plinius vocauit: sic Phrygiæ magnæ in Asia accessit ἐπίκτητος ad Hellespontum, Strabone auctore lib. XII, quam non minus *adiectam* Latine dixerim. Cum primis autem Macedoniæ illustre nobis exemplum est, quam olim a Thracia fluvius Strymon separabat: post terminum ad Nestum fluuium reges produxerunt, vt Philippi, nobilis vrbs, trans Strymonem sita, magna scriptorum consensione, in quibus etiam sacri & diuini sunt, Macedoniæ contribuatur. Sic puto etiam Batauiæ euenisse, cuius nomini & pomœriis accreuerit aliquid ex Drusi liberalitate, id est promotis Belgicæ finibus ad Fleuum vsque ostium: vt gentes tamen adiectæ, per se distinctæ manserint, suisque discretæ nominibus, quemadmodum in adiecta illa Macedonia Thracicarum gentium nomina haudquaquam sunt abolita, sed integre conseruata. Minus autem mihi dubitandum videtur, nouos ductos Rheni, a Druso factos communem terminum inter Belgas Germanosque ab illis temporibus habitos fuisse, quum Romanorum mos & consuetudo fuerit proferre limitem prouinciarum; non, in angustias breviores cogere. Nunc de Veteri Batauia, a Cæsare definita, agemus: tum demum de partibus eidem insequenti tempore adiectis.

Batauiæ nomen, vt regionis, apud antiquissimos scriptores non memini me inuenire, quibus eiusdem loco est *insula Batavorum*, vt supra demonstrauimus; vel *ager Batauorum*, vt Tacitus dixit lib. II Annal. cap. VI: populi autem nomen vtique antiquissimum & vbique celebratum est. Zosimus regionem dixit Βαταβίαν, *Batauiam*, vt paullo ante ostendimus: longe ante illum Dio Cassius lib. LV pag. 565 Βαταούαν, *Batauam*, id est *Batauiam*. Ait enim, ξένοι τε ἱππεῖς ἐπίλεκτοι, οἷς τὸ τῶν Βαταούων ἀπὸ τοῖς Βατααὺας, τῆς ἐν τῷ Ῥήνῳ νήσου, ὄνομα, *peregrini equites lectissimi, quibus Batauorum nomen a Bataua, Rheni insula, est*. Eumenius pro restaurandis scholis extrema oratione: *Singula intuentium animus adfingit - - - sub dextera tua, domine Constanti, Batauiam, Britanniamque, squalidum caput siluis & fluctibus exserentem*. Idem Panegyrico Constantii cap. III *destinata Batauiæ Britanniæque vindicta*. Et Pacatus Panegyrico, quem Theodosio dixit, cap. V *Attritam pedestribus prœliis Batauiam referam?* In Tabula Peutingeriana scribitur *Patauia*, dura prima littera; & fluuius inferior, qui vel

Vahalis

Vahalis vel Mosa est, *Fl. Patabus.* Longitudo Batauiæ est a diuortio Rheni vsque ad ostia. Tacitus annali II cap. VI *Rhenus vno alveo continuus, aut modicas insulas circumueniens, apud principium agri Bataui velut in duos amnes diuiditur.*

Oppidum Batavi videntur vnum æuo Vespasiani habuisse, idque extra insulam, (nam partem etiam agrorum inter Vahalem & Mosam possedisse supra dictum est) quod Tacitus simpliciter vocat *oppidum Batauorum*, vti solet, vbi vnum est, nec proprio & singulari nomine ab aliis distinguendum. Lib. V Histor. cap. XIX ait: *Ciuili Chaucorum auxilia venere. non tamen ausus oppidum Batavorum armis tueri, raptis quæ ferri poterant, ceteris iniecto igni, in insulam concessit.* Sic ergo de oppido loquitur, tamquam de vnico, saltem præcipuo & insigni: quemadmodum alibi, Annali lib. I cap. XXXVI & lib. XII cap. XXVII *Vbiorum* dixit *oppidum.* Nomen proprium illius quod fuerit, non plane est certum. Hadrianus Iunius *Nouiomago* ad Vahalim id honoris tribuit, vt tamquam antiquissimum oppidum (quod putat a Cattorum duce, qui pulsi huc refugerant, ad latus insulæ conditum esse) a Tacito *Batauorum oppidum* adpelletur, quia extra insulam positum ita sit, vt Ciuilis, incenso illo, statim in insulam potuerit traiicere: etiam in Theodosiana Tabula nobilioris & primæ vrbis figura depictum. Cluverio autem non videtur Nouiomagus tanta antiquitate esse, quia nulla eius mentio ante auctorem Tabulæ illius, quam Theodosianam, etiam ab ætate dicunt, vsquam reperiatur. Idcirco mavult illud oppidum ad Mosam referre, vbi castrum superfit *Batenburg*, quasi Batauoburgum. Ptolemæus quidem lib. II cap. IX *Batauodurum* in mediterraneis inter Vahalim & Mosam ponit, quod videri possit *oppidum Batauorum*, a Tacito nominatum: verum quia Tacitus id nomen vico dat intra insulam, situs quem Ptolemæus definiuit, aut is qui tabulam addidit, non sine caussa suspectus est: neque alium vicum eius nominis intra insulam, aliud eodem nomine oppidum Batauodurum extra illam fuisse, est probabile.

Præter illud oppidum, quod vulgo putatur Batenburgum ad Mosam esse; Tacitus in insula Batauorum quatuor vicos modicos aut maiores, præsidiis munitos, memorat eodem libro, cap. XX. *Tantum belli*, inquit, *superfuit, vt præsidia cohortium, alarum,*

legionum, modicis vicis quadripartita, Ciuilis inuaserit: decimam legionem Arenaci; secundam Batauoduri; & Grinnes Vadamque, cohortium alarumque castra. Primus ex his vicis *Arenacus* vel *Arenacum* a Tacito vocatur, quod Antonini est *Harenacium*, Peutingerianæ *Arenatium*. Vulgaris opinio est, in quam nominis induxit aut syllabæ similitudo, *Arenacum* illud *Arnheim* esse, aut quia hoc extra insulam in ripa dextera est, ei in insula oppositum fuisse; & post casum aliquem, non satis notum, trans flumen instauratum. Sed Tabula & Itinerarium repugnant. Hoc enim, itinere a Lugduno capite Germaniarum, hunc ordinem fert:

Traiectum	—	—	—
Mannaricium	M.	P.	XV
Caruonem	M.	P.	XXII
Harenacium	M.	P.	XXII
Burginacium	M.	P.	VI
Coloniam Traianam	M.	P.	V.


Tabella autem Theodosii *Arenatium* a Nouiomago X M. P. abesse ostendit: a Burginatio VI; & hoc a Colonia Traiana V M. P. æque vt in Itinerario. Ex quo consensu luculentum est, medio fere loco inter Nouiomagum & Coloniam Traianam, cuius vestigia in vico Kellen, seu Köln, proximo arci *Cleve sunt*, exstitisse, atque ita VIII circiter M. P. infra ipsum diuortium. Seiunctum ergo Arnhemium a veteri Arenaco per X M. P. est, interueniente etiam principe fluuiorum: quod pluribus vide a doctissimo viro Mensone Altingio demonstratum.

Nec certior est vulgaris reliquorum vicorum, quos Tacitus nominauit expositio. *Vadam, Grinnes, Batauodurum* locant ita, vt istud sit *Wagingen*, illud *Rhenen*, hoc *Duerstede*. Sed præterquam quod duo etiam in ripa vlteriore sunt, ne nominis quidem nos sonus inuitat, vt ita sentiamus de Vada & Grinnibus. Solum *Batauodurum* videtur partem nominis in *Durstede* conseruare, cui *vici* Latinum nomen, quo Tacitus censet, videtur cognomen *Wyck* addidisse, vt vulgo dicatur *Wyck te Duurstede*, quæ vero, vt oppidum ab arce, distinguuntur. Pontem habuit inchoatum, quem *Germanorum manus* irrumpere nitebantur, vt ibidem refert Tacitus. Proxime Batauodurum vicum, aut in ipso vico,

co, fuit *Leuæfanum*, id eſt fanum Batauorum deæ Leuæ dicatum, quem locum ſola Tabula Peutingeriana habet. Id idolum etiam ab accolis inſulæ Batauorum cultum fuiſſe, locus trans amnem *Levendaal*, id eſt Vallis Leuæ, oſtendit.

Grinnibus locum deſignat Peutingeriana Tabula, inter Levæfanum & Caruonem, atque adeo octo circiter, vel nouem millibus ſupra Batauodurum, cui vt propiores quodammodo fuere, ita certe probabile, *Vadam* Arenaco propiorem exſtitiſſe, hoc eſt inter Caruonem & Arenacum. *Caruo* autem nequaquam eſt Grave oppidum, vt vulgo putatur, quia itineraria in Rheni tractu & in inſula Caruonem referunt, non ad Moſam, cui Grave adiacet: Antoninianum quidem XXII M. P. infra Harenacium: Peutingeri autem Tabula XIII M. P. infra Caſtra Herculis; adeo, vt ſecundum Rheni ripam *Caſtra Herculis* IX M. P. ſint infra Arenacum, quia ſunt XIII ſupra Caruonem. Illa autem *Caſtra Herculis* etiam ab Ammiano lib. XVIII cap. II in *ciuitatibus*, ad Rhenum ſitis, referuntur. *Ciuitates*, inquit, occupatæ ſunt ſeptem: *Caſtra Herculis*, *Quadriburgium*, *Triceſimæ*, *Noueſium*, & reliquæ. Vt autem Triceſimæ legionis caſtra vel oppidum in extremis Gugernis erat: ita *Quadriburgium* in principio Batauorum fuiſſe neceſſe eſt, cui in Itinerario *Burginacium* reſpondet, V millibus a Triceſimæ caſtris Vlpiis, quæ ipſa Colonia Traiana eſt, vt ſupra demonſtravimus. Vtrumque laudatus vir, Altingius, interpretatur *Burgum ad aquas*, ſiue Teutonica voce *Waterburg*, quæ cum Ammiani Quadriburgio, aut Vatriburgio, in locum W, Latinis ignoti, V vel Q adſumto, concordat. Quod vero ad Vahalim extra inſulam, in ſiniſtra ripa Cluuerius ponit; conſentire non poſſumus: quum itinerum nos rationes in angulum inſulæ deducant, quæ etiam Altingii, viri iterum honoris cauſſa nominandi, eſt ſententia, Cluuerianæ vtique præferenda.

Sic ea, quæ partim ex Tacito, partim ex Itinerariis de citeriore parte inſulæ nouimus, hoc eſt a principio & diuortio vſque ad Batauodurum ſiue Duerſtadium; expoſita cuncta ſunt, & ſuis rationibus declarata, quæ ſecus ac vulgo ſolent, ac nos ipſi in Tabula Belgicæ, Cluuerium ſequuti, poſuimus; hoc ordine diſpenſanda ſunt:



Nunc ad vlteriorem partem insulæ, quæ a Batauoduro ad Oceanum est, adgredimur explanandam. Nihil heic Tacitus habet: Ptolemæus solum Λουγόδεινον, *Lugodinum*, quod ex *Lugdunum* vel *Lugodunum* corruptum est: Antonini Itinerarium *Lugdunum*, *Albiniana*, *Traiectum*, *Mannaricium*: Tabula Peutingeriana addit ad Rhenum, *Prætorium Agrippinæ*, *Nigrum Pullum*, *Lauros*, & *Fletionem*; & infra hæc, Vahalim seu Mosam versus, *Forum Adriani*, *Flenium*, *Tablas*, *Caspingium*: inde in citeriorem partem ad Noviomagum venitur.

Proximum a Batauoduro est *Mannaricium* Itinerarii, a Caruone distans XXII M. P. Caruo autem a Leuæfano, quod ad Batavodurum erat, XIIII, quibus demtis a XXII, relinquuntur distantiæ inter Batauodurum & Mannaricium VIII millia. Et quod iter illud Lugdunum fert, haud longe a Rheno afuisse probabile est. Cluuerius in vico ad sinistram Leccæ quærit, cui nomen Maurik sit: sed præterquam quod longius a via recedit, nulla ibi antiquitatis Romanæ signa superesse, testis est, quem sæpe laudauimus, Menso Altingius; vt præstet differre cum recentibus locis comparationem, quam incertum aliquid pro vero constituere.

A Mannaricio, Antonini eodem itinere, abest *Traiectus* non XV millibus, vt editum est, sed vix VI millibus passuum. Huius & nomen & situs euincunt non aliud oppidum esse, quam quod hodie vocatur *Vtrecht*, olim episcopatu, nunc academia clarissimum. Est enim a *Vetere Traiectu*, vt Caroli Magni ætate dicebatur, id nomen, in quo *Alt*, seu alia dialecto *Old*, ad *Traiectus* vocabulum accessit. Ex quo praue *Vltraiectum* non nulli vocant, quem elegantius & magis Latine dicerent *Traiectum Rheni*, siue *ad Rhenum*. At præter auctorem Itinerarii nemo antiquorum hoc oppidum nominauit, vt de vlteriori antiquitate nihil certum sit quod statuamus.

Exinde

Exinde Itinerario nihil est vsque ad *Albiniana* castra, quo spatio in Tabula *Fletio*, *Lauri*, *Niger pullus* interponuntur. *Fletio* XVI millibus abest a Leuæfano; hoc a Traiectu XIIII, ex quo situs *Fletionis* non incertus est, nempe II millibus passuum infra Traiectum, in curuatura, quam vocant, Rheni amnis. Vlteriora Tabulæ, *Lauri* & *Niger pullus* obscuriora sunt, & fortasse diuersoria & mansiones: *Albiniana* autem Itinerarii, corrupte in Tabula scripta *Albamana*, siue *Albaniana*, sunt clariora. Castra haud dubie intelliguntur, sed cuius Albani vel Albini? Si stat *Albiniana* legere, ad *Albinum* auctorem referantur. An is vero sit Clodius Albinus, Seueri imperatoris æmulus, non possum definire. Credibile tamen est admodum, quia de ipso Capitolinus in Vita cap. VI refert, *per Commodum ad Gallias translatum esse, in qua, fusis Frisiis Transrhenanis, celebre nomen suum & apud Romanos & apud barbaros fecerit.*

Inde *Lugdunum* X millibus abest, tanta antiquitate oppidum, vt etiam Ptolemæus illius rationem habuerit. Treuerorum tumultu exstitisse, probari ex Tacito non potest: nec vero longe post ortum esse, Ptolemæi testimonium confirmat. Eius vero *Lugodinum* non aliud quam Antonini & Tabulæ *Lugdunum* esse, non est quod dubitemus, quia in Batauis & prope Oceanum ponit, licet cum occidentali ostio, quod commune cum Mosa Rhenus habet, non cum medio, ad cuius alueum situm est, componat: quanta decessio a vero loco non insolens Ptolemæo est, præsertim in Occidente. In dicto Itinerario legitur: *A Lugduno Capite Germaniarum Argentoratum,* vt sæpe ad illud iter prouocauimus. Io. Is. Pontanus Discept. Chorograph. pag. 154 existimat legendum esse *caput Germaniarum*, vt ad Argentoratum referatur, quia Lugdunum illa ætate non tantæ dignitatis erat, vt *caput* prouinciarum nuncupari potuisset. Verum non est quod quidquam immutemus. *Caput* enim heic *principium* est, quod reuera Lugdunum est Germaniarum, si ab Oceano, aut Inferioris prouinciæ extremo, incipias Cisrhenanæ Germaniæ prouincias perlustrare. Interea non negamus, minorem tum temporis splendorem huius vrbis, quam nunc est, exstitisse, ad quam auorum memoria cum alia multa ornamenta, tum maxime insigne decus & incomparabilis gloria ex litterarum studiis accessit.

Duobus

Duobus millibus passuum supra Lugdunum in Tabula Theodosiana est *Prætorium Agrippinæ*, quod illa, quum in Claudii matrimonio esset, videtur exstruxisse, exemplo fratris Caii, qui vt Suetonius cap. XXXVII refert, *in exstructionibus prætoriorum atque villarum, omni ratione posthabita, nihil tam efficere concupiscebat, quam quod posse effici negaretur.* Situs & distantia ostendit, fuisse in loco, qui hodie *Roomburg* vocatur, quod quidam interpretantur *Arx Romana*, quasi ipsum prætorium hoc nomine significaretur. Eodem loco etiam aliud ædificium publicum fuit, quod *Armamentarium* Romani adpellauerunt. Alium testem illius non habemus, nisi vnicum lapidem, ante ducentos circiter annos repertum, & a variis descriptum, intortis admodum litteris & inter se, præter morem, connexis, notatum, quas vt Petrus Sciuerius Antiquitat. Batauicis pag. 182 exhibet, separatas & iusto dispositu sic exscriptas damus:

IMP. CAES. L. SEPTIMIVS SEVERVS AVG. ET
M. AVRELIVS ANTONINVS CAES. COH. XV
VOL. ARMAMENTARIVM VETVSTATE
CONLABSVM RESTITVERVNT SVB
VAL. PVDENTE LEG. AVG. PR. PR. CVRANTE
CAECILIO BATONE PRAEFECTO.

Sedidem Scriuerius, & Hadrianus Iunius, Histor. Batav. cap. X, quidquid huius armamentarii est, ad litus Oceani referunt, vt eadem sit *Arx Brittannica*, cuius fundamenta interdum, Oceano refugiente, conspecta sunt, quod ita clarissimi viri crediderunt, quia persuasi ab aliis erant, ex ruderibus illis, sub mari latentibus, extractum hunc lapidem, quem descripsimus, fuisse. Alii vero side digni homines, & antiquiores etiam perhibent, aratro effossum prope Roomburg in agro Lugdunensi esse, ideoque *Armamentarium* illud, si in loco, quo lapis inuentus est, olim fuit, cum ipso Prætorio Agrippinæ coniunctum fuisse, doctissimorum iam virorum est sententia. Inter hoc Prætorium & Albiniana castra, in Tabula etiam *Matilo* collocatur, obscurus locus, & nemini præter auctorem Tabulæ, cognitus; de quo nihil habemus, quod referatur.

Tandem etiam aliquid de Arce siue Castello litorali, quod inundans Oceanus texit, dicendum est. Huius arcis vestigia mari adobru-

adobruta latent, nisi quando post Africi venti furorem subita tempestas, a Cauro concitata, nudatum arenis litus retexerit. Tunc a fundamentis reliquias, recedente maris æstu, prope medii Rheni vetus ostium, adeo spectare & numerare licuit, vt eruditi viri ichnographiam etiam illius castelli delineauerint, qualem ab Iunio Scriuerioque dictis libris expressam explicatamque habemus. Sunt qui Caligulæ *Pharum* seu *altissimam turrem*, vt Suetonius cap. XLVI vocat, ibi excitatam credant, quod negant alii, quia ex Morinis Romani, non ex Batauis in Britanniam traiiciebant. Turrem autem illam *indicium victoriæ* Britannicæ, vt Suetonius ait; sed adfectatæ modo, aut simulatæ, voluisse a posteris credi, quasi ibidem in Britanniam traiecisset, aut victor inde regressus ibi esset. Alii Druso in illo litore monimentum conditum & aram positam fuisse autumant, contusi lapidis inscriptione ad id persuasi, quem ex ipsis ruinis illis extractum esse adfirmant. Conditam aram a Claudio dicunt, a Seuero & filio Antonino restitutam. Reliqua hæc in lapide verba exstant:

. . . . TANNIC. GERMANIC. PIVS FELIX AVGVST
. . . . MAX. TRIB. POT. XVIII COS. III P. P. IMP. III
. . . RAM A DIVO CLAVDIO ET POSTEA
. . . . ERO PATRE SVO RESTITVTAM

Quæ supplentur ita, vt præmittatur nomen *Imp. Caes. M. Aurel. Antoninus Britannicus*, ac reliqua: addantur *Pont.* id est Pontifex; item *aram* & *Seuero*. Ortelius suspicatur, expeditione Britannica ibidem Claudium *arcem* condidisse, in commodiorem legionum cohortiumque transuectionem; aut quo milites ibidem hibernarent. Sed, quod antea, dubitari & heic loci potest, an tum Romani alia via in Britanniam profecti sint, quam ex Morinis, videlicet ea, quam Iulius Cæsar præmonstrauerat. Quid? quod ne de re hac dubitandum quidem est, quum Suetonius cap. XVII aperte dicat, *Massilia Gessoriacum vsque pedestri itinere confecto, inde transmisisse.* Gessoriacum autem in Morinis est, eorumque caput atque portus fuit, vt infra ostendemus. Quod si autem verum est, ex marinis illis ruderibus extractum illum lapidem fuisse, illustre Romanorum opus & monimentum, qualecumque etiam fuit, is arguit & probat. Ibi vero *Armamentarium* locare, quasi &

illius lapis alius ex ruinis illis, sub mari abſconditis, teſtis ſit protractus, vt clariſſimis viris perſuaſum erat; hoc eſt quod ante paullo non minori aliorum auctoritate refutauimus. Nec nomen vetus huius arcis mari obrutæ vſquam indicatum fuit, quod vulgo nunc *t' huys te Britten*, ſiue *Brittenburg*, id eſt Arcem Britannicam, neſcio vnde, ſiue quo auctore, adpellant, falſa fortaſſis fama inducti, quaſi ex illo loco Caligula ſimulando tentauerit, vel poſt illum Claudius Cæſar vere traiecerit in Britanniam.

De iis hactenus, quæ ad medium Rheni alueum eiusque ſiniſtram ripam ſita erant: nunc de illis quoque addemus, quæ in auſtrum inde & ad Moſam vergunt, a ſolo auctore Peutingerianæ Tabulæ notata. Primum & præcipuum eſt *Forum Adriani*, vt ille ſcripſit, VII millibus a Lugduno recedens, vt accurate Menſo Alting, V ex X facto, emendauit. Auctorem & vſum oppidi ipſum nomen manifeſtat: ſitum, emendata diſtantia & reliquiæ nominis in *Vorburg*: dignitatem & amplitudinem ruinæ circumiectæ & ſubterraneæ ſubſtructiones, in quibus etiam, qui hæc curatius inueſtigant, *Elinum* prætorium vel arcem aiunt inueniri, nomen nummis monſtrantibus, qui ibidem reperiantur: quod prædictus antiquitatum ſcrutator Altingius ab *Aelius*, Hadriani nomine, deducit, ſed ab adoptato per Pium Marco nepote impoſitum, quia in iisdem nummulis AVRELI ANT. id eſt *Aurelii Antonini* nomen, non AVRELIANI, vt creditum fuerat, legatur. Accedit inſcriptio vetuſti lapidis, ſiue columellæ milliariæ, apud vicum *Monſter* repertæ, deſcriptæ ab Scriuerio pag. 214, Grutero p. 156, cuius vltimæ notæ ſunt

A. M. A. F. C. M. XII

quas docti viri non vno modo interpretantur, *A municipio*, ſi quod in illis locis fuit; aut *a mari*, quia lapis inter Delphos & Hagam repertus, vbi Monaſterium fuit; vel *a Moſa* denique, aut aliter; plerique autem inſequentes litteras A. F. *ad Forum*, (vel *a Foro*, ſi priores *ad municipium*, vel *ad mare*, vel *ad Moſam*, ſignificant) conſentiunt legendas eſſe, vt *Forum Hadriani* intelligatur, quod etiam *conſtituta millia paſſuum* XII, quot a dicto loco ad Vorburgum ſunt, numero ſuo recte poſito comprobant.

Cetera Tabulæ Peutingerianæ inter Forum Hadriani & Nouiomagum, ignobiliora ſunt, *Flenium* XVIII M. P. a Foro; cuius & no-

& nomen & numeros Cluuerius immutat, licentia, vt videtur, non toleranda: inde post XII millia *Tablæ;* & rursus interuallo XVIII M. P. *Caspingium,* de quibus præter nomina nihil habemus quod adferamus, nisi quod *Caspingium* per numeros suos in locum *Asperen* aiunt incidere. *Grinnes,* quæ sequuntur in Tabula, ad superius Rhenanum iter, vnde errore exciderant, reduximus supra, Tacito auctore, cui illæ cum reliquis vicis ad Rhenum sunt; *Ad duodecimum* autem, signum diuersorii vel mansionis est.

CANINEFATES.

Populi huius nomen non vno modo est proditum. Velleius Paterculus & Cornelius Tacitus scripserunt *Caninefates:* ille lib. II cap. CV *Intrata protinus Germania, subacti Caninefates, Attuarii, Bructeri: recepti Cherusci, & transitus Visurgis.* Taciti exempla mox postea proferemus. Plinius lib. IV cap. XV *Cannenufates* dixit, vt Harduinus legit; vt Menso Altingius pag. 12, *Cannunefates:* quod prope conuenit cum veteri inscriptione apud Gruterum p. 385

PRAEF. EQ. ALAE PRIMAE CANNANEFATVM.

Origo gentis ex Germania est perinde ac Batauorum. Tacitus lib. IV Hist. cap. XV *Missi ad Caninefates qui consilia sociarent. Ea gens partem insulæ colit, origine, lingua, virtute par Batauis: numero superantur.* Ex quo & situm intelligimus, hoc est insulam habitasse: eamdem puta quam Bataui. Plinius id plenius exponit dicto lib. IV cap. XV, *In Rheno ipso, prope centum millia passuum in longitudinem, nobilissima Batauorum insula & Cannenufatum: & aliæ Frisiorum, Chaucorum, Frisiabonum, Sturiorum, Marsaciorum, quæ sternuntur inter Helium & Fleuum. Ita adpellantur ostia, in quæ effusus Rhenus ab septemtrione in lacus, ab occidente in amnem Mosam se spargit.*

Hæc fere veterum sunt testimonia, quæ de Caninefatum nos sede & loco possint instituere. Velleius in Germania locat cum Bructeris atque Cheruscis, Transrhenanis populis: nec vero quisquam alius eorum reliquias in Germania hoc nomine nuncupauit: & Ciuilis ipse apud Tacitum tam Caninefates quam Batauos adscribit Galliæ lib. IV cap. XXXII. *En ego,* inquit, *præfectus vnius cohortis, & Caninefates Batauique, exigua Galliarum portio,*

vana illa castrorum spatia excidimus. Quod si ergo cis Rhenum positos intelligit, vix tamen eos intermistos Batauis intelligere potuit. Id est quod Cornelius Haemrodius & Hadrianus Iunius ex Plinio quoque & Tacito vrgent, sed dispari conatu & processu. Hic enim, Iunius, Historia Bataviæ cap. III pag. 47 singularem eis insulam, separatam a Batauorum sede, tribuit, forsan lacubus & æstuariis, saltem ex parte remota ab Oceano circumdatam. *Sequitur,* inquit, *Caninefatum insula, quarum ego terminos non multum euariare a vetustis suspicor, bonaque coniectura ducor; siquidem insula fuit (id quod expresse loquitur Plinius) eos a secundo Rheni siue medio ostio apud Cattorum vicum initium capere, longoque terrarum tractu secundum colles arenarios sedes suas habuisse Harlemo tenus, ita vt Oceanum Britannicum, iniquum vicinum, cum prædictis collibus habuerint ab occidente; a nascentis vero solis plaga diuisi fuerint alueo vno ex elicibus Rheni.* Rem non mouemus: de insula separata dubitamus, præsertim ex Plinii verbis adprobanda. Is enim indistincte dicto loco ait: *In Rheno ipso nobilissima Batauorum insula & Cannenufatum, & aliæ Frisiorum;* quæ verba quidem ambigua videri possunt, quasi dicant, *Batauorum insula, & Cannenufatum,* subaudi rursus, *insula;* vel vt vna sit insula & Batauorum & Cannenefatum. Illud Hadr. Iunio videtur; hoc Taciti comprobatur auctoritate, qui dicto locto ait: *Ea gens* [Caninefatum] *partem insulæ colit, origine, lingua, virtute par Batauis; numero superantur:* quæ insula non potest alia esse quam Batauorum, quod non tantum comparatio illa cum Batauis, quam quæ cap. XII de illa insula antecesserant, confirmant. Nec licet magnam insulam Batavorum inter Helium & Fleuum comprehensam intelligere, quia Plinius ALIAS, Frisiorum nempe ac ceterarum gentium, eisdem ostiis, vt separatas ab illa Caninefatum, inclusit.

Hæc dubitantur de singulari insula in verbis Hadriani: positionis caussam & sedis non definimus, sed differimus. Constans enim multorum est sententia, Caninefates septemtrionalem Hollandiam coluisse, ita prorsus, vt Cornelius Aurelius lib. I Bataviæ cap. IV *Harlemum nominatissimam Caninefatum vrbem* dicat: & Cornelius Haemrodius Bataviæ Descriptione pag. 13, *Caninefates terram a Rheno veteri septemtrionem versus, propter litus Oceani adusque ferme Marsaciorum sedes obtinent, vulgoque dicuntur die Kennemer-*

nemerlanders. Et quod idem pag. 9 præter illud Cattovicense veteris Rheni, plura interna ostia indicauit, illorumque vnum alveum præter Enkhusam ducit & Alkmariam; probabile non minus Io. Isacio Pontano Discept. cap. XX; quam ipsi Haemrodio videtur, quia ille alueus vere medius inter Helium Fleuumque sit, esse fortassis illum, qui septemtrionale latus insulæ Batauorum clauserit. id quod neque confirmare argumentis, neque refellere animus est. Plura tamen fuisse Rheni ostia etiam ante, quam Drusus per lacus nouo alueo deriuaret; illa Cæsaris verba lib. IV cap. X haud obscure videntur probare, *Vbi Oceano adpropinquauit, in plures diffluit partes.* Quod si vere ita se habet, vt probabile illis doctissimis viris videbatur; omnis difficultas controuersiæ sublata erit, & recentioribus cum Tacito Plinioque bene conueniet. Interea plures in Cluuerii sententia adquiescunt, qui vt veteris Rheni alueo præter Traiectum & Lugdunum ducto, & insulam Batauorum & omnem Galliam finiri existimat, ita in septemtrionali insulæ parte ad alueum illum & intus, a Batauoduro ad Lugdunum fere, omnes Caninefates deponit, ita tamen, vt ad Oceanum non pertineant, neque Lugdunum, quia *Batauorum* dicitur, possederint vmquam. quo quia meliorem Batauiæ partem subducit, & Batauos maritimos a superioribus secludit; non desinunt alii de finium illa descriptione dubitare.

De ceteris gentibus, quarum insulas Plinius inter Helium & Fleuum sternit, meræ sunt coniecturæ doctorum hominum: argumentis & rationibus vix quidquam probari potest, quia facies illorum locorum inundationibus fuit ita immutata, vt vbi populi coluerant, nunc ingens lacus sit siue mare Austrinum. Pontanus Disceptat. Chorograph. cap. XXI p. 65 *Ceteras Plinio nominatas gentes sinus fere & mare Austrinum aboleuit.* Varie autem vocabula illarum a variis torquentur, nec vllum fere intactum relinquitur. Quidam integros populos, quos minus nouerunt, eiiciunt, vt Cauchos & Sturios: alii Sturios in *Vrios* conuertunt, & in Austrini insula Vricha inuestigant: Cluuerius Frisiabones Frisiosque, hoc loco obuios, in *Frisios maiores minoresque* commutat: sed retentis ceteris cunctis, solos *Cauchos* clarissimus vir Menso Altingius sollicitat, ratus *C* elementum abundare in eo nomine, ortum ex signo παρενθέσεως, quæ post *Marsaciorum* claudenda sit. Ita enim

pag. 12. ſententiam Plinii diſtribuendam legendámque autumat: *In Rheno ipſo, prope centum* M. P. *in longitudinem, nobiliſſima Batavorum inſula & Cannunefatum. Et alia Friſiorum (Auchorum, Friſiabonum, Sturiorum, Marſaciorum) quæ ſternuntur inter Helium & Fle-vum.* Scilicet omnes vult Friſios eſſe origine, ſiue coloniam Friſiorum Transrhenanorum; ſed rurſus diuiſos in minores populos, vti parentheſi diſtincte nominentur. Hos ita diſtribuit & quibuslibet ſuas ſedes adſignat, vt *Auchos* ponat proximos Foſſæ, quæ a Druſo nomen habet: *Friſiabones* in illo tractu, vbi regina emporiorum Ambſtelodamum eſt, & Horna, & Enkhuſa cum Medemelaco: his ad Oceanum obducat *Marſacios*: in ſeptemtrionem & ſupra Fleuum lacum *Sturios* reiiciat. Sed ita doctis quidem coniecturis locantur: argumentis deſtituitur poſitio.

Plures in ea regione, quam vnum lacum fuiſſe, ex multitudinis numero, quo Tacitus vtitur, pronum eſt colligere. Annali I cap. LX *impoſitas nauibus quatuor legiones per lacus vexit* Germanicus: & lib. II cap. VIII *Foſſam, cui Druſianæ nomen, ingreſſus, precatusque Druſum patrem; lacus inde & Oceanum vſque ad Amiſiam flumen, ſecunda nauigatione peruehitur.* Hos vero lacus in vnum coaluiſſe, eumque auctum inundationibus, magnus Auſtrinus lacus argumento eſt. Quæ circa illum oppida notantur, quam antiqua ſint, certo explicari non poteſt. Hadrianus quidem Valeſius Rerum Francicar. lib. I pag. 6 ſcripſit, *Poſtumum Macuſam, oppidum Batauorum ab Francis captum, quod hodieque Ancuſam appellant, recepiſſe indicant Poſtumiani nummi*, HERCVLI MACVSANO *inſcripti*: ſed vnde certo probetur, *Macuſam* ſiue *Maguſam*, eſſe oppidum Enkhuſam, ſiue Ancuſam vt ipſe ſcripſit; equidem hariolari non poſſum. Eſt lapis circa oſtia Scaldis repertus, quem Ortelius inſpexit; & alius in Gelria exſtare dicitur, quibus vtrisque inſcriptum eſt HERCVLI MAGVSANO. Sed neque heic perſpicio, qua ratione ad Ancuſam oppidum referri, aut eius nomen inde deriuari poſſit. Si ex nomine iudicandum eſt, mallem ad *Caſtra Herculis*, ſupra ex Tabula Peutingeriana & Marcellino demonſtrata, reducere. Vnde vero cognomen *Maguſani* ſit, vix quisquam diuinando poterit ita, vt perſuadeat, interpretari. Et hæc de Caninefatibus, quos a pluribus dixi circa Enkhuſam & Alkmariam collocari, ſaltem ibi finem illorum ſedibus imponi.

POPVLI

POPVLI INTER MOSAM ET SCALDIM.

Vt Germanias, prouincias Romanorum in Gallia Cisrhenana, possimus definire, necesse est, vt omnes cis Rhenum Germanicas gentes, quas adhuc ab Heluetia ad Oceanum vsque persequuti sumus, perlustremus. Pars illarum superest, quæ inter Mosam & Scaldim sedes occupauerant. Plinius lib. IV cap. XVII *A Scalde ad Sequanam Belgica.* Ergo quia Scaldi flumine finit Galliam, vltra illud flumen non Gallos, sed Germanos credidit coluisse. Tacitus German. cap. II *Qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint, nunc Tungri, tunc Germani vocati sunt.* Rursus Plinius dicto loco: *A Scaldi incolunt extera Toxandri, pluribus nominibus.* EXTERA, hoc est regionem vltra Scaldim, extraque Gallias, Scaldi finitas, positam, ad Mosam vsque. Præterea in hoc tractu gentium clara nomina sunt *Menapii, Tungri, Aduatici, Bethasii*, qui quantum discrimen inter se habuerint, nunc ostendendum est. De *Eburonibus* supra diximus.

MENAPII.

Menapii Cæsaris æuo vtramque Rheni ripam coluerunt: sed sub idem tempus vlteriorem siue Germanicam, expulsi a Tencteris & Vsipetibus, amiserunt. Sic enim ille lib. IV cap. IV de Bello Gallico: *Vsipetes & Tencteri complures annos Sueuorum vim sustinuerunt: ad extremum tamen agris expulsi, ad Rhenum peruenerunt, quas regiones Menapii incolebant, & ad vtramque ripam fluminis agros, ædificia, vicosque habebant: sed tantæ multitudinis aduentu perterriti, ex his ædificiis, quæ trans flumen habuerant, demigrauerunt, & cis Rhenum dispositis præsidiis, Germanos transire prohibebant.* Pars regressi in desertas sedes trans Rhenum sitas, quum inuasores recessisse simulassent, inopinantes omnes oppressi sunt: etiam Cisrhenani, antequam de suorum clade audissent, ab eisdem Vsipetibus Tencterisque pulsi, qui *occupatis illorum ædificiis reliquam partem hiemis se eorum copiis aluerunt*, vt ibidem Cæsar enarrauit. Ex quibus habitatio illorum ripensis siue Rhenana, quæ olim fuit, satis abundeque intelligitur. Nec vero hæc sola fuit, sed eodem tempore inter Mosam & Scaldim sedes habuerunt, atque ita latissime habitauerunt. Id quod ex eo non obscurum est, quia

quia Cæsar cum *Morinis* eos plerumque coniungit. Idem lib. II cap. IV de Bello Gall. hoc ordine ab Rhemis sibi Belgarum adparatum enarratum dicit, *Ambianos* X *millia*, *Morinos* XXV *millia*: *Menapios* IX *millia*, *Caletes* X *millia*. Et lib. III cap. XXVIII, *Cæsar, quod omni Gallia pacata, Morini Menapiique supererant qui in armis essent, neque ad eum vmquam legatos de pace misissent; eo exercitum adduxit: - - - qui quod continentes siluas ac paludes habebant, eo se suaque omnia contulerunt.* Et lib. VI cap. II *Cæsar quum vndique bellum parari videret, Neruios, Aduaticos ac Menapios, adiunctis Cisrhenanis omnibus Germanis esse in armis; maturius sibi de bello cogitandum putauit.* Et cap. V eiusdem libri: *Ipse cum legionibus expeditis quinque in Menapios proficiscitur. Illi, nulla coacta manu, loci præsidio freti, in siluas paludesque confugiunt, suaque eodem conferunt. Cæsar partitis copiis cum C. Fabio legato, & M. Crasso quæstore, celeriterque effectis pontibus, adiit tripartito: ædificia vicosque incendit*, ac reliqua. Nihil heic ad Rhenum gestum: intus & intra Mosam omnia. Dio Cassius confirmat idem lib. XXXIX pag. III de Cæsare: Μετὰ τοῦτο ἐπί τε Μορίνους καὶ ἐπὶ Μεναπίους, ὁμόρους σφίσιν ὄντας, ἐστράτευσε, *Posthæc in Morinos, eorumque finitimos Menapios arma conuertit.* & paucis interiectis, de eisdem, οὔτε πόλεις ἔχοντες, ἀλλ' ἐν καλύβαις διαιτώμενοι, *Non in oppidis habitant, sed in tuguriis.*

Strabo lib. IV pag. 134 τοῖς Μεναπίοις εἰσὶ συνεχεῖς ἐπὶ τῇ θαλάττῃ Μόρινοι, *Menapiis contermini sunt ad mare Morini;* atque idcirco paullo ante dixit τελευταίους, *vltimos*, ad Oceanum videlicet, quemadmodum finitimi illorum Morini, poetæ Aeneid. VIII vers. 727 *extremi hominum* censentur. Quod vero ibidem ait, Μενάπιοι τῶν ἐκβολῶν ἐφ' ἑκάτερα τοῦ ποταμοῦ κατοικοῦντες ἕλη, *vtrimque ad ostia Rheni habitare paludes*, videtur Cæsarem, quem plerumque sequutus est in Galliis, de vtraque ripa, sed longe supra ostia, scribentem, non bene intellexisse. Si enim vtrimque ad ostia coluerunt, immistos Batauis fuisse necesse foret, quod minus est credibile. Quid? quod Augusti ætate reiecti omnes ab Rheno videntur, transductis e Germania, qui loca illa possiderent; ipsique vltra Mosam & ad Scaldim redacti, angustius postmodum habitauerunt. Tacitus certe, Vespasiani æuo, Cismosanos solos nouit, lib. IV Histor. cap. XXVIII. *Ciuilis*, inquit, *vt cuique proxi-*

proximum, vastari Vbios Treuerosque, & alia manu Mosam amnem transire iubet, vt Menapios, & Morinos, & extrema Galliarum quaterent. Plinius autem suæ ætatis populos Belgas lib. IV cap. XVII recensens, ambiguus est, nec satis declarat, a qua parte Scaldis habitauerint. *A Scaldi*, inquit, *incolunt extera Toxandri pluribus nominibus. Deinde Menapii, Morini.* Videtur tamen, relictis exteris, ad citeriora, vbi Morini erant, reuerti. Quæ caussa est, vt Harduinus Menapios in Flandria ponat. Quod si ita habet, non erat quod Hadrianus Valesius Theodosianam Tabulam erroris incusaret, quod *Castellum Menapiorum* inter Gessoriacum, quæ nunc Bononia est, & Teruanam medium habeat; legique vellet *Castellum Morinorum.* Sed de hoc in Morinis postea dispiciemus. Aliud tamen *Castellum Menapiorum* ad Mosam fuit. Ptolemæus in Belgica: Μετὰ τὸν Μώσαν ποταμὸν Μενάπιοι, καὶ πόλις αὐτῶν Κάστελλον, *Post Mosam* (malim *cis Mosam.* nam ab Ambianis per Morinos progressus est) *Post amnem*, inquit, *Menapii & oppidum illorum Castellum:* quod omnium consensione est *Cassel* siue *Kessel* ad Mosam, inter Traiectum huius amnis & Graven medio loco situm. Cæsaris autem ætate nulla oppida habuere, sed tuguria tantum & vicos, vt cognovimus, coluerunt.

ADVATICI siue ATVATICI.

Aduaticos Cæsar ex Cimbris Teutonisque procreatos scribit lib. II Belli Gall. cap. XXIX *Ipsi*, inquit, Aduatici, *erant ex Cimbris Teutonisque prognati: qui quum iter in prouinciam nostram atque Italiam facerent, his impedimentis, quæ secum agere ac portare non poterant, citra flumen Rhenum depositis, custodia ex suis ac præsidio* VI *millia hominum vna reliquerunt. Hi post eorum obitum, multos annos exagitati, quum alias bellum inferrent, alias inlatum defenderent, consensu omnium pace facta, hunc sibi domicilio locum delegerunt.* Locum non designauit, nisi quod Neruiis propinquos fuisse dixit. Dio Cassius lib. XXXIX pag. 94 de Cæsare: οὐδὲν μέγα ἔργον τοὺς λοιποὺς Νερουίους χειρούμενος ἔσχε, κἀν τούτῳ Ατουατικοὶ, πλησιόχωροί τε αὐτοῖς ὄντες, καὶ τὸ γένος τό, τε φρόνημα τὸ τῶν Κίμβρων ἔχοντες, ὥρμησαν μὲν ὡς καὶ βοηθήσοντες σφίσιν, *Non difficile opus restabat in subigendis Neruiorum reliquiis, quamquam Atuatici, finitimi illis, qui & genere & animis Cimbri erant, auxilio venerunt.* Nimium

[illegible] a Cimbrici belli temporibus, vt credas, quos vicerant, [illegible] mores [illegible]. Ad commune enim bellum Romanorum [illegible] dicuntur apud Cæsarem lib. II cap. IV militum [illegible] contulisse; quum aliæ numerosæ gentes vix X [illegible], soli Neruii L, Morini XXV. Et ne lapsos esse scribentes in numeris putes, metaphrastes etiam *μυρίους καὶ πεντακισχιλίους* transtulit. Oppida & vicos plures habuisse, sed unum egregie munitum Cæsar tradit dicto libro II cap. XXIX: *Cunctis*, inquit, *oppidis castellisque desertis, sua omnia in vnum oppidum, egregie natura munitum, contulerunt: quod quum ex omnibus in circuitu partibus altissimas rupes despectusque haberet, vna ex parte leniter accliuis aditus, in latitudinem non amplius* CC *pedum relinquebatur; quem locum duplici altissimo muro muniuerant.* Hoc oppidum, quodnam, aut quo tractu fuerit, haud equidem facile definitur. Sunt qui Bellum Montem in finibus Hannoniæ: alii Duacum; cum Sansone non nulli *Namurcum* interpretantur. Capacissimum fuisse, ex numero captiuorum quos vendidit Cæsar, oppido potitus, LIII millia hominum, abunde constare potest.

Id vero non incertum [illegible] ex Cæsaris commentariis esse, inter Menapiorum, Eburonum & Nerniorum fines sedem delegisse, id est in Flandriæ finibus, ac parte Brabantiæ atque Hannoniæ: quo tractu duo oppida, nescimus quam antiqua, Antonini itinere a Castello Coloniam, memorantur, *Geminiacum*, & post XXII M. P. *Peruiciacum*, quorum illud *Gembloar*, & antea *Gemblacum*, hoc *Peruis*, multorum opinione, videtur esse. Nec vero existimandum est, *Aduatucam* oppidum, quod in Eburonibus supra diximus, ad Aduaticorum populum pertinuisse. Nihil enim præter nomen commune habent, & vel ex vno Cæsare manifestum est, Aduaticos ab Eburonibus Tungrisve, vt nomine, sic & sedibus differre, nec eosdem, sed alteros alteris finitimos tantum fuisse.

Vt vero aliæ Cisrhenanæ gentes noua nomina illo æuo induerunt, Agrippinensium, Gugernorum, Sunicorum, Tungrorum; ita *Aduaticos* Cæsaris postea BETASIOS vel BETHASIOS a Plinio & Tacito dictos esse, exinde conficit Philippus Cluuerius, quod, sicut Cæsar in populorum enumeratione *Aduaticos* suos Eburonibus & Neruiis, vt finitimos, coniungit; ita pariter Tacitus &

Plinius

Plinius *Betasios* iisdem gentibus, vt proximos finitimosque, admiſceant. Plinius lib. IV cap. XVII [illegible] *Neruii liberi, Veromandui* - - - *Tungri, Sunici,* [illegible] *Leuci liberi, Treueri liberi,* & ceteri turbato poſiti [illegible] lib. IV Hiſtor. cap. LVI *Claudius Labeo nihil apud* [illegible] *quosdam Neruiorum Betasiorumque in arma traxit.* Et [illegible] *Ciuilis, occupatis Sunicis, & iuuentute eorum per cohortes* [illegible] *vltra pergeret, Claudius Labeo Betasiorum Tungrorumque & Neruiorum tumultuaria manu restitit.* Et paucis interiectis, *Ciuilis Betasios quoque & Neruios in fidem acceptos, copiis ſuis adiunxit.* Scribunt vulgo *Bethasii*, adiecta adſpiratione, quæ ab editione Taciti, a Lipſio profecta, vnice eſt; antiquiore quoque libro halitum negligente. Atque ita etiam vetus inſcriptio apud Gruterum pag. 520 num. 9 CIVES BETASII. Plinius tribus ſyllabis *Betasi*, quemadmodum Tacito ſunt *Marſaci*, qui ceteris adiecta ſyllaba *Marſacii*. In Notitia Imperii ſub diſpoſitione Comitis litoris Saxonici per Britanniam p. 109 eſt *Tribunus cohortis primæ Vetasiorum Regulbio*: V pro B, ſolemni illorum temporum more.

NERVII.

Et Neruii, Strabone auctore lib. IV pag. 194 fuerunt ἔθνος γερμανικὸν, *Germanica gens*, iique Treueris συνεχεῖς, *finitimi* a ſeptentrione. Quam originem adeo ipſi non negauerunt, vt gloriæ etiam ſibi illam ducerent. Tacitus de Morib. Germ. cap. XXVIII *Treueri & Neruii circa adfectationem Germanicæ originis vltro ambitioſi ſunt, tamquam per hanc gloriam ſanguinis a ſimilitudine & inertia Gallorum ſeparentur.* A Cæſare multum celebrantur, vt qui *quinquaginta millia* ad commune bellum poſſint armatorum dare, lib. II de Bello Gall. cap. IV. Tam ampla enim eorum fuit ciuitas, vt a Treueris, cum quibus modo Strabo coniungebat, ad vſque Bellouacos pertineret, quod Cæſar dixit eodem libro II cap. XV. Præterea Ambianis, Atrebatibus, Veromanduis, finitimi, vt qui hos & Remos a meridie habuerunt, a ſeptemtrione Aduaticos, ab ortu ſolis Moſam fluuium. Ibidem Cæſar cap. XV & XVI *Bellouacorum fines Neruii attingebant, quorum de natura moribusque Cæſar quum quæreret, ſic reperiebat: Nullum aditum eſſe ad eos mercatoribus: nihil pati vini, reliquarumque rerum ad luxuriam pertinentium*

nentium inferri, quod his rebus relangueſcere animos eorumque remitti virtutem exiſtimarent: eſſe homines feros magnaque virtutis - - - - Quum per eorum fines triduo iter feciſſet, inueniebat ex captiuis, Sabin flumen a caſtris ſuis non amplius millia paſſuum X *abeſſe: trans id flumen omnes Neruios conſediſſe, aduentumque ibi Romanorum exſpectare vna cum Atrebatibus & Veromanduis, finitimis ſuis. nam his vtrisque perſuaſerant, vt eamdem belli fortunam experirentur. Exſpectari etiam ab his Aduaticorum copias, atque eſſe in itinere.* Ex quibus tam virtutem ipſorum & abſtinentiam, quam fines atque limites, & quibus gentibus cincti fuerunt, intelligimus. Plinius dicto ſæpe loco *Neruios liberos* vocat. Batauorum tumultu primum in auxiliis Romanorum fuerunt; poſt a Ciuili in partes inlecti, vt Tacitus lib. IV Hiſtor. cap. LXVI notauit. At cap. LXXIX *Legionem Fabius Priſcus legatus in Neruios Tungrosque duxit, eaque ciuitates in deditionem accepta.*

Ex finibus Neruiorum, antea monſtratis, coniicere licet de oppidis illorum ita, vt caput *Camaracum* fuiſſe videatur, nunc Gallis Cambray, noſtris Cammerik; quamquam a nemine ſcriptorum ante Tabulam Peutingerianam, & auctorem Itinerarii, quod Antonini dicitur, nominatum. Itinere a Caſtello Coloniam hic ordo ſeruatur:

Caſtello			
Minariacum	M.	P.	XI
Nemetacum	M.	P.	XVIIII
Camaracum	M.	P.	XIIII
Bagacum	M.	P.	XVIII
Vodgoriacum	M.	I.	XII
Geminiacum	M.	P.	X
Peruiciacum	M.	P.	XXII
Aduocam Tongrorum	M.	P.	XIIII.

Et itinere alio a Taruenna Durocortorum ſic:

Taruenna			
Nemetacum	M.	P.	XXII
Camaracum	M.	P.	XIIII
Auguſtam Veromanduorum	M.	P.	XVIII.

Ex

Ex quo etiam situm *Bagaci* cognoscimus, quod itidem Neruiorum oppidum fuisse, ostendit inscriptio in eodem Itinerario: *Iter a Bagaco Neruiorum, Durocortorum, Remorum vsque.* In Tabula Peutingeriana est *Bacaco Neruiorum*, hoc ordine dispositum:

Turnacum	
Ponte Scaldis	XII
Bacaco Neruior.	X.

Quæ rationes & nomen vna ostendunt idem esse, quod nunc *Bavay* in Hannonia nuncupatur. Ptolemæus vitiose Βάγανον scripsit, *Baganum*, quum potius, vtroque Itinerario consentiente, Βάγακον, *Bagacum*, & ibi legi oporteat.

Pons Scaldis, quem & Antonini iter a portu Gessoriacensi Bagacum vsque, itidem inter Turnacum & Bagacum habet, per rationes & numeros suos in locum celebrem incidit, qui nunc *Condè* vocatur, quod ex *Condate*, non vnius in Gallia oppidi nomine, contractum est.

Cluuerius addit *Valentinianas*, quæ hodie sint *Valenchiennes*, idque nomen exinde coniectura ducit, quia in Notitia Imperii sæpe dicantur milites *Valentinianenses*, tamquam a loco præsidii, quem insedere, cognominati. Verum mallem aliter vir eruditissimus censuisset. Milites enim illi non a loco, cui præsidebant, sed a principe *Valentiniano*, a quo instituti fuerant, cognomen suum consequuti sunt, sicut in eadem Notitia Valentinianenses coniuncti sunt *Gratianensibus*, & *Honorianis*, quos non facile a loco adpellatos dixeris. Oppidum vero illud in medii æui historia (nam incertæ originis ac antiquitatis est) non *Valentiniana*, sed *Valentiana*, a Valente quodam conditore nominatur. Sigebertus Gemblacensis ad annum CIↃVI *Castrum Valentianas, situm in marchia Franciæ & Lotharingiæ, imperator Henricus obsidet.* Et Valesius litteras Chlodouei III memorat *Valentianis datas.* Ac Eginhardus in Annalibus: *Anno* IↃCCLXXI *peracto, secundum morem generali conuentu super fluuium Scaldam, in villa Valentiana, rex Karolus ad hiemandum proficiscitur.* Idem lib. IV de translatione SS. martyrum Marcellini & Petri: *Monasterium S. Saluii martyris, quod in pago Fanomartensi, in vico Valentianas adpellato, in ripa Scaldis fluuii situm est.* Ad medii æui ergo geographiam potius, quam ad antiquam, pertinet.

Certiores non nihil rationes *Fani Martis* sunt, vnde iam *pagus Fanomartensis* ab Eginhardo nominabatur. In Notitia enim Imperii sub Præpositura Magistri militum præsentalium pag. 147 est *Præfectus Laetorum Neruiorum Fano Martis Belgicæ Secundæ.*

Plures etiam Neruiorum clientes, & sub imperio illorum minores populi fuerunt. Cæsar lib. V. cap. XXXIX. *Facile hac oratione* [Ambiorix] *Neruiis persuadet. Itaque confestim dimissis nuntiis ad Centrones, Grudios, Leuacos, Pleumosios, Geidunnos, qui omnes sub eorum imperio sunt, quam maximas manus possunt, cogunt.* Nec vero apud alium scriptorem ignobilia hæc nomina reperiuntur. Vnde facile ad credendum erit, vel in aliud nomen transiisse, vel generali *Neruiorum* adpellatione comprehensos fuisse ab aliis. Cluverius opinatur hos Neruiorum clientes in vnum nomen *Sueconorum*, quos solus Plinius in Belgica lib. IV cap. XVII nominauit, coaluisse, iisque oppidum *Tornacum* siue *Turnacum* tribuit. Verum, non dicam, Suecónos Plinianos suspectos Harduino esse, tamquam ex insequenti nomine *Suessionum* corrupta repetitione natos; sed in incertis potius relinquam. *Turnacum* vero Itinerarii, cum Hadriano Valesio, ipsis Neruiis malo, quam alii genti, attribuere, quia situs & ordo in Itinerariis ita videtur postulare. Itinere a portu Gessoriacensi Bagacum vsque hæ sunt rationes:

Gessoriaco			
Taruennam	M.	P.	XVIII
Castellum	M.	P.	VIIII
Virouiacum	M.	P.	XVI
Turnacum	M.	P.	XVI
Pontem Scaldis	M.	P.	XII
Bagacum	M.	P.	XII.

Nec aliæ rationes in Peutingeriana sunt Tabula, quæ itidem XII millia inter *Turnacum* & *Pontem Scaldis* habet. In Notitia Imperii sub dispositione Comitis litoris Saxonici per Britanniam, est *Præpositus numeri Turnacensium Lemannis.* Hæc antiquissima huius oppidi munimenta sunt: quibus Notitiam prouinciarum & ciuitatum Galliæ addo, quæ in Belgica Secunda connumerat *Ciuitatem Turnacensium.*

TVN-

TVNGRI.

Tungros, quamuis supra in Eburonibus propositos, tamen ne quos inter Scaldim & Mosam populos praeteriisse videamur, iuuat breuiter hic repetere. Qui Caesari Eburones dicebantur, castellum habentes *Atuatucam*, lib. VI Bell. Gall. cap. XXXI & XXXII; ii Ptolemaeo sunt *Tungri*, quibus & ipsum oppidum Ἀτουάκετον, siue vt Valesius emendat, Ἀτουάτουκον adsignat, quod in Itinerario Antonini est *Aduaca Tongrorum*: quae vrbs etiam nomen gentis adsumsit, vt *Tongri* vel *Tungri* vocaretur ab Ammiano Marcellino lib. XV cap. XI & lib. XVII cap. XVIII; quod nomen hodieque seruat. *Eburonum* autem nomen nec Tacitus neque Plinius habet, sed vterque *Tungrorum*: ille etiam de Moribus Germ. cap. II eos primos fuisse tradit, qui ex Germanis Rhenum transgressi in Gallico solo consederint: tum *Germani* adpellati in egregione; postea *Tungri*. Crebra eorum mentio est in Claudii Ciuilis tumultu apud Tacitum Historiarum lib. IV: etiam lib. II cap. XIV in partibus Vitellianis sunt *Tungrorum cohortes*: & in exercitu Agricolae legati in Britannia, quod idem Tacitus in Vita cap. XXXVI memorauit. Notitia Imperii sub Comite Saxonici per Britanniam litoris, laudat *Praepositum militum Tungricanorum Dubris*.

TOXANDRI siue TAXANDRI.

Tandem etiam ad *Toxandros* accedimus gentem nomine satis claram: sede & habitatione dubiam. Primus id nomen nobis tradidit Plinius lib. IV cap. XVII in Belgicae descriptione. *A Scaldi*, inquit, *incolunt extera Toxandri pluribus nominibus.* Philippus Cluuerius in Seelandiam Toxandros remittit, quasi is populus sint, quem Caesar commentario VI cap. XXXII describit sine nomine. *T. Labienum*, inquit, *cum legionibus III ad Oceanum versus in eas partes, quae Menapios attingunt, proficisci iubet*. Et paullo ante cap. XXXI *Qui proximi Oceano fuerunt, ii in insulis se se abdiderunt, quas aestus efficere consuerunt.* Has putat esse Seelandiam, nec aliam Marcellini *Toxiandriam*, qui lib. XVII cap. VIII de Saliis Francis dicit, *ausos olim in Romano solo apud Toxiandriam locum habitacula sibi figere praelicenter.*

Contra sunt clarissimi viri, qui dubitant, aut negant Toxandros Seelandicas insulas incoluisse. Neque de ipsa Seelandia

satis

ſatis certum eſt, quam olim faciem, quem ſitum inſularum fretorumque intercurrentium habuerit, quum temporis diuturnitate partim vis Oceani, partim fluuius Scaldis, a quo inſulæ initium habebant, vtique aliquam rerum mutationem induxiſſe videantur. Cæſar certe aliter ducit Scaldis alueum, quam hodie eſt. Ait enim lib. VI cap. XXXII. *Ipſe cum reliquis tribus legionibus ad flumen Scaldim, quod influit in Moſam, extremasque Arduennæ partes ire conſtituit.* Quapropter citeriores Toxandros & Moſam verſus conſtituunt Pontanus, Browerus, Valeſius, conſentientes in eo, quod veſtigia ſedis Toxandrorum ſuperſint in *Teſſenderloo*, Leodicenſis vico dioeceſeos. Quod Chriſtophorus Browerus ad Venantii Fortunati lib. III carm. XII his verbis expoſuit: *Toxiandria, vel vt poſteri appellarunt, Taxandria Leodiſibus & Brabantiæ finitima olim fuit regio, cuius adpellationis etiamnum veſtigia manent. Sunt qui S. Trudonis oppidum vicinumque ſolum pro ipſo Taxandriæ capite vſurpant: ſed minime fallunt, qui in* TESSENDERLO, *pago Leodicæ ditionis extremo, haud procul Dieſta, non obſcuro Brabantiæ oppido, oſtendunt imaginem priſcarum ſedium; apteque* LO *particula quadrat, quæ loca alta ac in palude ſita notat, ceu diceres Taxandrorum paluſtria, cuiusmodi compoſitio eſt in Venelo Gelriæ, Borkelo, Benerlo.* Adde Pontani Diſceptationem III. Nec minus perſpicue Hadrianus Valeſius in Notitia Galliarum p. 558 diſſeruit: *Toxandria*, inquit, *ad tertium lapidem ab oppido Tungrorum Traiecto incipiens, ad Moſæ Vacalisque confluentes expandebatur, regio magna ex parte vaſtis paludibus inuia, ac ob id ne finitimis quidem ſatis nota. Moſa auctus parte Rheni, quæ adpellatur Vacalis, non procul ab Oceano Britannico Toxandros ceterasque eius tractus nationes a Friſiis citerioribus diuidebat.* Id quoque notari dignum eſt, Ammiani Marcellini *Toxiandriam*, ſi bene inſpexeris verba illius, ad Seelandiam, illam inſularem regionem, haud pertinuiſſe, neque partem ab eo prouinciæ nominari, vel integram regionem, ſed *locum* aliquem regionis, qua voce oppidum, vel vicus, vel caſtellum, non ſatis notum, ſignificatur: vt, tamquam oppidum aut caſtellum, in ipſo loco vici *Teſſenderlo* fuiſſe potius, quam nomen illud ſuum toti regioni dediſſe videatur. Quem vero ſæpe honoris ergo nominauimus, Menſo Altingius pag. 122 in Cluuerianam ſententiam ita inclinat, vt tamen acriter illam tueri nolit.

nolit. *Quod*, inquit, *Am. Marcellinus per Taxandriam innuerit hanc Zelandorum regionem; Cluuerio nostro credere malim, quam ambitiosius inquirere. Quum vtique certum sit, ad Tessenderlô, qui hodie Menapiorum vicus, haud procul Demera fluuio sinistore, Taxandrorum fines numquam pertigisse, vndecumque demum illi hoc nomen quaesitum. Licet negare nolim, quod adfirmare nequeo; Taxandros nostros aliquid agrorum trans Euripos in Menapiis, forte & in Morinis, aliquando possedisse.* Non nostrum est, inter tam claros viros litem componere. Vt vero ingenue dicam quæ sentio, malim in mediterraneis Toxandros quæri, quam in insulis Seelandicis, quarum nec facies nec situs, qualis antiquis temporibus fuerit, cognosci plane potest, præsertim Scaldis ostio, vt vidimus, immutato. Nec qui de Toxandris scripsere veteres, hoc est Plinius & Ammianus, vel verbo significauerunt, vnde de insulari sede ac situ quidquam possis coniicere. Quin potius quum *pluribus nominibus*, id est in plures gentes minores diuisos fuisse Plinius tradat, probabile est latius habitasse, quo fieri potuit, vt etiam in insulas, qualescumque tum erant, extensi fuerint; maior tamen pars in mediterraneis & Mosam versus consederit. Nec eius rei vestigium habent, qui medio æuo de Taxandria scripserunt: vt potius mediterraneam positionem claris verbis significent. Ex Vita Landeberti, qui primus in Toxandris ecclesias dicitur condidisse, Hadr. Valesius profert, *regionem Taxandriam a Traiectensi oppido, septemtrionem versus, vix* III *millibus disparari.* Traiectus ille ad Mosam est, vulgo *Mastrich*, qui tractus a Seelandia longe vtique est disiunctus.

GERMANIA CISRHENANA.

Expositis gentibus, quæ ex Transrhenana gente originem suam habuere, de ipsa nunc *Cisrhenana Germania*, in solo Gallico sita, iudicari verius potest. Quamvis vero gentes nonnullæ, Rhenum transgressæ, Germanorum nomen in ipsis Galliis aliquamdiu conseruarunt, vt de Tungris ostendit Tacitus de Morib. Germ. cap. II; quædam etiam cum origine ambitiose id nomen adfectarunt, tamquam gloriosius sibi, quam Gallorum; quod ibidem de Treueris Neruiisque cap. XXVIII demonstratur; quædam etiam indubitato Germanicæ erant, de quarum transgressu manifestius constabat, quod idem Tacitus dicto loco de Vangionibus, Tri-

bocis & Nemetibus adfirmat; tamen ipsum nomen *Germaniæ Cisrhenanæ*, tamquam prouinciæ vel separatæ, vel cum Belgica coniunctæ (de quo postea dispiciemus) circa Augusti tempora, non antea, initium cepit: postquam, transductis ab Agrippa Vbiis, per Tiberium, priuignum Augusti, ingens captiuorum numerus ex Germania translatus, & supra Rheni ripam in Gallia collocatus fuit. Dio Cassius lib. LIII pag. 503, quum partitionem prouinciarum, inter Augustum & populum factam, describit, de Gallia hoc adiicit: Κελτῶν τινὲς, ὓς δὴ Γερμανὺς καλῦμεν, πᾶσαν τὴν πρὸς τῷ Ῥήνῳ Κελτικὴν κατασχόντες Γερμανίαν ὀνομάζεσθαι ἐποίησαν, τὴν μὲν ἄνω, τὴν μετὰ τὰς τῦ ποταμῦ πηγάς· τὴν δὲ κάτω, τὴν μέχρι τῦ Ὠκεανῦ τῦ Βρεττανικῦ ὖσαν. Hoc est: *Celtæ quidam, quos Germanos vocamus, quum omnem Celticam regionem, quæ ad Rhenum est, occupassent, effecerunt, vt ea Germania vocaretur: Superior, quæ Rheni fontibus propior est: Inferior, quæ ab hac vsque ad Oceanum Britannicum se extendit.*

Non pro sua Dionem ætate loqui, sed de æuo Augusti, etiam ex Tacito probari potest, qui in Tiberii historia vtriusque prouinciæ, vt antea constitutæ, mentionem fecit. Annali enim III cap. XLI dicitur Visellius Varro *Inferioris Germaniæ legatus:* & lib. IV cap. LXXIII *Quod vbi L. Apronio Inferioris Germaniæ proprætori cognitum, vexilla legionum e Superiore prouincia acciuit.* Atque ita etiam sub Nerone & Flauiis, insequentibusque imperatoribus, gemina Germania Cisrhenana fuit. Suetonius Vitellio cap. VII *A Galba in Inferiorem Germaniam contra opinionem missus:* & Domitiano cap. VI *Bellum ciuile, motum a L. Antonio, Superioris Germaniæ præside, confecit absens felicitate mira.* Ex quibus adparet, duas fuisse Germanicas cis Rhenum prouincias, *Superiorem*, quæ a Rauracis initium sumebat; & *Inferiorem*, quæ per Vbios, Gugernos ad Oceanum vsque protensa fuit. Hinc est quod veteres inscriptiones *duarum Germaniarum*, & aliæ *vtriusque Germaniæ* in prouinciis Romanis mentionem faciant. Gruterus pag. 482 num. 4

PROC. PROVINC. BELGICAE
ET VTRIVSQ. GERMANIAE.

& eodem Opere pag. 375 num. 1

PROC.

cuius gemella in Opere Reinesii exstat class. VI num. 123.

SVPERIORI Germaniæ Ptolemæus oppida adsignat, Vangionum *Borbetomagum*, Nemetum *Nouiomagum*; in Tribocis *Argentoratum*, *Breucomagum*, *Elcebum*: in Rauracis, *Augustam* & *Argentuariam*: INFERIORI, *Batauodurum*, *Vetera*, *Agrippinensem*, *Bonnam*, *Magontiacum*: terminum inter vtramque *Obringam* siue *Abrincam* fluuium constituit, qui nunc *Are* est, inter Bonnam & Andernacum in Rhenum se infundens. Libro II enim cap. IX ait: Τῆς παρὰ τὸν Ῥῆνον χώρας, ἡ μὲν ἀπὸ θαλάσσης μέχρι τοῦ Ὀβρίγγα ποταμοῦ, καλεῖται Γερμανία ἡ κάτω· ἡ δὲ ἀπὸ τοῦ Ὀβρίγγα ποταμοῦ πρὸς μεσημβρίαν καλεῖται Γερμανία ἡ ἄνω. Id est, *Pars regionis, quæ Rheno adiacet, a mari ad Obringam flumen, Germania dicitur Inferior: pars autem ab Obringa ad meridiem versus, vocatur Germania Superior.* Eadem Marcianus Heracleota, Ptolemæum haud dubie sequutus, tradidit pag. 82, Ἀπὸ μὲν θαλάσσης μέχρι τοῦ Ἀβρίκκα ποταμοῦ καλεῖται Γερμανία ἡ κάτω· ἡ δὲ ἀπὸ τοῦ Ἀβρίκκα ποταμοῦ καλεῖται Γερμανία ἡ ἄνω, *A mari ad vsque Abriccam flumen vocatur Germania Inferior: ab Abricca flumine dicitur Germania Superior.* Hinc rationem habemus vtriusque adpellationis, qua finitor prouinciarum fluuius signatur, *Obringa* auctore Ptolemæo; *Abrinca* vel *Abricca*, præeunte Marciano Heracleota. Et quia vtriusque prouinciæ vrbes ita distinxit Ptolemæus, vt Vbios ad Inferiorem, Vangiones ad Superiorem referat; nec vero hos populos amnis maior notabiliorque interfluat, quam qui nunc *Are* dicitur, supra Rimagen, e regione Entziæ, quæ supra Vnkelium est, se Rheno adfundens; consequens omnino est, vt ille amnis *Are* sit veterum *Obringa* siue *Abrinca*.

Sic certa longitudo vtriusque prouinciæ secundum Rheni ripam est: latitudinem ab occasu solis (nam ab ortu Rhenus finit) non facile quisquam determinauerit. Nec certum omnino, Superiorem, ac, vt postea dicebatur, Primam Germaniam iisdem finibus fuisse vbique circumscriptam; & iisdem Secundam ac Inferiorem prouinciam fuisse. Quod si est eadem, vt plerique credunt, Prima & Superior Germania; item Secunda & Inferior; a ripa longius Inferior recessit, quia Ammianus lib. XV. cap. XXVII

Secundæ *Tungros* & *Agrippinam* ciuitates adſignat, quod etiam in Notitia prouinciarum fit; Tungri autem, ſiue Tungrorum oppidum procul a Rheni ripa trans Moſam ſitum eſt. Fieri itaque potuit, vt Superior Germania latior aliquantum, quam Prima eſſet, & in Belgicam Primam excurreret, quia quum *Superioris* & *Inferioris* nomina obtinerent, nondum in tot partes, vt poſtea factum eſt, diuiſa fuit Gallia. Sed quidquid huius rei eſt, neque adfirmari argumentis poteſt, neque etiam negari.

Cum his grauior connexa diſputatio eſt, fuerintne duæ hæ Germaniæ abruptæ & ſeparatæ prouinciæ a Gallia Belgica, an ſub eadem comprehenſæ? ſiue, quod idem eſt, habuerintne ſeparatam iurisdictionem ab illa, quæ fuit Belgicæ præſidis? Cauſſa dubitandi eſt, quia Plinius in Belgica prouincia enumerat omnes illos populos, qui in vtraque Germania fuerunt, quarum ille neque rationem habet, nec facit vllam mentionem. Ptolemæus quoque vtramque Germaniam includit ſuæ Belgicæ, nec in plures partes vniuerſam Galliam diſtribuit lib. II cap. VII, quam εἰς ἐπαρχίας δ', *in prouincias quatuor*, Aquitaniam, Lugdunenſem, Belgicam, & Narbonenſem: qua poſita diuiſione, non poſſunt Germaniæ duæ ſub Belgica iurisdictione, quam vnus præſes Belgicæ exercebat, non comprehendi. Nihilominus vterque & Plinius & Ptolemæus, diuiſionem primam, quam Iulius Cæſar in Galliis inuenerat, quadripartitam ſequutus eſſe cenſendus eſt, in partium autem populis enarrandis Auguſti diſtributionem obſervaſſe, qui populos Lugdunenſi ſiue Celticæ detractos adiecit partim Aquitaniæ ad Ligerim vſque: partim, qui ad auſtrum erant, Belgicæ; vt adeo in numero partium ſequuti ſint Iulium; in partium expoſitione reſpectu populorum, non autem iurisdictionis, Octauianum Auguſtum. Pomponius autem Mela, quod mireris, vnice diuiſionem a Cæſare Iulio delineatam, lib. III cap. II ſubſequutus eſt, quaſi nihil quidquam de noua Auguſti diſpenſatione inaudiuiſſet. Separata enim Narbonenſi, quod etiam Iulius fecit, ſub prouinciæ Romanæ nomine; *populorum,* inquit, *tria ſumma nomina ſunt, terminanturque fluuiis ingentibus. nam a Pyrenæo ad Garumnam, Aquitani: ab eo ad Sequanam Celtæ: inde ad Rhenum pertinent Belgæ.*

Sed miſſo Mela, qui Iulii veſtigiis contra ſæculi ſui notitiam inhæ-

inhæret; aduersus Plinium & Ptolemæum, & Iulii & Augusti diuisionem confundentes, siue Iulianæ diuisioni ex Augustea aliquid adiicientes, vt illam corrigerent; non autem plene illam persequentes, disputabimus. Vt ita censeamus, auctoritas Taciti potissimum inducit, cui magnum momentum ex antiquis inscriptionibus addi ad confirmanda quæ scripsit, videmus. Ita autem ille Belgicam ab vtraque Germania distinguit, vt singulis suos præsides nominatim adsignet, &, quæ inde consequitur, distinctam separatamque a ceteris, iurisdictionem. Annali XIII cap. LIII legatum Belgicæ Aelium Gracilem dicit, qui L. Veterem, exercitui Germaniæ Superioris præfectum, qui Ararim fossa Mosellæ coniuncturus erat, deterruit, *ne legiones* ALIENAE PROVINCIAE *inferret*. Idem Histor. I cap. LIX *Valerium Asiaticum Belgicæ prouinciæ legatum* memorat, generum mox Vitellii. Germaniarum autem præsides supra cognouimus, *Visellium Varronem Inferioris legatum*, ex Annali III cap. XLI; & *L. Apronium* eiusdem *Inferioris Germaniæ propretorem*, ex Annali IV cap. LXXIII: & Suetonius Domitiano cap. VI *L. Antonium Superioris Germaniæ præsidem* commemorauit. Addo inscriptiones illustrissimas ex Gruteri Opere, pag. 375 num. 1

PROC. A RATIONIBVS PROVINCIARVM
BELGICAE ET DVARVM GERMANIARVM.

Et alia eodem Opere pag. 389 num. 2

PROC. XX HERED. PER
GALLIAS LVGDVNENSEM ET BEL
GICAM ET VTRAMQ. GERMANIAM
PRAEPOSITO COPIARVM EXPEDITI
ONIS GERMANICAE SECVNDAE.

Et rursus Gruterus pag. 381 num. 1 sub Alexandro Seuero:

LEG. AVG. PR. PR. GERMAN. SVPERIORIS.

Et pag. 457 num. 6 sub Antonino Pio:

PROPR. GERMANIAE SVPER. ET
EXERCITVS IN EA TENDENTIS.

Nec aliter de Inferiore prouincia pag. 502 num. 6

L. DOMITIO GALLICANO PAPINIANO
C. V. LEG. AVG. PR. PR. PROVINCIAE
GERMANIAE INFERIORIS.

Dignus ergo Ammianus Marcellinus non vna castigatione, quod lib. XV [cap. XXVII Grut. siue XI Vales.] scripsit : *Regebantur omnes Galliæ iam inde, vti crebritate bellorum vrgenti cessere Iulio dictatori, potestate in partes diuisa quatuor : quarum Narbonensis vna Viennensem intra se continebat, & Lugdunensem : altera Aquitanis præerat vniuersis : Superiorem & Inferiorem Germaniam, Belgasque, duæ iurisdictiones iisdem rexere temporibus.* Non Iulii temporibus ita Gallia regebatur, quia Aquitaniam non ille, sed Augustus perdomuit : deinde Lugdunensis numquam intra Narbonensem fuit, neque vel Iulii vel Augusti ætate Viennensis prouinciæ nomen auditum fuit : nec ab Augusti temporibus duæ tantum in Gallia Belgica iurisdictiones fuerunt, sed tres, duæ in Germaniis ; & vna in Belgica reliqua siue propria. Nec doctissimus Ammiani reparator & interpres Henricus Valesius heic nobis satisfacit. Postquam enim recte improbauerat, quæ alienis temporibus Iulii Marcellinus tribuerat, adiecit : *Augustus, noua Galliæ diuisione facta, quatuor iurisdictiones constituit. Sed ne tum quidem Belgicæ iurisdictio ab iurisdictione vtriusque Germaniæ separata est, vt docet Dio lib.* LIII, *nec diu postea ; quod ex Plinio & Ptolemæo colligitur, qui sub Belgica prouincia vtramque Germaniam comprehendunt.* Sed Dio prouincias distinguit, Superiorem ab Inferiore : de iurisdictione nihil addit. De Plinio & Ptolemæo supra vidimus. Solus numerus *quatuor* iurisdictionum, & respectu illarum comprehensio Germaniarum cum Belgica, sunt, quæ aliter velimus, vir clarissimus dispofuisset, vt Tacito, & inscriptionibus antiquis propius conuenirent. Quam verius frater Henrici, Hadrianus Valesius, iterata Ammiani editione subdidit : *Non quatuor, vt ait Ammianus, primum fuere toti Galliæ iurisdictiones seu potestates - - - sed sex omnem Galliam tum rexere magistratus, Narbonensem prouinciam vnus, Aquitanicam alter, tertius Celticam vel Lugdunensem, quartus Belgicam, quintus Superiorem Germaniam, sextus & vltimus inferiorem.* In qua verissima sententia, ex Tacito antea, Suetonio, & vetustis inscriptionibus firmata, eo lubentius adquiescimus, quo maior illi ex summi viri Vlrici Obrechti iudicio, in Prodromo Rerum Alsat. cap. IV idem adseuerantis, auctoritas accedit.

Caput Superioris Germaniæ *Magontiacum* fuit : Inferioris *Colonia*, postquam deducta fuit, *Agrippinensis*. Ibi enim exerci-

tus,

tus, duces, præsides vt plurimum fuisse memorantur. Nec vanum argumentum est, quod in his ciuitatibus ecclesiæ primæ & metropolitanæ fuerunt constitutæ. Id enim a doctis viris observatum est, vbi sedes præsidis fuit in prouincia, ibi primæ dignitatis etiam episcopum fuisse. Accedit quod in Imperii Notitia sub dispositione Ducis Magontiacensis dicuntur omnia præsidia fuisse & vrbium & castellorum Germaniæ Primæ, quæ iisdem, quibus Superior, putatur finibus terminari, præter tractum Argentoratensem, Comiti suo subiectum.

MORINI.

Expositis quæ ad prouincias Germanicas, solo Gallico impositas, pertinebant, ad reliquos Belgas perlustrandos nunc accedimus: in quibus proxima est ciuitas *Morinorum*. Ad mare Oceanum, vt nomen etiam arguit, inter Scaldim & Samaram fluuios habitauerunt, dicti quasi marini vel maritimi, a *Mor* siue *Mœr*, quod Celtica lingua mare est. Mediam syllabam Virgilius corripuit lib. VIII. 727

Extremique hominum Morini, Rhenusque bicornis.

Propius situm Morinorum designat fretum Britannicum. Cæsar lib. IV cap. XXI *Ipse cum omnibus copiis in Morinos proficiscitur, quod inde erat breuissimus in Britanniam traiectus.* Et Pomponius Mela lib. III cap. II *Ab Osismiis iterum ad septemtriones frons litorum respicit, pertinetque ad vltimos Gallicarum gentium Morinos.* Gallicarum, inquit, gentium: quia & Plinius a Scaldi incipit, quamlibet in Gallia, Germanicæ originis gentes locare. Cæsaris ætate Morinos πόλεις οὐκ ἔχοντας, ἀλλ' ἐν καλύβαις διαιτωμένους, *Vrbes nullas habuisse, in tuguriis habitasse*, dixit Dio Cassius lib. XXXIX pag. III. Post coluisse oppida, ex Ptolemæo & Itinerariis constabit proxime. Portus tantummodo veteres laudant, Cæsar tres, in iisque quo præcipue, traiectu in Britanniam, vsus est, *Itium* siue Icium. Primo traiectu non nominauit: altero, bis. Lib. IV cap. XXI *Cum omnibus copiis in Morinos proficiscitur.* Cap. XXIII *nactus idoneam ad nauigandum tempestatem, tertia fere vigilia soluit.* Ex *Itio* cum legionibus soluisse, Strabo lib. IV pag. 138 ostendit, quum dixit, παρ' οἷς [Μορινοῖς] ἐστὶ τὸ Ἴτιον, ᾧ ἐχρήσατο ναυσταθμῷ Καῖσαρ ὁ θεὸς διαίρων εἰς νῆσον, *Apud Morinos est Itium, quo vsus est*

naualı

nauali diuus Cæsar, in insulam transmittens. De primo autem transitu loqui, hora, qua adpulit, *quarta* diei comprobat. Pergit enim, νύκτωρ ἀνήχθη, καὶ τῇ ὑστεραίᾳ κατῆρε περὶ τετάρτην ὥραν, quo Cæsaris in primo traiectu verba ex lib. IV cap. XXIII expressit: *tertia fere vigilia soluit: hora circiter diei* IV *cum primis nauibus Britanniam attigit.* Libro autem V aperte Cæsar cap. II, *Omnes ad portum Itium conuenire iubet: quo ex portu commodissimum in Britanniam transiectum esse cognouerat, circiter millium passuum* XXX *a continenti.* Et cap. V *Cæsar ad portum Itium cum legionibus peruenit.* Ptolemæus lib. II cap. IX habet Ἴκιον ἄκρον, *Icium promontorium.* Vnde duplex scripturæ ratio, per *T*, auctore Strabone: & per *C*, cum Ptolemæo: quod nonnulli geminant, quia Remorum legatus ad Cæsarem lib. II cap. III & VI *Iccius,* quasi hinc originem duxisset, nominatur. Cæsaris codices variant: metaphrastes Ἴκτιον reddit cap. V: priore loco praue scriptum Ὄκτιον.

Hic primus portus Cæsaris, isque præcipuus: alter vltra hunc fuit, vt ipse describit lib. IV cap. XXIII. *Nactus,* inquit, *idoneam ad nauigandum tempestatem, tertia fere vigilia soluit, equitesque in vlteriorem portum progredi, & naues conscendere, ac se sequi iussit.* Quem heic portum *vlteriorem* dixit, post paullo *superiorem* vocat cap. XXVIII. *Post diem* IV, inquit, *quam est in Britanniam ventum, naues* XVIII, *de quibus supra demonstratum est, quæ equites sustulerant, ex superiore portu leni vento soluerunt.* Idem ergo hic *superior* est, qui ante paullo dicebatur *vlterior*, ex quo equites transmiserunt. Tertius portus eodem libro in reditu Cæsaris cap. XXXVI designatur, quod *infra paullo* illum portum, in quem Cæsar reuertit, situs fuerit. Ait enim, quum *omnes naves incolumes in continentem peruenissent, ex his onerarias duas eosdem portus capere non potuisse, sed paullo infra delatas esse.* Dum dicit *eosdem portus* non tenuisse, arguit vtramque partem exercitus in portum, ex quo egressa fuerat, ex insula reuertisse: legiones cum Cæsare in Icium; equites in vlteriorem: quæ vero aberrauerant, in inferiorem, qui citra Icium erat; vt superior, ipso Cæsare interprete, vltra illum.

Nunc ad inuestigationem portus *Icii,* quæ multitudine sententiarum fit difficillima, adgrediamur. Nullus enim vel mediocris

cris portus est Flandriæ & Bononiensis litoris, in quo non quidam *Icium* Cæsaris portum se inuenisse opinentur. Nimium foret opiniones omnium huc adferre: nobiliores auctorum claritate, sufficiat enumerasse. Philippus Cluuerius, magnæ famæ geographus, portum *Icium* Cæsaris Iulii, & *Gessoriacum* Melæ, Suetonii, Flori, eundem esse contendit: quod si est, indicio Peutingerianæ Tabellæ de situ non possumus incerti esse, quia in illa sic proditum est, *Gesoriaco, quod nunc Bononia*, vt idem vel portus vel oppidum tria nomina habuerit, primum *Icii*, temporibus Cæsaris: deinde *Gesoriaci* siue *Gessoriaci*: tandem Constantinorum ætate, aut paullo ante, *Bononiæ*. Argumentis instructus Cluuerius est non contemnendis. Primum sit & validissimum, quod Cæsar vtique portu optimo & præcipuo Morinorum vsus fuerit, traiecturus exercitum in Britanniam. Iam vero vnum tantummodo insignem portum in hac gente veteres scriptores memorasse. Plinius lib. IV extremo de mensura Galliæ: *Vnde* [ab Alpibus] *per Lugdunum ad portum Morinorum Britannicum, qua videtur mensuram agere Polybius*, $\overline{XIII}$ M. XVIII, id est tredecies centena & decies octies millia. Dum *portum Morinorum Britannicum* dicit, vnum significat & celebrem Romanorum aliorumque traiectu. Illum vero esse Gessoriacum, ex Pomponii Melæ lib. III cap. II videtur constare. *Ad septemtriones*, inquit, *frons litorum respicit, pertinetque ad vltimos Gallicarum gentium Morinos, nec portu, quem Gesoriacum vocant, quidquam habet notius.* Suetonius, de Claudii Britannica expeditione, cap. XVII *Massilia Gessoriacum vsque pedestri itinere confecto, inde transmisit.* Iam vero, inquit, nihil probabilius, quam Claudium ex eodem voluisse portu soluere, quem quondam Iulius transmittendo exercitui commodissimum expertus fuerat: quod etiam posteriores Romani sic obseruasse ex Olympiodori historia a Photio excerpta cod. LXXX, probat, qui Constantinum, tyrannum, Honorio æqualem, ex Britannia vbi purpuram sumserat, traiecisse dicit ἐπὶ Βουωνίαν, πόλιν ὅτω καλȣμένην, παραθαλασσίαν, καὶ πρώτην ἐν τοῖς τῶν Γαλατῶν ὅροις κειμένην, *in Bononiam, vrbem ita nominatam, maritimam, & primam in Gallorum finibus positam.* Bononiam autem Gessoriacum esse, antea ex Tabula Theodosiana demonstratum est

Quod vero Ptolemæus promontorium Ἴκιον, *Icium*, haud

dubie cum portu eius nominis coniunctum, & Γισοϱϱίακον ἐπίνειον, *Gisoriacum nauale* Morinorum, longitudine per dimidium gradum separauit; fit, vt alii portus, Icium & Gessoriacum, diuersos & interuallo quodam notabili seiunctos fuisse existiment. Sed hi rursus inter se dissentiunt. Io. Iacobus Chiffletius geminum portum Icium facit, vlteriorem & citeriorem: illum in vico *Mardik* prope Grævelingiam; hunc ad *Sithiu*, quod postea S. Audomari fanum (Saint Omer vulgo) dictum est, constituit, vnde per lacus, aut longe excurrentem sinum, in Oceanum nauigatum sit. Aduersus quem eruditam Dissertationem scripsit Guilielmus Somnerus, Anglus, ipse in prædictam Cluuerii sententiam concedens. Addo, Audomari fanum in Atrebatibus esse: portum autem Icium in Morinis quærendum. Carolus du Fresne Commentario in Vitam S. Ludouici pugnat pro loco *Witsand*, inter Ambleteolium & Sangatam; aut si notiores vrbes, vtrimque autem remotiores mauis, inter Bononiam & Caletum sito, de quo constet ex Anglorum æque & Gallorum historiis, inde a sexto Christianorum sæculo fuisse portum maximopere frequentatum: indeque probabile fieri, nec antea insolentem ex eo loco nauigationem fuisse. Nec nomen multo abludere persuasum idem habet Carolus Fresnius. Si vias militares vrget Cluuerius, quæ omnes Gessoriacum ferant, non ad alium locum litoris; nec vestigia viæ stratæ, quæ Bononia Witsandum duxerit, deesse respondet, quamuis forsan via illa posteriori ætate minus fuerit, quam antea, frequentata; aut quum Itineraria conficerentur, plane etiam deserta. Pondus huic sententiæ addit Edmundus Gibsonius, Noua Dissertatione quam Somnerianæ de Portu Iccio, & Fresnianæ, a se in Latinum conuersis, adiunxit. *Ex Guilielmo,* inquit, *Pictauiensi discimus, Aluredum, S. Edwardi Anglorum regis fratrem, e Gallia in Britanniam redeuntem, Doroberniam venisse, transuectum* EX PORTV ICCIO. *Guilielmus vero Gemeticensis eundem transitum referens, verbis disertis adfirmat, Aluredum* PORTVM WISANTI petiisse, *& hac transfretantem Doroberniam venisse.*

Non longe ab hac sententia recedit Iacobus Malbrancquius, Historiæ Morinorum lib. I cap. IX portum Icium inter Caletum & Sangatam ita constituens, vt ad promontorium Sangatense, quod in angulum recedit, portum credat Cæsaris vlteriorem extitisse.

ſtitiſſe. Abraham Ortelius fluctuat inter variorum ſententias ita, vt Caleto primas videatur tribuere; quod Hadriano etiam Iunio lib. III Animaduerſ. cap. I placuit. Hadrianus autem Valeſius in Notitia Galliarum, Icium portum, cum promontorio cognomine, a Cæſare & Strabone ac Ptolemæo commemoratum, arbitratur eſſe *Stapulas* (Eſtables en Boulonnois) qui eſt portus in Morinis ad os Quantiæ fluminis: ex eoque portu bis ſoluiſſe in Britanniam Cæſarem: eum autem portum, quem *vlteriorem* Cæſar, & *ſuperiorem* vocat, & ex quo in ſuperiore nauigatione ſoluiſſe equites docet, eſſe Geſoriacum ſiue Bononiam, & vltra & ſupra Stapulas poſitam.

Tanta diſſenſio eruditorum hominum de portu eſt *Icio*, & tam variis in locis ille quæritur. Notas in Cæſaris deſcriptione duas inuenimus, & ad anguſtiam freti fuiſſe, & inter alios duos portus conſtitutum. Vtraque nota tam Geſſoriaco ſiue Bononiæ conuenire poteſt, quam Witſando. Anguſtius quidem mare ad Witſandum eſt, quam ad Bononiam: nec vero, quod Cæſar *circiter* XXX M. P. dixit tanto rigore numerorum accipiendum eſt, vt nihil plus minusve liceat intelligere. Vterque etiam locus inter duos portus ſedet, *Geſſoriacum*, inter Ambleteolum, vlteriorem ſuperioremque; & Stapulas, inferiorem: nec minus *Witſandum* duobus aliis incluſum eſt portubus, Bononiæ & Caleti. Vix ergo aliquid certi inter tantos ſententiarum fluctus definitur. Si certum eſſet Pictauienſem Guilielmum firmis argumentis perſuaſum, non incerta inductum opinione, Witſandienſem portum adpellaſſe *Iccium*, vtique robur aliquod ſententiæ alteri accederet; ſed dum illud non confirmabitur, in dubio controuerſiam relinquemus. Neque Ptolemæi numeri tam ſolidi & certi ſunt, vt poſſint omnem dubitationem tollere: neque repugnat tria vnius loci, ſed progreſſu temporum, non ſimul; fuiſſe nomina: quamquam & duo ſæpe ſimul inhærere non ignoramus.

Hæc de portubus Morinorum. De *Geſſoriaco* dubitatur, vtrum ſolus ille fuerit, an cum oppido coniunctus. Sed alterum videtur veroſimilius, quamuis Dio Caſſius negauerit, vt ſupra demonſtratum eſt, Morinos oppida coluiſſe. Eſto enim, Cæſaris ætate, de qua loquitur Dio, non formam iuſti oppidi habuiſſe, id vero non impedit, quo minus poſt paullo acceperit, quam

Claudius Cæſar in Britanniam iter renouaſſet. Florus certe lib. I cap. XI de illo tamquam de oppido loquitur, idque cum Fregellis, Italiæ oppido comparat: etiam genere ſignificat, non ſibi tam portum in animo fuiſſe quum ſcriberet, quam oppidum. *Idem tunc Fæſulæ*, inquit, *quod Carræ nuper: Idem nemus Aricinum, quod Hercinius ſaltus: Fregellæ, quod Geſſoriacum: Tiberis, quod Euphrates.* Non ergo erat, quod Malbrancquius lib. I de Morinis cap. XI & XIV Geſſoriacum nauale a Bononia disiungat, & ad oppidum S. Audomari reducat propterea, quod Mela & Ptolemæus tantummodo *portum* & *nauale*; Plinius lib. IV cap. XVII *pagum*, quod territorium interpretatur, adpellet. Ex Floro enim iam demonſtrauimus, cum oppidis comparari, & oppidum, ſaltem a Claudii temporibus haud dubie fuiſſe. Quid? quod Eumenius Panegyrico, quem Conſtantio Cæſari dixit, cap. VI *Geſoriacenſes muros* memorauit. Ergo auctorem potius Tabulæ Theodoſianæ ſequendum cenſemus, qui clare dixit, *Geſoriaco, quod nunc Bononia.*

Noui nominis autem *Bononiæ* antiquiorem auctorem non habemus, quam ex ſæculo Conſtantiniano, quo Eumenius panegyrica oratione Conſtantino dixit cap. V de patre Conſtantio: *exercitum illum, qui Bononienſis oppidi litus inſederat, terra pariter ac mari ſepſit.* Et Eutropius in Diocletiano lib. IX cap. XIII *Carauſius quum apud Bononiam per tractum Belgicæ & Armoricæ pacandum mare accepiſſet.* Zoſimus lib. VI cap. II de Conſtantino tyranno: ἐπεραιώθη, τὴν Βρεττανίαν καταλιπών· ἐλθὼν δὲ εἰς Βονωνίαν· πρώτη δὲ αὕτη πρὸς τῇ θαλάσσῃ κεῖται, *Britannia relicta transmiſit: venitque Bononiam, quæ prima vrbs ad mare eſt.* Quibus gemella Olympiodorus de eodem tyranno, vt ſupra demonſtratum eſt, tradidit. Nec vero ita nouum nomen inductum, vt vetus illico euaneſceret. Idem enim Eumenius, qui modo *Bononienſis oppidi litus* dixerat, Panegyrico Conſtantii cap. XIV etiam *Geſoriacenſe litus* dixit, & vt ſupra paullo vidimus, *Geſoriacenſes muros.*

Ptolemæus Morinis attribuit mediterraneum oppidum Ταρουάνναν, *Taruannam*, quæ haud dubie caput illorum fuit. Antonini Itinerario eſt *Taruenna.* Itinere a portu Geſſoriacenſi Bagacum vſque,

Geſſo-

Gessoriaco			
Taruennam	M.	P.	XVIII
Castellum	M.	P.	VIIII
Virouiacum	M.	P.	XVI
Turnacum	M.	P.	XVI, & reliqua.

Ibidem etiam itinera diriguntur a *Taruenna* Turnacum : & aliud, Durocortorum. In Tabula Theodosiana scribitur *Teruanna*. In Notitia prouinciarum & ciuitatum Galliæ vocatur simpliciter *Ciuitas Morinûm :* in alia, *Ciuitas Morinûm Taruanna Pontium :* rursus in alia, *Ciuitas Morinorum, id est Ponticum.* Vnde cognomen sit *Ponticum*, fatetur Valesius se ignorare. Quod fatum subierit auorum memoria, Caroli V bello Gallico, notissimum est. Ceterum notauit idem Valesius Cluuerium, quod *in Atrebatibus ad Legiam flumen*, VII lapide a fano Audomari, *exstare Taruennæ vestigia*, scripserit. Non enim Atrebatum, sed Morinorum coloniam semper fuisse.

Deinde in Tabula Theodosii Peutingeriana *Castellum Menapiorum* in tractu Morinorum ponitur : vnde Harduinus ad Plinii lib. IV cap. XVII existimat, eo vsque sedes Menapiorum pertinuisse, qui a Rheno non Mosam tantum, sed Scaldim etiam transgressi habitationes suas dilatauerint. Hadrianus autem Valesius in v. *Menapii*, non veretur mendi arguere auctorem vel descriptorem *Tabulæ*, & *Castellum Morinorum* legendum esse iudicat, quum aliud *Menapiorum castellum* supra viderimus, ad Mosam positum, nunc Kessel dictum. Etiam Malbrancquius in Tabula sua *Castellum Morinorum* scripsit, & de situ eius tradidit, speculam Morinorum fuisse, in monte excelso exstructum, qui largas aquas viui fontis in vertice habeat. Hoc est quod in itineribus Antonini simpliciter *Castellum* dicitur, vt modo in illo vidimus, quod a Gessoriaco ferebat Bagacum : cui addi possunt quæ ab ipso *Castello* ducunt Turnacum & Coloniam. Distat XXVII M. P. a Bononia [Tab. Peuting. XXIIII] Tornacum versus, a quo abest XXXII M. P. Hodieque nomen seruat *Cassel*, & *Mont Cassel*, in Flandria. Guil. Brito pro sæculi consuetudine *Cassellum* vocat, non Castellum, Philippid. lib. IX vers. 403

Mox subduntur ei sola formidine summo
Mœnia Casselli pendentia vertice montis.

Denique de *Colonia Morinorum* aliquid dicendum est. Vetus nummus, in Golzii thesauro, inscriptus est COLONIA MORINORVM, quem Hadrianus Valesius de Taruenna interpretatur, principe ciuitate Morinorum. Est ad Neomagum Geldriæ lapis inuentus, quem etiam Gruterus pag. 80 num. 6 exscriptum dat, qui itidem Coloniæ Morinorum mentionem facit:

MINERVAE
CVR. LADAE
T. PVNICIVS CE
NIALIS II VIR CO
LON. MORINO
RVM. SACERDOS
ROMAE ET AVG.

Iacobus Malbrancquius lib. I Hist. Morin. cap. XVI existimat, quemadmodum Menapii etiam inter Morinos, transgressi Scaldim, habitauerint: ita vicissim Morinos in propriam Menapiorum terram, hoc est in Geldriam, coloniam deduxisse, idque ex hoc lapide, in Geldria inuento, credit confirmari. Sed potuit alia caussa esse, cur duumuiro Morinorum coloniæ honos in Geldria haberetur, quia & Romæ dignitatem obtinuit, vt cum exercitu Rom. in illas oras venisse videatur, & hunc ab incolis ob merita & beneficia accepisse honorem. Malim ergo in Morinis, quam alia in gente, *Coloniam Morinorum* inuestigari: nec alienum a more Romano est, in primariam illorum vrbem fuisse deductam.

Cum Morinis Plinius lib. IV cap. XVII iungit *Oromansacos*, siue vt in MSS. est, *Oromarsacos*, obscuram gentem, cuius nulla alibi reperitur memoria. *Deinde*, inquit, *Menapii, Morini, Oromansaci, iuncti pago qui Gessoriacus vocatur.* Sed vt obscuros & ignobiles prætermittimus. An vero Menapii etiam inter Morinos habitauerint, alia, nec explicatissima quæstio est. Plures aiunt, non tam propter Peutingerianæ Tabulæ *Castellum Menapiorum*, de cuius cognomenti sinceritate nonnulli dubitant; quam quod sæpe Morini Menapiique a Cæsare coniungantur, lib. III cap. XXVIII, lib. IV cap. XXII, & alibi. Contra Valesius pag. 336 ex medii æui historiis euinci arbitratur, Flanderes, id est Morinos, a Menapiis, & Flandriam a Menpisco, id est Menapiorum pago,

pago, diſtingui ac ſeparari. Sed facile conciliantur. Coniunctio Cæſaris vicinitatem arguit, non confuſam habitationem, quam ipſe lib. IV cap. vlt. confutat. Morini autem vt circa Bononiam Flandrorum fines transgrediuntur, ita nihil obſtat quo minus, Scaldim verſus, irruentibus Menapiis aliquid finium conceſſerint: vt nihilominus Menapiorum trans Scaldim ager a Morinorum ampliore terra, ſiue Flandria, diſtinctus fuerit.

ATREBATES.

Morinis in auſtrum *Atrebates* proximi erant. Scribitur id nomen varie. Cæſari ſunt *Atrebates*. Commentario II de Bello Gall. cap. IV ad commune bellum XV *millia Atrebates* pollicentur. Cap. XVI *trans flumen Sabin omnes Neruios conſediſſe cum Atrebatibus & Veromanduis, finitimis ſuis*. Cap. XXIII *vulneribus confectos Atrebates in flumen compulerunt*. Plinius quoque lib. IV cap. XVII hac forma vſus eſt, *Atrebates, Nerui liberi, Veromandui*. Sidonius Apollinaris Panegyrico Maioriani verſ. 212

qua Cloio patentes
Atrebatum terras peruaſerat.

Straboni lib. IV pag. 134 ſunt Ἀτρέβατοι, *Atrebati*: Ptolemæo lib. II cap. IX Ἀτρεβάτιοι, *Atribatii*: in Notitiis non nullis provinciarum *Atreuates, Atrabates*, & *Atrauates*. Fuit & forma *Atrebatæ, arum*, quæ a populo ad vrbem, pro ſæculi more, in Notitia Imperii transfertur, vt poſtmodum videbimus. Nec ſingularis inuſitatus eſt. Cæſar commentario IV cap. XXXV *quos equites Comius Atrebas ſecum transportauerat*. Et lib. V cap. XXII *legatos Caſſiuellaunus per Atrebatem Comium de deditione ad Cæſarem mittit*. Nunc *Arteſii*, Gall. *l'Artois*.

Ptolemæus ſuis Atribatiis tribuit oppidum Ὀριγιακόν, *Origiacum*, tamquam caput gentis, quod ſolemne ipſi eſt primarias tantum vrbes nominare. Præter illum vero hoc nomen a nemine eſt commemoratum. Celebre hoc tractu in Itinerariis eſt *Nemetacum*, quæ eadem *Nemetocenna* Hirtii lib. VIII cap. XLVII & LII videtur eſſe, de qua infra in *Belgio* Cæſaris dicemus: vt hoc potius capitis nomen fuiſſe videatur. In vtroque, Itinerario & Tabula, *Nemetacum* medium eſt inter Taruennam & Turnacum,

cum, nullo interiacente oppido alio. Sed itinere a Castello Morinorum Coloniam Agrippinensem, hic ordo obseruatur:

Castello			
Minariacum	M.	P.	XI
Nemetacum	M.	P.	XVIII
Camaracum	M.	P.	XIIII.
Bagacum	M.	P.	XVIII, ac reliqua.

Qui situs non aberrat a loco primariæ vrbis, quæ vulgo Arras, nostris *Atrecht*, medio æuo *Atrebata*, vt in Notitia Imperii est, nuncupatur. Recentia vero illa vocabula ex *Atrebata* sunt deprauata. Sed idem videtur disiunctum a Nemetaco fuisse. Nam in dicta Imperii Notitia pag. 147 in Lætorum ordinibus habetur *Præfectus Lætorum Batauorum Nemetacensium Atrebatis Belgicæ Secundæ.* Si idem oppidum esset, videtur dicendum fuisse *Nemetacensium Nemetaco*, sicut paullo ante legitur, *Præfectus militum Bingensium Bingio.* Hoc dubium nectit Valesius: quod vero non insolubile est. Alia enim est ratio oppidorum vno nomine, alia duobus vtentium. Et sicut nihil peccat, qui dixerit Spartanos Lacedæmone coluisse: ita etiam nihil absonum est, si milites Nemetacenses dicantur Atrebatis fuisse præsidii caussa. Nihil ergo obesse videmus, quo minus *Nemetacum* caput Atrebatum fuerit, siue illa vrbs quæ hodieque *Atrebatæ*, gentis nomine, & prauatione admissa *Atrecht* ac *Arras* adpellatur. An vero eadem vrbs *Origiacum* Ptolemæi fuerit, idque vetustius fortasse oppidi nomen, *Nemetacum* posterius, non possumus pro certo dicere, quia, præter Ptolemæum, nemo illud nomen prodidit. Textrinis abundasse vrbem, ex *Atrebaticis sagis* apud Trebellium Pollionem in Gallienis cap. VI, & *Atrebatum birris* apud Vopiscum in Carino cap. XX intelligimus.

AMBIANI.

Ambiani, Belgicæ populus nobilis, ad Oceanum habitant inter Caletos ab occasu, & Morinos ab ortu: intus Cæsar lib. II B. Gall. inter Bellouacos cap. XIII, & Neruios siue Camaracenses cap. XV constituit. *Exercitum,* inquit, *in Bellouacos duxit: - - - ab eo loco in fines Ambianorum peruenit, qui se suaque omnia sine mora dediderunt. Eorum fines Neruii attingebant.* Eodem libro cap. IV ad commune bellum dicit pollicitos *Ambianos* X *millia.* Strabo lib.

lib. IV pag. 134 τοῖς Μεναπίοις εἰσὶ συνεχεῖς ἐπὶ τῇ θαλάττῃ Μόρινοι, καὶ Βελλόακοι, καὶ Ἀμβιανοὶ, καὶ Συεσσίωνες, καὶ Καλέτοι μέχρι τῆς ἐκβολῆς τοῦ Σηκουάνα ποταμοῦ, *Menapios ad mare contingunt Morini, dein Bellouaci, & Ambiani, & Suessiones, & Caleti vsque ad ostium Sequanæ.* Ptolemæus lib. II cap IX Μετὰ Βελλουάκους Ἀμβιανοὶ, καὶ πόλις αὐτῶν Σαμαρόβριγα, *Post Bellouacos sunt Ambiani, & oppidum illorum Samarobriua.*

Hoc oppidum tam apud Cæsarem, quam Ciceronem celebratum est. Ille commentario V cap. XXIV *concilio Gallorum Samarobriuæ peracto.* Et cap. XLV *Crassum Samarobriuæ præficit, legionemque ei attribuit.* Et cap. LI *Ipse cum* III *legionibus circum Samarobriuam trinis hibernis hiemare constituit.* Non ergo exiguum oppidum fuit, quo totius Galliæ concilium Cæsar egit, eique legionem præsidio dedit. Cicero lib. VII epist. XI ad Trebatium, qui tum cum Cæsare in Galliis erat, *Vna mehercule collocutio nostra pluris erit, quam omnes Samarobriuæ.* Et epistola XII iocatur cum eodem ita: *Indicauit mihi Pansa meus, Epicureum te esse factum. O castra præclara! quid tu fecisses, si te Tarentum, & non Samarobriuam misissem?* Ad eumdem epist. XVI extrema: *Constat inter omnes, neminem te vno Samarobriuæ iuris peritiorem esse.* Nomen vrbis a *Samara* amne est, medio æuo Somena vel Sumina, nunc *Somme* dicto; & *briua*, seu *briga*, quod pontem Celtis significabat. Vt vero solemne fuit, neglecto veteri vocabulo, primaria vrbs gentis nomen adsumsit, & ipsa *Ambiani* Latine dicta, vt mox ex Antonini itinere a Mediolano Gessoriacum, intelligemus. Et Ammianus Marcellinus lib. XV cap. XXVII *Adnexa est Secunda Belgica, qua Ambiani sunt, vrbs inter alias eminens.* In Notitia Galliæ prouinciarum & ciuitatum dicitur *Ciuitas Ambianensium.* Ex nomine *Ambianis* corruptum est, quod nunc obtinet, vulgare nomen *Amiens*, satis notæ vrbis inter nobiliores Galliæ ciuitates.

Nec vero ita gentis nomine illis temporibus vrbs vsa est, vt vetus nomen penitus abolitum fuerit. Nam & in Antonini Itinerario idem conseruatum est, quo *iter per compendium a Nemetaco Samarobriuam* M. P. XVI significatur: & aliud *a Samarobriua Suessonas vsque* hoc ordine:

Samarobriua			
Curmiliacam	M.	P.	XII
Cæsaromagum	M.	P.	XIII
Litanobrigam	M.	P.	XVIII
Augustomagum	M.	P.	IIII
Suessonas	M.	P.	XXII

Tabula etiam Theodosiana *Samarobriuam* nominat veteri vocabulo, eique proximam ab occasu adpositam habet *Teuceram*, quæ nunc Tieure, vel Tiesure, vicus in Picardiæ limite. Alia loca Ambianorum in Itinerariis sunt *Ad Lullia*, & *Pontes*. Illa Cluuerius interpretatur *Argoulles*: hos, *Pont a Selane*, aliis *Pont Asselane*, ad ostium *Alteiæ* fluminis, quem ipse *Autaam* vocat. Tractum autem illum inter hunc amnem & Samaram a *Pontibus* illis dici putant *le Pontieu*, seu *Pagum Pontiuum*. Vterque locus obscurus est, ideoque situs eorum in ordine, quem ad alia oppida vel vicos habent, ex Itinerariis antiquis ostendendus. Antonini itinere a Mediolano Gesoriacum,

Suessonas	—	—	—
Nouiomagum	M.	P.	XXVII
Ambianos	M.	P.	XXXIIII
Pontes	M.	P.	XXVI
Gessoriacum	M.	P.	XXXIX

Et Tabula Theodosiana gemino itinere:

Gesoriaco quod nunc Bononia		*Teruanna*	
Luttomagi	XIII	*Nemetaco*	XXII
Adlullia	VII	*Teucera*	XIII
Duroico Regum	XII	*Samarobriua*	XII
Samarobriua	XIIII		

BELLOVACI.

Ciuitatem *Bellouacorum* Cæsari commentario II cap. IV, qui ab Remis ad illum legati erant, ita laudauerunt, *plurimum inter eos* [Belgas] *Bellouocos & virtute, & auctoritate, & hominum numero valere: hos posse conficere armata millia centum: pollicitos ex eo numero lecta millia* LX, *totiusque belli imperium sibi postulare*. Frequens illorum mentio est in Cæsaris commentariis aliis; & Hirtius lib.

VIII cap. VI non minus ad laudem illorum attulit. *Bellouaci*, inquit, *belli gloria Gallos omnes Belgasque præstabant.* Strabo Βελλοάκους, *Belloacos* vocat, vt supra vidimus: Ptolemæus Βελλουάκους, *Bellouacos.* Habent Bellouaci ab oriente Veromanduos & Suessiones, a meridie Parisios; ab occidente Caletes & Veliocasses; ad septemtrionem Ambianos. Vrbem illorum Ptolemæus nominat Καισαρόμαγον, *Cæsaromagum*: Cæsar, plurimorum opinione, *Bratuspantium.* Ptolemæum pro more suo oppidum præcipuum, caput gentis, nominasse, quia id solum nominauit; non est quod dubitemus: at vero *Bratuspantium* videtur Bellouacorum Cæsaris temporibus oppidum primarium fuisse. Nam lib. II cap. XIII *Cæsar exercitum in Bellouacos duxit: qui quum se sua omnia in oppidum Bratuspantium contulissent, atque ab eo oppido Cæsar cum exercitu circiter millia passuum* V *abesset; omnes maiores natu ex oppido egressi, manus ad Cæsarem tendere, & voce significare cœperunt, se se in eius fidem ac potestatem venire, neque contra populum Rom. armis contendere.* Quum ergo nec Ptolemæus aliud gentis oppidum, quam *Cæsaromagum* memoret, neque Cæsar aliud quam *Bratuspantium*, quod nomen post Cæsaris tempora exspirauit; vero plane est simile, Bratuspantium ipsum esse Cæsaromagum, illudque vetus Gallicum nomen; hoc ab Iulio Cæsare propter beneficia, quibus ornauit vrbem, vel ab Augusto, superinductum. Supra in Ambianis iter Antonini a Samarobriua Suessonas vsque enarrauimus, quo Cæsaromagus medio prope situ inter Samarobriuam Ambianorum & Augustomagum Siluanectum collocatur. Alio itinere a Cæsaromago Luteciam, interuallum ponitur XLVI M. P. Et in Tabula Theodosiana *Cæsaromagus* prope Augustomagum ponitur. In Notitia autem prouinciarum Galliæ est *Ciuitas Bellouacorum.* Medio æuo gentis nomine *Bellouaci*: inde corruptione admissa *Beluacus*, siue *Beluagus*, & tandem *Beauvais*, vti nunc sonat. Alia oppida Bellouacorum veterum ignota nobis sunt. Valesius in hoc tractu recenset *Bellum Montem* ad Isaram Belgicum, nunc *Beaumont*; & *Credilium*, nunc *Creil*, & non nulla alia: quod vero ex antiquis scriptoribus non habet, quod pro illis testimonium adferat; cum aliis incertæ antiquitatis prætermittimus. In Bellouacis etiam vel solis, vel tamquam in præcipua parte, doctissimus quisque Cæsaris *Belgium* quærit, de

qua regione postea, quam circumiacentes fuerunt expositæ, dispiciemus.

SILVANECTES.

Bellouacis proximi circa Isaram amnem, sed alium ab eo qui in Narbonensi erat, fuerunt *Siluanectes*, quod nomen vel prætermissum est a veteribus, vel in libris illorum notabiliter deprauatum. Plinius in Belgica: *Suessiones liberi, Vlmanetes liberi.* Ita MSS omnes, & editi ante Hermolaum, qui *Vlbanectes* rescripsit. Ptolemæus post Neruios habet Συμανέκτυς, *Sumanectos*, vt in Palatino codice, lacunam aliorum Græcorum supplente: Latinus autem interpres *Subanectos*, qui pluribus videntur Siluanectes esse, non autem Hadriano Valesio, quamuis ipse non explicet, quorsum alio transferri illos cupiat. Ptolemæus suis oppidum Ρατόμαγον attribuit, quod an Itinerariorum *Augustomagus* sit, in incerto tamdiu erit, donec gentis nomen, vt apud Ptolemæum est, idem quod *Siluanectes* esse euictum fuerit. Itinera autem ostendunt, *Augustomagum* inter Cæsaromagum & Suessiones positam vrbem esse, quæ hodie *Senlis* vocatur. Vide supra designatum iter a Samarobriua Suessionas. Est etiam in Peutingeriana Tabula *Augustomagus* prope Cæsaromagum. In Notitia prouinciarum *Ciuitas Siluanectum*: in alia, *Ciuitas Siluanectensium.* In Notitia Imperii pag. 147 *Præfectus Latorum gentilium Remos & Siluanectas Belgicæ Secundæ*: vbi vt *Remi* nomen oppidi sunt in Remis; ita etiam *Siluanectes*, siue *Siluanecta*, nomen gentis, ad vrbem Siluanectum primariam, *Augustomagum*, iam *Senlis*, significandam, consueto temporum illorum more translatum est. Guntheramnus rex Gregorio Turonensi, ad se legato, respondit: *Pars mea de vrbe Siluanectensi non redditur*, lib. IX eiusdem Gregorii cap. XX.

VEROMANDVI.

Supra Isaram, nunc Oyse, Belgicum amnem, *Veromandui* erant, qui & *Viromandui*, & *Veromandi* dicti fuerunt, inter Neruios a septemtrione, & Suessiones a meridie sedem habentes. Cæsar commentario II cap. IV *Veromanduos* ad commune bellum X millia armatorum pollicitos refert: & cap. XVI, *trans id flumen* [Sabin] *Neruios consedisse cum Atrebatibus & Veromanduis, finitimis suis.* Consedisse, id est castra posuisse, vt Romanos ibi ex-

specta-

spectarent. Liuius epitoma CIV *Viromanduos* dixit, vt Vinetus & Gruterus ediderunt: Gronouius autem etiam ibi *Veromanduos*. Antonini Itinerario *Veromandi* scribuntur. Nomen hodieque custodiunt *Vermandois*. Caput gentis *Augusta Veromanduorum* fuit, auctoribus Ptolemæo & Antonino in Itinerario. Itinere enim a Taruenna Durocortorum hic ordo oppidorum tenetur:

Taruenna			
Nemetacum	M.	P.	XXII
Camaracum	M.	P.	XIV
Augustam Veromandorum	M.	P.	XVIII
Contra Aginnum	M.	P.	XIII
Augustam Suessonum	M.	P.	XIII.

Hanc *Augustam* vrbem Cluuerius, Baudrandus, alii, in vico *Vermand*, qui Abbatiam habet; aut rudera potius vrbis, ab Hunnis euersæ, quærenda censent, duobus leucis a fano S. Quintini: Hadr. Valesius autem ipsum fanum Quintini, vulgo *Saint Quentin*, illam *Augustam Veromanduorum* esse, ex Sigeberti Gemblacensis chronico ad annum IↃCCCCLVI, probat, quo traditur, Eusebiam, Romanam matronam, S. Quintini, qui martyrium anno CCCXXXII passus erat, LV post passionem anno corpus inuenisse, *atque in superiore loco oppidi, quod antiquitus Augusta Viromandorum vocabatur, collocasse.* Et ex Annalibus Bertinianis ad annum IↃCCCLII, *Carolus fratrem Lotharium ad sui conloquium inuitans, apud Augustam Viromanduorum, quæ B. Quintini martyris corpore insignitur, fraterne suscipit.* Gregorius quoque Turonicus de Gloria Martyrum rem paucis conficit: *Apud Virmandense oppidum Galliarum Quintinus martyr quiescit.* Non ergo est quod alibi Augustam Veromanduorum, quam in ipsa S. Quintini vrbe, quæramus. Sita vrbs ad Suminam siue Samaram (nunc Somme) fontibus suis propiorem.

In Veromanduorum finibus etiam fuerunt *Duronum*, ad Neruios versus; & *Verbinum*. Illud arx *la Capelle*: hoc oppidulum *Vervins*, pacificatione non ignobile. Antoninus itinere a Bagaco Neruiorum vsque Durocortorum Remorum sic procedit:

Bagaco			
Duronum	M.	P.	XII
Verbinum	M.	P.	X

a quo Durocortorum abest, minoribus interuallis obscuriorum locorum in summam collectis, M. P. XLI.

REMI siue RHEMI.

Vulgo cum adspiratione scribunt, quam veteres neglexerunt, vt auctores Itinerarii & Notitiæ Imperii: etiam antiqua inscriptione apud Gruterum est pag. 158 num. 1 CIVITATI SVAE REMORVM. Habitauerunt ad *Axonam* fluuium, atque inde ad Matronam vsque, qui fines illorum tangunt, siue peruadunt in ora. Cæsar lib. II B. Gall. cap. V *flumen Axonam, quod est in extremis Remorum finibus exercitum transducere maturauit.* Ibidem cap. III *Remi proximi Galliæ* [Celticæ] *ex Belgis sunt.* Caput illorum *Durocortorum.* Cæsar lib. VI extremo: *exercitum Cæsar Durocortorum Remorum reducit: concilioque in eum locum Galliæ indicto, de coniuratione Senonum & Carnutum quæstionem habere instituit.* Strabo lib. IV pag. 134 Ἀξιολογώτατόν ἐστι ἔθνος τῶν ταύτῃ, Ρῆμοι, καὶ ἡ μητρόπολις αὐτῶν Δουρικόρτορα μάλιστα συνοικεῖται, καὶ δέχεται τοὺς τῶν Ρωμαίων ἡγεμόνας. *Inter istas gentes Remi nobilissimi sunt, & eorum vrbs primaria Duricortora maxime incolitur, & Romanorum præfectis hospitium præbet.* Ptolemæus in Belgica, οἱ Ρῆμοι, καὶ πόλις αὐτῶν Δουροκόρτορον, *Remi, & vrbs illorum Durocortorum.* Sic etiam in Tabula Theodosiana adpellatur. Antoninus aliquot itinera refert, quæ Durocortorum diriguntur, a Taruenna vnum, alterum a Bagaco Neruiorum. Prioris rationes paullo ante ad Augustam Suessionum vsque deduximus: quod nunc persequimur ita exscribendo:

Augusta Suessonum			
Fines	M.	P.	XIII
Durocortorum	M.	P.	XII.

Hæc vrbs in primis fuit, quæ cum suo gentis nomen commutauit. Ammianus Marcellinus lib. XV cap. XXVII *Secunda Belgica, qua Ambiani sunt, vrbs inter alias eminens; & Catelauni, & Remi.* An etiam antiquioribus hæc vrbs ita nuncupata fuerit, in disceptationem venit. Ait hoc Hadrianus Valesius, Tacito auctore, vt persuasum habet, qui lib. IV Histor. cap. LXVIII scripsit: *Venientis exercitus fama, & suopte ingenio ad mitiora inclinantes Galliarum ciuitates, in Remos conuenere.* Vt autem *ciuitates* ibi non vrbes sunt, sed populi & societates; ita nihil impedit, quo minus

minus *Remos* etiam Remorum populum ac ciuitatem interpreteris. Clarioribus documentis opus erit, si quis probare adnitatur, illam consuetudinem vrbes populorum nominibus adpellandi iam tum Traiani æuo obtinuisse. In Notitia prouinciarum vocatur *Ciuitas Remorum*, & Belgicæ secundæ metropolis constituitur.

Dignitatem vrbis Remorum *Durocortori* supra ex Strabonis descriptione cognouimus: addimus aliam, aut parem superiori, aut illustriorem etiam, quam ex studiis litterarum habuit. Cornelius Fronto, ex Hadriani sæculo rhetor & grammaticus, referente P. Consentio, itidem vetere grammatico, dixit, ILLAE VESTRAE ATHENAE DVROCORTORO. Quid gloriosius, quam Athenis, matri artium liberalium & disciplinarum, comparari? Sic Mediolanum quoque, antiqua sedes studiorum, inscriptione eiusdem sæculi, sub Antonino Pio facta, apud Gruterum pag. 177 num. 4 NOVAE ATHENAE adpellantur: vt adeo in summis laudibus prouinciarum censeatur, si studio sapientiæ & doctrinæ Athenienses, principem in litteris populum, æmulati fuerint.

Remorum etiam fuit *Bibrax*, diuersum ab eiusdem nominis oppido Aeduorum. Cæsar commentario II cap. VI *Ab ipsis castris, oppidum Remorum, nomine Bibrax, aberat millia passuum* VIII: *id ex itinere magno impetu Belgæ oppugnare cœperunt: ægre eo die sustentatum est*. Quod quo loco positum fuerit, non apud omnes est certissimum. Sunt qui *Braye en Retelois* interpretantur: alii *Fines* Itinerarii in hunc locum trahunt: iterum alii *Laudunum Clauatum* volunt, nec desunt qui *Braium* Laudunensis pagi ceteris nominatis præferunt.

An vero etiam *Catalauni* huc referendi sint, qui nunc *Chalons* vocantur, itidem parum est liquidum. Veteres geographi atque historici neque oppidum *Catalaunos* memorarunt, neque gentem CATALAVNORVM, a qua oppido nomen posteriori æuo sit inditum. Videntur ergo sub proximis Remis *Catalauni*, quoquo nomine antiquitus adpellati fuerunt, vel latitasse, vel comprehensi fuisse, vna cum oppido, quod habuerunt. Non repugnat situs in dextero amne Matrona, seu Belgarum latere: succlamat etiam Marcellinus, qui sæpe dicto lib. XV cap. XXVII Belgicæ Secundæ *vrbes eminentes* enarraturus primo loco *Ambianos* nominat;

minat; deinde *Catelaunos*, (sic enim etiam lib. XXVII cap. II scripsit vocali secunda:) tandem adiungit, quæ post metropolis facta est, *Remos*. Primus, qui huius nominis mentionem fecit, Eumenius rhetor est, panegyrico Constantini cap. IV. *Si*, inquit Flauiensium nomine, *ille reipublica restitutor implorantibus nobis subvenire potuisset, sine vllo detrimento Romanarum virium, sine clade Catalaunica, compendium pacis, reconciliatis prouinciis, attulisset fraternitas Aeduorum.* Ad Aurelianum haud dubie respexit, de quo Eutropius lib. IX cap. IX, *Superauit in Gallia Tetricum apud Catalaunos:* vbi oppidum æque ac apud Ammianum significatur, quod vox *apud* ostendit, quum de gente *in Catalaunis* dicturus fuisset. In Notitia prouinciarum & ciuitatum Galliæ tertio loco est *Ciuitas Catellaunorum*, vt vel ordo dignitatem auxerit. Antonini itinere a Mediolano Gessoriacum *Durocatellauni* vocantur, hac serie dispositis oppidis:

Tricases	—	—	—
Artiacam	M.	P.	XVIII
Durocatelaunos	M.	P.	XXXIII
Durocortorum	M.	P.	XXVII
Suessonas	M.	P.	XXXVII,

nisi forte additamentum *Duro* ex sequenti vocabulo *Durocortoro* ad *Catelaunos* etiam, errore describentis, retractum fuit.

Hadrianus Valesius in ea opinione est, vt posteriorum *Catalaunos*, putet *Vadicasses* Plinii ac Ptolemæi esse, eorumque oppidum, antequam gentis posterius nomen adsumeret, *Nouiomagum* nuncupatum fuisse. Plinius quidem lib. IV cap. XVIII *Vadicasses* suos, siue, vt Harduinus legit, *Bodiocasses*, quod ex *Badicasses* videtur corruptum; in Lugdunensem prouinciam transscripsit; quo etiam Ptolemæus lib. II cap. VIII suos *Vadicassios* referebat: addidit vero idem πρὸς τῇ Βελγικῇ, *iuxta Belgicam*, seu in confinio Belgarum habitasse, vt facile Ammiani & Notitiæ temporibus ad Belgicam Secundam referri potuerint. Gentis enim & oppidi situm ita Ptolemæus delineauit: Μετὰ Μέλδας πρὸς τῇ Βελγικῇ Ουαδικάσσιοι, καὶ πόλις Νοιόμαγος, *Post Meldas ad Belgicam Vadicassii, & oppidum Nouiomagus.* Confirmat sententiam suam Valesius, quia quod oppidum in ante monstrato itinere *Durocatelaunos* vocari cognouimus, XXVII millibus passuum a Durocortoro remotum est;

est; videtur idem esse, quod in Peutingeriana Tabula *Noviomagus* nominatur, ab eodem Durocortoro distans millibus XXV, leui discrimine numerorum, quale plurimis locis deprehenditur. Speciosa sententia, nisi, inspecta Tabula, *Noviomagus* cis Durocortorum, Mosam versus, deprehendatur: Itinerarii vero *Durocatelauni* sunt vltra Durocortorum, Tricasses & ipsum caput versus Lugdunum. In ipso quidem Itinerario *Noviomagus* eo tractu, vna cum Durocortoro, apparet, sed inter Suessonas & Ambianos, vt ad Noiomum potius, quam de quo agimus, referendum videatur. Nihil ergo in re dubia definimus, &, vt supra pag. 212 de *Vadicassibus* cœptum est dubitari; nec dum hisce rationibus, vt desinamus, persuaderi possumus.

SVESSIONES.

Hirtius lib. VIII Belli Gallici cap. VI *Suessiones* Remis attribuit. *In fines*, inquit, *Suessionum, qui Remis erant attributi.* Cæsari quoque Remorum legati commentario II cap. III Suessiones dicunt *fratres consanguineosque suos, qui eodem iure, iisdem legibus vtantur, vnum imperium, vnumque magistratum cum ipsis habeant.* Recte ergo & ordine facimus, quod post Remos proxime *Suessiones* explicamus. Nomen varie & scribitur & pronuntiatur. Cæsaris libris recentioribus editum *Suessones*, tribus syllabis commentario II cap. III & XIII: at Lugdunensi Gryphiana & æqualibus *Suessiones*, quod verius videtur, quia metaphrastes Σȣεσσίωνες, quatuor syllabis, reddidit; quot etiam in Hirtii VIII libro apparent. Plinius in Belgica, *Suessiones liberi*, totidem syllabis. Sic etiam epitoma Liuiana CIV *Suessiones*. Strabonis editiones variant. Adlegat Valesius Σȣεσσῶνες: at Aldina Σȣεσσιῶνες: Casauboniana modo Σȣεσιῶνες pag. 134, modo Σȣεσσίονες pag. 135. Videtur Lucanus lib. I verf. 423 litem dirimere posse, quum dicit,

Et Biturix, longisque leues Suessones in armis:

sed dubia prorsus & instabilis est lectio, dum aliis editis libris *Suessiones* est: antiquiores codices *Axones* referunt, vnde quidam *Saxones* inepte legerunt. Ptolemæus sine sibilo Οὐέσσονες *Suessones*, correpta media: auctor Itinerarii, paullo ante indicato itinere, *Suessones*, etiam tribus syllabis. Ex quibus tandem colligimus, plures quatuor, quam tribus, syllabis exprimere: & vtriusque

Ddd formæ

formæ pænultimam constantius accelerari. Posteriores æque ambigui. Guilielmus Brito lib. IX Philippidos vers. 60

Valle Suessonica quam fortia corpora surgunt.

Et, paucis interiectis, versu 77

Impatiens Suessona phalanx.

In Peutingeriana Tabula est *Augusta Suessorum*, nisi forsan *Suessonum* legendum. Tamen & posteriores temporibus barbaris *Suessi*, *Suessos*, secunda flexione dixisse, a Valesio obseruatum est.

Vrbem illorum Ptolemæus vocat Αὐγοῦςαν Οὐεσσόνων, *Augustam Suessonum* siue *Suessionum*. nam Σ videtur excidisse, nisi forte σ cum ο describentis oscitatione commutatum fuit. Id nomen plenius itinere a Taruenna Durocortorum, habemus tali oppidorum dispositione:

Camaracum	—	—	—
Augustam Veromanduorum	M.	P.	XVIII
Contra Aginnum	M.	P.	XIII
Augustam Suessonum	M.	P.	XIII

Ab Augusto hoc illustre nomen est: quod antea, & Iulii temporibus fuerit, non plane est certum. Nec tamen inprobabilis eorum est sententia, qui *Nouiodunum* vetus nomen Augustæ Suessionum fuisse persuasi sunt. Habent enim in commentariis Cæsaris, quo tueri se posse videantur. Libro enim II cap. XII de se dixit: *Postridie Cæsar in fines Suessionum, qui proximi Remis erant, exercitum duxit: & magno itinere confecto ad oppidum Nouiodunum contendit. Id ex itinere oppugnare conatus, quod vacuum a defensoribus esse audiebat, propter latitudinem fossæ, murique altitudinem, paucis defendentibus, expugnare non potuit. Interim omnis ex fuga Suessionum multitudo in oppidum proxima nocte conuenit. Celeriter vineis ad oppidum actis, aggere iacto turribusque constitutis, magnitudine operum, quæ neque viderant antea Galli, neque audierant, & celeritate Romanorum permoti, legatos ad Cæsarem de deditione mittunt: & , petentibus Remis vt conseruarentur, impetrant.* Ex quibus non obscure intelligitur, in Suessionibus fuisse oppidum, quia hi noctu in illud conueniunt vt defendant: deinde munitum valide fuisse, vt primæ vrbes & capita gentium solebant: tandem conseruatum Remorum precibus esse, qui Suessionum fratres & amici erant; vt dubitari facile non possit, huic Augustum ornamenta addidisse, & *Augustam*

gustam de suo nomine adpellasse. Neque enim aliud in tractu illo oppidum habetur, cui vel situs, vel amplitudo & munimenta, a Cæsare descripta, competant, præter *Augustam Suessionum*, nunc corruptius *Soissons* vocitatam: quod nouum nomen ex *Suessiones* est, communi gentis & oppidi, vt mos ferebat, adpellatione. Vt vero *Atrebates* & *Atrebata*, ac *Siluanectes* & *Siluanecta*; item *Nemetes* & *Nemeta* medio æuo dicebatur: sic etiam *Suessiones* & *Suessiona*; ac breuiori forma *Suessones* ac *Suessona* dictum fuit. Gregorius Turonensis lib. IV cap. IX *Sanctus Dei, Medardus episcopus, diem obiit: quem Chlotarius rex cum summo honore apud Suessionas ciuitatem sepeliuit.* Etiam itinere a Mediolano Gessoriacum, supra vidimus *Suessonas*, quarto casu, vrbis nomen scriptum esse.

Contra hanc sententiam, quod Nouiodunum Augusta sit Suessionum, Raymundus Marlianus, Christophorus Browerus, & multii alii depugnant, *Nouiodunum* Cæsaris finitimum quidem Suessionibus, non in ipsis Suessionibus statuentes: idque *Nouiomum*, siue, vt nunc pronuntiatur, *Noyon* interpretantur. Verum Nouiomum illud siue *Naiomum* non Nouiodunum, sed *Nouiomagum* veteres dixerunt, situm inter Durocortorum & Ambianos, vti ex dicto itinere a Mediolano Gessoriacum vsque, manifestum est: quod oppidum etiam in Notitia Imperii inter Belgicæ Secundæ præsidia *Nouiomagus* adpellatur. Nec Nouiomo, si inspicias recte, cum Cæsaris itinere conuenit, vt qui ex Remis in fines Suessionum progressus, magno itinere ad Nouiodunum venit: *Nouiomum* vero siue *Noyon* non in Suessionibus, sed in Veromanduis censetur, & Veromanduorum episcopatum, deleta Augusta ab Attilo, antequam instauraretur, accepit, & hodieque possidet.

CALETI siue CALETES.

Ad Oceanum rursus reuertimur, vt populos qui supersunt ibi, *Caletos* & *Veliocasses*, expediamus. Cæsar de Belgarum adparatu bellico lib. II cap. IV *polliceri Menapios* IX *millia: Caletos* X *millia: Velocasses & Veromanduos totidem.* Sic veteres libri: recentiores, *Caletes.* Quod etiam de Hirtii libro VIII commentariorum notandum est, in quo itidem *Caletos* vetustioribus; *Caletes* nouis libris expressum est. Cap. VII enim *conuenisse* refert *Ambianos, Aulercos, Caletos, Vellocasses.* Cæsar itaque Belgis adnumerat,

merat, vti reuera ſunt, cis Sequanam colentes, qui terminus eſt Belgarum. Auguſtus vero, ignotum qua cauſſa, cum Velocaſſibus Lugdunenſi Galliæ attribuit, ideoque Plinius & Ptolemæus in Lugdunenſi recenſent: ille lib. IV cap. VIII *Galletos* vocat, vti in MSS. omnibus eſſe Harduinus teſtatur. Sed verius per C ſcribuntur, quia & Græci, Ptolemæus & Strabo, per K expreſſerunt. Hic enim lib. IV pag. 134 Ἀμβιανοὶ, καὶ Σουεσσιῶνες καὶ Καλέτοι, μέχρι τῆς ἐκβολῆς τοῦ Σηκουάνα, *Ambiani, & Sueſſiones, & Caleti, vſque ad oſtium Sequanæ:* ille lib. II cap. VIII in Lugdunenſi: Κατέχουσι τὴν μὲν ἀρκτικὴν παράλιον ἀπὸ τοῦ Σηκοάνα ποταμοῦ Καλετοὶ, ὧν πόλις Ἰουλιόβονα, *Tenent latus ſeptemtrionis literale a Sequana fluuio Caleta, quorum oppidum eſt Iuliobona.* Vterque ergo E ſimplici ſcripſerunt, pænultimam corripientes. Valeſius autem, neſcio quo libro vſus, Ptolemæum Καλῆτας vocare, in Galliarum Notitia retulit. Atque etiam metaphraſtes Cæſaris lib. II cap. IV τοὺς Καλῆτας reddidit: vt ita etiam huius vocabuli accentus ſit ambiguus.

Marlianus apud Bononiam ſeu Geſſoriacum *Caletes* ponit, vbi breuiſſimus in Britanniam traiectus eſt: ſed errorem iam a Strabone & Ptolemæo refutari cognouimus, qui ad oſtium Sequanæ vterque conſtituerunt. Nihilominus ex eodem errore reliquum eſt, vt nobilem vrbem & emporium *Calais* Latine *Caletum* permulti adpellent, quos ſupra aliquando & ipſi ſequuti ſumus; quam verius forſan *Caleſium* cum Guilielmo Britone nuncupare poſſimus. Ille enim lib. IX Philippidos verſ. 351

Claſſis prima quies Caleſi fuit: altera portu
Fit Grauelinga tuo.

De oppido etiam Caletorum controuerſia eſt, quod Ἰουλιόβοναν Ptolemæus dixit, ſiue ut Valeſius, neſcio ex quo codice, adlegat, Ἰουλιόβωναν, *Iuliobonam.* Idem Valeſius cum Cluuerio *Deppam* (vulgo *Dieppe*) putant eſſe: Harduinus vltra flumen remouet. Sed vt populus citerior eſt, ita & oppidum oportet eſſe: nec vero per Ptolemæi numeros ab oſtiis Sequanæ velim longius abduci. Alii ad *Lillebonne* ſiue *Ilebone* referunt, ad æſtuarium Sequanæ ſitum inter Portum Gratiæ & Caldebeccum, quos ſequuti in Tabula noſtra ſumus. Vtriusque ſententiæ rationes & documenta breuiter dabimus. Qui ad Sequanam locant, in Ilebone veſtigia quærentes, auctorem, præter Ptolemæum, habent Robertum de Monte,

Append. ad Chron. Sigeberti, ad annum ∞ I Ɔ C L X I I I. *Iuliabona,* inquit, *in Caletensi pago iuxta Sequanam est sedes regia, a dominis Normannorum multum amata & frequentata.* Agit de Henrico II Angliæ rege, qui Normannorum comitia Rotomago, vbi conuenturus erat, iussit Iuliabonam transferri. Qui secus sentiunt, & Deppæ hoc nomen tribuunt, id ex Antonini itinere, Carocotino Augustobonam, tueri conantur, quod ita habet:

Carocotino			
Iuliobonam	M.	P.	X
Lotum	M.	P.	VI
Latomagum	M.	P.	XIII
Rotomagum	M.	P.	IX.

Persuasi autem sunt, principium itineris *Carocotinum* esse *Crotoy*, ad ostium Samaræ in Ambianis situm, vnde Rotomagum ituri Deppam sine ambage ferri possint. Verum longius Crotoy a Deppa abest, quam numerus Itinerarii; hoc est X millia passuum patiuntur, quia interuallum pæne X X X est millium. Vero similius ergo alii *Carocotinum* in Portu Gratiæ *(Havre de Grace)* constituunt, quocum numeri in Itinerario positi, propius vtique consentiunt.

VELIOCASSES.

Et hi varie scribuntur. Cæsar lib. II cap. IV *polliceri Caletos X millia: Velocasses & Veromanduos totidem.* Hirtius lib. VIII cap. VII *conuenisse Caletos, Bellocasses, Atrebates:* pro quo recentioribus libris *Vellocasses.* Plinius lib. IV cap. XVIII *Lugdunensis Gallia habet Lexouios, Vellocasses, Galletos, Venetos.* Nam & hos Augustus ex Belgica, vbi Iulius censuerat, in Lugdunensem transscripsit. Ptolemæus itidem in Lugdunensi: Οὐενελιοκάσιοι, ὧν πόλις Ρωτόμαγος, *Veneliocasii, quorum oppidum Rotomagus.* Redundat syllaba, & Valesio iudice legendum Οὐελιοκάσιοι, qui genuinam scripturam *Veliocasses* existimat fuisse, quia Magnoni etiam *Viliocassus* sit; vocalem vero *i* a multis in *l* conuersam esse propter similitudinem.

Rotomagum illorum vrbem fuisse, modo ex Ptolemæo intelleximus. Ammianus lib. XV cap. XXVII pluraliter enuntiat, *Rotomagi,* quasi commune cum gente vocabulum habeat, quod falsum est, quum vrbis id proprium sit, nec ciues *Rotomagi,* sed *Rotomagenses* adpellentur. *Secundam,* inquit, *Lugdunensem Rotomagi*

ostendunt, id est ornant. In Notitia Imperii sub dispositione Ducis Tractus Armoricani, *Praefectus militum Vrsariensium Rotomago.* Paullinus Nolanus epist. XVIII ad Victricium, episcopum Rotomagensem, cap. V *Nunc Rotomagum, & vicinis ante regionibus tenui nomine peruulgatum, in longinquis etiam prouinciis nominari, venerabiliter audimus, & inter vrbes, sacratis locis nobiles, cum diuina laude numerari.* In Notitia prouinciarum est *Ciuitas Rotomagensium*, metropolis Secundæ Lugdunensis. Et quamvis vrbs Rotomagus longius absit a mari, Sequanæ fluuio adposita: tamen per nauigabilem amnem ita mari vtebatur, vt illud etiam ab vrbe hac & illius commerciis nomen indeptum sit *maris Rotomagensis*. Venantius Fortunatus lib. VI carm. VIII de Gelesuinta regina:

Peruenit qua se piscoso Sequana fluctu,
In mare fert iuncto Rotomagense sinu.

Rotomagum hodie *Roüen* siue *Roan*, celebrem ad Sequanam ciuitatem esse, nemo facile ignorat: idque etiam iter Antonini a Carocotino Augustobonam ostendit, quo, quamuis numeris iusto minoribus, hic ordo seruatur, vt a *Rotomago* per *Petromantalum*, id est Mante, veniatur *Luteciam*.

BELGIVM CAESARIS.

Tandem etiam de *Belgio*, quod Cæsar manifesto a *Belgica*, vt partem eius, distinguit, dicendum est, & error illorum refellendus quibus *Belgium* idem est quod *Belgica*. Cæsar commentario V cap. XXIV de hibernorum distributione ita scripsit: *Quod eo anno frumentum in Gallia propter siccitates angustius prouenerat, coactus est aliter, ac superioribus annis, exercitum in hibernis collocare, legionesque in plures ciuitates distribuere. ex quibus vnam in Morinos ducendam C. Fabio legato dedit, alteram in Neruios Q. Ciceroni, tertiam in Aeduos L. Roscio, quartam in Remis cum T. Labieno in confinio Treuirorum hiemare iussit: tres in Belgio collocauit: his M. Crassum quæstorem, & L. Munatium Plancum & C. Trebonium legatos præfecit. Vnam legionem, quam proxime trans Padum conscripserat, & cohortes quinque, in Eburones misit. His militibus Q. Titurium Sabinum, & L. Aurunculeium Cottam, legatos, praeesse iussit.* Ex quibus manifestum est, multas & potentes Belgarum gentes a Belgio suo Cæsarem exclusos velle, Morinos, Neruios, Remos, Treuiros, Eburones.

Nec

Nec ipse Cæsar obscure monstrauit, in qua parte Belgicæ sit *Belgium* quærendum. Cap. XLV enim eiusdem libri, quum de obsidione castrorum Ciceronis audiuisset, de se dicit: *statim nuntium Bellouacos ad M. Crassum quæstorem mittit, cuius biberna aberant ab eo millia passuum* XXV. Quem ergo Crassum in *Belgio* cum legione collocauerat cap. XXIV, ad eundem in *Bellouacos* nunc nuntium mittit: ergo Bellouaci in Belgio fuerunt. Nec id difficile est ex cap. XXV colligere. Tasgetio enim rege, quem Carnutibus imposuerat, a suis interfecto, *veritus* Cæsar, *quod ad plures res pertinebat, ne ciuitas eorum impulsu deficeret; L. Plancum cum legione ex Belgio celeriter in Carnutes proficisci iubet.* Quia celeriter mittenda erat legio, ex proximis hibernis misit vnam ex tribus in Belgio collocatis. Bellouaci autem, aut quod Brietio videtur, Siluanectes, Bellouacis proximi & attributi, quod ad Sequanam pertinebant, propiores erant Carnutibus, quam alii, in quibus legiones hiemabant. Ergo iterum adparet, in Belgio Bellouacos cum contributis fuisse, & ex his Plancum cum legione missum in Carnutes.

An vero soli Bellouaci *Belgium* ita expleuerunt, vt alias omnes excluserint ciuitates? Non videtur: & si non alios, tamen *Atrebates* vna in Belgio fuisse, ex A. Hirtii lib. VIII cap. XLVI & XLVII constare potest. Ibi dicitur Cæsar *cum equitum præsidio Narbonem profectus, exercitum per legatos in hiberna deduxisse: IV legiones in Belgio collocasse* cum totidem legatis: reliquas in Aeduis, Turonis, Lemouicibus. *Paucos dies in Prouincia moratus, ad legiones in Belgium se recepit, hibernauitque Nemetocennæ,* quod caput est Atrebatum, alibi *Nemetacum* nuncupatum. Ibi cognoscit, *Comium Atrebatem prœlio cum equitatu suo contendisse,* interceptis commeatibus, qui comportabantur in hiberna Romanorum. Ex quibus elucet, *Atrebates* quoque in Belgio sedem habuisse: quod contra Cluuerium notari velimus, qui solos Bellouacos in Belgio constituit: quibus *Atrebates* addendos esse Hadrianus Valesius censuit, sed ita, vt primæ & præcipuæ partes Bellouacis, tamquam proprie dictis Belgis, relinquantur.

Quum vero *Ambiani* interiecti sint Bellouacis & Atrebatibus, & Belgium vna & continua regio fuerit; consequens est, vt *Ambiani* quoque in illo contineantur, per quos mare a Belgio attingitur.

nam

nam lib. v cap. XII refertur, maritimam partem Britannorum *ex Belgio transiisse*; quod ad mare illam regionem pertinuisse arguit. Nicolaus Sanson & Philippus Brietius *Siluanectes* addunt & *Veromanduos*, quod de Siluanectibus, qui attributi videntur Bellouacis fuisse, facile equidem concesserim; de Veromanduis autem id minus certum est, nisi ita forsan collegeris; Cæsarem tres legiones imposuisse Belgio cum tribus legatis M. Crasso, L. Planco, & C. Trebonio, lib. v cap. XXIV. At Crassus in Bellouacis hibernauit cap. XLV: Plancus forte in Siluanectibus, quia inde breuissima via in Carnutes est, in quos celeriter missus fuit a Cæsare, cap. XXV: ergo Veromandui supersunt, qui C. Trebonii legioni, si per populos in Belgio separatæ fuerunt legiones, hiberna præbuisse videri possint. Addit Brietius Part. II lib. VI cap. VII ex situ argumentum, quod vero nescimus quam firmum sit. Certa autem res est de Bellouacis, Atrebatibus & Ambianis: de ceteris dubitanda, nec vero inprobabilis. Hi vero Belgii incolæ quasi proprie Belgæ erant & *γνήσιοι*; ceteri ex aliis gentibus in Belgicam profecti, maxime ex Germanis.


De *insulis* Belgicæ nihil fere est quod proferamus, quia pauca de illis prodita: & quædam forsan aliam faciem induerunt, quam olim habuerant, quod tempori & Oceano imputandum est.

CAPVT IV

DE

INSVLIS BRITANNICIS.

GAlliis obiectæ in septemtrionem sunt *insulæ Britannicæ*, plures numero, sed duæ maiores ceteris. Vnde est quod *duas* tantum insulas, sed maiores & notabiliores quidam memorant. Agathemerus lib. II cap. IV *Νῆσοι ἀξιόλογοι ἐν μὲν τῇ ἐκτὸς θαλάσσης αἱ Βρεταννικαὶ δύο, Ἰουερνίας τε καὶ Ἀλβίωνος*, *Insulæ memoratu dignæ in extimo mari duæ Britannicæ, Hibernia & Albionis*. Sic enim, *Albionem*, veteres maiorem illarum adpellauerunt. Plinius lib. IV cap. XVI Ex *aduerso huius situs* [ostiorum Rheni] *Britannia insula, clara Græcis nostrisque monimentis inter septemtrionem & occidentem*


Septentrio
Orcades Insulæ supra quas Thule est
Oceanus
Deucaledo
Orcades
Insulæ
Pictorum Regio
Mare Caledonium
Oceanus Occidentalis
Vecturiones
Vernicones
Britannia Barbara
Selgouæ
Hogeni
Otadeni
Trimontium
Oceanus
Germanicus
Mona
Ivernia
Robogdii
Hibernia
Eblani
Eblana
Dunum
Iuernis
Sacrum
Mare Hibernicum
Inferior
Eboracum
Inferior
Cornavi
Ordovices
Silures
Demetæ
Durotriges
Dunum
Belgæ
Regni
Atrebatii
Cantii
Trinobantes
Vectis Insula
Silinæ Insulæ sive Cassiterides
Fretum Britannicum
Belgicae
Galliae
Pars
Merid

dentem [respectu Romæ] *iacet: Germania, Gallia, Hispania, multo maximis Europa partibus, magno interuallo aduersa. Albion ipsi nomen fuit, quum Britanniæ vocarentur omnes.* Ptolemæus etiam Britanniam illam maiorem descripturus, titulum capitis III libro II fecit, Ἀλουίωνος νήσε Βρεττανικῆς θέσις, *Albionis, insulæ Britannicæ, positio.* Quod vero hæc maxima omnium Britannicarum est, simpliciter a plerisque *Britannia* adpellatur, & *Albionis* nomen in obsoletis habitum. Idcirco Plinius, vt vidimus, dixit, *Albion ipsi nomen* FVIT. Cæsar sane non aliter nominat quam *Britanniam*, quasi vnam huius nominis, distinguitque ab Hibernia, altera maiore, ab occasu solis maximæ obiacente. Lib. V cap. XIII ait: *alterum latus vergit ad Hispaniam, atque occidentem solem, qua ex parte est Hibernia, dimidio minor, vt existimatur, quam Britannia; sed pari spatio transmissus, atque ex Gallia est in Britanniam.*

Græci scribunt Βρεττάννία & Βρεττανία. Alabandensis nummus apud Tristanum & Harduinum ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΒΡΕΤΑΝΝΙΚΟΣ. Strabo autem Lib. IV ἡ Βρεττανικὴ, quo modo & Ptolemæus scripsit, τ geminato, ν simplici; & Diodorus Siculus lib. V cap. XXI, ac Dio Cassius locis infra indicandis. Periegeta autem Dionysius Βρετανοὶ, vtroque elemento simplici, versu 284

ἧχε Βορείε

Ὠκεανε͂ κέχυται ψυχρὸς ῥόος· ἔνθα Βρετανοί.

Vbi borealis Oceani effusum est frigidum fluentum: vbi Bretani, id est *Britanni.* Sed Eustathius in hunc locum scripturam ex metri necessitate excusat. Βρεττανοὶ, inquit, διὰ δύο τ] ὡς ἐπὶ πολύ· ἐνταῦθα δ' ἐν τῷ, ἔνθα Βρετανοὶ, τε͂ μέτρε ἐπιτάξαντος ἀπεχώρισε τὸ ἓν τ. *Brettani per duplex τ] vt plurimum: heic vero in verbis*, ἔνθα Βρετανοὶ, *metro postulante, abiecit vnum Tau.* Latini vero constanter *Britannus* & *Britannia.* Nummi multorum principum, Claudii, Antonini Pii, Commodi BRITANNIA: & alius Claudii DE BRITANNIS: & Hadriani, RESTITVTORI BRITANNIAE: & eiusdem alius EXERC. BRITANNICVS: & Septimii Seueri, VICTORIAE BRITANNICAE. Rarum ergo, nisi lapidicidæ error est, quum in saxo vrbis Grætz in Stiria legitur apud Grut. p. 482

PRAEF. EQVIT. AL. BRITTANNICAE.

Est & alia forma nominis *Brito*, vel potius *Britto*, quo posteriores frequenter vsi sunt. Ausonius epigram. CX

Siluius hic bonus est. Quis Siluius? iste Britannus.
Aut Britto hic non est Siluius, aut malus est.

nam male illo tempore Britanni audiebant: ideo epigrammate CXII idem, *Nemo bonus Britto est.* Sunt qui propterea aliquid discriminis inter Brittonem & Britannum quærunt, in qua opinione etiam Christophorus Browerus est ad Fortunati lib. III carm. VI pag. 69: quod verius Elias Vinetus negat ad dictum locum Ausonii, & illos confutat, qui *Britones* non in insula, sed in Armorica Galliæ regione ponunt. nam Iuuenalis ætate nulli Britanni in Gallia; nihilominus ille satyra XV vers. 124 dixit

Qua nec terribiles Cimbri, nec Brittones unquam

scilicet, rabie sæuiunt. Geminato *Tau* non tantum metri caussa, sed etiam alibi hæc forma scribitur. Vetus inscriptio apud Gruter. pag. 569 num. 5 NATIONE BRITTO. Media ambigua est. Quam enim Iuuenalis corripuit dicto iam loco; porrexit Martialis lib. XI epigram. XXI

Quam veteres braccæ Brittonis pauperis. - - -

Hodie *Britannia Magna* est, duo regna complectens, Angliæ, ad austrum, & Scotiæ, septemtrionale.

Quod in Oceano sita insula est, vt alium orbem Romani adspexerunt. Virgilius ecloga I

Et penitus toto diuisos orbe Britannos.

Et Dio Cassius lib. LX pag. 677 de A. Plautio, quem Claudius primum post Iulii Cæsaris expeditionem in Britanniam misit, τὸ μὲν στράτευμα χαλεπῶς ἐκ τῆς Γαλατίας ἐξήγαγεν· ὡς γὰρ ἔξω τῆς οἰκουμένης στρατεύσοντες ἠγανάκτουν, *difficulter exercitum e Gallia abduxit, indigne ferentem, quod extra orbem terrarum bellum esset gerendum.* Augustus bis expeditionem in Britannos suscepturus erat, sed primam legatio supplex Britannorum impediuit, Dio Cass. lib. LIII pag. 512; alteram tumultus Salassorum & Cantabrorum, ibidem pag. 513. Strabo lib. II pag. 79 adfert alias rationes, quod Romani spreuerint Britanniam sibi subiicere, primum quia nullus ex ea metus esset; deinde si occupassent, οὔτ᾽ ὠφέλεια τοσαύτη τις, *tanta non foret vtilitas.* Sic factum est, vt vsque ad Claudii tempora, & amplius, non penitus Britannia cognosceretur. Cæsar quidem lib. V cap. XIII *insulam* vocat, *natura triquetram*, sed magis fama ductus, quam experientia, quia in Cantio tantum in-

ter

ter fretum & Tamesin res gessit: neutra expeditione ad interiora venit. Dio Cassius lib. LXVI in Xiphilini epitoma de Iulio Agricola Titi Cæsaris legato: πρῶτος Ῥωμαίων ἔγνω τοῦθ' ὅτι ἡ Βρεττανία περίῤῥυτός ἐστι, *primus Romanorum cognouit, Britanniam vndique mari circumfusam esse.* Quod etiam Tacitus Vita Agricolæ cap. X confirmat. *Hanc oram,* inquit, *nouissimi maris tunc primum Romana classis circumuecta, insulam esse Britanniam adfirmauit.* Iterum Dio Cassius lib. XXXIX pag. 114 πρώτοις καὶ Ἑλλήνων καὶ Ῥωμαίων οὐδ' ὅτι ἐστὶν, ἐγιγνώσκετο· τοῖς δὲ ἔπειτα ἐς ἀμφισβήτησιν, εἴτε ἤπειρος, εἴτε καὶ νῆσος εἴη, ἀφίκετο. *Primis Græcorum Romanorumque, ne esse quidem eam, compertum fuit; posteriores in controuersiam adduxerunt, continensne ea terra, an vero insula esset.* Addit, multa de vtraque opinione conscripta ab iis esse, qui coniecturis tantum niterentur; donec πρότερον τε ὑπ' Ἀγρικόλου - - - - νῆσος οὖσα σαφῶς ἐλήλεγκται, *primum sub Agricola insulam esse manifesto deprehensum est.*

Ex pluribus insulis Britannicis quæ maxima est, nunc regna Angliæ & Scotiæ tenens, præcipue *Britannia* dicitur, cuius iam *flumina* pro instituto nostro, quæ antiquis fuerunt cognita, enarrabimus, antequam ad terrarum expositionem veniamus.

FLVMINA BRITANNIAE.

Cæsar vnum flumen *Tamesim* memorauit lib. V cap. XI. *Cassiuelauni,* inquit, *fines a maritimis ciuitatibus flumen diuidit, quod adpellatur Tamesis.* Et cap. XVIII *Cæsar ad flumen Tamesim, in fines Cassiuellauni, exercitum duxit: quod flumen vno omnino loco pedibus, atque hoc ægre, transiri potest.* Tacito dictum *Tamesa* lib. XIV cap. XXXII. *Visam speciem,* ait, *in æstuario Tamesæ subuersæ coloniæ:* qua forma etiam Dio Cassius lib. XL pag. 122 vsus est, πρὸς τὸν Ταμέσαν, dicens, ἀνεχώρησαν, *ad Tamesam* [Britanni] *reuerterunt.* Hodie *Temse* vocatur, notissimum flumen totius Angliæ.

Tacitus addit duo lib. XII cap. XXXI, *Altonam* & *Sabrinam:* & aliquot æstuaria, quæ fluuios recipiunt. De Ostorio, legato Claudii dicit: *Detrahere arma suspectis, cinctosque castris Antonam & Sabrinam fluuios cohibere parat.* Alterum, *Sabrinam,* nobis Ptolemæus manifestat, lib. II cap. III Σαβριάναν εἴσχυσιν, *Sabrianam æstuarium* eo loco commemorans, qui hodie *the Severn,*

 leuiter

leuiter mutato nomine, adpellatur, quod tam æſtuarii, quam ipſius fluminis, æſtuarium facientis, eſt vocabulum. Obſcurior *Antona* & difficilior inuentu. Facile vero in ſententiam doctiſſimi Anglorum chorographi Guilielmi Cambdeni concedimus, cui in Tacito *Auuona* ſiue *Auſona* legendum videtur, quia in illo tractu hodieque fluuius *Avon* vel *Avona* vocatur, alter qui Sabrinæ ab ortu adfunditur; alter maior, quem *primarium Auſonam* Cambdenus pag. 404 vocat, in ortum æſtiuum delabens, qui a Tacito notatus videtur, vt latius barbari diſcluderentur: ad quem Bennauenta fuit, nunc Northamton & Peterburg. Hæc ergo illa flumina erant, quæ vlteriores Britannos a prouincialibus & ſociis Romanorum, Claudii temporibus, ideonea ſatis erant vt ſepararent, præſidiis ſcilicet & caſtris munita. Id enim Tacitus omnino dixit, cuius verba ita Cambdenus p. 402 interpretatur: *Munimentis ad fluuios diſpoſitis ſtatuit coercere Britannos vlteriores, & prouinciales, ne mutuas operas in Romanos traderent.*

Reliqua fluuiorum nomina ab ſolo Ptolemæo ſunt prodita. In auſtrali latere poſt Dubrim & Daruernum, vbi Romani in inſulam ingreſſi ſunt, eſt *Triſanto* fluuius, cuius oſtia [Τρισάντωνος ἐκβολὰς] ibidem memorauit: deinde *Alaunus*, Græce Ἀλαίνȣ ἐκβολαὶ, prope Vectim inſulam: poſt quem Ἰσάκα, *Iſaca* ſeu potius *Iſca* fluuius: vlterior *Tamarus*, qui nomen retinet *Tamer*; & tandem occaſum verſus *Cenio* Κενίωνος ἐκβολαὶ, *Cenionis oſtia*. Sed in ſitu videtur aliquid turbatum eſſe. nam ad *Tamari* oſtia Pleymuthum eſt: & *Triſantonis* portum Cambdenus interpretatur, quod cum Ptolemæi numeris & rationibus non vſquequaque conuenit. In ſinum Briſtolienſem proxime æſtuarium Ptolemæus flumen ducit *Ratoſtathybium*, & deinde *Tobium*: illud Cambdenus *Taf*; hoc *Touy* iam vocari dicit. In Hibernici maris latere obſcuriora ſunt nomina *Tuerobis*, *Tiſobis* ſiue *Toiſobis*, & inter hos *Stuciæ*, & vltra *Seteia* & *Beliſama* æſtuaria, quorum illud iam Deemuth; hoc Ribel dici idem Cambdenus auctor eſt. Super quæ *Ituna* fluuius & æſtuarium, nunc *Eden* in Cumberlandia: & tandem *Glota* æſtuarium, a Tacito etiam memoratum, ſupra quod nihil Romanis cognitum fuit. Ille vero Vita Agricolæ cap. XXIII, *Glota*, inquit, *& Bodotria diuerſi maris æſtu per immenſum reuecti, anguſto terrarum ſpatio dirimuntur.* Glota autem fluuius, nunc Cluyd vel Cluda in Scotia,

Scotia, Glasquum vrbem interluens, in æstuarium, cui nomen dat, infunditur.

Huic, vt Tacitus iam monstrauit, in orientali latere opponitur æstuarium *Bodotria*, qua parte insula angustissima est. Inde in austrum versus *Tauus* fluuius est, nunc Tuwe, qui æstuarium *Tauum* siue *Taum* facit. Tacitus Agricolæ cap. XXII *Tertius expeditionum annus nouas gentes aperuit, vastatis vsque ad Taum (æstuario nomen est) nationibus.* Tum demum amnis *Tina* sequitur, qui nomen seruat: & proxime *Vedra*, hodie Were vel Tees: *Vrus* autem, hodie Youre, qui Eboracum vrbem interfluit, *Abum* fluvium, ab austro adcurrentem, recipit, cum quo æstuarium *Abum* facit, nunc *Humber* adpellatum. Inter quod & Tamesim duo tantum flumina Ptolemæus memorauit, *Garryenum,* Γαῤῥύενον, hodie Yare, qui iuxta Yarmuth effunditur: & *Idumaniam* (Εἰδȣμανία Græce) qui coloniam Camalodunum adluebat, si vel Chelmer est vel Blakewater, vt Cambdenus censet: aliis videtur paullo septemtrionalior aliquis fluuius fuisse. Inter quos amnes & Abum, aliud æstuarium *Metaris* Ptolemæo est, qui sinus videtur esse medio inter Lincolniam & Noruicum loco situs, qui plures amnes in se recipit, sed, præter *Antonam*, de quo diximus, a geographis antiquis quod sciam, numquam nominatos. Hæc de fluminibus.

DIVISIO BRITANNIAE.

Maxima insula Britannicarum, siue Britannia, postquam Romani partem adquisiuerant, in Romanam & Barbaram commode diuidebatur, quæ vero non iisdem semper terminis, sed cum tempore mutatis definiebantur. Hanc diuisionem Spartianus docet, in Hadriano cap. XI. *Murum,* inquit, *per octoginta millia passuum primus duxit, qui barbaros Romanosque diuideret.* Romana Britannia imperatoris Claudii temporibus angustis finibus, Altona & Sabrina fluminibus descripta fuit, post longius progressi Romani sub Flauiis, in vlteriora repulerunt barbaros; non tamen pari constantia, quæ armis occupauerant, possidere etiam potuerunt. Agricola, Domitiano principe, vsque ad Bodotriam & Glotam progressus, *angustum* illud *terrarum spatium præsidiis firmauit, omnemque propiorem sinum tenuit, submotis velut in aliam insulam hostibus.* Sed non diu illa vltima obtenta fuisse, valla Hadriani & Antonini probant, citeriora

illis æstuariis. Quod enim Hadriani murus, siue vallum potius, octoginta millia passuum fuit ductum, vti Spartiano iam auctore est demonstratum; non alio loco per interualla esse potuit, quam inter Itunæ æstuarium & Tinæ amnis ostia. Antonini Pii auspiciis murum alium, & vlteriorem duxit legatus Lollius Vrbicus, sed itidem cespiticium, de quo Capitolinus in Pio cap. v ita tradit: *Britannos per Lollium Vrbicum legatum vicit, alio muro cespiticio, submotis barbaris, ducto.* Dum *alium* dicit, diversum arguit a muro Hadriani. Neque enim est, quod contra librorum fidem cum Liuineio *alto* legamus. Vbi vero ille alius murus Antonini fuerit, difficile est ostendere. Cambdenus ex antiqua charta chorographica vallum a Seueri muro & Hadriani diuersum ostendit, quod, auctore illo, Philippus Brietius oblique duxit ab Esca, in Escia regione, ad Twedæ ostium, quod Tacitus vocat Taum æstuarium. Cambdeni verba sunt: *Charta Angliæ chorographica satis antiqua, interpratenturam ad Edenborrow-Frith & Vallum Seueri, heic tertium murum, qui ad Escam pertingit, interponit, quem eumdem fuisse qui a Lollio Vrbico, Antonini legato exstructus fuerit, non absurde colligimus, quum hinc Antoninus Itinerarium, tamquam ab vltimo, id tempus, imperii limite inceperit.* Hunc ducem, & supparem Brietium, sequuti in Tabula nostra sumus.

Tertius murus, isque in septemtrionem vltimus, imperatoris Seueri est, vt infra probabimus, quantumlibet contradicat Cambdenus, cui citimus Seueri murus est: sed de illo Spartianus in Vita eius cap. XVIII *Britanniam, quod maximum imperii eius decus est, muro per transuersam insulam ducto, vtrimque ad finem Oceani muniuit.* Sed & hunc fuisse cespiticium, vt superiores, ex eiusdem Spartiani cap. XXII credas apparere, vbi dicit, *post murum aut vallum:* quamquam aliud Buchanano probabile videatur, vt infra dispiciemus. Beda autem Histor. eccles. Gentis Angl. lib. I cap. v de Seuero: *receptam partem insulæ a ceteris indomitis gentibus non muro, vt quidam æstimant, sed vallo distinguendam putauit. Murus etenim de lapidibus; vallum vero quo ad repellendam vim hostium castra muniuntur, fit de cespitibus, quibus circumcisis e terra vel- vt murus exstruitur altus super terram, ita vt in ante sit fossa, de qua leuati sunt cespites, supra quam sudes de lignis fortissimis præfiguntur.* Tamen etiam *murum* Aurelius Victor Schotti nominat: alter Vi-

ctor autem, siue auctor epitomes cum Eutropio, quem sublegit, *vallum.* Locum & situm valli Eutropius quoque designauit lib. VIII cap. X in Seuero: *vt receptas,* inquit, *prouincias omni securitate muniret, vallum per* XXXII *duo millia passuum a mari ad mare deduxit.* quæ iisdem verbis transscripsit Victor iunior. Inepte quidam in Eutropio centenarium numerum adponunt, Pæanium forte metaphrastam Græcum imitati, qui χάρακα, *vallum* illud ἐπὶ δύο καὶ τριάκοντα πρὸς τοῖς ἑκατὸν σημείοις *triginta duobus supra centum milliaria* extendi scripsit. At vero tanto spatio nec maria in septentrionali insula distant, nec consultum est, tanti laboris onus suscipere, vbi non desint breuiora interualla, quibus munitis arceri hostes ex excludi a prouincia possint. Hæ de termino Britanniæ Romanæ, diuerso pro diuersitate fortunæ Romanæ, nunc propius aduersus barbaros munito, nunc in partes vlteriores prolatis munimentis.

Eadem Romanis subiecta Britannia in *Superiorem* & *Inferiorem* diuisa fuit. Quod vulgo interpretantur, quasi australis sit Superior, & propinquior Romanis: Inferior, septemtrionalis, vbi nunc est regnum Scotiæ: sed inuitis Musis & geographis ita sentiunt, quia aliter veteres, alter geographus, alter historicus prodiderunt. Dio enim Cassius lib. LV pag. 564 de legionibus Romanis earumque sedibus: τό, τε δεύτερον τὸ Αὐγούστειον [στρατόπεδον] τὸ ἐν Βρεττανίᾳ τῇ ἄνω χειμάζον, *Legio secunda Augusta, in Britannia Superiore hibernacula habet.* At vero Ptolemæus lib. II cap. III Iscæ illam eamdem legionem collocauit. Ἴσκα, λεγιὼν δευτέρα Σεβαστή, *Isca, legio secunda Augusta.* Isca ergo, vbi legio secunda Augusta hiberna sua habuit, in Britannia fuit Superiore, Ptolemæo & Dione consentientibus. Ptolemæus quidem in eo falsus est, quod Iscam Silurum cum Isca Dumnoniorum siue Danmoniorum confudit. At nomen superstes, corruptum quidem, reliquias prisci nominis *Legionis* conseruat, dum in Siluribus adhuc oppidum ad Vscam fluuium, qui vetus Isca est, situm inuenitur, cui nomen est *Caer Leon ar VsK,* id est, vrbs legionis ad Iscam, quatuor millibus a Sabrinæ æstuario, in septemtrionem distans.

Alterum argumentum definiendæ Superiori Britanniæ *Legio* XX, cognominata *Victrix,* præbet auctore eodem Dione in Legionum syllabo. Ait, οἱ εἰκοστοὶ, οἱ καὶ Οὐαλέριοι καὶ Νικήτορες ὀνομασμένοι, καὶ

καὶ ἐν Βρεττανίᾳ τῇ ἄνω ὄντες, Vicesimani, qui & Valeriani & Victores cognominantur, & in Britannia Superiore sunt. Hoc est: Legio XX Victrix hiberna & statiua castra in Britannia Superiore habet. Locum & sedem designat Ptolemæus in Cornauiis, quorum esse dicitur *πόλις Δηοῦνα καὶ λεγιὼν κ΄ νικηφόρος, oppidum Deuna & Legio* XX *Victrix.* Et clarius Antoninus Itinerario: *Deua, Legio* XX *Victrix*, quod verum nomen fuit, corrupto Ptolemæi præferendum, a flumine *Deua* impositum, qui hodieque vocatur *Dee*, Ptolemæo *Seteia* æstuarium pro *Teia*, superfluente syllaba. Ex quibus colligitur *Deuam* esse oppidum quod hodie *Chester*, aut *Westchester* adpellatur, flumini & æstuario Dee adpositum, in Wallia septemtrionali. Superior ergo Britannia ex parte fuit, quam nunc Walliam nominamus, vt ex duobus locis binisque castris legionum, II Augustæ, & XX Victricis iam probatum est. quarum illa australi parte prope fretum & æstuarium Sabrinæ; hæc in plaga septemtrionali illius tractus in ora æstuarii Deuæ ad flumen cognomine posita fuit.

Constituta sic parte Superioris Britanniæ Dionis Cassii auctoritate; quantum de Inferiore in antiquis monimentis reliquum sit, nunc inuestigabimus. Idem Dio Cassius dicto loco: *ἕκτα δύο [στρατόπεδα] ὧν τὸ μὲν ἐν Βρεττανίᾳ τῇ κάτω, τὸ τῶν Νικητόρων, τὸ δὲ ἐν Ιουδαίᾳ, τὸ Σιδηροῦν, τέτακται.* Id est, *Sexta dua legiones, vna in Britannia Inferiori, Victrix: altera in Iudæa, Ferrea cognomento, posita.* Hæc autem Sexta Victrix Eboraci sedem habuit. Ptolemæus: *Ἐβόρακον, λεγιὼν ς΄ νικηφόρος, Eboracum, Legio* VI *Victrix.* Et Antoninus itinere primo Britannico, a limite siue vallo Prætorium vsque, *Eboracum, Leg.* VI *Victrix.* Eboracum autem in ortum æstiuum situm est respectu legionum in Wallia positarum, hoc est ita in ortum, vt in septemtrionem etiam, quod præcipuum est, recedat.

Tantum de diuisione illa certis argumentis constat: cetera coniecturis sunt diiudicanda. Doctissimus vir Guil. Cambdenus, qui hæc adprobat, quæ Dionis & Ptolemæi auctoritate diximus; nihilominus partem citeriorem cum Wallia, *Superiorem* dictam; vlteriorem & septemtrionalem, *Inferiorem*, existimat: limitem autem vtriusque non ostendit, qui in occidente haud dubie in proximo supra Deuam æstuario, quod *Merseium* nunc, a *Mersey* fluuio

fluuio dictum, videtur *Steia* Ptolemæi esse, constitutus fuit; vtrum vero in orientale latus per rectam inde lineam ad Abum æstuarium, an oblique ad sinum, inter Coritanos & Icenos situm, ductus fuerit, non habemus dicere: & quamquam alterum de obliquo ductu limitis adpareat probabilius esse, certo tamen id confirmare non possumus. Barbara autem Britannia ad hanc diuisionem non est referenda, quia inter Romanas prouincias ita diuidere solemne erat; non inter prouinciam & barbarorum regionem.

Auctor diuisionis haud dubie imperator Seuerus fuit, cuius temporibus fines prouinciæ quam longissime fuerunt prorogati, barbaris vltra Glotæ & Bodotriæ æstuaria submotis. Ante Seuerum autem videtur Britannia Romana vna & simplex prouincia fuisse. Herodianus lib. III cap. VIII de Seuero: διοικήσας τὰ κατὰ τὴν Βρεττανίαν, καὶ διελὼν εἰς δύο ἡγεμονίας τὴν τοῦ ἔθνους ἐξουσίαν, *ordinatis rebus Britanniæ, bifariam illam in duas præfecturas diuisit*, quæ duæ sunt prouinciæ, a duobus præsidibus, quos ἡγεμόνας Græci vocant, separatim administratæ. Ante Seuerum nulla diuisionis mentio, neque Ptolemæus, qui Germanias cis Rhenum, item Pannonias & Mœsias in *Superiorem* & *Inferiorem* diuisit, quidquam talis separationis in Britannia fecit, quod argumento est, Marco Antonio imperante, cuius temporibus Ptolemæus scripsit, vt Suidas auctor est; Britanniam in Superiorem & Inferiorem nondum fuisse dispensatam.

POPVLI ET OPPIDA
BRITANNIAE ROMANAE.

Populi pauci a Cæsare nominantur, quia nec is longius in insulam progressus fuerat; sed hi tantummodo, *qui Cantium incolunt*, lib. V cap. XIV, Ptolemæo *Cantii*, Κάντιοι; & *Trinobantes* cap. XX, Ptolemæo Τρινόαντες, *Trinoantes*: ceteri, quos cap. XXI recenset, sunt obscuri & incerti, *Cenomagni*, *Segontiaci*, *Ancalites*, *Bibroci*, *Cassi*. Qui primi nominantur *Cenomagni*, suspecti sunt Lipsio in Taciti XII cap. XXXII, qui diuisos mauult in *Icenos*, *Cangi*, populos a Tacito memoratos. Etiam Cambdeno inuisi sunt & alieni Cenomagni, qui priori nominis parte consentit cum Lipsio, *Icenos* itidem substituens: at in alteram subficiens *Regnos* potius, quam *Cangos*, fortassis quod Cangi a Cæsaris expedi-

 tione

tione remotiores fuerunt, quam vt vltro, missis legationibus, Romanis se dedidisse credi possint. *Segontiaci* Cæsaris videntur Thomæ Sauilio, epistola XIII ad Cambdenum, iidem esse qui Ptolemæo sunt *Atrebatii*, in Barkeshire; sed quo argumento in opinionem inductus sit, non plane declarat. nam *Segontium* Antonini, vti ex ipsius itinere *a Segontio Deuam* vsque, manifestum est, in Walliæ septemtrionali parte, ad fretum Monæ insulæ siue Anglesey, fere in loco Caernarvan, fuit positum, ex quo angulo in deditionem Cæsari, qui iuxta Tamesim erat, vltro aduenisse, nondum vt credam adduci possum. Et ceteros Cæsaris in Barkeshire quærunt eruditi, *Ancalites* in montibus Henley supra Tamesim e regione Windsor, suspicione ducti: *Bibrocos* in eodem comitatu, per vestigia nominis *Bray*, quod ex Bibracte vel Bibroco putant contractum esse. Vide Cambdenum pag. 211 & 297.

Tacitus paullo plures populos memorat, *Icenos*, ortum versus sitos, in Suffolke & Norfolke,, comitatibusque Cambrigiensi & Huntingdonensi; lib. XII cap. XXXI, & lib. XIV itidem cap. XXXI: *Cangos*, in quos quum exercitum M. Ostorius duxit, *ventum haud procul mari est, quod Hiberniam insulam adspectat*, lib. XII cap. XXXII, vnde de sede illorum iudicari potest: post quos *Brigantes* ibidem nominauit, qui inde longius in Eboracensem comitatum & Cumberlandiam excurrunt; quibus propinqui sunt *Ordouices* cap. XXXIII, quos Nordwales Cambdenus interpretatur; & tandem in vltimo septemtrione, inter muros postea structos, *Horesti*, Agricolæ Vita cap. XXXVIII; & infra Ordouices, austrum versus, *Silures*, lib. XII cap. XXXII & Agric. cap. XVII. De *Trinobantibus*, quorum etiam mentio lib. XIV cap. XXXI occurrit, supra ex Cæsare aliquid dictum est. Reliquas gentes ex Ptolemæi lib. II cap. III supplebimus, vbi etiam vrbes, quas cuique populo attribuit, vna recensebimus, addituri ex coniectura, quas ille prætermisit, in historiis tamen, aut Itinerario Antonini memoratas.

De oppidis autem dicturi, ne quis Strabonis auctoritate conturbetur, quod ipse censuit, aut male intellexit a Cæsare traditum, discutiendo amoliemur. Is vero geographus lib. IV pag. 138 de Britannis scripsit, πόλεις αὐτῶν εἰσιν οἱ δρυμοὶ, *Vrbium loco ipsis sunt nemora.* Quamquam vero rara oppida in Britannia fuerunt, antequam

tequam Romani in eam classibus venirent: tamen non ita rudes aut extreme barbaros fuisse, censeamus, vt oppidis omnino nullis vterentur. Vt sua Strabo de Gallia Britanniaque ex Cæsaris commentariis pleraque hausit; ita hoc loco etiam verba Cæsaris ex lib. v cap. xxi haud dubie expressit, *Oppidum Britanni vocant, quum silvas impeditas vallo atque fossa munierunt, quo, incursionis hostium vitandæ caussa, conuenire consueuerunt.* Quibus munimenta tutiora belli temporibus significantur: oppida minus munita, aliæque cohabitationes non negantur. Neque existimandum est, *Londinium* Neronis primum aut Claudii æuo coaluisse ita, vt statim in ortu suo *negotiatorum copia & commeatuum maxime celebre* fieret, quemadmodum de illo tempore Cornelius Tacitus lib. xiv cap. xxxiii dixit: sed *vetus oppidum* fuit, vt Ammianus lib. xxvii cap. xviii notabiliter testatus est. Neque illa *viginti* & plura *oppida*, quæ sub Claudio imperatore Vespasianus legatus, Suetonio teste cap. iv, in ditionem redegit Romanorum, meras siluas fuisse crediderim, neque ad formam aliorum oppidorum exædificata. Sed de singulis nunc populis, & singulorum oppidis acturi, a *Cantiis*, quos primos Cæsar adiit, initium faciemus.

CANTII.

Cantii primi sunt, quos Cæsar adiit in Britanniam traiiciens: Ptolemæo Κάντιοι, quod populi nomen; a promontorio *Cantio* deductum, quod eidem est Κάντιον ἄκρον: nisi dicere velis, promontorium regioni nomen dare, regionem populo. nam *Cantium* etiam regio est, Bedæ *Cantia*, lib. i Hist. eccles. cap. xxvi, & lib. ii cap. iii; vulgo *Kent*: & supra ex Cæsaris lib. v cap. xiv ita Cantios descriptos vidimus, *qui Cantium incolunt*: quod plenius nunc repetere cum addito *regionis* vocabulo haud pœniteat. *Ex his omnibus*, inquit, *humanissimi, qui Cantium incolunt: quæ regio est maritima omnis; neque multum a Gallica differunt consuetudine.* Apud illos facillimus & frequentissimus traiectus ex Gallia Belgica in Britanniam. Idem Cæsar lib. v cap. xiii *Insula natura triquetra, cuius vnum latus est contra Galliam. Huius lateris alter angulus, qui est ad Cantium, quo fere ex Gallia naues adpelluntur, ad orientem solem; inferior ad meridiem spectat.*

Ptolemæus Cantiis oppida tria attribuit, *Londinium*, *Daruer-*

num, & *Rutupias*: sed in Londinio errat, quod Trinobantum, non Cantiorum fuit, vt postea ostendemus. Nam angulo, quem Tamesis ostium cum freto facit, omne Cantium continetur: ad Londinium vsque non porrigitur. Oppidum eius primarium *Durouernum* fuit, vt Antoninus nominat, Ptolemæo Δαρούερνον, *Daruernum*; Peutingerianæ Tabulæ *Durauerus* corrupte: Bedæ lib. II cap. XVIII *Dorouernum*: hodie Cantuaria, vulgo Canterbury. Quam ipsum vetus Durouernum esse, ex Bedæ historia constare potest, qui non modo *Dorouernensem* illam ecclesiam vocat, quæ prima in Anglia ab Augustino monacho, Gregorii pontificis legato, instaurata fuit: verum etiam lib. I cap. XXVIII *Cantuariorum ecclesiam*: quod etiam itinera Antonini confirmant, quibus distantia a portu Rutupis, portu Dubri, portu Lemanis descripta est.

Secunda vrbs, quæ episcopalis facta est, Londinium versus sita, *Durobriuis* est, Itinerario Antonini XXV M. P. a Durouerno in occasum remota, ex qua distantiâ cognoscitur Roffam esse siue Rochester; quod charta fundationis ecclesiæ Roffensis confirmat, qua *Durobreuis* adpellatur. Iter, a Londinio Dubrim, has rationes habet:

Londinio			
Durobriuim	M.	P.	XXVII
Durouernum	M.	P.	XXV
Ad Portum Dubris	M.	P.	XIIII

Idem etiam venerabilis Beda Hist. eccles. lib. II cap. III testatur. *Iustum*, inquit, *in ipsa Cantia Augustinus ordinauit episcopum in ciuitate Durobreuis* [sic in MS. legitur] *quam gens Anglorum a primario quondam illius, qui dicebatur Rhofrosescester* [alii Rotschester] *cognominat. Distat autem a Dorouerni millibus passuum ferme viginti quatuor ad occidentem.* Hanc esse Roffam, etiam ex cap. VI probatur, quo de eodem Iusto episcopo dicit, *Iustus ad ciuitatem Rhofi, cui praerat, rediit.* Et mox cap. VII *Iustus adhuc superstes Rhofensem regebat ecclesiam.*

In austrum ab vtraque ciuitate, Durouerno & Durobriui, pari fere interuallo *Durolenum* vergit, quod vulgo nunc *Lenham* vocitatur. ad quod non tantum nominis reliquiæ, sed distantia etiam a Cantuaria & Roffa nos deducunt. Itinere Antonini a Vallo ad portum Ritupas:

Duro-

Durobriui			
Durolenum	M.	P.	XIII
Durouernum	M.	P.	XII
Ad Portum Ritupas	M.	P.	XII.

Sic autem per N scribendum est *Durolenum* : male in vulgatis libris *Duroleuum* exaratur : quod etiam Cambdenus obseruauit.

Hæc oppida intus posita. Ad mare metropoli proximus est *Portus Rutupiæ*, quem iam *Ritupas* ab Antonino adpellari vidimus. Ptolemæo sunt Ρυτούπιαι, *Rutupiæ*, reductæ paullo a mari, quia in mediterraneis scribit, quod de oppido intelligas, quamquam & ipsum mari satis est propinquum, nunc Richborow dictum. Clarior olim portus fuit, & forte vtilior etiam, quam nunc est, a variis laudatus scriptoribus cum adiacente suo litore. Lucanus lib. VI cap. 67

Aut vaga quum Tethys, Rutupinaque litora feruent,
Vnda Caledonios fallit turbata Britannos.

Et Iuuenalis Satyra IV vers. 140

Circeis nata forent, an
Lucrinum ad saxum, Rutupinove edita fundo
Ostrea.

Et Ausonius Parental. XVIII de Flauio Sancto,

Præside lætatus quo Rutupinus ager,

id est Britannia. Idem de Claris Vrbibus in Aquileia:

Felix, quæ tanti spectatrix læta triumphi
Punisti Ausonio Rutupinum Marte latronem,

Rutupinum latronem, hoc est Magnum Maximum, Gratiani percussorem, qui *apud Britanniam*, vt Victoris Epitoma refertur, *tyrannidem adripuerat* : &, oppresso in Gallia Gratiano, apud Aquileiam a Theodosio & imperio & vita exutus fuit : de quo Zosimus lib. IV cap. XXXV & XLVI potest consuli. Hic scilicet *Rutupiensis portus* erat, quem ex Bononia, id est Gessoriaco soluentes, directo cursu Romani petierunt. Ammianus lib. XX cap. I de Lupicino magistro armorum : *obseruato flatu secundo ventorum ad Rutupias, sitas ex aduerso, defertur, petitque Lundinium.* Et lib. XXVII cap. XVIII [VIII Vales.] de Theodosio comite, contra rebelles Britannos a Valentiniano misso : *Quum venisset ad Bononiæ litus, exinde transmeato lentius freto, defertur Rutupias, stationem ex ad-*

verso tranquillam. In Notitia quoque Imperii sub Comite litoris Saxonici per Britanniam memoratur *Praepositus Legionis* II *Aug. Rutupis*, quae legio antea Iscae Silurum imposita fuerat, nunc, propinquiore periculo, in hoc litus reuocata. Est & in Taciti Agricola *portus Trutulensis* mentio cap. XXXVIII, qui quod nusquam alibi in Britanniae descriptione memoratur, magno consensu interpretes in hanc opinionem ingressos videmus, vt *Rutupensem* legendum esse censeant, quos suffragio suo peritissimus Britannicarum antiquitatum Guil. Cambdenus quoque adiuuit.

Celebrior postea *Portus Dubris* factus est, & Rutupensis vsum pedetentim deminuit. Antiquiorem eius mentionem non habemus, quam in Antonini Itinerario, itinere supra in *Durobriui* descripto. Memoratur etiam in Notitia Imperii, dicto loco, sub dispositione Comitis litoris Saxonici per Britanniam, *Praepositus militum Tungricanorum Dubris.* Sexto casu sic exprimitur, quasi *Dubra* vel *Dubri* nominantis fuissent. * Antoninus vero *Dubris, Dubrim*, vt ostendimus, formauit. Nunc *Douer* est, satis notus portus traiicientibus ex Belgica in Angliam.

Itinerarium etiam *Portum Lemanis* laudat, ad quem hoc ordine a Londinio iter est directum:

Londinio			
Durobriuim	M.	P.	XXVII
Durouernum	M.	P.	XXV
Ad Portum Lemanis	M.	P.	XVI.

Notitiae Imperii dicto loco est *Praepositus numeri Turnacensium Lemannis.* Ex Itinerarii numeris colligitur, eumdem portum esse qui Ptolemaeo dictus Καινὸς λιμὴν, *Nouus Portus.* Hodie, Cambdeno iudice, *Lime* est. Quamuis autem Portus Lemanis & Dubris a vetustioribus non sint memorati, tamen non dubitamus, antiquiores quodammodo fuisse, quia credibile non est, in litus illud vno tantum portu, Rutupiensi, aditum fuisse, quum ipse Caesar lib. V cap. VIII diuersos egressus obseruarit, sed alterum altero commodiorem.

Tandem in Notitia sub Comite litoris Saxonici per Britanniam, locus praesidii, qui *tribunum cohortis primae Betasiorum* habuit, nominatur *Regulbium* siue *Reguluium*, quod nunc *Reculver* est, seruato nomine, vicus maritimus, prope Tanetum insulam situs, Tamesim

mesim versus, in septemtrionem a Cantuaria. Alibi non memoratus est, vt de antiquitate eius ante Notitiam Imperii non possimus iudicare.

REGNI.

Cantiis proximi *Regni* erant, qui a Tamesi ad mare pertinebant. In ora maris prima *Othona* fuit, in eaque statio militum Fortensium. Notitia imperii sub dispositione Comitis litoris Saxonici per Britanniam, *Praefectus numeri Fortensium Othona*, primo loco memoratur. Cambdenus existimat fere in loco fuisse, vbi nunc *Hasting* sit. Inde per XXX millia passuum aut amplius abest *Portus Adurni*, in eadem Notitia nominatus, quum *Praepositus numeri Exploratorum Portus Adurni* memoratur. Hodie portus Ederington cum vico modico.

Intus *Nouiomagus* fuit, Νοιόμαγος, quam solam nominat in gente hac Ptolemaeus, ideoque primam & caput fuisse non dubitandum est. Antiqua satis, quia vetus geographus, Marinus Tyrius, in Parallelis, etiam eius rationem habuit, apud Ptolemaeum lib. I cap. XV. Antoninus itinere a Vallo ad portum Ritupas, hoc situ ponit:

Londinio			
Nouiomagum	M.	P.	X
Vagniacim	M.	P.	XVIII
Durobriuim	M.	P.	VIIII
Durolenum	M.	P.	XIII
Durouernum	M.	P.	XII
Ad Portum Ritupas	M.	P.	XII

Nunc in ruinis iacere, nec audiendos esse qui Guildfort aut aliud interpretentur, αὐτόπτης Cambdenus nos certiores facit, qui vestigia vrbis, quae in paruo nemore editi collis vidit, distantiae, in Itinerario definitae, respondere adfirmat.

Praeterea in eodem Itinerario describitur iter a *Regno* Londinium, quod per Ventam Belgarum, & Calleuam Atrebatiorum ducit. Vt nomen fert, Regnorum fuit oppidum: vt rationes itineris, in finibus Belgarum situm fuit, in loco, quem *Ringwood* nominant, ad flumen *Auenam*, quod a Salesburio decurrit, tenue oppidum, a mari decem millibus fere passibus aut amplius remotum.

BELGAE.

BELGAE.

Regnis *Belgæ* ſuccedunt, a mari ad Sabrinæ æſtuarium extenſi. Ad mare eſt Ptolemæi Μέγας λιμὴν, *Magnus Portus*, qui ex diſtantia coniicitur Portſmuthum eſſe, vt hodie adpellatur. Supra quem ad excurſum æſtuarii, in quod amnis *Triſanto* effluit, alius portus, quem *Triſantonis portum* dixeris, ad ipſum amnis oſtium, quod Ptolemæus deſcribit, cui adiacet nunc oppidum Southamton: in cuius proximo, ad ortum æſtiuum, *Clauſentum* Antonini, ex diſtantia tam hinc a Regno, quam inde a Venta, iudicatur extitiſſe: cuius hæ itinere ab Regno Londinium ſunt rationes:

Regno			
Clauſentum	M.	P.	XX
Ventam Belgarum	M.	P.	X
Calleuam Atrebatum	M.	P.	XXII
Pontes	M.	P.	XXII
Londinium	M.	P.	XXII

Intus eſt ipſa *Venta* cum *Belgarum* cognomine, a Ptolemæo laudata, & Antonino, cuius nomen in Wintcheſter ſupereſt, quod oppidum cum ſitu, quem in Venta ſua vterque monſtrauit, congruit.

Inde Sabrinam verſus Ptolemæi ſunt ὕδατα θερμὰ, *Aquæ calidæ*, Antonini *Aquæ Solis*, eo loco, quo nunc epiſcopale oppidum eſt, itidem ab aquarum ſalubritate Latine loquentibus Bathonia, vulgo *Bath* nominatum. A quo longius in auſtrum recedit Ptolemæi Ἴσχαλις, *Iſchalis* vel *Iſcalis*, nunc doctorum iudicio Ilcheſter, ſiue Iuelcheſter, ad flumen Il vel Euel ſitum oppidum. Ipſe amnis in Sabrinæ fretum ſe effundens facit nouum æſtuarium, quod Ptolemæo Οὐέξαλα ἔισχυσις, *Vexala æſtuarium*, vulgo Euelmouth adpellatur; Ceterum *Belgarum* nomen in Britannis a colonia Belgica eſſe vel ex Cæſaris teſtimonio conſtare poteſt, qui commentario V cap. XII de Britanniæ incolis ita cenſuit: *Britanniæ pars interior ab iis incolitur, quos natos in inſula ipſa memoria proditum dicunt: maritima pars ab iis, qui prædæ ac belli inferendi cauſſa ex Belgio tranſierant: qui omnes fere iis nominibus ciuitatum adpellantur, quibus orti ex ciuitatibus eo peruenerunt, & bello illato ibi remanſerunt, atque agros colere cœperunt.* Quod etiam de Atrebatum vel

vel Atrebatiorum nomine, quos mox expositituri sumus, sine dictorum repetitione iudicandum sit.

ATREBATII.

[illegible]gis finitimi erant Britanni *Atrebatii*, siue *Atrebates*, aduenæ itidem ex Gallorum Belgica. Ptolemæus in Britanniæ populis etiam Ατρεβατίυς, *Atrebatios* numerauit, iisque vnum oppidum adsignat corrupto nomine Ναλκυᾶν, siue secundum Palatinum codicem Καλκυᾶν, *Calcuam*, quod nec ipsum satis sanum est, eique præferendum quod apud Antoninum exstat, *Calleua Atrebatum*, quamquam pro illo etiam Cambdenus *Callena* malit, vt eo propius cum recenti nomine Wallingford, id est Wallenford siue Wallenenford aut Wallengaford, conueniat. Situm est ad Tamesin hoc oppidum, supra Windsorium, Oxoniam versus. Supra in Clausento Belgarum rationes Antonini etiam pro hoc oppido fuerunt expositæ & demonstratæ.

Hinc *Spinæ* XV millibus passuum abfuerunt, vt ex itinere, ab Isca Calleuam, adparet, cuius rationes contractæ, prætermissis ignobilioribus locis, tales sunt:

Isca Silurum, Leg. II *Aug.*			
Ventam Silurum	M.	P.	IX
Aquas Solis	M.	P.	XXIV
Spinas	M.	P.	L
Calleuam	M.	P.	XV.

Cambdenus tradit, iam viculum esse, prisci nominis tamen non penitus expertem, qui *Spene* vulgo vocetur: ex [illegible]do autem in vicinia Nouum burgum, Anglice Newbury, enatum esse.

DVROTRIGES.

A Tamesi ad australe mare reuertimur, vbi Ptolemæus *Durotriges*, finitimos Belgis australioribus posuit. Oppidum eis dat *Dunium* prope mare, quod haud dubie *Durnium* legendum est, quia Antoninus itinere a Muridono Viroconium, eo loco *Durnouariam* habet, & in hodierno nomine R littera est reliqua, quia consentiunt eruditi homines, illud oppidum esse, quod nunc *Dorchester* adpellatur. Plura de *Durotrigibus* non habemus, quæ ex antiquis monimentis adferamus.

DVMNONII siue DAMNONII.

Sic Ptolemæus δυσμικωτάτους, maxime occidentales Britannorum vocat, Δουμνονίους, *Dumnonios*, quod nomen Salmasius etiam Solino vindicat: & ab Antonino siue Itinerarii auctore conseruatum est, qui aliquot itineribus *Iscam Dumnoniorum* memorauit. Alibi eodem Ptolemæi capite III lib. II de Britannia scribuntur *Damnonii*, vt necesse sit alterutro loco lapsos describentes esse. Nescio quo auctore, aut quo adiutus codice, Cambdenus malit *Danmonios*, quam *Dumnonios* adpellare. Incipiunt a freto Sabrinæ, & in vltimum angulum occidentis proferuntur, sic totam illam chersonesum occupantes. Ad *Sabrinæ fretum* Ptolemæus nihil habet præter Οὐέξαλλαν εἴσχυσιν, *Vexallam æstuarium*, vt Latinus interpres scripsit: id quod amplo ore coniuncti amnes Pedredus (vulgo Parret) & Iuellus, siue Ill, efficiunt. Medio fere loco inter æstuarium illud & vltimum promontorium est Ἡρακλέους ἄκρον, *Herculis promontorium*, quasi & heic loci ille orbis peregrinator monimentum posuisset. Vltima promontoria, in extremo occidentis angulo, duo notauit Ptolemæus, *Antiuestæum* siue *Bolerium*, septemtrionem versus, Diodori Siculi ἀκρωτήριον καλούμενον Βελέριον, *promontorium Belerium dictum*, lib. V cap. XXII; & alterum ei ab austro oppositum, quod Δαμνόνιον καὶ Ὄκρινον ἄκρον adpellat, *Damnonium* siue *Ocrinum*. Illud vulgus vocat *the Lands End*; hoc, *Lizard*, siue *Lesard*, in parua peninsula quæ in meridiem propendet. Post quam sequitur in australi latere *Voliba*, Οὐολίβα, Ptolemæi, nunc Falemuth, quasi Volemuth, oppidum cum portu capaci: deinde Κενίωνος ἐκβολαὶ, *Cenionis ostium*, ad quod nunc oppidum Tregenie adiunctum est: vltra quod ex interuallo non modico Ταμάρα ἐκβολαὶ, *Tamaræ ostium*, hodie, seruato vocabulo *Tamar* siue *Tamer*, cuius æstuarium est nobilis portus cum oppido Pleymuth. Vltimæ Dumnoniorum, in ortum versus, in hoc litore, sunt Ptolemæo Ἰσάκα ποταμοῦ ἐκβολαὶ, *Isacæ fluuii ostium*, quem *Iscam* verius dici, eiecta littera, Cambdenus censet: nunc *Ex* ille amnis vocitatur.

Hæc in litore. Intus ad idem flumen Iscam sita est *Isca Dumnoniorum*, in Itinerario Antonini laudata: etiam apud Ptolemæum, qui vero perperam huic adscripsit, λεγιὼν δευτέρα Σεβαστή, *Legio* II *Augusta*; quod illustre cognomen Iscæ Silurum, vt infra osten-

ostendemus, vindicandum est. Dumniorum autem Isca hodie vocatur *Excester.* Fluuio Tamaræ in mediterraneis adpositum oppidum Ταμάρη, *Tamare*, nunc Tamerton : & supra illud, septemtrionem versus Οὔξελα, *Vxella*, nunc, Cambdeno testante, Lestuthiell, situm in monte oppidum. Atque ita omnia quæ Tamesi, Sabriniano freto & australi mari siue Britannico freto continentur expediuimus : in vlteriora progrediendum est.

TRINOBANTES.

Trans flumen Tamesin primi *Trinobantes* occurrunt, a Cæsare, Tacito, &, corrupto quamuis nomine, etiam a Ptolemæo commemorati. Hi inter Tamesin, quem attingebant, & Icenos, a septemtrione oppositos, late habitarunt. Flumini impositum iam tum Romanorum temporibus *Londinium* erat, *cognomento quidem coloniæ non insigne, sed copia negotiatorum & commeatuum maxime celebre*, vt Tacitus lib. XIV cap. XXXIII prodidit. Mentionem eius etiam Marius Tyrius fecit apud Ptolemæum lib. I cap. XV, & ipse Ptolemæus in Cantiis quidem posuit, a quibus vero longius abest, etiam diremtum flumine. Antoninus inde itinera deduxit, & eodem direxit alia. Quæ documento sunt celebre omnino municipium & frequens emporium fuisse, licet coloniæ Romanæ cognomen non haberet. An postea acceperit, non planum & expeditum est protinus. Ammianus lib. XXVII cap. XVIII videtur adfirmare, dum *Lundinium vetus oppidum* dixit, *quod Augustam posteritas adpellauit.* Quod splendidum cognomen vix aliis, quam coloniis, datum fuit. Sed esto etiam aliis, vti *Cæsarea* vocabulum, permittente augusto imperatore : qui quisnam illorum fuerit, nusquam proditum inuenimus. Cambdenus refert, annalibus Britannorum prodi, Constantinum Magnum muro Londinium circumdedisse ; quod si est, cognomen *augustum* ab eodem habere potuit, qui munimenta ei, & haud dubie ornamenta etiam, addidit. Bedæ est *Lundonia* lib. II cap. IV & VII ; & *ciuitas Lundonia*, ibidem cap. III. vnde nunc quoque *London* vocatur vrbs regia & emporium celeberrimum : Tacitus vero, Ptolemæus & Antoninus constanter adpellant *Londinium.*

Quinto lapide distabat ab illo *Durolitum*, in itinere Antonini a Venta Icenorum Londinium vsque, memoratum: male vero &

describentium errore addita XV millia passuum, pro distantia ab Londinio; quum quinque millibus tantum ab vrbe illa remotum sit, Cambdeno docente, quod nomen nondum penitus obliteratum *Leiton* confirmat, nunc exigui vici ad flumen *Ley*, quod *Litum* videtur dictum antiquitus fuisse. *Duro* autem, frequens in nominibus Britannicarum vrbium, vetere gentis lingua *aquam* significauit.

A Durolito XVI millibus in septemtrionem, Camalodunum versus, *Cæsaromagus* eiusdem itineris distabat, qui nunc vilis locus est Burghstede, vel contracte Burstet dictus, itidem Cambdeno auctore, cuius diligentiæ plus fidei, quam aliis, in rebus Britannicis habendum est. Inde per *Cononium*, nunc vicum Cannonden, XXI millibus in ipsam coloniam Romanam *Camalodunum* veniebatur, quæ prima colonia Romanorum in Britannia fuit, veteranis militibus sub Claudio imperatore in eam deductis. Tacitus lib. XII cap. XXXII *Id quo promptius veniret, colonia Camalodunum valida veteranorum manu deducitur in agros captiuos, subsidium aduersus rebelles, & imbuendis sociis ad officia legum.* Et lib. XIV cap. XXXI *Iceni rapiunt arma, commotis ad rebellationem Trinobantibus, & qui alii nondum seruitio facti, resumere libertatem occultis coniurationibus pepigerant, acerrimo in veteranos odio. quippe in coloniam Camalodunum recens deducti, pellebant domibus, exturbabant agris*, & reliqua. Itinerum rationes ostendunt in eo loco fuisse, vbi nunc est *Maldon*, nomine nouo ex veteri facto, resectis syllabarum prima atque vltima. Corrupte & transpositis litteris Ptolemæus Καμȣδόλανον, *Camudolanum*, nisi error is est describentium; pro *Camulodunum*, vti in Antonini legitur Itinerario. Sed verior scriptura Taciti, quam nummus Claudii confirmat COL. CAMALODVN. inscriptus: etiam vetus inscriptio, quæ & *Victricensis* cognomen addit, apud Gruterum pag. 439 num. 5

CN. MVNATIVS M. F. PAL
AVRELIVS BASSVS
PROC. AVG.
PRAEF. FABR. PRAEF. COH. III
SAGITTARIOR. PRAEF. COH. II
ASTVRVM. CENSITOR CIVIVM
ROMANORVM COLONIAE VICTRICENSIS
QVAE EST IN BRITANNIA CAMALODVNI. &c.

Erat

Erat colonia nullis munimentis septa, ducibus Romanis tamquam in pace, amœnitatibus prius quam vsui consulentibus: ideoque, rebellione Britannorum facta, facile inuadi & euerti, cæsis veteranis, potuit. Aliis autem splendidis operibus destituta non fuit, vt theatro, & templo Claudii, quod Britanni *quasi arcem æternæ dominationis adspiciebant*, & ipsam coloniam, *vt sedem seruitutis*. Hinc motus & seditio, de qua Tacitus lib. XIV cap. XXXI seq. & Agric. cap. XVI consulatur.

Locus paullo supra Camalodunum, itinere a Londinio Luguuallum, *Colonia* vocatur, inter Cæsaromagum & Villam Faustini, quam diuersam a Camaloduno, vt etiam ex numero passuum adparet, distinguit Antoninus. Hanc *Coloniam* Antonini Cambdenus *Colchester* interpretatur, dictam, vt putat, non tam a colonis eo deductis, quam a *Colne*, eius tractus fluuio: vt de vero nomine, si ita est, fortasse dubitari possit. Iter sic se habet:

Londinio			
Cæsaromagum	M.	P.	XXVIII
Coloniam	M.	P.	XXIIII
Villam Faustini	M.	P.	XXXV.

Quibus subsidiis Cambdenus instructus, in Trinobantibus argumentatur: *Colne fluuius Coloniam, cuius meminit Antoninus, quam & aliam esse a colonia Camaloduno facit; accedit. An a colonia huc deducta, vel a Colne flumine nomen sit factum, Phœbus dixerit: a flumine malim ego, quum viderim oppidula plura illa imposita* Colne *dici*, quorum exempla quatuor adiungit. *Villa* autem *Faustini*, quæ vltima in dicta itineris parte memoratur, propter distantiam ad Icenos potius, quam Trinobantes, videtur pertinere.

CATYEVCHLANI.

Hoc gentis vocabulum a Ptolemæo est, qui *Catyeuchlanis* (quibusdam libris, *Cattieuchlanis*) duo oppida adsignat *Salenas* (Σαλῆναι Græce) & *Vrolanium*. Illæ non satis notæ sunt, nisi quod circa Vsam fluuium videntur fuisse: hoc celebre, laudante Tacito & Antonino. Ille lib. XIV cap. XXXIII *Verulamium* adpellat, & *municipii* honore ornat: Antoninus diuersis itineribus *Verolamum* & *Verolamium*. Resurrexit ergo ex clade, quam Tacitus describit, Icenorum tumultu accepta, vt Ptolemæi iam & Antonini

testimoniis cognouimus: tandem euersum Saxonum bello, vt putatur, cuius ruinæ sunt, cum reliquo nomine *Verulam*, prope Fanum S. Albani. Cambdenus putat *Verulamium* fuisse munitum illud Cassiuellauni oppidum quod Cæsar expugnauit lib. v cap. XXI, idque ex paludibus, quibus munitum fuisse Cæsar tradit, tamquam ex signis, non alibi in eo tractu reperiendis, coniecit.

Itinerario Antonini in hac regione adduntur *Lactodorum* ad Vsam fluuium, nunc Bedford: & inde Londinium versus *Durocobriuis*, vel *Durocobriuæ*, hodie Hertford seu Harford dictæ: sed inter Lactodorum & Durocobriuim, *Magiouinium*, quod dici fertur Ashwell: tandem *Pontes* inter Calleuam & Londinium, ab vtroque XXII millibus passuum seiuncti, itinere a Regno Londinium. Ceterorum distantiam iter a Vallo Ritupas sic declarat:

Bennauenna			
Lactodorum	M.	P.	XII
Magiouinium	M.	P.	XVII
Durocobriuim	M.	P.	XII
Verolamium	M.	P.	XII
Sulloniacim	M.	P.	IX
Londinium	M.	P.	XII.

Hæc de Catyeuchlanis siue Cattieuchlanis: ad vicinos ab occasu Dobunos accedamus.

DOBVNI.

Ptolemæus in Britannicis gentibus numerat etiam *Dobunos*, quibus unum oppidum dat *Corinium*, quod idem Antonini itinere, ab Isca Calleuam, videtur *Durocornouium* vocari: hodie illo situ est *Circester*. Itinere præcedit *Cleuum* XIIII millibus passuum, quo loco nunc *Glocester* est. Etiam *Traiectus*, itinere altero ab Isca Calleuam, inter Ventam Silurum & Aquas Solis, quo Sabrinæ æstuarium transmittebatur, in hac gente fuit, sed numeri apud Antoninum corrupti sunt, vt verus locus, inferior, superiorne fuerit, designari certo non possit. Quæ vero præcipua nunc tractus eius est *Oxonia*, vulgo *Oxford*, Athenæ Anglorum, incertum, cuius antiquitatis sit, aut quo olim vsa nomine, quia antiqua illius memoria in historiis antiquis, aut veterum geographorum lucubrationibus nulla reperitur.

ICENI.

ICENI.

Ad ortum Britannia terrestri sinu in Germanicum Oceanum excurrit, quas partes nunc Suffolciam & Nortfolciam adpellant, quibus prætenduntur Cantabrigiensis & Huntingdoniensis regiones. Omnes has partes *Iceni* possederunt, gens valida, qui Romanorum societatem volentes accesserant: post primi rebellantium, quod a Tacito lib. XII cap. XXXI obseruatum est. Hi ergo sine dubio ex illis fuerunt, qui vltro se Cæsari, legationibus missis, se se olim dediderant, vt ipse lib. V cap. XXI prodidit, latitantes forsan in dubiis illis & suspectis *Cenimagnis*, vt supra cum Lipsio & Cambdeno ostendimus.

Oppida Icenorum fuerunt *Villa Faustini* ex proxime demonstrato itinere per Trinobantes, non ignota, quæ Talbotto & Cambdeno *S. Edmundsbury*, aut simpliciter *Bury* videtur esse: deinde *Cambretonium* Antonini in itinere a Venta Icenorum Londinium, vt nominis reliquiæ videntur indicare, nunc Bretenham: *Sitomagus* eiusdem Antonini, indicatur esse Thetford in Nortfolk: *Venta* autem *Icenorum* nunc in ruinis iacet, ex quibus in proximo loco vrbs Norwich surrexit: *Garienis ostium* (Garryeni, Γαῤῥυένε ἐκβολαὶ Ptolemæo) olim portum & oppidum *Garianonum*, videtur habuisse. Equitum enim præpositus sub Comite litoris Saxonici per Britanniam, vt in Notitia Imperii est, in statione & præsidio ibidem fuit: nunc, mutato alueo, vt Cambdenus tradit, in proximo est oppidum & portus Yarmuth, cui itidem Latine nomen additur Ostiorum Garienis. Flumen autem illud inde a Venta siue Norwico decucurrit. *Iciani* Antonini Talbotto sunt Icborow. In ora septemtrionali Nortfolciæ prope Metaris æstuarium siue sinum, *Brannodunum* fuit, ex Notitia Imperii notum, vbi præpositus equitum Dalmatarum præsidio fuit: nunc videtur vicus Brancaster esse. Ab his omnibus in ortum recedit *Camboritum* Antonini, quasi Cami vadum, in loco fere Cantabrigiæ, celeberrimæ sedis studiorum liberalium. *Durobriuas* in Coritanis, ad quos pertinent, explicabimus. Vt vero distantia oppidorum quæ Icenis iam attribuimus, eorumque situs perspicue adpareat, pretium erit ex itineribus Antonini, vel quisquis ille auctor est, demonstrare.

I. Iter

I. Iter a Londinio Luguuallum ad Vallum:

Londinio			
Cæsaromagum	M.	P.	XXVIII
Coloniam	M.	P.	XXIIII
Villam Faustini	M.	P.	XXXV
Icianos	M.	P.	XVIII
Camboritum	M.	P.	XXXV
Duroli pontem	M.	P.	XXV
Durobriuas	M.	P.	XXXV

Inde per Lindum & Eboracum dirigitur ad Vallum.

II. Iter a Venta Icenorum Londinium:

Venta Icenorum			
Sitomagum	M.	P.	XXXII
Cambretonium	M.	P.	XXII
Adansam	M.	P.	XV
Camulodunum	M.	P.	VI

& reliqua. Quæ de Icenis sufficiant: ad Coritanos progressum instituimus.

CORITANI.

Sequitur tractus a Northamton ad Lindum siue Lincolne, quem Ptolemæi *Coritani* dicuntur possedisse. Extremum in australi parte fuit *Tripontium* Antonini, itinere a Londinio Lindum, nunc Torcester, in austrum vergens a Northamtonia, Oxoniam versus. Deinde in septemtrionem adsurgunt *Bennauenta* siue *Bennauenna* eiusdem, sed itinere a Vallo ad portum Ritupas, ex coniectura forte ipsum Northamton est ad flumen Aufonam, Taciti Altonam; aut non longe ab eo recedit. *Durobriuæ* ad eumdem amnem inter Northamton & Peterbourg, ab eodem Antonino, itinere a Londinio ad Vallum commemoratæ. *Ratæ* autem Antonini diuersis itineribus videntur Ptolemæi *Rage* esse. nam & hanc in Coritanis Ptolemæus scripsit. Locus autem nunc obscurus, nisi quod circa oppidum Leicester inuestigandum esse ex vtr[illegible]que numeris non difficile est probare. In quo tractu etiam *Verometum* fuit Antonini, itinere a Londinio Lindum, descriptum, quod alio itinere ab Eboraco Londinium, corrupte forsan *Vernemetum* vocatur,

catur, XIII millibus passuum supra Ratas, Lindum versus. Hodie locus dicitur Burowhill adpellari.

Vlteriora in septemtrionem eodem itinere narrantur tria, *Margidunum* XIII millibus a Verometo nunc Margedouerton: & *Ad Pontem*, VII inde millibus remotum, nunc Pauton: & *Crococalanum*, XII millibus a *Lindo* siue Lincolnio. *Lindum* enim vrbem illam esse, quæ nunc Lincoln vocatur, nemo est qui dubitet, & itinerum rationes satis persuadent. Ptolemæo quoque *Lindum*, Λίνδον, nominandi casu est, quod itidem in Coritanis posuit tanquam vrbem præcipuam, & alteri, *Rage*, prælatam. Beda lib. II Hist. eccl. cap. XVI *Lindocolinam ciuitatem* vocat, & regionem *Lindissi*, ac cap. XVIII agrum *Lindocolinum*: a quo nomen hodiernum est. Supra Lindum XIIII millibus passuum, Eboracum versus, Antonini itinere ab Eboraco Londinium, est *Agelocum*, quod Cambdenus mauult *Adelocum* legere, quia in vicum incidere videtur, qui Idleton hodie vocatur. Atque hæc etiam sunt, quæ de Coritanis in antiquis libris reperiuntur, quibus illustrandis & iuste dimetiendis ex Antonini itineribus hæc pauca damus excerpta.

I. Ex itinere a Londinio Lindum, quod per Verolamium & Lactodorum ducitur:

Tripontio			
Vennonim	M.	P.	VIIII
Ratis	M.	P.	XII
Verometum	M.	P.	XIII
Margidunum	M.	P.	XIII
Ad Pontem	M.	P.	VII
Crococalanum	M.	P.	VII
Lindum	M.	P.	XII

II. Ex itinere ab Eboraco Londinium:

Agelocum	—	—	—
Lindum	M.	P.	XIIII
Crococalanum	M.	P.	XIIII

Atque ita reliqua, vt in superiore itinere, retro subsequuntur.

CORNAVII.

In meditullio Britanniæ *Cornauii* incipiunt, & vergunt ad Deuæ æstuarium, a Ptolemæo commemorati, qui duo illis oppida adsignauit, *Deuam* æstuario adpositam seu flumini, stationem legionis XX Victricis; & *Viroconium*. Sed a finibus Coritanorum incipiendum. Primum ab austro est *Branogenium* Ptolemæi, siue *Branonium* Antonini, itinere a Muridono Virocomium, quod ex situ & distantia probatur Vigornia esse, vulgo Worchester. Inde in ortum, ad occidentalem Ausonam siue Auonam fluuium, coniicitur, *Præsidium* fuisse, quem locum Notitia Imperii, sub Duce Britanniarum, tradit præfectum equitum Dalmatarum habuisse. Coniicitur, inquam: nec enim certum argumentum, sed coniecturam Cambdenus sequutus, Warwicum interpretatur. Prope Stafford, ab austro tamen, *Pennocrucium* Antonini erat, itinere a Vallo Ritupas; hodie Penkridge, dictum. *Viroconium* autem, Ptolemæi & Antonini, videtur esse Salopia, vulgo *Schrowesbury* dicta, ad flumen Sabrinam, antequam in austrum id cursum suum deflectit. In Warwicensi tractu etiam *Manducssedum* fuit Antonini, quod, vt nomen indicat & distantia, hodie viculus Manchester est, distinguendus ab oppido eius nominis in Lancastria. Ad æstuarium Dee, vbi se flumen immittit, *Deua* eiusdem Antonini, siue Δηούνα, *Deuna* Ptolemæi, quod posterius nomen haud dubie deprauatum est; prius, genuinum, quia cum fluuii illius nomine *Dee*, quod hodie obtinet, quam proxime consentit. Vterque addit quasi cognomen, a legione XX *Victrice*, quæ ibi stationem habuit, petitum. Hodie vocatur Chestria. Vnde per XX millia passuum *Condate* eiusdem Antonini aberat, Eboracum versus, quod fertur hodie Congleton adpellari. *Rutunium* tandem, eiusdem itineris, inter Mediolanum & Viroconium medio loco fuit: nunc Routon, vt aiunt, dictum. Rationes singulorum ex itinere a Vallo Ritupas, sunt tales; sed contractæ:

Eboracum	—	—	—
Cambodunum	M.	P.	XXIX
Mamucium	M.	P.	XVIII
Condate	M.	P.	XVIII
Deua, Leg. XX *Victrix,*	M.	P.	XX

Medio-

Mediolanum	M.	P.	XXX
Rutunium	M.	P.	XII
Viroconium	M.	P.	XI
Pennocrucium	M.	P.	XXIII
Manduessedum	M.	P.	XVIII
Venonim	M.	P.	XII
Bennauentam	M.	P.	XVII.

SILVRES ET DEMETAE.

Cornauios excipiunt *Silures,* Hibernico mari & Sabrinæ flumini ac æstuario prætensi : qui interiore angulo, quem Sabrinæ fretum cum Hibernico mari facit, *Demetas* includunt. Plinius Silures ad mare vsque Hibernicum extendit, lib. IV cap. XVI dicens, Hiberniam a Britannia abesse, *a Silurum gente* XXX M. *passuum.* Demetæ enim tamquam pars Silurum æstimantur. Silurum oppida sunt *Ariconium* Antonini, quod Cambdenus Hereford, vrbem primam comitatus sui interpretatur. Quod si est, iter ab Isca Calleuam, per anfractus, vt multa alia, inspiciendæ rei publicæ caussa, oportet ductum esse. *Bulleum* Ptolemæi, nunc Buelth, fertur nomine suo prodi. *Isca Silurum*, quod statio *Legionis* II *Augustæ* erat, vt addidit Antoninus, neque nunc nomen suum abscondit, dicta *Caer lion*, id est vrbs legionis. Ex quo vel solo manifestum est, etiamsi itinerum rationes abessent, quæ vero adsunt luculentæ; Ptolemæum errore implicitum esse, qui legionem illam Iscæ Dumnoniorum imposuit. Media sedet hæc Isca inter *Burrium* per IX M. P. & *Bouium* per XV, quorum illud in septemtrionem vergit; hoc oblique & a latere in meridiem : illud euersum est; hoc, quod idem sonare Britannis aiunt, Cowbridge nunc vocatur. *Gobannium* etiam Antonini in illo tractu est, quod deprehenditur in Abergevennew, loco in occasum declinante a Monmutho.

Itinere altero Antonini ab Isca Calleuam, ab Isca proxime post IX passuum millia occurrit *Venta Silurum*, nunc excisa, sed nomine reliquo in loco Caer Went. Est etiam XXII M. P. a Gobannio locus *Magni* in Itinerario dictus; in Notitia Imperii sub Duce Britanniarum nunc *Magi*, & alius *Magni*, e quibus quod cum Itinerario consentit, præferendum, quamuis alterum placeat Cambdeno. Sub dispositione enim illius Ducis fuisse dicuntur &

Praefectus numeri Pacensium Magis, & *Tribunus cohortis* II *Dalmatarum Magnis*.

DEMETARVM, quos Ptolemæus nominat, eodem auctore duo oppida fuerunt, Λουέντινον, *Luentinum*, vel *Louentinum*, quod ipse prope ostia amnis *Tuerobis* locauit: & *Maridunum*, quod est Caer Mardin: & promontorium *Octapitarum*, Οκταπίταρον ἄκρον, quod nunc S. Dauidis adpellatur.

ORDOVICES.

Vt Silures & Demetæ sunt infra Cornauios, in austrum vergentes; sic supra illos in septemtrionem *Ordouices* adsurgunt, a Tacito & Ptolemæo, vt supra vidimus, nominati. Hi freto insulæ Monæ propinquiores sunt, ab illo ad æstuarium Dee in maritimis maxime habitantes. Fontes Sabrinæ tenent, & promontorium *Canganum*, Καγγανῶν ἄκρον, quod inter *Tisobim* & *Stucciam* fluuios ponit Ptolemæus. Ad fretum Monæ, aut prope illud, Antonini *Segontium* fuisse, fluuius ex lacu decurrens *Seiont*, & ibidem loci præfluens, ostendit, cui haud dubie commune nomen cum adiacente oppido fuit. Etiam iter a Segontio Deuam, confirmat idem, quod ita habet:

Segontio	
Conouium	M. P. XXIV
Varim	M. P. XIX
Deuam	M. P. XXXII

Quæ interiacent, *Conouium*, est nunc Conwey, ad fluuium, quem Ptolemæus *Tisobim* adpellat, Cambdenus Toisobium adpellari mauult: *Varis* autem, vrbis excisæ, vestigia in loco Bodvari superesse Cambdenus testis est. Tandem *Mediolanum*, quod Ptolemæus & Antoninus habent, etiam Ordouicum fuisse, non est quod dubitemus, quia non solum Ptolemæus ibi collocauit, verum etiam itineris rationes, quod a Vallo est Ritupas, eodem nos adducunt. Inter Bonium enim ad Deuam, & Rutinium, quod nomen seruat, positum fuit, ab illo XX, ab hoc XII millibus passuum seiunctum, licet nullum hodie vestigium supersit, vbi certo illud extitisse monstrari possit.

BRI-

BRIGANTES.

Supra Ordouices & Deuæ æstuarium *Brigantes* erant, a Tacito sæpius notati, a Ptolemæo ita distributi, vt a mari ad mare, quam lata est insula, pertinerent. Ab Itunæ enim æstuario vsque ad Alai æstuarium extensi erant Brigantes. Prope vallum iuxta promontorium & æstuarium Itunæ *Blatobulgium* erat, *castra* tenens *exploratorum*, vti Antonini secundo itinere describuntur: inde XII millibus aberat *Luguuallum* eodem itinere designatum, nunc Carlile, Latine Carleolum dictum: & *Voreda* Antonini, Cambdeno interprete Old Carlile, id est vetus Carleolum. Ad mare versus Hibernicum, *Epiacum* Ptolemæi fuit, nec hoc remotum multo ab Ituna: post quod apud eumdem *Moricambe* æstuarium. Inter vtrumque æstuarium in mediterraneis *Aballaba*, cui sub Ducis Britanniarum dispositione *Præfectus numeri Maurorum Aurelianorum* impositus fuit, vt in Imperii Notitia est proditum; nunc Appleby vocatur: quo in tractu forsan & alia præsidiorum loca eiusdem Notitiæ fuerunt, vt *Morbium*, vbi præfectus cataphractariorum erat; nunc Moresby in Cumbria: & iuxta Vallum, siue, vt in Notitia dicitur, *per lineam Valli* citerioris, plura, in eadem Notitia sub Duce Britanniarum enumerata, ex quibus sunt Cambdeno iudice, *Procolitia*, *Cilurnum*, *Tunnum*, *Condercum*, *Pons Aelii*, opus Hadriani haud dubie; *Axelodunum*, quod Cambdeno videtur nostræ ætatis Hexham esse; & tandem ad *Tinam* fluuium *Vindobala*, id est Finis valli, qui locus Antonini itinere primo *Vindomora*, id est, Cambdeno interpretante, Finis muri adpellatur. Neque enim certum est, an murus ad Oceanum Germanicum pertinuerit: neque opus fuit, quia Tina, Oceano adpropinquans, altitudine sua, qua naues magnas fert, satis munimentum fuit prouinciæ. Ad ostium tamen videtur etiam præsidium Romanum fuisse, sed classicum siue nauale. In Notitia enim Imperii dum sub Ducis Britanniarum dispositione etiam *Tribunus cohortis primæ Aeliæ classicæ Tunnocello* constitutus legitur, Cambdeno adsentimur, qui *Tinnocello* legi iubet, & Tinmouth siue ostium Tinæ interpretari.

Inter Moricambe æstuarium & *portum Setantiorum* ad latus Hibernicum interiacebat Ptolemæi *Vinnouium*, Οὐιννοὐιον; Antonini, itinere primo, *Vinouia*, nunc Binchester: & itinere secundo

illius tractus sunt *Brouoniacum*, quod dicitur Brugham esse; & *Verteris*: a quibus *Eboracum* via per *Cataractonem* & *Isurium* ferebat proxime: vtrumque locum etiam Ptolemæus habet, priorem vocans *Caturactonium*, *Κατȣῤῥακτόνιον*, quod nunc Catarick in Eboracensi comitatu est: alter, vicus hodie exiguus. Aliud iter ex hoc boreali tractu a *Clanouenta* Mediolanum ducit, in quo *Alone* est, in Notitia *Alione*, quæ hodie *Lancaster* est: deinde *Galacum*, Ptolemæi *Calatum*: post illud *Bremetonacum*; quod est Notitiæ *Bremeturacum*; quo in loco fere Ptolemæi *Rigodunum* est: inde *Coccium*, & a XVII millibus passuum *Mancunium*, plurium confessione Manchester; a quo per *Condate* itur *Mediolanum*. Quod autem initium itineris erat, *Clanoventa*, eius nullum superest vestigium: in Notitia Imperii autem est *Glannobanta*, quæ cohortem primam Morinorum præsidio tenebat. Et rursus alio itinere inter Eboracum & Mancunium (falso *Mamucium* scriptum) quod Lancaster est, interponuntur *Calcaria*, & *Cambodunum*, hoc ordine:

Eboraco			
Calcariam	M.	P.	IX
Cambodunum	M.	P.	XX
Mancunium	M.	P.	XVIII
Condate	M.	P.	XVIII
Deuam, Leg. XX.	M.	[illegible]	XX.

e quibus *Cambodunum*, quod perperam a Ptolemæo *Camulodunum* scribitur, nunc in ruinis est prope Almonbury.

Hæc in occidentali latere fuerunt, aut ad illud versus ferebant: in latere orientali oppida Eboracum vsque perlustrauimus: vnde ad æstuarium Abi, quod nunc Humber Flut vocatur, ordo talis oppidorum est itinere Antonini primo:

Cataractone			
Isurium	M.	P.	XXIIII
Eboracum, Leg. VI *Victrix*,	M.	P.	XIIII
Deruentionem	M.	P.	VII
Delgouitiam	M.	P.	XIII
Prætorium	M.	P.	XXV

Aliud

Aliud iter ab Eboraco Londinium, ita dirigitur:

Eboraco	M.	P.	XXI
Lagecium	M.	P.	XXI
Danum	M.	P.	XVI
Agelocum	M.	P.	XXI
Lindum	M.	P.	XIIII, & reliqua.

Nunc singula interpretamur, quantum de iis cognitum habemus. De *Cataractone* siue *Caturactonio*, & de *Isurio*, quæ vltra Eboracum sunt, modo diximus. Vrbs autem *Eboracum*, nunc *Yorck* & secunda regni, etiam olim fuit clarissima, & sedes principum Septimii Seueri & Constantii Chlori, in qua vterque diem obiit. Ptolemæus quoque perinde vt Antoninus, *Legionem* VI *Victricem* ibi locauit. Quod etiam nummus Seueri confirmat, qui COL. EBORACVM LEG. VI VICTRIX præ se fert. nam coloniam Romanam fuisse, in ipsa vrbe Eboracensi inuentus lapis probat, apud Gruter. pag. 485 num. 1, cui incisum est IIIIII COL. EBOR. id est, *Seuir coloniæ Eboracensis.* Sed ad reliqua explicanda itineris reuertamur. *Deruentio*, nunc Derwent, in Notitia Imperii etiam præsidiorum locis numeratur. Fuit enim sub dispositione Ducis Britanniarum *Præfectus Numeri Deruentionensis Deruentione.* Quæ sequitur *Delgouitia*, Cambdenus Godmundham interpretatur. *Prætorium*, quod in angulo æstuarii & maris est, hodie vocatur Paterington. In altero itinere *Lagecium*, superiore, a Londinio Luguuallum, *Legeolium* scribebatur, inter Eboracum & Danum medius locus, vt dubites, vtra lectio sit melior. *Danum* autem est Dancaster. *Agelocum* & *Lindum* supra exposuimus.

OTTADINI.

Expositis omnibus, quæ intra primum murum fuerunt, nunc extra illud vallum egressi, quæ vsque ad Bodotriam & Glotam æstuaria Romani possederunt, dispiciemus. Post finem Valli & Tinæ ostium in litore orientali, septemtrionem versus, proximum *Segedunum* erat, cui, vt in Notitia est, Tribunus cohortis IV Lergorum præsidio fuit: nunc dicitur Seton, contracto veteri vocabulo, nominari. Non procul abest locus Morpeth seu Morpit, quem Cambdenus putat Antonini *Corstorpitum* esse, itinerum Britannicorum principium, quod ideo *Morstorpitum* scribendum suspica-

ſpicatur. Vlterior *Alaunus* fluuius Ptolemæi, Alne dictus hodie: & eiusdem *Bremenium*, quod videtur Bramton eſſe, haud longe ſitum ab hoc fluuio. A quo oppido antiquiſſima charta chorographica Vallum oblique ad Eſcam perducit, quod non dubitatur Antonini vallum eſſe, a Lollio Vrbico, ipſius legato, exſtructum, vt litus illud orientale imperio Romano adiungeretur: de quo ſupra dictum fuit. Hæc de *Ottadinorum* regione, quæ Northumbria ætate noſtra adpellatur. Ottadinos Ptolemæus Ὠταδηνὺς, *Otadenos* ſcribit, ſed mauult *Ottadinos* ſiue *Ottatinos* Cambdenus, quod ſic Britannice ſignificat *vltra Tinam* habitantes.

SELGOVAE, HORESTI, ET DAMNII.

Tandem fines Romanorum vſque ad *Glotam* & *Bodotriam*, vtriusque maris æſtuaria, inſulam in anguſtias conſtringentia, prorogati, & nouo vallo ſiue muro communiti ſunt: qua finitione litus occidentale etiam, quod inter Itunam & Glotam eſt, adiectum fuit. In litore illo poſt Itunam *Selgouas* populum Ptolemæus conſtituit, quibus *Trimontium* & *Vxellum* oppida adſignat: & ſupra hos, *Nouantas*, Νουάντας, cum oppidis ignobilioribus: intus & ortum verſus inter Selgouas & Ottadinos, *Damnios*, quibus oppida vel caſtella attribuit *Colaniam, Coriam*, *Alaunam*, *Victoriam*: Quibus populis etiam *Horeſtos* Taciti interfuiſſe, prorſus eſt credibile. Etenim extra domitam Britanniam fuerunt, & in fines eorum exercitum duxit Agricola, obſidibusque acceptis, ibi præfecto claſſis circumvehi Britanniam præcepit. In ora ergo fuerunt & ad æſtuarium. Cambdenus locat in Eſcia, quæ regio ſupra Iutunam eſt, in quo æſtuario tum claſſis videtur fuiſſe, vnde circumvecta inſulam in Trutulenſem portum rediit.

Supra Ottadinos *Taum* æſtuarium in latere orientali eſt, vt Tacitus Agric. cap. XXII adpellat, in quo *Tai* vel *Taui* fluminis (nunc Twede, Scotiam ab Anglia ſeparantis) eſt oſtium. Sub *Bodotriæ* æſtuario *Alata caſtra* Ptolemæi ſunt locanda, Græce Πτερωτὸν ςρατόπεδον, quod non dubitatur *Edenburgum* eſſe, Scotorum regia, quia *Edenborow* Britannice idem ſonat quod Burgus alatus vel alarum: nec numeri etiam, quos Ptolemæus ponit, ab hoc loco abhorrent: atque hoc in vltimis caſtris Romanorum fuit. Quos

ergo

ergo circa primum vallum, aut circa vltimum, populos enarrauimus, pars *Mæatarum* fuerunt, prouinciæ nouis victoriis & prorogatis finibus, adiecti, quorum reliqui extra valla in Scotia habitarunt. Omnes enim Britannos barbaros, distinctos a prouincialibus Dio Cassius apud Xiphilinum in Seuero in Mæatas & Caledonios diuisi erant, Μαιάται πρὸς αὐτῷ τῷ διατειχίσματι, ὃ τὴν νῆσον διχῇ τέμνει· Καληδόνιοι δὲ μετ' ἐκείνους, *Mæatæ sunt iuxta murum qui insulam in duas partes diuidit: Caledonii post illos.*

Denique quia ad valla siue muros iam progressi fuimus, præter illa, quæ supra in *Diuisione Britanniæ* de eisdem diximus, de auctoribus singulorum, etiam ætate, ordine ac temporibus aliquid adiiciendum est. Tria valla siue muros historia antiqua tradit in Britannia: tres etiam structores nominat Hadrianum, Antoninum, Seuerum: trium etiam vestigia non obscura inueniuntur: sed quo ordine singula, & a quo hoc, illud vallum, siue hic, ille murus constructus fuerit, difficile sane ad expediendum est. Vir rerum Britannicarum peritissimus Guilielmus Cambdenus Cap. *de Muro Pictico*, in hanc opinionem ingressus est, vt murum citeriorem, qui Iutunæ æstuario & Tinæ prope ostio interceptus fuit, a Seuero imperatore exstructum, aut ab Hadriano inchoatum, a Severo consummatum esse censeat: medium vallum quod Ottadinos inclusit, ab Antonino Pio: extremum inter Bodotriam & Glotam ab Alexandro forte Seuero, sub quo fines eo vsque prolatos esse Lampridius testetur. Quamquam enim & olim Agricola ad Glotam vsque & Bodotriam, Tacito teste, progressus fuerit, earumque angustias muniuerit præsidio: tamen *Seuerus*, inquit Cambdenus, *posthabita vlteriori illa & ingenti regione murum per transuersam insulam ab Ituna æstuario siue Solwey frith ad Tinæ ostium siue Tinmouth duxit, & receptas prouincias omni securitate muniuit.*

Philippus Brietius in eo consentit cum Cambdeno, vt citeriorem murum siue vallum, quod ab Ituna ad Tinæ ostium fuit, Severo conditori attribuat: vltimum vero inter Glotam & Bodotriam exserte adiudicat imperatori Hadriano. Contra, Georgius Buchananus, Scotus, non minus, quam Cambdenus, harum regionum peritus; & Abrahamus Ortelius, quod citimum vallum est, Hadriano vindicant; extremum, Seuero: quod eo adparet

probabilius, quia processu temporis fines imperii sunt in maius & in longius prolati. Vt ergo in repugnantibus sententiis intelligamus, vtra verior sit, aut procliuior ad fidem; vtriusque rationes, quibus innituntur, diligentius excutiemus.

Duo præsidia Cambdeno sunt, primum ex vulgari Britannorum adpellatione petitum est; alterum ab auctoritate venerabilis Bedæ. Britannos Anglos ait illud citimum vallum, seu reliquias & vestigia eius, adpellare *Gual Seuer*, hoc est, Seueri vallum; quasi ex vetusta traditione habeant quod res sit, quodque consonans historicæ veritati. Quid si vero vulgaris hæc nomenclatura in gloriam gentis conficta & adrogata esset? Famosius Seueri vallum, quam vel Antonini vel Hadriani fuit; etiam res illius Britannicæ, quam horum, clariores, vt fieri vtique potuerit, quo, quod Seueri erat, sibi natio æmula vindicaret. Ipse Cambdenus fatetur, *Scoticos scriptores semper Hadriani Murum* illud ad Itunam Tinamque vallum *adpellasse*: quinam verius dixerint quod res postea examinabimus.

Alterum argumentum Cambdenus ab auctoritate Bedæ sumit, qui lib. I Histor. eccles. Britan. cap. XII scripsit, aut potius ex Gildonis Sapientis de Excidio & conquestu Britanniæ, transscripsit de legione, quæ Britannis vltimo auxilio missa Valentiniani III temporibus fuerat: *Tum Romani denuntiauere Britonibus, non se vltra ob eorum defensionem tam laboriosis expeditionibus posse fatigari: ipsos potius monent arma corripere, & certandi cum hostibus studium subire. - - - quin etiam, quod & hoc sociis aliquid commodi adlaturum putabant, murum a mari ad mare recto tramite inter vrbes, quæ ibidem ob metum hostium factæ fuerant, vbi & Seuerus quondam vallum fecerat, firmo de lapide locarunt. Quem videlicet murum, hactenus famosum atque conspicuum, sumptu publico priuatoque, adiuncta secum Britannorum manu, construebant, octo pedes latum, & duodecim altum, recta ab oriente in occasum linea, vt vsque hodie intuentibus clarum est.*

Duo sunt huius argumenti capita: primum, vltimos illos Romanos lapideum murum ab Itunæ æstuario vsque ad ostium Tinæ exstruxisse, qui adhuc Bedæ temporibus clarus fuerit intuentibus: deinde, eodem loco Seuerum quondam vallum fecisse. Prius vt nolumus negatum ire, est tamen in illo, quod vel mireris,

vel

vel omnino dubites, qui fieri potuerit, vt tam altus murus, tam latus per tantum spatium, quod non infra LXXX millia passuum est, ab vna legione, & redire festinante, quamlibet adiuuantibus Britannis, tam breui tempore duceretur. Sed vestigia supersunt muri saxei, ad quæ Cambdenus prouocat. Supersunt etiam alterius muri ad Bodotriam a Glota vsque, Buchanano Scoto teste, qui labor multo breuior fuisset, & temporibus accommodatior, quam alter ad Itunam & Tinam. Quod probabilius fieret, si de *Valentia* prouincia, quam Theodosius, Theodosii M. pater, fecerat, certius constaret, ad id tempus vsque conseruatam esse, quod non est incredibile, quum anni haud plures, quam quinquaginta circiter intercedant. Secundum vero, quod de Seueri vallo erat, non exstat in epistola Gildonis, cuius fide, vt conferentibus manifestum est, vsus Beda fuerat: sed, nisi glossa est, ipse de suo addidit, bene, si ex probata historia hausit; secus, si gentis suæ amor & credulitas ipsum decepit. Quod vt verius diiudicetur, repetamus, quæ de vtroque muro siue vallo, Hadriani & Seueri, scriptores veteres prodiderunt.

Spartianus cap. XI de Hadriano: *Murum per octoginta millia passuum primus duxit, qui barbaros Romanosque diuideret.* Quod si per *octoginta* millia duxit, ruit opinio ante dicta Brietii, qui Glotæ & Bodotriæ adposuit, quod Hadrianus vallum per insulam traduxerat, quod angustiæ illius loci ne dimidium quidem tanti valli possunt capere. *Si ergo non est Hadriani, neque Antonini, cuius vallum tam Cambdenus quam Brietius a Bremenio ad Escam oblique duxerunt; consequens est, vt Seueri opus vallum illud extremum sit. Quod Eutropius confirmat lib. VIII cap. X, Seueri vallum XXXII millia passuum a mari ad mare perducens: quod spatium nulli parti insulæ, quam quæ inter Bodotriam & Glotam est, ob angustiam suam conuenit. Sed forte factum illud vallum sub Alexandro imperatore est. Id Cambdenus sibi probari non obscure significauit, Lampridii verbis ex illius Vita cap. LVIII vsus, quæ vero nihil de vallo aut prætentura notificant, ac ne Britanniæ quidem mentionem faciunt. Dixit tantummodo Lampridius: *Sola quæ de hostibus capta sunt, limitaneis ducibus & militibus donauit, ita vt eorum essent, si heredes illorum militarent; nec vmquam ad priuatos pertinerent, dicens, attentius eos militaturos, si etiam sua rura defende-*

fenderent. Accedit quod Xiphilinus ex Dione refert, Seuerum expeditione illa non circa citeriora obhæsisse, posthabitis vlterioribus, sed ἐσέβαλεν ἐς τὴν Καληδονίαν, καὶ διϊὼν αὐτὴν, ἀμύθητα πράγματα ἔσχε, τάς τε ὕλας τέμνων, καὶ τὰ μετέωρα κατασκάπτων, τά τε ἕλη χωννύων, καὶ τὰς ποταμὰς ζευγνύων, *in Caledoniam ingressus est, eamque pertransiens, incredibilem laborem tulit, siluas cædendo, loca alta perfodiendo, paludes obruendo aggeribus, & pontes in fluminibus faciendo.* Cupidior etiam gloriæ erat Septimius Seuerus, quam vt ea quæ Agricola obtinere cœperat, quæ Antoninus vt partem Romanæ prouinciæ præsepserat; post tot victorias, quum territi & fracti ipsi Caledonii essent, desperabundus desereret, nulla cogente necessitate, & fines imperii contractiores faceret. Hæc veteres scriptores de Seuero & Hadriano prodiderunt, ad quæ vtique exigenda & reformanda sunt, quæ posteriores de vtriusque vallo siue muro commentati sunt.

Finem facio Buchanani verbis ex lib. IV Rerum Scot. sub Rege XXVII, de Seuero imperatore: *Finem Romani Imperii vallum duxit inter Bodotria & Glota æstuaria, vbi ante Agricola finire prouinciam decreuerat. Id vallum, qua Carrontem amnem attingit, præsidium habuit eo situ & viarum descriptione, vt modicæ vrbis instar esset. - - - Paucis, antequam hæc scriberemus, annis, vestigia fossarum & murorum, item vicorum apparebant, nec adhuc muri diruti omnino ita confusa sunt indicia, vt non interim se multis in locis prodant, terraque leuiter effossa quadrati lapides eruuntur, quibus vicini agrorum domini ad ædium suarum substructiones vtuntur. Indicant autem inscripti lapides, qui interim inueniuntur, id opus Romanorum fuisse. Magnitudinem molitionis eius ostendunt hæc Aelii Spartiani verba,* BRITANNIAM (QVOD MAXIMVM EIVS IMPERII DECVS) MVRO PER TRANSVERSAM INSVLAM DVCTO, VTRIMQVE AD FINEM OCEANI MVNIVIT. *Quibus verbis mihi indicare videtur, non vallum, quod Beda vult, sed murum fuisse, præsertim quum opus, quod vallo Hadriani plus quam dimidio breuius sit, tali elogio prosequatur. Distat autem, vbi mininum, hæc munitio plus octoginta millibus passuum a vallo Hadriani.*

BRI-

BRITANNIA BARBARA.

Vltra muros quidquid reliquum insulæ maioris fuit Britannicæ, a Barbaris tenebatur, in quorum fines licet semel, iterum Romani excursiones fecerint, nihil tamen ita subegerunt, vt possiderent; sed muro siue vallo, propugnaculis instructo, diuisos barbaros ab Romanis esse voluerunt. Pauca sunt, quæ de illa parte referre possumus, quia & ipsis Romanis ignota fuit, ignotior Græcis vt remotioribus.

Præcipua gens fuerunt *Caledonii*, siue *Calidonii*, vnde tota regio sæpe *Caledonia* vocatur, & mare ab occidente adluens Oceanus *Caledonius*: qui Ammiano Marcellino lib. XXVII cap. XVIII sunt *Dicalidones*, si scriptura salua est. Tacitus Agricol. cap. XI *Rutilæ Caledoniam habitantium comæ; magni artus, Germaniæ originem adseuerant.* Et cap. XXV *ad manus & arma conuersi populi, paratu magno, maiore fama, vt mos est de ignotis.* Ptolemæo etiam sunt *Caledonii*, & Καληδόνιος δρυμὸς, *silua Caledonia*, quod vocabulum etiam Florus de Britannia citeriore vel errore vel grandi abusione vsurpauit. De Cæsare enim vix Tamesim transgresso, lib. III cap. X dixit, *Britannos, Caledonias sequutus in siluas, vnum quoque de regibus Cauelanis in vincula dedit.* Hæ autem siluæ circa Tamesin erant. In poetis tolerabilius est. Martialis lib. X epigram. XLIV ad Q. Ouidium in Britanniam iturum:

Quinte Caledonios Ouidi visure Britannos.

De Vespasiano autem agentes, propiores vero sunt. Silius Italicus lib. III vers. 598

Inque Caledonios primus trahet agmina lucos.

Et Valerius Flaccus lib. I vers. 7 de eodem:

Tuque o, pelagi cui maior aperti
Fama, Caledonius postquam tua carbasa vexit
Oceanus, Phrygius prius indignatus Iulos.

Ptolemæus hoc loco incertus est, vt rerum parum gnarus, & formam insulæ peruertit, eius cuspidem non in septemtrionem ducens, quem re vera spectat, sed *in orientem* reflectit: nisi id Agathodæmoni potius imputandum est, qui Tabulas ex illius descriptione confecit, quum ipse in hac parte insulæ nullos numeros, quos ipse ignorauit, nec potuit scire, sinibus & æstuariis adposuerit.

rit. Videntur tamen Caledonii partem ſiniſtram inſediſſe, quia ab illo latere Oceanus *Caledonius* adpellatur, & Agathodæmon, vnde incipit Ptolemæus Caledonios, *ſinum Lalamnonium* proxime ſupra Glotam conſtituit: licet æſtuarium *Varar*, vbi illos Ptolemæus terminauit, collocet in latere obuerſo. Eumenius panegyrico Conſtantini cap. VII *Caledones* dixit, non *Caledonios*, vt mox ex verbis eius intelligemus. Ptolemæus lib. II cap. III ineunte Oceanum dixit Δουηκαληδόνιον, quod vocabulum vulgo Latine exprimunt *Deucaledonium*, vt idem ſint *Caledones*, *Caledonii*, & *Deucaledonii*, & Ammiani *Dicalidones*.

Alterum percelebre nomen *Pictorum* eſt, ſed neſcio quam antiquum, quia Tacitus & Ptolemæus nuſquam memorarunt, frequens tantum poſterioribus. Videtur omnes ſeptemtrionales Britannos, ſaltem plurimos, ſignificatu ſuo comprehendiſſe: Caledonios certe comprehendit. Eumenius panegyrici dicto capite: *non dico Caledonum, aliorumque Pictorum ſiluas & paludes.* Ergo & Caledones Picti fuerunt. Ammianus lib. XXVII cap. XVIII [Valeſ. cap. VIII] *Illud ſufficiet dici, quod eo tempore Picti in duas gentes diuiſi, Dicalidonas & Vecturiones; itidemque Attacotti, bellicoſa hominum natio, & Scotti, per diuerſa vagantes multa populabantur.* Ergo Valentiniani & Valentis temporibus Picti quidem Caledonios ſuo nomine continebant, non autem Scotos & Attacottos, qui omnes tamen ſeptemtrionalis tum Britanniæ populi fuerunt. *Pictos* & alio panegyrico, Conſtantio dicto, Eumenius memorauit cap. XI, *Natio*, inquit, *tunc rudis, & ſoli Britanni Pictis modo & Hibernis adſueta hoſtibus, adhuc ſeminudis, facile Romanis armis ſignisque ceſſerunt, prope vt hoc vno Cæſar gloriari in illa expeditione debuerit, quod nauigaſſet Oceanum.* Et Claudianus de III conſulatu Honorii verſ. 54

Ille leues Mauros, nec falſo nomine Pictos
Edomuit, Scotumque vago mucrone ſequutus.

NEC FALSO NOMINE: quia ſolita gens pictis animalium figuris corpus decorare; vnde nomen putat inditum. Beda Hiſtor. eccleſ. lib. I cap. I *Pictos* vulgarem tum opinionem ſequutus (ait enim, *vt perhibent*) ex Scythia nauibus longis adlatos dicit: Cambdenus autem non contemnendis rationibus probat Pictos indigenas Britanniæ ſeptemtrionalis fuiſſe: aliunde non acceſſiſſe.

Scotos

Scotos autem ex Hibernia in maioris insulæ septemtrionem aduectos esse, plurium non improbabilis est sententia, nec tamen nomen illorum, si auctoritatem poscas, est antiquissimum, nec qui ante Theodosii ætatem vsurpauerit, facile quisquam repperietur, vt in Hibernia ostendemus. Tam Scotis quam Pictis suas sedes in septemtrionali Britannia venerabilis Beda lib. I cap. XII adsignauit. Scilicet de Britannia propria, antea Romana, *Subito*, inquit, *duabus gentibus transmarinis vehementer sæuis, Scotorum a Circio, Pictorum ab Aquilone multos stupet gemitque per annos.* Quod si verum est, quod supra ex Oceani nomine coniecimus, Caledonios, qui & Picti fuere, ab occasu habitasse, & Scotos a Pictis distinctos, in orientali plagá; conuersa malim quæ Beda dixit, & Pictos potius a Circio, Scotos ab Aquilone venisse crediderim. nisi forte vagabundæ gentes sedes suas interuentu sæculorum mutauerunt. *Transmarinas* autem cur dixerit, ipse interpretatur, non tamquam positas extra insulam, sed *quia a parte Britonum erant remotæ, duobus sinibus maris interiacentibus.* Et si recte attendimus, hi prædatores non ex insulæ septemtrione vltimo venerunt, verum ex partibus prope valla siue muros, vbi æstuaria illa maiora sunt, quos *sinus* videtur adpellare: in quo tractu Dio Cassius *Mæatas* constituit, a Caledoniis, ut remotioribus separatos.

Qui præterea apud Ammianum dicto loco *Attacotti* & *Vecturiones* adpellantur, illo solo auctore noti sunt, a nemine, quod sciam, præterea memorati. *Vecturionum* etiam non certum in libris Ammiani vocabulum, sed quod Valesii fratres obseruarunt, manu scripti quidam *Vesturiones*, alii *Verturiones* nobis referunt. Adeo tenebris immersa sunt ignobiliora illa nomina populorum.

Nec clariora sunt quæ Ptolemæus vltra Glotam, fluuium & æstuarium, nomina populorum scripsit, *Gadinorum, Epidiorum, Creonum, Ceronum, Carinorum;* & in latere orientali *Tæzalorum, Mertarum, Cantarum, Logorum;* & in extremitatis angustiis, vtrique lateri communibus, gens vltima *Cornabiorum*, de qua ipse scripsit, ἀνατολικώτεροι καὶ τελευταῖοι Κορνάβιοι, *Orientaliores & vltimi Cornabii.* Quo forte Agathodæmon Alexandrinus respexit, quum Britanniæ tabulæ extremam partem a septemtrione deflexit in orientem. Flumina etiam Ptolemæus recenset, sed æque ignobilia,

bilia, & omnibus aliis ignota, *Ityn* videlicet, *Nabaum*, *Ileam*, *Loxam*, quæ, & cetera nomina, ad hiſtoriam & antiquitatis vſum nihil adferunt.

Tandem de *fertilitate* Britanniæ aliquid dicendum eſt. Tacitus Agric. cap. XII *cælum* eius dicit *crebris imbribus & nebulis fœdum:* at *aſperitatem frigorum abeſſe*. Ideo *ſolum*, *præter oleam vitemque & cetera calidioribus terris oriri ſueta*, *patiens frugum*, *fecundum*. Addit *ferre aurum & argentum & alia metalla*, *pretium victoriæ*. In primis *ſtannum* eſt quo abundat, & alias regiones ſuperat. Diodorus Siculus lib. V cap. XXII de iis tradit, qui Belerium promontorium (Bolerium Ptolemæo, in extrema Cornuwallia) accolant, οὗτοι τὸν κασσίτερον κατασκευάζουσι, φιλοτέχνως ἐργαζόμενοι τὴν φέρουσαν αὐτὸν γῆν. *Hi ſtannum*, *terra*, *quæ illud parturit*, *ſollerti opere ſubacta*, *conficiunt*. Inde per mercatores in Galliam & vlterius deportabatur. Cæſar lib. V cap. XII *plumbum album* in mediterraneis regionibus gigni refert: ferrum modicum in maritimis.

Hæc terræ fertilitas: non minor ibi ingeniorum fuit, poſtquam cultura ex Romanorum conſuetudine acceſſit. Mirum, quam celeriter gens barbara in moribus, in litteris profecerit. Agricola *principum filios liberalibus artibus erudiri* iuſſit, quo propere factum, vt *ingenia Britannorum ſtudiis Gallorum anteferrentur*, *vt qui modo linguam Romanam abnuerant*, *eloquentiam concupiſcerent*. Tacit. cap. XXI.

HIBERNIA.

Britannicarum maiorum inſularum ſecunda *Hibernia* eſt, Britanniæ, id eſt inſulæ maximæ, ab occaſu ſolis obiecta. Varie nomen ſcribitur: Cæſari, Tacito, Plinio, Solino, Oroſio *Hibernia* eſt: Pomponio Melæ *Iuuerna*, quod cum Ἰουουερνία Ptolemæi in codice Palatino congruit: vulgati autem eiusdem libri Ἰουερνία habent, quod etiam Agathemeri eſt lib. II cap. VIII. At Straboni Ἰέρνη eſt lib. II & IV; etiam Ariſtoteli de Mundo; quam formam imitatus eſt Claudianus de IV conſul. Honorii verſ. 33, *glacialis Ierne:* & Latino caſu Apuleius de Mundi, Ariſtotelis interpres, *Albion & Ierna*. Romanis parum cognita Hibernia: minus Græcis. neque enim expeditionem in illam antiquis temporibus fuiſſe factam cognouimus: quam in animo habuit Agricola,

nec

nec spes occupandi defuit; vt Tacitus in Vita cap. XXIV prodidit. *Quinto*, inquit, *expeditionum anno eam partem Britanniæ, quæ Hiberniam adspicit, copiis instruxit, in spem magis, quam ob formidinem. siquidem Hibernia media inter Britanniam atque Hispaniam sita, & Gallico quoque mari opportuna, valentissimam imperii partem magnis inuicem vsibus miscuerit. - - - - Sæpe ex eo* [Agricola] *audiui, legione vna & modicis auxiliis debellari obtinerique Hiberniam posse.* Sed impeditus fuit Agricola aliarum motu gentium, ne institutum persequeretur. Quidquid ergo Romani de insula cognitum habuerunt, *per commercia & negotiatores* habuerunt, eodem referente Tacito.

Pomponius Mela ita de illa censuit lib. III cap. VI *Supra Britanniam Iuuerna est, pæne par spatio, sed vtrimque æquali tractu litorum oblonga, cæli ad maturanda semina iniqui*]: *verum adeo luxuriosa herbis non lætis modo, sed etiam dulcibus, vt se exigua parte diei pecora impleant, & nisi pabulo probibeantur, diutius pasta dissiliant. Cultores eius inconditi sunt, & omnium virtutum ignari, pietatis admodum expertes.* Idem de pascuis Solinus tradit cap. XXII *ita pabulosam esse, vt nisi pecua a pascuis interdum arceantur, in periculum agat satias*: & de barbarie incolarum tam Strabo quam Solinus: ille, ἀγριωτέρους τῶν Βρεττανῶν ὑπάρχειν, *magis feros, quam Britannos, esse*: hic ipsam insulam *inhumanam* dixit *incolarum ritu aspero.*

Fluuios insulæ Ptolemæus pæne multos nominauit, e quibus potiores sunt in australi latere *Birgus*, nunc Borrow: & *Dabrona*, More hodie, præfluens oppidum Lismore. In latere occidentali post *Notium* promontorium, quod Hispaniam spectat, fluuius Iuernus est: dein *Senus*, omnium in insula maximus, quem *Scenam* Orosius dixit lib. I cap. II, nunc Schennon: supra quem *Ausoba*, *Libnius*, *Rauius*; in septemtrione *Vidua*, *Argita*: in ortum tendentes *Logia*, *Bubinda*, *Oboca*, siue *Ouoca*. Desunt historiæ, & ex solius Ptolemæi fide hæc nomina sunt.

Multas *gentes* nominat Ptolemæus, sed quod deficit antiqua huius insulæ historia, ignotæ omnes aut pleræque, earumque sine insigni vsu notitia. In australi parte ponit *Brigantes* tamquam cognatis iis, qui in Britannia hoc nomine clari exstiterunt, colentes circa *promontorium Sacrum*, ἱερὸν, quod Britannorum Walliæ est oppositum. quibus *Vodiæ* ab occasu, & supra hos *Vterni* (Palat.

cod. Ιυέρνιοι, *Iuernii*) adiacebant; ab occaſu poſt *Notium* promontorium *Vellabori*, quibus Oroſius *Lucenos* addit. nam dicto loco ſic ait: *Huius partes intentæ Cantabrico Oceano - - - ab eo præcipue promontorio, vbi Scenæ fluminis oſtium eſt, & Velabri Lucenique conſiſtunt.* Ab his in boream tendunt *Nagnatæ*, *Erdini*, *Vennicnii*: ſed in extremo ſeptemtrione inſulæ *Robogdii*, ad promontorium huius nominis: ab ortu *Voluntii*, *Eblanii* (ſic Palat. qui aliis *Blanii*, prope *Eblanam* vrbem) *Cauci*, & *Manapii*; inter quos & Brigantes *Coriondi* ſunt. Hos populos Ptolemæus in Hibernia prodidit: nullos autem in illis recenſuit *Scotos*, quos ideo poſteriores, ſaltem nomen illorum, oportet in hac inſula fuiſſe. Claudianus demum de IV conſul. Honorii verſ. 33

Scotorum cumulos fleuit glacialis Ierne.

Et lib. II in primum conſul. Stilichonis verſ. 251

- - - totam quum Scotus Iernen Mouit.

Iſidorus Hiſpalenſis lib. XIV Origin. cap. VI *Scotia eadem & Iberniæ proxima Britanniæ inſula, Scotia, quod ab Scotorum gentibus colitur, adpellata.* quod etiam Oroſius dixit lib. I cap. II. *Hibernia*, inquit, *a Scotorum gentibus colitur.* Sed tres hi auctores poſterioris æui ſunt, nec eximium aliquid adferre ad antiquam geographiam poſſunt.

Oppida non minus varia nominat, ſed qua fide, aliunde ex antiquitate confirmari vel negari nequit. *Eblana* creditur Dublinium eſſe, caput inſulæ & regia: a qua in auſtrum modice diſtant *Laberus* & *Dunum* in mediterraneis: illa, Λάβηρος, quibusdam eſt caſtrum Killair; hoc, *Dunum*, reductum paulliſper ad iſthmum, nunc Down putatur eſſe. Ad mare *Manapia* in Manapiis, ad oſtium Μοδόνυ, *Modoni* fluuii. Intus *Iuernis*, & gemina Ῥηγία, vt in Palat. ſcribitur, *Regia*, altera ad *Senum* fluuium; altera ad Argitam: ſub qua *Raba* inter lacus, quæ nomen in paucis caſulis dicitur adſeruare.

INSVLAE MINORES BRITANNICAE.

Vt propior Britanniæ in freto Britannico, ita nobilior eſt VECTIS, vt Plinius vocat & Suetonius; etiam Ptolemæus, cui Οὐῆκτις eſt: ſiue VECTA, vt eſt in panegyrico Eumenii, dicto Cæſari

ſari Conſtantio, cap. XV. *Claſſis,* inquit, *apud Vectam inſulam in ſpeculis atque inſidiis collocata.* Praue Diodorus Siculus lib. V cap. XXII Ἴκτιν, *Ictin* vocat, præciſa littera. Hodie eſt *Wight.* Hanc in Romanorum poteſtatem redegit Veſpaſianus, quum priuatus ſub Claudio meruit, legatus legionis. Suetonius cap. IV Vitæ: *inſulam Vectam Britanniæ proximam, in ditionem redegit.*

Prope Cantuariam inſula eſt TANETOS a fluuio & mari cincta. Beda ita nominat lib. I cap. XXVI. Solino cap. XXII eſt TANATIS, quam ſcripturam præfert Salmaſius. Hodie *Tenet* ab Anglis vocatur. *Frumentariis campis felicem.* Solinus dixit. Quod vero addit, & aliis locis ſalubrem eſſe, dum aſportata inde terra ſerpentes necet; id falſum eſſe Cambdenus prodit. Ad Tameſis æſtuarium Ptolemæus duas inſulas ponit, alteram TOLIAPIN, alteram Κώουνον, COVNVM adpellans. Illa videtur *Schepey* eſſe: hæc, *Canvey.*

In mari Hibernico, ſiue inter Angliam & Hiberniam, duæ inſulæ ſunt eodem plerumque nomine MONAE. Quæ medio mari interiacet, oblonga, ab auſtro in ſeptemtrionem directa, a Cæſare lib. V cap. XIII ita deſignatam habemus: *Hibernia dimidio minor, vt exiſtimatur, quam Britannia; ſed pari ſpatio transmiſſus atque ex Gallia eſt in Britanniam. In hoc medio curſu eſt inſula, quæ adpellatur Mona.* Eadem Ptolemæo Μονάοιδα, *Monaœda*, ſed longius in ſeptemtrionem remouit, quam re vera eſt. Oroſio dicto loco eſt *Menauia* (ſic legendum, non *Meuania*) quod cum Plinii vocabulo *Monapia* conuenit, ſi P cum B permutato *Monabiam*, quod Cambdeno videtur, legeris.

Altera MONA inſula, eademque auſtralior & latior, ſita eſt in ora Ordouicum, a quibus tenui freto dirimitur. Tacitus lib. XIV cap. XXIX de Suetonio Paullino: *Monam inſulam, incolis validam, & receptaculum perfugarum adgredi parat, nauesque fabricatur plano alueo aduerſus breue litus & incertum. Sic pedites. equites vado ſequuti, aut altiores inter vndas adnatantes equis transmiſere.* Et Agricolæ Vita cap. XIV de eodem: *Monam inſulam, vt vires rebellibus adminiſtrantem adgreſſus, terga occaſioni patefecit.* Occaſioni ſcilicet defectionis per omnem fere Britanniam. Occupauit ergo Paullinus quidem, ſed a poſſeſſione reuocatus eſt tumultu Britannorum, eiusque gloriam Agricolæ reliquit.

liquit. Tacitus ibidem cap. XVIII *Monam insulam, cuius possessione reuocatum Paullinum rebellione totius Britanniæ supra memoraui, redigere in potestatem animo intendit. Sed, vt in dubiis consiliis, naves decrant, ratio & constantia ducis transuexit: depositis omnibus sarcinis, lectissimos auxiliarium, quibus nota vada, & patrius nandi vsus, quo simul seque & arma & equos regunt; ita repente immisit, vt obstupefacti hostes, qui classem, qui naues, qui mare exspectabant, nihil arduum aut inuictum crediderint sic ad bellum venientibus. Ita petita pace, ac dedita insula, clarus ac magnus haberi Agricola* cœpit. Tandem ab Anglis capta, nunc *Anglesey*, quasi Anglorum insula, adpellatur.

Extremitati Dumnoniorum (nunc Cornuwalliæ) obiectæ sub Hibernia insulæ plures paruæ, exiguo spatio disiunctæ inter se, vulgo *Silures* dictæ, sed falso, quia non Silurum regioni, sed Dumnoniorum obiacent. A Solino id nomen fuit, sed male castigato, ex quo vulgo legitur cap. XXII, *Silurum quoque insulas ab ora, quam gens Britanna Dumnonii tenent, turbidum fretum distinguit.* Salmasius ait, in MSS. esse *Siluram insulam*; & in margine Regii codicis adscriptum *Sillinas insulas*, quod probat: saltem *Silinam insulam.* nam Sulpicius quoque Seuerus lib. II Hist. Sacræ cap. LI id nominis habet. *Instantius*, inquit, *quem superius ab episcopis damnatum diximus, in Sylinam insulam, quæ vltra Britanniam sita est, deportatus.* Huc *Limnum* Plinii & Ptolemæi quidam referunt, quasi *Silimnum*, truncato capite. Cambdenus etiam *Cassiterides* veterum huc referendas censet, quas nullas in Hispanici maris ora invenimus, vbi a Strabone, Plinio, Solino sunt collocatæ. Stanni prouentus, vnde nomen habent, coniecturam firmat, quod copiosum in Silinis est. Hodie *Sillyes* dicuntur, & a nautis *Sörlinges*.

A septemtrione plures adiacent minores insulæ ad Britannicam maiorem, de quibus quæ priscorum notitia fuerit, nunc inuestigabimus. Pomponius Mela dicto loco: *Triginta sunt Orcades angustis inter se diductæ spatiis. Septem Aemodæ.* Plinius lib. IV cap. XVI *Sunt* XL *Orcades, modicis inter se discretæ spatiis. Septem Aemodæ, &* XXX *Hebudes.* Solinus sæpe dicto cap. XXII *A Calidoniæ promontorio Thylen petentibus, bidui nauigatione perfecta, excipiunt Hebudes insulæ, quinque numero, quarum incolæ nesciunt fruges;*

ges; piscibus tantum & lactibus viuunt. - - - - Secundam a continenti stationem Orcades præbent: sed Orcades ab Hebudibus porro sunt septem dierum, totidemque noctium cursu, numero tres. Vacant homine: non habent siluas; tantum iunceis herbis inhorrescunt. Cetera earum nudæ arenæ. Ptolemæus lib. II cap. II ὑπέρκεινται νῆσοι τῆς Ἰουερνίας, αἱ δὲ καλούμεναι Ἔβουδαι, ε᾽ τὸν ἀριθμόν, *Supra Hiberniam sitæ insulæ Ebudæ, quinque numero*, quas singulas nominatim recensset. duæ enim *Ebudæ* in iis, vna *Ricina*: reliquæ *Maleos, Epidium.* Et cap. III Νῆσοι παράκεινται τῇ Ἀλουίωνος, κατὰ μὲν τὴν Ὀρκάδα ἄκραν, Ὄκητις νῆσος, Δοῦμνα νῆσος, ὑπὲρ ἣν αἱ Ὀρκάδες, περὶ τριάκοντα τὸν ἀριθμόν. *Insulæ adiacent Albioni, iuxta Orcada promontorium, Ocetis insula, Dumna insula, supra quam Orcades insulæ sunt, numero triginta circiter.*

Multa in his sunt pugnantia, quæ difficile est omnia conciliare. Salmasius in Solinum p. 176 *Ebudes Pomponius nullas recenset, & nullas Emodas Ptolemæus. Vix sane mihi dubium est, quin Emodæ vel Emudæ, & Ebudæ eædem sint. Hoc fefellerit Plinium, qui, quum Emodas alibi, apud alios Ebudas reperisset, diuersas putauit.* Contra Ioannes Harduinus hanc discrepantiam videns, etiam in numero Ebudarum, quarum XXX Plinius posuit; *Omnium,* inquit, *verissime Plinius: sunt enim eæ pæne innumeræ, haud procul Orcadibus supra Hiberniam Scotiamque.* Est ita, quod numerus Ptolemæi & Pomponii non sufficiat, quia quæ ab occasu Scotiæ mediocres & paruæ & minimæ insulæ adiacent, haud exiguum numerum conficiunt. Nihilominus Ptolemæum & Melam easdem credo intellexisse, sed maiores seu mediocres, posthabitis paruis, minimis, & quæ instar sunt scopulorum. Quod vero *Orcades* Solinus tantum *tres* numerauit, error manifestus est, ab omnibus, quos sequi potuisset, confutatus, qui quamuis ipsi non consentiant, in eo tamen conueniunt, multo plures omnino fuisse, quam quot Solinus posuit, nisi forte prauatus est numerus, & maior aliquis excidit. Plinius certe XL habet: Pomponius XXX: Ptolemæus περὶ τριάκοντα, *circiter triginta.* Videtur ergo numerus XXX excidisse, & ipse Solinus animo intendisse, aut scripsisse etiam *tres & triginta.* Quem numerum Orosius lib. I cap. II adprobauit. *Hæc,* inquit, *insula* [Britannia] *a tergo Orcadas insulas habet, quarum viginti*

ginti deserta sunt, tredecim coluntur. qui numerus adprime conuenit, & Solini truncata verba integritati restituit.

Tandem de THVLE siue THYLE, quam omnes cum Britannicis coniungunt, aliquid dicendum est. Salmasius *Thyle* in Solino scribit, ac id quoque Plinio vult restitui, atque ita etiam Taciti codicibus refertur: at Græci Θούλη diphthongo scribunt Strabo, Ptolemæus, Agathemerus, & Stephanus ille Byzantius. Poetis *vltima Thule* est, Virgilio lib. I Georg. vers. 30, & Senecæ Medea vers. 379. De situ non conuenitur: nec mirum in distantia tanta, & inaccessa insula. Ingenue Strabo lib. IV pag. 139 περὶ τῆς Θούλης ἀσαφὴς ἡ ἱστορία, *Obscura Thules est historia*; & qui talem scripserat Massiliensis Pytheas, in plurimis mentitum esse non vano iudicio adfirmat. Plinius plus videtur cognouisse lib. IV cap. XVI. *Vltima omnium*, inquit, *quæ memorantur, Thule: in qua solstitio nullæ noctes, Cancri signum sole transeunte; nullique contra per brumam dies.* Si certus ita scripsit, sensit quod res est. At vnde constare ipsi potuit? Vereor ergo, ne ὑπερβολικῶς loquutus fuerit, *prope* nullam noctem, *prope* nullum diem certis ibi temporibus esse. Hoc Solinus, qui Plinium sublegit, adiecta vocula *pæne* expressit ita: *Thule vltima, in qua æstiuo solstitio nox pæne nulla.* Ptolemæus ergo lib. VIII cap. II *viginti* horis æquinoctialibus ibi longissimum diem constare tradit, eique latitudinem LXIII graduum ab æquatore lib. II cap. III adsignauit: quod inde etiam ab Agathemero, lib. I extremo, repetitum est. Nec Stephanus plures quam *viginti* horas æquales ibidem diei dat longissimo in Thule.

Ex quibus luculente probatur, veteres non *Islandiam*, quum *Thulen* memorant, intellexisse, sed *Schetland* siue *Hitland*, aut insulam *Fero*; quæ cum gradibus & horis dictis propius conueniunt. Id quod Tacitus Agric. cap. X confirmat, quum classe circumuectam Britanniam scripsit. *Dispecta est & Thyle*, inquit, *quam hactenus nix & hiems abdebat.* At longius remota est Islandia, quam vt *dispici* possit a circumnauigantibus Britanniam. Nec illud certum, num insulam quamdam mediocrem crediderint illam Thulen esse, an maximam Scandinauiæ peninsulam, hoc est Suediam atque Norwegiam, quam plurimi quondam pro insula habuerunt. Procopius certe lib. II de Bello Goth. cap. XV Θούλην μεγίστην dicit, *amplissimam Thulen* esse, & Βρεττανίας αὐτὴν πλέον ἢ δεκαπλασίαν ξυμβαίνειν

βαίνειν εἶναι, Britannia decuplo maiorem, & inter incolas eius esse *οἱ Σκεριθίφινοι ἐπικαλοῦνται, qui Scritifinni adpellentur*, vbi non semestris dies æstate sit, aut tanta nox hieme: sed *ὁ ἥλιος ἀμφὶ τὰς θερινὰς τροπὰς ἐς ἡμέρας τεσσαράκοντα οὐδαμῇ δύει, Sol circa solstitium per quadraginta dies non occidat*, & totidem diebus circa brumam *οὐδαμῇ φαίνεται, non adpareat*: quæ omnia non Islandiæ, sed Scandinauiæ magnæ, aut parti eius, conueniunt. Plinius autem Norwegiam videtur a Thule separasse. *Sunt*, inquit lib. IV cap. XVI extremo, *qui & alias* [insulas] *prodant, Scandiam, Dumnam, Bergos: maximamque omnium Nerigon ex quo in Thulen nauigetur.* Adeo incerti de disiunctissimis in septemtrione locis antiqui scriptores fuerunt. Supra Thulen Plinius vnius diei nauigatione *mare concretum*, quod a nonnullis *Cronium* adpelletur, posuit: quod & Taciti *pigrum* (Agric. cap. X) videtur idem esse, hibernis mensibus glacie *concretum*, æstiuis *pigrum* ita creditum, *& graue remigantibus*, vt *ne ventis quidem attolli* possit: quamquam contrarium nostros nautas referre, Michael Virdungus ad Taciti Agricolam obseruauit.

CAPVT V
DE
GERMANIA TRANSRHENANA.


EXpositis Britannorum insulis, proximus cursus est in *Germaniam*, eamque *Transrhenanam*, quæ etiam *Magna* cognominatur, & *Barbara*. Quantum nobis constat, primus ita Iulius Cæsar distinxit, lib. IV cap. XVI *Vbii*, inquit, *vni ex Transrhenanis legatos miserant*: & lib. V cap. II extremo, *Treuiri Germanos Transrhenanos sollicitare dicebantur.* Sic dicti, respectu illorum, qui olim in Cisrhenana parte sedes occupauerant. Idem lib. VI cap. II *Quum videret, Neruios ac Menapios, adiunctis Cisrhenanis omnibus Germanis, esse in armis.* Et Tacitus sæpe Transrhenanos illos Germanos memorauit, vt lib. IV Histor. cap. LXXVI Ciuilis dicitur *opperiendas Transrhenanorum gentes* censuisse. Quod discrimen etiam posteriori æuo ita seruatum fuit. Capitolinus in Maximino cap.

cap. XII *ingressus Germaniam Transrhenanam*. Et Claudius Mamertinus Genethliaco Maximiani cap. VII *Transrhenana victoria* : & cap. XVI *Barbarægentes Transrhenanas expeditiones furore percitæ in semet imitentur*.

Eadem Germania *Magna* dicitur Ptolemæi lib. II cap. XI inscriptione in Palatino codice, γερμανίας μεγάλης θέσις, *Germaniæ Magnæ positio*. Maior enim multo & amplior est quam Cisrhenana, cuius fines non longissime a ripa Rheni recedebant. *Barbara* vero vel eadem Magna, vel maxima eius pars est dicta, quæ nondum Romanæ ditionis erat, neque Romanorum commercio exculta. Eutropius lib. VII cap. V de Drusi expeditione auspiciis Augusti: *Germanorum ingentes copias cecidit : ipsos quoque trans Albim fluuium submouit, qui in barbarico longe vltra Rhenum est*. In *barbarico*, subaudi, *solo*, vt plene Epitoma Victoris de Decio : *in solo barbarico submersus est*. Et Vopiscus in Probo cap. XIII *quum iam in nostra ripa, immo per omnes Gallias* [Germani] *securi vagarentur, cæsis prope quadringentis millibus, qui Romanum occupauerant solum, reliquias vltra Nicrum fluuium & Albam remouit, tantum his prædæ barbaricæ tulit, quantum ipsi Romanis abstulerant : contra vrbes Romanas & castra in solo barbarico posuit, atque illic milites collocauit*. Ammianus quoque lib. XVIII cap. IV de Alemannia, *ponte constrato sollicitarum gentium opinione præuenta, visus in barbarico miles* ; id est exercitus Iuliani, subito Rhenum traiectus, venit in Germaniam barbaram. Nec vero solus Probus, sed superiores etiam principes sæpe conati sunt vrbes & castella in Germanica ripa ponere ; plerumque tamen res minus feliciter cessit, vt propter barbarorum incursiones, qui occupabant, etiam suo æuo Hieronymus epistola XLI ad Rufinum, *Rheni semibarbaras ripas adpellet*.

Vocabulum *Germanorum* non Romani indiderunt, vt Strabo lib. VII ineunte credidit, ὡς γνησίους Γαλάτας φράζειν βουλόμενοι, *quasi fratres Gallorum voluissent dicere* : sed ab ipsis Germanis additum, non obscure Tacitus de Mor. Germ. cap. II significat. *Germaniæ*, inquit, *vocabulum recens & nuper additum : quoniam qui primi, Rhenum transgressi, Gallos expulerint, ac nunc Tungri, tunc Germani vocati sint. Ita nationis nomen, non gentis, eualuisse paullatim, vt omnes primum a victore ob metum, mox a se ipsis inuento nomine Germani vocarentur*. Quod si ex Germania hæc vox est, vis

notionis



SCANDIA
siue
SCANDINAVIA
SINUS CODANUS
MARE SUEVICUM
Sinus Venedicus
Electrides Insulae
Clilipenus
Sinus
SARMATIAE PARS
Teutoni
Aestii
Sciri
GERMANI
TRANS-
VISTULANI
SARMATIAE
Chauci siue
Cauchi maiores
Frisii maiores
Chamaui
Bructeri
Angriuarii
Marsi
Menapii
Vbii
Semnones
SUEVIA
Lugii
seu
Logiones
Burii
Gothones
Rugii
Sidini
Carini
Varini
Auiones
Suardones
Eudoses
Reudigni
Langobardi
Marsingi
Marcomannorum
BOIOHEMUM
noua sedes
Quadi
Osi
Celemantia
VINDELICIA
NORICI PARS
PANNONIAE PARS
Iazyges
Vangiones
Nemetes
Mediomatrici
Marcom annorum
antiqua sedes
Decumates agri
Sedusii
Narisci
Harudes
Tencteri
Catti
Mattiaci
GALLIAE
BELGICAE
PARS
Augusta Rauracorum
Argentoratum
Colonia Agrippina
Danubius Flu
Albis flu
Visula flu
Meridies
Oriens
GERMAN
ANTIQ

notionis non poteſt obſcura eſſe, qua *bellatores* ſignificantur, ſiue ex *gerre,* id eſt, bello, veteri verbo Teutonico, a Gothis, Vandalis, Burgundionibus, Saxonibus in Italiam, Galliam, Hiſpaniam, & Britanniam inlato; ſiue ex reliquo nobis *beer,* id eſt exercitu, deducas primam ſyllabam: altera autem *man,* id eſt vir, nemini poteſt eſſe ignota.

Sic eualuit nationis vnius nomen, vt vniuerſæ gentis adpellatio breui poſt tempore, vt Tacitus ait, fieret. Cetera cognomenta, *Teutones*, *Alemanni*, ſero toti genti acceſſerunt, vti de *Teutonibus* in Germania ſeptemtrionali oſtendemus: *Alemannorum* autem nomen per ſe fuit recentius, nec ante Antoninorum tempora illius vlla mentio in vetuſtis monimentis reperitur. Sunt equidem qui ex Auguſti æuo id nominis deducant, quia Agathias Scholaſticus lib. I pag. 17 Aſinio Quadrato tribuat, quem illum Aſinium putant eſſe, de quo Strabo lib. IV referat, Rheni oſtia ante Strabonem deſcripſiſſe. Verum hos Suidas & Stephanus Byzantius confutant, qui Quadratum Aſinium vſque ad Alexandrum Mammææ, aut Philippos potius, Romanam hiſtoriam, & ille eam χιλιετηρίδα, hic (in Ἄνθιον) Ῥωμαϊκὴν χιλιάδα idcirco inſcripſiſſe referunt. De Caracalla autem primum tradit Spartianus cap. X, *deuiciſſe gentem Alemannorum*, & præter Germanici, Parthici, Arabici, etiam *Alemannici* ſibi nomen induiſſe prodidit. Sed tum exiguis finibus ea gens continebatur, atque etiam poſtea diu, quum inualuiſſent, a Saxonibus & Franconibus diſtincti diuerſique exſtiterunt. Ptolemæus autem, qui ſub initium ſæculi Antoniniani ſcripſit, nullam eorum mentionem fecit, neque Ptolemæo ſuperiores, id quod nouitatem nominis, aut ipſius coaleſcentis populi, probare ſatis poteſt.

Fines veteris Germaniæ ab antiquis geographis ita deſcriptos habemus, vt ex omni parte fere a finibus, quos nunc habet, declinent. Occidentalem terminum omnes in Rheno conſtituunt. Strabo lib. VII ineunte: Εὐθὺς τὰ πέραν τοῦ Ῥήνου μετὰ τοὺς Κελτικοὺς πρὸς τὴν ἕω κεκλιμένα Γερμανοὶ νέμονται, *Statim trans Rhenum poſt Gallos, orientem verſus, Germani habitant.* Pomponius Mela lib. III cap. III *Germania hinc ripis Rheni vſque ad Alpes; a meridie ipſis Alpibus: ab oriente Sarmaticarum confinio gentium: qua ſeptemtrionem ſpectat, Oceanico litore obducta eſt.* Obſcura res de Alpibus eſt,

interiecta Rhætia, Vindelicia, & Norici parte, amplis regionibus, quas Romani ſeparatas a Germania eſſe voluerunt. Sed Strabonem videtur ſequutus Mela, & ex illius mente interpretandus. Ἐξῄρτηται, inquit, ἡ χώρα πρὸς νότον, καὶ συνεχῆ ταῖς Ἄλπεσι ποιεῖ ῥάχιν τινὰ, πρὸς ἕω τεταμένην, ὡς ἂν μέρος οὖσαν τῶν Ἄλπεων, *Attollitur Germania meridiem verſus, ac dorſum quoddam erigit contiguum Alpibus, porrectum in orientem ita, vt videri pars Alpium poſſit.* Sed alia mens Melæ, ac Strabonis fuit, neque dubitandum eſt, quin ad Alpes Germaniam pertinere crediderit. nam Rhodanum quoque, in Rhætis ortum, & aliorſum tendentem, in fluuiis Germaniæ numerauit. *Amnium*, inquit, *in alias gentes exeuntium Danubius & Rhodanus: in Rhenum, Mœnis & Lupia: in Oceanum, Amiſius, Viſurgis, & Albis clariſſimi.* Tacitus autem principio libri de Germania, auſtralem limitem ſignatius deſcripſit ita: *Germania omnis a Gallis Rhætiisque & Pannoniis Rheno & Danubio fluminibus; a Sarmatis Dacisque mutuo metu aut montibus ſeparatur.* Danubius ergo Germaniam a Vindelicia & Norico ſeperauit: quod etiam Ptolemæus his clariſſimis verbis lib. II cap. XI adfirmat: Τὴν μεσημβρινὴν πλευρὰν ὁρίζει τοῦ Δανουβίου ποταμοῦ τὸ δυσμικὸν μέρος, *Meridianum latus* [Germaniæ] *terminat Danubii pars occidentalis.* nam pars orientalis extra Germaniam in Pannonias & Mœſias delabitur. In occiduo fine conſentit etiam Ptolemæus, quod ἀφορίζει ὁ Ῥῆνος ποταμός, *Rhenus fluuius terminator ſit.*

Orientalem limitem ambigue Pomponius & Tacitus definiunt. Ille enim *Sarmaticarum confinio gentium;* hic, *mutuo metu aut montibus* ſeparari dixit. Clarius & diſtinctius iterum Ptolemæus, primum ponit Danubii ἐπιστροφὴν πρὸς τὰ ὑπερκείμενα Σαρματικὰ ὄρη, *flexum Danubii ad ſuperiacentes Sarmaticos montes:* quem vt ipſe gradibus determinat, circa Granuæ oſtium, aut paullo citerius, Cuſum ſiue Wagam verſus, poni neceſſe eſt. Deinde κεφαλὴν τοῦ Οὐιστούλα ποταμοῦ, καὶ ἔτι αὐτὸς ὁ ποταμὸς ἕως θαλάσσης, ſubaudi ὁρίζει. Hoc eſt, *Fons Viſtulæ & ipſe fluuius Viſtula vſque ad mare* terminat ab ortu Germaniam. Conſentit Agathemerus lib. II cap. IV Τῆς Γερμανίας μετὰ τὸν Οὐιστούλαν ποταμὸν ἔχεται ἡ Σαρματία, *Germaniam*, inquit, *excipit trans Viſtulam fluuium Sarmatia.*

In ſeptemtrione Oceanus finis eſt conſenſu omnium; & ſinus

nus *Codanus*, nunc Balticus vocatus. Sed hoc incertum, vtrum ora maris, austrum spectans, Germaniam finierit, an sinus insulas & vlteriora comprehendens. Ptolemæus separat insulas, ὑπέρκειντ*αι* τῆς Γερμανίας, *supra Germaniam sitas*, dicens: Mela autem easdem & vlteriora includit. *Supra Albin*, inquit, *Codanus ingens sinus magnis paruisque insulis refertus est. Hac re mare quod gremio litorum accipitur, nusquam late patet, nec usquam mari simile; verum aquis passim interfluentibus, ac sæpe transgressis, vagum atque diffusum facie amnium spargitur: qua litora attingit, ripis contentum insularum non longe distantibus, & vbique pæne tantumdem, vt angustum & par freto, curuansque subinde se, longo supercilio inflexum est. In eo sunt Cimbri & Teutoni: vltra, vltimi Germaniæ Hermones.* Quis non videt insulas Danicas descriptas esse, sitas in sinu Codano? Et quia *vltra* illas Germanorum vltimos locat, Cluverius existimat Halandiam, Scandinauiæ partem, significari, cuius populum, aut nomen potius, immutandum esse censet, in quo nolim ei adsentiri, nec vero in re ipsa dissentire longius. Videtur idem, quod Mela, dixisse Tacitus. *Cetera* [Germaniæ] inquit, *Oceanus ambit, latos sinus & insularum immensa spatia complectens, nuper cognitis quibusdam gentibus, ac regibus, quos bellum aperuit.* quod de Noruagia & Suedia ceteroque septemtrione Cluuerius interpretatur lib. I Germ. A. cap. XI.

FLVMINA GERMANIAE.

Occidentis terminus *Rhenus* fluuius fuit, de quo satis dictum est in Gallia. Proximus Rheno ex claris & maioribus est *Amisius*, aliis *Amasius* & *Amisia*, ac *Amasia*, per Frisios in Oceanum decurrens. Mela dicto loco: *Amnium exeuntium in Oceanum Amisius, Visurgis, & Albis clarissimi.* Plinius lib. IV cap. XIIII extremo: *Albis, Visurgis, Amisius, Rhenus.* Tacitus scripsit *Amisia*. Annali I cap. LX *Cæcinam* [Germanicus Cæsar] *cum quadraginta cohortibus Romanis, distrahendo hosti, per Bructeros ad flumen Amisiam mittit.* Et paucis interiectis: *quantum Amisiam & Luppiam amnes inter, vastatum.* Et cap. LXIII *Mox reducto ad Amisiam exercitu.* Straboni est Αμασία, *Amasia*, lib. VII pag. 201, Εἰσὶ ποταμοὶ πλωτοὶ, ὧν ἐν τῷ Αμασίᾳ Δρῦσος Βρουκτέρους κατεναυμάχησε, *Sunt*, inquit, *amnes nauigabiles* [in Germania] *de quibus est Amasia, in quo Bru-*

Cteros Drusus prælio nauali vicit. Ptolemæo est Ἀμάσιος, *Amasius*, Ἀμασίε ποταμȣ̃ ἐκβολαὶ, *Amasii fluminis ostia*, lib. II cap. XI. Hodie *Ems* vocatur, contracto nomine, fluuius notus, qui iuxta Emdam vrbem Oceano infunditur.

Amisio & Rheno minora flumina interiecta, quorum etiam aliqua in antiquitatibus est ratio. Dubia memoria est *Salæ* Rheno proximi, qui partem eius, Drusiana fossa acceptam, in Oceanum effundit, nunc Isala siue Ysel dictus. Io. Isac. Pontanus Chorograph. Disceptat. XXXI contendit, esse hunc Salam, quem Strabo lib. VII memorauerit. Geographi verba sunt pag. 201 Ἔστι καὶ Σάλας ποταμὸς, ȣ̃ μεταξὺ καὶ τȣ̃ Ῥήνȣ πολεμῶν καὶ κατορθῶν Δρȣ̃σος ἐτελεύτησεν ὁ Γερμανικὸς, *Est & Sala fluuius, inter quem & Rhenum bellum feliciter gerens Drusus Germanicus obiit.* Iam vero Dio Cassius ineunte libro LV de Drusi vltima expeditione ita refert: ἔς τε τὴν τῶν Χάττων ἐσέβαλε, καὶ προῆλθε μέχρι τῆς Σȣηβίας - - - κἀντεῦθεν πρός τε τὴν Χερȣσκίδα μετέστη, καὶ τὸν Ὀυίσȣργον διαβὰς ἤλασε μέχρι τȣ̃ Ἀλβίος πάντα πορθῶν, *in Chattorum fines ingressus, ad Sueuos usque peruenit: inde in Cheruscos conuerso itinere, Visurgim transgressus, omnia populando, ad Albim vsque perrexit.* Quum vero, ne Albim transmitteret, deterritus spectro esset, παραχρῆμα ἀπέβη, σπȣδῇ τε ὑποστρέψαντος ἀυτȣ̃, καὶ ἐν τῇ ὁδῷ νόσῳ τινὶ, πρὶν ἐπὶ τὸν Ῥῆνον ἐλθεῖν, τελευτήσαντος, *confestim retro ire cœpit, & in itinere, priusquam Rhenum attingeret, morbo exstinctus est.* Ecquis vero hos populos, tot expeditiones inter Rhenum & Isalam quæsierit? ad interiorem Germaniam omnia pertinent: & multis perquam probabile videtur esse, redeuntem Drusum, ad Magontiacum, vbi & monimentum ei exstructum fuit, exspirasse. Eutropium vide lib. VII cap. VIII in Claudio. Vbi ergo Strabonis Sala? Hadrianus Valesius Notit. Gall. in *Salia* pag. 496 *Alter est etiam Sala, a Strabone memoratus, qui in Mœnum delabitur.* Notus est Sala Franconicus, sed minor fluuius, quam vt curæ potuerit Straboni inter maiores esse. Quare Cluuerio potius & Mensoni Altingio, claris viris, accedo, qui de Sala in Albim influente interpretantur. Hic enim cum Mœno, ad Rhenum tendente, Transrhenanam Germaniam inferiorem a tergo terminat, vt vere Strabo dixerit, inter Salam illum & Rhenum & gessisse Drusum res vltimas, & mortem obiisse.

Ptole-

Ptolemæus inter Rheni & Amasii ostia interposuit Οὐίδρα ποταμοῦ ἐκβολάς, *Vidri fluuii ostia*, quo tractu quum nullus notabilior fluuius adpareat, quam qui superiore parte *Vechtus*, inferiore, Aqua Nigra, *(Swarte Water)* adpellatur; Cluuerius, Ortelius, H. Iunius, & nuper quoque Theod. Ryckius ad Taciti annal. I. cap. LXX, existimant, hunc ipsum Ptolemæi Vidrum esse, quod ideo probabilius Cluuerio videtur, quia alia dialecto pronuntietur, *Water*, unde factum sit *Vider*. Contra Menso Altingius, vir huius regionis peritissimus, ex Ptolemæi ordine demonstrat, in Oceano ostia enarrari, non in lacu Austrino siue Fleuo, in quem Vechtus cum Rheno, a Druso abacto, spargitur. In Oceano ergo, post Manarmanim portum, Vidri ostium ostendit, ostium videlicet occidentale Amisii, quod *Vider* siue *Witer*, id est laxius, amplius, nostra dialecto *Weiter*, adpelletur, quia ingenti ore pars Amisii per id exeat in Oceanum.

Ptolemæo etiam, vt diximus modo, locus est inter Rheni & Vidri ostia Μαναρμανὶς λιμήν, *Manarmanis portus*, quem Cluuerius censet esse oppidum Geelmuyden, ex cuius portu nauigia Hasseltum deducantur. Quum vero Ptolemæus in litore Oceani versetur, non in ora lacus; alibi vtique *Portus Manarmanis* est quærendus, quem vir laudatus Menso Altingius in eo sinu siue æstuario, quo amnis *Vnsingis*, qui Gröningam adluit, excipitur, inueniri probauit, cui, tamquam peritissimo locorum patriæ, censemus subscribendum esse.

Ipsum autem amnem *Vnsingim*, qui per Gröningensem agrum in portum illum, cui *Manarmanis* nomen est, defertur, idem Altingius auctoritate veteri munitum iuit, in Taciti annali I cap. LXX, vbi inepte adhuc *Visurgim* lectum, substituens *Vnsingim*. Nam Vitellius duas legiones sibi a Germanico commissas ducebat ab Amisiæ ostio ad Fleuum versus, ac pæne æstu maris submersus, tandem in editiora agmen subduxit. *Inde*, ait Tacitus, *penetratum ad amnem Visurgim, quo Cæsar classe contenderat.* Non contendit Cæsar ad Visurgim, a quo longius longiusque recedebat. Vidit mendum Iustus Lipsius, sed hæsit editione prima, ideoque delendum censuit nomen *Visurgim*, scribendumque simpliciter, *ad amnem, quo Cæsar.* Secundis autem curis edi iussit, ad *amnem Vidrum*, id est Vechtum, vt plerique illum interpretantur: eamque lectio-

nem, vt optimam & congruentem, adprobauit recens Taciti emendator Theodorus Ryckius, vir industrius atque acutus. Quum vero apices vocis *Vidrum* & numero & ductu discrepent a voce *Visurgim*; conueniant autem maxime cum *Vnsingim*; hanc vocem substituendam sæpe laudatus Menso censet: quod nolumus improbare, quia cum loci natura congruit, & amnis Gröningensis *Hunsing*, & ager *Hunsingia* vocatus fuit: etiam incertæ rationes *Vidri* apud Ptolemæum sunt, vt supra demonstrauimus.

Antequam ad Visurgim veniamus, *Luppia* fluuius, siue *Lupia*, qui in transuersum a Teutenburgico saltu ad Rhenum fertur, eique miscetur, contemplandus est. Straboni est Λȣπίας, *Lupias*. Lib. VII post initium: ἐπὶ ταυτὰ τῷ Ἀμασίᾳ φέρονται Βισȣργίς τε καὶ Λȣπίας ποταμὸς, *in eamdem partem, in quam Amisia, feruntur Visurgis & Lupia.* Sed fallitur de Lupia, qui per transuersum ruit in Rhenum: Visurgis autem & Amisia in Oceanum alio tractu feruntur. Velleius Paterculus lib. II cap. CV *Pietas sua Cæsarem, pæne obstructis hieme Alpibus, in vrbem traxit: ad tutelam imperii cum veris initio reduxit in Germaniam; in cuius mediis finibus, ad caput Lupiæ fluminis, hiberna digrediens princeps locauerat.* Sic Lipsius, Bœclerus, Rob. Rigvez, & alii legendum iudicarunt, non *Iuliæ*, qui nullus amnis est: sic edidit primus Nicolaus Heinsius, vir acri iudicio summaque doctrina. Pomponius Mela lib. III cap. III *Amnium in Rhenum exeuntium, Mœnis & Lupia clarissimi.* Et Tacitus annali I cap. LX *Ductum inde agmen ad vltimos Bructerorum, quantumque Amisiam & Luppiam amnes inter, vastatum: haud procul Teutoburgiensi saltu.* Hodie dicitur *Lippe*, notus amnis Westphaliæ, ex quo nomine adparet, recte in Taciti libris littera geminata scriptum esse.

Excipit Luppia *Alisonem* fluuium. Dio Cassius lib. LIIII pag. 544 ὥστε Δρȣ̃σον, ἀντικαταφρονήσαντα αὐτῶν, ἐκεῖ τε ᾗ ὅ, τε Λȣπίας καὶ ὁ Ἐλίσων συμμίγνυνται, φρȣ́ριόν τί σφισι ἐπιτειχίσαι, *vt Drusus, contemnens barbaros, ad Lupiæ & Elisonis confluentes castellum contra eos exstrueret.* Taciti testimonium incisionis dubio incertius est redditum. Ait annali II cap. VII *cuncta inter castellum, Alisonem, ac Rhenum, nouis limitibus aggeribusque permunita.* Sic incidunt Vertranius & Freinshemius: vt castellum sit quod proxime dixerat *Luppiæ flumini adpositum.* Contra Th. Ryckius coniun-

coniungit ſine interciſo *caſtellum Aliſonem*, forte quia Velleius lib. II cap. CXX vt locum deſcripſit: *qui vna circumdati Aliſone immenſis Germanorum copiis obſidebantur;* & Ptolemæo locus Ἀλείσον eſt, quamquam turbatis numeris ad Rhenum fere reductus. Nec vero de flumine Dionis dubitatur, quod hodie Alme dicitur, haud procul Paderbornia confluens.

Nobilis amnis *Viſurgis* ita Latinis Græcisque dictus, vulgo Weſer. Straboni dicto loco Βίσουργις: Ptolemæo Οὐίσουργις, & alio loco corrupte Οὐϊσούριγις: Dioni lib. LV ineunte Οὐίσουργος. Velleius dicto lib. II cap. CV *Intrata protinus Germania: ſubacti Bructeri, recepti Cheruſci, gentes: & amnis, mox noſtra clade nobilis, tranſitus Viſurgis.* Mela in clariſſimis, in Oceanum exeuntibus, *Viſurgim* refert, vt ſupra vidimus. Plinius itidem dicto loco: *Albis, Viſurgis, Amiſius, Rhenus.* Et Tacitus annali II cap. IX *Flumen Viſurgis Romanos Cheruſcosque interfluebat.* Atque ita ſæpe in ſequentibus. Et Sidonius Apollinaris Narbone ſiue Carm. XXIII verſ. 244

Tu Tuncrum, & Vachalim, Viſurgin, Albin,
Francorum & penitiſſimas paludes
Intrares.

Viſurgis ſiniſtræ ripæ adfunditur in Cattis flumen *Adrana*, nunc *Eder* dictum. Tacitus annali I cap. LVI de Germanico: *Cattis adeo improuiſus aduenit, vt quod imbecillum ætate ac ſexu, ſtatim captum aut trucidatum ſit: iuuentus flumen Adranam nando tramiſerat, Romanosque pontem cœptantes arcebant.* Haud longe a fontibus Adranæ exoritur alius amnis, qui in contrarias partes fertur & Rheno admiſcetur, nunc *Lanus* ſiue *Lonus* dictus. Chriſtophorus Browerus a Venantio Fortunato *Laugonam* lib. VII carm. VII, & in vetuſtis diplomatis *Loganam* dici, ad dictum locum Venantii adnotauit. Verba poetæ ſunt ad ducem Lupum:

Tamque diu pugnas, acie fugiente, ſequutus,
Laugona dum vitreis terminus eſſet aquis.

Superior Rhenus duos nobiles fluuios haurit *Mœnum* & *Nicrum.* Vtrumque Eumenius Panegyrico Conſtantini cap. XIII coniungit. *Pulchrum tibi,* inquit, *videtur, & re vera pulcherrimum eſt, vt Rhenus ille non ſolum, vbi aut latitudine vadoſus, aut vicinia fontis exiguus; ſed etiam ibi nouo ponte calcetur, vbi totus eſt, vbi iam plurimos*

plurimos hausit amnes, quos hic noster ingens fluuius, & Barbarus Nicer, & Manus inuexit, vbi iam immani meatu ferox, & aluei vnius impatiens, in sua cornua gestit excedere. Sed de vtroque seorsum, quæ veteres scriptores habent, requiramus. Alter scribitur varie *Mœnis, Mœnus, Manus, Menus.* Pomponius Mela sæpe dicto loco: *Amnium in alias gentes exeuntium, Danubius & Rhodanus: in Rhenum, Mœnis & Lupia clarissimi.* Plinius lib. IX cap. XV de Siluro pisce maiore: *Præcipue in Mœno, Germaniæ amne, protelis boum, & in Danubio marris extrahitur.* Et Tacitus de Germ. cap. XXVIII *Inter Hercyniam siluam, Rhenumque & Mœnum amnes Heluetii; vlteriora Boii, Gallica vtraque gens, tenuere.* Ammianus Marcellinus lib. XVII cap. II *Germani trans Menum nomine fluuium ad opitulandum suis necessitudinibus auolarunt.*

Alterius, *Nicri*, vix memoria supra Constantinorum ætatem est reliqua. Ex Eumenii panegyrico ad Constantinum modo verba attulimus quibus *barbarus Nicer* cum *Mano* dicebatur, respectu *Mosellæ*, fluuii ingentis *nostri*, id est Romani, ex Romana prouincia in Rhenum decurrentis. Vopiscus in Probo cap. XIII *reliquias* [hostium] *vltra Nicrum fluuium & Albam remouit.* Ausonius Mosella vers. 423

Hostibus exactis Nicrum super.

Et Sidonius Apollinaris ad Auitum socerum Panegyr. vers. 324

Bructerus, vluosa quem vel Nicer abluit vnda,
Prorumpit Francus.

Mediam Germaniam fluuius *Albis* peruadit, vulgo *Elbe*, in cuius nomine plerique consentiunt; Græci, Strabo, Ptolemæus ὁ Ἄλβις, *Albis*: præter Dionem, cuius est lib. LV ineunte ὁ Ἄλβιος: Latini, Mela, Plinius, quorum verba supra cognouimus: Velleius Paterculus lib. II cap. CVI *a Rheno vsque ad Albim, qui Semnonum Hermundorumque fines præterfluit:* Tacitus Germ. cap. XLI *In Hermunduris Albis oritur flumen inclutum & notum olim:* & annali I cap. LIX *inter Albim & Rhenum.* ac sæpe alibi. Et Seneca Medea vers. 371

Nil, qua fuerat, sede reliquit
Peruius orbis.
Indus gelidum potat Araxem,
Albim Persæ, Rhenumque bibunt.

Flauius Vopiscus, vt modo vidimus, mutata forma, *Albam* dixit.

In

In Albim decurrit *Sala* ille nobilior Germaniæ fluuius, quem Strabo lib. VII, vt supra probauimus quum de Sala Inferioris Germaniæ siue Isala ageremus, nominatim indicauit; Tacitus lib. XIII cap. LVII sine nomine circumscripsit. *Eadem æstate*, inquit, *inter Hermunduros Cattosque certatum magno prœlio, dum flumen, gignendo sale fecundum, & conterminum, vi trahunt. - - - - - - Inde indulgentia numinum illo in amne illisque in siluis salem prouenire, non, vt alias apud gentes, eluuie maris, arescente vnda; sed super ardentem arborum struem fusa, ex contrariis inter se elementis, igne atque aquis concretum.* Scilicet salinæ nostræ iuxta Salam, in siluosa tum regione, ex ipso flumine, quod inde nomen haberet, prouenire videbantur.

Post Albim incertiora omnia Romanis fuerunt, vt qui numquam flumen traiecerunt, vel, si quando id transmisere, vt de L. Domitio refert Tacitus annali IV cap. XLIV, exercitu flumen Albim transscendisse; longius tamen non videntur progressi esse. Vnde est quod vlteriora flumina aut taceant omnia, aut alii aliter illa adpellent atque ordinent. Mela nihil vltra Albim memorat præter *Visulam* amnem, id est Vistulam: Plinius *Vistulam* & *Guttalum*: Ptolemæus *Chalusum*, *Sueuum*, *Viadum*, *Vistulam*. Primus, *Chalusus*, non dubitatur *Traua* esse, qui Lubeccam perluit; quia proximus Albi ponitur: alter vero, *Sueuus*, admodum dubitabilis. Quod enim Ptolemæus a Viado (lege *Viadro*) distinguit, & citeriorem facit; sunt clari viri qui de *Spreba* flumine, quod per Hauclam Albi adfunditur, intellectum velint: quibus hoc maxime obest, quod Ptolemæus solos ibidem amnes recenseat in Oceanum exeuntes, non in alios fluuios: ideoque Cluuerius pro uno flumine habet cum Sueuum tum Viadrum, errore separatos a Ptolemæo, quod eo facilius fuerit, quia Germania trans Albim tum temporis non satis fuit cognita. Quod etiam Oderæ, qui haud dubie Ptolemæi Viadus vel Viader est, vt nomen ostendit; disiunctissimis ostiis, & per insulas Wollinam & Vsedomiam separatis, Oceano siue Codano sinui infunditur, non inprobabile est, citerius ostium vocari Sueuum; vlterius Viadrum, seruato amnis nomine, sicut hodieque diuersis nominibus illa ostia distinguuntur. Citimum enim, quod fluuium *Pene* simul effundit, eius nomen quoque induit: medium *Swine* adpellatur, seu *Swene* dialecto alia,

quod propius ad *Sueui* nomen accedit: vltimum est *Diwenonium*. Hæc congruentior est Ptolemæi interpretatio, quam si in eo errasse dixeris, vt vel ex vno flumine duo fecerit, vel fluuiale ostium habuerit pro marino.

Succedit Solini *Guthalus* inter Albim & Vistulam cap. XX positus, latissimis amnibus Germaniæ adnumeratus: qui a Plinio scribitur *Guttalus*, sed, turbato ordine, vltra Vistulam remouetur. Quem si presse sequi volueris, de Borusso quodam amne, forte Pregela, interpreteris. Quod vero Solinus, qui Plinium transscripsit, Guthalum citeriorem ponit (ait enim: *De internis eius* [Germaniæ] *partibus Albis, Guthalus, Vistula, amnes latissimi, præcipitant in Oceanum;*) nec vero in Borussia est tam *clarus*, vt Plinius suum Guttalum facit; aut tam *latus*, vt dixit de eodem Solinus, quam Odera Pomeraniæ; turbatus ordo Plinii a describentibus videtur, eique ordo Solini præferendus. Quod si est; Guttalus non potest alius quam Odera esse, quia Pomerania alium tam memorabilem ac clarum, latissimumque non habet, neque credibile propter hanc caussam, prætermitti a Plinio vel Solino Oderam potuisse. In quo etiam Philippum Cluuerium, præstantissimum geographum Germaniæ, consentientem habemus.

Vistula autem, Οὐϊστοῦλα Ptolemæo & Agathemero, Plinio *Vistillus* siue *Vistula;* Solino *Vistula*, & in scriptis quibusdam libris *Vistla*, siue *Viscla*, Salmasio testante: Pomponio Melæ *Visula*; ex situ non dubitatur amnis esse, qui vulgo *Weixel*, & *Wiessel* siue *Weissel* adpellatur, terminus, aduersus Sarmatiam, Germaniæ. vt supra ex Ptolemæo & Agathemero probauimus.

Australis limes superest, quem *Danubius* amnis facit, in oriente *Ister* adpellatus. Fluuius Europæ nobilissimus, cuius maiorem partem peruadit, μέσην σχίζων τὴν Εὐρώπην, *Europam mediam diuidens*, vt Herodotus ait lib. II cap. XXXIII. Limitem Germaniæ ab austro esse supra ostendimus: esseque binominem, & nunc *Danubium* nunc *Istrum* dici, omnium confessione certum est: sed quibus regionibus *Danubius* sit, & quibus alio *Ister* nomine, dissensionibus auctorum maxime incertum: nisi quod in eo conuenitur, *Danubii* nomen valere ab occasu: *Istri*, in oriente. Pomponius lib. II cap. I *Per immania magnarum gentium diu Danubius est: deinde aliter adpellantibus accolis, fit Ister.* Ptolemæus

mæus lib. III cap. VIII ἀπ᾽ Ἀξίου πόλεως ἤδη καλεῖται ὁ Δανούβιος μέχρι τοῦ Πόντου καὶ τῶν ἐκβολῶν, Ἴστρος, *ab Axiopoli iam vocatur Danubius vſque ad Pontum & oſtia* ISTER. At Axiopolis in Mœſia Inferiore eſt prope Getarum regionem. Sic tamen etiam Strabo lib. VII pag. 212 τοῦ ποταμοῦ τὰ μὲν ἄνω καὶ πρὸς ταῖς πηγαῖς μέρη, μέχρι τῶν καταρακτῶν, Δανούβιον προσηγόρευον, ἃ μάλιστα διὰ τῶν Δακῶν φέρεται· τὰ δὲ κάτω μέχρι τοῦ Πόντου, τὰ περὶ τοὺς Γέτας, καλοῦσιν Ἴστρον. *Fluminis ſuperiores partes, quæ fontes verſus ſunt ad cataractas uſque, Danubium dixerunt, quæ maxime per Dacos feruntur: inferiores ad Pontum vſque, quibus Getæ ſunt vicini, Iſtrum adpellant.* Contra Plinius lib. IV cap. XII *Per innumeras lapſus gentes Danubii nomine, immenſo aquarum auctu, & vnde primum Illyricum adluit, Iſter adpellatus.* Breviorem ſic vſum vocabuli *Danubii* oſtendit, ſed nondum clare diſtincteque, quia Illyricum antiquum (alia ratio Illyrici medio æuo eſt) non attingit Danubius. Magis coarctat vſum vocabuli Agathemerus lib. II cap. IV, ὁ Ἴστρος, ὃν μέχρις Οὐϊνδοβόνης πόλεως Δανούβιον καλοῦσι, *Iſter, quem ad Vindobonam vſque Danubium vocant.*

Quid ergo in tanto diſſenſu conſtituendum? Superiora fluminis, *Danubii* nomen; inferiora, *Iſtri* ferre certum eſt: in mediis, huic, illi nomini terminum præfinire perdifficile, in quo vſus ſcriptorum ſequendus eſt, qui vero nec ipſe ſibi conſtat vbique & in omnibus exemplis. Græci ſcriptores mediis partibus ſæpius *Iſtrum*, Ἴστρον; Latini frequentius *Danubium* adpellant. Eutropius lib. VI cap. II de Scribonii Curionis Dardanico bello: *vſque ad Danubium penetrauit:* & cap. VIII de M. Luculli bello Thracio: *vſque Danubium penetrauit.* Ac Florus lib. IV cap. XII de Dacis: *quoties concretus gelu Danubius iunxerat ripas, decurrere ſolebant & vicina populari.* Vopiſcus Aureliano cap. XXXIX *Provinciam trans Danubium Daciam, a Traiano conſtitutam, reliquit.* Adde Eutropium lib. IX cap. IX. At idem Florus dicto loco, paucis ante verbis, *Pannonii duobus ſaltibus, ac tribus fluuiis Drauo, Sauo, Iſtroque vallabantur.* Pannonii autem Dacis citeriores ſunt. Pæanius in locis Eutropii lib. VI & IX, Ἴστρον reddidit qui Latine eſt *Danubius:* & Xiphilinus Traiani pontem, qui in Mœſia Superiore erat, ἐπὶ τοῦ Ἴστρου, *ſuper Iſtrum* conſtructum fuiſſe narrauit.

MONTES ET SILVAE GERMANIAE.

In nobilioribus montibus, qui memorantur ab antiquis scriptoribus, celebratur a Mela & Tacito *Taunus*. Ille lib. III cap. III *Montium altissimi Taunus & Rhetico.* Hic annali I cap. LVI *Germanicus quatuor legiones, quinque auxiliarium millia, & tumultuarias catervas Germanorum, cis Rhenum colentium, Cæcina tradit: totidem legiones, duplicem sociorum numerum ipse ducit: positoque castello super vestigia paterni præsidii in monte Tauno, expeditum exercitum in Cattos rapit.* Et interiectis paucis: *Cattis inprouisus advenit: iuuentus flumen Adranam nando tramiserat, Romanosque, ontem cœptantes, arcebant. dein tormentis sagittisque pulsi. - - - Cæsar incenso Mattio (id genti caput) aperta populatus, vertit ad Rhenum.* Idem lib. XII cap. XXVIII de L. Pomponio legato, qui trans Rhenum Cattos repressurus, auxiliares Vangiones & Nemetas cum alario equite præmiserat: *præda famaque onusti ad montem Taunum reuertuntur, vbi Pomponius cum legionibus opperiebatur, si Catti cupidine vlciscendi casum pugnæ praberent.* Hæc latius transscribenda erant, vt de situ constaret clarius. Sunt enim qui in Cisrhenana Germania hunc montem quærant: quem vero Tacitus trans Rhenum designat. Quid enim opus fuisset montano præsidio in pacata prouincia, vt Drusus poneret, aut Germanicus dirutum a barbaris instauraret? cur subsidia, suis in hostem emissis, Pomponius cis Rhenum posuisset ad casus & fortunam belli? Et quia inde rectum iter ad Mattium oppidum erat & Adranam flumen; pronum vtique ad fidem est, quod Cluuerius censet, esse montem illum, qui ex aduerso Moguntiaci vulgo *der Heyrich* & *die Höhe* adpellatur. Ortelius quoque trans Rhenum apud Cattos locauit.

Pomponii Melæ *Rheticonem* frustra quidam in Rhætia & in Alpibus, nominis consonantia decepti, inuestigant, quia Alpes Romani ad Italiam potius referunt, quam ad Germaniam; nec aliud propositum Melæ fuit, quam montes, siluas, flumina Transrhenanæ Germaniæ indicare. Sicut ergo *Taunus* in conspectu Romanorum fuit, Moguntiaci aut vicinis locis præsidia habentium: ita vero simile est, in pari situ & notitia montem esse *Rheticonem;*

cui

cui positioni nullus respondet magis, quam qui Tauno non minor trans Rhenum e regione Bonnæ conspicitur, vulgo Septimontium, *Siebengebirge* dictus. Hæc ex Cluuerii iudicio, qui omnia diligentissime scrutatus est.

Ptolemæi *Melibocus* mons, Μηλίβοκον ὄρος, inter Visurgim & Albim est, quem a Chamauis incipere dixit, eiusque orientales accolas, Bonochæmas, περὶ τὸν Ἄλβιν ποταμὸν, *circa Albim fluvium* ipse constituit. Cluuerio videntur illi montes esse, qui reliquum nomen ex Hercynia silua tenent, vulgo *der Haartz.*

Eiusdem Ptolemæi mons *Asciburgius* in Poloniæ finibus sit necesse est, quia accolæ & vicini proximi μέχρι τοῦ Οὐιστούλα, *vsque ad Vistulam* pertinuisse dicuntur. Montes ergo sunt inter Silesiam & Poloniam, & ex australi parte Hungariam contingentes. Tandem *Suditos* vel *Sudetos* montes addit Ptolemæus, τὰ Σούδητα ὄρη, quos circa Boiohemum esse plerique consentiunt, & ipsa positio Ptolemæi non obscure probat. Quidam in ortum, ad Mœni, Salæ & Egræ fontes: alii in aliam plagam ad fontes Albis reducunt: Cluuerius vtrobique, vt sint montes cingentes Bohemiam.

Denique etiam *Abnoba* dignus mons est qui commemoretur, Ptolemæo Ἄυνοβα dictus, qui idem est: neque is difficilis inuentu, propter flumen quod fundit. Plinius lib. IV cap. XII de Danubio: *Ortus hic in Germaniæ iugis montis Abnobæ, ex aduerso Raurici Galliæ oppidi, multis vltra Alpes millibus.* Et Tacitus de Germ. cap. I *Danubius molli & clementer edito montis Abnobæ iugo effusus, plures populos adit.* Festus Auienus Descriptione Orbis vers. 437

Abnoba mons Istro pater est: cadit Abnobæ hiatu.

Siluarum maxima est *Hercynia,* Straboni lib. VII Ἑρκύνιος δρυμὸς, υ Græca littera, quam Latini imitantur, quamuis propter Germanicam originem vocis opus non erat. Horrida fuit & amplissime patens. Cæsar lib. VI cap. XXIV *Hercyniæ siluæ latitudo* IX *dierum iter expedito patet. Oritur ab Heluetiorum, & Nemetum, & Rauracorum finibus, rectaque fluminis Danubii regione pertinet ad fines Dacorum & Anartium: hinc se flectit sinistrorsus, diuersis a flumine regionibus, multarumque gentium fines propter magnitudinem attingit. Neque quisquam est huius Germaniæ, qui se adisse ad initium eius siluæ dicat, quum dierum iter* LX *processerit, aut, quo ex loco oriatur,*

acceperit. Mela dicto loco dimensione vtitur eadem : *Maxima*, inquit, *siluarum Hercynia, & aliquot sunt, quæ nomen habent: sed illa dierum sexaginta iter occupans, vt maior aliis, ita & notior.* Plinius lib. IV cap. XIV extremo : *introrsus, nullo inferius nobilitate, Hercynium iugum prætenditur.* Sed necdum omnem latitudinem videtur Cæsar cognouisse. nam inferiorem etiam Germaniam occupaverat. Claudianus IV Consul. Honor. vers. 450

venit accola siluæ
Bructerus Hercyniæ.

Et de Cattis Tacitus Germ. cap. XXX, *Catti initium sedis ab Hercynio saltu inchoant, non ita effusis & palustribus locis, vt ceteræ ciuitates: - - - - & Cattos suos saltus Hercynius prosequitur simul atque deponit.* Totam ergo Germaniam fere complexa videri potest, vt ceteræ pleræque siluæ, huius partes adpareant, quamlibet nomine insignitæ singulari: neque reliquiæ eius tantum illæ sunt quæ nomen retinent, *der Haartz*; verum etiam aliæ pleræque horridiores, vt *Spessard*, *Westerwald*, *Thuringica*, *Hassiaca*, & *Boiohemum cingentes*, & aliæ. Sed vetera nomina inquirere iam nostrum est.

Cæsar lib. VI cap. X *infinitæ magnitudinis siluam* memorat, *quæ adpelletur Bacenis. Hanc*, ait, *introrsus pertinere, & pro natiuo muro obiectam Cheruscos a Sueuis, Sueuosque a Cheruscis, iniuriis incursionibusque prohibere.* Et ad huius fines se Sueui, id est Catti, recipiebant, quum Cæsaris, Rhenum transgressi, arma refugerent. Metaphrastes Βακένην vocat. Ex situ autem siluæ *Bacenis*, & Cattorum fuga, ab Rheno magis magisque recedentium, adparet, non posse alios montes & saltus esse, quam Hercyniæ reliquias genuinas, quæ hodieque longo tractu procurrentes *der Haartz* adpellantur.

Nec dubium est Cluuerio, quin & *Cæsia silua*, annali I Taciti memorata, pars fuerit magnæ illius Hercyniæ. Verba Taciti de illa cap. L sunt : *Sequitur ardorem militum Cæsar, iunctoque ponte tramittit duodecim millia e legionibus, sex & viginti socias cohortes, octo equitum alas. - - - - At Romanus agmine propero siluam Cæsiam, limitemque a Tiberio cœptum scindit, - - - Cæcina cum expeditis cohortibus præire, & obstantia siluarum amoliri iubetur: legiones modico interuallo sequuntur. Iuuit nox sideribus illustris, ventumque ad vicos Marsorum.* Quibus expensis omnibus, & vnde duxerit suos

Germa-

Germanicus, nempe ex Castris Veteribus; concludit tandem Cluverius, siluam Cæsiam partim in Cliuensi Ducatu, partim in Westphalia esse, inter Vesaliam & Kœsfeldum interiectam.

Pars quoque Hercyniæ fuit *Gabreta silua*, Straboni Γαύβρητα ὕλη, *Gaubreta*; Ptolemæo Γαβρῆτα ὕλη, dicta, quamuis hi distinguant ab Hercynia. Strabonis hæc sunt lib. VII pag. 202 Ἔστι καὶ ἄλλη ὕλη Γαύβρητα μεγάλη· ἔπειτα δὲ τὰ τῶν Σουήβων· ἔπειτα δ' ὁ Ἑρκύνιος δρυμός· *Est & alia magna silua Gabreta; deinde Sueuorum sedes; inde Hercynius saltus.* Ptolemæus lib. II cap. XI τὰ καλούμενα Σούδητα ὄρη. ὑφ' ἅ ἐστιν ἡ Γάβρητα ὕλη, ὧν μεταξὺ καὶ τῶν Σαρματικῶν ἐστιν ὁ Ὀρκύνιος δρυμός. *Montes Sudeti dicti; sub quibus est Gabrita silua: inter quos & Sarmaticos montes est Hercynia silua.* Et post paullo: ὑπὲρ τὰ Σούδητα ὄρη Τευριοχαῖμαι· ὑπὸ δὲ τὰ ὄρη Οὐάριστοι· εἶτα ἡ Γαβρῆτα ὕλη· ὑπὸ δὲ τὴν Γαβρῆταν ὕλην Μαρκομάνοι. *Super Sudetos montes, Theuriochæmæ: infra illos montes, Varisti: deinde Gabrita silua, sub qua Marcomanni.* Sed neuter Hercyniam tantam habet, quantam Cæsar & Pomponius. Coniicit tamen ex hisce Cluuerius, Gabretam siluam partim Thuringicam esse, partim Boiohemicam, Thuringicæ continuam atque connexam. Inter quam & Melibocum montem est Ptolemæi *Semana silua*, Σημανὰ ὕλη, quæ quibusdam est ipsa Bacenis siue *der Haartz.*

In alia plaga est *Luna silua*, nec ipsa disiuncta longe ab Hercynia silua. Ptolemæus dicto loco; ὑπὸ τὸν Ὀρκύνιον δρυμὸν Κουάδοι. ὑφ' οὓς τὰ σιδηρυχεῖα, καὶ ἡ Λούνα ὕλη· ὑφ' ἣν μέγα ἔθνος οἱ Βαιμοὶ, μέχρι τοῦ Δανουβίου. *Sub Hercynia silua Quadi: sub quibus ferri fodinæ, & Luna silua: sub qua gens magna Bæmi usque Danubium.* Luna ergo silua ad Morauiam est, ad fontes Mari, nunc March, qui contra Carnuntum Danubio insinuatur.

Itidem ex alia plaga sunt *Marcianæ siluæ*, quas Ammianus Marcellinus vocat lib. XXI cap. XV. [Valesf. cap. VIII] *Discedens,* inquit, *Iulianus a Rauracis, - - - profecturus per Marcianas siluas viasque iunctas Istri fluminis ripis, - - - - quum ad locum venisset, vnde nauigari posse didicit flumen; lembis conscensis ferebatur occulte,* scilicet in Pannoniam, Sirmium versus. Inter Rauracos autem & Danubium recentem media est silua Nigra, *Schwartzwald*, notissimæ famæ per quam transire Iulianum oportuit, vt veniret ad Danubium nondum nauigabilem. Hæc ergo est illa *Marciana silva*, vt

na, vt Valesius; siue *Martiana*, vt Lindenbrogius scripsit: quam Tabula Peutingeriana eodem situ ostendit, itidem per c scriptam, *Silua Marciana*.

DIVISIO GERMANIAE.

Plinius lib. IV cap. XIV Germanos Transrhenanos in quinque gentes diuidit, quarum quædam longius & supra consuetum limitem excurrunt. *Germanorum*, inquit, *genera quinque: Vindili, quorum pars Burgundiones, Varini, Carini, Guttones. Alterum genus Ingæuones, quorum pars Cimbri, Teutoni, ac Chaucorum gentes. Proximi autem Rheno Istæuones; quorum pars Sicambri. Mediterranei Hermiones, quorum Sueui, Hermunduri, Chatti, Cherusci. Quinta pars Peucini, Basternæ, contermini Dacis.* Quum vero difficile sit, cuilibet harum gentium suam sedem & proprios fines adsignare; malumus cum Tacito secundum fluuios dispescere, qui certiores termini sunt, etiam notiores nobis, & iam expositi. Non equidem aperte ita dispensat Tacitus; id vero haud obscure ex libello eius colligitur. Prima ergo pars est inter Rhenum, Salam, Albim, vsque ad Sinum Codanum, vulgo *Oost-See* dictum: altera inter Salam, Albim, Danubium & Vistulam ac mare septemtrionale; quam vno nomine *Sueuiam* adpellabant. Nam, inquit Tacitus cap. XXXVIII, *Sueuorum non vna gens: maiorem Germaniæ partem obtinent, propriis adhuc nationibus nominibusque discreti, quamquam in commune* SVEVI vocentur. Maiores hæ partes secundum alia interiecta flumina in minores subdiuiduntur, vt inter Rhenum & Amisium, inter Amisium & Visurgim; inter Visurgim & Albim; & sic in aliis quoque diuisionibus. Sit ergo pars prior & occidentalis Germanorum

INTER RHENVM ET ALBIM.

Multæ gentes inter Rhenum & Albim coluerunt, quas distinctius vt cognoscamus, particulatim contemplabimur prout interiectis aliis fluminibus denuo diuisæ ac separatæ sunt.

Inter Rhenum & Amisium sub Oceano sunt FRISII MAIORES, a *Minoribus*, qui circa lacus inter Rheni alueos habitauerunt, disterminati. Taciti hæc diuisio est de Germ. cap. XXXIV *Angriuarios & Chamauos a tergo Dulgibini & Chasuari cludunt, alia-*

que

que gentes haud perinde memorata. a fronte Frisii excipiunt. Maioribus minoribusque Frisiis vocabulum est, ex modo virium. vtraque nationes vsque ad Oceanum Rheno prætexuntur, ambiuntque immensos insuper lacus, & Romanis classibus nauigatos. Ait distingui sic *ex modo virium:* quod argumento est plus terrarum, & spatiosiores campos tenuisse *Maiores*, qui vtique inter Fleuum lacum, seu Rhenum a Druso abactum, & flumen sunt Amisium. Ex quo consequitur, *Minores* Frisios circa ipsos lacus & inter Rheni alueos vna cum aliis gentibus, supra in Belgica ex Plinio enumeratis, vt in tractu angustiore, coluisse. Tacitus *Maiores* maxime in Caninefatum tumultu lib. IV Histor. cap. XV intelligit, quum *gentem Transrhenanam* Frisios adpellat. *Statim,* inquit, *accitis Frisiis (transrhenana gens est) duarum cohortium biberna, proxima occupatu, Oceano irrumpit,* puta, Brinio, dux Caninefatum.

Plinius lib. IV cap. XV & *Frisios* & *Frisiabones* inter Helium & Fleuum, Rheni ostia concludit, atque sic tantummodo *Minorum* rationem habet, quorum pagum censet Menso Altingius *Frisiabones* fuisse. Sed vlteriores etiam esse & ad Amisium vsque pertinere, Tacitus annali I cap. LX clarissime ostendit. *Maior*, inquit, *Cæsari metus: & ne bellum mole vna ingrueret, Cæcinam cum quadraginta cohortibus Romanis, distrahendo hosti, per Bructeros ad flumen Amisiam mittit: equitem Pedo præfectus finibus Frisiorum ducit. Ipse impositas nauibus quatuor legiones per lacus vexit: simulque pedes, eques, classis apud prædictum amnem conuenere.* Et Ptolemæus lib. II cap. XI τὴν παρωκεανῖτιν κατέχουσιν οἱ Φρίσσιοι μέχρι τοῦ Ἀμισίου ποταμοῦ, *partem, quæ iuxta Oceanum est, Phrissii colunt vsque ad flumen Amisium.* Sic scribit ille gentis nomen: qui Dioni lib. LIV sunt Φρείσιοι; Latinis, Plinio Tacitoque, *Frisii:* Paullo Diacono lib. VI Langob. cap. XXXVII *Frisones.* Est & *Friseus* veteri inscriptione apud Gruterum pag. 532 num. 6

AVR. VERO EQ. SING. AVG
NAT. FRISEO T. AEL. GEMINI
VIXIT ANN. XXX
MIL. ANN. XIII.

Frisiorum itaque post Fleuum ostium, primum fuit *Fleuum castellum* Taciti, quod in oppidis numerasse, & Φλῆουμ, *Fleum* dixisse Ptolemæus videtur. In Frisiis fuisse certum est, & ex Taciti an-

nali IV cap. LXXII constat. *Eodem*, inquit, *anno Frisii, transrhenanus populus, pacem exuere, nostra magis auaritia, quam obsequii impatientes. - - - - Olennius, e primipilaribus, regendis Frisiis impositus, infensos fuga praeuenit, receptus castello, cui nomen Fleuum: & haud spernenda illic ciuium sociorumque manus litora Oceani praesidebat. Quod vbi L. Apronio inferioris Germaniae propraetori cognitum, - - - - exercitum Rheno deuectum Frisiis intulit; soluto iam castelli obsidio, & ad sua tutanda digressis rebellibus.* Cluuerius, communi nomine inductus, a dextra *Fleui* ostii ponit: Altingius cum aliis, ad ostium Vnsingae, nixus numeris Ptolemaei, profert, praesertim quum locus ibi, Fliedorp dictus, supersit. Nos nihil definimus: si quid tamen omnino dicendum est, censemus tutius in nominibus certis, quam in dubia auctoritate Ptolemaei confidi.

Portus Marnamanis, supra ex Ptolemaeo, quum de fluminibus ageremus, monstratus, vel sinus vel aestuarium est Oceani, (non lacus Fleui, vt alii contra sententiam Ptolemaei putant) cui Vnsinga, fluuius Groningensis, infunditur. Deinde *Ostium Vidri*, quod occidentale fluminis Amisii esse aeque supra, Altingio indice, ostendimus. Intus paullo iuxta idem ostium, quod sinus instar excurrit in laeuam, *Amisia* oppidum, quod Tacitus lib. II annal. cap. VIII descripsit. *Lacus inde*, inquit, *& Oceanum* [Germanicus] *vsque ad Amisiam flumen, secunda nauigatione peruehitur: classis Amisiae relicta, laeuo amne; erratumque in eo, quod non subuexit.* Vim verbis Taciti inferunt, qui de Emda, vrbe Cauchorum interpretantur, vt erudite Altingius, saepe honoris caussa nominatus, probauit. In *laeuo* enim *amne* siue ad Amisii sinistram & statio illa nauium, quae opportuna ibidem est, & oppidum *Amisia* iuxta eamdem quaerendum est.

Interiora iuxta idem flumen videntur *Corbulonis munimentum* habuisse, & *Mediolanium* Ptolemaei. Illud ex Taciti libro XI cap. XIX eruendum. *Natio*, inquit, *Frisiorum post rebellionem, clade L. Apronii coeptam, infensa, aut male fida, datis obsidibus consedit apud agros a Corbulone descriptos. Idem senatum, magistratus, & leges imposuit. ac ne iussa exuerent, praesidium immuniuit: missis, qui maiores Chaucos ad deditionem pellicerent.* Ex quibus colligitur, in parte Frisiorum, quae Amisio & Chaucis proxima est, hoc *Corbulonis Munimentum*, cui praesidium, senatum, magistratum, leges

ges

ges imposuit, excitatum fuisse. Cui locum magis commodum, quam Groningæ, in tota Frisiorum regione negat Menso Altingius inueniri, quæ ciuitas multa vestigia Romanarum legum ac magistratuum ad nostram ætatem retineat. Quod vero Romanorum alia monimenta heic rara sint aut nulla, ex eo esse probabile facit, quod ibidem Tacitus subiecit, *Claudium adeo nouam in Germanias vim prohibuisse, vt referri præsidia cis Rhenum iuberet.*

Alterum propter Vnsingam oppidum, *Mediolanium*, ex situ & numeris Ptolemæi coniicitur, quod idem doctissimus vir *Mediolarium* scribendum esse existimat, quia X. M. P. supra Groningam, iuxta lacum, locus in medii æui annalibus adhuc *Ad tres Lares* nominetur, ibidemque tenuis vicus supersit *Midlaren* dictus, id est *Mediolarium*. Inde in occasum, & Fleuum versus *Cruptoricis villam*, & *Lucum Badubennæ fuisse*, ex clade Romanorum, quam Tacitus annali IV cap. LXXIII descripsit, intelligitur. *Mox compertum*, inquit, *a transfugis, nongentos Romanorum apud lucum, quem Badubennæ vocant, pugna in posterum extracta, confectos, & aliam quadringentorum manum, occupata Cruptoricis, quondam stipendiarii, villa, postquam proditio metuebatur, mutuis ictibus procubuisse.* Nemus sacrum *Lucum Badubennæ* fuisse, ipsum nomen fert: an inædificatum fanum, vicum, vel maius aliquid habuerit, non habemus certum dicere.

Supra Frisios, in austrum versus, campi iacebant, pecoribus & armentis militum, ad dextram ripam fossæ relicti, quos ANSIBARII siue ANSIVARII, a Chaucis, finitimis suis pulsi, petierunt ab Romano duce, nec impetrarunt: pariterque deserti a Tencteris Bructerisque, ad quos confugerant; & reiecti ab Vsipiis & Tubantibus; in Cattis tandem & Cheruscis perierunt. Tacitus lib. XIII cap. LV seq. de iis enarrauit.

Ab austro etiam Frisios spectabant MARSI atque BRVCTERI, ab Rheno longe supra Luppiam extensi: quibus separati finibus, minus certum est. Cluuerius censet, Marsos in cæsorum Bructerorum loca immigrasse. Quæ aperta habemus, ex Tacito ostendimus, aut vndecumque possumus. Annali I cap. LVI ille: *Fuerat animus Cheruscis iuuare Cattos; sed exterruit Cæcina huc illuc ferens arma: & Marsos, congredi ausos, prospero prælio cohibuit.* Et annali II cap. XXV *C. Silio cum triginta peditum, tri-*

bus equitum millibus ire in Cattos imperat [Germanicus] *ipse maioribus copiis Marsos irrumpit : quorum dux Malouendus, nuper in deditionem acceptus propinquo luco defossam Varianæ legionis aquilam modico præsidio seruari indicat.* Forte alius hic lucus est ab illo, qui *Tanfanæ templum* habuit, antea ab eodem Cæsare euersum. Nam annali I cap. L legatus eius præmissus dicitur *ad vicos Marsorum* venisse: & cap. LI Cæsar subsequens *quinquaginta millium spatium ferro flammisque peruastasse : & profana simul & sacra, & celeberrimum illis gentibus templum, quod Tanfanæ vocabant, solo æquatum.* Non ergo ibi, sed alio luco, *præsidium modicum* seruandæ aquilæ fuisse, credibile est: sicuti nec illud incertum, in Marsis *Tanfanæ* templum exstitisse.

De BRVCTERIS Tacitus Germ. cap. XXXIII *Iuxta Tencteros Bructeri olim occurrebant : nunc Chamauos & Angriuarios immigrasse narratur, pulsis Bructeris ac penitus excisis, vicinarum consensu nationum, seu superbiæ odio, seu prædæ dulcedine, seu fauore quodam erga nos deorum. nam ne spectaculo quidem prœlii inuidere. super* LX *millia non armis telisque Romanis, sed quod magnificentius est, oblectationi oculisque ceciderunt.* Ait discordia ipsorum Germanorum Bructeros, Romanis cum voluptate spectantibus, excisos esse. At non ita exstirpati omnes, quin posteriori etiam tempore eius nominis multi superessent. Incertum tempus huius internecionis, & sub Tiberio cum Bructeris etiam bellum fuit Romanis. Tacitus annali I cap. LX *Cæsar Cæcinam, distrahendo hosti, per Bructeros ad Amisiam mittit.* Ergo inter Fleuum lacum & Amisiam coluerunt, supra Frisios. nam *equitem Pedo præfectus finibus Frisiorum ducebat : ipse* [Germanicus] *legiones per lacus vexit. - - - - Bructeros, sua vrentes, expedita cum manu L. Stertinius missu Germanici fudit, interque cædem & prædam reperit vndeuicesimæ legionis aquilam cum Varo amissam. Ductum inde agmen ad vltimos Bructerorum : quantumque Amisiam & Luppiam amnes inter, vastatum, haud procul Teutoburgiensi saltu.* Posteriori autem sæculo etiam *Bructeros* superfuisse, remotiores fortassis ab Rheno, panegyrici, Constantino dicti, ostendunt. Eumenius cap. XII *Vt omnibus modis barbarorum immanitas frangeretur, immissa Bructeris vastatione fecisti, imperator inuicte.* Et Nazarius ad eumdem: *Quid memorem Bructeros? quid Chamauos? quid Cheruscos? quid Alemannos?*

mannos? - - - - Innumera simul gentes ad bellum coacta, sed vno impetu tuo fusa. Claudianus IV Consul. Honor. vers. 450

- - - - venit accola silua
Bructerus Hercinia.

Strabo & Ptolemæus Bructeros in *Maiores* & *Minores* distinguunt. Ille lib. VII post initium: ὁ Λυπίας ποταμὸς, ῥέων διὰ Βρεκτέρων ἐλαττόνων, *Luppia amnis per Bructeros Minores fluit.* Et Ptolemæus lib. II cap. XI Κατέχουσι τῆς Γερμανίας, τὰ μὲν παρὰ τὸν Ῥῆνον ἀρχομένοις οἵ τε Βρέκτεροι (male Βυσάκτεροι scriptum) οἱ μικροὶ καὶ οἱ Σύγαμβροι, *Tenent Germaniam a Rheno fluuio Bructeri Minores & Sigambri.* Minores ergo ad Rhenum fuerunt in limite: Maiores intus ad caput Luppiæ versus, & saltum Teutoburgicum.

Inter *Amisiam* & *Visurgim* ad septemtrionem seu Oceanum erant CHAVCI, siue CAVCHI, qui & CAVCI scribuntur, sed *Minores* tantum: nam Maiores trans Visurgim vsque ad Albim erant. Ptolemæus in Germania: Μετὰ τούτους Καῦχοι οἱ μικροὶ, μέχρι τοῦ Οὐισούργιος ποταμοῦ. εἶτα Καῦχοι οἱ μείζους, μέχρι τοῦ Ἄλβιος ποταμοῦ, *Post hos* [Frisios] *Cauchi Minores sunt, vsque ad Visurgim: deinde Cauchi Maiores: vsque ad Albim fluuium.* Etiam Tacitus hac diuisione vsus est lib. XI cap. XIX. *Corbulo*, inquit, *præsidium* [Frisiis] *immuniuit, missis qui Maiores Chaucos ad deditionem perlicerent.* Situm, amplitudinem, & mores gentis ita Tacitus de Mor. German. cap. XXXV descripsit: *Hactenus in occidentem Germaniam nouimus. In septemtrionem ingenti flexu redit. Ac primo statim Chaucorum gens, quamquam incipiat a Frisiis ac partem litoris occupet, omnium, quas exposui, gentium lateribus obtenditur, donec in Cattos vsque sinuetur. Tam immensum terrarum spatium non tenent tantum Chauci, sed & implent, populus inter Germanos nobilissimus, quique magnitudinem suam malit iustitia tueri, sine cupiditate, sine impotentia, quieti secretique. nulla prouocant bella, nullis raptibus aut latrociniis populantur.* Attamen Ansibarios de sedibus expulerunt, vt supra ex annali XIII cap. LV ostensum: & cum Ciuile fecerunt contra Romanos. Idem Hist. lib. V cap. XIX *Ciuili Chaucorum auxilia venere.* Terram illorum Dio Cassius lib. LIV pag. 544 Χαυκίδα, *Chaucidem* adpellauit. Nostra ætate Frisia orientalis est & Oldenburgicus Comitatus, vbi Minores fuere: Bremensis Ducatus & portio Lauenburgica, vbi Maiores.

Supra Minores Chaucos in austrum CHAMAVI erant qui antiquissimis temporibus ripam Rheni tenuerunt, vt Ansibariorum vel dux, vel orator ad Romanos, Boiocalus, apud Tacitum lib. XIII cap. LV ostendit: quæ petebant ab Romanis, *Chamauorum quondam arua, mox Tubantum, & post Vsipiorum fuisse.* Quo casu vero migrauerint, silente historia, ignotum est. Migrarunt autem in Bructerorum sedem vna cum Angriuariis. Idem de Germ. cap. XXXIII *Iuxta Tencteros Bructeri olim occurrebant: nunc Chamauos & Angriuarios immigrasse narratur, pulsis Bructeris ac penitus excisis.* Vicini ergo Chamauorum ANGRIVARII, quos inter Amisiam & Visurgim coluisse, castris Germanici, annali II cap. VIII, probatur, quæ metanti, *Angriuariorum defectio nuntiatur a tergo.* Et quia altero latere Cheruscos attingebant, in meridiem illorum sedem inclinasse non obscurum est. Tacitus ibidem cap. XIX *Latus vnum Angriuarii lato aggere extulerant, quo a Cheruscis dirimerentur.* Ex quo est consequens, vt Chamaui septemtrionem versus, proxime Chaucos, habitauerint. Ptolemæo sunt Χαῖμαι, *Chamæ*, quod nomen Cluuerio ex Χαμάυοι, vel Χάμαβοι, vt Iulianus oratione ad Athenienses scripsit, corruptum adparet.

Chamauos accolebant TVBANTES, incertum quibus finibus, pariter ab Rheno depulsi quondam, aut cedentes, quod supra ex Taciti lib. XIII cap. LV probaui. Idem annali I cap. LI *Exciuit ea cædes Bructeros, Tubantes, Vsipetes.* Cluuerius *Teceliam* Ptolemæi, quæ, quod nomen prodit, nunc Teklenburg est, in Angriuariorum Tubantumque *confinio* ponit: malim *Chamauorum* Tubantumque, aut gentis vtriusque & Tubantum conlimitio, sed a fronte: a tergo enim aliæ obscuræ gentes erant DVLGIBINI & CHASVARI. Tacitus Germ. cap. XXXIV *Angriuarios & Chamauos a tergo Dulgibini & Chasuari cludunt, aliæque gentes, haud perinde memoratæ.* Dulgibini sunt Ptolemæi *Dulgumnii*: Chasuari siue Chassuari, Strabonis Χαττουάριοι, *Chattuarii*, lib. VII; & Velleii forsan *Attuarii*, lib. II cap. CV, truncato capite litterarum. Videntur genus Chattorum siue Cattorum fuisse, qui alia dialecto nominati *Chassi* fuerunt, sicuti nunc Hassi. Francos in illum tractum successisse, ex Ammiano patet, qui lib. XX cap. XXV [Vales. X] ait de Iuliano: *Rheno exinde transmisso, regionem*

subito

ſubito peruaſit Francorum, quos Attuarios vocant. Hos poſtea Rhenum transieciſſe, & in ſecunda Germania, Lugdunenſi prima, Lingonumque finibus ſedes occupaſſe probat Hadrianus Valeſius Notit. Gall. in *Attuarii.*

Ad Rhenum reuertimur. VSIPII & TENCTERI, a Cattis expulſi, & triennio vagati ad Rhenum venerunt & Menapiorum transrhenanas regiones occuparunt, teſte Cæſare lib. IV cap. IV. A Druſo poſtea ſubiugati, amicitiam Romanorum acceperunt. Dio Caſſius lib. LIV pag. 544 de Druſo: τὸν Ῥῆνον ἐπεραιώθη, καὶ τοὺς Ουσιπέτας κατεστρέψατο, τόν τε Λουπίαν ἔζευξε, καὶ ἐς τὴν τῶν Συγάμβρων ἐνέβαλε, *Rhenum traiecit, & Vſipetes ſubegit, & Lupiæ ripis ponte iunctis in Sigambrorum terram irrupit.* Videntur Vſipii a diuortio Rheni in ſuperiora per ripam ſedes habuiſſe. Ibidem Dio paullo ante, ἐς τὴν τῶν Ουσιπετῶν κατὰ αὐτὴν τὴν τῶν Βαταούων νῆσον διέβη, *in Vſipetum regionem iuxta ipſam Batavorum inſulam transgreſſus eſt.* Tencteri vero in auſtrum vergebant, Agrippinenſibus fere trans flumen obiecti. Tacitus Hiſtor. lib. IV cap. LXIV *Tencteri, diſcreta Rheno gens*, puta, ab Vbiis ſiue Agrippinenſibus. Scribuntur varie hæc nomina, *Vſipii, Vſipetes* & *Vſipetæ*: ſic etiam *Tencteri* & *Tenchteri.* Græci magis variant Strabo, Dio Ptolemæus, addentes litteram, aut dementes, aut pervertentes.

Per Vſipios Druſus, ponte in Luppia facto, in SICAMBROS ſiue SIGAMBROS, quorum vetus ſedes ſupra Luppiam fuit, & in extremis finibus illorum, *Aliſo* fluuius & caſtellum, vt ſupra de Fluminibus dictum fuit: quod ipſum caſtellum eſt, de quo Velleius Paterculus lib. II cap. CXX refert, *L. Caditii, præfecti caſtrorum, eorumque qui vna circumdati Aliſone immenſis Germanorum copiis obſidebantur, laudanda virtus eſt.* In ripa Luppiæ, oppidum Ptolemæi eodem nomine *Luppia*, Λουππία, nunc Lippſtadt, notum in Weſtphalia eſt. Horatius lib. IV oda II *feroces Sicambros* vocat: ſed victi ab Auguſto, quem

Compoſitis venerantur armis,

vt idem extrema oda XIV dixit: & *in Gallias* ex ſede ſua *traiecti* ſunt, vt Tacitus lib. XII cap. XXXIX Oſtorii, ducis Romani, verbis refert. *Sugambros* Tacitus nominauit, Græcorum more, qui Σύγαμβροι ſcripſerunt: plures autem Latini, *Sicambri*, per I

ſimplex

ſimplex & C. Sic Cæſar de ſe lib. IV cap. XVIII *ad vtrumque partem pontis firmo præſidio relicto, in fines Sicambrorum contendit.* Martialis Spectac. carm. III

Crinibus in nodum tortis venere Sicambri.

Sidonius Apollinaris lib. IV epiſt. I *paludicolas Sicambros* dixit. Cetera hunc tractum, poſt Aliſonem fluuium, & circa fontes Luppiæ, *Saltus Teutoburgienſis* attingebat, quem illuſtriſſimus auctor Monimentorum Paderbornenſium, exſurgere dicit in diœceſi Paderbornenſi, ac per Lippienſem, Rauensbergenſem, Oſnabrugenſem, Monaſterienſem, & Oldenburgenſem ditionem longiſſimo montium ſiluarumque tractu porrigi oſtendit. Sed hæc connexio ſiluarum atque montium: proprie dictus Teutoburgienſis ſaltus in illa, quam diximus, regione eſt, quod nomen confirmat, a *Teutoburgio* ductum, quod eruditorum plurium conſenſu in Dethmolda ſiue Dietmellen, oppido comitatus Lippienſis, invenitur. Saltus hic clade Variana nobilitatus fuit. Tacitus annali I cap. LX *Ductum inde agmen ad vltimos Bructerorum, quantumque Amiſiam & Luppiam amnes inter, vaſtatum; haud procul Teutoburgienſi ſaltu, in quo reliquiæ Vari legionumque inſepultæ dicebantur.* Cluuerius hunc locum Cheruſcis citerioribus, hoc eſt cis Viſurgim colentibus, attribuit: de quibus poſtea dicturi ſumus.

Supra Tencteros circa Segi confluentem, vbi auſtralis pars Ducatus Bergenſis eſt, Cluuerius *Iubones* Taciti locat, de quibus extremo lib. XIII ſcripſit: *Sed ciuitas Iubonum, ſocia nobis malo inprouiſo adflicta eſt. nam ignes terra editi villas, arua, vicos paſſim corripiebant, ferebanturque in ipſa condita nuper coloniæ mœnia.* Quod vero alius nemo huius gentis mentionem fecit, & inſuper ſcripti codices, Florentinus & Th. Ryckii, *Vibonum* referunt; Nicolao Heinſio, acuto viro, in mentem venit, *Vbiorum*, loco *Iubonum*, legendum eſſe, quam ſententiam etiam Menſo Altingius tuetur: Ryckius autem *Aeduorum* mauult, & *coloniam nuper conditam*, non Agrippinenſem, ſed Lugdunenſem, ad Rhodani & Araris confluentes, intelligit, cuius memorabile incendium Seneca epiſt. XCI narrauit. Sed propius ad MSS. codicum *Vbiorum*, quam *Aeduorum*, accedit: etiam ratio temporis, aduerbio *nuper* ſignificata, cum Agrippinenſi magis, quam Lugdunenſi conuenit, vti ex

vtrius-

vtriusque conditu, in Galliis a nobis deſcripto, luculentum eſt. Ad *Segum* fluuium reducit Cluuerius Ptolemæi *Segodunum*, in locum vbi nunc *Sigen* oppidum eſt & ſedes principis: ſicut fluuius etiam *Sige* adpellatur, quem ab oppidi vocabulo, quod Ptolemæus prodit, *Segum* modo diximus. De *Rheticone* monte, qui illo in tractu eſt, ſupra quoque in *Montibus* commentati ſumus.

Supra Tencteros in ripa Rheni, ſi Iuhones excidant, vti videntur excidiſſe, CATTI, ſiue CHATTI, vſque ad Mœnum habitabant, ampliſſima natio, & late diffuſa, ab ortu vſque Salam amnem per Thuringiam: a ſeptemtrione in Weſtphaliam ad Paderbornenſes fines; & præter Haſſiam, Wetterauiam, & partem Rhenani tractus ac ripas Loni fluuii, inter hos fines omnia poſſidebant. Cæſar paſſim illos *Sueuos* vocauit, nec minus Rheno adpoſuit; neſcitur autem qua inductus ratione, in eo nomine fuerint, quum longe ſatis abſint a propriis Sueuis ſiue Alemannis. Cæſarem interdum alii imitantur, vt Strabo lib. IV p. 134 ὑπέρκεινται τῆς ποταμίας ταύτης οἱ Σούηβοι προσαγορευόμενοι Γερμανοὶ, καὶ δυνάμει καὶ πλήθει διαφέροντες τῶν ἄλλων· ὑφ᾽ ὧν οἱ ἐξελαυνόμενοι κατέφευγον εἰς τὴν ἐντὸς τοῦ Ῥήνου νυνί· *Supra totam hanc ripam degunt Sueui, Germanica natio, reliquis potentia & numero ſuperior: a quibus expulſi in regionem cis Rhenum confugerunt.* Et Seneca Medea verſ. 713

Lucis Suëui nobiles Hercyniis.

Cattorum ſedem Tacitus deſcribit Germ. cap. XXXII. *Proximi,* inquit, *Cattis certum iam aluco Rhenum, quique terminus eſſe ſufficiat, Vſipii ac Tencteri colunt.* Et ex altero latere cap. XXX *Catti initium ſedis ab Hercynio ſaltu inchoant, non ita effuſis ac paluſtribus locis, vt ceteræ ciuitates, in quas Germania pateſcit. durant ſiquidem colles paullatimque rareſcunt: & Cattos ſuos ſaltus Hercynius proſequitur ſimul atque deponit.* Propria ergo Hercynia ſilua, & quæ maxime hoc nomen tenebat, in Cattis erat, & circa illorum regionem.

Caput Cattorum fuit *Mattium*, quod tamen haud dubie etiam MATTIACIS, ſingulari genti, nomen dedit; inde pronum eſt coniicere, *Mattiacos* fuiſſe Cattorum partem ita, vt plerumque ſeorſum nominentur, etiam a Cattis aliquando diſtinguantur. Tacitus annali I cap. LVI de Germanico: *expedi-*

tum exercitum in Cattos rapit - - - item, *Cattis improuisus aduenit - - - - Cæsar incenso Mattio (id genti caput) aperta populatus, vertit ad Rhenum.* Et lib. IV Histor. cap. XXXVII *mixtus ex Cattis, Vsipiis, Mattiacis exercitus.* Quod si ergo distincti sunt a Cattis, distinctos fines habuisse necesse est, quos autem difficile est signanter determinare: nec desperandum tamen quodammodo inveniri posse. Plinius lib. XXXI cap. II *Fontes Mattiacos* laudat, quæ Ammiani *Aquæ* sunt *Mattiacæ,* lib. XXIX cap. XX, omnium consensu thermæ Wisbadenses, e regione Magontiaci. Ait enim Plinius: *Sunt & Mattiaci in Germania fontes calidi trans Rhenum, quorum haustus triduo feruet.* Deinde *Mattium,* vt vniuersæ gentis Cattorum, ita speciatim *Mattiacorum*, quibus nomen dedit, caput fuisse, perquam est vero simile. quam ob caussam non *Mattium,* sed *Mattiacum*, quasi oppidum Mattiacorum, a Ptolemæo vocatum est. Hoc autem non tam consensu plurimorum, quam rationibus Taciti, videtur *Marpurgum* esse, quasi Matburgum, quod in via erat transeunti Germanico a Tauno monte, qui contra Magontiacum est, ad Adranam flumen: vti ex Taciti annali I cap. LVI colligitur. Ergo Mattiacorum fuit quidquid a Moguntia Marpurgum vsque aut paullo vltra est: vtrum autem plura possederint, & quem ad finem, non habemus dicere. Rhenum attigisse certum est. sic enim Tacitus de Mor. Germ. cap. XXIX *Est in eodem obsequio & Mattiacorum gens. Protulit enim magnitudo populi Romani vltra Rhenum, vltraque veteres imperii reverentiam. Ita sede finibusque in sua ripa; mente animoque nobiscum agunt.* Videntur ergo ripam inter Mœni & Loni confluentes tenuisse.

Reliqua, vltra illum confluentem, & ad Adranam, & Fuldam amnem, & vlteriora, Cattorum proprie dictorum fuerunt, in quibus nihil memorabile occurrit, nisi ad Fuldam *Castellum* Cattorum, nunc vrbs incluta *Cassel,* licet, præter nomen, nullum forsan antiquum eius monimentum supersit, a geographo vetere vel historico conseruatum. *Castellum* vero in *Tauno* monte, a Druso patre exstructum, a filio Germanico reparatum, in fines Mattiacorum incidit, quia prope Fontes Mattiacos erat, & ad limitem eorum prope Magontiacum, seu huic vrbi ex aduerso respondentem, vergebat. Ait de Germanico Cæsare: *posito castello*

castello super vestigia paterni præsidii in monte Tauno, expeditum exercitum in Cattos rapit. An idem etiam *Munimentum Traiani* sit, ab Iuliano reparatum, referente Marcellino lib. XVII post principium, alios inter & Cluuerium ambigue disputatur. Ait ille esse idem, atque ita ter a primo conditu Drusiano, propter loci commoditatem, reparatum, a Germanico; a Traiano, qui nomen suum indiderit; & tandem ab Iuliano. Nobis secus omnia videntur, eiusque sententiæ auctor nobis ipse Ammianus est. Tradit, *post Argentoratensem pugnam* Iulianum *Magontiacum petiisse*, ac, *flumine pontibus constratis transmisso, occupasse terras hostiles*, & noctu *nauigiis modicis & velocibus octingentos imposuisse milites, qui sursum versum decurso egressi, quidquid inuenire potuerint, ferro violarent.* Hanc rem *perculisse animos Germanorum*, vt *trans Mœnum nomine fluuium, ad opitulandum suis necessitudinibus, auolarent. Emensa æstimatione decimi lapidis, quum prope silvam venissent squalore tenebrarum horrendam*, obstructis semitis *obiecto robore & ilicibus incisis; gradi cauti retro* constituerunt. *Et dum nullus obsisteret, munimentum, quod in Alemannorum solo conditum Traianus suo nomine voluit adpellari, dudum violentius oppugnatum, tumultuario studio reparatum est.* Videmus, apud Magontiacum, ponte in Rheno facto, exercitum traiectum esse, & ex transrhenanis castris emissos nauigiis, haud dubie per Mœnum fluuium, qui hostilem terram vastarent: ideoque Mœnus barbaris transmittendus erat, vt suis opitularentur. Excursoribus obfuit immanis silua, obstructis semitis inperuia, cuius inter Francofurtum & Darmstadium reliquiæ sunt, quæ arguunt cum Ottena silua cohæsisse. Congruit spatium decem lapidum siue milliariorum. In illo receptu demum Iulianus, qui interea sequutus emissarios videtur, Traiani munimentum *in solo Alamannorum*, hoc est sinistra Mœni ripa, reparauit. Vltra illam siluam, ad dextram ripam conuersi Nicri, haud longe a confluente, *Lupodunum* Ausonii fuit, qui Mosella vers. 423 scripsit,

Hostibus exactis Nicrum super, & Lupodunum:

quod Freherus aliique Ladenburgum interpretantur. Huc vero producti Cattorum fines in austrum fuerunt.

CHERVSCI supersunt, a Cattis in septemtrionem inter Visurgim & Albim procurrentes, gens itidem ampla, sed minore

gloria quam Catti. Tacitus Germ. cap. XXXVI *In latere Chaucorum Cattorumque Cherusci nimiam ac marcentem diu pacem illacessiti nutrierunt. idque iucundius quam tutius fuit, quia inter impotentes & validos falso quiescas. - - - Ita qui olim boni æquique Cherusci, nunc inertes ac stulti vocantur: Cattis victoribus fortuna in sapientiam cessit. Tacti ruina Cheruscorum & Fosi, contermina gens.* Ex quibus sedes illorum inter Chaucos, Cattos & Fosos intelligitur, quæ maxime inter Visurgim & Albim incidit. Olim bellicosiores fuerunt sub Arminio duce contra Romanos pugnantes, vt Tacitus ann. II cap. XVI seq. perscripsit; & de iis non minus, quam de Cattis & Angriuariis triumphauit Germanicus, quod Tacitus ibidem cap. XLI narrauit. Latius tum & cis Visurgim etiam Cheruscos coluisse, ex Dionis lib. LIV videtur pronum ad probandum esse. De Druso ait pag. 544 τὸν Ρῆνον ἐπεραιώθη, καὶ τοὺς Οὐσίπετας κατεστρέψατο, τόν τε Λουπίαν ἔζευξε, καὶ ἐς τὴν τῶν Συγάμβρων ἐνέβαλε, καὶ δι' αὐτῆς καὶ ἐς τὴν Χερουσκίδα προσεχώρησε, μέχρι τοῦ Οὐϊσούργου. *Rhenum transmisit, Vsipetes subiugauit, Lupiam ponte iunxit & in regionem Sicambrorum irrupit, & per illam in Cheruscorum terram, vsque ad Visurgim.* Quem ordinem & Velleius lib. II cap. CV tenet: *Intrata protinus Germania, subacti Attuarii, Bructeri: recepti Cherusci: transitus Visurgis.* Hanc ob caussam Cluuerius *Teutoburgium* cum silua, qua Varus cum legionibus cæsus est, Cheruscis adscripsit. de quo supra in *Sicambris* aliquid diximus.

Verius in Cheruscis est *Mons Melibocus*, de quo etiam antea dictum fuit: & *Lucus Herculis*, Tacito lib. II annal. cap. XII *Silua Herculi sacra*, quam prope Mindam fuisse Cluuerius opinatur: & *Tropæa Drusi*, Τρόπαια Δρούσου, quæ Ptolemæus in oppidis Germanorum numerauit. Dio Cassius ad Albim posita fuisse tradit ineunte lib. LV. *Drusus*, inquit, *inde* πρὸς τὴν Χερουσκίαν μετέστη, καὶ τὸν Οὐΐσουργον διαβὰς, ἤλασε μέχρι τοῦ Ἀλβίου πάντα πορθῶν. ἐκεῖνον ἐπεχείρησε μὲν περαιωθῆναι, οὐκ ἠδυνήθη δὲ, ἀλλὰ τρόπαια στήσας, ἀνεχώρησε. *in Cheruscos conuerso itinere, Visurgim transgressus, ad Albim vsque populando perrexit. Hunc quum frustra conatus esset transire, tropæis constitutis, recessit.*

INTER

INTER ALBIM ET VISTVLAM.

Septemtrionali Germania, quæ Romanis cis Albim erat, adhuc omni explicata; traiecto amne, eumdem cursum in septemtrionali plaga ad Vistulam vsque prosequemur. Cheruscis contermini, sed Albi interfluente, FOSI erant, vt paullo ante ex Taciti Germ. cap. XXXVI cognouimus. *Tacti*, inquiebat, *ruina Cheruscorum & Fosi, contermina gens, aduersarum rerum ex æquo socii, quum in secundis minores fuissent.* Quod contermini, dubitare possis, an trans Albim, flumen ante ostia instar maris latum, fuerint. At quia subiicit, *Eumdem Germaniæ sinum proximi Oceano Cimbri tenent*; & hæc verba cum superioribus connectit, nec quidquam inter Fosos Cimbrosque interposuit; recepta opinio, Fosos trans Albim habitasse confirmatur. Nemo vnquam illorum, nisi Tacitus, mentionem fecit; nec Ptolemæus, qui LX circiter annis post Tacitum scripsit, largus alioquin in gentibus enumerandis. In loco autem Fosorum SAXONES memorat, quæ validissima gens postea euasit. ἐπὶ τὸν αὐχένα τῆς Κιμβρικῆς Χερσονήσου, Σάξονες, *Supra collum*, inquit, *Cimbricæ Chersonesi, sunt Saxones.* Quæ caussa est, vt Fosi Cluuerio sint ipsi Saxones, quum fieri haud potuerit, vt tam breui interuallo Fosorum gens perierit, & noua Saxonum surrexerit, a nemine antea memorata. Ipsam autem Chersonesum his obscuris nominibus post Saxones repleuit *Sigulonibus, Sabalingiis, Cobandis, Chalis, Phundusiis, Charudibus*, πάντων δὲ ἀρκτικώτατοι Κίμβροι, *omnium autem maxime septemtrionales Cimbri.*

CIMBRI autem Taciti æuo *parua ciuitas, sed gloria ingens.* Addit cap. XXXVII, *veteris famæ late manere vestigia, vtraque ripa castra ac spatia, quorum ambitu nunc quoque metiaris molem manusque gentis, & tam magni exercitus fidem.* Non dubium ergo, ingentem olim multitudinem fuisse, quæ peninsulam occuparet, & obscuros populos, quos Ptolemæus nominauit, subiectos & oppressos contineret. Quum vero Italiam inuasuriessent, a Mario Catuloque sunt deleti: quæ vero pars domi remanserat, Taciti æuo *ciuitas parua*, in septemtrionali peninsulæ sinu, Ptolemæo auctore, collocatur. Post Albim supra Cimbros Tacitus *Reudignos, Auiones, Anglos, Varinos, Eudoses, Suardones* & *Nuithones*, cap. XL

 nomi-

nominauit : ſed difficulter in ſuas ſedes diſtribuuntur, quia alia hoc loco & monſtroſa vocabula Ptolemæus habet. Meræ ergo coniecturæ ſunt, quas ſequuntur, qui in tabulis ſedes hiſce gentibus adſignauerunt: ſoli ANGLI, quod alio æuo ſocietatem cum Saxonibus in occupanda Britannia fecerunt, videntur coniungendi, vt vicini, eſſe.

Vrbes Ptolemæus ad Albim ponit *Marionem* & *Laciburgum*, quarum illa fere in locum cadit vbi nunc Hamburgum, celeberrimum emporium eſt: hoc, ſupra illam, in locum *Lauenburgi*, quod probabilius fiet, ſi υ pro κ in vocabulo Ptolemæi legas. Habet eodem tractu geographus *Treuam*, quæ quod nomine cum amne *Traua* conuenit, qui Ptolemæo *Chaluſus* eſt; fit, vt multi ad illud flumen reducant, quaſi Lubecca, itidem nobilis vrbs, ex Treuæ vel initiis vel ruinis ſit exorta. Poſt *ſinus ingens Codanus* eſt, magnis paruisque inſulis refertus, vt Pomponius Mela deſcribit; nunc *Oſt-See* , ſiue *Mare Balticum;* ſub cuius initio Ptolemæus alteram *Marionem* (ἑτέρα Μαριωνὶς Græce dicitur) locauit, quæ curioſis, qui vetera cum nouis, dubia cum certis componunt, videtur in loco Wiſmariæ eſſe: vbi vulgo VARINOS locant, quaſi hi ſint quos nunc maritimos Meklenburgios nominant. Supra hos populos, amnem Spream verſus, ſiue inter Albim & Oderam in Brandenburgica Marchia ponendi LANGOBARDI videntur, quos, vt Tacitus ait cap. XL, tum *paucitas nobilitabat, quod plurimis ac valentiſſimis nationibus cincti non per obſequium, ſed prœliis & periclitando tuti* erant. Tiberii tempore Cheruſcorum ſocii facti, Arminio acceſſere, bello contra Maroboduum & Sueuos. Poſtea, ingenti multitudine auctos, cum alia bella & excurſationes, tum diuturna poſſeſſio Italiæ multum nobiliores reddiderunt.

Superius, inter eosdem fluuios, Albim & Viadrum, fuerunt SEMNONES, qui ſe *vetuſtiſſimos nobiliſſimosque Sueuorum*, vt Tacitus cap. XXXIX refert, memorabant. Adiecit auctoritatem fortuna Semnonum. *Centum* enim *pagis habitabantur, magnoque corpore effectum, vt ſe Sueuorum caput crederent.* Nec intra fines amnium multitudo gentis contineri potuit, quin hinc trans Albim in Miſniæ partes, illinc vltra Viadrum in citeriorem Poloniam ſe proferrent. Ante Tacitum Velleius Paterculus memorauit lib. II

cap.

cap. CVI. *Albis*, inquit, *Semnonum Hermundurorumque fines præterfluit*. Et Strabo, qui lib. VII post principium, τῶν Σουήνων αὐτῶν μέγα ἔθνος Σέμνωνας, *ipsorum Sueuorum nationem magnam Semnonas*, porrecta syllaba media dixit. At Ptolemæo Σέμνονες sunt, media breui.

Dixi vetustissimos nobilissimosque Sueuorum, & caput, *Semnones* videri voluisse. nam SVEVI omnes inter Albim & Vistulam Germani vocabantur. Tacitus cap. XXXVIII *Nunc de Sueuis dicendum est, quorum non vna, vt Cattorum Tencterorumve gens. maiorem enim Germaniæ partem obtinent, propriis adhuc nationibus nominibusque discreti: quamquam in commune* SVEVI *vocentur*. Postea sub illis recenset Langobardos, Reudingos, Auiones, Anglos, & quos alios supra enarrauimus: etiam Marsingos, Osos, & quos trans Oderam colentes postea enumeraturi sumus. Hinc est quod Ptolemæus coniungit vocabula Σουῆβοι Ἄγγιλοι, *Sueui Angli*; & Σουῆβοι Σέμνονες, *Sueui Semnones*.

Inter Viadrum, qui & *Sueuus* videtur esse, & Vistulam sunt Taciti positione sub mari Sueuico & RVGII & LEMOVII. Cap. XLIII extremo: *Protinus deinde ab Oceano Rugii, & Lemouii*: quos sic vlteriorem Pomeraniam, præsertim maritimam, cum Cassubiorum terra tenuisse necesse est. *Rugii* citeriores, & prius a Tacito nominati, quorum oppidum *Rugium* intus posuit Ptolemæus: & prope Viperæ ostium superest aliud *Rügenwald*, quod veterem nomenclaturam regionis confirmat. Limitem ergo his ab Odera seu Viadro Cluuerius constituit *Viperam* siue Wipper amnem. Vlteriores *Lemouii*, a Vipera ad Vistulam sunt. Hos posteriori æuo HERVLOS nominatos fuisse, exinde Cluuerius coniecit, quia medii æui scriptores, obliti Lemouiorum, plerumque cum Rugiis coniungant *Herulos*, in regionibus, in quas vna egressi fuerant. Paullus Warnefredi de Gestis Langobard. lib. I cap. I *Gothi Wandalique, Rugi, Heruli atque Turcilingi, nec non etiam aliæ feroces & barbaræ nationes, e Germania prodierunt*. Et Iornandes Odoacrum genere *Rugum* dixit, at *Herulorum* simul regem, saltem auxilio illorum munitum, de Regnorum Success. cap. CIII. licet de Rebus Getic. cap. XXIII cum Ablabio historico a Mæotide palude velit arcessere.

Ptolemæus heic omnia turbat, & inaudita vocabula nationum

num adfert, e quibus ſolos *Sidinos* ſiue *Sidenos*, Σιδηνὺς, cum oppido *Viritio*, ſpatio complendo retinuimus: Plinius lib. IV cap. XIV heic ſuos VINDILOS, id eſt *Vandalos* ſiue *Wandalos* ponit, quorum partem facit BVRGVNDIONES. Ipſe quidem cum *Varinis*, quos in citeriore tractu ſupra poſuimus, coniungit proxime; at vlteriores etiam, Carinos & Guttones ſubiungit, vt de ſede nationum nihil certi ex Plinio habeamus. Cluuerius *Burgundiones* circa Wartam flumen locat, quia Zoſimus lib. I cap. LXVII & inſequenti, cum *Logionibus* ſiue *Lygiis* ad Rhenum egreſſos, Probo Romanum imperium tenente, tradidit. *Lygios* autem Viſtulæ cenſeri proximos. Addo, quod poſteriore loco cum *Vandalis* coniungat, cuius nominis reliquiæ inter Viadrum & Viſtulam ſuperſunt. Probus, inquit, Βυργύνδοις καὶ Βανδίλοις ἐμάχετο, *cum Burgundis & Vandalis dimicauit*. Claudius Mamertus Panegyrico Maximiani cap. V *Burgundiones*, *Alemannos* & *Erulos* coniungit. Hadrianus quidem Valeſius Rer. Franc. lib. I pag. 50 *Burgundiones* Germaniæ, a *Burgundis* Sarmatiæ diſcretos vult, ſed quam firmis rationibus nitatur, aliis iudicandum relinquo. Tam dubiæ ſunt coniecturæ, quæ ſedem his populis conſtituunt. nec mirum, quia Romanæ expeditiones in Albi fere flumine ſuum limitem & finem habuerunt.

Ordo Taciti cap. XLIII ita vlterioris Germaniæ populos diſponit: Poſt Marcomannos & Quados, quorum illi Boiohemum tenebant, hi, vulgari opinione, Morauiam quam vocamus; ipſi ſunt *Marſigni*, *Gothini*, *Oſi*, *Burii*: atque hi omnes dicuntur *terga Marcomanorum Quadorumque claudere*, id eſt ab ortu, ſaltem æſtiuo, obiectos habitare. *Omnes* etiam *pauca campeſtrium, ceterum ſaltus & vertices montium inſederunt*, eodem Tacito adnotante. Iuga hæc, vbi in ſeptemtrionem excurrunt, *Aſciburgius Mons* a Ptolemæo adpellantur. *Dirimit enim*, (pergit Tacitus) *ſcinditque Sueuiam continuum montium iugum, vltra quod plurimæ gentes agunt: ex quibus latiſſime patet* LYGIORVM *nomen, in plures ciuitates diffuſum. Valentiſſimas nominaſſe ſufficiet, Arios, Helueconas, Manimos, Elyſios, Nabarualos.* Hi *Lygii*, qui etiam *Lugii* ſcribuntur, haud dubie ſunt Zoſimi Λογίωνες, *Logiones*, quos paullo ante ex lib. I cap. LXVII oſtendimus, cum Burgundis & Vandalis contra Romanos ad Rhenum profectos. Hi quod latiſſime patebant vltra iuga montium;

tium; non potest alia illorum sedes & regio fuisse, quam quæ inter Asciburgios montes & Vistulam, amplum sinum excursione in ortum versus facientem, habetur: quo antea nominatæ obscuræ nationes sub *Lygiorum* nomine latentes, continebantur. Nunc his locis pars Poloniæ est. Cis Asciburgium montem inter Burgundiones & Burios cadit Ptolemæi oppidum *Calisia*, quod indicio nominis videtur Poloniæ *Kalisch* esse, in citeriore hac parte positum. Propius Vistulam in Lygiorum gente fuit *Carrodunum* Germanicum Ptolemæi, quod quidam Cracouiam esse diuinant: Menso Altingius in nomine oppidi *Radom* credit vestigia inueniri.

Tacitus addit: *Trans Lygios Gothones regnantur, paullo tamen adductius quam cetera Germanorum gentes: nondum tamen supra libertatem. Protinus deinde ab Oceano Rugii, & Lemouii.* Hinc intelligitur, GVTHONES fuisse medios inter Lygios ab austro, & Lemouios a septemtrione: iidemque sunt, quos *Guttones* Plinius dicto loco dixit. Post Burgundiones enim ponit *Carinos, Guttones.* Et lib. XXXVII cap. II Pytheam, veterem scriptorem, credidisse refert, *Guttonibus, Germaniæ genti, accoli æstuarium Oceani, Mentonomon nomine.* Sed Taciti, peritiore sæculo scriptoris, fides major est, Gothones inter Oceanum & Rugios Lemouiosque interponentis. Philippus Cluuerius lib. III Antiq. Germ. cap. XXXIV operose contendit, hos *Gothones* vel *Guttones* esse ipsos *Gothos* vel *Gotthos*, quorum posteri per imperii Romani prouincias se effuderint, nec illarum modo plures, sed ipsam quoque Italiam aliquamdiu possederint, diuisi in *Ostrogothos* & *Vesigothos*, hoc est in orientales & occidentales: vsique forma gemina vocabuli, *Gothi* & *Gothones*, sicuti iidem dicantur Franci & Francones; Burgundi & Burgundiones. Contra sunt qui obiiciant, non potuisse fieri, vt ex tam angusta terra, qualem Tacitus Gothonum regionem describit, tam immensæ copiæ ac innumerabiles exercitus prodirent. Quare Iornandem, Gothorum episcopum, aut huius ducem Ablabium sequuti, malunt in Scandinauia, illa vastissima peninsula, quam veteres insulam esse crediderunt, Gothorum patriam quærere, vnde egressi in orientem, Dacorum regiones insederint, post, traiecto flumine, imperii Romani occupauerint prouincias. Ad cuius fidem faciendam & ipsi credunt in vocabulo etiam argumentum reperisse, *Gothiæ* scilicet, amplæ Suedorum prouinciæ; & vicinæ in-

ſulæ *Gothlandiæ*. Sed hiſtoricorum eſt hanc controuerſiam excutere: geographiæ ſufficit & regiones definiiſſe, & illarum oſtendiſſe vocabula.

GERMANIA AVSTRALIS.

Ex ſeptemtrionali Germania in auſtralem & ad Danubium, qui terminus meridianus eſt, degrediemur. Inter Rhenum & Danubium, ex fontibus ſuis nouum, & Nicri confluentem, antiquitus MARCOMANI fuerunt, iisque a latere adiuncti *Seduſii* atque *Harudes*. Cæſar id nobis haud obſcure prodidit. Commentario I cap. LI ait, Ariouiſtum regem Germaniæ a Sequanis contra Aeduos mercede euocatum, habuiſſe in acie ſua *Harudes*, *Marcomanos*, *Triboccos*, *Vangiones*, *Nemetes*, *Seduſios*. Iam vero ante Cæſarem Tribocci, Vangiones, Nemetes in ripam Gallicam conceſſerant: reliquos ergo oportet Germanos fuiſſe, quos rex Germaniæ in auxilium ſecum adduxerat. Probabile autem, proximos Germanorum a Sequanis inuocatos fuiſſe, id eſt illos, qui inter Rhenum & Danubii fontes, aut circa eoſdem eſſent. Ergo *Marcomani*, *Seduſii* & *Harudes* in illo tractu ſedem habuerunt. Quod vero Marcomanorum natio præcipua ex tribus fuerit, ex ſucceſſione adparet, & in Boiohemum transportatione. In vtraque enim nominatim tantum Marcomanorum fit mentio, & ſucceſſor Ariouiſti Maroboduus, & ipſe Marcomanus genere, tantummodo *dux* ſiue *rex* Marcomanorum vocatur, & illos ſolos, nominatim ſignificatos, in Boiohemum fertur deduxiſſe. Strabo poſt principium lib. VII dicit, *in Germania eſſe Hercyniam ſiluam, & Sueuorum gentes, quarum quædam habitent in ipſa ſilua, vt Coldulos, in quibus ſit Marobodui* βασίλειον, *regia*, εἰς ὃν ἐκεῖνος τόπον ἄλλους τε μετανέστησε πλείους, καὶ δὴ τοὺς ὁμοεθνεῖς ἑαυτῷ Μαρκομάνους, *in quem locum ille cum alios plures* [Harudes & Seduſios] *tranſtulit, tum gentiles ſuos Marcomanos*. Et Velleius Paterculus lib. II cap. CVIII *Nihil erat iam in Germania, quod vinci poſſet, præter gentem Marcomanorum, quæ Maroboduo duce excita ſedibus ſuis, atque in interiora refugiens, incinctos Hercyniæ ſilua campos incolebat.* Et cap. CIX, *Sentio Saturnino mandatum, vt per Cattos legiones in Boiohemum (id regioni, quam incolebat Maroboduus, nomen eſt) duceret.*

Quum adhuc ad Rhenum habitaret, qui ſingularum ex tribus natio-

nationibus fines fuerint, designari certo non potest, licet Cluuerius id ausus fuerit præstare, nimium confisus coniecturis suis. Id autem facile ad concedendum est, quia Marcomani valentiores ceteris; & ampliorem & meliorem sedem ad Rhenum Nicrumque tenuisse: ceteros coluisse a latere. HARVDES remotiores fuisse ex eo colligit Cluuerius, quia posteriores ceteris in Galliam, ab Ariouisto exciti, aduenerint, XXIV *millia hominum*, ex quo numero adparet non exiguam fuisse illorum nationem. De vtroque Cæsar commentario I cap. XXXII velim consulatur.

Degressis ab Rheno Marcomanis atque sociis, vacuefactam regionem illi maxime occuparunt, quos Tacitus ait Germ. cap. XXIX *decumates* agros exercere. *Non numerauerim*, inquit, *inter Germaniæ populos, quamquam trans Rhenum Danubiumque consederint, eos, qui decumates agros exercent. Leuissimus quisque Gallorum, & inopia audax, dubiæ possessionis solum occupauere. Mox limite aucto, promotisque præsidiis, sinus imperii, & pars prouinciæ habentur.* Hæc parua initia videntur ALEMANNIAE, quæ amplissima posterioribus sæculis euasit, & gentem aluit numerosissimam æque ac potentissimam. Diximus supra de nomine, quod ante Caracallæ historiam non reperitur, qui primus, Spartiano in Vita cap. X testante, *Alemannorum* gentem deuicit, & *Alemannici* cognomen adfectauit. Conuenit adprime cum Taciti descriptione *Alemannorum* nomen, quod Asinius Quadratus apud Agathiam lib. I pag. 17 ξυνήλυδας ἀνθρώπους καὶ μιγάδας, *conuenas & undique mixtos* interpretatur. Tum adhuc distincta Alemannia erat a Germania, & Antoninus Caracalla vt diversas adpellationes *Germanici* & *Alemannici* adscribi sibi postulauit: postea cessit Germaniæ nomen nominibus Alemanniæ atque Franciæ, vti in medii æui Geographia declaraturi sumus.

Proximi a Danubio sunt HERMVNDVRI, perlongo tractu ad Salæ vsque confluentem habitantes. Tacitus de Germ. cap. XLI *Propior (vt quo modo paullo ante Rhenum, sic nunc Danubium sequar) Hermundurorum ciuitas, fida Romanis, eoque solis Germanorum non in ripa commercium, sed penitus atque in splendidissima Rhætiæ prouinciæ colonia.* Quod ergo Danubium sequuturus Tacitus, ab *Hermunduris* orditur; id argumento est, eosdem ex australi parte Danubium tetigisse. Nunc demonstrandum, quousque illorum re-

gio in ſeptemtrionem procucurrerit. Idem Tacitus annali XIII ſub finem : *Eadem æſtate inter Hermunduros Cattosque certatum magno prœlio, dum flumen, gignendo ſale fecundum, & conterminum, vi trahunt.* Si conterminum flumen illud fuit, communis terminus inter vtramque gentem fuit, & quidem ea parte, qua diuites ſalinas iuxta ſe ſe habet, quæ in noſtra vrbe Hala ſunt, & flumen ipſum produnt, non aliud quam Salam noſtrum eſſe, qui breui poſt Albi, maiori fluuio, miſcetur. Sala ergo diremit Cattos & Hermunduros, eiusque ſalinæ Hermundurorum ſunt, quia in ripa ſunt, quæ Albim ſpectat & orientem, vt illo certamine iniquius Catti egiſſe videantur. In ſeptemtrione Cheruſcos contingebant iuxta Salæ confluentem, & Melibocum montem. Ab ortu Albis ſeparauit a Semnonibus. Paterculus cap. CVI *a Rheno vſque ad flumen Albim, qui Semnonum Hermundurorumque fines præterfluit, Romanus cum ſignis perductus exercitus.* Si vtriusque nationis fines hic amnis præterfluit, neceſſe eſt medium intermeare, & terminum vtrique genti ponere.

Sed vltra Albim etiam Hermunduros pertinuiſſe credas, quia Tacitus dicto loco ait, *In Hermunduris Albis oritur.* Fontes vero eius in Sileſiæ ſunt finibus, in iugis Sileſiam & Bohemiam terminantibus. Torſit hic locus multos, etiam ipſum Cluuerium, qui tandem deſerit fideliſſimum in ceteris ducem, qui ipſe excuſationis materiem ſuppeditat. Addit enim ſuperioribus de Albis ortu verbis : *flumen inclutum & notum olim; nunc tantum auditur.* Non ergo Traiani æuo tam notus Albis Romanis fuit, quam temporibus Auguſti, quum ad illum vſque Romana arma penetrauerunt. Fieri ergo perfacile potuit, vt pro temporum ſuorum conditione, aut Romanorum in vniuerſum, in capite Albis inueniendo & diligentiſſimus Tacitus erraret, quia numquam in partes illas Romana arma perducta fuerant, neque ætate Auguſti Cæſaris. Ab ortu ergo Albis Hermunduros ſeptemtrionales finiuit: auſtrales iuga Bohemica & limes Nariſcorum.

Hermunduris ergo hos limites dat Cluuerius : Quidquid inter Salam & Albim eſt, pars Anhaltini principatus, ducatusque Saxonici: Miſnia fere tota; Voigtlandia tota : Coburgenſis ducatus pars cum oppido Coburg : Brandenburgicæ ditionis oppida Franconica, Culmbach, Cronach, Pareut: Franconiæ pars ad læ-

vam

vam Mœni ripam, vbi oppida Bamberga & Forchaim: Palatinatus ſuperioris portio, & nobiliſſima Norimberga: denique Sueuiæ portio, qua oppida Nordlinga & Dinkelſpüel exiſtunt. An vero veteris Sueuiæ portio fuerint Hermunduri, dubitari poteſt. Plinius certe lib. IV cap. XIV ſeiungere videtur. *Mediterranei*, inquit, *Hermiones, quorum Sueui, Hermunduri, Chatti, Cheruſci.* Contra Tacitus de Germania libello, quum cap. XXXVIII de Sueuis, quorum non una gens ſit, inſtituiſſet agere, poſtea cap. XLI in propriis nationibus, adpellatione diſcretis *Hermunduros* recenſet inter alias: & Cluuerius extremo capite de Hermunduris cenſet, *particulam permagnæ illius Sueuiæ, Hermundurorum fuiſſe ſedem.* Plinii autem *Sueui* non ſunt iidem, quos Tacitus ita adpellauit.

NARISCI ſequuntur a latere Hermundurorum auſtralium, ſupra Danubium, orientem verſus. Tacitus cap. XLII *Iuxta Hermunduros Nariſci: ac deinde Marcomani & Quadi agunt. - - nec Nariſci degenerant*, a virtute ſcilicet Marcomanorum. Ita etiam hoc nomen Capitolinus in Marco Antonino cap. XXII ſcripſit, *Marcomani, Nariſci, Hermunduri & Quadi.* Theodoſius extremis excerptis ex Dione in eodem Marco Ναρισταὶ, *Nariſtas* vocat: Ptolemæus Οὐαριστοὶ, *Variſtos*, quod magis detortum eſt, quamquam vulgo hodie receptum ſit, & in alienam partem, Hermundurorum ſcilicet, translatum. Secantur transuerſe a *Nabo* fluuio, quem eum eſſe, qui in Venantii Fortunati libris *Nablis* dicitur, Chriſtophori Broweri coniectura eſt. Ait poeta ille in regis Sigeberti & Brunichildis epithalamio, lib. VI carm. II

Quem Nablis ecce probat, Toringia victa fatetur.

ductus enim litteræ *u* quam facile in *li*, totidem lineas, perverti poteſt? aut *Nabis* legendum, L ſuperfluo, quod Browerus ſcripſit, quamquam alterum facilius ad lapſum eſt, etiam ad excuſandum. Fines Cluuerius Nariſcis adſignat ab Aeni confluente ad vſque vrbem Ingolſtadium.

MARCOMANI, ſiue *Marcomanni*, a ſeptemtrione ſuccedunt, poſtquam relicta veteri ſede, quem ad Rhenum & Danubii fontes habuerant, in terram a Boiis habitatam (inde *Boiohemum* vel *Boiohemum* dictam Teutonice) pulſis, quos offendebant colonis, inuaſerunt. Vndique montibus circumuallata regio, qui *Suditi* vel *Sudeti* vocantur, vt ſupra demonſtrauimus. Nomen *Boio-*

bemum a Velleio Paterculo eſt, qui etiam Marobodui migrationem in illas ſedes lib. II cap. CVIII deſcripſit: & cap. CIX dixit, *legiones Boiohemum (id regioni, quam incolebat Maroboduus, nomen eſt,) duceret.* Tacitus *Boiemum* vocat de Germ. cap. XXVIII *Manet*, inquit, *adhuc Boiemi nomen, ſignificatque loci veterem memoriam, quamvis mutatis cultoribus.* Pulſi autem Boii ſunt haud dubie, quia peregrini erant, ex Gallia huc ante Cæſaris tempora profecti. Migrationis ipſe Cæſar meminit lib. VI cap. XXIV, ſed in nomine forte aberrauit. Ait enim, *Herciniam ſiluam Volcæ Tectoſages occupauerunt atque ibi conſederunt;* quos nomen reliquum *Boios* fuiſſe documento eſt. Ptolemæus in Germania: ὑπὸ τὴν Γαβρῆταν ὕλην Μαρκομανοὶ, *ſub Gabrita ſilua Marcomani.* Silua ergo illa cohæret cum Bohemicis. Idem in eo tractu oppidum ponit Μαρόβουδον, *Marobudum*, quod conditoris nomen refert, fortaſſis regia ſedes Marobodui. Ex quo multi coniiciunt, fundamenta hæc & initia magnæ vrbis Pragenſis eſſe. Strabo lib. VII pag. 201 Βουίασμον, *Bouiaſmum* Marobodui βασίλειον, *regiam*, vocat, quam Cluuerius vocem malit Βοίαιμον, *Boiæmum* legi, ſi codices permittant.

A tergo montium Boiohemicorum ad ripam Danubii fuerunt veteres QVADI, vſque ad flumen *Marum*, qui nunc *March* vocatur, Morauiam præterlabens. Tacitus Germ. cap. XLII *Iuxta Hermunduros Nariſci: ac deinde Marcomani & Quadi agunt.* Multa eorum mentio apud Eutropium & Capitolinum in Marco Antonino: etiam apud illum in Gallieno. Tractum regionis tenuere, qui cum Morauia fere congruit. Tiberio imperante, Sueuos fugitiuos, expulſorum regum comites, a Romanis inter *Marum* & *Cuſum*, id eſt inter Marchum & Wagam, locatos eſſe, dato rege ex Quadorum gente, Tacitus auctor eſt annali II cap. LXIII. Hi quod regem Quadum habuerunt, & ipſi Quadis adnumerati ſunt: neque ſequenti ſæculo illorum limes ad Cuſum perſtitit, ſed ad Granuam vſque flumen prolatus fuit: quod ex Marci Antonini περὶ ἑαυτοῦ libro I manifeſtum eſt. Inter XIV enim & XV ſectiones interſertum eſt, τὰ ἐν Κουάδοις πρὸς τῷ Γρανούᾳ, *Hæc in Quadis, ad Granuam:* quod lemma, incertum, ad antecedentia, an conſequentia pertineat; malim tamen ad conſequentia. Sed hoc obiter. Certum inde autem eſt, *Quados* tum pertinuiſſe ad *Granuam*, qui cum Cuſo extra limitem eſt Germaniæ.

Oppida

Oppida Ptolemæus plura habet, quæ in Quadorum fines incidunt : *Eburodunum* (ſic emendandum ex lib. VIII Tab. IV Europæ : non *Robodunum*) quod ſitus ratione interpretantur Brin, claram vrbem Morauiæ : & *Eburum*, in loco fere, vbi nunc eſt Olmuntz : *Medoslanium*, fortaſſis nunc Znaim : & *Celemantia*, quod in vico quodam, Kalminz dicto, inueniri Cluuerius exiſtimat, cuius & ſuperiores ſunt, quas attulimus, de tribus vrbibus coniecturæ. Menſo Altingius aliter easdem vrbes diſpoſuit, *Medoslanium* iuxta Danubium : *Robodunum* (ſic vulgarem lectionem ſequitur, quæ etiam lib. VIII Palatini eſt) Ratibor, montem Morauiæ, interpretatus, ferri fodinis diuitem : infra quem, in auſtrum verſus, *Kelemantiam* locat : ſupra illum, in ſeptemtrionem, *Filekiam*, φιληκιαν, quam cynoſuram ceterarum vocat, oppidum Morauiæ extremum, Sileſiam verſus, quod nomen *Filek* ſiue *Fülnek* ſeruet integrum : *Eburum* in Sileſiæ & Poloniæ confinio. Adeo diſſident eruditorum hominum de Ptolemæi poſitionibus ſententiæ ſiue coniecturæ.

GERMANIA TRANSVISTVLANA.

Viſtula olim Germaniæ ad orientem terminus erat, vt ex M. Agrippa apud Plinium lib. IV cap. XIII, Mela & Ptolemæo conſtat, quibus hic amnis Germaniam a Sarmatia diſtinguit. Vt vero ab ſolis occaſu non poterat Germanorum gens Rheno teneri, quo minus in Galliam effunderetur : ita ab ortu trans Viſtulam longiſſime inter Sarmatas vſque ad Iſtri oſtia & Euxinum Pontum habitarunt, qui origine, moribus, & lingua Germani erant. Hi communi nomine BASTARNAE ſiue BASTERNAE vocabantur, a Sarmatis & Dacis non tam certis finibus, quam mutuo metu, vt Tacitus ait principio libri de Germanis, diſterminati. In varias hi ipſi nationes diuiſi erant, & *Peucinos* quidem (Zoſimo lib. I cap. XLII *Peucæ* ſunt) ad oſtia verſus Danubii locauit Strabo lib. VII. a cuius magna inſula *Peuce*, oſtiis vicina, nomen habuerunt. Tacitus cap. XLVI *Peucinorum, Venedorumque, & Fennorum nationes Germanis an Sarmatis adſcribam, dubito : quamquam Peucini, quos quidam Baſtarnas vocant, ſermone, cultu, ſede ac domiciliis vt Germani agunt : ſordes omnium ac torpor, procerum connubiis mixtis nonnihil in Sarmatarum habitum fœdantur.* CARPI videntur *Carpates* montes inſediſſe,

insedisse, qui inter Poloniam & Hungariam procurrunt, vnde in Theodosii tabula *Bastarnicæ Alpes* iidem montes adpellantur. SIDONES Vistulæ propinquiores fuisse ex Ptolemæo fortassis probari potest. BORANOS quoque ex eadem gente fuisse, quamquam locus eorum certus non sit, probabile est. Protulerunt sedes vsque in Pannoniam. vide Zosimum lib. I cap. XXVII. Regio *Bastarnorum* hoc tempore Nigræ Russiæ & Podoliæ, & quod huic adiacet, nomina videtur induisse, vnde Ptolemæi Bastarnica oppida, & quidem *Carrodunum* Lemberg Cluuerius; *Clepidaua* Kamieniec; *Vibantauarium* Bar interpretatur.

Supra Bastarnas Vistulam versus VENEDI erant, quos Iornandes *Winidas* vocat siue *Vinidos*, quod nomen etiam in horum dispersis successoribus, die Wenden dictis, integrum seruatur. Pars horum Oceanum respiciens AESTII dicebantur in Borussiæ & Poloniæ parte, quæ trans Vistulam est, vsque ad insulas *Electrides*, quæ ab succini prouentu, in illa ora copioso, nominatæ sunt, reliquis Venedis per eamdem Poloniam ac Liuoniam & Lithuaniam late longeque extensis. De Aestiis Tacitus cap. XLV *Dextro Sueuici maris litore Aestiorum gens adluuntur, quibus ritus habitusque Sueuorum, lingua Britannicæ propior.* Ergo hos Germanicæ originis esse non dubitamus: ceteri autem fere Sarmatæ, de quibus Plinius lib. IV cap. XIII *Quidam hæc habitari ad Vistulam vsque fluuium, a Sarmatis, Venedis, Sciris, Hirris tradunt.* De his forte plura in Sarmatia.

GERMANIA TRANSMARINA ET INSVLAE.

Veteres Germaniam in extremum septemtrionem, vbi Suediæ nunc & Daniæ regna sunt, extenderunt. Quod nos Balticum dicimus, Tacito *Mare Sueuicum* est, Melæ & Plinio *Sinus Codanus*, eiusque pars ad Vistulæ ostium *Venedicus sinus* Ptolemæo. Trans mare nihil nisi insulas posuere veteres, quarum maximas dixerunt SCANDINAVIAM siue *Scandiam*, & FINNINGIAM, incompertæ magnitudinis, quas nunc constat peninsulas potius esse. Plinius lib. IV cap. XIII *Incipit deinde clarior aperiri fama ab gente Ingæuonum, quæ est prima inde Germaniæ. Seuo mons ibi immensus, nec Riphæis iugis minor, immanem ad Cimbrorum vsque promontorium*

efficit

efficit ſinum, qui Codanus vocatur, refertus inſulis, quarum clariſſima Scandinauia eſt incomperta magnitudinis; portionem tantum eius, quod ſit notum, Hilleuionum gente quingentis incolente pagis, quæ alterum orbem terrarum eam appellat. Nec eſt minor opinione Eningia. Addit cap. XVI *Nerigon* & *Bergon*, vnde in Thulen (id eſt Islandiam) nauigatio ſit, quæ non obſcura Norwegiæ, & emporii *Bergen* veſtigia præbent: quæ vero non inſulæ ſunt, ſed ſita vtraque in magna illa pæninſula Scandinauia.

Hanc Scandinauiam adpellarunt etiam *Baltiam;* item *Baſiliam*, (niſi alterum ex altero corruptum eſt) qua immenſæ magnitudinis peninſula hodie vniuerſa Suedia, Norwegia, Lapponia, Finnmarchia continentur. Plinius lib. IV cap. XIII *Xenophon Lampſacenus, a litore Scytharum tridui nauigatione, inſulam eſſe immenſa magnitudinis, Baltiam tradit. Eamdem Pytheas Baſiliam nominat.* Pytheas apud eumdem lib. XXXVII cap. II inſulam *Abalum* dixit, quam Timæus *Baſiliam.* Iornandes de Reb. Get. cap. III & IV vocat *Scanziam,* ex qua Gothi egreſſi ſint. Eſſe enim ait *quaſi officinam gentium, aut certe velut vaginam nationum.* Mons *Seuo*, quem Plinius memorauit, quia immanem ſinum vſque promontorium Cimbrorum efficit, quod in ſupremo ſeptemtrionalis Iutiæ eſt, nunc *Scagen* dictum; ipſe neceſſe eſt cum ſinu ſuo procurrat longius, ſitque illud iugum montium immane, quod Norwegiam a Suedia diſcludit.

Tacitus poſt litoris Sueuici expoſitionem *Suionum* mentionem fecit. *Suionum,* inquit, *hinc ciuitates, ipſo in Oceano.* Ciuitates, id eſt nationes, quod ſolemne Tacito & antiquioribus: quæ quod *ipſo in Oceano;* ideo in inſula (ſic creditum olim) permagna, & tot ciuitatum capace. Nihil autem tantæ magnitudinis poſt Oceanum illum reperitur niſi pæninſula Scandinauia. In hac ergo fuerunt SVIONES, quos Tacitus laudat, in varias ſubdiuiſi ciuitates ſiue nationes. Quænam illæ nominatim fuerint, non eſt perinde notum. Plinius dicto loco ſuos *Hilleuiones*, qui in auſtrali & notiore parte, vt ipſe deſcribit, fuiſſe videntur, quam Scaniam, Blekingam, & Halandiam adpellamus. quingentis enim pagis habitaſſe referebat. Septemtrionales maxime *Scritofinni* vel *Scritfinni*, vel *Scritobini*, quos Procopius lib. II Goth. cap. XV, & Paullus Warnefredi lib. I de Geſt. Langobard. cap. V memorarunt.

Si Ptolemæi insula Germaniæ μεγίςη, *maxima*, quam Σκάνδιαν, *Scandiam* vocat, eadem, quæ aliorum Scandinauia est, vt fere doctioribus videtur; plures gentes nominare possumus, sed obscuras, *Chædinos, Phauonas, Phiræsos, Dauciones, Leuonos*, truncatos ex *Hilleuionibus* Plinii, quod ex infimo vtriusque gentis situ adprobatur: sed Γοῦται, *Gutæ*, τὰ μεσημβρινὰ, *meridianas partes*, dicuntur tenuisse: de quibus cogitandum relinquo, an *Gothi* forte significentur hoc consonante vocabulo.

Tacitus Suionibus adiungit SITONES, de Germ. cap. XLV. *Suionibus*, inquit, *Sitonum gentes continuantur.* Quod si *continuantur*, a latere vtique fuerunt Suionum, ab iisque separatæ. Videntur ergo *Sitones* a sinistra Seuonis montis fuisse, ybi postea Nortmanni fuerunt; nunc Norwegi sunt, & a Cimbrico sinu longissime in Boream procurrunt. *Gentes* autem, in quas rursus distributi fuerunt Sitones, nobis, prodente nemine, ignotæ sunt.

Vltra *Suionas* mare, *pigrum* &c, vt quibusdam placet, *Cronium* dictum. Tacitus dicto loco: *Trans Suionas aliud mare, pigrum ac prope immotum, quo cingi cludique terrarum orbem hinc fides, quod extremus cadentis iam solis fulgor in ortus edurat, adeo clarus, vt sidera hebetet. - - - Illuc vsque (& fama vera) tantum natura.* Plinius vere lib. IV cap. XIII de hoc septemtrione: *Reliqua litora incerta signata fama. Septemtrionalis Oceanus - - - - Vltra deinde Cronium*, puta mare. Credunt quidam *Gronium* legendum, vt cum Grönlandia magis conueniat. *Riphæi* heic montes sunt, & in summo septemtrione longissime in ortum procurrunt: quos alii citeriores statuunt, vt in Sarmatia dicemus.

Alteram ab ortu Plinius maiorem insulam (verius peninsulam) lib. IV cap. XIII opponit FINNINGIAM, quæ in MSS. *Epigia*, in editis *Eningia* legitur: at interpretum consensu, saltem plurium, *Finningia* est legenda, regio, Suediæ post Botnicum sinum ab ortu obiecta, & *Finnia* nunc dicta, siue *Finnland.* Plinius ita de ea: *Nec est minor opinione Eningia. Quidam hæc habitari ad Vistulam vsque fluuium, a Sarmatis, Venedis, Sciris, Hirris tradunt. Sinum Cylipenum vocari, & ostio eius insulam Latrin. Mox alterum sinum Lagnum, conterminum Cimbris.* Hic Lagnus sinus per se est cognitus, ex Cimbrorum nomine, quos adluit, & in quem Traua se effundit: alter, *Cylipenus*, vt in MSS. vocatur,

(nam

(nam in editis *Clylipenus*) Liuonicus ſinus videtur eſſe, qui ab auſtro claudit Finningiam : aut, quod Cluuerio placet, Rigenſis, ab Riga, emporio, quæ prope adiacet, dictus. Incolas Eningiæ *Fennos* Tacitus adpellat, id eſt *Finnos*. *Peucinorum*, inquit cap. XLVI, *Venedorumque, & Fennorum nationes Germanis an Sarmatis adſcribam, dubito*. Et paucis interiectis : *Venedi, quidquid inter Peucinos Fennosque ſiluarum ac montium erigitur, latrociniis pererrant*. Ergo continenti terra Fenni cum Venedis, hoc eſt Liuonis, cohærent. Et mox : *Fennis mira feritas : fœda paupertas*.

* Inſulæ minores in Codano ſinu, & Germanico Oceano ſiue occidentali, plures numerantur, quam nominantur. Plinius cap. XIII, *Tres & viginti inde inſulæ Romanorum armis cognitæ. Earum nobiliſſima, Burchania, Fabaria a noſtris dicta, a frugis ſimilitudine ſponte prouenientis. Item Gleſſaria, a ſuccino militiæ adpellata, a barbaris Auſtrania; præterque Actania*. Quam *Burchaniam*, ſiue *Burchanam* dixit, Straboni & Stephano eſt Βύρχανις, *Burchanis*, quam a Druſo ille lib. VII tradit captam eſſe. Cluuerius & Altingius de inſula, inter oſtia Amiſii ſita, interpretantur. *Gleſſaria* vbi ſit, non apertum eſt, niſi vnam illarum in ſinu Venedico, quas *Electerides* propter eamdem cauſſam adpellant, intelligas. Ipſe Plinius lib. IV cap. XVI ſui interpres eſt & nominis Electridum. *Ab aduerſo*, inquit, [Britannicarum] *in Germanicum mare ſparſæ Gleſſariæ, quas Electridas Græci recentiores adpellauere*. Sed hæ occidentales ſunt *Electrides*, ſicubi ſunt : orientales in Codano ſinu vltra Viſtulæ oſtia. Tacitus cap. XLV de Aeſtiis : *Sed & mare ſcrutantur, ac ſoli omnium ſuccinum, quod ipſi gleſſum vocant, inter vada, atque in ipſo litore legunt*. Græci autem ἤλεκτρον, *ſuccinum* adpellant. Pomponius Mela lib. II cap. VII *Electridas* in ſinu Adriatico ponit, Græcos imitatus, qui *Eridanum* quemdam fluuium ad ſeptemtrionale mare ducebant, ἀπὸ τεῦ τὸ ἤλεκτρον φοιτᾶν λόγος ἐστὶ, *vnde electrum adferri fama eſt*, vt Herodotus dicit lib. III cap. CXV, qui vero de flumine huiusmodi dubitat. Plinius lib. XXXVII cap. II poſt Græcorum fabulas de *electri* origine, *Diligentiores*, inquit, *eorum Electridas inſulas in mari Adriatico eſſe dixerunt, ad quas dilaberetur Padus. qua adpellatione nullas vnquam ibi fuiſſe certum eſt*. Ex Boruſſia autem Romanos ſuccinum accepiſſe Tacitus ibidem adfirmat. *Diu*, inquit, *inter cetera eiecta-*

menta maris iacebat, donec luxuria nostra dedit nomen. ipsis [Aestiis] *in nullo vsu: rude legitur, informe perfertur, pretiumque mirantes accipiunt.* Videtur error Græcorum exinde esse, quod *Venedos* in Sarmatiæ finibus colentes, cum *Venetis* Italiæ ad ostia Eridani siue Padi, confuderunt.

Ptolemæus itidem lib. II cap. XI de insulis Germaniæ: ὑπὲρ τὴν Κιμβρικὴν Χερρόνησον, *super Chersonesum Cimbricam* tres insulas ponit quæ dicantur Αλόκιαι, *Alociæ.* Multæ ibi sunt insulæ Danorum regni propriæ, sed quæ in illis *Alociæ*, a Ptolemæo designatæ, difficile est iudicare. Cluuerius inter Halandiam, Suedorum prouinciam, & Iutiam septemtrionalem notari putat, paruas videlicet, & obscuras: Agathodæmon vero ad sinistrum mare, Oceanum Germanicum, sinistrum latus Chersonesi tangentem, eadem latitudine & in septemtrionem inclinatione, reducit. Idem Ptolemæus etiam tres insulas, quas *Saxonum* vocat, τὰς καλουμένας Σαξόνων, dicit κατὰ τὰς τοῦ Ἄλβιος ἐκβολὰς ὑπερκεῖσθαι, *super Albis ostia sitas esse.* Sunt ibidem paruæ, quæ facile hunc numerum explere possunt. Dictæ autem sunt *Saxonum insulæ*, quia Ptolemæus suorum Saxonum sedem ad ostium Albis constituerat, quibus hic sinus & hæ insulæ prætendebantur.

Danorum insulas sine nomine Pomponius Mela lib. III cap. III describit. *Super Albim*, inquit, *Codanus ingens sinus magnis paruisque insulis refertus est. Hac re mare quod gremio litorum accipitur nusquam late patet, nec usquam mari simile; verum aquis passim interfluentibus, ac sæpe transgressis, vagum atque diffusum facie amnium spargitur: qua litora attingit, ripis contentum insularum non longe distantibus, & vbique pæne tantumdem, vt angustum & par freto, curuansque subinde se, longo supercilio inflexum est.* Bene hæc conueniunt illis insulis interfluentibusque fretis, quæ inter Holsatiam & Seelandiam Danorum paruo interuallo distant inuicem, & fretum non sine impetu, propter angustias litorum, instar fluminis transmittunt. Maximam Danorum, quæ sedem tenet regiam, vulgo putant a Mela lib. III cap. VI nominari *Codanoniam,* vt Aldus, Andr. Schottus, & alii, ediderunt; quasi dictam a *Codano* sinu. Isaacus autem Vossius ad hunc locum adnotauit: *Libri optimi legunt Candanouia, Scribe, Scandinouia. Sic quoque in optimis & antiquissimis Plinii membranis scriptum reperi, non Scandinauia.*

nauia. Hæc est illa vasta septemtrionis peninsula, quæ & Scandia, & barbaris temporibus Scandzia fuit adpellata, a viciniore eius parte, quæ Scane vel Scone etiamnum dicitur. Vossianam lectionem sequutus est Iac. Gronouius emendatissima editione, *Scandinouiam* adpellans, quæ aliis est *Codanonia*: in ceteris discrepans non nihil a Vossio. Magnitudinem Mela tribuit & fecunditatem, e quibus iudicium faciendum est. Cluuerius vulgarem lectionem sequitur, & *Codanonia* vocabulum Seelandiæ Danorum insulæ, non Scaniæ, imponit.

Insulam *Rugiam*, citeriori Pomeraniæ obiectam, notauit fortassis Tacitus, sed sine nomine. Libro de Germ. cap. XL citeriores Pomeraniæ maritimas gentes recensuerat, Varinos, Suadones, Eudoses, & ceteros: hos dicit *in commune Herthum, id est Terram matrem colere: esse in insula Oceani castum nemus, dicatumque in ea vehiculum veste contectum.* At his populis nulla notabilior insula, quam *Rügen*, est opposita: tamen minores plures vtrimque disiectæ, vt certi nihil definiri possit. *Rugia* autem a *Rugis*, transoderano populo, qui forsan aliquando occupauit, videtur nomen accepisse. De *Latri* insula, forte nunc Oesel, in ostio Cylipeni sinus, supra diximus.

Hæc de Transmarina Germania sufficiant, quam cum Germania Plinius, Tacitus, Mela coniunxerunt, populis vindicatam Germanicis. Nec ipse Ptolemæus, qui Germaniæ cis mare suos terminos tam accurate constituit; quum de insulis agit Germaniæ, dissentire videtur, sed illis quoque Scandiam maximam, quæ Scandinouia videtur esse, adscribit.

CAPVT VI

DE

SARMATIA EVROPAEA.

SArmatia in vniversum tam Europæ, quam pars Asiæ est, Cimmerio Bosporo, Mæotide palude, & Tanai fluuio diremta. Europæa quidem incipit a Vistula, & illo climate ad Pontum vsque supra Danubium profertur: verum quia citerior & australis pars Germanicis gentibus permixta fuit, in Germania considera-

 vimus;

vimus; partim in Dacia, quæ pars illius est proprio nomine insignita, considerаturi sumus. Quæ in boream adsurgit, & in limitem Asiæ inclinat, iam curæ nobis erit, imitaturis Ptolemæum, qui quidem lib. III cap. V τῆς ἐν Ευρώπῃ Σαρματίας, *Sarmatiæ Europææ* a Vistula etiam initium fecit, sed pauca ibidem tetigit, illico ad Pontum inde procurrens, vt quæ supra illum sunt, copiosius ac verbis pluribus recenseat.

A Vistula sunt Germanicæ gentes: saltem dubiæ, vtrum ex Germania originem, an ex Sarmatis habuerint, quemadmodum Tacitus Germ. cap. XLVI se dubitare fatetur, Peucinorum Venedorumque nationes Germanis adscribat, an Sarmatis: qui quidem inter Bastarnas & Sarmatas colant, *sermone* tamen, *cultu ac domicilius vt Germani agant.* Ptolemæus post Vistulam quatuor fluminum ἐκβολὰς siue *ostia* enumerat, quæ in Venedicum mare eiusque sinus se infundant. Primus & proximus Vistulæ est fluuius *Chronus*, quem Niemen interpretantur geographi, inter Regiomontum & Memel in sinum *Curisch Haf* dictum, se effundentem. Memorauit etiam Ammianus lib. XXII cap. XVIII quamuis alieno loco, Alanos, Sarmatas & Massagetas confundens. Quod vero *Bisulam*, id est *Visulam* siue Vistulam cum *Chronio* coniungit, non dubitatur, ipsum hoc flumen, quod Ptolemæus nominauit, in animo ei fuisse. Verba eius sunt: *vbi Riphæi deficiunt montes, habitant Arimaspi, iusti homines, placiditateque cogniti, quos amnes Chronius & Bisula præterfluunt: iuxtaque Massagetæ, Alani, & Sarmatæ.*

Alter est *Rubo*, multorum consensu nunc Dwina siue Duna, ex Moscouia decurrens, & Rigam adluens ante ostium, quo in sinum Clilipenum exoneratur. Tertius *Turuntus* est, qui in Moscouia exortus, per lacus defertur, & apud Naruam in sinum Finnicum illabitur, Moscouis dictus Weliko. Vltimus *Chesinus*, Lowat Russis, per lacum Ilmen in maiorem Ladogam, ex sinu Finnico ortum, excurrit.

Situm autem Sarmatiæ huius Ptolemæus per populos ita describit: κατέχει τὴν Σαρματίαν ἔθνη μέγιστα· οἱ δὲ Ουενεδαι παρ' ὅλον τὸν Ουενεδικὸν κόλπον, καὶ ὑπὲρ τὴν Δακίαν Πευκῖνοι τε καὶ Βαστάρναι· καὶ παρ' ὅλην τὴν πλευρὰν τῆς Μαιώτιδος Ἰάζυγες, καὶ Ρωξολάνοι· καὶ ἐνδοτέρω τούτων οἱ Ἀμαξόβιοι, *Tenent Sarmatiam gentes maximæ: Venedi*

per


Septentrio
Meridies
Oriens
SARMATIA EVROPAEA
SARMATIA ASIATICA
SCYTHIAE INTRA IMAVM PARS
PONTVS EVXINVS
MARE CASPIVM
MAEOTIS
Maeotæ siue Mæotæ
CHERSONESVS TAVRICA
Sudeni
Hyperborei Montes
Hippophagi Sarmatæ
Rha Flu
Rha Fluuius
Borusci
Budinus Mons
Agathyrsi
Alauni
Riphæi Montes
Phthirophagi
Cariones
Hamaxobii
Tanais Flu
Tanaitæ
Coraxi
Roxalani
Scymnitæ
Orgasi
Asiotæ
Geloni
Tyramba
Asturcani
Serbi
Zinchi
Alani
Caucasus Mons
Caucasiæ Portæ
Olbia
Tanais
Carambis Prom.
PAPHLAGONIA
PONTVS
BITHYNIA
THRACIA
Armeniæ Limes
MEDIAE PARS
Trapezus
Heniochi
Cercetæ
Colchis propria
Lazi
Moschi
IBERIA
ALBANIA
Moschici Montes
Propontis
Bosphorus Thracius

per totum sinum Venedicum : & super Daciam Peucini & Bastarnæ; & per totum Mæotidis latus Iazyges ac Roxalani : & qui interiores sunt iis, Hamaxobii. Tractus recte ordinatus est; gentium autem nomina, seu ipsæ gentes, a variis varie collocantur, & Iazyges etiam in citerioribus locis ponuntur; Bastarnæ per totam diffunduntur Sarmatiam.

Plurimi geographorum in Sarmatia circa Pontum consistunt, & quæ ibidem sunt, curiosius interpretantur, quorum vestigia legentes ita progredimur in fluminibus, oppidis, & gentibus Sarmatarum exponendis.

Flumina Herodotus lib. IV ab cap. LI inter Istrum & Tanaim, Europæ finem, ponit septem. Primus est *Tyra* vt Plinius; *Tyras*, vt Mela scribit: Ptolemæus, & Scymnus Chius Τύρας: & Ouidius lib. IV ex Ponto epist. X vers. 50

- - - - *nullo tardior amne Tyras;*

Herodotus Τύρης. Strabo lib. VII pag. 211 distantiam Tyræ ab ostio extremo Istri ponit περὶ τετρακοσίους σταδίους, *circiter trecenta stadia :* ex quo colligitur, eum esse qui *Niester* nunc vocatur, siue *Dniester.* quod nomen videtur ex *Danaster* esse, quo vsus est Iornandes de Rebus Get. cap. V ad eum modum quo ex *Danapris*, Dnieper: quamuis disiungat Iornandes Tyram ac Danastrum, quod potest ex errore esse. Ceterum Ptolemæus obseruat, flumen Tyram ὁρίζειν τὰ μέρη τῆς Δακίας καὶ τῆς Σαρματίας, *diuidere partes Daciæ a Sarmatia.* Adiacet flumini oppidum *Tyra*, quod antea *Ophiusa* dictum fuit, Plinio adseuerante lib. IV cap. XII. *Clarus,* inquit, *amnis Tyra, oppido nomen imponens, vbi antea Ophiusa dicebatur.* quod Stephanus Byzantius ex Polyhistore confirmat. ὁ Πολυΐστωρ, inquit, τὸν ποταμὸν καὶ τὴν πόλιν Τύραν, τοὺς δὲ πολίτας Τυρανούς· ἐκαλεῖτο δ' Ὀφιοῦσσα. *Polyhistor & fluuium & vrbem Tyram* [vocat,] *ciues Tyranos : vocabatur antea Ophiussa.* Male ergo Ptolemæus lib. III cap. X Ophiusam a Tyra separauit, tamquam diuersa fuissent oppida, quum Ophiusa vetus nomen Tyræ sit oppidi. Situm Strabo curatius delineauit dicto loco. Ab ostio Tyræ, inquit, & adstructa turri, ἀναπλεύσαντι ἑκατὸν τεσσαράκοντα σταδίους, ἐφ' ἑκάτερα πόλεις, ἡ μὲν Νικωνία, ἡ δ' ἀριστερᾷ Ὀφιοῦσσα, *aduerso flumine* CXL *stadia nauiganti vtrimque oppida sunt, a dextra Niconia, a sinistra Ophiusa.* Ergo secundo flumine Tyra in ripa dextra

dextra fuit. Nugæ autem ſunt, quod Ammianus lib. XXII cap. XVIII [Valeſ. VIII] Phœnicum coloniam dixit, ideoque *Tyrum*, non Tyram, nominauit. *Proxima*, inquit, [Achilleos dromo] *eſt ciuitas Tyros, colonia Phœnicum, quam præſtringit fluuius Tyras.* nam a flumine nomen habet, non a conditoribus, vt Plinius ſupra prolatis verbis vere cenſuit: & ſi colonia fuit, Mileſiorum potius, qui plures ad Pontum condiderunt, quam Tyriorum fuit. Id quod ex Scymni Chii fragmento conſtat, quod adſcribimus, quia etiam fluuii naturam & commoditatem declarat.

- - - - - ὁ Τύρας ποταμὸς
Βαθύς τε ὢν, εὐβότανός ἐστι ταῖς νομαῖς
Τῶν ἰχθύων, διάθεσιν ἐμπόροις ἔχων,
Ταῖς ὁλκάσι τε ναυσὶν ἀνάπλουν ἀσφαλῆ.
Ὁμώνυμος δὲ τῷ ποταμῷ κεῖται πόλις
Τύρας, ἄποικος γενομένη Μιλησίων.

Hoc eſt, Luca Holſtenio interprete:

amnis Tyras
Profundus herbidusque alendis piſcibus,
Situque mercatoribus percommodus,
Tutusque onuſtis ſubuehendis nauibus.
Hic ciuitas amni iacet cognominis
Tyras, trahens originem a Mileſiis.

Qui ad oſtium huius fluminis coluerunt, Τυρῖται, *Tyritæ* dicti Herodoto cap. LI, ἕλληνες, *Græci* genere, quod confirmat coloniam Mileſiam: Straboni ſunt Τυρεγέται, *Tyrigetæ*. Et Plinius dicto loco: *In eodem* [Tyra] *inſulam ſpatioſam incolunt Tyragetæ*: quæ non adparet, niſi gemino quondam oſtio in mare hic amnis effluxit.

Trans Tyram fluuium, at cis Hypanim, fuit oppidum *Niconia*, eadem a mari diſtantia, qua Ophiuſa remota fuit, quod ex Strabone modo cognouimus. Ptolemæo eſt Νικώνιον, *Niconium*. Praue Scylacis Periplo Νεώνειον, *Neonium*: falſo iuxta oſtia Iſtri, a Stephano collocatum. Νικωνία πόλις τοῦ Πόντου πρὸς ταῖς ἐκβολαῖς τοῦ Ἴστρου. *Niconia*, inquit, *oppidum Ponti ad Iſtri oſtia.* Quod ſi etiam Τύρου pro Ἴστρου velis legere, tamen nondum conueniet lectio, quia reducta CXL ſtadiis ab oſtiis & mari fuit Niconia.

Inter

Inter Tyram & Boryſthenem Herodotus lib. IV cap. LII, & Mela lib. II cap. I habent *Hypanim*, quem amnem ille τρίτον, *tertium* ab Iſtro numerat, eique πλόον, *nauigationem* tribuit: hic, *Callipidas,* inquit, *Hypanis includit. Ex grandi palude oritur, quam Matrem eius accolæ adpellant: & diu qualis natus eſt, defluit. Tandem non longe a mari, ex paruo fonte, cui Exampeo cognomen eſt, adeo amaras aquas accipit, vt ipſe quoque iam ſui diſſimilis, & non dulcis hinc defluat.* Ex diſtantia & magnitudine cognoſcitur (nam quinque diebus nauigatur in dulci aqua, vt Herodotus obſeruauit) eſſe illud flumen, quod nunc *Bog* vocatur, maximum inter Tyram & Boryſthenem. Plinius lib. IV cap. XII eius loco refert *flumen Rhoden*, *ſinum Sagaricum,* qui nomen a *Sagari* fluuio habet, de quo Ouidius lib. IV Pont. epiſt. X verſu 47

> *Huc Lycus, huc Sagaris, Peniusque, Hypanisque Cratesque*
> *Influit.*

At *Rhode* & *Sagaris* minora flumina videntur: *Hypanim* autem navigabilem eſſe, probatum fide Herodoti fuit. Plinius quidem poſt paullo & *Hypanin* memorauit, ſed vel ipſe vel deſcribentes in nomine errarunt, quum *Hypanin* in loco *Hypacaris* poſuit, quod ex Mela manifeſtum eſt, cuius cetera verba transſcripſit, *Hypacaris* loco *Hypanin* ſubſtituit. Errauit & Ptolemæus, qui *Hypanin* vltra Boryſthenem remouit, vbi *Panticapes* fluuius eſt.

Inter Hypanin & Tyram interponit Mela flumen *Axiacen,* memoratum etiam Plinio & Ptolemæo. Sic enim Mela dicto loco: *Callipidas Hypanis includit. - - - - Axiaces proximus intra Callipidas Axiacasque deſcendit. Hos ab Iſtricis Tyras ſeparat.* Plinius ibidem: *Abeſt* [Tyra] *a Pſeudoſtomo centum triginta millibus paſſuum. Mox Axiacæ cognomines flumini; vltra quos Crobyzi: flumen Rhode, ſinus Sagaricus, portus Ordeſus.* Ptolemæus, ὁ Ἀξιάκης ποταμὸς καὶ αὐτὸς διαῤῥεῖ τὴν Σαρματιαν μικρὸν ὑπὲρ τὴν Δακίαν, *Axiaces fluvius percurrit & ipſe Sarmatiam, paullo ſupra Daciam.* Tabulæ novæ ibi habent flumen Teligol, quod huic Axiaci videtur reſpondere.

Ab Hypani proximus *Boryſthenes*, in maximis fluminibus ſeptemtrionis. Mela regrediens ab Achilleo Dromo: *Tum Boryſthenes gentem ſui nominis abluit, inter Scythiæ amnes amœniſſimus: turbidis aliis, liquidiſſimus defluit: placidior quoque quam ceteri, potarique*

tarique pulcherrimus. Alit lætissima pabula, magnosque pisces, quibus & optimus sapor, & nulla ossa sunt. Longe venit ignotisque ortus ex fontibus, quadraginta dierum iter alueo stringit, tantoque spatio nauigabilis. Ex Herodoti lib. IV cap. LIII fere expressa sunt, qui addit, ἐςι μέγιςος μετὰ Ἴςρον, *post Danubium maximus est*, puta, in septemtrione. nam Nilum etiam Istro ibidem anteponit. Hodie *Nieper* siue *Dnieper* adpellatur, quod nomen non recentissimum est, sed ex alio *Danapris*, quod medio æuo obtinuit, contractum. Anonymi Periplo Ponti Euxini: ὁ Βορυσθένης ποταμὸς ναυσίπορος ὁ νῦν Δανάπρις λεγόμενος, *Borysthenes fluuius nauigabilis, qui nunc Danapris dicitur.* Ammianus lib. XXII cap. XVIII *Borysthenes a montibus oriens Neurorum, primigenius fontibus copiosus concursuque multorum amnium adolescens, mari præruptis vndarum verticibus intimatur.* De fontibus Borysthenis Herodotus lib. IV cap. LIII ait, Μούνου τούτου τοῦ ποταμοῦ καὶ Νείλου οὐκ ἔχω φράσαι τὰς πηγάς, *Huius solius fluminis & Nili non possum fontes dicere.* Mela lib. II cap. I de Borysthene: *Longe venit, ignotisque ortus e fontibus, quadraginta dierum iter alueo stringit.* Ptolemæus tamen duos fontes longissime distantes indicat, septemtrionalem in monte Budino: & australem, quo forsan fluuius alius, ab occasu ad Borysthenem adlabens, funditur.

Qui accolebant Borysthenem, propinquum Ponto, *Borysthenidæ* adpellati sunt. Plinius eodem loco: *flumen Borysthenes, lacusque, & gens eodem nomine.* Et Propertius lib. II eleg. VII

Gloria ad hibernos lata Borysthenidas.

Oppida in iis duo memorantur, *Olbia*, vt Strabo & Ptolemæus, & Arrianus Periplo dixerunt; siue *Olbiopolis* & *Miletopolis*, vt Plinius: nam κτίσμα Μιλησίων, *opus Milesiorum* fuit, quod Strabo addidit, a quibus alterum nomen est, quod auctore Plinio iam edebamus, *Miletopolis*. Eadem vrbs a fluuio, cui imposita erat, Βορυσθένης, *Borysthenis* frequenter nominata fuit. Strabo dicit ὁμώνυμον τῷ ποταμῷ πόλιν, *cognominem flumini* [Borystheni] *vrbem*. Plinius *Olbiopolin* & *Miletopolim* adpellari dixit *antiquis nominibus*; quo non obscure fatetur, aliud nomen postea fuisse adiectum, quod *Borysthenidis* est. Periplo anonymi, πρότερον μὲν Ὀλβία Σαυία καλουμένη, μετὰ δὲ ταῦτα ὑφ᾽ Ἑλλήνων πάλιν Βορυσθένης (lege Βορυσθενὶς) κληθεῖσα. *Prius Olbia Sauia dicta: post rursus a Græcis Bory-*

Borysthenis. Et Stephanus Byzantinus chorographus: πόλις ἑλληνὶς, Μιλησίων ἀποικία, ἣν οἱ μὲν ἄλλοι Βορυσθένην, αὐτοὶ δὲ Ὀλβίαν, *Græca vrbs, Milesiorum colonia, quam alii Borysthenem, ipsi* [incolæ] *Olbiam* vocant. Fefellit Melam multitudo nominum, vt diuersa oppida censeret. *Borysthenes*, inquit, *tanto spatio nauigabilis, secundum Borysthenida & Olbiam, Græca oppida, egreditur.* Pomponium sequutus est Iornandes de Reb. Get. cap. v. *Scythia*, inquit, *in eo loci latere, quo Ponticum litus attingit, oppidis haud obscuris inuoluitur, Borysthenide, Olbia, Callipode, Chersone, Theodosia.* Sed eamdem vrbem esse Olbiam & Borysthenidem, superiorum testimonia satis adprobauerunt. De vero situ etiam deliberari potest. Mela dixit vbi *egreditur* in mare amnis Borysthenes, fuisse positam. Anonymi Periplo, ἐπὶ ταῖς καθ' Ὕπάνην καὶ Βορυσθένην συμβολαῖς ἐστὶν κτισθεῖσα πόλις Ὀλβία (cetera supra recitata sunt) id est, *vbi Hypanis & Borysthenes coniunguntur, condita est Olbia* siue Borysthenis. Quæ etiam Stephani fuit opinio in Βορυσθένης, vti ex verbis eius, quamquam male sanis, adparet. Iam vero si Hypanis nunc Bogus est, sicuti videtur esse, vtique ante ostium coniungitur cum Borysthene, & illo confluente locus vrbis denotatur. Verum non Bogum confluentem, qui mari proximus est, anonymus intellexit, sed qui διακοσίων καὶ τεσσαράκοντα σταδίων τὸν ἀνάπλουν ἀπὸ τῆς θαλάσσης ἔχει, *ducentis & quadraginta stadiis a mari abest.* Strabo in distantia prope conuenit, σταδίους διακοσίους, *ducenta stadia* retro emetiens a mari ad Olbiam in Borysthene. Plinius praue, vt puto, XV *millia passuum* habet pro XXV M. P. qui numerus reducendus est, vt cum Strabone consentiat. Neuter Hypanis in eo loco confluentis mentionem fecit. Tanto ergo spatio reducenda a mari est Olbia, in ripam superiorem Borysthenis, quod etiam Arrianus censuit, κατὰ τὸν Βορυσθένην ἄνω πλέοντι πόλις ἑλληνὶς, ὄνομα Ὀλβία, πεπόλισται, *aduerso amne in superiora Borysthenis nauiganti occurrit vrbs Olbia, a Græcis condita.* Strabo addit, fuisse μέγα ἐμπορεῖον, *magnum emporium.*

Alterum oppidum, fama nobilitatum, circa Borysthenem est *Ordesus* siue *Ordessus*, quod Ptolemæus male super Axiacem collocavit; ὑπὲρ τὸν Ἀξιάκην ποταμὸν Ὀρδησὸς (Palat. Ὀρδησσός) *super Axiacem*, inquit, *fluuium est Ordesus*, siue, vt in Palatino codice scriptum est, *Ordessus.* At Plinius, *portus Ordesus* dixit, Arrianus Ponti periplo,

ἐν Ὀδησσῷ ὅρμος ναυσὶν, in Odeſſo (quod idem ac Ordeſſo) *portus pro nauibus.* At portus ad mare eſt, non ad flumen : multo minus ad Axiacen, flumen non maximum. *Odeſſus* autem in vtroque Periplo ſcribitur, credo, corrupte, quia *Odeſſus* Mœſiæ Inferioris eſt, etiam ad Pontum : *Ordeſſus*, vt Plinius & Ptolemæus ſcribunt, in tractu Boryſthenio.

Inſulam ſub oſtio Boryſthenis ait Melaſitam eſſe, quam alii citeriorem ponunt, & Tyram ac Iſtrum verſus reducunt; quæ *Leuce* adpelletur, & Achilli ſacra ſit, eiusque tumulum ac templum contineat. Mela lib. II cap. VII *Leuce Boryſthenis oſtio obiecta, parua admodum, & quia ibi Achilles ſitus eſt, Achillea cognomine.* Et Plinius lib. IV cap. XII *Inſula Achillis, tumulo eius viri clara.* De ſitu nihil addit, niſi quod inter Boryſthenis deſcriptionem, & peninſulæ, Dromi Achilleos, interiiciat, haud dubie Pomponium Melam, vt alibi ſæpe, in poſitione inſulæ ſequutus. Strabo citeriorem facit hanc inſulam, mediam fere inter Boryſthenem & Tyram, ab illo IↃC, ab hoc IↃ ſtadiis remotam. Lib. VII pag. 211 ait, *διέχει τοῦ στόματος ἡ νῆσος ἡ Λευκὴ διάρμα πεντακοσίων σταδίων, ἱερὰ τοῦ Ἀχιλλέως, πελαγία· εἶτα Βορυσθένης ποταμὸς πλωτὸς ἐφ' ἑξακοσίοις σταδίοις. Abeſt ab oſtio* [Tyræ] *inſula Leuce traiectu* IↃ *ſtadiorum, Achilli ſacra, in alto ſita : inde Boryſthenes, nauigabilis fluuius,* IↃC *ſtadiis eſt remotus.* Ptolemæi lib. III cap. X extremo duæ diuerſæ inſulæ ſunt, *Βορυσθένις, Boryſthenis, καὶ ἡ Ἀχιλλέως ἡ Λευκὴ νῆσος, & Leuce, Achillis inſula.* Et licet ipſe citeriorem ponat Boryſthenidem; conuenientius tamen, vt nomen fert, ſub cognomine illam fluuio eſſe; Achilleam autem, quod Strabo tradit, citeriorem. De templo in ea Achillis, & ſimulacro Arrianus Periplo Ponti prodidit.

Poſt Achillis inſulam eſt peninſula, *Dromos Achilleos* nominata, Græce Δρόμος Ἀχίλλειος. Plinius dicto loco : *Ab ea* [inſula] CXXV *millibus paſſuum peninſula, ad formam gladii in transuerſum porrecta, exercitatione eiusdem* [Achillis] *cognominata Dromos Achilleos, cuius longitudinem octoginta millium paſſuum tradit Agrippa.* Et Pomponius Mela lib. II cap. I *Achilles infeſta claſſe mare Ponticum ingreſſus, ibi ludicro certamine celebraſſe victoriam, & quum ab armis quies erat, ſe ac ſuos curſu exercitaſſe memoratur. Ideo dicta eſt* Δρόμος Ἀχίλλειος. De figura gladii idem : *Terra tum longe diſtenta ex-*

ta excedens, tenui radice litori adnectitur. Post spatiosa modice, paulatim se ipsa fastigat, & quasi in mucronem longa colligens latera, facie positi ensis adlecta est. Quam ergo Mela peninsulam, & ex illo Plinius, comparauerunt formæ gladii iacentis, Strabo pag. 213 cum ταινία *fascia* conferendam duxit: & similitudinis rationem dat, quia longitudo sit circiter CIↃ stadiorum; latitudo maxima, duorum stadiorum; minima τέσσαρα πλέθρων, *quatuor iugerum.* Ptolemæus lib. III cap. V peninsulæ huius in transuersum oblongæ singulatim ἰσθμὸν, *isthmum;* & promontoria laterum sive extremitatum enarrat, occidentale, ἱερὸν ἄκρον, *sacrum promontorium;* & orientale, Μυσαρὶν ἄκρον *Mysarin promontorium.* Arrianus insulam Achillis Leucam cum hoc Dromo siue Cursu eiusdem confundit, quasi eadem fuerit insula & Dromos: quæ vero ab aliis diligenter, vt insula & peninsula, distinguuntur.

Hæc in peninsula: extra quam ex septemtrione decurrit fluvius *Panticapes*, de quo ita Plinius dicto cap. XII, *Vltra Panticapes amnis, qui Nomadas & Georgos disterminat: mox Acesinus.* Hausit ex Mela, verbis vso eisdem. Hic vero ab Herodoto habet, lib. IV cap. LIV dicentis, ποταμὸς ἄλλος, τῷ ὄνομα Παντικάπης. ῥέει ἀπὸ βορέω τε καὶ ἐκ λίμνης, καὶ τὸ μεταξὺ τούτου τε καὶ Βορυσθένεος νέμονται οἱ γεωργοὶ Σκύθαι, *Alius fluuius, cuius nomen est Panticapes. Fluit ex a septemtrione & ex lacu, & in hunc & Borysthenem habitant Scythæ agricolatores.* Addit idem, τῷ Βορυσθένεϊ συμμίσγεται, *Borysthene miscetur:* quod refutat Plinius eodem loco. *Quidam*, inquit, *Panticapen confluere infra Olbiam cum Borysthene tradunt: diligentiores Hypanin.* Quem vero *Acesinum* idem Plinius vocat, ceteris fere ignotus est, nisi huc referamus Valerii Flacci verba lib. VI vers. 69

> *Acesinaque læuo*
> *Omine fatidicæ Phrixus mouet agmina ceruæ.*

Præcessit enim superiore versu

> *Quique lacum cinxere Bicen.*

Bice autem, siue *Byce*, lacus est in Chersoneso Taurica prope isthmum, vt breui post videbimus. Post Panticapen flumen, ad sinum Carciniten, fuit oppidum *Tamyraca*, Arriano, Ptolemæo & Stephano memoratum.

Tandem eſt fluuius *Hypacaris*, in quem *Gerrhus* alius fluvius a loco, vnde deuehitur, dictus, infertur: ipſe autem ſic auctus in ſinum Carcinitem. Pomponius Mela lib. II cap. I *Sinus Carcinites: in eo vrbs eſt Carcine: quam duo flumina, Gerros & Hypacaris, vno oſtio effluentia attingunt; verum diuerſis fontibus, & aliunde delapſi.* Ab Herodoto Mela accepit, qui etiam Υπάκαρις vocat flumen, quod *ἐκδιδοῖ κατὰ Καρκινῖτιν πόλιν, iuxta oppidum Carcinitin in mare exit.* Etiam illud addit, quod Γέῤῥος ποταμὸς ἐκδιδοῖ ἐς τὸν Υπάκαριν, *Gerrus fluuius in Hypacarin effundatur.* A Ptolemæo Hypacaris ab oppido, quod præterfluit, *Carcinites* adpellatur, & *Gerrus* vltra iſthmum in Mæotin paludem effunditur, quod falſum eſt, vti ex Herodoto & Mela cognouimus. Plinius Hypacarin, demto capite vocat *Pacyrin*, ſi ſana eſt lectio. Supra oſtium poſita vrbs *Carcine*, vt Mela vocat; Κάρκινα, vt Ptolemæus, Καρκινῖτις, *Carcinitis*, vt Herodotus: a qua ſinus, in quem exit Hypacaris, *Carcinites* a Mela & Plinio vocatur.

Hæc in ora vſque ad iſthmum Tauricum: vltra quem *Mæotis* incipit, ſiue *palus* dicta, ſiue *lacus:* ſed *lacus* verior quam *palus.* Vtroque modo tamen adpellatur. Pomponius Mela lib. I cap. I de mari interno: *Qua paludi committitur, Cimmerius Bosporus. Palus ipſa, Mæotis.* Idem mox cap. II extremo: *Ad lacum, Mæotici: ad Tanaim, Sauromatæ.* Plinius etiam vtroque modo. *Mæotica palus,* lib. II cap. LXVII: & *Mæoticus lacus,* lib. V cap. XXVII; ac *Mæotius lacus,* lib. VI cap. I. Et Lucanus lib. II verſ. 641

Pigra palus Scythici patiens Mæotica plauſtri.

Græcis, Straboni, Scylaci, Ptolemæo eſt ἡ Μαιῶτις λίμνη, quod etiam *lacum* ſignificat. Ab iſthmo ad Tanaim vſque fluuium, quem recipit, hic lacus in ortum æſtiuum eſt extenſus, cuius ambitum Strabo lib. II & VII ἐννακισχιλίων ςαδίων, *nouies mille ſtadiorum* facit, & ἥμισυ τῦ Πόντυ, *dimidiam Ponti Euxini partem* explere Scylax exiſtimat; ſed neuter iudicauit quod res eſt, nec potuit etiam in diſtantia tanta, & in tam barbaris ac inacceſſis oris, quum ne hodie quidem omnes eodem modo figuram ac amplitudinem Mæotidis adumbrent. Qui accolunt lacum, *Mæotæ, Mæotici,* & *Mæotidæ* dicuntur. Plinius lib. IV cap. XII. *Per oram, Tanaim vſque, Mæotæ, a quibus lacus nomen accepit.* Mela lib. I cap. II extr. *Ad lacum,*

lacum, Mæotici. Vopiscus Tacito cap. XIII *Quoniam a Mæotide multi barbari eruperant, hos eosdem consilio atque viribus, vt eo redirent compulit. Ipsi autem Mæotidæ ita congregabantur, quasi accitu Aureliani ad bellum Persicum conuenissent.*

Interiora Sarmatiæ, quæ longe a maris ora in extremum septemtrionem excurrunt, sunt variis distincta gentibus, sed quarum sola nomina possumus certa dare, sedes cuique suas, ob dissensum de iis scribentium, adsignare non possumus. Sunt communia quidem vocabula *Scytharum* & *Sarmatarum*, sed sæpe etiam ad partes restringuntur, & mutuo a partibus aliis distinguuntur. Herodotus lib. IV cap. XCIX ab Istro ad vrbem Carcinitidem ἀρχαίην Σκυθίην, *veterem Scythiam* appellat, πρὸς μεσαμβρίην τε καὶ νότον ἄνεμον κειμένην, *meridiem versus & in austrum sitam.* Contraxit in arctius fines Strabo lib. VII pag. 215 ἐκαλεῖτο ἡ χώρα αὕτη πᾶσα, σχεδὸν δέ τι καὶ ἡ ἔξω τῦ ἰσθμῦ μέχρι Βορυσθένυς, μικρὰ Σκυθία, *Tota illa regio, & fere quidquid extra isthmum ad Borysthenem vsque est, nuncupabatur Parua Scythia.* Plinius autem Scytharum nomen videtur latius extendere, quum lib. IV cap. XII ait, *Ab eo,* [Istro, seu ostiis Istri] *in plenum quidem omnes Scytharum sunt gentes: variæ tamen litori adposita tenuere: alias Getæ, Daci Romanis dicti: alias Sarmatæ, Græcis Sauromatæ, eorumque Hamaxobii aut Aorsi: alias Scythæ degeneres & a seruis orti, aut Troglodytæ: mox Alani & Rhoxalani.*

Difficile est, vt dixi, sedes singulis tribuere: per flumina non nulli discerni ab aliis, auctore Mela, possunt, quibus pauci interiores a Plinio adduntur. Pomponius Mela lib. II cap. I *Gerros inter Basilidas & Nomadas, Hypacaris per Nomadas euoluitur. Siluæ deinde, quas maximas hæ terræ ferunt, & Panticapes, Nomadas Georgosque disterminans. - - - - Tum Borysthenes gentem sui nominis abluit, - - - - Callipidas Hypanis includit: - - - Axiaces proximus inter Callipidas Axiacasque descendit.. Hos ab Istricis Tyras separat: surgit in Neuris.*

Ex quibus hic ordo gentium inter Istrum siue eius ostia, & isthmum Tauricum conficitur: Ab Istro ad Tyram *Istrici*, haud dubie aliis etiam nominibus distincti: post Tyram *Axiacæ* ad fluvium cognominem; vltra quem *Callipidæ* vsque ad Hypanim, qui Bogus est. Ab eo ad Borysthenem, *Borysthenitæ*, quos flumen suum

ſuum abluit, vt Mela ait; poſiti ἐπὶ τῷ Ὑπάνι, vt Herodotus dicit, id eſt, inter Hypanim & Boryſthenem. A Boryſthene ad Panticapen *Georgi*, οἱ γεωργοὶ Σκύθαι, *agrum exercentes Scythæ*: a Panticape ad Gerrum *Nomades Scythæ*, Νομάδες Σκύθαι, Herodoto lib. IV cap. XIX, ὄυτε σπείροντες ὀυδὲν, ὄυτε ἀροῦντες, *qui nec ſerunt, neque arant*: in quo a Georgis diſtinguuntur. Mela lib. II cap. I *Vagi Nomades pecorum pabula ſequuntur, atque vt illa durant, ita diu ſtatam ſedem agunt. Colunt Georgi exercentque agros.* Trans Gerrum, & ſupra iſthmum Tauricæ Cherſoneſi, erant Scythæ *Baſilidæ*, a Pomponio memorati. Herodotus cap. XX πέρην τοῦ Γέῤῥου ταῦτα, δὴ τὰ καλεύμενα βασιλήϊά ἐστι, καὶ Σκύθαι οἱ ἄριστοι τε καὶ πλεῖστοι, *Trans Gerrum ſunt ea, quæ vocantur Regia, & Scythæ optimi & plurimi.* Ad latus Mæotidis *Iazyges*. Ptolemæus, παρ᾽ ὅλην τὴν πλευρὰν τῆς Μαιώτιδος Ἰάζυγες, *per totum latus Mæotidis Iazyges.* A poſitione nec Ouidius abludit ex Ponto lib. I epiſt. II verſ. 79

Aut quid Sauromatæ faciant, quid Iazyges acres,
Cultaque Oreſteæ Taurica terra Deæ.

Intus ſunt remotiſſimi in occaſum *Neuri*, apud quos Tyras ſiue Nieſter ſurgit, quod Mela dixit; non Boryſthenes, quod Plinius ſcripſit, cuius fontes abhinc longe in ſeptemtrione, inclinantes in ortum, inueſtigandi ſunt: niſi Plinius fluuium forte occidentalem, qui ad Czernobel Boryſtheni adfunditur, pro ipſo Boryſthene habuit. *Auchetas* autem Melæ, ita Plinius locauit, vt apud eos Hypanis oriatur. *Alani*, Europæi quidem, vt Ammianus lib. XXII cap. XIX diſtinguit, ſupra Mæotin, iuxta Tanaim fuerunt, a quibus in occaſum *Rhoxalani* recedebant, in veteri inſcriptione apud Gruterum pag. 453 cum Baſtarnis & Dacis coniuncti. Poſſis exiſtimare ab Alanis eſſe ortos, & ab illorum gente diſtinctos prima ſyllaba: quemadmodum etiam *Rhoxalanos* Harduinus ex Plinii membranis ſcripſit: at dicta inſcriptione RHOXOLANI; & Straboni Ῥωξολανοὶ dicuntur; & Spartianus Hadriano cap. VI *Cum rege Roxolanorum, qui de imminutis ſtipendiis querebatur, cognito negotio, pacem compoſuit.* Plinius coniunxit cum *Alanis*, tamen vt gentem ſeparatam, cuius verba ſupra expoſuimus. *Alani* autem (qui Ptolemæi *Alauni* videntur eſſe) etiam a Suetonio memorantur Veſpaſ. cap. II. *Quum Vologeſus*, inquit, *Parthorum rex, auxilia aduerſus Alanos depopoſciſſet.* Sed hi fortaſſis Aſiatici

erant,

erant, Tanai a nostris separati. Martialis lib. VII epigram. XXIX

Nec te Sarmatico transit Alanus equo.

Iosepho lib. VII de Bell. Iud. cap. XXIX τὸ τῶν Αλανῶν ἔθνος εἰσὶ Σκύθαι περὶ τὸν Τάναϊν καὶ τὴν Μαιῶτιν λίμνην κατοικοῦντες, *Alanorum natio Scythæ sunt, iuxta flumen Tanain & Mæotin lacum habitantes.* Quod Claudianus confirmat lib. I in Rufinum verſ. 314

cæſamque bibens Mæotida Alanus,

cæſam, id eſt, glacie dolabris fracta aquam eliciens ad bibendum. Crebra huius gentis apud Claudianum mentio, quia illis temporibus, relicto Tanai, ad Danubium conſederat, primum militans Romanis & ſtipendia merens, quod idem de Bello Getico verſ. 581 dixit,

Ibat patiens ditionis Alanus
Qua nostræ iuſſere tubæ:

& IV Conſulat. Honorii verſ. 487

in Latios ritus tranſiſtis Alani.

poſtea cum Vandalis & Sueuis Galliam Hiſpaniamque vaſtauerunt. Marius Victor ad Salmonem de peruerſis moribus ſæculi:

ſi quid vaſtauit Sarmata, ſi quid
Vandalus incendit, veloxque abduxit Alanus.

Regio quam incolebant olim Alani, *Alania* dicta eſt ab Oroſio lib. I cap. II. *Ab oriente*, inquit, *Alania eſt: in medio Dacia, vbi & Gothia: deinde Germania eſt.*

Antiqua etiam, nec minus famoſa *Gelonorum* natio, in Sarmatia iuxta Budinos & Agathyrſos ſedem habuit, origine Græca. Herodotus lib. IV cap. CVIII εἰσὶ οἱ Γελωνοὶ τοἀρχαῖον Ἕλληνες, *Geloni origine Græci ſunt.* In Sarmatiam profecti, cum *Budinis*, indigenis Sarmatiæ, commixti ita ſunt, vt Budinorum vrbs lignea, πόλις ξυλίνη, *Gelonus* adpellaretur: Gelonis tamen lingua & moribus a Budinorum gente quodammodo diuerſis, quod idem Herodotus adnotauit dicto loco. Multum autem ex barbarie, vt fieri ſolet, adſumſerunt, in quibus & pictura fuit corporum. Virgilius Georg. II verſ. 115

Eoasque domos Arabum, pictosque Gelonos.

Pictos, Seruius interpretatur *stigmata habentes*, quod Claudianus lib. I in Rufin. vers. 315 ita luculentius exponit:

Membraque qui ferro gaudet pinxisse Gelonus.

Dura interpretatio, nec *pingendi* verbo facile respondet. Credibilius, quod Salmasius in Solini cap. XV censet, colore faciem, aut omne corpus, pinxisse, quod & aliis barbarorum sub illo cælo solemne fuit. Virgilius Aeneid. IV vers. 146

Cretesque Dryopesque fremunt, pictique Agathyrsi.

Agathyrsi autem finitimi Gelonorum erant, ideoque communi ritu pingendi se, vtebantur. Ammianus lib. XXXI cap. V [Vales. cap. II] *Gelonis Agathyrsi collimitant.* Confines ergo populi fuerunt *Geloni, Agathyrsi, Budini*, quorum nomen nos ad *Budinum* montem ducit, ex quo Ptolemæus Borysthenem deriuat, aut partem eius septemtrionalem. Sed credo citeriores Gelonos fuisse, quia & Græcis & Romanis notiores, quam aliæ Sarmatarum gentes fuerunt.

Agathyrsi secundum Melam lib. II cap. I sunt ipsi *Hamaxobii.* Mela lib. II post initium: *Mæotidis flexum Bucces amnis secat, Agathyrsi & Sauromatæ ambiunt: quia pro sedibus plaustra habent, dicti Hamaxobii:* id quod non tam gentis nomen, quam morum & vitæ, multis Sarmatarum commune fuit. Vlteriores *Anthropophagi*, vt Mela & Plinius adpellant; siue Ἀνδροφάγοι, *Androphagi*, vt Herodotus lib. IV cap. CII & CVI: quod nomen a morum feritate est. Cum his *Melanchlænas* Ammianus coniungit dicto loco. *Melanchlænas*, inquit, *& Anthropophagos palari accepimus per diuersa, humanis corporibus victitantes.* Μελάγχλαινοι Herodoto cap. CVII, qui, & Mela, nomen ab atris vestibus ducunt. Et hi quoque ἀνδροφαγέουσι, *carne humana vescuntur*: aut sunt ipsi *Anthropophagi*, quia Herodotus addit, quod μοῦνοι, *soli* Sarmatarum nefandis his cibis vtantur.

Vltimi in orientem inter flexus Tanais fluuii recedentes sunt *Tanaitæ*, a Ptolemæo nominati, id est Tanais extremi accolæ, sicvt qui ad Borysthenem sedes habuere, *Borysthenitas* vocari supra memorauimus. Extremi autem in septemtrionem *Hyperborei*, in limite Asiæ, & a Mela tam lib. I cap. II, quam lib. III cap. V adscripti Asiæ, & ratione nominis explicati, qui *super Aquilonem Rhipæosque montes sub ipso siderum cardine iacent.* Ptolemæus etiam

lib. V

lib. v cap. IX in Asia *Hyperboreos* ponit ἐν τοῖς πρὸς τῇ ἀγνώςῳ γῇ κλίμασιν, *in climate iuxta terram incognitam*. Plinius autem in Europa illos recenset lib. IV cap. XII, non ignorans, quod *quidam eos in prima parte Asiæ litorum posuere, non in Europa*: additque fabulam, ab aliis acceptam, de felicitate Hyperboreorum.* *Pone eos montes*, inquit, [Riphæos puta] *vltraque Aquilonem gens felix, si credimus, quos Hyperboreos adpellauere, annoso degit æuo, fabulosis celebrata miraculis.* Nomen, extremi septemtrionis populos significat, quales æque in Europa sunt & in Asia, vt recte Plinius iudicauit. Et alia huius tractus in fabulis latent. *Arimaspos*, quos *vltimos a tergo Mæotarum* Plinius ponit, & *mox Riphæos montes*; hos, inquam, Arimaspos Mela lib. II ineunte, tamquam vnoculos describit. *Scytharum*, inquit, *Arimaspi, queis singuli oculi esse dicuntur.* Fabula ab Aristea Proconnesio est, vt Herodotus lib. IV cap. XIII refert. *Ab eis* [Arimaspis] *Essedones* Mela *vsque ad Mæotida* ducit. Ἰσσηδόνας dixit Herodotus, qui pellerentur ab Arimaspis.

Sauromatæ Græco ore sunt ipsi Latinorum *Sarmatæ*, quod commune nomen est totius tractus illius Scythici: speciatim autem de parte circa Tanaim quæ est, aut circa Mæotida, intelligitur. Mela lib. I extremo: *Ripas eius* [Tanais] *Sauromatæ, & ripis hærentia possident.* Et lib. II post initium: *Mæotida Agathyrsi & Sauromatæ ambiunt.* Regis Sauromatæ mentionem facit Plinius lib. X epist. XIV, & nummus ab illustri viro Ezech. Spanhemio describitur ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΑΥΡΟΜΑΤΟΥ, percussus temporibus Seueri. Alias gentes a Ptolemæo nominatas, *Boruscos*, *Nascos*, iuxta Riphæos montes: *Tranomontanos*, ad dextram ripam Borysthenis, & his proximos Βουργίωνες, *Burgiones*; a sinistra ripa autem Καρύονες, *Caryones*, & hinc in austrum deductos *Chunos, Amadocos, Nauaros*, aliosque, vt obscuriores, omnes prætermittimus. Occasum versus *Grutungi* erant, *bellicosa gens*, vt Ammianus dicit lib. XXVII cap. XI; & lib. XXXI cap. VIII de iisdem: *Hunni peruasis Alanorum regionibus, quos Grutingis confines Tanaitas consuetudo nominauit.* An autem *Hunni*, posteriori historia notiores, a *Chunis* Ptolemæi sint, non habeo quod pro certo adseuerem. Ptolemæus in Sarmatia Europæa: Μεταξὺ Βαστέρνων καὶ Ῥωξολάνων Χοῦνοι, *inter Basternas & Roxolanos Chuni*. Ammianus autem lib. XXXI cap. II *Hunnorum gens monimentis veteribus leuiter nota, vltra paludes Mæo-*

ticas glacialem Oceanum accolens, omnem modum feritatis excedit. Neque Ptolemæi fides ſemper tuta; neque in rebus geographicis, Ammiani: etiam ipſæ gentes ita vagæ, vt ſæpe ſedes permutaverint.

A populis ad montes & oppida, quæ extra iſthmum, & in partibus interioris Sarmatiæ a Ptolemæo ponuntur, accedendum eſt. Montes idem Ptolemæus habet *Peucen* ab occaſu, ſupra Dacos, aduerſus Baſternas, longo iugo procurrentem: *Amadocos montes* ſupra iſthmum, iuxta gentem cognominem: *Alaunos* ſupra Mæotidem lacum, iuxta Alanos populos: *Riphæos* ſiue *Rhipæos*, (nam τὰ Ῥίπαια ὄρη Græce ſunt; Straboni Ῥιπαῖα: Melæ libris etiam *Rhipæi)* fundentes Tanaim: & *Budinum* Boryſthenis fonte ſeptemtrionali notabilem: & tandem *Hyperboreos*, maxime ſeptemtrionales, prope quos cardo mundi ſit. Sunt qui coniungunt Riphæos & Hyperboreos. Bizantius Stephanus: Ῥιπαία, ὄρος Ὑπερβορέων, *Ripæa mons Hyperbereorum.* Plinius dicto cap. XII *Mox Riphæi montes, & aſſiduo niuis caſu pinnarum ſimilitudine, Pterophoros adpellata regio: pars mundi damnata a rerum natura, & denſa merſa caligine: neque in alio, quam rigoris opere, gelidisque Aquilonis conceptaculis. Pone eos montes, vltraque Aquilonem, gens felix, ſi credimus, quos Hyperboreos adpellauere, annoſo degit æuo.* Si pone montes Riphæos, & quod præceſſit, inter Riphæos & Mæotas ſoli Arimaſpi colunt; nimis propinqui Hyperborei ſunt Mæotidi paludi. At damnata pars mundi & denſis immerſa tenebris zonam frigidam arguit, quod clarius exponit Mela lib. III cap. V. *Hyperborei ſuper Aquilonem Rhipæosque montes ſub ipſo ſiderum cardine iacent, vbi ſol non quotidie vt nobis, ſed primum verno æquinoctio exortus, autumnali demum occidit: & ideo ſex menſibus dies, & totidem aliis nox uſque continua eſt.* Hi ergo ſunt ſuper Rhipæos montes, & quidem poſt ingens interuallum, quod cum Ptolemæi poſitione conuenit. Virgilius quoque diſcernit, & quidem tanto ſpatio, quantum ventus ab vna parte ad alteram impugnandam perferendus requirit, Georg. III verſ. 381

Talis Hyperboreo ſeptem ſubiecta trioni
Gens effrena virum Riphæo tunditur Euro.

Præſtat ergo diſtinguere hos montes & Riphæis, vt Latini fere ſcribunt; ſeu Rhipæis, vt Græci, in medio locatis, forte in Moſco-

via; Hyperboreos vltra arcticum circulum remouere: Poetis quidem miscere licet, & quosuis septemtrionales montes *Riphaeos* & *Hyperboreos* adpellare: alia vero ratio sit geographorum. Proprie Papinius Theb. I vers. 692

sed iam temone supino
Languet Hyperboreae glacialis portitor Vrsae.

Et Claudianus lib. II in Rufin. vers. 240 dixit

Hyperboreo damnatam sidere Thulen.

At idem in Consul. III Honor. vers. 56 de Theodosio, magni patre,

Fregit Hyperboreas remis audacibus vndas,

quum Pictos Scotosque repulisset. Idem in Consul. VI Honor. vers. 31 *Riphaeo ab axe*, id est a cardine, tamquam vltimi omnium essent, & sub vertice siti montes Riphaei.

Haec de montibus. Oppida interiora (nam maritima supra exposuimus) Ptolemaeus etiam per flumina distribuit. Iuxta Carciniten fluuium, qui Hypacaris est, ponit *Toroccam, Pasiridem, Ercabum, Tracanam, Naubarum*, obscura nomina, praeter *Naubarum* quod Plinius etiam memorauit, coniunctum cum *Carcine*. Ex quo coniicitur haud longe a mari abfuisse. Circa Borysthenem locauit *Azagarium, Amadocam, Sarum, Serimum, Metropolim*, post quae ad *Olbiam* venit, quam supra exposuimus. nam a septemtrione descendit in austrum. Ad flexum Borysthenis *Leinum, Sarbacum, Niossum*. Supra Tyram *Carrodunum, Clepidauam*, quae in Germania transuistulana recensuimus. Insulam Tanais ostio adiacere dicit, nomine *Alopeciam*, quae & *Tanais insula nominetur*. Plinius post oppida Hermisium & Myrmecium relata, addit: *intus insulam Alopecen.*

CHERSONESVS TAVRICA.

Taurica Chersonesus a *Tauris* incolis nomen habet, qui in varios populos rursus fuerunt diuisi. Etiam extra isthmum, prope eumdem tamen, *Tauri erant*. Iidem & *Taurici* dicti. Mela lib. II cap. I *Subit ripam mare, &, donec quinque millia passuum absit a Maeotide, refugientia vsque subsequens litora, quoad Satarchae & Taurici.* Ouidius Pont. lib. III epist. II vers. 45

Est locus in Scythia (Tauros dixere priores)
Qui Getica longe non ita distat humo.

Hi Plinio & Ptolemæo vocantur *Tauroscythæ.* Procopius tamen lib. III de Aedificiis cap. vlt. videtur distinguere. Ait, *μετὰ λίμνην τὴν Μαιῶτιδα, καὶ τὰς Ταύρους καὶ Ταυροσκύθας, trans paludem Maotidem, vltraque Tauros & Tauroscythas.* Potest vero *καὶ* etiam *siue* explicari. Regio dicitur *Taurica terra.* Ouidius Pont. lib. I epist. II vers. 80

Cultaque Orestea Taurica terra Dea:

& simpliciter *Taurica.* Plinius sæpe dicto loco: *A Carcinite Taurica incipit:* vbi *terra* vel *chersonesus* subaudias. Vocatur etiam Chersonesus *Scythica.* Strabo lib. VII pag. 213 Ἐνταῦθά ἐστιν ὁ ἰσθμος, ὁ ποιῶν τὴν Ταυρικὴν καὶ Σκυθικὴν λεγομένην χεῤῥόνησον, *Ibi est isthmus, efficiens Tauricam & Scythicam ita dictam Chersonesum,* quæ etiam μεγάλη χεῤῥόνησος pag. 215 vocatur, id est *magna Chersonesus*, ad discrimen paruarum, quæ in ipsa sunt, a Zenone & Heracleotis ædificatæ. Ibidem Strabo: Πελοποννήσῳ προσέοικε, καὶ τὸ σχῆμα, καὶ τὸ μέγεθος, *Peloponneso & forma & magnitudine similis est.*

Isthmus *Taphræ* dictus fuit. Mela lib. II cap. I *Quod inter paludem & sinum est, Taphræ nominatur.* Oppidum in isthmo eiusdem nominis. Plinius ibidem: *In ora a Carcinite oppida: Taphræ in ipsis angustiis peninsulæ.* Ptolemæo est Τάφρος, *Taphrus.* Inde Plinius: mox *Heraclea Cherronesus*, quæ nomina coniunctim legenda. Prius nomen a conditoribus est; alterum a situ peninsulæ paruæ. Idem enim paullo ante dixerat *Cherronesum Heracleotarum oppidum.* Ptolemæo est Χερσόνησος, *Chersonesus:* Scylaci Caryandensi Χεῤῥόνησος ἐμπόριον, *Cherronesus emporium*, isque in Græcis peninsulæ ciuitatibus numerat. nam ἐν τῇ Ταυρικῇ οἰκοῦσιν Ἕλληνες, *in Taurica*, inquit, *habitant Græci*, Scythis permixti. Heraclea autem Pontica, mater Tauricæ secundum Strabonem, etiam fuit Græcanica ciuitas. Hanc vrbem posteriores Græci *Chersonem*, Χερσῶνα, vocant, Zonaras in Rhinotmeto, Eustathius in Periegesin Dionysii vers. 140, & Procopius IV Goth. cap. V & lib. I Pers. cap. XII. Hanc vrbem Plinius ait, *mox* sequi post *Taphras:* at latus peninsulæ occidentale interiacet, in quo Ptolemæus recenset *Eupatorium*, & *Dandacam* oppida, antequam ad *Chersonesum* vrbem perueniat. Etiam promontorium *Parthenium* antecedit, cui *oppidum adiacet Cherronesus*, secundum Melam lib. II cap. I; seu πρὸ τῆς πόλεώς ἐστιν ἐν σταδίοις ἑκατὸν, *ante vrbem est ad centum stadia*,

secundum

ſecundum Strabonem lib. VII pag. 213. Ptolemæus quoque illud promontorium inter Dandacam & Cherſoneſum oppidum enarrauit.

Auſtrale latus peninſulæ poſt oppidum Cherſoneſum inſignes aliquot portus habet, *Ctenuntem* (Κτενȣ̃ς, *Ctenûs* in recto) a Strabone & Ptolemæo memoratum: & *Portum Symbolorum*, Συμβόλων λιμένα, Plinii & Strabonis. Totus enim iſte ſinus portuoſus eſt a Parthenio promontorio vſque ad alterum quod Κριȣ̃ μέτωπον, quaſi *Frons Arietis* adpellatur. Pomponius Mela clare. *Sinus portuoſus, & ideo* Καλὸς λιμὴν *adpellatus, promontoriis duobus includitur. Alterum* Κριȣ̃ μέτωπον *vocant, Carambico, quod in Aſia diximus, par & aduerſum: Parthenion alterum.* Strabo pluribus deſcribit illud Arietinæ frontis promontorium, quod πρόκειται πολὺ πρὸς τὸ πέλαγος, *longe in mare procurrat*: & ἀντίκειται, *oppoſitum ſit* Carambi, promontorio Paphlagoniæ. Plinius etiam Latine ſcripſit *Criumetopon*, idque, *aduerſum Carambi Aſiæ promontorio* dicit.

Ab eo incipit latus orientale, in quo ſunt Ptolemæi *Charax* & *Lagyra* oppida, promontorium *Corax*, & flumen *Iſtrianum*: deinde celebrior vrbs *Theodoſia*, Scylaci, Straboni, Melæ, Plinio, Ptolemæo laudata. In Scylacis periplo, & Stephani de Vrbibus volumine *Theudoſia* ſcribitur, corrupte, vt cenſet Berkelius ad Stephanum: plures Θεοδοσία, *Theodoſia*, etiam ipſe Stephanus in derivatis: quod Græcum nomen Græcam vrbis originem arguit, quemadmodum Scylax quoque *Theodoſiam* in Græcis peninſulæ vrbibus recenſet. Hodie *Caffa* adpellatur. Ptolemæo proximum eſt *Nymphæum*, Scylaci Νύμφαια, *Nymphæa*, etiam a Græcis condita.

Breui poſt ſpatio *Boſporus Cimmerius* incipit, dictus, vt ex Stephano Byzantio Conſtantinus Porphyrogennetus lib. II Them. XII refert, ἀπὸ Ἰȣ̃ς τῆς Ἰνάχȣ, *ab Io, Inachi filia.* Dionyſius quidem periegeta verſ. 140 eam rationem ad Thracium refert Boſporum, quem Io, in iuuencam transformata, tranauerit: at interpres Euſtathius ad vtrumque accommodat, de Cimmerio dicens, λέγεται Βόσπορος διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν καὶ ἐκεῖνος, ἐκ τῆς Ἰȣ̃ς, τῆς βοός. Ridiculum ergo eſt, quod Cedrenus, in Iuſtiniano, deducit ἀπὸ τȣ̃ τελεῖν ἀντὶ χρημάτων βόας, *a bobus tributi loco dari ſolitis*

ab illa

ab illa gente. In ora illius freti Bosporani, seu vbi desinit illud & Ponto infunditur, quidam vrbem celebrant *Bospori* nomine. Procopius sub finem lib. III de Aedificiis, meminit Βοσπόρου καὶ Χερσῶνος πόλεων, αἵπερ κατὰ τὴν ἐκείνην ἀκτὴν ἐπιθαλασσίδιαι μετὰ λίμνην τὴν Μαιώτιδα ἐν ἐσχάτῳ οἰκοῦνται τῆς Ρωμαίων ἀρχῆς, *Bospori & Chersonis vrbium, quæ maritimæ in eo litore post lacum Mæotidem in extremo imperii Romani habitantur.* Memorat eamdem vrbem Bosporum & alibi Procopius, lib. I de Bello Perſ. cap. XII, & lib. IV de Goth. cap. V; Cedrenus dicto loco pag. 302. Possis dubitare, an diuersa fuerit vrbs Bosporus a Panticapæo? nihil enim Procopius de Panticapæo, qui toties vrbem *Bosporum* commendat, quum tamen illud fuerit μητρόπολις τῶν Βοσποριανῶν, *vrbs princeps Bosporanorum*, Strabone p. 214. adseuerante; & Plinius lib. IV cap. XII dicat, *Panticapæum aliqui Bosporum vocant.* Et Strabo ibidem per stadia spatium inter Theodosiam & Panticapæum emetitur, & accurate a fertilitate, vicis, & oppido, quod continet, Nymphæo describit: vrbis autem Bospori nullam mentionem facit. Distinguunt tamen, vt diuersas vrbes, Eutropius lib. VII cap. V de Augusto: *Adiecit imperio omnes Ponti maritimas ciuitates: in his nobilissimas Bosporum & Panticapæum:* & Stephanus Byzantius, qui non solum *Bosporum* πόλιν Πόντου κατὰ τὸν Κιμμέριον κόλπον, *vrbem Ponti iuxta Cimmerium sinum* vocat; verum etiam *Panticapæum* πόλιν μεγίστην, τῶν κατὰ Βόσπορον μητρόπολιν, *vrbem maximam, & earum quæ iuxta Bosporum sunt, metropolim*, commemorat: & Lucas Holstenius, vir summus ingenio, in Ortelium Adnot. p. 33 *Oppidum Bosporus* μετὰ λίμνην, *ait Procopius, hoc est post vel extra paludem. Erat enim extra angustias Panticapes ad Pontum Euxinum sita in sinu Cimmerio.*

Ipsum autem *Panticapæum*, vt Scylax, Strabo, Mela, Plinius vocant; siue *Panticapæa*, Παντικάπαια, vt Ptolemæus; quod nemo dubitat, ad fretum Bospori intra peninsulam magnam, quæ Taurica dicitur, situm fuit. Plinius eodem loco: *Restat longe validissimum in ipso Bospori introitu, Panticapæum Milesiorum, a Theodosia* LXXXVII *M. passuum.* Eadem Strabo, additis quoque aliis, esse Panticapæum λόφον πάντη περιοικούμενον ἐν κύκλῳ σταδίων εἴκοσι, ἔχειν πρὸς ἕω λιμένα, ἔχειν καὶ ἀκρόπολιν· κτίσμα δ' εἶναι Μιλησίων, *tumulum circumcirca habitatum, ambitu* XX *stadiorum: habere portum ab ortu,*

& ar-

& arcem, & ipsam vrbem a Milesiis conditam esse. Fuit olim libera: postea sub Bosporanis regibus, a quibus Mithridates accepit, testante Strabone.

Post Panticapæum, vbi effluit ex lacu Bosporus, *Myrmecion* Plinii, Melæ, & Ptolemæi est: illi oppidum vocant; hic promontorium. Oppidum ergo iuxta promontorium, vel in ipso fuit. Scylax in vrbibus Chersonesi Græcanicis numerat. A quo ad isthmum Ptolemæus sub Mæotide tria oppida ponit *Parthenium*, (diversum a promontorio huius nominis in alio latere) *Zenonis Chersonesum*, & *Heracleum*, de quibus quod dicamus præterea, non habemus. Plinius *Hermisium* cum Myrmecio coniungit, quod a Pomponio Mela accepit, qui vero Theodosiæ postponit hoc ordine: *in Bosporum vergentia oppida, Myrmecion, Panticapæum, Theodosia, Hermisium.* Ptolemæus inter Nymphæum & Panticapæum habet Τυρικτάκην, *Tyrictacam*, ignotam aliis.

Ante isthmum intus est lacus *Byce*, Ptolemæo Βύκη λίμνη, *Byce, palus.* Plinio mutatione cognatarum litterarum *Buges* est. *A tergo*, inquit, *lacus Buges, fossa emissus in mare.* In mare, puta Mæoticum, cum quo ad isthmum cohæret. Valerius Flaccus lib. VI vers. 68

Quique lacum cinxere Bicen,

Bicen, Latina littera, pro Græca Ptolemæi, quam *V* Plinii defendit, respondens Ptolemæi Υ Grææ. An eadem sit quæ Strabonis Σαπρὰ λίμνη, *Putris lacus*, qui σταδίων τετρακισχιλίων, IV CIↃ *stadiorum* sit, nolim iudicare. Maior enim hic ambitus est: etiam dicitur isthmus illum a mari διείργειν, *separare*, quod Mæotidi potius conuenit.

Chersonesi Tauricæ oppida mediterranea Ptolemæus multa enarrat, sed obscura & incognita pleraque. *Taphrum* supra, ob vicinitatem in maritimis censebamus; *Taronam*, *Paroslan*, *Baonem* ignoramus: *Cimmerium*, cuius nominis vel idem vel aliud Pomponius lib. I cap. XIX in Asiæ ora & quidem prope fretum ponit: quem Plinius sequutus, *trans fretum* ait *situm* esse: & *Tazum*, *Argodam Tabanam*, obscura nomina: & *Satarcham*, in parte septemtrionali, vbi *Satarchæ*, populus, colebant. quos Mela iam manifestabit: *Cytæum* tandem Ptolemæi a Scylace vocatur Κυταία, vt Vossius emendauit scriptum Κυδαία.


Tres populos Mela lib. II cap. I in hac Cherſoneſo recenſet, *Satarchas*, *Græcos*, & *Tauricos*. Iſtos locat a ſeptemtrione: illos in litoribus: hos in auſtrali parte peninſulæ, Græcis permixtos. Sed omnes etiam Tauri dicti; etiam extra peninſulam ſupra iſthmum quidam. Melæ verba ſunt: *Obliqua ad Boſporum plaga excurrens, Ponto ac Mæotide includitur. In paludem vergentia Satarchæ tenent: in Boſporum Cimmerica* (forte Græcanica) *oppida, Myrmecion, Panticapæum, Theodoſia, Hermiſium: in Euxinum mare, Taurici* Superior pars prope Boſporum vſque Theodoſiam, a Boſporanis aliquamdiu regibus poſſeſſa, Boſporanæ terræ adiudicatur. Strabo ibidem pag. 215 πρότερον εἶχον ὀλίγην, *Antea exiguam partem* Boſporani dynaſtæ ſeu reguli tenebant τὴν πρὸς τῷ ςόματι τῆς Μαιώτιδος, μέχρι Θεοδοσίας, *iuxta fretum Mæoticum, vſque Theodoſiam:* poſtea omnem Cherſoneſum magnam occupauerunt.

Hæc de Sarmatia Europæa, in quam nos Germania partim transmarina abduxit, vt abſolueremus, quæ in ſeptemtrione Europæ connexa ſunt cum Germania: partim quæ trans Viſtulam ſunt Germaniæ gentes, inter Baſtarnas ad Sarmatiam vſque diſperſe habitantes. Soli Daci ex Dransdanubianis ſuperſunt, quos quia ponte cum Mœſia Traianus coniunxit, cum illa explicaturi ſumus. Iam in citeriora regreſſi, quæ Germaniæ proxima ſub Danubio ſunt, ad exponendum adgrediemur.

CAPVT VII

DE VINDELICIA, RHAETIA, ET NORICO.

DAnubius terminus antiquæ erat Germaniæ: hunc inter & Alpes quæ ſunt, etſi hodie in Germania cenſeantur, aliam Romanis olim partem, aut Illyrici continuationem, conſtituebant. Strabo ſane lib. VII pag. 217 inde Illyridem recenſere ita incipit: Λέγωμεν δὴ τὰ Ἰλλυρικὰ πρῶτα, συνάπτοντα τῷ τε Ἴςρῳ καὶ ταῖς Ἄλπεσιν, ἃ κεῖται μεταξὺ τῆς Ἰταλίας καὶ Γερμανίας, ἀρξάμενα ἀπὸ τῆς λίμνης τῆς κατὰ τοὺς Οὐινδελικοὺς καὶ Ραιτοὺς καὶ Ἐλουηττίους, *Primum Illyrica exponamus, quæ & Iſtrum & Alpes attingunt, ſita in medio*


Septentrio
VINDELICIA RHAETIA ET NORICUM
GERMANIAE MAGNAE
PARS
Regina Castra
Augustana Castra
Germanicum
Coeleusum
Serviodurum
Petrensia
Danubius Flu
Vetoniana
Clarenna
Quintana
Batava Castra
Boiodurum
Lentia
Lauriacum
Carnuntum
Vindebona
Arrabo
Augusta Vindelicorum
Ara Flavia
Grinario
Celius mons
Rostrum Nemaviae
Brigobanna
Iuliomagus
VINDELICIA
NORICUM
Deserta Boiorum
Scarabantia
Sabaria colonia
Arabo Flu
Claudia
Iuvauum
Cucullis
Ad Pontem
Viscellae
Sabatinca Noreia
Brigantium
Arbor Felix
Cambodunum
Coveliacae
Parrodunum
Partanum
Veldidena
Matreium
Breuni siue Brenni
Loncium
Drauus Flu
Virunum
Teurnia
Alpes Noricae
Celeia
GALLIAE
PARS
RHAETIA PROPRIA
Genauni
Curia
Tridentum
Iulium Carnicum
CARNI
Aquileia
Tergeste
Emona colonia
Nauportus
Colapiani
Flanates
Alpes Rheticae
Vennones
Mesiates
Clavenna
Lepontii
ITALIAE PARS
Vicentia
Verona
Comum
Bergamum
SINUS ADRIATICUS
Sinus Tergestinus
LIBURNIA
Meridies

medio Italiæ & Germaniæ, incipientia a lacu, qui est apud Vindelicos, Rhætos & Heluetios. Hunc tractum in populos maiores distinxerunt, *Vindelicos, Rhætos, Noricos;* & eorum quemque in varias minores gentes, quibus omnibus, præsertim iis, qui in Alpes vergunt, aut inter illarum iuga colunt, difficile est certas & proprias sedes definire. Ab occasu, vt inde incipiamus, erant *Vindelici* & *Rhæti*, suis inter se limitibus distincti ita, vt tamen vterque populus vno nonnumquam *Rhætorum* nomine comprehenderetur. Sit ergo nobis prima, quæ inter Danubium & lacum Brigantinum est,

VINDELICIA.

Vindelicia, Ptolemæo lib. II cap. XVI Οὐϊνδελικία, est regio Vindelicorum, Latine potius gentis nomine, quam proprio regionis, adpellata. Suetonius Aug. cap. XXI *Domuit Cantabriam, Aquitaniam, Pannoniam, Dalmatiam, cum Illyrico omni: item Rhætiam & Vindelicos, ac Salassos gentes Inalpinas.* Et Velleius Paterculus lib. II cap. XXXIX *Rhætiam & Vindelicos ac Noricos, nouas imperio nostro subiunxit prouincias.* Quod vero non ita interpretandum est, quasi damnata Latinis sit vox *Vindeliciæ*: sed ea fit loquendi elegantiore consuetudine, qua Nepos Agesilao dixit, *quum meditaretur in Persas proficisci*, id est in Persidem vel Persiam. Nam & illo nomine vsus est Sextus Rufus cap. VIII. *Limes*, inquit, *inter Romanos & barbaros ab Augusto per Vindeliciam, per Noricum, Pannoniam, ac Mœsiam est constitutus.* Nomen gentis, vt dictum, est *Vindelici*, Græce Οὐινδελικοὶ, vt apud Strabonem est & alios. Horatius lib. IV oda IV

> *Videre Rhæti bella sub Alpibus*
> *Drusum gerentem Vindelici - - -*

Ita veteres libri: recentiores, *& Vindelici;* de quo mox dicturi sumus. Nomen aiunt a fluminibus esse, quæ rigant illam regionem, quorum alter *Vinda* est siue *Vindo*, a sinistra Augustam adluens: alter a dextra, *Licus*, hodie Lech; confluentes infra vrbem. Venantius Fortunatus de S. Martino lib. IV

> *Pergis ad Augustam, quam Vindo Licusque fluentat.*

Fines Vindeliciæ aliter Strabo, aliter Ptolemæus constituit: sed Straboni credendum magis est, qui prope tempora illa fuit, quibus Rhætos & Vindelicos Augusti priuigni domuerunt. Strabo

lib. IV pag. 142 Τὰ πρὸς ἕω μέρη τῶν ὀρῶν, καὶ τὰ ἐπιστρέφοντα πρὸς νότον, Ῥαιτοὶ καὶ Οὐινδελικοὶ κατέχουσι, συνάπτοντες τοῖς Ἐλουητίοις καὶ Βοΐοις; ἐπίκεινται γὰρ τοῖς ἐκείνων πεδίοις. Οἱ μὲν οὖν Ῥαιτοὶ μέχρι τῆς Ἰταλίας καθήκουσι, τῆς ὑπὲρ Οὐήρωνος καὶ Κώμου - - - - οἱ δὲ Οὐινδελικοὶ καὶ Νωρικοὶ τὴν ἐκτὸς παρωρείαν κατέχουσι. *Montium partes, quæ* [post Salassos] *ortum spectant, & in meridiem vertuntur, Rhæti & Vindelici tenent, contermini Heluetiis atque Boiis, quorum campis imminent. Rhæti vsque ad Italiam pertinent, supra Veronam atque Comum: - - - - Vindelici autem & Norici montana exteriora tenent,* id est, (Velsero lib. I de Aug. interprete p. 189) extremas tantum Alpes & humiliores colunt. Idem Strabo lib. VII post initium de lacu Acronio siue Brigantino: προσάπτονται τῆς λίμνης ἐπ' ὀλίγον μὲν οἱ Ῥαιτοὶ, τὸ δὲ πλέον Ἐλουήττιοι καὶ Οὐινδελικοὶ, *lacum Rhæti exigua parte; maiore Heluetii & Vindelici attingunt.* Rhæti ergo lacum non contingunt, nisi exigua parte, quæ inter Rhenum & Brigantium est. nam hoc oppidum, quod Ptolemæus quidem suis Rhætis dat, verius Vindelicorum fuit. Strabo dicto loco libri IV Οὐινδελικῶν εἰσὶ καὶ Βριγάντιοι, καὶ πόλεις αὐτῶν Βριγάντιον καὶ Καμπόδουνον, *Vindelicorum etiam Brigantii sunt: & oppida illorum, Brigantium & Campodunum.* Accedat Plinius, qui Noricis Vindelicos conterminos fuisse lib. III cap. XX tradit. *Iuxta Carnos,* inquit, *quondam Taurusci adpellati, nunc Norici. His contermini Rhæti & Vindelici.* Quod si Vindelici contingunt Noricos, vsque Aenum pertinere necesse est, quia *Aenus Rhætos* [vniuersos, inclusis Vindelicis] *Noricosque interfluit,* vt Tacitus tradit Hist. lib. III cap. V Adhæc, Augustus *per Vindeliciam & Noricum* constituit limitem imperii, non per Rhætiam; quod Sex. Rufus cap. VIII, vt supra dictum, nos docuit: ergo Vindelici æque ac Norici ad Danubium, qui limes imperii Romani erat, pertinuerunt.

Ex quibus colligere pronum est, quinam fines veteris Vindeliciæ fuerint, scilicet a lacu Brigantino ad fontes & alueum Danubii, vsque ad confluentem Aeni, quo flumine a Norico separata fuit. Solum latus meridiale certo determinari non potest, nisi aliquid definitum putaueris, si a Strabone prædictum repetemus, τὴν ἐκτὸς παρωρείαν κατέχειν, Vindelicos *subalpina & exteriora Alpium possidere:* Rhætos, quæ intus & in summis Alpibus vsque in Italiam sunt. Et, quæ lib. VII pag. 202 dixit idem, Οὐινδε-

λικοὺς

λικοὺς οἰκεῖν ὀροπέδια, *Vindelicos incolere montanas planities:* quibus a summis Rhætorum Alpibus remouentur. Ptolemæi autem rationes, vt eius trans Alpes sunt pleraque, etiam Inalpina, turbatiores sunt, quam vt Strabonis & aliorum sententiæ præferri possint. Comprimit enim nimis Vindeliciam, Lico & Aeno fluminibus concludens.

Quum vero post Romanorum victoriam Vindelicia non fuerit prouincia singularis, sed cum Rhætia semper coniuncta; factum est vt omnis tractus, qui inter lacum Brigantinum, Danubium, Aenum, Carnos, Venetos & Insubres est, sæpe numero *Rhætia* diceretur & *prouincia Rhætia*, vt tamen in ipsa prouincia populi separati & Rhæti & Vindelici manerent. Sic Augustam Vindelicorum Tacitus Germ. cap. XLI *splendidissimam Rhætiæ prouinciæ coloniam* dixit: & Horatius lib. IV oda IV *Rhætos Vindelicos*, vt distingueret ab Rhætiæ propriæ incolis: & Plinius lib. IX cap. XVII *inter Alpes lacum Rhætiæ Brigantinum*, quem vero Vindelici plures, per totum latus dextrum; quam Rhæti proprii, inter Rheni & Brigantii fluminis ostia, accoluerunt.

Flumina Vindelicorum præter Danubium, qui a septemtrione stringit limitem, sunt *Licus* siue *Lichus*, & *Vindo*, qui Augustam coloniam ambiunt; supra ex Fortunati lib. IV de S. Martino, vna demonstrati,

Pergis ad Augustam, quam Vindo Licusque fluentat.

Vetustiorem memoriam non habemus. Quod enim Cluuerius Ouidium quoque arcessit, lib. I ex Ponto epist. V vers. 21 dicentem,

Torquet enim fortuna parum, nisi Lycus in Hebrum
Confluat? & frondes Alpibus addat Athos?

nihil ad rem est. Heinsius ex Patauino *Nilus* legit: & si *Lycus* etiam salua lectio esset, nonne credibilius foret, alium quemuis *Lycum* (nam plura huius nominis flumina) aut nobilem Asiæ Lycum, qui in Mæandrum defertur, quam illum Vindelicum, intelligi? Post Venantium Paullus Diaconus lib. II de Gest. Langobard. cap. XIII de eodem Fortunati itinere ex eiusdem carminibus, vti fatetur, repetens, *ad Briones & Augustam ciuitatem, quam Virdo & Lech fluentant, iter fuisse*, describit. Sic Lindenbrogius & Grotius ediderunt: vt de Fortunati lectione dubitare possis, annon *Virdo* & ibidem legendum sit, præsertim quod hodie *Wertach* ille amnis adpella-

 tur.

tur. Ricardus tamen poeta etiam multum postea, Aust. lib. II, veterem scripturam expressit,

Respicit & late fluuios Vindamque Licumque

nisi quod *Vinda* format, vbi in Fortunati libris *Vindo* est.

Inter hos fluuios & Aenum, qui terminat ab ortu Vindelicos, *Isarus* est siue *Isargus*, quæ posterior adpellatio est a populo, quos inscriptio Alpina de gestis Augusti apud Plinium lib. III cap. XX ISARCOS nominat, cum Breunis ibidem & Genaunis coniunctos. Alius autem Ἴσαρος, *Isarus* Strabonis est lib. IV pag. 143, qui Atagin accipiens, & cum eo receptus ab Athesi, in Adriaticum mare defertur: Vindelicus autem Isarus, qui hodieque nomen *Iser* retinet, in Danubium effunditur, antea auctus *Ambro*, ab occasu adlabente, qui etiam nunc *Amber* adpellatur. Auctor Itinerarii, quod Antonini esse dicitur, itinere ducto a Lauriaco, inter Isiniscam, quæ ad Isarum est, & Augustam ponit *Ambre*, quod vel flumen ipsum est, vel aliquid cognomine eidem flumini adpositum. Inter Licum & Brigantinum lacum *Ilargus* est, nunc *Iler*, Sueuiam secans, memoratus a Pedone Albinouano, Elegia ad Liuiam, vers. 385

Rhenus, & Alpinæ valles, & sanguine nigro
Decolor infecta testus Ilargus aqua.

Sic enim legendum esse, non *Itargus*, vt vulgo editur, res ipsa probat, & quæ commemorantur, *Alpinæ valles*. A dextra Ilargus accipit *Cambum*, minorem fluuium, a Camboduno defluentem. *Guntia* autem, nunc Guntz, inter Ilargum & Licum, æque vt illi, effluit in Danubium.

Tandem de *Aeno* fluuio, de quo prædiximus terminum inter Vindelicos Noricosque esse, vel nominis ratione addemus. Quidam scribunt *Oenus*, atque ita est in Antonini itineribus ab A. Schotto & P. Bertio vulgatis: at Aldina editione vbique *Ponte Aeni*, prima diphthongo; & a Ptolemæo Αἶνος, *Aenus*, scriptum est: Taciti editores eadem littera *Aeni* Histor. lib. III cap. V scripserunt, vbi in libris perperam *Rheni* legebatur. Videntur ad originem Græcam, qua *vinum* notatur, auctores alterius scripturæ respexisse, satisne commode in voce Germanica? non difficile est iudicare. Hoc vero flumen in extremis Rhætis oritur, & per Rhætiam longo tractu delapsum, tandem inter Vindelicos Noricosque in Danubium exone-

exoneratur. Sic enim Tacitus dicto loco: *Sextilius Felix ad occupandam ripam Aeni fluminis, quod Rhætos Noricosque interfluit, missus.* Vulgo nunc vocatur *Inn.*

Populi Vindelicorum, in quos hi diuidebantur, ad lacum Brigantinum erant BRIGANTII, hoc est, quod nemo dubitat, accolæ lacus *Brigantini.* Ipse autem lacus a populo illo, vel oppido adiacente, dicitur *Brigantinus* Plinio lib. IX cap. XVII; *Acronius* Melæ lib. III cap. II, cui præiacet siue adhæret alius, dictus Venetus, eodem Mela auctore. Supra Brigantios sunt ESTIONES, quos illis coniunxit Strabo lib. IV pag. 14? οἱ Ἐστίωνες τῶν Οὐϊνδελικῶν εἰσι, καὶ Βριγάντιοι· καὶ πόλεις αὐτῶν, Βριγάντιον καὶ Καμπόδουνον, *Estiones Vindelicorum sunt, & Brigantii: & oppida illorum Brigantium & Campodunum.* Quum vero Brigantium fuerit Brigantiorum; consequens est vt Estionum fuerit Campodunum. Habemus ergo & Estionum sedem, circa *Campodunum*, quod vulgo dicitur Kampten: Strabo & Antoninus dura littera *P* scribunt: Ptolemæus molli *B*, *Cambodunum*, quæ etiam in Tabula & Notitia adparet: *Brigantium* autem Strabonis, Ptolemæi, Tabulæ Theodosianæ; siue *Brigantia* Antonini, nunc Bregenz, adiacet Brigantino lacui ab ortu, iuxta ostium fluminis *Brigantii*, quod inter Vindeliciam Rhætiamque diuidit. Inter Brigantium & Campodunum in Tabula sunt *Vemania* & *Viaca;* Itinerario tantum *Vemania*, vt Aldus edidit, quod recentiores in *Nemauia* prauarunt, forsan quia supra illud Rostrum Nemauiæ, aliud oppidum, occurrit. Ex quibus intelligitur, *Vemaniam*, in Notitia *Vimaniam*, hodie esse Wangen: & *Viacam* esse Wagek. Ptolemæi loca, vt solent, perturbata heic nimis sunt, adeo, vt ne lacus quidem Acronii ille rationem habuerit.

Ab Estionibus progredimur ad LICATES, vt Plinius lib. III cap. XX ex inscriptione Augusti inalpina vocat; siue Λικάτιοι, *Licatii*, vt Strabo & Ptolemæus. Nomen arguit, ad Licum amnem, qui nunc Lech est, coluisse. Strabo lib. IV sub finem: τῶν Λικατίων (sic cum Ptolemæo legendum: corrupte in libris Λικαντίων, aut Λικαττίων) ὥσπερ ἀκρόπολις Δαμασία, *Licatiorum quasi arx, Damasia.* Cluuerio *Damasia* est caput Licatiorum, & ipsa vrbs Augusta; antequam, ob nouos colonos & maiora ornamenta & amplificationem, augustiore nomine augeretur: Marco Velsero

autem

autem videtur secus esse, creditque Damasiæ vestigia superius in austrum prope Vindonem flumen reperiri. Colonia autem illa a Ptolemæo Αὐγούστα Οὐινδελικῶν, *Augusta Vindelicorum* vocatur: ab Antonino & in Tabula Peutingeriana, *Augusta Vindelicûm:* a Tacito Germ. cap. XLI *splendidissima Rhætiæ prouinciæ colonia.* Quomodo *Rhætiæ* hoc vocabulum sumatur, supra fuit expositum.

Tabula, quam diximus, itinere ab Augusta Vindelicûm per Cambodunum, fert proxime *Esconem.* Hic locus *Esco*, vt milliaria probant, ad Licum videtur fuisse, vbi nunc in sinistra ripa est *Schonga*, cuius nomen ab Escone non est alienum. In superiora eiusdem amnis cadit *Abodiacum* Tabulæ, XVIII millibus supra Esconem; Ptolemæo Ἀβουδίακον, quod eruditi ex situ interpretantur *Fussen*, oppidum in ripa sinistra positum. Inter Licum & Ilargum amnis *Guntia*, hodieque Güntz dictus, delabitur in Danubium, prope cuius fontes Velserus & Cluuerius ponunt oppidum *Guntiam*, Itinerario Antonini memoratum: vbi nunc *Guntberg* est. Sunt etiam qui ad *Güntzburg*, quod ad confluentem huius amnis est & Danubii, referunt, verum ex itineris ratione refelluntur, quæ talis est continuatione eius, quod per ripam ducitur Pannoniæ:

Augusta Vindelicûm			
Guntiam	M.	P.	XXII
Cælium Montem	M.	P.	XVI
Campodunum	M.	P.	XIIII
Vemaniam	M.	P.	XV
Brigantiam	M.	P.	XIIII.

Sed quia plura loca ad illum amnem sunt, quæ nomen ab ipso etiamnum habent; malim in medio, quam in extremis, Guntiam Antonini inuenire. Ita enim nos ducunt itineris rationes. Ad os Guntiæ, quo in Danubium fluuius infertur, situm est Güntzburg, vbi haud dubie ille *Guntiensis transitus Danubii* fuit, quem Eumenius Panegyrico Constantii nominauit, de huius Cæsaris victoria cap. II dicens, *a ponte Rheni vsque ad Danubii transitum Guntiensem, deuastata atque exhausta penitus Alemannia.* Forsan heic quoque *Guntia* illa fuit, de qua Notitia Imperii sub duce Rhætiarum: *Præfectus militum Vrsariensium Guntiæ.* Non repugnabo adseuerantibus, Itinerarii & Notitiæ Guntiam eamdem esse; nec vero ignoro, stationes

stationes militum plerumque in ripa exstitisse, præsertim ad tam nobilem traiectum. Accedit, quod in medio tractu Guntiæ amnis ad sinistram ripam iam tum castra *Febiana* erant. Notitia Imperii sub duce Rhætiarum: *Equites Stablesiani iuniores Ponte Aeni, nunc Febianis:* quæ doctis videntur esse Babenhausen. *Cælius* autem *Mons*, qui *Guntiam* alteram in itinerario excipit, vt nomen indicat, nunc *Kelmüntz* est inter Guntiam & Ilargum, siue Ilarum, amnes, in Tabula, sub Rhætiarum duce, simpliciter dictus *Cælius*, sine *Montis* cognomine, hoc modo: *Tribunus cohortis tertiæ Herculeæ Pannoniorum Cælio.* Haud longe a transitu Danubii Guntiensi, Augustam versus, fuit Tabulæ *Grinario* secundum Cluuerium, qui Gneringen interpretatur, vocabulis non multum discrepantibus.

Ad Ilargum *Rostrum Nemauiæ*, quod Simleri & Cluuerii iudicio est Memmingen. Reducit dextrorsum Velserus ad Vindonem vsque. Nec vero contemnendæ sunt Cluuerii rationes. Inde ad fontes Danubii regredimur, & ab ipso Rheno post lacum incipimus, si quid forsan in illo quoque tractu Vindelicis possit vindicari. Eo situ est *Sanctio* Ammiani lib. XXI cap. V quæ Cluuerio videtur Seckingen, in dextra Rheni ripa oppidum, Rauracis oppositum. *Quum mature*, inquit, *prope oppidum Sanctionem venisset, longe visus a barbaris*, & cetera. Ibi autem Iulianum traiecisse, aliorum exemplis non est improbabile. Inde sequuntur oppida Tabulæ Theodosianæ, quæ quidem supra lacum videntur posita, a doctis vero viris ita ordinantur, quasi in dextra ripa recentis Danubii sita fuerint. Scriptum est,

Iuliomago	
Brigobanne	XI
Aris Flauis	XIIII
Samulocenis	XIIII
Grinarione	XXII.

Si aliorum coniecturas licet sequi; (nam certo probari posse desperamus) *Iuliomagus* fortassis erit Dütlingen: *Brigobanna*, Beyern, etiam oppidum Danubianum: *Aræ Flauæ* vel potius *Flauiæ*, quia Ptolemæo sunt Βωμοὶ Φλαϐίοι) fere in loco, quo est Aurach: Ptolemæus autem suas *Aras*, a *Flauio* denominatas, trans Rhenum in Germania magna posuit, cui forte minus fidei habendum est, quam Tabulæ, quia non insolens illi, præsertim in transalpinis, a

vera positione aberrare. Quid autem de *Samulocenis* dicam? Cluuerius credit Ptolemæi *Alcimoennim* esse, in aduersa Germaniæ ripa locatam: dubius, vtrum vocabulum sit correctius; nisi vtrumque forte deprauatum est: satis autem vult sibi certus esse, & situm in Tabula, & itineris tractum referre ad locum, quo nobilissima vrbs Sueuiæ *Vlma* in Danubii ripa est posita. Ego autem nec habeo quo adfirmem; nec curo, quibus impugnetur.

Hæc de iis, quæ cis Licum sunt, sufficiant: inter illum amnem & Aenum quæ oppida inueniantur, ad explicandum nunc adgrediamur. Ad confluentem Lici Danubio adiacet *Clarenna* Tabulæ, hodie Rain: inde in ripa Danubii, ex eadem Tabula, sunt *Vetoniana*, subaudi, castra; Cluuerio Winten: & post XII millia *Germanicus*, puta, vicus, aut *Germanicum*, puta prædium siue oppidum, quo tractu est Foburg: & post VIII inde *Celeusus*: interiectis III millibus, *Arusena*, quod nomen corruptum est ex *Abusina*, vti itinere Antonini ex Pannonia per ripam, legitur, etiam in Notitia sub duce Rhætiarum; nunc *Abensberg*, a flumine *Abens* adpellatum. Caue vero castra intelligas: oppidi enim nomen est femineæ formæ, & quarto casu in Itinerario *Abusinam*; sexto in Tabula & Notitia, *Abusina* legitur: a quo distat *Reginum* XX vel XXII millibus, ad confluentem fluuii *Regen*, vnde nomen est: nunc vrbs incluta *Regensburg*. Dicitur autem *Reginum* dicto itinere Antonini, & in Tabula Theodosiana; in Notitia Imperii sub Rhætiarum duce, *Castra Regina*, quamuis Velsero lib. III Rer. Boicar. pag. 90 videantur castra extra vrbem, aut etiam aliquot inde millibus remota fuisse. *Præfectus*, inquit auctor Notitiæ, *legionis tertiæ Italicæ partis superioris Castra Regina, nunc Vallato.* Sunt, qui coloniam Tiberii ex nescio quo nummo referant, inscripto COL. TIBERIA AVGVSTA, nullo addito signo, quod in Rhætia sit & ad Danubium: verum, si genuinus nummus est, æque in alia orbis terrarum gente colonia esse potuit, quia plures condidit Tiberius, etiam aliæ ciuitates nomen principum induerunt. Addunt quidem diploma Leonis III, P. M. quo scribatur: *Iuxta muros Tiburniæ ciuitatis, quæ a Tiberio Cæsare augusto ædificata est; quæ modo vulgo adpellata est Reginasburch.* Sed quid ignorantia barbari illius sæculi (est autem exeunte VIII scriptum diploma) non insulse finxit? nec a Tiberii nomine forma-

tur

tur *Tiburnia;* vt vel hoc nomine inſcitia illius temporis prodatur. Quin potius Tacito, grauiſſimo auctori, credimus, qui prouinciæ Rhætiæ vniuerſæ vnam coloniam fuiſſe dixit, non plures; quamquum nemo dubitet, Auguſtam Vindelicorum eſſe, durante vocabulo in *Augſtburg;* euaneſcit altera, quæ Reginum deducta fingebatur.

Inter Reginum vrbem & confluentem Iſargum, ſub Danubio ſunt *Auguſtana*, ſupple, caſtra. Notitia ſub duce Rhætiarum: *Equites Stableſiani Seniores Auguſtanis.* Antoninus itinere per Panoniæ ripam *Auguſta* vocat, itidem caſtra intelligens, diſtincta ab Auguſta Vindelicorum, vt poſtea recenſebimus; XXIIII millibus ab Regino, qui numerus falſatus eſt, maior iuſto haud dubie. Schottus & Bertius Itinerario *Auguſtas* ſcripſerunt, ſed æque falſo. veteres libri, etiam Aldi, ſexto caſu referunt *Auguſtis*, vnde *Auguſta* caſtra propius, quam *Auguſtas*, neſcio quas, effeceris; præſertim quum militum ſtationem *Auguſtanis* fuiſſe Notitia edoceat. Sequitur eadem ripa *Seruiodurum* in Tabula, XXVIII ab Regino, quod interuallum ducit ad nobilem vrbem Straubingam.

Inter Iſargum ſiue Iſarum, & Aenum amnes ſub Danubio ſunt alia caſtrorum nomina: *Petrenſia*, propiora Iſargo, quorum numeri, XXVII M. P. ducunt in oppidum Oſterhoven: medio ſitu *Quintiana* Itinerarii, ſiue *Quintana*, Notitiæ Imperii, cuius eſt *Præfectus alæ primæ Flauiæ Rhætorum Quintanis.* Non liquet quænam ſcriptura ſit melior, niſi aliquid in vico Kintzen, quo Cluuerius refert, inueniſſe putes pro priore & quinque litterarum ſcriptura. Extremum ad Aeni confluentem eſt *Caſtellum* Tabulæ; ſiue *Bataua* Notitiæ, quæ vox *caſtra* deſignat, & vna rationem nominis ita declarat: *Tribunus cohortis nouæ Batauorum Batauis*, videlicet in Rhætia, quia ſub duce & comite Rhætiarum hæc cohors in præſidiis erat. Loco illo nunc *Paſſau* eſt, celebris ciuitas, cuius nomen a *Batauis* eſt, primum *Batau* colonorum ſeu præſidii ore dictum; poſt, adſumta regionis dialecto, *Baſſau* ſiue *Paſſau.* Trans flumen adiacet *Boiodurum*, de quo in Norico dicemus.

Interiora huius tractus ſecantur *Iſargo* fluuio, qui *Ambrum* defert, vt ſupra diximus: illius accolæ ISARCI dicuntur inſcriptione Alpina de geſtis Auguſti, apud Plinium lib. III cap. XX. Ad fluminis ripam, dextram an ſiniſtram non certum ſatis; videtur

tur *Isinisca*, siue *Isunisca*, Antonini & Tabulæ itinerariæ fuisse. Ille itinere a Lauriaco Brigantiam ita interualla disposuit:

Iouauo			
Bidaium	M.	P.	XXXIII
Pontem Aeni	M.	P.	XVIII
Isiniscam	M.	P.	XX
Ambram	M.	P.	XXXII
Augustam Vindelicûm	M.	P.	XXXVII.

Hæc si recte distribuuntur interualla, ducente via publica, *Isinisca*, quod Cluuerius censet, fere in locum cadit, quo insignis vrbs est Bauariæ *Monachium*; immo eidem ipsum *Monachium* videtur, quasi Isarisca dicta, iam olim caput Isarcorum. Quod si est, in sinistram ripam Isinisca reducenda est. Contra ea Marcus Velserus in tabula sua longe aliam dispositionem fecit, & sicut inferiorem *Pontem Aeni* Oetingam Bauaricam interpretatur; flumen, quod infra Oetingam ab occidente in Aenum defertur, *Isiniscam* vocat, & in eius ripa, medio prope loco inter Aenum & Isargum, cognomine oppidum *Isiniscam* constituit. Id quod prope conuenit cum Tabula Peutingeriana, cuius hæ sunt rationes distantiarum:

Isunisca	[sic scriptum est]
Ad Enum [Aenum]	XX
Bedaio	XIII
Artobrige	XVI
Iuauo	XVI.

Vnusquisque sibi eligat, quam putat vero esse similiorem sententiam. Non nostrum enim est inter hos viros clarissimos tantas lites componere, aut alterutram opinionem reiicere, probata & defensa altera.

Illum tractum etiam, qui Aenum versus est, BOII, a Marcomannis ex Boiohemo pulsi, coluerunt, quod non obscure ex Strabonis verbis lib. IV, quæ supra protulimus, probari potest. Nam τὰ πρὸς ἕω μέρη τῶν Ἄλπεων, καὶ τὰ ἐπιστρέφοντα πρὸς νότον, Ῥαιτοὶ καὶ Οὐινδελικοὶ κατέχουσι, συνάπτοντες Ἐλουηττίοις καὶ Βοΐοις, *orientales partes Alpium, & quæ in austrum vergunt, Rhæti ac Vindelici tenent, Heluetios atque Boios confinio tangentes.* Scilicet vtrique Heluetiis; Vindelici etiam ab ortu Boiis, quorum campis ἐπίκεινται, *in-*

imine-

minebant: quam regionem hodieque tenent, dicti *Boiari*, contracte *Baiern*.

Iter Antonini ex Pannonia per ripam inter Abusinam, quæ Abensberg est, & Augustam Vindelicûm, addit quædam oppida *Vallatum* & *Summuntorium*, quorum situs & distantia talis est:

Regino			
Abusinam	M.	P.	XX
Vallatum	M.	P.	XVIII
Summuntorium	M.	P.	XVI
Augustam Vindelicûm	M.	P.	XX.

Vtrumque etiam in Notitia Imperii sub duce Rhætiarum memoratum est. Dicitur ibi *Præfectus legionis tertiæ Italicæ partis superioris* [apud] *Castra Regina* [fuisse,] *nunc Vallato*, intellige, esse. Et mox: *Præfectus alæ secundæ Valeriæ singularis Vallato.* Ex numeris colligit Cluuerius fuisse *Vallatum* ad amnem Ilmum, circa oppidum Gaisenfeld, aut supra illud. Alterum, in Itinerario *Summuntorium*, in Notitia *Submontorium*, refertur ab eodem supra oppidum Hohenwart ad flumen Parum. Eodem Notitiæ loco: *Præfectus legionis tertiæ Italicæ partis superioris deputatæ Ripæ primæ Submontorio.* In austro prope fontes Isari sunt *Coueliacæ* ex sola Tabula Peutingeriana notæ, eo fere loco, quo nunc oppidulum Kochel est, quod non plane discrepat a veteri adpellatione. Et supra fontes Ambri inter Füssen & Insbrück, fere medio loco, ad flumen Loysam, quod in Isarum exit, est locus Partakirch, a quo nec voce nec situ abludit *Parthanum* Antonini, in itinere ab Augusta Vindelicorum Veronam. Ordo sic habet:

Augusta Vindelicûm			
Abuzacum	M.	P.	XXXVI
Parthanum	M.	P.	XXX
Veldidenam	M.	P.	XXX
|			
Tridentum	M.	P.	CXVI
|			
Veronam	M.	P.	LVIII.

Quod primo loco ponitur *Abuzacum*, videtur ex situ Cluuerio esse *Auodiacum* vel *Abodiacum* Tabulæ; Ptolemæi Ἀβοδίακον, de quo

ſupra diximus. *Veldidena* autem, frequens in Itinerario, extra Vindeliciam eſt, in finibus Rhætorum, vt ſitus & nomen indicat, hodie eſt Wilten, prope Aeni Vtiique confluentem. *Parthanum* autem Antonini in Tabula corrupte eſt *Tartenum:* correctius in Notitia Imperii *Parradunum.* Ait enim: *Præfectus cohortis primæ Herculeæ Rhætorum Parraduno.* Ptolemæus, vel qui transſcripſit illum, vna littera aberrauit, καῤῥάδουνον, κ pro π, nobis exhibens. Itinere a Lauriaco Veldidenam, *Pontium* fit mentio, quos Aldus *Tesſenios,* Schottus & Bertius *Terſeninos* ſcribunt (forte *Teſſenii* vel *Teſſenini* genuina ſcriptura) quos ſitus ratione Dieſen vel Tieſſen ad Ambrum lacum videtur prodere. Poſitio itineris huiusmodi eſt

Iſiniſca			
Ambram	M.	P.	XXXII
Ad Pontes Teſſeninos	M.	P.	XL
Parthanum	M.	P.	XX
Veldidenam	M.	P.	XXIII.

Si quæ alia ſunt Vindeliciæ, ita incerta & ignota ſunt, vt nequeamus illis certam ſedem adſignare. *Biriciana* addo in ripa inter Clarennam & Vetoniana, ex Tabula Theodoſiana.

RAETIA ſiue RHAETIA.

Rhætiæ & Rhætorum vocabulum ſcribitur varie. Vulgaris ſcriptura *Rhætia* & *Rhæti*, cum adſpiratione & diphthongo, a Græcis eſt, Strabone, Ptolemæo, Dione, quibus ſunt Ῥαιτοὶ & Ῥαιτία. Origine Tuſci fuerunt, in montana, Rhæto duce, profecto. Iuſtinus lib. XX cap. V *Tuſci quoque, duce Rhæto, auitis ſedibus amiſſis, Alpes occupauere, & ex nomine ducis gentes Rhætorum condiderunt.* Et Plinius lib. III cap. XX *Rhætos Tuſcorum prolem arbitrantur, a Gallis pulſos, duce Rhæto.* Et Stephanus Byzantius Ῥαιτοὶ, Τυῤῥηνικὸν ἔθνος, *Rhæti, populus Etruſcus.* An vero Tuſci illi antiqui Græcis litteris vſi fuerint, non eſt pronum adfirmare: quamquam nec improbabile, vtcumque Romanos id credidiſſe, difficulter adprobaueris. Monimenta enim illorum & lapides ſine adſpiratione habent, NATIONE RAETO, Reineſ. Inſcr. claſſ. VIII n. 13. & EX RAETIS, Gruter. Inſcript. pag. 439. n. 8. &, ſi genuinus Golzii nummus eſt ex Tiberii ſæculo, COL. AVGVSTA RAETO-RVM:

RVM: etiam RAITI, Gruter. pag. 514 num. 3 in Moguntino lapide; & in Romano apud Holſtenium in Ortel. p. 161. Vnde etiam Ryckius in Tacito, Valeſius in Ammiano, vterque emendatiſſimos libros ſequutus, ſcripſerunt *Ratiam*, *Ratias*, ſine H: at in eodem Ammiano *Rhetias* Lindenbrogius cum adſpiratione, & ſine diphthongo ſcripſit, quæ forma etiam in antiquitate habet, quo ſe exemplo & ratione tueatur. Hadriani nummo apud illuſtrem Spanhemium pag. 843 EXERCITVS RHETICVS; quamuis a Mediobarbo, itidem illuſtri viro, nummus eidem principi inſcriptus, proferatur EXERCITVS RAETICVS S. C. Videmus ergo ſingulis ſcribendi modis ſuas, ſaltem aliquas rationes conſtare, nec vitio verti poſſe, ſi quis vulgarem & receptum ſequutus fuerit.

Flumina Rhætia multa fundit. *Rhenus* ſtringit limitem occidentalem, ſeparatque ab Heluetia. *Aenus* ſecat prouinciam, in qua ortus; quam egreſſus inter Vindeliciam & Noricum emittitur in Danubium. Ceteri in iugis Rhæticis orti, in Italiam decurrunt, *Ticinus* per Verbanum lacum; *Addua* per Larium; *Ollius* per Seuinum; *Mincius* per Benacum: & his maior *Atheſis*, qui *Atagin* ſiue *Aiſacum* defert, iam *Byrro* auctum. *Atheſin* plures laudant: & princeps poetarum Aeneid. IX verſ. 680

Atheſin ſeu propter amœnum:

Atagin commendat Strabo lib. IV pag. 143: *Byrrum* Paullus Warnefredi lib. II Langob. cap. XIII. Adde *Meduacum* ex Tridentinis Alpibus in Venetos defluentem. Sed de his plura in Italia.

Rhætia vel *propria* eſt, diſtincta & ſeparata a Vindelicia; vel *prouincia*, quæ & propriam Rhætiam & Vindeliciam comprehendit. Exempla vtriusque notionis oſtendimus. verbi gratia, Suetonii Aug. cap. XXI *Domuit Rhætiam & Vindelicos.* Et Velleius lib. II cap. XXXIX *Rhætiam & Vindelicos ac Noricos, Pannoniamque, nouas imperio noſtro ſubiunxit prouincias:* vbi propria & ſeiuncta Rhætia intelligitur. At quum Tacitus Germ. cap. XLI de Auguſta Vindelicorum dicit, *ſplendidiſſimæ Rhætiæ prouinciæ colonia*, vniuerſam notat prouinciam, ex Rhætia propria & Vindelicorum regione conſtantem. Vni enim præſidi & Rhætia & Vindelicia ſubiecta erat, a quo diuerſus fuit, cui parebat Noricum. Hinc factum eſt, vt quia Romani prouinciam adpellabant *Rhætiam*, Vindeli-

delicorum nomen pæne exolesceret, succedente communi *Rhætorum;* non autem omne exstingueretur. Sic Vopiscus in Aureliano cap. XXXV *Vindelicos obsidione barbarica liberauit.* Postea vero, quum noua diuisio prouinciarum institueretur, Rhætia propria dicta fuit *Rhætia Prima;* Vindelicia, *Rhætia Secunda.* Illius caput Curia secundum Velserum; huius, Augusta fuit. Coniicit idem vir clarissimus lib. III Rer. Boi. pag. 91, & lib. VI Rer. Aug. pag. 298 diuisionem Rhætiarum ab Hadriano esse, aut proxime post illum institutam: nec vero firmiori subnixus argumento est, quam quod Capitolinus in Pertinace cap. II dixit, *statim Rhetias & Noricum ab hostibus vindicauit.* At sub Diocletiano, qui auctor fuit multiplicationis prouinciarum, Iulius Capitolinus scripsit, & ex more suorum temporum de Rhætia loqui potuit; nec facile exemplum prius diuisionis in *Primam* & *Secundam* in prouinciis invenies; plura autem in *Superiorem* & *Inferiorem*: nec vero vel huius diuisionis vsquam in Rhætia signum occurrit, certe nondum ætate Ptolemæi, qui posterior Hadriano secundum Suidam fuit. Qui vero nomen *Rhætiæ Primæ* & *Secundæ* habent, sunt auctor. Notitiæ Imperii, & Paullus Warnefredi lib. II de Gest. Langobard. cap. XV: & *Rhetias*, pluratiuo numero, præter Capitolinum dicto loco, & Vopiscum in Probo cap. XVI, præcipue & frequenter Ammianus dixit lib. XVI cap. XVIII & XXV, lib. XVII cap. XII; lib. XXVIII cap. XXX. *Rhætiæ* ergo *Propriæ* fines fuerunt ab Rheno ad Alpes Noricas, si longitudinem æstimes; si latitudinem, ab Italia ad fines Vindeliciæ.

Populos Rhætiæ Plinius permultos lib. III cap. XX enumerat, sed plerosque obscuri nominis & ignoti situs. Præcipui sunt LEPONTII, quos cum Salassis coniungit, vnde ab occasu prouinciæ coluisse coniicias. Straboni, qui cum Tridentinis componit, sunt Ληπόντιοι, vnde fabula manauit, quod Plinius obseruat, ab Hercule heic loci relictos esse: Horum genus sunt *Lepontii Viberi.* Plinius dicto loco: *Lepontiorum qui Viberi vocantur, fontem Rhodani accolunt.* SARVNETES, obscurius nomen, ab eodem dicuntur *ortus Rheni amnis accolere.* CAMVNI, Καμοῦνοι, quos cum Lepontiis & Strabo & Plinius iungunt, supra Seuinum lacum interpretes ponunt. Dio Cassius lib. LIV pag. 534 Καμμούνιοι καὶ Οὐεννώνιοι, Ἀλπικὰ γένη, ὅπλα τε ἀντήραντο καὶ νικηθέντες ὑπὸ τοῦ Πουβλίου Σιλίου ἐχειρώθη-

ρώθησαν, *Camuni & Vennonii, gentes Alpinæ, arma contra Romanos sumserunt, & victi sunt a Publio Silio.* Venonii autem, vt emendatum in Dione volunt, siue *Venii*, vt vulgatum est, sunt VENNONETES Plinii, Οὐέννωνες Ptolemæi; Οὐέννωνες Strabonis, qui de ipsis tradit pag. 141, ὑπέρκεινται τῆ Κώμης ἐπὶ τὴν ἕω κεκλιμένοι, *supra Comum*, siue Larium lacum, *habitant, in ortum solis inclinantes.* Ex variis scribendi modis geographi VENNONES, tamquam constantiorem formam colligunt.

Strabo cum his Στόνους, *Stonos* narrat, de quibus Epitom. Liuii LXII *Q. Marcius consul Stenos gentem Alpinam, expugnauit.* Sed neque recte *Stoni* scribuntur, neque recte censentur in Rhætis. Inscriptio vetusta apud Gruterum pag. 298 num. 3 (quod fragmentum est Fastorum triumphalium)

Q. MARCIVS Q. F. Q. N. REX PRO COS. AN. IↃCX
DE LIGVRIBVS STOENEIS III NON. DEC.

subaudi *triumphauit.* Verum ergo nomen est *Stœni*, sexto casu *Stœneis* antique, vt solemne in illo fragmento est, hoc est *Stœnis.* Coluerunt autem Alpes non Rhæticas, sed maritimas, Liguriam versus, & ipsi censiti in Liguribus. Verius in Rhætia ponuntur BREVNI & GENAVNI. Priores varie scribuntur *Breuni, Brenni, Brenci, Breones, Briones.* Inscriptio Alpina apud Plinium ISARCI, BREVNI, GENAVNES. Strabo lib. IV p. 142 *Vindelici & Norici* τὴν ἐκτὸς παρωρείαν κατέχουσι μετὰ τῶν Βρέγκων καὶ Γεναύνων, *exteriores montes tenent cum Brencis & Genaunis.* Sic Aldina editione: Casaub. autem *Breunis*, Βρεύνων. Missis igitur aliorum lectionibus, rescribimus *Breuni*, etiam Horatio lib. IV oda XIV de Rhætica victoria canenti ad Augustum:

Vindelici didicere nuper,
Quid Marte possis. milite nam tuo
Drusus Genaunos, implacidum genus,
Breunosque veloces & arces,
Alpibus impositas tremendis,
Deiecit acer, plus vice simplici.
Maior Neronum mox graue prœlium
Commisit, immanesque Rhætos
Auspiciis pepulit secundis.

Videntur Vindelicorum pars fuisse: at quia Strabo ibidem, ἤδη τούτων Ἰλλυριῶν, *nunc ad Illyrios pertinent;* oportet reductiores fuisse, & in Rhaetorum potius finibus. Suetonius Tiberio cap. IX *Rhaetico atque Vindelico [bello] gentes Alpinas, Pannonico Breucos & Dalmatas subegit.* Sed hi videntur alii fuisse, quia ab Alpinis separantur: & proprii Pannoniae siue Illyrici. Vnde forsan confusio orta quod nunc Vindelicis, nunc Rhaetis, non numquam Illyricis gentibus adnumeratur. *Breuni* autem ipsi Breoni in Alpibus. Venantius Fortunatus Vita S. Martini lib. IV

Pergis ad Augustam, quam Virdo Lycusque fluentat.
Si vacat ire viam, neque Boioarius obstat;
Qua vicina sedent Breonum loca, perge per Alpem
Ingrediens, rapido qua gurgite voluitur Aenus.

Adde Paulli Diaconi lib. II Langobard. cap. XIII, qui in eadem historia *Briones* scripsit.

Genaunes autem Plinii, quos Horatius *Genaunos* adpellat, videntur aditum Alpium cum Breunis insedisse, quo transeundum Druso erat, Vindelicis bellum inlaturo. BRIXENTES Plinii dicta inscriptione, seu Βριξάντες, *Brixanta* Ptolemaei, consensu plurimorum apud Aisacum amnem, quem & Atagin vocant, coluerunt, vbi oppidum vulgari nomine *Brixen* conspicitur, quod haud dubie a Brixantis populis superest.

Oppida nunc Rhaetorum perlustremus. Italiae proximum, quod indubito Rhaetorum sit, est *Tridentum*, a quo populus, *Tridentini*, apud Strabonem & Plinium; hunc vero ita, vt vna oppidi rationem habeat. *Feltrini*, inquit lib. III cap. XIX, *& Tridentini, & Berunenses, Rhaetica oppida.* Oppidum Antonini itineribus ab Augusta Veronam, & ab Opitergio Tridentum, est ipsum *Tridentum;* in Theodosiana Tabula *Tridente*, vt Tergeste: nec hodie ignotum. An vero etiam *Verona* Rhaetorum fuerit, non est liquidissimum. Probatum it Cluuerius ex Plinii lib. XIV cap. I *Ante eum* [Tiberium] *Rhaeticis prior mensa erat vuis, Veronensium agro.* At si haec sana lectio, nihil ex ea sequitur, quam Veronensium agro fuisse Rhaeticas vuas, quae etiam transplantatione eo deferri potuerunt. Sed MSS. aliter habent, *Ante eum Rhaeticis prior mensa erat, & vllis Veronensium agro.* Idcirco aliquod proprium agri nomen latere, vt *Tullis*, vel simile, coniectura Harduini est. Nec

vali-

validius est alterum argumentum ex cap. VI eiusdem libri : *In Veronensi item Rhætica, Falernis tantum postbabita a Virgilio.* Id enim dicitur, vites ex Rhætia adlatas, verbi [illegible], ex Tellina valle, in Veronensi agro bene prouenisse. Plinius ambigue lib. IV cap. XIX *Rhætorum & Euganeorum Verona.* Ptolemæus Veronam Cenomanis adscripsit : nec quisquam Catullum Rhætum dixit, quia non minus, ac

Mantua Virgilio, gaudet Verona Catullo.

Quare placet Strabonis sententia, qui supra Veronam incipere fines Rhætorum dicit, ipsam vero inde Veronam excipit. οἱ Ραιτοὶ, inquit, μέχρι τῆς Ιταλίας καθήκουσι, τῆς ὑπὲρ Οὐηρώνος καὶ Κώμου, *Rhætiusque Italiam pertingunt, quæ supra Veronam & Comum est.*

Succedit *Feltria* in Rhæticæ finibus Italiam versus, inscriptionibus etiam antiquis celebrata. Gruterus pag. [illegible] num. 6 ex lapide imperatori Decio dedicato, ORDO FELTR. & pag. 409 n. 8 COLLEGIORVM FABR. CENTONDENDR. FELTRIAE. Incolæ *Feltrini.* Plinius loco dicto : *Feltrini & Tridentini Rhætica oppida.* Situs per se notus, veteri nomine durante. Inter Feltriam & Vicentiam *Ausugum* est, quod ita itinere ab Opitergio Tridentum est significatum :

Ad Cepasias			
Feltriam	M.	P.	XXVIII
Ausugum	M.	P.	XXX
Tridentum	M.	P.	XXIIII.

Paullus Diaconus lib. III Langobard. cap. XXXI *Alsucam*, id est *Alsugam* dicit, in qua Franci duo castra siue castella diruerint. Supra Feltriam *Belunum* est, hodie *Belluno.* Plinius lib. IV cap. XIX *Opitergium, Belunum, Vicetia.* Ptolemæus Βελοῦνον, *Belunum.* Vterque tribuit Venetis, quorum fines ad Alpes & Rhætiam excurrebant.* Videtur etiam *Berunum* dictum : vnde *Berunenses* iidem forte qui Belunenses. Plinius dicto loco : *Feltrini, & Tridentini, & Berunenses, Rhætica oppida.* Et Inscript. Grut. pag. 409 n. 8 FELTRIAE ITEMQVE BERVENS. quasi excidisset N littera.

Ab occasu Feltriæ sita *Tesana*, castellum. Paullus Diaconus lib. III cap. XXXI *Nomina castrorum, quæ diruerunt* [Franci]

in territorio Tridentino, ista sunt: Tesana, Maletum, Semiana, Appianum, Fagitana, Cimbra, Vitianum - - - - & duo in Alsuca, & vnum in Verona. Tesana, nunc Tessina, inter Feltriam & Tridentum: *Appianum*, nunc Albiano: & *Vitianum* vitiose scriptum, lege *Viuianum*, in valle situm: *Semiana*, vulgo Mean: cetera obscuriora sunt. Sub Athesis & Atagis confluente *Bauzanum* est, nunc Bolzano Italis: nostris Botzen, emporium. Paullus idem de Langobard. lib. v cap. XXXVI *Hic dum dux esset in Tridentina ciuitate, cum comite Baioariorum, qui Bauzanum & reliqua castella regebat.* Dictum etiam *Bauxare.* Lex III Cod. Theod. de Palatinis sacr. largitionum data est *Bauxare*, quem locum Bauzanum interpretatur Iacobus Gothofredus, antiquitatum peritissimus. Inter hoc oppidum & Appianum, de quo modo diximus; siue infra Bauzanum ad Athesin est *Salurnum.* Paullus lib. III cap. IX *quem Tridentinus dux in loco, qui Salurnis dicitur, interfecit.* Nomen retinet hodieque Salurno.

Ad Atagin siue Aisacum, prope confluentem, sunt *Endide*, ex itinere quod Augusta Veronam ducit, notae; cuius rationes postea indicabimus. In eodem cursu, septemtrionem versus *Veldidena* fuit, haud procul ab illustri nunc vrbe Aeniponte. Olim nobilem fuisse ex itineribus Antonini patet, quae Lauriaco, & inferiore Aeniponte diriguntur Veldidenam: nunc vicus est Wilten, creuitque ex ruinis eius, quem laudauimus, Aeni Pons, ciuitas Tirolensis. Inde in ortum est *Matreium* Tabulae Peutingerianae, quod nomen Matray & hodie tenet: in austrum, *Vipitenum*, Tabulae *Vepitenum*, quod, Cluuerio iudice, in locum cadit, quem Sterzingen vulgo adpellant. Ad Aisacum porro est *Sublauio*, siue *Sublabio*; & *Pons Drusi*, sed Pons citerior, in Tabula consignatus: inde per XIII millia *Sublauio*, Itinerario aeque, vt Tabula Theodosii, commendata. Videtur *Sauio*, vel *Sabio*, Paulli Diaconi esse, qui eius episcopum nominat, *Ingenuinum de Sabione*, lib. III cap. XXVI. Et supra Sabionem, *Sebatum* Antonini; & *Littamum* eiusdem, quod Lutach Cluuerius interpretatur. Sita autem hoc ordine: *Aguntum, Littamum, Sebatum, Vipitenum, Veldidena.* Quod corrupti numeri hoc loco videntur, supersedemus adscribere. Sed & plura superius exposita vel vnicum iter ab Augusta Vindelicûm Veronam, potest luculente illustrare:

Augusta

Augusta Vindelicum		
Abuzacum	M. P.	XXXVI
Parthanum	M. P.	XXX
Veldidenam	M. P.	XXX
Vipitenum	M. P.	XXXVI
Sublauionem	M. P.	XXXII
Endidæ	M. P.	XXIIII
Tridentum	M. P.	XXIIII.

In Athesis ripa fere medio loco inter fontes & Bauzanum arx cum oppidulo *Terioli* spectatur: quod nomen nec olim ignotum fuit. In Notitia Imperii, sub Duce Rhætiarum, est *Præfectus legionis tertiæ Italicæ transuectioni specierum deputatæ Teriolis:* & mox: *Tribunus Gentis per Rhætias deputatæ Teriolis:* Inde in occasum transgressi, quæ inter Aenum & Rhenum sunt, explicamus. A *Lepontiis* incipimus qui supra Verbanum lacum sunt; ad cuius oram, vbi Ticinus influit, castellum *Bilitio* est, vt Gregorius Turonensis lib. X cap. III vocat, vulgo Belizona, in *Campis*, quod addit Turonensis, *Caninis*, quem doctissimus quisque adhuc sequutus est. Alii *Caninos Campos* Grisonibus dant, quod *canus* sit *grau* nostratibus, indeque dicantur *Graupünter*. Sed aliam originem nominis dat Apollinaris Sidonius Panegyr. V, quem Maioriano dixit, vers. 373

Condescenderat Alpes,
Rhætorumque iugo per longa silentia ductus,
Romano exierat populato trux Alemannus
Perque Cani quondam dictos de nomine campos
In prædam centum nouies dimiserat hostes.

Sic Sirmondus & Sauaro; neuter *canis:* ille etiam maiuscula littera, quasi proprium nomen sit; hic communi, *cani:* vt neque sic certa sit derivatio. Ammianus Marcellinus lib. XV cap. VI *Alemannicis pagis indictum est bellum. - - - ad quem procinctum imperator egressus, in Rhætias Camposque venit Caninos.* indeque magistrum equitum iussit cum exercitu ad lacum Brigantiæ ire. Mediolano proficiscebatur Constantius, vnde æque & rectiori via per Grisones itur Brigantium, quam per Lepontios: vt ita

ſola Turonenſis Gregorii auctoritate ſententia altera, quæ Cluverio, Sirmondo, Iac. Gothofredo placet, innitatur. Eodem tractu cum Lepontiis fuerunt *Meſiates* Tabulæ Peutingerianæ: vnde fortaſſis locus eſt, quo data eſt lex XXV Cod. Theod. de Appellationibus, qui in libris vulgatis *Meſſadenſis* dicitur: at ſi certum eſt, quod credunt interpretes, Conſtantium per Lepontios aduerſus Alemannos iſſe, corrigi fortaſſis ita poteſt, vt *Meſ[illegible]nſi*, quo Meſſadenſi eſt, legatur.

Supra *Larium* lacum, qui *Comenſis* eſt, a Como oppido in ſeptemtrionem longe porrectus; gemino itinere Antonini a Brigantia inſtituto, altero vſque Comum, altero ad Mediolanum ferente, ſpatium quod inter Comum eſt & Curiam, accurate explicatur. A Curia eſt XX millibus *Tinnetio* vicus, nunc Italis Tenezone, noſtris Tinzen: quem inter & lacum *Murus* ſequitur, caſtellum: a quo ad *Summum Lacum*, locum in extrema ora lacus prope Clauennam, ſunt XX millia. Altero itinere poſt Curiam eſt *Tarueſede*, in Tabula *Tarueſſedum*, XV millibus a Clauenna, (quo loco nunc vicus Maſſede eſt) ad flumen *Mairam*, qui ab occaſu ſolis ad Clauennam accelerat. *Clauenna* autem ſatis certum ex nomine oppidum, Italis Chiavenna, noſtris Claven: vnde X millia ad *Locum Comacenum*, qui *Larius* antiquis eſt, a Como *Comacenus* dictus. In Paulli Langobardicis crebra mentio *inſulæ Comacinæ* eſt, ſitæ in lacu Comaceno lib. IV cap. III, & lib. VI cap. XIX & XXI. Dicitur ibi [cap. XIX] Anſprandus, a Liutberto apud Ticinum victus, *fugiens in inſulam Comacinam ſe communiiſſe*: victorem vero *miſiſſe exercitum in inſulam Comacinam. quo comperto, Anſprandus fugerit Clauennam.* Sunt autem, quamuis continentes, duo lacus, quorum ſuperior paruus, vſque ad influentem Adduam, nunc a Clauenna denominatur; maior ſiue inferior, a Como: Clauennenſis vero in Comenſem ſe effundit. Situs locorum talis eſt:

Curia			
Tinnetionem	M.	P.	XX
Murum	M.	P.	XV
Summum Lacum	M.	P.	XX
Comum	M.	P.	LX

Et

Et altero itinere a Brigantia per Curiam:

Curia
Taruesedo M.
Clauenna M.
Ad Lacum Comacenum M. P. X.

Ipsa vrbs *Curia*, ad Rhenum in Grisonibus sita, nunc *Cur*, Rhætorum fuit. Paullus Langobard. lib. VI cap. XXI *Ansprandus fugit Clauennam: deinde per Curiam, Rhætorum ciuitatem, venit ad Baioariorum ducem.* Marcus Velserus lib. VI Rer. Aug. pag. 198 *Curiam* caput Rhætiæ Primæ fuisse, argumento ex nomine petito, quod tribunal sonet, adseuerat. At plura itinera per Rhætiam diriguntur *Veldidenam*, a Lauriaco, a Ponte Aeni Inferiore, & ab Aquileia: nullum, quod sciam, *Curiam*; vt vel eo nomine *Veldidena* præferri possit, quam nobilem quondam fuisse (nunc enim vicus Wilten est) ex vicina Inspruck, quæ ex ruinis illius enata est, elucet.

Inter Taruessedum & Curiam Tabula Theodosiana ponit *Lapidariam*, sitam ad Rhenum, nostris vlteriorem (non autem Romanis, quibus citerior is alueus est:) & inter hanc & Taruessedum corruptum nomen *Cunuaureu*, quod *Cuneo aureo* Cluuerius legit: & nescio an *Dinumma* sit, vbi data est lex VIII Cod. Theod. de Exactionibus. Iacobus autem Gothofredus ad Campos Caninos trahit, qui in Lepontiis sunt, quia illo tempore, quod Ammianus lib. XV cap. VI refert, aduersus Alemannos mouens imperator, Mediolano *in Rhætias Camposque venit Caninos.* Caussa ergo ex eo pendet, vbi *Campi Canini* fuerint, de quibus supra dictum: num in Lepontiis circa *Bilitionem*, vbi Turonensis Gregorius posuit; an, vt vulgus existimat, supra Clauennam & circa Curiam Rhætorum.

Eadem Theodosiana Tabula a Curia ad Lacum Brigantinum descendentes ducit per *Magiam*, nunc Meyenfeld: & *Cluniam*, propius lacum, vbi nunc oppidum est Feldkirchen. Sed ad Rheni fontes est remeandum. Ptolemæus in Rhætia ponit oppidum Ταξγαίτιον, πρὸς τὴν κεφαλὴν τοῦ Ῥήνου ποταμοῦ, *Taxgætium*, *ad caput Rheni fluminis.* Ad citeriorem Rhenum, qui Germanis ita dicitur, est vicus, qui vulgo vocatur Tavêtsch, quem ex nominis nonnulla conuenientia Cluuerius, & alii, putant Ptolemæi *Taxgætium* esse. Ipsi autem fontes Rheni sunt in monte *Adula*, vt Strabo illam partem Alpium (μέρος τῶν Ἄλπεων) vocat: quamuis Ptolemæus lib. II cap.

cap. IX Adulam montem cum Rheni fontibus non in ipsis Alpibus, sed ἐπὶ τὰς Ἄλπεις ὄρη, *ad Alpinos montes* constituat. Sed Cæsar lib. IV cap. X *Rhenus oritur ex Lepontiis, qui Alpes incolunt.* Lepontii ergo, de quibus iam dictum est, eo vsque pertinuerunt, & omnis ille montanus tractus est Alpium.

NORICVM.

NORICVM, prouincia Romana, inter Danubium & Alpes Noricas, ab Aeno amne, qui a Vindelicia; ad Cetios montes, qui a Pannonia disterminant. Quo tractu magna pars Austriæ & archiepiscopatus Salzburgicus cum omni Stiria & Carinthia continentur. Limitem hunc Ptolemæus descripsit lib. II cap. XIV, scilicet μέρει τοῦ Δανουβίου τῷ ἀπὸ τοῦ Αἴνου ποταμοῦ μέχρι τοῦ Κετίου ὄρους, *parte Danubii, qua ab Aeno est ad Cetium montem.* qui quidem limes septemtrionalis est, alios tam ab ortu & occasu vna definit. Supra quoque ex Taciti Hist. lib. III cap. V ostendimus *Aenum flumen Rhætos Noricosque interfluere.* Rhætos, id est Vindelicos, qui etiam Rhætorum nomine adpellantur. Et clarius ibidem Ptolemæus: Τὸ Νωρικὸν περιορίζεται ἀπὸ μὲν δύσεως Αἴνῳ ποταμῷ· ἀπὸ δὲ ἀνατολῶν τῷ Κετίῳ ὄρει, *Noricum circumscribitur ab occasu Aeno fluuio: ab ortu, monte Cetio.* Australis limes incertior est, nec pari cura aut claritate a Ptolemæo expressus, magisque ex oppidis & doctorum hominum iudicio, quam stabili termino definiri potest.

Olim regnum erat, & propriis regibus Noricum parebat. Mentio *regni Norici* exstat apud Velleium lib. II cap. CIX, & Suetonium Tiber. cap. XVI. *Regis Norici* meminit Cæsar lib. I B. Gall. sub finem, & Ciy. B. lib. I cap. XVIII. Hinc *Noricum* simpliciter regio dicebatur, etiam quum desiisset regnum esse; Ptolemæus supra, τὸ Νωρικὸν *Noricum*, de sua ætate. Tacitus Hist. lib. I cap. XI *Rhætia, Noricum, Thracia:* & cap. LXX *cunctatus, num Rhæticis iugis in Noricum flecteret.* Idem Annal. II cap. LXIII *Noricam prouinciam* dixit. Populus, *Norici* sunt, vt passim exempla prostant. Domuit Augustus Tiberii ductu, tamquam socios Pannoniorum. Vnde est quod Dio lib. LIV pag. 534 οἱ Παννόνιοι τοῖς Νωρικοῖς αἴτιοι τῆς αὐτῆς δουλείας ἐγένοντο, *Pannonii Noricis caussa seruitutis fuerunt.* Adde Velleium lib. II cap. XXXIX, vbi quando prouincia facta fuerit, describitur. De administratione prouin-

ciæ

ciæ pauca exstant in antiquis monimentis. Tacitus Hist. lib. I cap. XI *Noricum* in iis prouinciis numerat, *quæ procuratoribus cohibebantur*, id est, quas procuratores vice præsidum regebant, vt Pilatus Palæstinam: aut turbulento illo tempore ordinarii præsides cessabant, quod ciuilibus non raro bellis factum est.

Diuisa fuit prouincia in duas, sed quando, incertum: credibile tamen, non ante diuisionem factam esse, quam reliquæ prouinciæ sub Diocletiano & Constantino in plures dispescerentur. In quo nobiscum facit vir summus Thomas Reinesius Inscript. pag. 32. Desunt antiquiora indicia. Sextus Rufus cap. VII *Sub Iulio & Octauiano Cæsaribus per Alpes Iulias iter factum est: Alpinis omnibus victis, Noricorum prouinciæ accesserunt.* id est: tum Noricum accessit, quod Rufi ætate duæ prouinciæ erant. Et cap. VIII *Habet Illyricus septem & decem prouincias: Noricorum duas, Pannoniarum duas*, & reliquas. Diuidi autem cœpit in *Noricum Ripense*, quod per ripam Danubii erat: & *Noricum Mediterraneum*, quod vergebat ad Alpes. Neutrius latitudinem cognouimus, & incertum prorsus, quousque Ripense in austrum suos fines, aut alterum, in septemtrionem protulerit: ac in vniuersum pauca de hac diuisione litteris tradita fuerunt, & vix singula exempla vtriusque. Notitia Imperii Occidentalis *Dispositionem viri spectabilis Ducis Pannoniæ Primæ & Norici Ripensis* habet: quod argumento est, rei militaris curam vni duci in vtraque prouincia commissam fuisse. *Mediterranei* exemplum præbet lapis Celeiensis apud Gruter. pag. 283 num. 5

D. N. FL. CONSTANTINO
CLEMENTISSIMO ATQ. VICT. AVG
MARTINIANVS V. P. PRAESES
PROVINC. NORICI MEDITERR
D. N. M. EIVS.

Antiquiora, vt dixi non suppetunt, nec Ptolemæus Antoninorum ætate geographus quidquam de gemina prouincia habet, sed vnum tradit & exponit Noricum. Flumina Norici, in limite ab ortu *Aenus*, a septemtrione *Danubius*, ab austro forte, ex parte saltem, *Sauus*, de quo plura infra: in mediterraneis *Drauus*, in Rhætia ortus, in Norico adolescens: & *Murus*, natus in Norico, & cum Drauo in Pannoniam delabens: & *Anisus*, siue *Anasus*, tam ortus

quam conditus intra fines Norici, quippe in Danubium intra limitem exit, nunc *Ens* adpellatus: & *Iouauus*, qui Iouauum seu Iuuaviam oppidum præterlapsus, quod *Salzburg* hodie vocatur, in Aeni flumen effunditur. Diues prouincia ferri & chalybis olim quoque, vt hodie Stiria, pars Norici; & inde optima ferramenta. Horatius lib. I oda XVI

Tristes vt iræ, quas neque Noricus
Deterret ensis:

& Epodon XVII vers. 71 *ense pectus Norico recludere*, id est acutissimo. Et Ouidius Metamorph. XIV vers. 712

Durior & ferro, quod Noricus excoquit ignis.

Oppida Norici Ripensis, siue in ripa Danubii ab Aeno vsque, sunt primum *Boiodurum*, Aeno fluuio seiunctum à *Batauis* castris, quæ cis Aenum in Vindelicia erant; nunc *Innstadt*. Ptolemæus quidem in Vindelicia Βοιόδουρον, & Tabula Peutingeriana sine intervallo cum *Castello*, quod Batauorum erat, *Bolodurum*, id est *Boiodurum* coniungit; quod vero Cæsar lib. I Bell. Gall. cap. V dixit, *Boios, qui trans Rhenum incoluerant, & in agrum Noricum transierant*, & reliqua; & ager Noricus ab Aeno incipit, in quem transierant ex patria Boiohemo; consequens Cluuerio videtur, vt *Boiodurum*, a Boiis in illo transitu conditum, potius extra Vindeliciæ limitem, in principio Norici, seu dextra Aeni ripa, constituatur. Antonini itinere ex Pannonia per ripam, XXIIII millibus a Quintanis castris in ortum reducitur. Notitia Imperii sub dispositione ducis Pannoniæ Primæ & Norici Ripensis: *Tribunus cohortis Boiodoro*. At in eadem Notitia sub duce Rhætiarum, *Tribunus* est *cohortis nouæ Batauorum Batauis*: quod luculente probat, coniuncta in Tabula *Castellum Batauorum* siue *Batauа* castra, & *Boiodurum*, in diuersis fuisse prouinciis, & sub diuersis ducibus, quod esse non potest, nisi Aeno separentur.

Sequuntur in ripa, itinere Antoniniano, *Stenacum*, quod ignotum est: dein *Iouiacum*, quod etiam in Notitia sub laudati ducis dispositione memoratur, *Præfectus* scilicet *secundæ Italicæ militum Liburnariorum Iouiaco*. Sed de hoc infra pluribus. In eadem Notitia *Equites sagittarii Lentiæ* locantur, quæ *Lentia* haud dubie Lintz est, clara ciuitas Superioris Austriæ, prope confluentem *Trauni*, ad quem fluuium, introrsus paullum, vt tamen cum

ripa

ripa iungatur in Itinerario, sunt *Ouilia* Tabulæ, Antonini *Ouilabis*, quam insignem vrbem & coloniam fuisse, inscriptio vetus testatur, ad ripam Anisi in Austria reperta, apud Gruterum pag. 345 num. 8

PONTIF. COLONIAE AVRELIAE
ANTONINIANAE OVIL.

Ex quibus intelligitur, oppidum *Wels* haud dubie esse, quia nihil in illo tractu inuenitur, quod tam claræ coloniæ nomen tueri æque possit.

Iam Trauno transmisso, in ripa ex itinerario habemus *Lauriacum*, itidem nobilem coloniam, & caput, vt putatur, Norici Ripensis. Certe, quod ex Ecclesiæ Notitia constat, metropolitanam dignitatem accepit Sirmiensi exstincta. Vide Caroli a S. Paulo Geograph. Sacr. pag. 73. Notitia Imperii *Præfectum legionis secundæ* ponit *Lauriaco:* & mox, *Præfectum classis Lauriacensis*. Scribitur & *Laureacum*, & MILITES LAVREACENSES inscriptione veteri, quæ ex agro Laureacensi Vindobonam translata est, apud Lazium de Rep. R. lib. XII sect. VII cap. V, & Gruterum pag. 164. n. 3. Addit aliam Cluuerius, qua *Colonia Aureliana Laureacensis*, quam nescio cuius fidei sit, aut a quo ex lapide transscripta: nec vero coloniam fuisse dubitandum est, quæ præfectum legionis, præfectum classis fluuialis habuit, in quam tot itinera fuerunt directa, vel ex ea alio instituta: vt Aquileia, & Sirmio, & Tauruno Lauriacum; & Lauriaco Brigantium, & Veldidenam. In Tabula, eius loco conspicitur *Blaboriciaco*, quod haud dubie ex *Lauriaco* deprauatum est. Hodie ex nomine restat pagus *Lorch* ante mœnia ripensis oppidi *Ens*; ad cognominis fluuii, quem Sanctorum vitæ Anisum vel Anasum vocant (apud antiquos legi non memini) & Danubii confluentes.

In Tabula proximum *Elegium*, obscurus locus, forte quod ex distantia coniicitur, vicus Erlach, nomine non plane dissonante. Inde Antonini Itinerario est *Lacus Felicis*, oppidi nomen, in Notitia etiam Imperii significatum, quæ duci Norici Ripensis subdidit *Equites sagittarios Lacufelicis*, composito vocabulo. Locus & distantia fert in Ober-Wels. Tabula addit locum *Ad pontem Isis*, qui & nomine & distantia respondet oppido *Ibs*, ad confluentem cognominis amnis. Vlterior est *Arlape*, itineribus a Sirmio & Tauruno Lauriacum: a qua classis cognominata fuit. Notitia enim Im-

perii etiam *Præfectus classis Arlapensis* cognominatur. In Theodosiana corrupte *Arelate* scribitur: a Ptolemæo corruptius Ἀρέδατη in Norico. Tabula quoque nominat locum *Namare*, qui latet, quamuis ad Melck Cluuerius referat: & *Trigisamum*, quod forsan oppido Trasmur respondet; & tandem *Pirum Tortum*, quo loco dicitur Pixendorf esse, vt dubitare possis, an Romani recte adpellauerint, aut bene descripserint amanuenses. *Cetium* Itinerarii, in Tabula *Citium*; a monte *Cetio* nomen trahit, situm haud dubie ad radicem eius, inter ipsum & Danubium; inter quod & Vindobonam *Comagena* sunt, dubium, vtrum ad Pannoniam, an ad Noricum referendæ: ipsam vero Vindebonam, quam Cluuerius etiam Norico, & Aequinoctium, & Carnuntum adscribit; cum Ptolemæo Pannoniæ vindicabimus. Vt vero Norici Danubianam ripam cognoscamus distinctius, ex Itinere per ripam Pannoniæ in Gallias, pauca excerpemus.

Vindebona			
Comagenas	M.	P.	XX
Cetium	M.	P.	XXX
Arlape	M.	P.	XX
Lacum Felicis	M.	P.	XXV
Lauriacum	M.	P.	XX
Ouilabim	M.	P.	XVI
Iouiacum	M.	P.	XXVII
Stanacum	M.	P.	XVIII
Boiodorum	M.	P.	XX.

Ad interiora Norici lustranda properamus. Ad Aenum *Pons Aeni* ex itineribus Antonini, quem supra aliquoties inferiorem diximus, vt a superiore vrbe nobilissima Inspruck, quæ recentior est, discerneretur. Incertum vero, si quid adpositum ponti fuit, vel vicus vel oppidum; fueritne in dextra, an sinistra fluminis ripa. Cluuerius existimat illum transitum esse, qui recta Monachio Salburgum fert, ad oppidulum Alt-Hohenau. Vide Itinera a Lauriaco Veldidenam, & indidem Brigantiam. Et plura de eo in Vindelicia diximus propter ambiguum illius situm. Est quoque idem locus quem Antoninus *Pontem Aeni*, & Tabula *Ad Enum*, (vbi A excidisse videtur) adpellauit. Post paullo ad flumen, quod ex lacu Chiemensi exit, *Bidacum* Antonini, *Bedaium* Tabulæ, veteri editione

editione Bertii; noua Norimberg. male *Bodaios* quod Ptolemæi βάδακον, *Badacum* est. De inscriptionibus, ad quas Cluuerius provocat, vt coloniam fuisse probet; malo tacere, quam incertum adferre. Quod enim AVGVSTA BADACVM in lapide legi ait, vellim vbi sit ille, aut quis prodiderit, subscripsisset. Gruterus pag. 431 num. 6 AVG. BAD. sed Romæ exstat ille lapis, perpaucis litteris signatus, nec vllum in eo signum, quod nos in Noricum remittat. Reinesius classe I inscript. CXLVIII BEDAIO AVG. habet, sed idoli nomen aut numinis loci, quod licet commune fuerit cum oppido, non tamen probauerit coloniam fuisse. Ceterum & Pontis & Bidaii situs vt cognoscatur apertius, ex itinere a Lauriaco Veldidenam, hæc adpono:

Iouauo			
Bidaium	M.	P.	XXXIII
Pontem Æni	M.	P.	XVIII
Isiniscam	M.		XX.

Supra lacum Chiemensem fuit Plinii *Claudia* lib. III cap. XXIV, quæ sitne idem oppidum, quod Ptolemæi Κλαυδιόνιον, *Claudiuium*, non habeo dicere, quod suum Ptolemæus in Danubii ripa posuit: Cluuerius, vtrumque idem ratus, supra lacum, quem dixi, retraxit. Longius abiit Harduinus, vtrumque Clagenfurt, quod prope Drauum est, interpretatus. Reinesius Class. III inscr. 57. huc refert lapidem in castro Leibnitio Sti■

DIVO CO. POS
M. CLAVD.

quod *municipium Claudinum* legit: sed neque adsentiri, neque refutare animus est.

Ad *Iouauum* fluuium superiori loco est *Vacorium*, Ὀυακόριον, Ptolemæi; Tabulæ Peutingerianæ *Vocarium*, quod nunc in vico quæritur. Infra illud *Cuculli* siue *Cuculla*: in Tabula enim scribitur *Cuculle*. Eugippius Vita S. Seuerini cap. XI *In castellum, cui erat Cucullis vocabulum, vir sanctus venerat.* Tum sequitur celebre *Iouauum* siue *Iuuauia*: in Itinerario *Iouauim*, quarto casu, *Iuaui* sexto, quem secundum putat Cluuerius, ab *Iouauum*. Tabula *Iuaui*: Notitia Imperii sub duce Pannoniæ & Norici, *Iuuense*, puta, castellum: Inscriptio apud Reinesium Class. III num. 29, & Notitia Ecclesiæ, *Iuuauia*. Inscriptio alia apud Gruterum pag. 265

num. 4, imperatori Seuero dicata, COL. HADR. IVVAV. *Hadrianæ* cognomen auctorem coloniæ significat, quæ caussa est, cur veteres illius nullam rationem habuerint. Sed cur nec Ptolemæus? Cluuerio videtur vetus nomen posuisse Γαυανόδουρον, *Gavanodurum*, si modo nec hoc corruptum est, & propius ad vocabulum *Iuuaui* reducendum. Et quia hi lapides Salisburgi reperti, non dubitandum, archiepiscopalem vrbem esse veterem Iuuaviam, quod etiam medii æui scriptores, vtrumque vocabulum componentes, non dissimularunt. Alia inscriptione apud Reinesium classe VI num. 36 est DEC. IVVAVE. id est, *Decurio Iuvauensis*: vt sic nec de scriptura, quam Lazius & alii in *Iuuana* perverterunt, dubitare amplius liceat. Infra Iuuauum, ad eumdem amnem, locanda est ex XVI millium distantia *Artobriga* Tabulæ, in quem locum forte incidit oppidum *Lauffen*.

Dextrorsum ab Iuuauo, prope lacum, cadit *Tarnanto* Tabulæ, & vbi ex lacu effluit Traunus amnis, *Laciacum* eiusdem, & Antonini ex Aldi editione, Itineribus a Lauriaco Veldidenam & Brigantiam: quo loco hodie est Gemünd. Vtrobique Bertius & Schottus ediderunt *Iouiacum*, quod nomen nescit Cluuerius quo referendum sit. Et in Notitia etiam sub duce Norici Ripensis est *Præfectus secundæ Italicæ militum Liburnariorum Iouiaco*. Esto vero, *Laciacum* Antonini dubitari posse, tamen ex Tabula firmari potest, qua sexto casu *Laciacis* est inter Tarnantonem & Tergolapem. *Tergolape* ergo ad id flumen sequitur, vbi cum Alma confluit. Inde *Ouilabis* sequitur, quæ & *Ouilia* sunt; de quo loco supra dictum in ripa fuit.

Prope Danubium Trauno alius amnis adfunditur, qui vulgo Krems adpellatur. Ad hunc superiori loco est *Gabromagus* Tabulæ & Antonini, itinere ab Aquileia Lauriaco; & proxime *Ernolatia* Tabulæ: & infra hanc, eadem ripa, *Tutatio* Antonini dicto itinere, quod oppidum in Tabula *Tutastio* scriptum est, vt nesciatur, vtra lectio sit verior. Quæ sequuntur alia *Vetoniana* castra, a Vindelicis diuersa, ex eadem Theodosiana sunt Tabula.

Inter Anisum & Murum fluuios *Viscelli* siue *Viscellæ* cadunt, in Tabula descriptæ, quod nomen Cluuerius in Weltz latere putat, duplicis vici ibidem, superioris & inferioris vocabulo. Inde XIIII millibus locus *Ad Pontem*, in eadem Tabula, quem oportet esse

esse ad Murum flumen, &, vt ex distantia verosimile, in loco quo nunc est Murau. In illo tractu *Sabatinca* fuit, itinere Antonini ab Aquileia Lauriacum, in vico nunc obscuro latens: & paullo vlterior, XIIII millibus a Ponte, *Noreia* Tabulæ, quæ videtur illa Cæsaris esse lib. I B. Gall. cap. V *Boii, qui trans Rhenum incoluerant, & in agrum Noricum transierant, Noreiamque oppugnauerant.* Sic veteres libri, & metaphrastes Νωρηΐαν: recentiores *Noricamque.* Nec vero credibile, eamdem Plinii *Noreiam* esse, lib. III. cap. XIX, etsi *Tauriscis* eam tribuat, τῶν δὲ Νωρικῶν εἰσι καὶ οἱ Ταυρίσκοι, *Taurisci etiam ex Noricis sunt*, vt Strabo censet lib. IV pag. 142, sed ex iis Noricis qui ad Italiæ fines secesserant. Ibidem Strabo: Μετὰ τούτους οἱ ἐγγὺς ἤδη τοῦ Ἀδριατικοῦ μυχοῦ, καὶ τῶν κατ᾽ Ἀκυληΐαν τόπων, οἰκοῦσι Νωρικῶν τέ τινες καὶ Κάρνοι, *Post hos vicini iam Hadriatici Sinus intimo, & locis ad Aquileiam, habitant Noricorum quidam & Carni.* Eodem tractu inter Murum & Drauum in Tabula locus signatur *Grauiacis*, quasi *Grauiaci* casu nominandi, qui ex itineris tractu & nominis similitudine videtur esse *Gurck*, episcopale oppidum, propius tamen ad Murum quam ad Drauum. Sed aliter videtur Io. Ludouico Schönleben Apparatu Carniolæ Antiquæ.

Hinc ad *Drauum* progredimur, eiusque caput, circa quod limes Noricorum Rhætorumque est. Norica ibi oppida sunt *Aguntum* & *Loncium*, quæ Cluuerius Rhætis addit, Plinius vero lib. III cap. XXIV, & Ptolemæus lib. II cap. XIV *Aguntum*, quod remotius est, adscribunt Norico, quos sequimur. Plinius ibi: *Oppida Noricorum, Virunum, Celeia, Teurnia, Aguntum*, & reliqua. Ptolemæus, Ἄγουντον. Posteriores castellum vocant; etiam *Aguntus*, forma feminea, nominant. Paullus Diaconus Langob. lib. II cap. XIII *per Alpem Iuliam, perque Aguntum castrum, Drauumque & Byrrum fluuios.* Et Fortunatus de S. Martino lib. IV

Per Drauum itur iter, qua se castella supinant.
Heic montana sedens in colle superbit Aguntus.

Putant quidam esse locum, qui nunc vocatur Innichen, oppidulum in comitatu Tirolis. At *Loncium*, proxime Drauum, haud longe a fontibus fluentem, memoratur itinere Antonini ab Aquileia Veldidenam, nunc Lintz dictum. Inde ex interuallo est *Teurnia*, a Plinio lib. III cap. XXIV verbis modo recensitis in Norici vrbibus laudata, Ptolemæo Τεουρνία, *Teurnia*, quod non vile oppidum

pidum fuisse, ex magistratu adparet, in lapide apud Chimum lacum expresso, qui a Grutero pag. 473 num. 6 ita transscriptus est:

L. TERENTIO VERO
II VIRO TEVRN.
PR. IVR. DIC.

Alii aliter interpretantur: Cluuerius Villach, in ripa Draui, ducem sequutus Ptolemæum.

Hoc inter oppidum & Virunum supra Drauum, paullo reductior a ripa sinistra, fuit *Solua*, multis inscriptionibus nobilitata. Gruterus pag. 537 n. 1

C. CENSORIO
G. FIL. SERENO
FL. SOLVA - - -

quod Reinesius Inscript. Opere pag. 33 legit *Flauia Solua oriundo*. Et pag. 559 num. 5

D. . . M.
C. SABINIO C. F. SOLVA.

Et in saxo castri Leibnitii in Stiria, pag. 737. n. 2

POLTBIO SOLVENS
ET VELLECIAE MATRI.

Flauiæ prænomen a Fl. Vespasiano habuit, quod ex Plinii dicto loco, lib. III cap. XXIV manifestum est. Oppida enim Norici recensens, hoc *Flauium Soluense* nominat, quod male quidam, tamquam duo oppida essent, interpungunt. Colonia fuerit, an municipium a Vespasiano ornatum, mihi nondum est liquidum. Reinesius quidem pag. 33 citat inscriptionem ante datam C. SABINIO COL. FL. SOLVA: sed syllabam COL. non habet Gruterus. Censet tamen coloniam fuisse Wolfg. Lazius lib. XII R. R. sect. VI cap. V, & multa monimenta ex ruinis profert Romanæ vetustatis, in agro eruta, qui etiamnum dicatur *Solfeld*: ideoque etiam caput Norici Mediterranei constituit, vt Ripariæ fuit Lauriacum.

Nec minus nobilis vrbs fuit *Virunum*, itidem ad Drauum, per quam iter Antonini ab Aquileia Lauriacum, ducit: vnde de situ eius certiores sumus. Plinius in nobilibus Norici vrbibus primo loco numerauit. *Oppida*, inquit, *Noricorum*: *Virunum*, *Celeia*, *Teurnia*.

Teurnia. Ptolemæus, Οὐίρουνον, *Virunum*: Tabula Peutingeriana *Varunum*, praue. nam & antiquis inſcriptionibus *Virunum*. Gruterus p. 108. n. 7

SP. CENSORIVS IVSTVS VIRVNO
L. VOLCEIVS SEVERVS SESTINO
Q. SEXTILIVS RVFVS FLANONA
C. VALERIVS VERANIVS TRIDENTE.

qui ſinguli a patria ſimpliciter, auferendi caſu, nominantur. Quod ideo plenius volui adferre, vt quas ſupra de *Solua* inſcriptiones attulimus exemplis illuſtrentur: etiam de *Tridentis* vocabulo & ſingulari forma, quam ſupra ex Theodoſiana Tabula proferre memini, ex alio etiam monimento certiores fiamus. Et pag. 569 num. 7 Gruter. Inſcr. NAT. NORICVS COL. C. VIRVNO. Quæ ſi recte ſe ſe habent, (ne autem certus plane ſim, ex Gruteri ſcriptione eſt, qua COL vocali minuta curauit exprimi, quaſi ipſe abſentem ſuppleuerit) coloniam fuiſſe non erit, quod dubitemus. Cluuerius refert ad Carinthiæ oppidum *Volckmarck*: alii alio.

Heic finiremus Noricum, vt auſtralis terminus ſeptemtrionali, monti Cetio, reſponderet, niſi Plinius dicto loco *Celeiam* quoque, quæ longius in ortum ſolis ab hoc termino recedit, in Noricis vrbibus connumeraret. Tantum ergo, quæ inter Drauum & Sauum vſque ad Celeiam ſunt, adiungamus. A Viruno ſubiacet in auſtrum *Iuenna* Tabulæ Theodoſianæ, XXIII millibus paſſuum, ex quo coniicit Cluuerius eſſe Iaunſtein Carinthiæ. Exinde in occaſum vergit *Saloca* eiusdem Tabulæ; Selch eidem, de quo dubitant alii. Deinde propius ad Celeiam accedunt *Colatio*, & *Vpellæ*, eiusdem Tabulæ. Vtrumque creditur ad ripam *Sanæ* fluminis eſſe, quod infra Celeiam miſcetur Sauo. Inter vtrumque ponunt *Santicum* Antonini itinere ab Aquileia Lauriacum; Ptolemæi Σιαντικὸν, *Sianticum* in Norico; nunc *Saneck*, vt nomen & ſitus fert. Ipſa vero *Celeia* non difficilis inuentu eſt, quia nomen ſeruat, & inſignem Comitatum denominat. Ptolemæo quoque Κέλεια, *Celeia* in Norico poſtrema eſt, ſita ad eundem amnem Sanam, in cuius & Saui confluente Noricum finimus, vlteriora Pannoniæ relinquentes.

Quæ autem ad Drauum vltra Virunum sunt, itidem in censu Pannoniæ scribemus: licet non desint, qui etiam Noricum eo vsque extendant. Ammianus Marcellinus lib. XIV cap. XXXVII *venit Petobionem, oppidum Noricorum.* Sed malo limitem Ptolemæi, antea nobis quoque constitutum, quam varietates aliorum sequi: quod idem etiam de Vindebona, Carnunto, Peisone lacu (licet hunc etiam Noricis iungat Plinius lib. III cap. XXIV) intellectum velimus. Plura de limite qui cupit cognoscere, legat clarissimi viri Io. Ludouici Schönleben Apparatum Antiquæ Carniolæ cap. I num. V.

CAPVT·VIII

DE

PANNONIA, MOESIA, DACIA, ILLYRICO.

NOricum excipit *Pannonia*, Pannoniam *Mœsia*, cui Traianus *Daciam* ponte adiunxit: Pannoniæ, & ex parte Mœsiæ in austrum subiacet *Illyricum*. Fines *Pannoniæ* a Plinio describuntur lib. III cap. XXV, de iis, quæ post Noricum sunt, dicente: *Quæ pars ad mare Adriaticum spectat, adpellatur Dalmatia & Illyricum: ad septemtriones Pannonia vergit: finitur inde Danubio.* Sic duo latera habemus: australe, Dalmatiam: septemtrionale, Danubium. Quæ enim trans Danubium sunt, Germaniæ magnæ accessio erant. Et Dio Cassius lib. XLIX pag. 413 οἱ Παννόνιοι νέμονται πρὸς τῇ Δαλματίᾳ, παρ' αὐτὸν τὸν Ἴστρον, ἀπὸ Νωρικοῦ μέχρι τῆς Μυσίας τῆς ἐν τῇ Εὐρώπῃ. *Pannonii ad Istrum habitant, Dalmatis vicini; a Norico vsque Mysiam Europæam*, id est Mœsiam. Et Strabo ait lib. VII pag. 217 διατείνει μέχρι Δαλματίας, *pertingit* [Pannonia] *vsque Dalmatiam*, vt Sclauoniam & Bosniam comprehendat. Sed clarissime omnium, quamuis posterior, Iornandes de Reb. Get. cap. L, *Pannonia in longa porrecta planicie habet ab oriente Mœsiam Superiorem, a meridie Dalmatiam, ab occasu Noricum, a septemtrione Danubium.*

Nomen est *Pannonia*, quod an a *pannis*, ἐξ ἱματίων τινῶν, vt Dio Cassius lib. XLIX pag. 413 censet, equidem non intelligo, quia


Septentrio
Pag 546.
Germaniae Magnae
Sarmatiae Europaeae
Carpates Montes
Pars
Bastern
Roxolani
Noricipars
Pannonia
Deserta Boiorum
Sabaria
Carrodunum
Breuci
Vindobona
Gormanicum
Anarti
Napuca
Patrouissa
Salinae
Dacia Provincia Traiani
Sarmizegethusa Vlpia Traiana, Augusta Dacorum
Tiasum
Phrateria
Zeugma
Augusta Praetoria
Comidaua
Sandaua
Britolagae
Getae
Pons Darii
Istropolis
Tomi
Pontus
Scythae
Trosmis
Marcianopolis
Odessus
Anchialus
Apollonia
Buzia
Philopolis
Byzantium
Perinthus, et Heraclea
Thracia
Odrysae
Traianopolis
Bessi
Medi
Philippi
Bistonii
Samothrace
Thasus
Imbrus
Tenedos
Thessalonica
Aegeus
Amphipolis
Macedoniae
Pars
Epidamnus, Dyrrachium
Nymphaeum
Lissus
Olchinium
Rhizinium
Labeati
Scodra
Haemus Mons
Scordisci
Remisiana
Naissus
Dardania
Scupi
Mediana
Serdica Vlpia
Moesia Superior
Moesia Inferior
Ternobum
Triballi
Sirmium
Taurunum
Cornacum
Teutoburgium
Mursa
Siscia
Segesta
Celeia
Poetouia
Iapydes
Liburnia
Illyris
Dalmatia
Illyricum
Salona
Narona
Delminium
Epidaurus
Tergeste
Aquileia
Istria
Pola
Lissa
Corcyra Nigra
Mare Adriaticum
Melite
Iader
Scardona
Sicum
Draus Flu.
Saus Flu.
Danubius Fl.
Tyras Flu.
Pontus Euxinus
Propontis
Hellespontus
Chersonesus
Asiae Pars
Oriens
Meridies
PANNONIA
MOESIA, DACIA
ILLYRICUM

quia is addit, ἐπιχωρίως κατατέμνοντες καὶ προσαγορεύοντες, *patrio more concidere & denominare vestes.* At barbara lingua fuit patria, non Latina, nisi Latinus interpres tantum adlusit ad *pannum*, & sub ἱματίοις alia vox barbara latet. Oppido antiquum vocabulum. Ouidius lib. II Trist. vers. 225

Nunc tibi Pannonia est, nunc Illyris ora domanda.

Plinius Panegyr. cap. VIII *Adlata erat ex Pannonia laurea.* Populus, *Pannonii.* Tacitus Hist. II cap. XIV *quingenti Pannonii, nondum sub signis.* Et Ouidius ad Liuiam vers. 390

Summaque dispersi per iuga Pannonii.

An vero etiam *Pannones* dicantur, vt frequens recentioribus est; antiquis exemplis non ita clare probare licet. Muliebre tamen *Pannonis* est Lucani lib. VI vers. 220

Pannonis haud aliter post ictum sæuior vrsa.

Græcis sunt Παννόνιοι & Παννονία, Straboni lib. VII & Ptolemæo lib. II cap. XV: multis etiam Παίονες, & Παιονία, quod quamuis improbet dicto loco Dio Cassius, quia *Paonia* sit pars Macedoniæ, Thraciam versus; tamen grauissimi scriptores illa altera forma vsi sunt. Plutarchus in Pompeio pag. 640 Mithridatis ait consilium fuisse διὰ Σκυθῶν καὶ Παιόνων στρατὸν ἐλαύνειν ἐπὶ τὴν Ἰταλίαν, *per Scythiam & Pannoniam cum exercitu inuadere Italiam.* Herodianus lib. I cap. III ineunte de Marco morituro, διατρίβων ἐν Παίοσι, *agens in Pannonia:* & lib. II cap. IX itidem principio, διηγγέλλετο τὰ πραττόμενα ἔς τε Παίονας καὶ Ἰλλυριούς, *fama per Pannonios Illyricosque increbuerat.* Pæanius lib. VII cap. V sect. 6 Ἰλλυριοί τε καὶ Παίονες, *Illyrii & Pannonii.* Et lib. VIII cap. VI de imperatore Marco: τοὺς Παίονας ἠλευθέρωσε δουλείας, quo Eutropii verba, *Pannoniis seruitio liberatis*, expressit. Zosimus lib. II cap. XLIII de Vetranione: τὴν στρατηγίαν τῶν ἐν Παιονίαις στρατοπέδων ἔχειν ταχθείς, *dux exercituum in Pannoniis.*

Pannonia citius, quam adiacentes regiones, Noricum & Rhætia, diuisionem accepit: nec vero prius, quam illæ, suam in Primam & Secundam; prius autem vtique in *Superiorem* & *Inferiorem.* Nam Ptolemæo est lib. II cap. XV ἡ Παννονία ἡ ἄνω, *Pannonia Superior:* & cap. XVI ἡ κάτω Παννονία, *Pannonia Inferior* descripta. Et Dio Cassius lib. XLIX pag. 413 de se ipso: τῇ Παννονίᾳ τῇ ἄνω καλουμένῃ προσετάχθην, *Pannoniæ Superioris præses constitutus fui.*

fui. Et lib. LV pag. 564 in Legionum hibernis defignandis, decimam gemellam τῇ ἄνω, *Superiori* dat: decimamquartam τῇ κάτω, *Inferiori.* Terminus inter vtramque eft fecundum Ptolemæum cap. XVI ἡ τῦ Ἀρραβῶνος ποταμῦ ἐκτροπὴ, *diuertigium Arabonis fluuii.* Fueritne autem diuifio ante Antoninorum tempora fufcepta, equidem non habeo quod pro certo dicam. Plures veterum de Pannonia, vt vna, loquuntur: Velleius, Plinius vterque, Suetonius, Tacitus: nec infcriptiones, quæ vtriusque prouinciæ aut alterutrius nomen fingulatim tenent, antiquiorem ætatem certo præ fe ferunt. Vnus locus Taciti, principio libri de Germania, videri poteft geminam Pannoniam indicaffe: *Germania,* inquit, *omnis a Gallis Rhætiisque & Pannoniis, Rheno & Danubio fluminibus feparatur.* At quia fequitur, *a Sarmatis Dacisque*, quæ populorum nomina; quis mihi præftabit, *Pannoniis* prouincias, non populum, fignificari. Dicis, regionum effe quæ præcedunt, *Galliis Rhætiisque;* de *Galliis* apertum: de *Rhætiis* dubium, quia plane mihi ex genio auctoris & æqualium videtur effe, *a Gallis Rhætisque & Pannoniis;* ficut fubfequitur *a Sarmatis Dacisque:* & fupra de *Vindeliciæ* nomine exempla adpofuimus, quibus regionum & gentium vocabula vna ferie narrationis coniunguntur. Nec de Rhætia Tacitus alibi, aut æquales, pluraliter. Confirmat nos Suetonius Vitellio cap. XV his verbis: *defciuerunt ab eo exercitus Mœfiarum atque Pannoniæ: item ex transmarinis Iudaicus & Syriacus.* Diftinguuntur Mœfiæ: Pannonia vna narratur.

Amnes Pannoniæ nauigabiles, *Danubius* a tergo, quam longa eft, prætenfus: mediam fecant *Drauus* & *Sauus*, Plinio *Saus.* Singuli minores recipiunt. Prætermiffis, quorum nomina in antiquis monimentis non fuperfunt; *Danubius* recipit *Arabonem*, Ptolemæi Ἀρραβῶνα, vulgo dictum *Raab: Drauus*, Straboni lib. VII Δράβος, *Drabus;* Plinio *Draus;* hic vero Drauus, fiue Draus, *Murum* ex Norico delabentem; quem volunt Ptolemæi Σαυαρίαν, *Sauariam* effe, vti in Palatino codice fcriptum eft lib. II cap. XVI: & fupra confluentem cum Danubio, *Valdafum* Plinii, qui videtur flumen *Walpo* effe: Sauus autem, vt vulgo vocatur, dictus etiam a Strabone lib. VII pag. 217 Σάυος; a Dione Caffio lib. XLIX pag. 414 Σαῦος, *Sauus*, a Trogo fiue Iuftino lib. XXXII cap. III bis *Sabus* (memorat autem *confluentem Danubii & Sabi*, & ...ius a Stra-

bone lib. IV pag. 143 & Ptolemæo lib. II cap. XVI Σάος; a Plinio *Saus*: hic, inquam, Sauus, siue Saus, accipit *Colapin* Strabonis & Plinii, qui Κόλοψ, *Colops* est Dionis dicto loco; vulgo nunc *Culpa*, qui apud Segesticam insulam se Sauo infundit: & inferius *Drinum* Ptolemæi, ex Dalmaticis montibus decurrentem; & *Bacuntium* Plinii, in agro Sirmiensi. Plinius de his ita lib. III cap. XXV *Amnes clari & nauigabiles in Danubium defluunt, Draus e Noricis violentior; Saus ex Alpibus Carnicis placidior. - - - Praterea amnes memorandi, Colapis in Saum influens iuxta Sisciam: - - - - alter amnis Bacuntius in Saum Sirmio oppido influit. - - - Supra* [Saui confluentem] *influunt Valdasus, Vrpanus, & ipsi non ignobiles.* Vrpanum quem nominat, non nouimus, nisi quod Ortelius in Tabula eum *Vrpanum* dixit, qui vulgo nunc Sarwitz vocatur, & supra Draui confluentem Danubio miscetur.

Fluminibus addendæ sunt insulæ ab ipsis circumclusæ. In Danubio plures sunt, sed ab antiquis scriptoribus, quod sciam, numquam nominatæ: in Sauo autem duas descripsit Plinius dicto cap. XXV lib. III *Insula*, inquit, *in Sao Metubarris, amnicarum maxima. Praterea amnes memorandi: Colapis in Saum influens iuxta Sisciam, gemino aluco insulam ibi efficit, qua Segestica adpellatur.* Strabonis est lib. IV pag. 143 ἡ Σεγεστικὴ πόλις, *Segestica vrbs*, sed locus ille vitiatus, quo multa confunduntur. Sunt præterea, qui *Metubarrim* vocant illam insulam, quæ ad Colapis confluentes est: sed illa est Segestica, vt Plinius nominauit, distinxitque a Metubarri. Sunt autem inferiori parte Saui aliæ insulæ maiores, e quibus quæ circa Drini confluentes est, Lazius putat Plinii Metubarrim esse. Potuit etiam situs insulæ, alueo mutato, vt sæpe fit, perire, ac plane faciem a priore aliam induere.

Montes Pannoniæ sunt, in Norici limite Κέτιος, *Cetius*, vnde initium Pannoniæ ab occasu est. Vulgo *Kahlenberg*, quod nominis quia etiam iuxta Saui ripam est, ex aduerso Celeiæ siue Cilly; coniicit Io. Lud. Schönleben in Carnioliæ Apparatu, ad Sauum vsque *Cetios* montes protensos fuisse. Plinius dicto loco laudat *montem Claudium, cuius in fronte Scordisci, in tergo Taurisci.* Scordisci orientem versus, πρὸς ἕω, Pannonios accollebant, Strabone auctore lib. VII pag. 219. Ipse Strabo p. 217 *Ocram* montem definit ταπεινότατον μέρος τῶν Ἄλπεων, *humillimam partem Alpium*, porre-

ctarum a Rhætis ad Iapodes. Ergo in extremis finibus Pannoniæ fuit. vbi & *Albius* mons, *ἕως τελευτῶν τῶν Ἄλπεων*, *extremus Alpium*, vt ibidem Strabo dixit, siue Alpium finis, sub quo siti Iapodes.

Populi Pannoniæ varii & multi enumerantur, sed plerique obscuri & ignoti. Plinius ibidem: *Draus per Serretes, Serrapillos, Iasos, Andizetes: Saus per Colapianos Breucosque defluit. Populorum hæc capita. Præterea Ariuates, Azali, Amantes, Belgites, Catari, Cornacates, Erauisci, Hercuniates, Latouici, Oseriates, Varciani.* E quibus Azalos, Vercianos, Iassios (sic scribit vtrosque) Ptolemæus in Superiore Pannonia locat: Breucos, Amantenos (*Amantes* Plinii) & Arauiscos, siue Erauiscos; nec non Scordiscos, in Inferiore. Andizetes, per quos Drauus labitur, sunt Strabonis Ἀνδιζήτιοι, *Andizetii*, lib. VII p. 217, qui quod vltimo loco a Plinio ponuntur, non dubitamus ad Inferiorem prouinciam pertinere. *Colapiani*, ex flumine, quod accolunt, origine hominis, intelliguntur Superioris prouinciæ fuisse. *Latouici* quoque in Superiorem referendi sunt, quia *Prætorium Latouicorum*, apud Antoninum itinere ab Aemona Sirmium, in eam partem cadit ripæ Sauiæ post confluentem Sanæ. Ceteræ tam Ptolemæi quam Plinii gentes Pannoniæ sunt ignobiles & ignotæ: etiam Strabonis Pirustæ, Mazæi, Dæsiatæ, quorum princeps Baton fuit.

Alias diuisiones Pannoniæ in Primam, Secundam, Sauiam, Valeriam, quia posterioris æui omnes sunt, in Geographia medii æui explicabimus.

PANNONIA SVPERIOR.

Ptolemæo dispensatore *Pannonia Superior* Cetio monte & Arabone fluuio continetur, angustiore quidem spatio quam Inferior, sed quod in austrum procursione longa compensatur. Primum ripam Danubii expediemus: deinde sensim in austrum ad interiora progrediemur.

Ad Cetium montem fuit *Cetium*, oppidum forsan, VI millibus a Vindobona secundum Tabulam Peutingerianam: immani spatio secundum Antonini rationes itinerarias, quæ ideo suspectæ in hac parte sunt, maiorque fides Tabulæ habenda. Etiam ipsa loca conturbat Itinerarium, Cetio & Vindobonam

Coma-

Comagena interponens, in Tabula vero hoc ordine ponuntur

Comagenis VII *Citio* VI *Vindobona.*

Prima vrbs post Cetium, quod limitem sub cognomine monte habet, *Vindobona* est, in Tabula Theodosii, & Itinerario Antonini; siue, vt Victor Schotti de morte Marci Antonini scripsit, *Vendobona.* Ptolemæus Ιελιόβωνα, *Iuliobona*, mendose, vt videtur, quia omnes ceteri prioribus syllabis *Vindo-*, *Winde- Vendo-* consentiunt. Nam Notitiæ Imperii sub Duce Pannoniæ Primæ est *Præfectus legionis decimæ Vindomanæ.* Et Iornandes de Rebus Get. cap. L *Ornata patria ciuitatibus plurimis, quarum prima Sirmis, extrema Windomina*, vt Lindenbrogius, siue *Vindomina*, vt Hugo Grotius edidit: ex quo vulgare nostrum *Wien* videtur esse contractum. Cluuerius quidem M antiquius in hoc vocabulo censet, quam B, & pro dialecti diuersitate *Vindomina*, *Vindomana*, *Vindomona* pronuntiatum fuisse: post demum B in locum M adsumtum: sed nolim id adfirmare, quia antiquiores sunt, qui Vindobona vel Vendobona, quam qui secus vocabulum scripserunt. Accedit in syllaba, de qua disputatur, Ptolemæus, antiquissimus forsan, qui vrbis mentionem fecit, cui posterior pars βωνα est, non μωνα. De ætate eius vrbis non satis constat, quia ante Ptolemæum nulla eius memoria: & Tiberii tempore nondum exstitisse vel nondum claram fuisse Velleius Paterculus lib. II cap. CIX non obscure significat, dum dicit *Carnutum*, siue *Carnuntum*, fuisse ex parte Romanorum *proximum regni Norici.* Ex quo consequitur, inter Carnuntum & Noricorum fines nullum clarum oppidum fuisse Velleii temporibus: alias non proximum fuisset Carnuntum. Quamquam vero clarius olim Carnuntum fuit, quam Vindobona; tamen nec ignobilis postea Vindobona fuit, quæ hiberna *Legioni* X *Geminæ*, vt in itinerario est, præbuit.

Inter Vindobonam & Carnuntum Itinerario ponuntur *Ala noua* & *Aequinoctium*: vtrumque etiam in Tabula, sed prius corruptum *Villagai.* Tum deinde nobilis vrbs in ripa fuit *Carnuntum*, aliis *Carnutum.* Sed *Carnuntum* scripsit Plinius, Eutropius, auctores Itinerarii & Tabulæ Theodosianæ; etiam Spartiani codice Palatino in Seuero cap. V, quem Salmasius tuetur & sequitur. Dubii sunt editorum dissensione Velleius Paterculus & Ammianus Marcellinus,

cellinus, quibus Bœclerus & Valesius *Carnuntum*; Vossius & Lindenbrogius *Carnutum* reddiderunt. Sed verius *Carnuntum*, quia Ptolemæo Καρνοῦς est recto casu, vnde *Carnuntis* obliquo est; & Latina forma etiam recto *Carnuntum*, vt ab *Hydrus*, *Hydruntum*. Valesius etiam ad Liuium prouocat, qui lib. XLIII ineunte *Carnuntem munitam vrbem* dixit, quasi Polybium pro more imitatus, Καρνοῦντα expresserit Græce scriptum: licet de ipsa vrbe dubitare possis, vtrum Romani Illyrico bello, ex Macedonia suscepto, vel fama eo vsque pertingere potuerint. Cippo Romano legitur apud Gruterum Inscript. p. 1032 num. 2 NATVS CARNVNTO, quod orthographiæ rationem confirmat. Plinius lib. IV cap. XII *Pannonica Hiberna* hunc locum nominauit. *Superiora*, inquit, *inter Danubium & Hercynium saltum, vsque ad Pannonica Hiberna Carnunti*. Quod posteriores etiam ita seruarunt. De Marco enim imperatore Eutropius lib. VIII cap. VI *quum apud Carnuntum iugi triennio perseuerasset*. Et de Seuero Spartianus cap. V *multis hortantibus repugnans imperator est adpellatus apud Carnuntum*: & ibi *Legio* XIIII *Gemina*, vt in itinere ex Pannonia per ripam est, in præsidio fuit, aut statiua habuit. Ammianus quidem lib. XXX cap. V Valesii (XVII Grut.) *Illyriorum oppidum* vocat: sed ex consuetudine temporis sui, quo Pannoniæ & Noricum partes Illyrici magni erant sub præfecto prætorii per Illyricum. Rectius, more veteri, Aurelius Victor in Marco & Vero, *vrbem* dixit *Pannoniæ*. Fuit autem fere ex aduerso confluentis Mari, vbi nunc est Haimburg; aut in pago propter illud reliquiæ inuestigandæ.

Post Carnuntum XIIII millibus est *Gerulata*, itinere Antonini per ripam, & in Notitia Imperii singulariter; in Tabula pluraliter inflexum, quo loco nunc Kerlburg visitur. Inde æquali prope spatio siue XVI millibus est *Ad Flexum*, puta Danubii, in austrum declinantis, vt in Tabula vocatur: siue simpliciter *Flexum*, in Itinerario & Notitia: & Ptolemæo Φλέξον: nunc Owar, nostris Altenburg. *Quadratum* succedit, Antoniniano itinere & in Notitia, sub media Schütta insula, vbi Tabula habet *Stailucum*, qui vel idem vel coniunctus locus est: nunc vicus Wiselburg. In eadem Imperii Notitia, sub Pannoniæ Primæ duce, est Cuneus equitum *Stablesianorum*, & *Præfectus militum Liburnariorum Arrabonæ*: qui locus haud dubie ad Ptolemæi fluuium Ἀῤῥάβωνα est, nunc Raab dictum.

dictum. Ex quo probabiliter consequi credas, vt fluminis nomen, sic quoque oppidi cum munitissimo *Rabe* conuenire. Sic Cluuerio videtur de Notitiæ Arrabona. Alio nos infra ducent Itinerarii & Tabulæ rationes. Sed hæc satis sint de ripa Danubiana Panno-niæ Primæ.

Intus est primum *lacus Peiso*, hodie Neusidler See; de quo Plinius lib. III cap. XXIV. *Noricis iunguntur lacus Peiso, deserta Boiorum.* Iunguntur, inquit, hoc est vicina sunt, non in ipso Norico. *Pelsonem* Aurelius Victor, quem Schottus edidit, adpellat, vt alterum nomen corruptum esse oporteat. *Agrum*, ait de Galerio, *satis reipublicæ commodantem, cæsis immanibus siluis, atque emisso in Danubium lacu Pelsone, apud Pannonios fecit.* Iornandes Rer. Get. cap. LII & seq. *lacum Pelsodis* dixit, quod videtur lectionem Victoris, præ altera, quæ Plinii est, corroborare. Adiacet *Mutenum* Antonini, itinere de Pannonia in Galliam, & a Sabaria Vindobonam; nunc Muzon quibusdam; aliis in altera lacus ripa prope Sempronium. Inde sunt *Boiorum deserta*, quæ Plinius dixit prædicto loco, iisque imposuit duo nobilia oppida. *Noricis*, inquit, *iunguntur lacus Peiso, deserta Boiorum: iam tamen colonia Diui Claudii Sabaria, & oppido Scarabantia Iulia habitantur.* Prima est colonia Claudii *Sabaria*, de qua nummus exstat apud Golzium & Harduinum, COL. SABARIA CLAVDIANA AVGVSTA. quo ipso in loco repertus lapis est his notulis inscriptus, apud Grut. p. 389 n. 1

L. VAL. L. FIL. CL. CENSORINVS
DC. C. C. S. ITEM VE. LEG. I

id est *Decurio coloniæ Claudiæ Sabariæ.* Ptolemæo in Pannonia Superiore est Σαυαρία. Sulpicius Seuerus Vita S. Martini cap. II *Martinus Sabariæ Pannoniarum oriundus fuit.* Epitoma Aurel. Victoris in Didio Iuliano: *Hoc tempore Niger Pescennius apud Antiochiam: in Pannoniæ Sabaria Septimius Seuerus creantur augusti.* quod Carnunti factum Spartianus supra dixit. Vterque locus castris idoneus. Ammianus Marcellinus lib. XXX cap. XX de Valentiniano: *commoda quærebat hiberna: nullaque sede idonea potiri, præter Sabariam, poterat.* Hodie Sarwar castrum videtur esse ad Guntiæ & Rabi confluentes in insula quasi positum. Hinc XXXIIII M. P. in septemtrionem aberat *Scarabantia*, quam Plinius *Iulia* cognomine ornauit, Ptolemæo Σκαραβάντια, etiam ex

Tabula, & Itinerario Antonini nota, quem locum hodie Scapring dici plerique tradunt, alii referunt ad Oedenburgum. In austrum a Sabaria vergebat *Arrabona* Tabulæ & Itinerarii, XX M. P. Pœtouionem versus remota, quam ad flumen cognomine fuisse non dubitamus: an vero hæc ipsa ad ostium eiusdem, quo Danubio miscetur, quod Cluuerius putat; nondum inducimur vt credamus. Proinde Notitiæ *Arrabona*, in qua castra *cuneus equitum Stablesianorum*, & *præfectus Legionis* X & XIIII *geminata militum Liburnariorum* castra habuerunt, eadem videtur fuisse, quæ Itinerarii & Tabulæ. Ordinem distantiarum ita Antoninus, itinere a Vindobona Petouionem, posuit:

Vindobona			
Aquas	M.	P.	XXVIII
Scarabantiam	M.	P.	XXXI
Sabariam	M.	P.	XXXIIII
Alicanum in medio Curta	M.	P.	XL
Petouionem	M.	P.	XXXI.

Sic etiam Tabula Peutingerorum, Drauum versus, ad austrum:

Scarabantio XXXIII

Sabarie XX

Arrabone.

Quod vero in eadem Tabula superius, Danubium versus iterum legitur

Ad flexum XIII *Stai luco* XII *Arrabo fl.* XXX *Brigantio*,

credibile fit, non solum fluuium ibidem significari; sed vel vicum vna, vel castrum, ad eumdem. Id quod etiam ex alio itinere Antonini a Sabaria Bregetionem videtur apertum esse:

Sabaria			
Bassianam	M.	P.	XVIII
Mursellam	M.	P.	XXXIIII
Arrabonam	M.	P.	XX
Bregetionem	M.	P.	XXX

Et iterum alio, a Sirmio Carnuntum:

Crispiana			
Arrabonam	M.	P.	XXV
Flexum	M.	P.	XXV
Carnuntum	M.	P.	XXX.

Quod

Quod si est, non vnam Arrabonam fuisse necesse est, alteram Dravum versus, alteram prope Danubium, aut ad Rabi confluentes. Cui displicet geminatio, sicut omnino suspecta est; corrigat oportet alterutra itinera, & falsitatis coarguat. Sequar lubens, si quid certi proposuerit.

Quæ superiori itinere a Vindobona Pœtouionem, primo loco *Aquæ* visuntur, XXVIII millibus a Vindebona in austrum distantes, celebres Austriacorum thermæ sunt, *Baden* dictæ. Restat hoc tractu *Carrodunum* Ptolemæi, cuius situs incertus est. Sunt tamen qui Kornburg ad amnem Rabum, nondum inflexum, interpretantur. Itineribus Antonini a Vindobona Pœtouionem, & Pœtouione Carnuntum locus dicitur *Alicanum, Halicanum, & Hilicanum*, & in libris quibusdam *Heclitanum*, qui ductu itineris ad Murum cadit, vbi nunc est Rackelsburg. Idcirco coniicit Cluverius, variantes has lectiones omnes corruptas esse, & genuinam forsan fuisse *Raclitanum.* Supra hoc oppidum ad idem flumen *Muroëla*, Μυρόελα Ptolemæi est, quam Mureck vulgo interpretantur: alii paullo superius reducunt.

Ad Drauum in finibus Pannoniæ est *Petouio* siue *Pœtouio* quæ & *Petauio* & *Petobio* legitur: nam varie scriptum hoc nomen est. Tacitus lib. III Hist. ineunte: *Petouionem in hiberna* XIII *legionis conuenerant.* Ammianus lib. XIV cap. XXXVII *venit Petobionem oppidum Noricorum.* At Tacitus Pannoniæ Alpibus opponit, & Ptolemæus corruptum Πατάυïον in Pannonia Superiore scripsit. Tabula Theodosiana *Petauione*, sexto casu. In lapidibus apud Gruterum pag. 533 num. 8, & pag. 766 n. 2 POETEVIONE: at pag. 529 n. 5 LVCILIO POETOVION. & pag. 266 n. 5 POETOVIENS. id est Pœtouienses. Antonini Itinerario est quoque *Pœtouio.* verbi caussa Pœtouione Carnuntum, Pœtovione Sisciam, Vindobona Pœtouionem instituta itinera: at Hierosolymitano, *Petouio.* E quibus id quoque apertum est, esse oppidum quod *Petau* hodie adpellatur, siue *Pettau.* Inter Pœtovionem & Celeiam medius locus *Ragondo* in Tabula & Itinerariis, qui periit. Nolim enim in monasterio, recentiore opere, cum Cluuerio inuestigare.

Ad Sauum progredimur, ad quem *Segesta* fuit, oppidum excisum, Strabonis Σεγεστικὴ πόλις, vnde *Segestani* apud Appianum in

Illyrici parte, cuius deficit Græca αὐθεντία. Insula Saui, quæ ad confluentem Colapim est, inde nomen ducit *Segestica:* ad quam, sed in australi ripa, oppidum *Siscia* non ignobile. De vtroque Plinius lib. III cap. XXV *Colapis in Saum influens iuxta Sisciam, gemino alueo insulam ibi efficit, quæ Segestica adpellatur.* Et paullo ante: *In ea* [Pannonia] *coloniæ, Aemona, Siscia.* Straboni est Συσκία, *Syscia*, lib. VII pag. 217. Ἐγγὺς, inquit, τῆς Σεγεστικῆς ἐστὶ καὶ ἡ Συσκία φρούριον, *prope Segesticam est Syscia castellum.* Ptolemæus in Superiore Pannonia Σίσκια, *Siscia:* Zosimus lib. II cap. XLVIII οἱ Σισκίαν τὴν πόλιν φυλάττοντες, ἐπικειμένην τῇ ὄχθῃ τοῦ Σάου, *præsidiarii vrbis Sisciæ, in ripa Saui sitæ.* Meminit & Velleius lib. II cap. CXIII. *Regressus*, inquit, *Sisciam*, Tiberius bello Pannonico. Et Prudentius Passione Quirini, episcopi Sisciensis, vers. 3

Vrbis mœnia Sisciæ
Concessum sibi martyrem
Complexu patrio fouent.

Antoninus itinera descripsit a Siscia Mursam; & Pœtouione Sisciam: quæ vero media interiacent, minus nobis sunt cognita. Tabula Theodosiana *Sisciam* in media insula Segestica, cum vrbis & coloniæ insignibus, constitutam habet. Nunc, nomine prodente, & itinerum ratione Sisek siue Sisseg vicus vocatur: splendor autem & frequentia, cum episcopali honore, abiit Zagrabiam vicinam.

Altera Pannoniæ colonia *Aemona* fuit, Plinio auctore lib. III cap. XXV. Scribitur etiam *Emona*, Græce Ἤμωνα, a Ptolemæo & Zosimo lib. V cap. XXIX. quam scripturam Casaubonus in Capitolini Maximinum Thracem cap. XXI veriorem censet, vt fuerit Ἤμων, inde Ἤμωνα, vt Narbo & Narbona. Herodianus lib. VIII cap. I ἣν καλοῦσι Ἡμᾶν, *quam Emam vocant*, praue: legendum Ἤμωναν cum Zosimo & Ptolemæo. Capitolinus dicto loco consentit in vocali: sed addit adspirationem, *Hemona*, sicut Pacatus Panegyr. Theodosii cap. XXXVII *Hæmona* scripsit; sed abesse potest spiritus secundum inscriptionem veterem apud Gruter. pag. 556 num. 5 C. PETILIVS C. F. CLA. PAVLLVS EMONA. Et Peutingerorum Tabula *Emona.* Nec vero diphthongus Plinii sine auctoritate est. Inscriptio alia pag. 475 num. I DECVRIONI AEMONAE. De situ etiam lis est. Herodianus ad Italiam refert

fert vt πρώτην Ἰταλίας πόλιν, *primam & limitaneam vrbem Italiæ*, quem sequitur Capitolinus dicto loco, *in Italia post Alpes* constituens. Sed non intellexit Herodianum, cui ἱδρυμένη πρὸ τῆς ὑπωρείας τῶν Ἄλπεων, *sita est ante radices Alpium Pannonicas*. nam sequenti die ἐπὶ τὰς Ἄλπεις ἠπείγοντο, *ad Alpes accesserunt*. Male verò Herodianus Italiæ fines, contra consensum omnium, trans Alpes remouit. Cum Plinio ergo Pannoniæ adscribamus: quam etiam Ptolemæus Pannoniæ Superiori adiunxit ita, vt sit μεταξὺ Ἰταλίας ὑπὲ τὸ Νωρικὸν Παννονίας, *inter Italiam sub Norico Pannoniæ*, id est in harum regionum confinio, quemadmodum etiam Zosimus posuit μεταξὺ Παιωνίας τῆς ἀνωτάτω καὶ Νωρικοῦ, *inter Pannoniam Primam & Noricum*. Vir peritissimus harum regionum Io. Lud. Schönleben multis argumentis contendit, Aemonam *Labacum* Carniolæ esse, vulgo *Laubach* dictum: quod etiam iter Antonini ab Aemona Sirmium, confirmat.

Sita est Aemona ad fluuium *Nauportum*, qui nunc Labacus est, milliario Germanico a confluentibus: sed superius ad idem flumen est oppidum *Nauportum*, perperam a Strabone dictum Ναυποντον, *Naupontum*. Nomen enim a fluuio habet, cuius etymon Plinius lib. III cap. XVIII reuelauit, disputans contra Nepotem aliosque, qui ex Istro alueum in Adriaticum mare effluere crediderunt. *Nullus*, inquit, *ex Danubio amnis in mare Adriaticum effunditur. Deceptos credo, quoniam Argo nauis flumine in mare Adriaticum descendit non procul Tergeste, nec iam constat quo flumine. Humeris trauectam Alpes diligentiores tradunt. Subiisse autem Istro, dein Sauo, dein Nauporto, cui nomen ex ea caussa est, inter Aemonam & Alpes exorienti.* Flumen ex Alpibus oritur prope *Longaticum*, mansionem, quæ in Tabula est VI millibus ab oppido Nauporto: hoc XII ab Emona. Ex quo coniicitur, probaturque à laudato viro I. L. Schönleben, *Nauportum* oppidum fuisse in loco Super-Labaci, vulgo Ober Laubach. Tauriscorum, qui in extremo Noricorum sunt, κατοικίαν, *coloniam*, siue *habitationem* Strabo vocat. De hoc oppido Velleius Paterculus lib. II cap. CX in rebellione Pannoniorum & Dalmatarum: *pars petere Italiam decreuerat, iunctam sibi Nauporti ac Tergestis confinio*. Et Tacitus annali I cap. XX *Manipuli ante captam seditionem Nauportum missi, ob itinera & pontes, & alios vsus, postquam turbatum in castris accepere, vexilla conuellunt:*

direptis proximis vicis , ipsoque Nauporto, quod municipii instar erat. Huc vehiculis merces portabantur, vt nauigiis per Nauportum amnem in Sauum deducerentur. Vide Strabonem d. l. pag. 217 & de situ vniuerso inspice tabulam nostram Norici, qua hæc plenius, quam Pannoniæ tabula, exponuntur.

PANNONIA INFERIOR.

Pannonia Inferior reliquum spatium, quod sub Danubio est, a Rabo amne, siue Arabone, ad vsque fines Mœsiæ: & in austrum ad Carnorum Alpes & montes Dalmaticos protenditur. In ripa Danubiana post Arabonem fluuium, siue post insulam illam, quam *Schütte* vulgo adpellant, siue fuerit castrum vel oppidum *Arrabona*, siue alio reducendum sit, de qua re supra actum fuit; proxime in Itinerario sequitur locus dictus *Ad statuas*, itinere per ripam; qui censetur esse Dotis. Hic locus, & quæ sequuntur omnia, vix fundamentum sedis suæ, præter coniecturam, habent. Tabula Theodosiana & Itinerarium Antonini ab Arabone fluuio, & si quæ adposita fuit Arabona, per XXX millia ducunt ad *Bregetionem*, quam, nisi citerior fuit, quod ex distantia videtur adparere; multi archiepiscopalem vrbem *Graan* existimant esse. Laudata monimenta itinerum Antonini *Bregetio* habent; etiam Notitia Imperii in Pannonia Secunda *Præfectum legionis primæ adiutricis cohortis quintæ Bregetione.* Ex quo manifestum est, Ptolemæum & nomine & situ aberrasse, dum eamdem legionem (λεγιῶνα α' βοηθὸν) in Pannonia Superiore posuit, & in oppido, quod vocat Βρεγαίτιον, *Bregatium.* Grauior lapsus est in Tabula Theodosiana, qua *Brigantium* vocatur: & in Epitoma Aurelii Victoris, qua Valentinianus dicitur *apud Bergentionem* legatis Quadorum respondisse, quum impetu sanguinis, amissa voce, exspirauit. Quod idem narrans Ammianus lib. XXX cap. XX *Bregitionem* oppidum nominat, quod vocabulum vna littera ab Itinerario & Notitia Imperii leuissime differt: nisi forsan & illa ab errore describentis est, quia eiusdem Marcellini lib. XVII cap. XXVII (Valesf. cap. XII) tam Lindenbrogius quam Valesius ediderunt, *Bregetionem castra commota sunt.* Lazius in illo tractu lapidem repertum significat, dicatum Seuero augusto, cui subscriptum sit BREG. PVBLIC. D. D. vt de prima syllaba non liceat dubitare.

Ptole-

Ptolemæus in primis Pannoniæ Inferioris oppidum habet *αλῦα*, *Salua*, quæ *Salua mansio* est Antonini, itinere ab Acinco, ab eodem XLII M. P. Sic vero legendum cum Ptolemæo est, non *Solua*, vt editum; censente etiam Thoma Reinesio Inscript. pag. 33. Incidit circa insulam, quæ supra Budam est, cui Vacia adiacet, a S. Andrea cognominatam. Non autem sola mansio fuit, sed præsidium equestre seu equitum castra, tam Maurorum, quam cuneum scutariorum habuit, vt distincte in Notitia Imperii notatum est. Proxima inde est Καρπὶς Ptolemæi, *Carpis*, Ammiano lib. XXVII cap. XI *Carporum vicus*, statiuis castris frequentatus: qui in Notitia *Cirpi*, vbi *Equites Dalmatæ*, & *Auxilia Fortensia* præsidio erant: in dicto itinere *Sirpi*, XXI millibus a Salua, videtur nominari.

Celebrius oppidum *Acincum* fuit, Antonino, Notitiæ auctori, & Ammiano lib. XXX cap. XX ita dictum: Ptolemæo & auctori Tabulæ *Aquincum*, Græce Ακούϊγκον. Fallunt numeri diuersorum itinerum, quod per ripam in Galliam fert, & quod Acinco est Saluam; nec Tabulæ loca *Aquincum* vtrimque excipientia satis nota sunt, vt ita certa sedes non possit definiri. Quod vero in Notitia Imperii *præfectus legionis* imponitur *Transacinco*, & ante paullo *Auxilia vigilum Contra-Acinco trans in barbarico*; quemadmodum pars *Legionis secundæ adiutricis Acinco* erat, nec forte abludit ordo & series, ac distantia descripta; idcirco sunt qui Budam siue Ofen *Acincum* interpretentur; trans flumen quod oppositum est Pestum, *Transacincum*. Inde *Vetusanum* in Tabula post XIIII millia passuum: *Vetussalina* itinere sæpe dicto, per ripam, & in Notitia: post *Annamatia* eiusdem itineris; etiam Tabulæ, a millibus XV: & tum tandem *Lussunium* Antonini; *Lussonium* Ptolemæi & Notitiæ; *Lusio* Tabulæ, cui *Lusione* est sexto casu: a qua post X millia eiusdem Tabulæ est *Alta ripa*, & in Notitia Imperii *Equites Dalmatæ Ripa alta*: Itinerario autem a Lussunio per XVIII M. P. locus est *Ad statuas*, quas si maiores & colossas intelliges, situs & distantia forte ad vrbem Coloczam ducent, in ripa sinistra quidem sitam, quæ tamen potuit translocata esse, aut a statuis aduersæ ripæ denominata.

Inter Lussonium & Teutoburgium Ptolemæus medium ponit Λούγιωνον, *Lugionum*: Antoninus heic *Altinum* habet, quod etiam

etiam in Notitia inuenitur: at *Teutoburgium* Ptolemæi, Antoninus ponit inter Cornacum & Mursam, itinere per ripam: Ortelius, nescio quo indicio, trans Danubium, siue in sinistra ripa posuit, circa Draui confluentes. Nomen a Germanis militibus: sicvt lapis circa Budam repertus, *Sicambriam* a Sicambris ibi conditam meminit: de quo Lazius consulatur. Inter Drauum & Sauum in ripa Danubii sunt *Cornacum*, XVI millibus passuum a Teutoburgio, vt itinerario & Tabula (in qua *Tittenburgo* praue scriptum est) adnotatur. Notitia Imperii sub duce Pannoniæ Secundæ *Cuneum equitum scutariorum Cornaco* habet. Ptolemæus quoque in Pannonia Inferiore memorauit Κόρνακον, *Cornacum*. Inde XIII millibus in Tabula est *Cuccium*, siue vt in Itinerario & Notitia *Cucci*. Fuit enim *Cuneus equitum promotorum Cuccis*. Nec longe hinc *Cusum* aberat siue *Cusis*, vbi *equites Dalmatæ* præsidio erant, vt in Notitia est. Inter Cusum & Cuccium in Tabula locus ponitur, cui nomen est *Milatis* (sic Bertius edidit: nuper Norimberg. *Malatis*, quod corruptum puto) in Itinerario *Bononia* inter vtrumque media locatur. Et quod æqualis distantia XVI millium tam Bononiæ quam Milatis a Cuccio est, adparet eumdem locum esse *Milatas* atque *Bononiam*: illud vetus nomen, hoc nouum ab Romanis superinductum.

Inter Cusum & Taurinum, si se recte iter Antonini per ripam habet, *Acimincum* fuit, Ptolemæi Ακούμιγκον, *Acumincum*. nam & hoc in ripa fuit & proximum flumini. Ammianus lib. XIX cap. XXIV (Vales. cap. XI) de Constantio: *Vallo prope Acimincum locato, celsoque aggere inspeciem tribunalis erecto, naues, vehentes quosdam legionarios expeditos, alueum fluminis proximum ripis obseruare sunt iussæ.* Sic scriptum per *i* non per *u*, in MSS. Regio, Colbertino, & Tolosate, quod Valesii fratres obseruarunt: etiam in Notitia Imperii sub duce Pannoniæ Secundæ, *Cuneus equitum Constantium Aciminci*. Locus certo finiri non potest, quia Itinerarium turbatos heic numeros habet CXIII; & a Cuso XXXIII, Tabula XL, in qua *Acunum* correpta forma, quasi per notas scriptum est. Lazio lib. XII Reip. R. sect. II cap. II videtur Salankemen esse. *Rittium* Ptolemæi; seu *Ritti* Antonini sequitur, in Notitia *Ricti*, in Tabula prauius *Bittium*, XXIII millibus a Tauruno: in Itinerario numeri hoc loco monstrosi sunt.

Tandem

Tandem *Taurunum* est, antiquum oppidum, in cuius situ errare non possumus. Plinius enim lib. III cap. XXV clare monstrat. *Bacuntius*, inquit, *in Saum Sirmio oppido influit : - - - Inde* XLV M. *passuum Taurunum, vbi Danubio miscetur Saus :* quo loco hodie Alba Græca est, quæ etiam Belgrad, (quod nomen etiam apud Constantinum Porphyrog. de Administr. Imp. cap. XLII legitur, κάστρον τὸ Βελέγραδα ἐπονομαζόμενον) nostris *Grichisch Weissenburg* vocatur. Pannoniæ adscriptum fuisse ex Ptolemæi dispositione & Notitia Imperii clarum est, qua *equites promotos* sub duce Pannoniæ Secundæ tenuisse dicitur. Præterea in Itinerario & Tabula Theodosiana legitur. Hæc in ripa Danubiana.

Introrsum prope Sauum, vbi Bacuntium recipit, *Sirmium* fuit, vt Plinius modo dictis verbis declarauit. Ptolemæo Σίρμιον in Pannonia Inferiore. Zosimus lib. II cap. XVIII πόλις Παιωνίας τὸ Σίρμιον, ὃ παραῤῥέει ποταμὸς ἐπὶ θατέρας, εἰς τὸν Ἴστρον ἐμβάλλων ; *Pannoniæ vrbs est Sirmium, quam ab vtraque parte flumen alluit, in Istrum se exonerans.* Flumen illud est *Bacuntium*, vt Plinius nominauit. Herodiano lib. VII cap. II est πόλις μεγίστη, *ciuitas maxima*, Pannoniæ quondam metropolis, quod ex Notitia Ecclesiæ constat, multis itineribus, inde susceptis, celebrata : etiam imperatores ibi sæpissime constiterunt, ibique leges multæ datæ, quas collegit Iacobus Gothofredus Topographia Vrbium in Cod. Theodosiano. Heic Probus interfectus, Eutropio notante : heic imperator creatus Theodosius, testante Epitoma Aurelii Victoris. Meminit & Strabo lib. II pag. 217 sed in situ errat, Segesticæ, & Sisciæ, & Colapi fluuio coniungens. Prope hanc vrbem erat *Almus* mons, siue *Alma*. Eutropius lib. IX cap. XI in Probo : *Opere militari Almum montem apud Sirmium, & Aureum apud Mœsiam Superiorem vineis conseuit.* Vopiscus in Probo cap. XVIII *Ipse Almam montem in Illyrico circa Sirmium, militari manu fossum, lecta vite conseuit.* Victor Eutr[illegible]n exscribens in Epitoma, etiam dicit *Almam montem apud Sirmium :* & Dio Cassius lib. LV pag. 568 ὄρος τι Ἀλμαν, *montem quemdam Almam* Bato occupauit. At Pæanius metaphrasta Eutropii, Ἄλμον ; vt de lectione Eutropii sit minus dubitandum. Agri Sirmiensis fuit vel vicus vel oppidum *Budalia*, siue *Bubalia*, vt alii scribunt, patria Decii, imperatoris Romani. Eutropius lib. IX cap. IV *Decius e Pannonia inferiore, Budaliæ natus.* Sic

MSS. & metaphrasta: Aurelius Victor epitoma, eadem transscripsit, sed *Bubaliæ,* vbi ille *Budaliæ.* Antoninus itinere a Sirmio Salonas, *Budaliam* primo loco habet, a Sirmio VIII M. P. distantem: vt ita certior sit scriptura Eutropii, ex optimis membranis Burdegal. & Fuld. petita. Vicum fuisse Victor alter, quem A. Schottus vulgauit, adseuerat. *Decius*, inquit, *Sirmiensium vico ortus*, *militiæ gradu ad imperium conspirauerat.* Ortus autem erat Budaliæ.

Supra Sirmium palus *Hiulca* est, cui adsidet in colle oppidum *Cibalæ*, vt fere Latini vocabulum formant: siue *Cibalis*, vt Græci. Ptolemæi enim in Pannonia Inferiore est Κιβαλὶς, *Cibalis*, etiam Zosimi & Pæanii, locis mox indicandis, Κίβαλις. Genus inde duxerunt Valentinianus & Valens, augusti. De patre illorum Ammianus lib. XXX cap. XXIV *Natus apud Cibalas Pannoniæ oppidum Gratianus ignobili stirpe*, *cognominatus Funarius.* Et Epitoma Victoris: *Valentiniani pater Gratianus ortus apud Cibalas*, *Funarius adpellatus est.* De ipsis augustis ex Philostorgii lib. VIII sect. XVI Photius excerptor, Ὀυαλεντινιανὸν καὶ Ὀυαλέντα τὴν Κιβαλὶν λαχεῖν ἀναγράφει πατρίδα, *Valentinianum & Valentem Cibalin patriam sortitos esse scribit.* Nobile etiam oppidum factum bello Constantini aduersus Licinium. Eutropius lib. X cap. IV de Constantino: *Primo eum* [Licinium] *in Pannonia*, *ingenti adparatu bellum apud Cibalas instruentem*, *repentinus oppressit.* Et Epitoma Victoris: *Primum apud Cibalas iuxta paludem Hiulcam nomine*, *Constantino nocte castra Licinii inrumpente*, *Licinius fugam petiit.* Zosimus lib. II cap. XVIII & lacum & vrbem diligentius ita descripsit: Λικίννιος μὲν εἰς Κίβαλιν συνήθροιζε τὸν στρατόν. πόλις δὲ αὕτη Παιονίας ἐστὶν, ἐπὶ λόφου κειμένη· στενὴ δὲ ὁδὸς ἡ ἐπὶ τὴν πόλιν ἀνάγει, σταδίων πέντε τὸ εὖρος ἔχουσα, ἧς τὸ πολὺ μέρος ἐπέχει λίμνη βαθεῖα· τὸ δὲ λειπόμενον ὄρος ἐστὶν, ἐν ᾧ καὶ ὁ λόφος, ἐφ᾽ οὗπερ ἡ πόλις. *Licinius ad Cibalin exercitum congregabat*, *quod oppidum est Pannoniæ in colle situm*, *ad quod via sursum ducit arta*, *quinque stadiorum latit[illegible]a habens. Eiusdem maiori parti profunda palus imminet*, *reliqu[illegible]ons est*, *in quo collis*, *cui oppidum est inpositum.* Iacobus Gothofredus ad Philostorgii lib. VIII cap. XVI obseruauit, quo loco Cibalis ceterorum est, in Tabula Peutingeriana poni *Ad labores*, quod nomen putat ex acerrimo inter Constantinum & Licinium prælio illi loco esse impositum. Si Antonini iter a Sirmio Salonas se recte haberet,

ret, Cibalæ cum lacu in austrum magis deducendæ forent : sed secus ipse ponit itinere alio, a Sirmio Carnuntum, quod iustius putamus dispositum esse. Ita autem habet:

Sirmio
Vlmos M. P. XXVI
Cibalas M. P. XXIIII
Mursam M. P. XXII,

iuxta quam Drauus traiicitur : & inde per Sopianas Arrabonam versus, & tandem Carnuntum proceditur. *Vlmi* autem, quod oppidum Antoninus omnibus itineribus, a Sirmio directis, vel ad Sirmium, posuit, præter id minus cognitum est, eiusque situs ex itineribus inter Sirmium & Cibalas designandus est.

Ad Drauum non dubitamus *Mursam* fuisse, &, secundum plurimorum opinionem, in loco oppidi, nunc valide muniti, Essek. Suadet itineris ratio modo propositi, quod a Sirmio ducit Carnuntum. Ad flumen autem nauigabile fuisse, ex eo etiam clarum est, quia Notitia Imperii testante, *Præfectus classis Istricæ* fuit *Mursæ*. Stephanus Byzantinus de Vrbibus : Μοῦρσα, πόλις Παιονίας, κτίσμα Ἀδριανοῦ, *Mursa vrbs Pannoniæ, ab Hadriano condita*. Sic vere legit ex MS. codice Vossiano: perperam vulgo, πόλις Ἰωνίας. Addit auctor : λέγεται καὶ Μούρσιον, *dicitur etiam Mursium*. Hinc est quod Græci & Latini quidam *Mursiam* vocant. Ptolemæus in Inferiore Pannonia : Μουρσία κολώνια, *Mursia colonia*. Aurelius Victor in Epitoma : *Hoc tempore Constantius cum Magnentio apud Mursiam dimicans vicit*. Et paullo ante : *Vetranio, magister militum, imperium in Pannonia apud Mursiam corripuit*. Quod Zosimus lib. II cap. XLIII confirmat ita, vt Mursam pro regia Vetranioni ex eo fuisse adiiciat : ἐν τῇ Μούρσῃ Παιονίας οὔσῃ πόλει διέτριβε, *Mursæ, quæ vrbs Pannoniæ est, commorabatur*. Lapsus ergo est Socrates lib. II Hist. Eccles. cap. XXXII, & eum sequutus Sozomenus lib. [illegible] cap. VII, dum Mursam, vbi Magnentius victus est, ille Φρούριον τῶν Γαλλιῶν, *castellum Galliarum*; hic Γαλατῶν τὸ φρούριον, *Gallorum castellum* adpellat : quos non solum Zosimus & Aurelius Victor, sed antiquus etiam lapis coarguit, quo non nemo oriundus dicitur MVRSA EX PANNON. INFERIORE, apud Gruterum pag. 1007, inscriptione 3. Hæc vrbs in Peutingeriana Tabula vocatur *Mursa maior*, cum vrbis insignibus : citra quam

x millibus est, occasum versus, *Mursa minor*, vicus forsan aut oppidulum, itinere Burdigalensi dicta vitiose *Mersella*, pro *Mursella*. nam & hæc X M. P. a Mursa abest. Ptolemæo Μάρσελλα, id est *Mursilla*. Quo Iacobus Gothofredus *Murgillum* refert Lege I Cod. Theod. de Iudæis & Cælicolis, quasi ex *Mursillo* deprauatum sit. Præterquam vero quod dubia & incerta est emendatio; nondum mihi persuadeo, Constantinum in paruo & obscuro loco ita commoratum esse, vt leges ibi daret; quum in proximo vrbs incluta *Mursa maior* fuerit, in qua commodior principis commoratio esset.

Quæ inter Drauum & Danubium extra huius ripam sunt, non facile aliunde, quam ex Antonini itineribus cognoscuntur, e quibus quædam adnotasse satis pro explicatione sit. Primum ex itinere a Sirmio Lauriacum hæc damus:

Sirmio			
Vlmos	M.	P.	XXVI
Cibalas	M.	P.	XXIIII
Mursam	M.	P.	XXII
Antianas	M.	P.	XXIIII
Sopiqnas	M.	P.	XXX
Limusam	M.	P.	XXII
Silacenas	M.	P.	XVI
Valcum	M.	P.	XXVIII
Mogetianam	M.	P.	XXX
Sabariam	M.	P.	XXXVI.

Deinde ex alio itinere a Sirmio Carnuntum:

Mursa			
Antianas	M.	P.	XXIIII
Sopianas	M.	P.	XXX
Pontem Mansuetianum	M.	P.	XXV.
Triccianam	M.	P.	XXX
Cimbrianas	M.	P.	XXV
Crispianam	M.	P.	XXV
Arrabonam	M.	P.	XXV
Flexum	M.	P.	XXV
Carnuntum	M.	P.	XXX.

De his, quæ me legere memini, breuiter subnotabo. *Antiana*, singu-

ſingulariter, legitur in Tabula Theodoſiana: Aldus *Ancianis*, caſu auferendi, ſed dubio genere. *Sopianæ* autem muliebri recte ponuntur, quia etiam Ammianus Marcellinus lib. XXVIII cap. II *Maximinus apud Sopianas, Valeriæ oppidum, obſcuriſſime natus eſt.* De Valeria autem prouincia in medii æui Geographia dicemus. Inter Limuſam & Valcum, *Vacontium* Ptolemæi ex ipſius rationibus, coniectura duce, ponimus. *Valcum* autem inepte quidam Valcowar ad Danubium vbi Valdaſum excepit, oppidum interpretantur, toto itineris ordine repugnante. *Mogetiana* itinere a Sabaria Acincum legitur *Mogentianæ*, pluratiuo numero & addita N littera. Lazius *Cimbrianas*, ſiue *Cimbrianum*, vt ipſe vocabulum format, a vagis Cimbris deducit, quod facile concedamus: eſſe autem in loco Albæ Regalis, adſeuerat confidentius, quam probat: nec permittit diſtantia Arrabonæ.

Sunt & alia eius tractus, quæ ex ſolo Itinerario Antonini cognoſcuntur, nec vero ita plane, vt definiri ſingula & certo explicari poſſint. Iter eſt a Sabaria Bregetionem:

Sabaria			
Baſſianam	M.	P.	XVIII
Murſellam	M.	P.	XXXIIII
Arrabonam	M.	P.	XX
Bregetionem	M.	P.	XXX.

Ptolemæus quidem *Baſianam* habet, ſed inter Sirmium & Murſam recenſet, quaſi in medio loco poſitam, vt ita alia videatur eſſe ab Antonini *Baſſiana*. Quæ ſequitur *Murſella*, etiam alia eſt ab illa Ptolemæi & Itinerarii Hieroſolymitani, ſiue a *Murſa minore* Tabulæ Peutingerorum, de qua paullo ante dictum fuit. Diſtant enim per totam ferme prouinciam.

Alio item itinere a Sopianis Bregetionem:

Sopianis			
Louiam	M.	P.	XXXII
Gurtianam	M.	P.	XXV
Herculiam	M.	P.	XX
Florianam	M.	P.	XV
Bregetionem.	M.	P.	VIII.

Nihil certi poteſt in hiſce definiri. Aldus primum a Sopianis Io-

cum legit *Louiam*, vti etiam in Tabula Peutingeriana est expressus: Bertius & Schottus *Iouiam*. Item Aldus pro *Gurtiana* legit *Gustianam*; Lazius *Curtianam*; quam & Ptolemæi *Curtam* putat eamdem esse. Non consentio. Curta Ptolemæi est ad Danubium proxima Bregetioni: Gurtiana Antonini in mediterraneis, & XLIII millibus, interiectis aliis, a Bregetione. Alienior est in *Floriana*, de qua dubitat lib. XII sect. III cap. VIII, vtrum hanc, an Sauariam, Græzium, Stiriæ metropolim, interpretetur: vtrumque ἀτόπως, & contra omnes rationes geographicas. Adeo nihil præsidii in Opere Wolfg. Lazii de Rep. Rom. in exteris provinciis, nobis relictum est. Iitidem alio itinere a Siscia Mursam hic ordo oppidorum est:

Siscia			
Variana	M.	P.	XXIIII
Aquas Balissas	M.	P.	XXXI
Incerum	M.	P.	XXV
Strauianas	M.	P.	XXIIII
Mursam	M.	P.	XXX.

Quæ inter Sisciam & Mursam sunt, necesse est cadere inter Sauum & Drauum, quæ Interamnia quasi Pannonia est. Primus locus Aldina editione est *Varianis* sexto casu: vnde, qui omnia in quartum mutarunt, fecere *Varianas*: malim equidem *Variana*, intellige castra. Exstant enim inscriptiones in Valeria, & Græzii in Stiria, & Petouione, apud Gruterum pag. 482, in quibus laudatur T. VARIVS CLEMENS, cum multarum prouinciarum præses, tum PRAEF. EQ. ALAE II PANNONIORVM, a quo, vel alio huius nominis, hæc castra potuerunt nominari.

Notitiæ Imperii in Pannonia Secunda est *Præfectus classis primæ Pannoniæ Seruitii: item Classis Aegetensium, siue secundæ Pannoniæ, nunc Sisciæ.* Turbatus ordo primæ & secundæ videtur. Siscia enim in Prima est seu Superiori. Ad Sauum ergo fuit *Seruitium*, quia classem fluuialem habuit. Plerique censent, esse Ptolemæi *Serbinum*, quum *b* & *v* sæpissime permutentur, *n* & *ti* in MSS. iisdem lineis atque ductibus constent. Notitia Imperii etiam *Seruitium* designatum est LV circiter millibus passuum a Siscia in ortum. Philippus Brietius Tom. III pag. 279 Gradisciam interpretatur. Caue vero cum *Seruitti* Antonini confundas itinere prope

prope medio a Sirmio Salonas. Hoc enim in fines Dalmatiæ cadit. Classis autem *Aegetensium* videtur *Segestensium* legenda esse, a *Segesta* siue *Segestica*, oppido & insula denominata. nam *Aegeta* oppidum Mœsiæ sub Danubio est, remotum nimis a Pannonia, etiam Inferiore.

An vero *Stridon*, S. Hieronymi patria, huc referenda sit, ambigitur. Plures persuasi sunt, esse eamdem quæ Ptolemæi est *Sidrona*, quam in mediterraneis Liburniæ posuit. Ipse Hieronymus de se, extremo Catalogo Script. Eccles. *Hieronymus, patre Eusebio natus, oppido Stridonis, quod a Gothis euersum, Dalmatiæ quondam Pannoniæque confinium fuit.* Sidronam quidem Ptolemæus Liburniæ dat, sed ita, vt in limitem Dalmatiæ incidat, supra fontem Titii amnis, qui Liburniam finit. Ipse Hieronymus in Zephaniæ cap. I comma II videtur *Illyrium*, quo Dalmatia & Liburnia continentur, a patria sua separare. *Testis*, inquit, *Illyrium est, testis Thracia, testis, in quo ortus sum, solum.* Quapropter videtur ita in Dalmatiæ confinio fuisse, vt tamen magis ad Pannoniam Inferiorem, quæ cis Sauum est, vergeret.

Hæc de Pannonia sufficiant, si appendicis loco pauca ad vtramque, quæ supra prætermisimus, adiecta fuerint. Superiori Pannoniæ ad Sauum fluuium addo post Sanæ confluentem Itinerarii *Prætorium Latouicorum*, XXXIIII millibus ab Aemona; quod Ratschach nunc vocari, locorum periti viri tradunt: deinde prope confluentem *Corcoram*, quem amnem Strabo lib. VII pag. 217 nominat (Κορκόρας Græce est) situm eiusdem Itinerarii *Nouiodunum*, nunc Gurkfeld, quia *Corcoras* fluuius hodie Gurk adpellatur. Tum *Quadratum* sequitur: & vlterior *Siscia*: quam *Variana* castra Pannoniæ Inferioris excipiunt. Ordo itineris ab Aemona Sirmium ex priore parte talis est:

Sirmio			
Prætorium Latouicorum	M.	P.	XXXIIII
Nouiodunum	M.	P.	XXXI
Quadratum	M.	P.	XXVIII
Sisciam	M.	P.	XXVIIII
Variana	M.	P.	XXIII.

Inferiori Pannoniæ in ripa Danubii adiungimus [illegible]um *ad Muros* dictum, inter *ad Statuas*, quæ post Arrabonam sunt; & *Bregetionem*,

tionem, vbi Valentinianus augustus mortuus est: cuius vidua Iustina cum Valentiniano puero quod in villa, quam *Murocinctam* adpellant, degebat, multi existimant, Lazium sequuti, eumdem locum esse *ad Muros*, & *Murocinctam*. At ille locus, qui *ad Muros* dicitur, prope Bregetionem fuit, XX circiter millibus disiunctus: *Murocincta* autem villa *centesimo lapide* separata fuit a Bregetione, vt Ammianus auctor est lib. XXX extremo. Infra hunc locum est *Crumerum*, vt Aldus vocat: *Crumeros* dicunt recentiores, eodem itinere per ripam Pannoniæ: sed prior casus est etiam Notitiæ Imperii, qua sub duce Valeriæ sunt *Equites promoti Crumero*. Inter Anamatiam & Vetussalinam est *Intercisa* eodem itinere, vbi Notitia *Equites sagittarios* statiua habuisse narrat. Inter Saluam & Carpim fuerunt castra, *ad Herculem* dicta, itinere ab Acinco; ibi in Notitia locantur *Auxilia Herculensia*. Notitia etiam hoc tractu memorat *Florentiam*, vbi *Præfectus classis Istricæ* fuerit. Surita putat *Florianam* Antonini esse, de qua supra in itinere a Sopianis Bregetionem: si modo Floriana ad flumen fuit, vt præfectum classis habere potuerit. Tandem quum Acincum & Transacincum, ac Contra Acincum supra viderimus; non possum quin inscriptionem ex Grut. p. 545 num. 9 adiiciam, qua etiam *Septaquinci* in hoc tractu Pannoniæ fit mentio:

D. M.
IVLIO IVLIANO
EVOK. AVG. DOMO
SEPTAQVINCI EX
PANNONIA INFERIORE, &c.

Si quæ reliqua sunt, quæ prætermisimus, in vtraque Pannonia, ex Itinerario Antonini, Tabula Peutingeriana, & Notitia Imperii petantur, suppleantur. Locum enim iis, vt obscurioribus, adsignare non possumus.

MOESIA.

Mœsia Pannoniæ in ortum adiacet, incipiens post Taurunum, ex Ptolemæi dispositione, quam sequimur: licet posteriores quidam Pannoniæ fines protulerint longius. Itinere enim Hierosolymitano, siue Burdigalensi, post Singidunum adscriptum est:

est : *Finis Pannoniæ & Mysiæ*. Græci plerique scribunt Μυσία, *Mysia*, quod & nomen regionis in Asia est. Idcirco etiam Dio Cassius lib. XLIX p. 413 discriminis caussa dicit, ἡ ἐν τῇ Εὐρώπῃ Μυσία, *Mysia Europæa*. Raro Latini Græcos imitantur. Inscriptio 9 pag. 446 apud Gruterum, LEG. LEG. VII CL. IN MYS. INFERIOR. Et alia apud eumdem pag. 521 num. 7 NAT. MYSIA SVPERIORI. Et Cod. Theod. Lege vn. de lusor. Danub. *in Mysiaco limite :* ac Lege III de milit. veste, *Scythia & Musia*; id est Mœsia Secunda, Latino more *y* in *u* mutato. Ouidius quoque lib. IV Pont. epist. IX vers. 77 *Mysas* dixit Mœsos :

Hic tenuit Mysas gentes in pace fideli.

Alibi semper Latino ore est *Mœsia*, diphthongo sonans, qua a *Mysia* Asiæ distinguatur. Sic etiam pluribus in lapidibus est apud Gruterum p. 448 n. 3 IN MOESIA : & pag. 453 LEGAT. PROPRAET. MOESIAE; & aliis multis locis. Populus sunt *Mœsi*. Tacitus lib. XV cap. VI *quinta legio recens e Mœsis excita erat*. Et Eutropius lib. V cap. IV *Dalmatas & Mœsos vicit*. Græce Μυσοί. Herodianus lib. III cap. X τὰ ἐν Μυσοῖς καὶ Παίοσι στρατόπεδα. Inde *Mœsicus* & *Mœsiacus*. Plinius lib. IV cap. I *Mœsicæ gentes*. Tacitus III Hist. cap. II *Mœsici exercitus :* & mox, *ala Mœsica*. Idem Hist. II cap. XXXII *Mœsiacæ copiæ*. Et Suetonius Vesp. cap. VI *Mœsiaci exercitus bina millia missa auxilio Othoni*. Et Græco more Lege vn. de lusor. Danubii, vt modo diximus, *limes Mysiacus*.

Plinius lib. III cap. XXVI Mœsiæ longitudinem, fines, populos & flumina ita descripsit : *Pannoniæ iungitur prouincia, quæ Mœsia adpellatur, ad Pontum vsque cum Danubio decurrens. Incipit a confluente* [Saui] *supra dicto. In ea Dardani, Celegeri, Triballi, Timachi, Mœsi, Thraces, Pontoque contermini Scythæ. Flumina clara : e Dardanis Margis, Pingus, Timachus : ex Rhodope Oescus : ex Hæmo Vtus, Escamus, Ieterus.* Fines ergo a Danubii & Saui confluentibus, vbi Taurunum est, vsque ostia Danubii & Pontum Euxinum deducit, vt semper Danubius a tergo sit : ab austro Dalmatici montes, & longissimo tractu Hæmus, quo a Macedonia & Thracia separatur.

Quod ad populos attinet, noti plurimi, præter *Celegeros*, vel ex nomine, vel situ quem illis Ptolemæus dat, qui plures addit, *Tricornesios*, *Picensios*, *Troglodytas*, *Peucinos*, & alios obscuros : qui-

bus nos addimus *Scordiscos*. Ex his *Tricornesios* ponit πρὸς Δαλματία, *Dalmatiam versus*, scilicet maxime occidentales, ab oppido *Tricornio*, quod post Singidunum est, denominatos: *Picensii* autem sunt *Pincensii*, ab oppido *Pinco*, & fluuio *Pingo*, vt Plinius vocauit, dicti. Hi ergo excipiunt Tricornesios. *Mœsi* autem proprii, Ptolemæo *Mysi*, sunt πρὸς τῷ Κιάβρῳ ποταμῷ, *ad Ciabrum flumen*, vltimi in Superiori prouincia: quibus in austrum πρὸς τῇ Μακεδονίᾳ, *Macedoniam vsque*, adiacebant *Dardani*, qui a Dardanis in Troade videntur originem traxisse, sicut proprii *Mœsi* a Mysis citerioris Asiæ; vnde etiam constanter a Græcis *Mysi*, Μυσοὶ, adpellantur. Inter Dardanos autem & Dalmatas *Scordisci* erant, vti ex Liuii lib. XL cap. LVII constat. Dardanis enim dicit *per Scordiscos iter esse ad mare Adriaticum Italiamque*. Hinc vagata ad extrema Pannoniæ πρὸς ἕω, *ab ortu*, & in ipsa Pannonia aliquando iuxta Danubium, & aliis locis, consederunt, quod Strabo lib. VII pag. 219 tradit. Vaga enim gens fuit, *a Gallis oriunda*, vt Liuius prodidit epitoma LXIII. Adde Iustinum lib. XXXII cap. III. *Timachi* iuxta *Timachum* fluuium, qui etiam *Timacus* dicitur, sicut oppidum, quod propter ipsum forsan fuit, Ptolemæus Τίμακον, *Timacum* dixit.

Triballi post Ciabrum coluerunt, τὰ δυσμικὰ, *occidentalia* Mœsiæ Inferioris tenentes. *Peucini*, a Peuce insula Danubiana dicti, κατέχουσι τὰ στόματα, *Istri ostia tenebant*: infra quos, Thraciam versus *Troglodytæ* Ptolemæi erant: *Thraces* vero *Mœsi*, quos Plinius dixit, haud dubie ex Thracia profecti, loca videntur patriæ proxima occupasse. Ceteros obscuros Ptolemæi, quos πρὸς τῷ Πόντῳ, *iuxta Pontum* locat, vt *Crobyzos*, *Oetensios*, *Obulensios*, & qui hos interiacent, *Deminsios* & *Piarensios* prætermittimus. *Scythæ* Plinii in Mœsia sunt *Getæ*, ab Ouidio in Ponticis descripti, qui inter illos exsulabat. a quibus extrema illa prouinciæ Inferioris pars medio æuo fuit *Scythia* dicta, & prouinciis Thraciæ adnumerata, vti ex Sexti Rufi cap. IX clarum est. Ipsi autem *Scythæ* Mœsiaci ex Scythia Transdanubiana orti sunt: & sub iis obscura Ptolemæi nomina maiorem partem credo latuisse.

Primus fluuiorum Plinii *Margis* est, siue *Margus*, a quo oppidum *Margum* vel *Margus* nomen habet, & iuxta Tricornium exit in Danubium, ideoque idem videtur esse qui *Moschius* est Ptolemæi:

mæi: *Timachus*, siue *Timacus*, de quo ad oppidum cognomine plenius infra dicemus, a Drino, cui miscetur, in Danubium defertur. *Pingus* siue *Pincus* cum aliis mixtus, est ille, qui hodie Morava adpellatur. *Ciabrus* diuidit Superiorem Mœsiam ab Inferiore, a Ptolemæo Κίαβρος; aliquando Κίαμβρος adpellatus. *Oescus* videtur Danubio ad oppidum Oescum adfundi, nunc *Ischa* dictus; & *Vtus* ad oppidum Vtum. Vlteriores sunt incerti.

Mœsia per Ciabrum fluuium diuisa fuit in *Superiorem* & *Inferiorem*, vt auctor Ptolemæus est. Superior habuit populos Tricornesios, Pincensios, Dardanos, Scordiscos, Timachos Plinii, & Mœsos proprios: ceteræ gentes sunt Inferioris. Quam antiqua sit diuisio, mihi non liquet. Plinius & Tacitus de Mœsia loquuntur vt vna prouincia. Illius verba supra cognouimus ex lib. III cap. XXVI: hic annali I cap. LXXX *prorogatur Poppæo Sabino prouincia Mœsia.* Et lib. II cap. LXVI *proprætor Mœsiæ.* Inscriptio vetus, sub Vespasiano facta, apud Gruterum pag. 453 MOESIAE PRAEFVIT. Spartianus de Hadriano quidem cap. II dixit: *post hoc in Inferiorem Mœsiam translatus extremis iam Domitiani temporibus:* verum non dicitur in eam præses missus, sed tantum vt miles & tribunus, vbi primum de imperio augurium ceperit, cuius locum ille sui temporis consuetudine Spartianus designat. Inscriptio sub Antonino Pio, post Hadrianum facta (nam *Diuus* in ea vocatur) *Superioris* meminit, apud Gruterum p. 493 num. I LEG. AVG. PR. PR. PROVINC. MOESIAE SVPER. & alia sub Seuero pag. 407 num. I LEG. AVG. PR. PR. PROVINC. PANN. ET MOESIAE SVP. Et lapis Tiburtinus, cuius ætas autem non constat, apud eumdem p. 49 num. 6 LEG. AVG. PR. PR. PROVINCIAE MOESIAE INFER. Sed iam tum sub Hadriano diuisam prouinciam fuisse, ex Suetonii verbis Vitell. cap. XV clarum est: *Octauo imperii mense desciuerunt ab eo exercitus Mœsiarum atque Pannoniæ.* Ex superiore ætate nondum inuenimus, quod certo possimus dicere. Mansit diuisio inlibata vsque ad Aurelianum, qui, vt Eutropius lib. IX cap. IX tradit, subtraxit partem, præsertim Superiori, vt Daciam suam, quæ cis Danubium est, constitueret: & vsque Constantinum, qui prouinciam Scythiam abstulit Inferiori, relictis vocabulis veteribus. Nam & Rufus cap. IX *Inferiorem* Mœsiam, etiam curtatam illam adpellat: & Ammianus lib. XVI

Cccc 2 cap.

cap. XVIII de Constantio: *nuntiis terrebatur, indicantibus Sarmatas Superiorem Mœsiam & Secundam populari Pannoniam.* Sero Mœsia in *Primam* & *Secundam* diuisa fuit, quæ nomina in Notitia Imperii Occidentalis leguntur. Sed de his in Geographia medii æui agemus.

MOESIA SVPERIOR.

Limitem supra vidimus, quem constituimus a Saui & Danubii confluentibus cum Plinio, aut paullo vltra; vsque ad Ciabrum fluuium. Populos etiam nominauimus, in quibus & *Dardani* erant, vt sic *Dardania* quoque pars Mœsiæ fuerit Superioris. Oppida primum in ripa explicamus: postea quæ in mediterraneis sunt.

Post confluentem & Taurunum, qui finis erat Pannoniæ, primum oppidum Superioris Mœsiæ *Singidunum* est, vt Latini scribunt, Antoninus itinere ab Vrbe in orientem; & auctor Itinerarii Hierosolymitani siue Burdigalensis: item qui Tabulam confecit Theodosianam, & qui Notitiam Imperii sub duce Mœsiæ Primæ: nec non Iornandes de Reb. Get. cap. LV ed. Lindenbrogii; at Grot. *Singidonum*, & Aurelius Victor in epitoma de Iouiani patre. *incola agri Singidonensis prouinciæ Pannoniæ.* Pannoniæ tribuit vel propter vicinitatem, vel quia vere quidam post Singidunum limitem constituerunt, vt supra ex Itinerario Hierosolymitano diximus. Græci non vno modo scribunt. Ptolemæus Σιγιδοῦνον; Procopius de Aedific. lib. IV cap. V Σιγγηδὸν & πόλις Σιγγηδόνιος: Theophylactus Simocatta lib. I cap. IV Σιγγηδών, quod etiam in Excerptis Photii Cod. LXV ita reperitur. Philostorgius lib. IV cap. X Σεγγιδών, *Sengidon; ἐν Σεγγιδόνι τῆς Μυσίας, in Mœsiæ vrbe Sengidone.* Ibi Constantium post Sirmiense concilium ait constitisse: quo tempore ab illo lex XXVIII Cod. Theod. de Adpellationibus, data est *Kal. Iul. Singiduno.* Antoninus adscripsit, *castra* habuisse: Notitia Imperii, *præfecturam legionis quartæ Flauiæ* dat. Quod oppidum hodie sit, aut quo loco, non plane constat, quia Itinerarii Antoniniani numerus M. P. IIII breuitate suspectus est: nec Tabula Peutingeriana lucem adfert, quæ Taurunum ponit cis confluentes III millibus: inter Confluentes autem & Singidunum loco numeri habet syllabam *co.*

Alii

Alii ergo Sendcrouiam interpretantur, XXIIII millibus a Tauruno distantem; alii longius remouent. In tam incerto opinionum accedimus viro summo Lucæ Holstenio, qui ad Ortelium adnotauit: *Procop.* IV *Aedific.* Σιγγηδὸν *scribitur, sed adnexa sequenti particula* ἐν, *legendum* Σιγγήδονον. *nunc Zenderin, sedes non ita pridem Despota Seruia, paullo sub Taurunno.*

Post Singidunum in Tabula spatio XIIII M. P. *Tricornium* est: Itinerario Hierosolymitano XII, quo *Tricornia castra* dicuntur: Ptolemæo Τριχόρνιον: in Notitia Imperii *Cuneus equitum sagittariorum Tricornio.* Quod vero Ptolemæus dicit, παρ' ἣν ἐκτρέπεται Μόσχιος ποταμὸς, *iuxta quam* [vrbem Tricornium] *diuertitur flumen Moschium*, non intelligo, nisi ἐκχέεται, *effunditur* vel legas vel explices. Scribit enim ripæ oppida, apud quæ effusiones sunt fluminum; non flexus & diuerticula. Aiunt Golumbatz hodie dici quod in eius loco est: post quod paruo interuallo exoneratur fluuius, qui videtur *Moschius* Ptolemæi, & forsan etiam Margis Plinii, nisi alter alterum exceptum defert in Danubium. Tunc Tabula Peutingeriana post XII millia passuum a Tricornio habet *Montem Aureum*, oppidum in ripa, nomen Monte Aureo trahens, quem Probus vitibus conseuit, vt Eutropius lib. IX cap. XI refert: ad cuius radices hoc eiusdem nominis oppidum sic iuxta Danubium situm fuit, vt in Norici & Pannoniæ confinio Cetium sub monte Cetio. Antoninus XXIIII M. P. a Singiduno reducit. Notitia Imperii sub duce Mœsiæ Primæ, *Cuneus equitum Dalmatarum Aureo Monte.* Abhinc rursus XIIII millibus est in Tabula *Margum* flumen, oblique ab occasu adlabens, vt Danubio infundatur: a quo amne X millibus in eadem Tabula abest *Viminacium*, celebratum oppidum tam in Notitia Imperii, qui non solum *Præfectum classis Istricæ*, verum etiam *Cuneum equitum promotorum;* quam in vtroque Itinerario Antonini & Hierosolymitano. Eutropius lib. IX cap. XIII in Diocletiano: *Carinum apud Margum ingenti prœlio vicit inter Viminacium & Aureum Montem.* Ptolemæus Οὐϊμινάκιον, qui λεγιὼν, *legio*, adscripsit, quod ingens præsidium & castra legionis integræ arguit. Procopio & Simocattæ dictis locis Βιμινάκιον, illi laudatur πόλις ἀρχαία *vrbs antiqua;* huic πόλις λαμπρὰ, *vrbs magnifica.* Fuit enim

colonia Romana. In ruinis Vlpiæ Traianæ inſcriptio reperta, apud Gruter. p. 371 n. 5

AVRELIO CONSTANCIO EQ. R
DEC. COL. VIMIN

A Viminacio quod *Margum* oppidum (iuxta quod Carinus victus eſt, & cui Tabula *Margenſe auxilium* imponit) tantummodo x millibus paſſuum, Aureum Montem verſus, in Hieroſolymitano Itinerario diſtat, quantum ſpatium Tabulæ a flumine eſt Viminacium; ſequitur, vt vel aliud *Margum* ſit Antonini, itinere ab Vrbe in orientem, quod vero vix credibile: vel numeri eius ſint admodum corrupti, quippe inter Montem illum & Viminacium numerat LXXVI M. P. Tabula tantum XXIIII.

Heic itinera, quæ ſequuti ſumus, tam Antonini ab Vrbe, quam Hieroſolymitanum, ab ripa in mediterranea Naiſſum deflectunt: ripam autem ab alio Antonini, a Viminacio Nicomediam per ripam, & ex Tabula Theodoſiana, Ptolemæo item, & Procopio lib. IV de Aedific. cap. VI proſequemur. Sed magnæ nos difficultates circumſtant, quod nec hodie quiſquam, quod ſciamus, Bulgariam ripenſem diligentius delineauit, neque fluminibus, quod ſumme neceſſarium erat, diſtinxit ita, vt cum Ptolemæo ac Theodoſiano geographo conue[illegible]sque commode applicari poſſit: neque ipſi veteres inter ſe magnopere conſentiunt. Ptolemæus enim Dorticum & Ratiariam cis Ciabrum poſuit, qui amnis, ſi is eſt, quem Abr. Ortelius, quem Sigiſmundus a Bircken, quem alii ſignificarunt, cui flumen, Sofiam vrbem præterlabens, confunditur, & poſt Dacici Alutæ confluentes Danubio miſcetur; numeri Theodoſianæ Tabulæ & Dorticon & Ratiariam excludent a prouincia Superiori, quemadmodum etiam Procopius duo illa loca in ortum longe vltra Pontem Traiani remouit: neque pons ipſe ſatis notus eſt, ab aliis citerior factus, multis prope ad Alutæ & Danubii confluentem reductus, quibus non ſolum Procopius, verum etiam res ipſa conſentire videtur, quod probabilius eſt, pontem in medietatem fluminis, quod prouinciam præterlabitur, conſtitutum ita fuiſſe, vt recta per eum ad Dacorum Auguſtam, ſiue Vlpiam Traianam iretur. Impeditiſſimum ergo hoc iter eſt, ex quo non facile ſe quiſquam extricabit. Accedit, quod in Theodoſiana Peutingerorum Tabula, poſt Ratiariam,

tiariam, quod raro fit, fluuius designatus est, qui si est Ciabrus Ptolemæi, alia multo facies vtriusque prouinciæ prodibit. Nos quem sequamur incerti, singulorum rationem habebimus, aut plurium rationes distincte referemus.

In Tabula Peutingeriana post Viminacium per x millia passuum *Lederata* sequitur, in Notitia Imperii *Ladenata* corrupte; quam *Turrim Literatam* ab Romanis Latine vocatam, vulgo autem Λεδεράτα, Procopius tradit lib. IV Aedif. cap. VI: vere, an per adlusionem, non dicimus. at hic *Cuppas* & *Nouas* interponit, & Νοβῶν καταντικρὺ ἐν τῇ ἀντιπέρας ἠπείρῳ, *contra Nouas in opposita continente* suam *Literatam* constituit, quasi trans Danubium] in Daciæ ora positam. Credimus Procopio, quia Antoninus Lederatam posthabuit, & a Viminacio Cuppas idem spatium seruat, quod auctor Tabulæ, vt Turris sic in sinistram ripam remoueatur. A Tabulæ enim Lederata per XXIIII millia, prætermisso *Punico*, quod interiacet, ad vicum *Cuppas* venimus, sicut in Antonini Itinerario a Viminacio Cuppas, itidem XXIIII M. P. Scriptum in Tabula *Vico Cuppe*, etiam in Antonino Aldi, *Cuppe*: sed *Cuppis* sexto casu est in Notitia Imperii, vbi sub duce Mœsiæ Primæ *Cuneus equitum Dalmatarum* est *Cuppis*: item *Auxilium Cuppense* ibidem. Procopius Κούπας dixit. Hunc locum in Tabula post XII M. P. excipit alius, cui nomen est *Ad Nouas*. In Notitia *Auxiliares Nouenses ad Nouas*: item *Præfectura militum exploratorum Nouis*. Vtroque ergo modo dixerunt *Ad Nouas*, & *Nouæ*, sicut Procopius Νοβαὶ, & Antoninus Aldi & Schotti *Nouas*: sed numeri suspecti sunt, & haud dubie commutati cum numeris versus sequentis.

A Nouis Tabula post XXV passuum millia oppidum cum vrbis insignibus habet, cui nomen *Faliatis*: Antonini Itinerario *Talia*: plenius Notitia Imperii *Taliata*. Ergo in Tabula etiam *Taliatis* legendum est. Forte idem locus est qui a Ptolemæo Τανάτις, *Tanatis*: a Procopio Τανάτας, *Tanatas* adpellatur. Ille enim inter Viminacium & Eteta ponit; hic in castellis, quæ vltra Nouas existunt: vocabula autem non multum dissonant. Inde per XXI M. P. Itinerarium Antonini fert *Aegetam*, quæ Aldina editione *Ageta* est, Tabulæ *Egeta*, & si quid sentio, Ptolemæi Ἔτητα, *Eteta*. Tabula tamen alia loca interiecta habet, vt maior fiat distantia, quam in Itinerario est.

Quæ

Quæ ad *Ratiariam* vſque, Ptolemæi vltimum locum Superioris prouinciæ, ſequuntur in itinere a Viminacio Nicomediam per ripam, hæc ſunt:

Aegeta			
Aquas	M.	P.	XVI
Dorticon	M.	P.	X
Bononiam	M.	P.	XVII
Ratiariam, Leg. XIIII *Gem.*	M.	P.	XVIII

Oppidum *Aquæ*, quod proximum Antoninus poſt Aegetam ponit, in Tabula eſt *Ad aquas*; Ἀκυὲς Procopio, qui proxime poſt Pontem Traiani poſuit. Epiſcopale fuit poſtea, quod ex Notitia Eccleſiæ, & ſubſcriptionibus Concilii Chalcedonenſis conſtat. Ab Aquis x millibus paſſuum *Dorticon* abeſt; in Tabula XXIIII: a Dortico Ratiaria XXXV in Itinerario; at in Tabula XLI. Tantum diſcrimen eſt diſtantiarum. Ab Ratiaria in eadem Tabula *Remedodiam* ſunt XII M. P. & hinc ad *Almum* iuxta amnem, qui ibi Danubio adfunditur, IIII millia.

De *Dortico* nihil habemus dicere, quam quod a Ptolemæo, Antonino, auctore Tabulæ Theodoſianæ, & Procopio, qui Φερέκιον *caſtellum*, dicto loco vocat, commemoretur. Nobilior *Ratiaria*, vt Antoninus, Notitia Imperii ſub duce Daciæ Riparenſis, & Procopius vocant. In Tabula Peutingerorum vocabuli exitus ſiue finis ſuſpectus eſt, *Ratiaris* ſexto caſu: in Ptolemæo initium, diphthongus videlicet, Ῥαιτιαρία, *Ratiaria*, contra quam quatuor dicti auctores conſentiunt. Accedit vetus marmor Romanum, Gruteri pag. 521 num. 7, NAT. MYSIA SVPERIORI REG. RATIARESE VICO CINISCO. *Ratiareſe*, pro *Ratiarenſe*, lapſu marmorarii. Confirmat hæc inſcriptio Ptolemæi diſpoſitionem, qua Ratiaria Superioris fuit Mœſiæ & citra Ciabrum fluuium ſita. Legionem XIIII Geminam ibi ſtatiua habuiſſe, ſupra ex Antonini Itinerario intelleximus. At in Notitia Imperii ſub duce Riparenſis Daciæ eſt *Præfectura legionis tertiæ decimæ Geminiæ Ratiariæ.* Non iudicaueris facile, qui verior numerus ſit, quum vtraque *Gemina* antiquis inſcriptionibus cognominetur. Ratiariam *Arezar* hodie Bulgaris dici, Lucas Holſtenius obſeruauit. Addidimus ex Tabula ſpatium XVI millium paſſuum, in quo *Remedodia* & *Almum* ſunt, ſi quis fortaſſe eiusdem Peutingerianæ delineatum flumen

pro

pro limitaneo, id est Ciabro, velit habere. Procopius his addit *Caput bouis*, Traiani opus; & *Zanes*, πολίχνιον παλαιὸν, *vetus oppidulum*, prope Pontem Traiani.

Ipse Pons Danubii, mirandum Traiani opus, a Dione Cassio descriptus fuit, ex quo hæc Xiphilinus excerpsit, quæ Latine, breuitatis caussa, proferemus: *Traianus pontem lapideum in Danubio fecit, quem ego digne admirari nequeo. nam etsi Traiani sunt alia opera magnifica, tamen is pons longe omnibus antecellit. Eius pontis pilæ sunt* XX *ex lapide quadrato*, (κρηπῖδες λίθου τετραπέδου) *altitudine pedum* CL *præter fundamenta; latitudine pedum* LX. *Distant inter se interuallo* CLXX *pedum, suntque fornicibus* (ἀψῖσι) *coniunctæ. Cuius operis sumptus licet sit incredibilis; tamen plus admirationis habet, quod hæc in fluuio, gurgitibus pleno, limosoque alueo facta sunt, quodque fluxus eius fluminis alio auerti non potuit*, (περιτρέψαι τὸ ῥεῦμα ἠδυνήθη.) Etenim factus pons fuit, vbi flumen est στενώτατον, *angustissimum*, & propterea ῥοωδέστατον καὶ βαθύτατον, *rapidissimum altissimumque*. Procopius lib. IV de Aedific. cap. VI addit rationem, cur Traianus tantum opus molitus fuerit, scilicet ægre tulisse, ὅτι οὐκ ἀπέραντος αὐτῷ ἡ βασιλεία εἴη, ἀλλὰ ποταμῷ Ἴστρῳ ὁρίζεται, *quod non interminatum haberet imperium; sed Istro finitum*, hoc est non continuum, sed maximo amne diremtum, impeditumque ita, vt ex vna parte alteri non possit facile subuenire. Addit quoque architecti nomen, *Apollodori Damasceni:* item, vtrimque pontem castellis muniuisse, quorum alterum, quod in Mœsia erat, *Pontes*, alterum *Theodora* vocatum fuerit.

Tam mirabile opus inuidia successoris Hadriani destruxit. nam vt Dio ait, ἀφεῖλε τὴν ἐπιπολῆς κατασκευήν, *deiecit superiorem structuram*, vt solæ pilæ relinquerentur, quod barbari facile irrumpere possent, caussatus: sed vera caussa suberat, quod Traiani gloriæ inuidit, quam quum superare desperaret, maluit eius magnitudini detrahere. Procopius addit, ruderibus impeditum flumen, mutasse cursum, subindeque (αὖθις) alueum repetiisse, vt nauigia non impedite deueherentur.

Locus Pontis incertus est & maxime dubitatus. Vulgo ajunt rudera ad Seuerinum oppidum exstare: sed vereor, ne decepti a Paullo Iouio fuerint; ipse vero a rumore vel fabula: quod etiam Lipsius de Iouio censet lib. III Magnitud. Rom. cap. XIII. Quis

enim credet, ipsius ætate *pilas*, vt ait, *triginta sex exstitisse*, quum Dio, Dalmatiæ ac Pannoniæ præses, sicque nec vicinæ Mœsiæ imperitus, XX tantummodo fuisse tradat; & Procopius, Iustiniani æuo, nihil nisi ἐρείπια καὶ θεμελίους, *rudera & fundamenta* commemoret? Nec de Seuerini oppido idem omnes iudicant, quod in Seruia alii longe supra Morauam collocant; alii prope Alutæ confluentem in Bulgaria. Quo fit vt disiunctissimis locis pontem eumdem in diuersis chartis poni videamus. Quum ergo ab recentibus nihil sit subsidii, ex antiquitate repetendum est. Procopius, sæpe dicto loco, *Pontem Traiani* longe infra Viminacium, (quod Widin putatur esse) & post Cuppas ac Nouas recenset. Ergo falsi sunt, qui supra Viminacium, seu media via inter id ac Taurunum ponunt. Deinde idem Ἀκυὲς, *Aquas*, siue *Ad aquas*, dicit oppidum ἐγγὺς κείμενον, *propinque situm*, μετὰ τὴν Πόντην, *post Pontem*, & inde, præter nonnulla castella, ad Bononiam & Ratiariam ducit, quo cursu ad alteram de vlteriore Seuerino sententiam acceditur propius, non autem id plane confirmatur, sed inter Aegetam & Aquas *Pons Traiani* statuitur.

Mediterranea Mœsiæ Superioris a Tauruno ad Viminacium parum nota sunt: a Viminacio autem iter Antonini, ab Vrbe in orientem directum, ita Naissum & Serdicam ducit, vt per Thraciam ferat Byzantium. Quem cursum etiam Itinerarium Hierosolymitanum tenet, pluribus autem locis & oppidis, sed plerisque obscurioribus, vel explicatum vel interpolatum. Antonini hic ordo est.

Viminacio			
Municipium	M.	P.	XVIII
Idimum	M.	P.	XXVII
Horrea Margi	M.	P.	XXI
Pompeios	M.	P.	XXIIII
Remisiana	M.	P.	XXV
Turrim	M.	P.	XXVIII
Meldia	M.	P.	XXX
Serdicam	M.	P.	XXXIIII

Quod *Municipium* dicitur oppidum, ita etiam, eademque distantia, vocatur in Hierosolymitano & in Peutingerorum Tabula. Quod sequitur *Idimum*, sic scribitur etiam in Tabula, ex quibus corri-

corrigendum Hierosolymitanum est Itinerarium, quo praue *Idomum* expressum est. *Horrea Margi* ab Idimo in Tabula sunt XII tantum millibus ab Idimo, quod numerum Antonini suspectum reddit quasi X alterum pro I irrepserit. In Hierosolymitano est XVII M. P. ab Idimo, *Oromagô*, quod non dubito, quin ex *Horreo Martis* deprauatum sit. nam *Orrea* Ptolemæi & *Horrea* Antonini pari interuallo distant a Naisso, quæ sequitur. Ptolemæus autem simpliciter Ὄῤῥεα, *Orrea* vocat. Cognomentum *Margi* haud dubie a fluuio *Margo* vel *Margi* est, qui videtur adluisse. oblique enim Mœsiam percurrit. Inde ducit Antoninus *Pompeios*, qui in Hierosolymitano *Ipompeii* corrupte: in Tabula Peutingeriana *Præsidium Pompeii* sunt.

Hinc itur *Naissum*, nobilem ciuitatem, &, vt Excerpta anonymi de Vita Constantini M. tradunt, huius imperatoris patriam. quod inde fit probabilius, quia is sæpe ibi constitit, & multas in ea vrbe leges tulit, vt I Cod. Theod. de alimentis: lex II de integri restitutione: lex vn. de centonariis, & eiusdem codicis aliæ. An etiam Iuliani lex I. Cod. Th. de proximis com. dispositionum, huc referenda sit, quæ accepta dicitur *Naisis*, dubitat non nihil Iacobus Gothofredus: quem Lucas Holstenius confirmare possit, qui in veteri nummo Romæ vidit NAISITANI; indeque verum vrbis vocabulum fuisse *Naisus*, simplici sibilo, persuasum it, vsus ad illud & Stephani chorographi testimonio, Ναϊσὸς scribentis. Verum Abr. Berkelius, V. C. obseruauit, in omnibus libris antiquis legi geminata littera Ναϊσσός: at Zosimus indiscriminatim lib. I cap. XLV, Ναΐσσος scripsit, & lib. III cap. XI Ναΐσον: ac Tabula Theodosiana *Naissus*. Ptolemæi Νέσος Dardaniæ, eruditis viris, vt fiat Ναϊσὸς vel Ναϊσσὸς, videtur emendandum esse. Ammianus Marcellinus *Næssus* scripsit, nisi error est describentium, qui *ai*, vt solet nonnunquam antiquis monimentis, pro diphthongo habuerunt. Lib. XXI cap. XVIII [Valesf. X] de Iuliano: *Imperator reuertitur Næssum, copiosum oppidum.* Et cap. seq. *Iulianus agens tunc apud Næssum.* Zosimus autem in eadem historia lib. III cap. XI καταλαβὼν τὴν Ναΐσον, *quum Naisum peruenisset.* Et mox, ὄντι κατὰ τὴν Ναΐσον, *quum apud Naisum hæreret.* De situ & regione variant auctores. Stephanus Byzantius, Ναΐσσος πόλις Θρᾴκης, *Naissus vrbs Thraciæ*, quod Berkelius ex confinii ratione excusat:

Valesius in Ammian. XXI cap. X *Δακίας* legendum putat, quia incluta Daciæ mediterraneæ fuit. Iornandes Get. cap. LVI *Naissum primam vrbem inuadit Illyrici*, puta Illyrici magni, quo Mœsia continebatur. De patria Constantini consentiunt multi. Stephanus in Naiso: *κτίσμα καὶ πατρὶς Κωνσταντίνου τοῦ βασιλέως*, *opus & patria Constantini imperatoris*. OPVS, quia patriam suam ornauit & amplificauit. Excerpta anonymi de Constantino, a Valesio edita: *Constantinus natus in oppido Naiso atque eductus.* Et Iulius Firmicus Mathes. lib. I cap. vlt. *Dominus & Augustus noster, Constantinus Maximus, apud Naisum genitus.* Sic ex duobus MSS. Valesius: vulgatum perperam *apud Tarsum*. Cedrenus pag. 221 de Constantio Chloro: *ἐγέννησε Κωνσταντῖνον περὶ τὴν τῆς Δακίας πόλιν, genuit Constantinum apud Daciæ vrbem*, quasi excidisset nomen, aut propter dignitatem sic satis significaretur. Hodie, & nomine & loco suadente, est *Nissa*, vrbs non ignobilis in via, a Tauruno Constantinopolim ferente.

Tribus millibus passuum a Naisso fuit *Mediana*, villa regia siue prætorium, vbi etiam principes aliquando constiterunt. Marcellinus lib. XXVI cap. X *Concordissimi principes* [Valentinianus & Valens] *percursis Thraciis Næssum* [Naissum] *aduenerunt: vbi in suburbano, quod adpellatum Mediana, a ciuitate tertio lapide disparatur, quasi mox separandi, partiti sunt comites.* Heic data est lex VIII Cod. Theod. de iure fisci, & lex XIII de operibus publicis, quibus subscriptum est *Med.* quod alibi *Mediolanum;* his legibus locum hunc Daciæ siue Mœsiæ antiquæ, vt Gothofredus probauit, significat.

Post Naissum Antonini itinere proxima *Remisiana*, Hierocli in MS. *Remessian*[illegible] Peuting. Tabula *Romesiana:* & apud Gennadium de Script. Eccles. *Romatianæ ecclesiæ episcopus;* atque ita etiam in Martyrologiis: Burdigalensi itinere *Romansiana*. Holstenio videtur esse Piros inter Nissam & Sofiam. Sequitur post XXVIII in Antonini Itinerario *Turris*: at Hierosolymitanum habet *Turres* pluraliter; etiam Tabula Theodosii; & hæc quidem cum interuallo XXX M. P. quod cum Antonino prope conuenit: minus autem cum Hierosolymitani Itinerarii auctore, cui tantum XVIII sunt siue bis IX: sed potest numerus excidisse. Atque hæc ex itineribus in Superiore prouincia. Præterea in mediterraneis

raneis est *Timacum* inter Naissum & Ratiariam. Tabula Peutingerorum duplex facit, *maius* & *minus*; sed proxime coniungit, a Naisso XXVII M. P. vtrumque ponit. Ptolemæus Τίμακον in oppidis mediterraneis recenset: Plinius flumen *Timachum* habet, quod, vt verosimile est, si oppidum præterlabitur, falsum est, quod quidam in Pannoniam remittunt, quasi Drino infusum, vt Tabula Sigismundi a Birken habet. A Timaco non longe absunt *Castra Martis*, oppidum ἐ παρὰ τὴν τῦ ποταμῦ ὄχθην, *extra ripam* positum, vt Procopius dicit de Aedific. lib. IV cap. VI, cui Καστραμάρτις, *Castramartis* vocatur. Sozomenus lib. IX cap. V de barbarorum ad Istrum sedentium quodam duce, καὶ Καστραμάρτις, πόλιν τῆς Μυσίας, προδοσίᾳ ἑλὼν, *Castra Martis*, *vrbem Mœsiæ*, *proditione cepit.* Et Marcellinus lib. XXXI cap. XXXII (Valesi. XI) *Gratianus Sirmium introiit, & quadriduo ibi moratus per idem flumen* [Danubium] *ad Martis Castra descendit.* Episcopus eius vrbis subscripsit Concilio Sardicensi. Vulgo Stramartis vocari, Holstenius auctor est.

Hæc ripam versus exstiterunt: in austrum recedunt æque circa limitem vtriusque Mœsiæ *Vlpianum* & *Scupi*. Procopius lib. IV de Aedific. cap. I ἦν τις ἐν Δαρδάνοις ἐκ παλαιῦ πόλις, ἥπερ Οὐλπιᾶνα ὠνόμαστο, *Erat vetus oppidum Dardaniæ, quod Vlpiana dictum fuit.* Instaurator Iustinianus vocauit *Iustinianam Secundam.* Et Ptolemæus in Dardania Οὐλπιανὸν, *Vlpianum* recenset. Locus incertior est. Cum vulgo Baudrandus Prisren interpretantur; Brietius Pyroth: alii longius in ortum reducunt. *Scupi* autem, Ptolemæo est Σκῦπι, *Scupi*; Stephano Σκόποι, *Scopi*, nisi etiam Σκοῦπο legendum, vt iustus ordo alphabeti seruetur, quem neglectum esse in hoc vocabulo, Berkelius quoque obseruauit. Dicit quidem πόλιν Θρᾴκης, *oppidum Thraciæ*; sed ea ratione, qua supra Naissum adscripserat Thraciæ, quæ, quod nemo dubitat, Mœsiæ est. Trebellius Pollio epistola Claudii Gothici, in Regilliano, *qualis apud Scupos in pugnando fueris.* Data & *Scupis* lex est CXIX Cod. Theod. de decurionibus. Paullinus Nolanus Carm. XVII ad Nicetam vers. 195

Ibis & Scupos patriæ propinquos
Dardanus hospes.

Hodie *Scopiæ*, vulgo *Vschup* adpellatur. Addit Ptolemæus *Vel-*

lanim (Græce Ὀυελλανὶς eſt) in extremo limite iuxta Inferiorem Mœſiam, vbi Gothofredus contendit legem II Conſtantini de Veteranis, Cod. Theod. datam eſſe, quia in MSS. *in ciuitate Velanorum*, quod perperam vulgatum ſit *Velouacorum*, quaſi Bellouacorum, quia Conſtantinus illo anno in Gallia non fuerit. Addit idem *Vendenim* citeriorem, etiam mediterraneam. Supereſt *Pincum* oppidum, haud dubie amni *Pingo*, vt Plinius dixit, impoſitum, qui vnus ex illis videtur eſſe, quos Moraua haurit. Notitia Imperii in Mœſia Prima: *Cuneus equitum Dalmatarum Pinco.* Andr. Morellius, vir clariſſimus, Speciminis rei nummar. tab. XXII, nummum Hadriani oſtendit, inſcriptum AELIANA PINCENSIA, id eſt ludi, Aelii Hadriani honoribus *Pinci* in Mœſia editi, quum eam prouinciam luſtraret. nam in Mœſiam veniſſe, teſtantur eiusdem nummi alii, inſcripti ADVENTVI AVG. MOESIAE. Ab hac vrbe Πικήνσιοι, *Pincenſii* Ptolemæo dicti ſunt, de quibus ſupra in populis.

Hactenus ſparſim de Dardania, Mœſiæ Superioris parte, quæ vero quod ſæpe vt gens & prouincia ſingularis eſt memorata, pretium erit, vniuerſam Dardaniam breuiter in conſpectum dare. Ptolemæus ſub Mœſia Superiore in Dardania quatuor oppida enumerat, *Neſum*, Νέσον, quæ Naiſus eſt, vt ſupra oſtendimus; *Arribantium; Vlpianum; & Scupi.* Et totidem in Eccleſiæ Notitia Caroli a S. Paulo pag. 210 numerantur, *Scupi, Vlpianum, Diocletiana, & Neſſyna*, quæ Naiſſus eſt. De Diocletiana autem, etiam de *Taureſio* χωρίῳ, & *Bederiana* ſiue *Bederina* Φρουρίῳ, quorum hoc natalibus, illud educationi Iuſtiniani Procopius lib. IV Aedific. cap. I tribuit, vtrumque ἐν Δαρδάνοις τοῖς Ευρωπαίοις, *in Dardanis Europæis* poſitum; diſpiciemus in Geographia medii æui.

MOESIA INFERIOR.

Inferior Mœſia a Superiore inter Iſtrum & Hæmum montem vſque ad Pontum & illius oſtia procurrit. Ripam Ptolemæus, auctor Tabulæ Theodoſianæ, & Antoninus deſcripſerunt, e quibus hæc, præteritis ignobilioribus, collecta damus.

Poſt Almum quod vltimum erat in prouincia Superiore, Antoninus refert *Cebrum*, quod Ortelio videtur contractum ex *Ciabrum*, quaſi ad flumen Ciabrum, vbi Danubio infertur, ſitum fuerit,

fuerit, quod non est improbabile. nam & *Ciabrus* videtur Κέβρος a Dione lib. LI pag. 461 dici, flumen Mœsiæ, vbi Mœsos & Bastarnas Crassus ἐς τὴν Μυσίδα ἐμβαλὼν, in Mœsiam irruens, persecutus est & profligauit. Scriptum quidem Κέδρῳ, sed etiam Th. Reinesio iudice, πρὸς τῷ Κέβρῳ τῷ ποταμῷ, *iuxta Cebrum flumen*, legendum est. Ciabrus autem fluuius Ptolemæo communis vtriusque Mœsiæ terminus est. Et Procopius de Aedif. lib. IV cap. VI Κεβρὸν oppidum vocat, eiusque ὀχυρώματα πεπονηκότα, *ruinosas munitiones* Iustiniani temporibus fuisse tradit, ideoque ab illo principe θαυμασίως, *mirifice*, instauratas. Ex quo coniicimus locum opportunum & munitione dignum fuisse, cuius generis præcipue sunt, quæ confluentibus magnorum fluminum adiacent: Idcirco etiam in Notitia Imperii sub duce Daciæ Ripensis *Cuneus equitum scutariorum*, & *Præfectura legionis* V *Macedonicæ Cebro* fuerunt. A Cebro per XVIII M. P. venitur *Augustam*, ignotum a quo conditam, cuius vrbis ibidem Procopius μόνα ἐδάφη, *sola rudera* superfuisse memorat, ἐν τοῖς ἄνω χρόνοις, *priscis temporibus* AVGVSTAE adpellatæ. Aldus *Augustis* casu sexto scripsit, quasi castra fuerint imperatoris: sed πόλιν, *vrbem* nominauit Procopius, nec alibi eo vocabulo Romani, nisi in claris ciuitatibus, vsi sunt. *Variana* proxima in Itinerario post XII M. P. est: adscriptum Schotti editione charactere alio, quasi variet lectio, *Valeriana*: sed abest hoc additamentum ab Aldina. Etiam vrbes *Varianam* & *Valerianam* Procopius distinguit: coniungit tamen vt vicinas.

Vrbs *Nicopolis*, quæ hodieque superstat, in hunc tractum incidit, sita ad *Iatrum* fluuium, quod Iornandes in Geticis prodidit. De barbaro Mœsiam vastante agens cap. XVIII, *Nicopolim*, inquit, *accedit, quæ iuxta Iatrum fluuium est*. Et quia ad ostium huius amnis sita est, qui ibi Danubio infertur; discriminis caussa *Nicopolis ad Danubium* vocatur, siue *ad Istrum*. Nummi Caracallæ & Diadumeniani ΝΙΚΟΠΟΛΙΤΩΝ ΠΡΟϹ ΙϹΤΡΩ; item Getæ & Gordiani, ΝΙΚΟΠΟΛΙΤΩΝ ΠΡΟϹ ΙϹΤΡΟΝ, *Nicopolitarum ad Istrum*. Ammianus Marcellinus lib. XXXI cap. XVI *Anchialos capta, & tempore eodem Nicopolis, quam indicium victoriæ contra Dacos Traianus condidit imperator*. Hanc vel Daciæ fuisse, vel Mœsiæ, vicinam tamen Daciæ & oppositam ad Danubium, vero-

verosimillimum est. Thraciæ enim Nicopolis, vbi Anchialus est, longius abest a victoria Dacica. Anton. Bonfinius Rer. Vngar. Decad. III lib. II geminam tradit Nicopolin, minorem trans Danubium, opus Traiani; & maiorem cis flumen, ab Hadriano additam, cetera ita connexas, vt solo flumine dirimantur. Prona hæc ad fidem sunt: an vero distinctius a veteri scriptore sit ita proditum, non habeo adfirmare. Mirum vero neque Antoninum, neque auctorem Tabulæ eius habuisse rationem.

Memorabilior *Oescus* est, sic Antonino scripta & in Notitia Imperii: Ptolemæo Οἶσκος Τριβαλλῶν, *Oescus Triballorum*, quia in Triballorum gente sita erat. Procopio de Aedif. lib. IV cap. VI Ἰσκὸς, *Iscus*, qui a Danubio reduxit paullisper: in Tabula Peutingeriana *Escus*, flumini *Esco* adposita, qui forte Plinii lib. III cap. XXVI *Escamus* amnis est. Gruterus p. 566 n. 9 NATVS MŒSIA INFERIORE DOMV ESCVM - - Fluuius *Escus*, siue *Oescus*, vestigia nominis sui in Ischa siue Isca reliquit.

In eadem ripa sequuntur *Vtus* siue *Vtum*. Casu sexto enim Antoninus Aldi & Imperii Notitia in Dacia Ripensi *Vto* habent. Vnde vitium Tabulæ Peutingerianæ deprehendi & corrigi potest, qua *Vio* eadem distantia ab Oesco expressum est. Plinii fluuius *Vtus* hoc oppidum adluit, quod ad eius confluentem necesse est positum fuisse: deinde *Securisca* Antonini, & Notitiæ in Mœsia Secunda, qua *Cuneus equitum scutariorum Securiscæ* dicitur castra habuisse. Ex vtriusque consensu iterum Tabulam emendamus, cuius *Securispa* est. Excipiunt *Nouæ* in Itinerario cum castris *Leg.* I *Ital.* quæ in Tabula *ad Nouas* sunt, cum claræ vrbis insignibus. Notitia, quod miror, *ad Nouas* in Dacia Ripensi recenset, quæ vero superiorem *Securiscam* posuerat in Mœsia Secunda. Ptolemæo sunt etiam Νόβαι, *Nouæ*. Tabula mox *Latrum* exhibet: Notitia Mœsiæ Secundæ *Cuneum equitum scutariorum Latris*. Quod sequitur Trimammion Antonini & Notitiæ; *Trimamiun* Tabulæ; corrupte Ptolemæus dixit Τριμμάνιον. Male sanum est etiam vocabulum quod insequitur, Antonini, vt Aldus edidit, *Sexantapristis*; vt Schottus, *Exantapristin*: Notitiæ, *Sexagintaprisra*: Tabulæ, *Pristis*. Singula eo casu, quo leguntur, scripsi, vt de recto planius iudicetur. Tum *Tegræ* sunt Tabulæ: *Tegra* Notitiæ, cui *Cuneus equitum secundorum armigerorum* est *Tegræ*.

Appia-

Appiaria Antonini & Tabulæ, & Notitiæ tam Ecclesiæ (nam episcopum habuit) quam Imperii. *Transmarisca* Antonini & Notitiæ; *Trasmarisca* Tabulæ; Τρομάρισκα Ptolemæi. *Candidiana* Notitiæ Imperii & Itinerarii; in Tabula *Nigriniana*, quod ex malo forsan euentu est. Hinc nomen Candidianum, Galerii filium accepisse, ibi vel natum vel educatum, coniectura Toinardi est in Lactantii de Mortib. Pers. cap. XX. Præterea *Teglicium* Antonini, quo *milites Mœsiacos* imponit Notitia Imperii: & *Dorostorum* Antonini, siue *Durostorum* Notitiæ, & Ptolemæi Δυρόστορον; Tabulæ *Durosteron* cum insignibus vrbis nobilioris. Itinerario teste *Legio* XI CL. id est, vt Notitia explicat, *vndecima Claudia* imposita fuit: etiam in Notitia, *Milites quarti Constantiani*. Ptolemæum citauimus secundum Palatinum codicem: vulgati Δυροστόλον præferunt: quam formam & Procopius tenet dicti libri cap. VII, cui ὀχυρώματα παρὰ τοῦ Ἴστρου ἠιόνα Δορόστολος καὶ Συκιδάβα, *munimenta ad Istri ripam* sunt Dorostolus *&* *Sucidaua*. Hæc *Sucidaua* Antonini, Tabulæ & Notitiæ, Ptolemæo quoque est Σουκιδάυα, quæ proximam *Axiopolim* habet, Ptolemæi Αξιούπολιν, eaque in Itinerario & Tabula hunc locum obtinet. Ad hanc vrbem Ptolemæus vult desinere *Danubii* nomen, incipere *Istri*, vt supra ostendimus in Fluminibus Germaniæ. Succedunt Antonini itinere *Capidaua*; Tab. Peut. *Calidaua*; sed prior scriptura verior, quia etiam Constantinus Porphyrogennetus lib. II them. I Καπιδάβα, *Capidaua* scripsit: & *Carson*, quod Ptolemæo etiam Κάρσον est, Tabulæ *Carsium*: item *Cion*, *Biroe*, *Trosmis*, vbi *Legio* I *Iouia* statiua habuit; Tabulæ *Troesmis*, Ptolemæi Τρόσμις. Ouidius tamen etiam *Trosmis*. Ex Ponto lib. IV epist. IX vers. 79 de Flacco præside:

Hic captam Trosmin celeri virtute recepit,
Infecitque fero sanguine Danubium.

Ergo Romanæ ditionis fuerat; a barbaris intercepta; a Flacco recuperata. Heic posteriores principes, quum diuiderent prouincias, Mœsiam Secundam terminauerunt, reliquis Scythiæ adiudicatis.

Sunt autem, quæ vsque ad Istri ostia restant, perpauca numero: *Arubium* in Tabula; in Itinerario *Arrubium*: & antiquum oppidum *Nouiodunum*, itidem Antonini & Tabulæ; Νοιόδουνον Ptolemæo: *Nouidunum* Marcellino lib. XXVII cap. XI [Vales. cap. V]

cap. v] & *Nebiodunum* Lege I Cod. Theod. de veſtibus oloueris, niſi *Nobiodunum* legendum eſt. Inſequitur *Aegyſus* Itinerarii, ſive *Aegypſus*, vt in vulgatis Ouidii, ſiue *Aegiſus* ſeu *Aegiſſus*, vt in MSS. aliquot. Ouidius lib. I ex Ponto, epiſt. VIII,

Stat vetus vrbs, ripæ vicina binominis Iſtri,
Mœnibus & poſitu vix adeunda loci.
Caſpius Aegiſſus (de ſe ſi credimus ipſis)
Condidit & proprio nomine dixit opus.

Natura loci munita fuit: interceptam a Thracibus Romani recuperarunt. Eodem lib. IV epiſt. VII ad Veſtalem præſidem:

Non negat Aegiſſos, quæ te ſubeunte recepta
Senſit in ingenio nil opis eſſe loci.

Veram ſcripturam *Aegiſſos* eſſe, confirmat etiam Porphyrogennetus lib. II them. I cui in præfectura Myſiæ [poſt alia] ſunt Αξιόπολις, Καπιδάβα, Κάρπος, Τρῶσμις, Νοβιόδυνος, Αἴγισσος, Αλμυρίς. Inter Aegiſſon & Iſtri oſtia Antonini & Tabulæ *Salſouia* eſt: poſt XXIIII millia eiusdem Tabulæ *Ad ſtoma*, locus ad oſtium, vbi primum Iſter incipit diuidi.

Heic etiam *Pons Darii* fuit olim, quo in Scythas exercitum traiecit. Nepos Miltiade cap. III *Perſarum rex Darius Scythis bellum inferre decreuit. pontem fecit in Iſtro flumine, qua copias traduceret.* Locum pontis ita ſignauit Her[illegible]otus lib. IV cap. LXXXIX ὁ ναυτικὸς στρατὸς τὰς Κυανέας διεκπλώσας, ἔπλεε ἰθὺ τοῦ Ἴστρου. ἀναπλώσας δὲ ἀνὰ τὸν ποταμὸν δυῶν ἡμερέων πλόον ἀπὸ θαλάσσης, τοῦ ποταμοῦ τὸν αὐχένα, ἐκ τοῦ σχίζεται τὰ στόματα τοῦ Ἴστρου, ἐζεύγνυε. *Naualis exercitus* (quem Iones & Aeoles & Helleſpontii ducebant) *præteruectus Cyaneas* [inſulas,] *recta ad Iſtrum nauigauit, ſubuectusque duorum dierum itinere a mari, fauces fluminis, vbi in oſtia ſcindi incipit, ponte iunxit.* Darius interea pedeſtrem exercitum per Thraciam duxit ad Iſtrum. Omnia hæc ſunt perſpicua, etiam Straboni adprobata, qui lib. VII pag. 211 ab oſtio Sacro ait ἀνάπλουν, *nauigationem aduerſam* eſſe ad Peucen CXX ſtadiis, ἧς κατὰ τὸ κάτω μέρος ἐποίησε τὸ ζεῦγμα Δαρεῖος, *iuxta cuius* [inſulæ] *occidentalem partem Darius pontem fecit.*

De *oſtiis* Iſtri nunc dicendum eſt, quorum nec numerus, neque nomina ſatis certa ſunt. Ephorus apud Strabonem dicto loco

loco πεντάστομον Istrum, *quinque ostiis* exire dixit. Dionysius Perieg. vers. 301 itidem de Istro,

πενταπόροις προχοῇσιν ἑλισσόμενος περὶ Πεύκην,

quod Festus Auienus vers. 441 interpretatus est,

ora per æquor

Quinque vomunt amnem, qua se procul insula Peuce Exerit.

Plinius *sex* ostia lib. IV cap. XII eidem flumini dat. Ister, inquit, *in Pontum sex fluminibus euoluitur.* Plures *septem* tribuunt. Strabo lib. VII pag. 211 ἑπτάστομός ἐστι, *septem ostia habet.* Pomponius Mela lib. II cap. I de Istro: *totidem quot Nilus ostiis, sed tribus tenuibus, reliquis nauigabilibus, *effluit.* Ptolemæus etiam totidem numerauit. Ammianus Marcellinus lib. XXII cap. XIX *septem ostiis erumpit in mare.* Caussa varietatis opinionum est, quod alii tenues exitus connumerant, alii excludunt & prætereunt. Nec nomina ostiorum sunt eadem. Quod ad austrum maxime vergit, per se validum & amplum, *Sacrum* vocatur, item *Peuce*, ab insula quam facit, eiusdem nominis. Ptolemæus lib. III cap. X ἐκβάλλει στόματι λεγομένῳ ἱερῷ ἢ πεύκῃ, *influit ostio quod Sacrum vel Peuce dicitur.* Quod proximum huic, Ptolemæo est *Inariacium*: Plinio & Marcellino *Naracustoma*: tertium eisdem *Calonstoma*, quasi pulchrum, quod καλὸν est, ostium: quartum *Pseudostoma*: quintum exile *Boreum*, βόρειον, *stoma*: sextum Ammianus *Sten[illegible]na* dixit, Plinius posthabuit. Plinii autem extremum *Spireonstoma*, si salua lectio est: Ptolemæus suum septimum, quod extremum est, *Thiagolam* vocat, a lacu eius nominis quem transit; idque ψιλὸν, *exiguum*: Marcellino autem *septimum ingens.* Strabo de eisdem: *Tria ostia*, ἐφεξῆς τῷ ἱερῷ, *quæ Sacrum subsequuntur, parua sunt: cetera his maiora, Sacro tamen multo minora.* Sic inconstanter veteres de his ostiis censuerunt, nec forte illa semper eadem fuerunt, sed cum temporibus, vt in Nilo etiam, mutata.

De insulis inter ostia quæ prodantur, breuiter attingenda putamus. Strabo: γίνονται μεταξὺ στομάτων νησῖδες, *Sunt inter ostia paruæ insulæ.* Mela lib. II cap. VII *Sex sunt insulæ inter Istri ostia: ex his Peuce notissima, & maxima.* Situm Strabo paullo ante, quum de Ponte Darii ageremus, ostendit, intra diuortium fuisse ad Sacri ostii alueum, reductam vero a mari CXXX stadiis. Plinius: *Primum*

ostium Peuces : mox ipsa Peuce insula a qua proximus alueus adpellatus. Rursus Strabo eodem loco : πρὸς ταῖς ἐκβολαῖς μεγάλη νῆσος ἐστὶν ἡ Πεύκη· κατασχόντες δ' αὐτὴν Βαστάρναι, Πευκῖνοι προσηγορεύθησαν, *Ad ostia* [Istri] *magna est insula Peuce : quam tenentes Bastarnæ, Peucini sunt cognominati.* Reliquæ minores insulæ sine nominibus in vniuersum a scriptoribus, qui superant, produntur.

Maritima ora Mœsiæ Inferioris est inter Istri ostia & fines Thraciæ ad Pontum Euxinum. Ab ostiis prima vrbs fuit *Istrus* Antonini & Eutropii lib. VI cap. VIII; *Istros* Ammiani lib. XXII cap. XIX; Ἴστρος Stephani Byzantini, & Peripli Ponti Euxini pag. 157, & ex antiquioribus Scymni Chii, cuius fragmentum Lucas Holstenius cum Notis in Stephanum reliquit, cuius versu 21 dicitur

- - - - - - - - - ἡ πόλις
Ἴστρος ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ ἔλαβε τοὔνομα
- - - - - - καὶ ταύτην τὴν πόλιν
Μιλήσιοι κτίζουσιν.

Hoc est : *Ister ciuitas ab Istro flumine nomen accepit : & hanc vrbem Milesii condiderunt.* Arriano sub finem Peripli est Ἰστρία πόλις, Ptolemæo Ἰστρόπολις; Melæ lib. II cap. II & Plinio III cap. XI *Istropolis ;* Tabula Peutingeri *Histriopolis*, LX M. P. a loco, qui *Ad stoma* vocatur, quem ad Sacrum ostium [illegible] Strabonis suffragio confirmatur lib. VII pag. 220 Ἔστιν ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ στόματος Ἴστρος πολίχνιον ἐν πεντακοσίοις σταδίοις, *Abest a Sacro ostio oppidum Istrus quingentis stadiis.* Quam autem πολίχνιον, *paruum oppidum* vocat, ex suis metitur temporibus : nam maior olim & illustrior fuit. Marcellinus dicto loco : *Istros quondam potentissima ciuitas.* Gemina ergo huius nominis forma, *Istrus* siue *Istros ;* & *Istropolis :* sed prior, vt vetustior, ita etiam est frequentior, vtpote Scymni, Strabonis, & quem Stephanus sequutus est; etiam nummi antiqui ΙΣΤΡΙΗΩΝ, pro Ἰστριέων, Ionice, quod ab Ἴστρος est. nam ab Ἰστρόπολις deducitur Ἰστροπολιτῶν. Colonia fuit Milesiorum, vt Scymnus, Strabo, & Plinius testantur.

Sequuntur *Tomi*, interuallo XL M. P. secundum Peutingerianam; XXXVI secundum Antoninum. Ptolemæo Τόμοι: etiam Plinio & Ammiano prædictis locis, & Melæ lib. II cap. II

Tomi

Tomi pluraliter: at Straboni lib. VII p. 220 Τόμις, Τόμεως. Nummus Caracallæ ΜΗΤΡΟΠ. ΠΟΝΤΟΥ ΤΟΜΕΩC. Qua forma etiam Ouidius vsus est lib. III Trist. eleg. IX extrema, de Medea fugiente:

Inde Tomis dictus locus hic; quia fertur in illo
Membra soror fratris consecuisse sui.

Vnde etiam origo nominis vel vera vel fabulosa patet. Idem lib. IV Pont. epist. XIV extrema

Tam mihi cara Tomis: patria quæ sede fugatis
Tempus ad hoc nobis hospita fida fuit.

Non autem πολίχνιον fuit, vt Strabo censet; sed vrbs illius regionis præcipua, in dicto nummo μητρόπολις; & in Tabula Peutingeriana vrbium clararum & nobilium insignibus ornata. Incolæ *Tomitæ*. Idem IV Pont. epist. IX vers. 21

Hoc facit, vt misero faueant adsintque Tomitæ:

& gentile *Tomitanus*, vt lib. III epist. VIII

Quæ tibi - - - - - - -
Dona Tomitanus mittere posset ager.

A Tomis in Tabula XXXIIII, in Itinerario XXX millibus passuum, apud Strabonem CCLXXX stadiis in austrum distat *Calatis*, siue *Callatis*, siue *Callatia*. Strabo, Mela, Plinius, Eutropius, Antoninus *Calatis* L simplici: Scylaci, Scymno Chio, & Peutingerianæ auctori *Callatis* littera duplicata: Ptolemæo Καλλατία, *Callatia*, quæ forma etiam in nummo Gordiani apud Patinum p. 372 exstat ΚΑΛΛΑΤΙΑΝΩΝ. Colonia Heracleotarum fuit, vt Scymnus Chius & Strabo tradiderunt. Inter Calatim & Tomos Eutropius VI cap. VIII *Parthenopolim* habet, quam Plinius etiam in Mœsia inferiore ponit, sed obscuris nominibus immistam. Forte reductius quodammodo a mari fuit.

Nec in Itinerario, nec in Periplo Ponti ἀπὸ Καλλάτιδος, *a Calati* ad Dionysopolim per L amplius M. P. quidquam memorabile fuit, præter *Bizonen*, Βιζώνην, quæ LXXX stadia supra Dionysopolim in septemtrionem erat: sed motu terræ concidit. Mela lib. II cap. II *Fuit heic Bizone: motu terræ intercidit.* Et Plinius lib. IV cap. XII *Bizone terræ hiatu rapta.* In Tabula corrupte *Bibone* XII M. P. supra Dionysopolim. Ipsa *Dionysopolis* antea *Cruni*, Κρουνοὶ, dicta, ob vicinas ὑδάτων ἐκρύσεις, *aquarum*

ſcaturigines, vt Scymnus Chius principio fragmenti, & ex illo Stephanus refert de Vrbibus. An vero etiam *Matiopolis* dicta fuerit, vt Periplo Ponti traditur, & ipſo nunc Scymni fragmento legitur, dubitamus; quia Plinius idem de Crumnis habet, de Matiopoli nihil: vt videatur ex *Martianopolis* illud nomen, Traiani in eadem Mœſia opere, enatum longe poſt Scymnum fuiſſe. nam etiam Stephanus, qui Scymni verbis vtitur, illud, quod de Matiopoli eſt, ignorat. Spurius ergo verſus ille fragmenti videtur, de quo plura Iſaacus Voſſius ad Periplum. *Dionyſopolis* autem Cruni adpellati fuerunt ex eo, quod Pontus ad illud litus ſimulacrum Bacchi adpuliſſet, tradente eodem poeta Chio, eumque ſequentibus auctore Peripli, & chorographo Byzantino.

Reliqua Mœſiæ ad Pontum, ex vtroque Periplo ſic expedimus: A Dionyſopoli ad *Odeſſum*, vbi portus, CC ſtadia. Alter Periplus Ὀδησσὸς πόλις, ἐν ἧ ὅρμος ναυσὶ, *vrbs Odeſſus, in qua ſtatio nauium eſt.* Ammiano lib. XXVII cap. IX *Odyſſus* eſt, ſicut etiam Ptolemæo Ὀδυσσός. Sed præſtat prior ſcriptio Ὀδησσός, *Odeſſus*, quæ Scymni etiam & Strabonis eſt. In nummis quoque Caracallæ & Gordiani ΟΔΗCCΕΙΤΩΝ, apud Harduinum. Et Diodorus Siculus lib. XX extremo: παρῆλθεν εἰς Ὀδησσὸν, ἡ κεῖται μεταξὺ τῆς τε Ἀπολλωνίας καὶ Καλατιας (ſic legendum, non Γαλατίας) *Odeſſum tranſiit, quæ inter Apolloniam & Calatin ſita eſt.* Mileſiorum colonia erat. Strabo, Ὀδησσὸς Μιλησίων ἄποικος, *Odeſſus Mileſiorum colonia:* & Scymnus principio fragmenti

- - - - - - - Ὀδησσὸν οἱ Μιλήσιοι
κτίζουσιν,

Odeſſum Mileſii condiderunt. Inde ad *Hæmum* montem, qui in Pontum procurrit, ad cuius radices etiam ὅρμος ναυσὶ, *ſtatio nauium* eſt, ſtadia ſunt Arriano CCCLX; anonymo CCLX. Ab Hæmo *Meſembriam*, XC ſtadia, ſiue millia paſſuum fere XII. Peripli anonymus auctor p. 161 αὕτη ἡ Μεσημβρία πόλις παρὰ τὴν ὑπώρειαν τοῦ καλουμένου Αἵμου κειμένη τῇ Θρᾳκίᾳ τε καὶ τῇ Γετικῇ συνορίζει γῇ, *Hæc Meſembria vrbs ad radices montis dicti Hæmi ſita eſt, Thraciæ Geticæque terræ contermina.* Etiam Ptolemæo eſt Μεσημβρία vltima Mœſiæ ad Thraciæ fines iuxta Pontum; & Melæ II cap. II, ac Plinio IV cap. XI *Meſembria:* Herodoto autem lib. IV cap. XCIII

Μεσαμ-

Μεσαμβρία, *Mesambria*, & in nummis Seueri & Philippi iunioris ΜΕΣΑΜΒΡΙΑΝΩΝ.

Hæc in Ponti ora ad Mœsiam Inferiorem pertinent, quæ cum iis, quibus ripa Istri est culta atque condita, vlteriorem fere omnem partem conficiunt, nec ex mediterraneis aliquid notum est, præter *Marcianopolim*, vt Marcellinus ait lib. XXVII cap. IX, *a sorore Traiani principis ita cognominatam.* Vulgo in litore eamdem posuerunt, Itinerario Antonini in errorem inducente, quo inter Odessum & Anchialum *Marcianopolis* visitur. Verum maior fides est Peutingerianæ Tabulæ, in qua a Durostoro, deflectente ab ripa itinere ad Odessum versus, XXIIII M. P. ab Odesso sic reducta in mediterranea est:

Durostoro	- - -
Palmatis	XIIII
Marcianopoli	XLV
Panisso	XII
Odesso	XII.

Thraciæ Mœsiæne adscribas, dubitare possis, si Zosimi verba lib. IV cap. X inspexeris obiter, αὐτὸς ἐπὶ τῆς Μαρκιανουπόλεως, ἣ μεγίστη τῶν ἐν Θρᾴκῃ πόλεών ἐστι, διατρίβων, *ipse Marcianopoli degens, quæ vrbium Thraciæ maxima est.* Verum de Valente imperatore agit, cuius ætate Thracia ad Istri vsque ostia prorogata erat, nec solam Mœsiam inferiorem, sed Scythiam quoque, id est ad ostia regionem complectebatur, vti ex Sexti Rufi cap. IX liquet: ante diuisionem vero prouinciarum nouam, a Diocletiano vel Constantino institutam, ipse Zosimus aliter iudicauit, de Claudio Gothico scribens lib. I cap. XLII, προελθόντες δὲ, καὶ ἐπὶ Μαρκιανοῦ πόλιν, ἣ Μυσίας ἐστὶν, ἀναβάντες, καὶ ταύτης διαμαρτόντες, ἔπλεον ἐπὶ τὸ πρόσω. *Progressi vero* [Scythæ] *& Marcianopolim delati, quæ Mœsiæ ciuitas est, ac ne illa quidem potiti, nauigarunt vlterius.* Ammianus quoque Marcellinus dicto loco: *Dein Mysia* [id est Mœsia] *vbi Marcianopolis est.* Et Trebellius Pollio in Claudio cap. IX *Pugnatum est apud Mœsos, & multa prœlia fuerunt apud Marcianopolim, multi naufragio perierunt.* At ex his, & modo adlatis Zosimi verbis ex lib. I, videtur nihilominus adstrui, maritimam Marcianopolim fuisse. Verum nauigarunt quidem barbari: vbi

autem

autem opulentiorem vrbem cognouerant, exſcenſione facta, per viginti, & amplius, paſſuum millia eo vſque excurrere, & oppugnare, & quid non grauius? cupiditas prædæ coegit. Si Claudii prœlia ad Marcianopolim, aut inter hanc vrbem & mare ſunt facta, vtique victi ad naues refugerunt, vt vel tempeſtate perirent, vel naues regere turbati clade & fuga non potuerint: niſi illud Pollio naufragium reſpexit, quod Zoſimus loco dicto, & ex illo Suidas in voce Σκῦθαι, deſcripſerunt, quum Marcianopolim fruſtra oppugnaſſent, vlterius nauigaturis accidiſſe, vt in anguſtiis Propontidis impetu fluentis maris naues colliderentur & magna pars cum hominum tum nauigiorum periret. Quod ſi licet etiam recenti teſtimonio vti, adfero ſummi viri, Lucæ Holſtenii, qui, quum Ortelius in Theſauro ſcripſiſſet, ſitam hanc vrbem eſſe AD PONTVM EVXINVM; adnotauit, *Falſum. Eſt nunc quoque celebris ciuitas Bulgaris, Preslaw dicta, quaſi ciuitas illuſtris.*

Nominis quoque rationes attingendæ ſunt. Ex Græcis Suidas Μαρκιανόπολις, Zoſimus Μαρκιανῦ πόλις diuiſe; etiam Nicenæ Synodo Piſtus epiſcopus Μαρκιανῦ πόλεως ſubſcripſit, & ſic quoque in Actis Gelaſii pag. 55. Ex quo ferme dubitare cœpit de fide Marcellini Caſaubonus in Pollionis Claudium cap. IX. *Debuiſſet*, inquit, Μαρκιανῆς, *ſi fides Ammiano.* At propter Græculorum ſcripturam nolim Marcellini, grauis auctoris, fidem in dubium vocare. Incurioſi enim illi ſæpe in his nominibus ſunt. Faſſi ipſimet, Helenopolim Bithyniæ ab Helena, Conſtantini matre, nomen ducere: nihilominus Ἑλενόπολιν ſcripſerunt Socrates lib. I cap. XXXIX; Cedrenus tam Pariſ. ed. p. 295, quam Baſil. p. 243, qui etiam addit *διὰ τὴν μητέρα propter matrem* Ἑλενόπολιν vocari: & Anna Comnena lib. XV pag. 463, & Conſtantinus Porphyrogennetus lib. I them. V. Diligentiores vero, Philoſtorgius lib. II cap. XIII, & Sozomenus lib. II cap. XXXIV, Ἑλενόπολις ſcripſerunt. Sic quoque veteres Μαρκιανόπολις ſcripſiſſe nummi plures teſtes ſunt, Sept. Seueri, Iuliæ Domnæ, Caracallæ, Elagabali, Alexandri, Gordiani; qui omnes ΜΑΡΚΙΑΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ præferunt, nullus cum ου diphthongo. Marcianæ autem, Traiani ſorori, hanc vrbem imputari, etiam Iornandes confirmat, de Reb. Get. cap. XVI, de qua auguſta femina Plinius Paneg.

Paneg. cap. LXXXIV consulatur, & quæ ibi ex fornice Anconitano (apud Grut. p. 247 extr.) subnotauimus,

DIVAE
MARCIANAE AVG
SORORI AVG.

Non ergo indigna fuit, cuius nomine etiam vrbes a fratre augusto dedicarentur.

Obscura sunt oppida, quæ in Tabula vtrimque Marcianopoli adiunguntur, *Palmata* & *Panissum*, nisi quod Ptolemæus inter Odessum & Mesembriam *Panysi* fluminis ostia habet. Ipsa autem pars Mœsiæ Inferioris, quæ inter Pontum, Istri ostia & Hæmum montem est, etiam *Pontus* fuit dicta, vt vrbem Tomos ΜΗΤΡΟΠ. ΠΟΝΤΟΥ, *metropolim Ponti* in nummo Caracallæ vocari supra intelleximus: & Ouidius lib. V Trist. eleg. X ineunte:

Vt sumus in Ponto, ter frigore constitit Ister.

Posteriori æuo prouincia heic noua constituta, & Thraciæ adiecta fuit, quæ *Scythia*, a Scythis & Getis incolis, adpellabatur, licet maritimæ pleræque vrbes essent Græcorum coloniæ, id est Milesiorum vel Heracleotarum. De *Getis* vero habitatoribus plena sunt Ouidiana carmina. Sed ad citeriora reflectamus, mediterranea Inferioris Mœsiæ a finibus Superioris, vbi cessauimus supra, perlustraturi breuiter.

A Turribus Superioris prouinciæ, proxima sunt *Meldia* in vtroque itinere: vnde XXIIII passuum millibus venitur *Serdicam* siue *Sardicam*. vtroque modo enim scribitur, vocali prima & secunda, etiam in ipsis antiquis monimentis ambigue. Nummus Diadumeniani apud Harduinum CΑΡΔΙΚΕΩΝ. Alius apud illust. Spanhemium p. 185 ΟΥΛΠΙΑC CΕΡΔΙΚΗC. Ptolemæus & Theodoritus (H. E. lib. II cap. IV) Σαρδική: lapis Romanus Grut. p. 540 CIVITATE SERDICA: Tabula Peuting. SERTICA, praue T pro D adsumpto. Plures Latini *Serdica*, Ammianus, Sidonius, & auctores legum in Cod. Theodosiano, quarum multæ sunt *Serdicæ*, præsertim a Constantino, datæ. At tamen Eutropius de Galerio: *in Dacia haud longe a Sardica natus:* & Sulpicius Seuerus *Sardica* & *Sardicensis*, de concilio ibi congregato disserens. Difficilior situs inuentu, seu regio & sedes, in qua fuit vrbs nobilis.

Ptolemæus Thraciæ mediterraneæ vrbibus adnumerat. Iuuatur veteri inscriptione apud Grut. p. 540 num. 2 NAT. THRAX CIVITATE SERDICA. Facile autem ad conciliandum est, quod Eutropius dixit, *in Dacia haud longe a Sardica:* & Theodoritus dicto loco, Σαρδικὴ, Ἰλλυρικὴ πόλις, τῦ Δακῶν ἔθνυς μητρόπολις, *Sardica, vrbs Illyrica, metropolis Daciæ.* Dacia enim hæc Aureliani est, detracta Mœsiæ, quod ex Eutropii lib. IX cap. IX fit clarissimum. Eadem Dacia est pars Illyrici magni, quod in orientale & occidentale diuisum erat : huius Sirmium; illius Sardica caput & metropolis fuit, etiam speciatim Daciæ mediterraneæ : de quibus in Geographia medii æui dicemus. Id ergo disputandum est, vtrum *Sardica* Mœsiæ inferioris sit, an Thraciæ finibus adscribenda. Quod Thraces nobiliores erant quam Mœsi, etiam potentiores; facile adducor vt credam, fines Thraciæ aliquando in Mœsiam fuisse propagatos. Sic Sardicensis ille miles in prædicta inscriptione, qui se *natione Thracem* maluit, quam *Mœsum* censeri, videtur maiorem bellicosorum Thracum, quam ignobilium Mœsorum gloriam ambiisse. Itinerario Burdegalensi, quod etiam Hierosolymitanum dicunt, *Serdica* ponitur in Mœsia, &, interiectis aliquot mutationibus & mansionibus per XLVI millia passuum, tandem adscriptum est, *Finis Daciæ & Thraciæ.* Situs autem vtroque itinerario est eiusmodi, vt in Mœsiam potius, quam in Thraciam cadat, immensis Hæmi montibus a Serdica disiunctam. Itinerum rationes ducunt in locum, vbi vrbs celebris Turcorum est *Sofia*, Bulgaris indigenis vocata *Triadizza.* At hæc ipsa est *Sardica* veterum recentiumque suffragiis. Cedrenus pag. 573 (ed. Bas.) sub Basilio, *Tzimiscæ successore*, Τριάδιτζα πάλαι Σαρδικὴ ἐπωνόμαστο, *Triaditza olim Sardica vocata fuit:* quod etiam Michaelis Glycæ annales sub Constantino M. de Sardicensi concilio confirmant. Recenti auctoritati Lucas Holstenius *(in Ortel.)* tuendæ par est, vnus instar omnium. Incrementa vrbs a Traiano accepit, quod *Vlpiæ* cognomen in nummis testatur : ante illa tempora nulla eius memoria exstat.

A Serdica in Itinerario Antonini locus proximus est *Burburaca*, in Burdigalensi *Buragara*, prauato vocabulo alterutro : quæ sequuntur in Mœsia per XXVI millia, *Sparata, Iliga, Soneio,* vsque ad fines Daciæ & Thraciæ, ignota sunt, ideoque a nobis etiam trans-

transmittuntur : Antoninus alia habet ; Peutingeri Tabula itidem alia, ſed neque certiora ſunt, nêque nobiliora. Inde iter dirigitur Philippolim, per LIIII M. P. quæ haud dubie propria eſt Thraciæ. Τέρνοβος, *Ternobus*, regia Burgarorum, laudata a Pachymere lib. V cap. V & lib. VI cap. VII ſeq. & a Gregora lib. III pag. 28. eadem Τέρναβος, *Trinabus* Chalcocondylæ lib. I pag. 14, in medii æui Geographia conſiderabitur.

DACIA
PROVINCIA TRAIANI.

Mœſiæ explicatæ coniunctam volumus *Daciam*, quam Traianus, qui in prouinciæ formam redegit, ponte admirando cum Mœſia coniunxerat. Patet illa inter Danubium & Carpates montes a Tibiſſo ſiue Tibiſco vſque ad flexum Danubium, id eſt in ſeptemtrionem ſe conuertentem, vt inde recto tractu ad oſtia & ad Pontum deferatur : in ipſo ſeptemtrione, poſt Carpaten montem, Tyra amne, qui nunc Dnieſter eſt, terminabatur. Addimus ab occaſu regionem inter Danubium & Tibiſſum ſitam, quæ proprie quidem non fuit Dacorum, ſed *Iazygum Metanaſtarum;* propter vicinitatem vero, & morum ſimilitudinem commodiſſime cum Dacia coniungitur.

Flumina Daciæ pauca nominibus ſuis ſunt cognita : *Danubius*, terminus inter Mœſiam Daciamque : *Tibiſcus*, Τίβισκος Ptolemæi, qui veteri inſcriptione apud Gruterum pag. 448 num. 3 *Tibiſſus* vocatur, quod monimentum, quia infra etiam vſuri illo ſumus, integrum huc transſcribimus:

M. PAPIRIO M. F. COR
PRAEF. COH. I PANN. IN DACIA
PRAEF. RIPAE TIBISSI. DANVVII
CVRATORI PONTIS AVG. IN MOESIA
II. VIRO POP. PLEBSQ. VLPIAE TRAIA
SAR. PATR. H. M. P.

Plinius lib. IV cap. XII *Pathyſſum* vocat ; Rauennas anonymus lib. IV cap. XIV *Tibiſiam*. Ex Carpatibus decurrens ſupra Saui confluentes Danubio miſcetur, vulgo nunc *Teiſſe* dictus. Recipit fluuium ex Dacia tranuerſe adlabentem, qui vulgo *Marocz*

vocatur, a Ptolemæo lib. III cap. VIII videtur Ῥαβὼν, *Rhabon*; a Strabone lib. VII pag. 211 Μάρισος, *Marisus* adpellari, quamuis vterque in eo aberret, quod in Danubium deriuat, qui deducendus in Tibissum erat. Idem *Marisia* Rauennati dicitur. Non equidem ignoro, *Marisum* Strabonis quosdam Marchum Quadorum interpretari, a quibus vt dissentiam, ipsa mihi Strabonis verba persuadent. Ait enim ῥεῖ δι' αὐτῶν [Γετῶν] fluere per Getas. paullo ante autem Getas ita collocauerat, vt Dacis ab oriente essent, quod de Quadis, id est Morauis, intelligi nequit. *Sargetia* Dionis in Traiano, adluens Sarmizogæthusam, post Vlpiam Traianam dictam, a Rhabone excipitur. Proximum ab hoc, sed ex interuallo non mediocri, *Alutam* flumen ponit, qui nomen contracte retinet, vulgo *Alt* siue *Olt* dictus a Germanis atque accolis. Itidem ex iugis Carpaticis ortus, multisque auctus minoribus fluviis, inter Pontem Traiani & Nicopolim in Danubium exoneratur. Multis prætermissis, quorum antiqua nomina latent, Ptolemæus tandem Ἱέρασον, *Hierasum* eo tractu ducit, vt non alius possit esse, quam Walachorum *Pruth*, qui Danubio, tum Istri nomen adepto, inter flexus dictos miscetur. Extremus *Tyras* est, supra etiam in Sarmatia descriptus, ille, vt Ouidius ait lib. IV Pont. epist. X,

- - - nullo tardior amne Tyras.

Dacorum nomen putat Strabo lib. VII pag. 210 esse idem quod Dauorum in comœdiis, quia Daci Getis fuerint finitimi. Vt ergo serui *Getæ* apud comicos sint ex Getarum gente: ita nomen *Daui* ex vicina natione Dacorum.

Populos Dacorum post *Iazyges Metanastas*, qui discriminis caussa ita cognominantur, vt ab *Iazygibus*, qui in Sarmatia ad Euxinum Pontum sunt, distinguantur; supra Danubium qui Ptolemæo memorantur, ignobiles prorsus sunt, *Saldensii*, *Ciagisi*, *Piephigi*; etiam qui medio tractu, *Albocensii*, *Potulatensii*, *Burridensii*, *Cotensii*, & alii, qui præter nomen nihil adferunt. Septemtrionales paullo notiores sunt, *Anarti*, de quibus ipse lib. III cap. VIII de Dacia: ἀρκτικώτατοι μὲν ἀρχομένοις ἀπὸ δυσμῶν, Ἀναρτοι, *maxime septemtrionales, si ab occidente incipimus, Anarti sunt.* Prope ergo Tibissum habitasse necesse est. Hi *Anartes* sunt Cæsari lib. VI cap. XXIV. *Hercinia silua*, inquit, *oritur ab Heluetiorum & Nemetum*

tum & Rauracorum finibus, rectaque fluminis Danubii regione pertinet ad fines Dacorum & Anartium. In medio relictis *Teuriscis*, [illegible]tum versus sub Hieraso fluuio habitarunt *Iassii*. Inscriptio statuæ Antonino Pio dicatæ apud Gruter. p. 259 num. 8 præfert cum dedicatoris nomine PRAEF. M. DACORVM IASSIOR. id est *præfectus municipii Dacorum Iassiorum.* Quum vero receptum postea fuerit, vt oppida suarum gentium nomina induerent; credibile plane est, caput Walachorum *Iassy*, & ipsum quoque in Dacia veteri situm, esse illud Iassiorum municipium, in cuius loco fere Ptolemæus *Petrodauam*, vetus nomen, posuit. Consentit nobiscum Luc. Holstenius in Ortelium p. 96. *Dacorum*, inquit, *Iassiorum meminit inscriptio apud Gruterum. Forte Iassi Walachi.* Mons longo tractu Daciam & Iazygum regionem a Sarmatia separat, Ptolemæo dictus Καρπάτης, *Carpates*, singulari numero; in versione Latina *Carpatus*, errore, quod Ptolemæus aliquoties Καρπάτε obliquo casu formauit: qui vero eiusdem libri cap. VII scripsit ὑπὸ τὸν Καρπάτην τὸ ὄρος, *sub Carpaten montem.* In Tabula Peutingeriana sunt *Alpes Bastarnicæ*, montes inter Poloniam & Vngariam, Transsiluaniamque procurrentes.

Ab his montibus, tamquam antiqua sede, videntur *Carpi*, siue *Carpiani*, populus transistrianus, nomen trahere. Solus Ptolemæus lib. III cap. V dixit Καρπιανοὺς, *Carpianos*: qui post eum scripserunt tantum Κάρπους, *Carpos*. Ille vero μεταξὺ Πευκίνων καὶ Βαστέρνων Καρπιανοὺς, *inter Peucinos & Basternas Carpianos* collocauit. Et Eutropius lib. IX cap. XV extremo cum Basternis coniunxit. *Carpis*, inquit, *& Basternis subactis.* Zosimus lib. I cap. XXXI περὶ τὸν Ἴστρον, *circa Istrum*, trans flumen tamen, posuit, vt de gentibus, qui coniunguntur, patet. Sed iam tum egressi sedibus Romanas prouincias, quæ Danubio finiebantur, sub Gallieno infestabant, etiam paullo ante Philippus Arabs ἐπὶ Κάρπους ἐστράτευεν, contra Carpos expeditionem suscepit, qui iam cœperant τὰ περὶ τὸν Ἴστρον, *vicina Danubio loca* populari, quod idem Zosimus lib. I cap. XX adnotauit. Et ante Philippum sub Maximo & Balbino, vt Capitolinus in his cap. XVI obseruat, *pugnatum a Carpis contra Mœsos fuit.* Postea Aurelianus, vt Vopiscus refert cap. XXX, *Carporum copias adflixit*: sed partem victorum in citeriorem ripam & Romanum solum traduxit. Aurelius Victor in Diocletiano:

no: *interea cæsi Marcomanni, Carporumque natio translata omnis in nostrum solum: cuius fere pars iam ab Aureliano erat.* Et Ammianus lib. XXVIII cap. II de Diocletiano idem confirmat. *Carpos*, inquit, *antiquis excitos sedibus Diocletianus transtulit in Pannoniam.*

Iazygum quædam oppida Ptolemæus nominauit, *Partiscum*, *Pessium, Candanum, Trissum*, sed nobis omnia ignota: supra quæ in septemtrione *Gormanum*, vel, vt alii legunt, *Bormanum* ponit, quod Steph. Zamosius Caschouiam interpretatur. Vltra Tibissum in ripa Danubii Ptolemæus nihil habet: aliqua vero Tabula Peutingeri, ex qua, e regione Cupparum incipiendo, notantur *Arcidaua, Centum putea, Bersouia*, & alia: item post Aegetam Mœsiæ, *Drubetis, Amutria, Pelendoua, Castra noua, Romula, Acidaua, Rusidaua, Pons Aluti.* Hæc ergo vsque Alutam fluuium, sed exigui vsus pleraque, quia historias eorum ignoramus.

Pons Traiani in Danubio factus, de quo in Mœsia diximus, heic repetendus est. Hoc tractu in Peutingeriana est *Pons Augusti*, sed longius reductus ab ripa, vnde iter XV M. P. est *Sarmategte*, quæ videtur scripturæ ita compendio notata, legendaque *Sarmategetuse*, quod caput Dacorum fuit. Quod si est, pontem illum vel in Sargetia amne, vel in Rhabone siue Marisio fuisse necesse est. In antea producta inscriptione ex Gruteri pag. 448 erat CVRATORI PONTIS AVG. IN MOESIA II VIRO. Putares ad mirabilem illum Danubii pontem pertinere, quia *in Mœsia* adiiciatur: nisi illud cum II VIRO legendum, post quod subsequitur, quod aptum connexioni sit. An vero ille *Pons Augusti* in mediterranea Dacia tantæ dignitatis fuerit, vt *curatore* opus esset, rursus est quod dubitemus. Vtrumque adferre nostrarum partium visum est, vt vnicuique iudicium & arbitrium relinquatur. Sed a principio id est Tibisso, in mediterraneis quoque est ordiendum.

Obscura nomina sunt, quæ Ptolemæus inter Tibissum & Rhabonem habet, *Dierna, Lizisis, Argidaua, Zurobara*, & positio plane incerta, quia nec Rhabonis confluentes Ptolemæus cognouit, quos perperam in Danubium deduxit, quum ille Tibisso fluuio misceatur. Prope confluentes eius fuit *Tibiscum* Ptolemæi, quod etiam in Tabula Peutingeriana *Tiuisci* nomine exstat. In septemtrione

trione prope Anartos ponit *Vlpianum*, cuius vel ſolum nomen eſt illuſtrius. Adiacet ab ortu *Napuca*, Νάπυκα Ptolemæo, quam Iac. Sponius Erud. Antiq. Miſcell. p. 168 cum Thoma Reineſio putat eam eſſe, quæ hodie Clauſenburg adpellatur, quia lapis eius vrbis inſcriptum habeat COL. NAP. id eſt, *colonia Napuca* ſiue *Napucenſis*. Vide Th. Reineſii claſſ. I inſcriptionem CLXVIII pag. 185. In Tabula Peutingeriana eſt *Napoca*; & Lege I Dig. de Cenſibus eſt *colonia Napocenſis*, etiam vocali tertia: Vicina, immo proxima apud Ptolemæum *Patruiſſa*: & tum *Salinæ*, Σαλῖναι, quæ etiam in Tabula adparent, XII millibus a *Patauiſſa*, quæ videtur *Patruiſſa* Ptolemæi eſſe, in occaſum verſus remota. *Salinæ* autem hæ apud Tordam ſunt, vbi ſal. effoditur, Zamoſio teſtante Analect. cap. IX. Inde poſt XXIIII millia *Napoca*, quæ ſi eadem ac Ptolemæi Napuca & doctiorum hominum Clauſenburg; neceſſe eſt vt Tabulæ in hoc transdanubiano tractu alias plagas tribuamus, & quæ illa in ortum porrigit, coarctata inter montes atque flumen; magis in ſeptemtrionem conuertamus. Sic etiam *Paroliſſo* rationes conſtabunt, quod in Tabula extremum eſt, in ortum ſolis verſus: Ptolemæo ſupremum in ſeptemtrione. Hic Παρόλισσον, *Paroliſſum* vocat: Tabula *Poroliſſum*: lapis antiquus apud Sponium p. 193 *Paraliſum*, quam non ignobilem vrbem fuiſſe, ex dignitatibus quas Cocceius in ea obtinuit, manifeſtum eſt. Inciſum illi lapidi:

COCCEIO VMBRIAVO DECVRIONI AVGVR
ITEM PONTIFICI CIVITATIS PARALISENSI
VM PROVINCIAE DACIAE COCCEIVS SE
VERVS FILIVS PATRI PIENTISSIMO.

Doctiſſimus Sponius addit: *Ciuitatis huius Daciæ Paraliſenſium meminiſſe aliquem antiquum geographum, non puto*: at iam & Ptolemæi & Tabulæ Peutingerianæ teſtimonia protulimus. *Singidaua* Ptolemæi, Lazio indice, videtur multis eſſe Enyedinum oppidum: alii ad Mariſi & Tibiſſi confluentes reducunt. Pontem arguit Ptolemæi *Zeugma*, ipſius numeris ita poſitum, vt vel in Rhabonem cadat, vel in Sergetiam, antequam hic Rhaboni infundatur. Qui curatius adhuc Tabulas pinxiſſe videntur, in flexu Mariſii ſiue Rhabonis poſuerunt: quod non abhorret a loco Tabulæ, quem paullo ante oſtendimus, inſignitum *Ponte Auguſti*, XV millibus ante regiam Dacorum.

Hæc

Hæc regia vrbs amplissima fuit, ad flumen sita *Sargetiam*, quod, auerso alueo, thesauris defossis induxerat Decebalus, rex Dacorum, quum a Traiano premeretur, quod Dio Cassius in hoc principe narrauit. Vrbs barbaro nomine a Ptolemæo lib. III cap. VIII Ζαρμιγέθουσα βασίλειον, *Zarmigethusa regia* vocatur, vocabulo curtato, quia ipse lib. VIII tab. IX plenius scripsit Ζαρμισογέθουσα τὸ βασίλειον, *Zarmisogethusa regia*. Bene, quod proxime ad antiquam scripturam, quæ in lapidibus comparet, accedit. Gruterus pag. 257 inscr. I

IMP. CAES. ANTONINO
PIO AVG. COLONIA
SARMIZAEGETHVSA.

Et sine diphthongo *Zarmizegethusa* lege I § 8 Dig. de Censibus. Et Zamosius Analect. cap. V inscriptionem profert, COL. VLP. TRAIANA DACIC. SARMIZEG. Et pag. 6 num. 3 rursus apud Gruterum:

FELICIBVS AVSPICIIS
CAESARIS DIVI NERVAE
TRAIANI AVGVSTI
CONDITA COLONIA
DACICA SARMIZ. PER
M. SCAVRIANVM EIVS PROPR.

Et pag. 46 num. I COLONIA DAC. SARMIZ. Et Th. Reinesius Class. VI inscriptione 90

FLAM. COL. SARMIZ. DEC. COL. SAR. ET APVL.

Hoc vetus ciuitatis nomen, neque in colonia plane abolitum: additum tamen nouum etiam, idque geminum, *Vlpia Traiana*, & *Augusta Dacica*. Inscriptio apud Grut. p. 437 n. I

COLON. VLPIA TRAIAN
AVG. DACICA SARMIZGETVSA.

Et inscriptione supra in Tibisso & Ponte Augusti producta POP. PLEBSQ. VLPIAE TRAIA- Et nummus Traiani COL. AVG. VLPIA TRAIANA. Maiestatem coloniæ, cui non facile par in prouinciis fuit, ruinarum pretiosa fragmina copiose adhuc ostenderunt. nunc vicus ibi Varhel dictus, sæpe in inscriptionum libris memoratus.

Prole-

Ptolemæus proxime poſt Sarmizægethuſam poſuit *ὕδατα*, *Aquas*, qui locus in Peutingeriana XIIII millibus a metropoli in ortum verſus abeſt. Illuſtri monimento locus ille ſignatus eſt, ſuperque ſcriptum *Ad aquas*; quod celebres forſan natura fuerunt, & arte Romana magis exornatæ, operibus ſplendidis, vt ſolebant, aliisque ædificiis adſtructis. Infra Vlpiam Traianam, Danubium verſus ex Ptolemæi diſpoſitione ſunt *Acmonia* & *Phrateria*. Supra illam vero, in dextra Rhabonis decurrentis ripa, vrbs eſt *Weiſſenburg*, Latine *Alba Iulia*, cuius nomen videtur oppido antiquum eſſe, ſed origo eius nominis obſcura ſatis & incerta. Aiunt illud trahere ab *Iulia*, imperatoris M. Antonini matre, idque ſibi conſtare credunt ex inſcriptione veteris lapidis, in ipſa Alba illa reperti, quem & Gruterus pag. 6 num. 6 poſt alios deſcripſit:

I. O. M. ET
IVNONI REGIN
PRO SAL. IMP. M. AVR. AN
TONINI PII AVG. ET
IVLIAE AVG. MATRIS AVG.

Marcus hic non Philoſophus eſt, cuius mater Domitia Caluilla ſecundum Capitolinum fuit: ſiue Domitia Lucilla, auctore Spartiano in Didii Iuliani vita cap. 1; ſed Marcus Aurelius Antoninus Caracalla, cuius mater, Seueri vxor, *Iulia Domna*, Syra natione erat. Nec vero certo conſequitur, conditricem illam coloniæ eſſe, vbi pro ſalute eius & filii vota nuncupantur. Plures lapides in Weiſſenburgo Tranſiluaniæ reperti, aut prope illud oppidum, qui præferunt inſcriptum COL. APVL. id eſt, *colonia Apulenſis*: nullus eorum *Albæ Iuliæ* vel leuem memoriam tenet, quum tamen in iis ſint poſt Caracallam inciſi, aliquis ſub Gordiano, apud Gruterum pag. 57 num. 5 DEC. COL. APVL. Accedit quod Vlpianus Lege 1 Dig. de Cenſibus, colonias Daciæ enarrans, hanc non Albam, nec Iuliam, ſed *Apulenſem* vocat. Nullum ergo monimentum antiquum vidi, quod nominis, *Albæ Iuliæ*, vetuſtatem quodammodo confirmet: vtique autem documenta multa ſunt, quæ probant, ibidem, aut mille paſſibus ab Alba, vbi rudera magnæ vrbis ſunt reliqua, vt Zamoſius cap. VII refert, fuiſſe coloniam Apulenſem, quam Mariſius fluuius adluerit, a quo Alba,

quæ superstat, paullo est reductior. Gruterus, præter ostensum Gordiani lapidem, habet pag. 40 num. 15 AVG. COL. APVL. & pag. 105 n. 10 COL. APVL. & 345 n. 3 DEC. COL. AP. & 346 n. 5 PONTIF. ET II VIRAL. COLONIAE APVLENSIS. Et Reinesius class. I. 8 II VIR COL. APVL. & VI. 90 DEC. COL. SAR. ET APVL. quod supra in Sarmizægethusa indicauimus. Omnes hi lapides, & plures apud Zamosium Analect. cap. VII, dicuntur Albæ Iuliæ, aut in ruinis iuxta eam, exstare, vt de situ *Apuli* vetusti oppidi Dacorum, post coloniæ Romanæ, non liceat dubitare. Splendidam fuisse, vel *Augusta*, modo ex Gruteri pag. 40 monstratum nomen conuincit: quo referunt etiam inscriptionem eiusdem loci (apud Grut. p. 88 num. 13) T. FL. ITALICVS PRIMVS IIII VIR M. A. A. quod legunt, *quatuorvir municipii Apuli Augusti*: quidam sine necessitate, *Albæ Augustæ*. Nam quamuis tot locis *colonia* dicatur Apulum; obseruamus tamen etiam *municipium* vocari. Apud Zamosium cap. VII in Albæ suburbio: DEC. COL. ET FLAMEN - - - MVN. APVL. & ad ipsa Apuli rudera, FLAM. DIAL. MVN. COL. APVL. Hæc de colonia & municipio Apulo: videant alii de *Albæ Iuliæ* nomine, sitne vetus, an superadditum, an deprauatum ex nomine Apuli.

Ceteras colonias Vlpianus dicta lege I de Censibus, nominauit. *In Dacia*, inquit, (sic legendum, non *indicia*: in Basilicis enim ἐν Δακίᾳ) *Zernensium colonia, a diuo Traiano deducta, iuris Italici est. Zarmizegethusa quoque eiusdem iuris est: item Napocensis colonia & Apulensis, & Patauicensium vicus, qui a diuo Severo ius coloniæ impetrauit.* De Zarmizegethusa, Napoca, & Apulo satis dictum fuit: vbi vero colonia *Zernensium*? Notitia Imperii, sub duce Daciæ Ripensis, tradit quidem *Præfectum legionis* XIII *Geminæ Zernis*; sed hic locus cis Danubium fuit in Dacia noua Aureliani, cuius pars Ripensis erat; situs prope Ratiariam. Martinus Opitius in Zlatna sua legit *Zeugmensium*, sed qua fide codicum, ignoro. *Zeugma* autem oppidum & pontem supra exposuimus. Basilica, ἡ τῶν Ζερμησιῶν ἀποικία; sed ita videtur cum Zarmisegethusa confundi, a qua distinxit iurisconsultus. In recentibus tabulis locus *Cerne* conspicitur fere medius inter Cibinium & Coroniam, quod nomen cum Zernensium colonia concordat: esse autem illam, adfirmare non possum.

Alte-

Alteram in *Vico Patauicensium* coloniam fuisse, lex modo dicta tradidit. Vocabulo aliquid mendi inesse, non vana ex eo coniectura est, quia in Transiluaniæ inscriptionibus apud Gruterum p. 347 n. 4, & p. 508 n. 5 locus PETOVIVM legitur, qui haud dubie *Vicus* est ille *Patauicensis*. De situ autem iudicare non possumus. Cetera quæ dabimus, omnia Ptolemæi sunt, neque nota nobis aliunde. Supra Apulum *Marcodaua*, & *Prætoria Augusta*: sub qua *Comidaua*, & in ortum magis æstiuum, *Sandaua*, ac iuxta *Hierasum* amnem, qui Pruth videtur esse, *Petrodaua*, de qua supra diximus, videri *municipium Iassiorum* esse, quod & nomine & situ conuenit cum Iassy, regia Walachorum. In austrum vergunt & Danubium versus sita sunt *Tiasum*, & *Netindaua*, & si quæ alia sunt obscuriora.

Regebatur prouincia a legato consulari siue Cæsaris, vt solebant maiores omnes, quæ armis defendendæ erant. Gruterus pag 493 num. 1 ex sæculo Hadriani & Antoninorum: LEG. AVG. PROV. DACIAE.

ILLYRICVM.

Quæ regio Hadriatico mari a tergo adiacet vsque ad Pannoniam, *Illyricum* adpellatur, quo vocabulo *solum* forsan subaudiendum est. Liuius lib. XLV cap. XVII *Quinque in Illyricum legatos decreuerunt*. Græci quoque vocant τὸ Ἰλλυρικόν. Herodianus lib. VI cap. VII οἱ ἐκ τοῦ Ἰλλυρικοῦ στρατιῶται, *milites ex Illyrico*, id est genere Illyrii. Quo illud quoque diuinæ ad Romanos epistolæ XV, 19 μέχρι τοῦ Ἰλλυρικοῦ referri oportet. Græcis hic tractus frequenter etiam Ἰλλυρὶς vocatur. Ibidem Herodianus, ἐμπεπιστευμένοι τὴν Ἰλλυρίδος ἡγεμονίαν, *præsides prouinciæ Illyricæ*. Quæ forma nec a Latinis spreta fuit. Pomponius Mela lib. I cap. III *Hadriaticum latus Illyris occupat*. Rarior est forma *Illyria*, Græce apud Stephanum: Latine Propertius lib. I eleg. VIII principio:

An tibi sum gelida vilior Illyria?

Idem lib. II elegia XVI vers. 8 ad Cynthiam, cui amator ab Illyricis terris munera attulerat,

Deinde vbi consumpto restabit munere pauper,
Dic alias iterum nauiget Illyrias.

Populus sunt *Illyrii.* Scylax pag. 16 Ἰλλύριοι ἔθνος. Liuius lib. X cap. 11 *Illyrii Liburnique & Istri, gentes feræ.* Et Ἴλλυρες dixerunt Græci. Eustathius ad Periegetam in Corcyræ descriptione : οἱ Κερκυραῖοι παρά τισι καὶ Κέρκυρες λέγονται, ὡς καὶ Ἴλλυρες οἱ Ἰλλύριοι. Quæ Illyriorum sunt, aut ab hac gente denominantur, sunt *Illyrica.* Tacitus Annal. II cap. LIII *per Illyricam oram.* Et lib. III cap. VII *Drusus ad Illyricos exercitus profectus est.* Posteriores dixerunt etiam *Illyricanus* & *Illyricianus.* Gruter. Inscript. p. 415 num. 7 PRAEF. PRAETOR. ILLTRICAN. Et nummus Decii apud Mediobarb. p. 353 GENIVS EXERC. ILLTRICANI S. C. & alius ibidem, GENIVS EXERCITVS ILLTRICIANI S. C. & itidem alius eiusdem, GENIVS EXERC. ILLVRICIANI S. C. nam & *Illuricum* latina littera, quamuis raro, scriptum fuit. Et apud Pollionem in Claudio cap. XIV Valerianus epistola ad Zosimionem : *Claudium Illyricianæ gentis virum, tribunum Martiæ quintæ legioni fortissimæ dedimus.*

Tantum de nomine. Fines Illyrico non dantur iidem ab omnibus. Mela lib. II cap. III *Taulantii, Enchelia, Phæaces. Deinde sunt quos proprie Illyrios vocant. Tum Pyræi, & Liburni, & Istria.* Plinius eodem lib. III cap. XXIII hoc ordine posuit : *Labeatæ, Enderoduni, Sassæi, Grabæi, proprieque dicti Illyrii, & Taulantii & Pyræi.* Medii ergo inter illas gentes *proprie Illyrii* fuerunt, & vt Harduinus interpretatur, inter Naronem & Drinium siue Drilonem fluuios. Sic ergo sunt proprie Illyrii, vt in Mœsia erant Mœsi vel Mysi proprie dicti ad fluuium Ciabrum. Scylax autem suos Illyrios longius extendit, nec vero includit Liburnos : Μετὰ Λιβυρνοὺς εἰσὶν Ἰλλύριοι ἔθνος, καὶ παροικοῦσιν οἱ Ἰλλύριοι παρὰ θάλατταν μέχρι Χαονίας, *Liburnos sequitur Illyriorum gens, habitantque Illyrii ad mare vsque Chaoniam.* At Plinius lib. III cap. XXVI *Illyrici longitudo a flumine Arsia ad flumen Drinium* DCCC M. siue, vt in MSS. est, IↃXXX M. Sic ergo Liburniam Dalmatiamque complectitur. quæ sententia etiam Ptolemæi est, qui Illyridis fines a Scardo monte & Superiore Mœsia ab ortu, ad Istriam vsque in occasum deduxit, & in expositione tam Liburniæ quam Dalmatiæ oppida, separatim tamen vt partium ; eaque cum maritima tum mediterranea persequutus est. Pomponius dicto lib. II cap. III extremo terminum vltra Istriam profert. *Tergeste*, inquit, *intimo in sinu Hadriæ*

driæ situm, finit Illyricum. Sed malo Plinium sequi, qui maiorem Histriæ partem Italiæ relinquit vsque ad flumen Arsiam: cum quo Ptolemæus etiam consentit, lib. II cap. XVII Illyridem ab Albona, *μετὰ τὴν Ἰστρίαν τῆς Ἰταλίας, post Histriam Italiæ,* incipiens enarrare.

Fluuii Illyridis sunt post *Arsiam*, qui finis est Italiæ, & in Italia a Ptolemæo postremus memoratur, Οἰνεὺς, *Oeneus* & *Tedanius* eiusdem Ptolemæi in Liburnia, inter Arsiam & Titium non quidem plane medii, attamen ita decurrentes, vt Tedanius inter Lopsicam & Stlupi delabatur; Oeneus inter Arsiam & Tedanium pari ferme distantia. *Titius* Plinii Ptolemæo Τίτος, amissa syllaba, apud Scardonam se effundens, terminus est inter Liburniam & Dalmatiam. In Dalmatia ὁ Νάρων, *Naro,* Strabonis, Ptolemæi, & Plinii, hodie Narenta: & *Drilo* Plinii, Strabonis, & Ptolemæi, prope Lissum, extremum oppidum maritimæ Dalmatiæ, qui hodie *Drino* ab Italis & aliis vocatur, quod caussam reddit difficiliorem. nam etiam Ptolemæus *Drinum* quemdam memorat, eodem Scardi iugo, quo Drilo, exortum, qui vero in aduersum fluat, & ab occasu Tauruni vrbis in Sauum se exoneret. Et Plinius lib. III cap. XXVI, *longitudinem Illyrici* dixit *a flumine Arsia ad flumen Drinium esse,* vt supra quoque ostendimus. At vero Drilo cum adiacente oppido Lisso constituitur terminus Illyrici a Ptolemæo: & Strabo lib. VII pag. 218 Δρίλων ποταμὸς ἀνάπλουν ἔχει πρὸς ἕω, μέχρι τῆς Δαρδανικῆς. συνάπτει δὲ τοῖς Μακεδονικοῖς ἔθνεσι καὶ τοῖς Παιονικοῖς πρὸς μεσημβρίαν. *Drilone aduerso nauigatur orientem versus vsque Dardaniam. Attingit autem Macedonicas & Illyricas gentes ad meridiem.* Quo satis arguitur, Drilonem in limite Dalmatiæ esse Macedoniæque. Accedit, quod Plinius cap. XXII de amne Drilone dixit, *super eum oppidum ciuium Romanorum Scodram esse.* Iam vero Vibius Sequester de Fluminibus, *Drinus*, ait, *e palude Lignisti* (Lychniti, legendum) *abluens Scodram oppidum Illyricorum.* Ex quibus videtur consequi, Drinium Plinii, siue Drinum Vibii, & Drilonem eumdem fluuium esse, terminatorem Dalmatiæ, quod etiam Harduino visum fuit ad cap. Plinii XXVI prædicti lib. III.

Conciliatio non difficilis est, si posterioris ætatis scriptores adhibeantur. Cedrenus p. 588 de palude ad vrbem Achridem siue Lychnidum: ἐξ ἧς ποιεῖται τὰς ἐκβολὰς ὁ Δρῖνος ποταμὸς, πρὸς ἄρκτον ἰών. εἶτα νεύων πρὸς δύσιν, καὶ εἰσβάλλων εἰς τὸ Ἰόνιον περὶ τὸν Ἐλισσὸν τὸ φρούριον, *ex qua* [palude] *Drinus fluuius septemtrionem*

versus effluit. Deinde in occasum deflectens in Ionium [mare] *intrat, apud Elissum castellum.* Elissum autem castellum, nunc Alessio, ipsa Lissus est veterum. Eadem Nicephorus Callistus lib. XVII cap. XXVIII. Drinus ergo ex lacu Lychnidensi ortus, apud Lissum Hadriatico infertur sinui, atque sic idem est qui Drilo, nec vero is solus est Drilo Plinii atque Ptolemæi. nam & alius amnis ex iugis Scardicis ortus, huic in Dalmatiæ finibus miscetur, qui in non nullis tabulis dicitur *Drilo minor.* Casimirus Freschotus in Memorie Geografiche della Dalmazia, tradit, flumen quod Drino vocant hodie, & apud Lissum siue Alessio infertur mari, duobus fontibus oriri, altero in Scardo monte, vnde *Drino bianco,* id est Albus Drinus profluat: altero in Macedonia apud Lychnidum, cuius amnis dicatur *Drino negro*, Niger Drinus, qui coniuncti tandem Drinum simpliciter efficiant. Vterque tamen & Plinius & Sequester, in eo errant, quod ille Drilonem, hic Drinum suum ad Scodram ducit, quum alius plane sit fluuius, qui vrbem illam adluit. *Drinus* autem Ptolemæi est alius, qui per Pannoniam in Sauum flumen defertur.

Montes Illyrici sunt maximi & longis iugis protensi, qui Illyricum a Pannonia, quæ eo vsque pertinebat, seiungunt atque separant. Varia sortiti sunt nomina. Supra Istriam qui sunt, vbi Iapides habitabant, Strabo lib. VII p. 217 vocat τὸ Ἄλβιον ὄρος, *Albium montem*, τελευταῖον τῶν Ἄλπεων, *extremum Alpium*, siue earum finem. Ex hoc Colapin fluuium in Danubium deriuat, & ἐπὶ τῷ Ἀλβίῳ ὄρει, *in Albio monte*, quod idem Strabo tradit, ἵδρυνται οἱ Ἰάποδες, *Iapydes locati sunt.* Ptolemæus *Albanum* dixit, & qui ei in ortum cohærent, vlteriorem Liburniam Dalmatiamque a Pannonia separantes, *Bebios montes.* Lib. II enim cap. XV in Pannoniæ Superioris delineatione, *A meridie,* inquit, *terminatur parte Histriæ ac Illyridis, iuxta lineam* διὰ τοῦ Ἀλβανοῦ ὄρους μέχρι τῶν Βεβίων ὀρέων, *per Albanum montem vsque ad Bebios montes.* Hi extimi sunt & Pannoniæ contermini: medii autem alii interiacent inter hos limitaneos montes, & mare Hadriaticum. Strabo pag. 218 Ἀδριον ὄρος, *Adrium montem* μέσον τέμνον τὴν Δαλματικὴν, τὴν μὲν ἐπιθαλάττιον, τὴν δ' ἐπὶ θάτερα, *qui mediam secat Dalmatiam, vt altera pars mare spectet, altera in diuersum.* Sic Aldi liber p. 138, nec aliter scripti, Casaubone teste. Xylander vero Ἄρδιον, *Ardium* in-

vult,

vult, vt populis *Ardiæis*, qui ibidem referuntur, quasi accolentibus, congruat. Vltimus montium, qui a Dardania Mœsiaque seiungit, est *Scardus*, τὸ Σκάρδον ὄρος, vt Ptolemæus lib. II cap. XVII, & Strabo excerptis ex lib. VII vocat: siue *Scordus*, vt adpellat Liuius lib. XLIII cap. XX. *Hi transgressi, inquit, iugum Scordi montis per Illyrici solitudines, quas de industria populando Macedones fecerant, ne transitus faciles Dardanis in Illyricum aut Macedoniam essent, Scodram labore ingenti tandem peruenerunt.*

Populi in Illyrico multi & varii a diuersis enumerantur. Præter Illyrios genere, qui Macedoniæ sunt adscripti, intra fines Illyridis secundum Strabonem fuerunt *Iapydes, Liburni, Dalmatæ,* per se noti: & circa Naronem flumen *Daorizi, Ardiæi, Pleræi,* quorum hi propinqui insulæ Corcyræ Nigræ fuerunt; Ardiæi, Phariæ: sed hos a mari in mediterranea Romani coegerunt. Hæc Strabo pag. 218. Addit *Autariatas,* & de Gallis *Boios* & *Scordiscos,* qui omnes ab Romanis ἐταπεινώθησαν, *ad incitas redacti fuerint.* Plinius præter Iapydes, Liburnos, Dalmatasque, & plurimos a singulis oppidis insulisue nominatos, aliosque obscuros, recenset cap. XXI *Flanates, Lopsos, Stlupinos*; & cap. XXII *Naresios,* & *Vardæos, populatores quondam Italiæ; Siculotas,* & *Docleatas*: & Macedoniam versus *Labeatas, Enderodunos*, & quorum incerta sedes, *Sassæos, Grabæos,* & *Pyræos.* Eiusdem proprie dictos Illyrios supra memorauimus. Ex his Ptolemæus agnoscit *Iapydes, Vardeos,* sine diphthongo, *Narensios, Siculotas, Diocleatas*; addit *Mazæos* conterminos Iapydibus, *Derriopes,* & *Derrios*: item *Ceraunios, Comenios* & *Sardiotas*: nec non *Pirustas,* & Σκίρτωνας, *Scirtones.* Ex his rursus sunt quidam componendi, vt adpareant, qui celebriores fuerint præ ceteris. *Daorizi* sunt Straboni & Plinio communes: *Ardiæi* Strabonis videntur Plinii *Vardæi* esse, Ptolemæi Ουάρδεοι, *Vardei*: sed diphthongo hos etiam Vatinius scripsit lib. V epist. IX ad Ciceronem. *Dicitur,* inquit, *mihi tuus seruus anagnostes fugitiuus cum Vardæis esse.* Strabonis *Pleræos,* ignotos aliis, videas an cum *Pyræis* Plinii, neque hos visos ab aliis, forsan possis componere. Gentium enim nomina prauationi præcipue in libris sunt obnoxia. *Mazæi* communes sunt Plinio & Ptolemæo: etiam *Docleatæ,* & *Siculotæ.* Plinii *Sardiates* sunt Σαρδιῶται, *Sardiotæ* Ptolemæi. Conueniunt etiam Plinii *Naresii, Cerauni, Scir-*

tari,

tari, Dindari, & Ptolemæi Ναρήνσιοι, *Narensii*; Κεραύνιοι, *Ceraunii*; Σκίρτωνες πρὸς τῇ Μακεδονίᾳ, *Scirtones, prope Macedoniam*; & Δινδάριοι, *Dindarii*.

Diuisio Illyridis in historiis, quantum nobis est cognitum, non reperitur: fuisse autem aliquam in *Superiorem* & *Inferiorem*, ex vetusto lapide apud Gruterum pag. 396 num. 1 videtur manifestum esse;

P. CORNELIO DOLABELLAE
COS. VII. VIRO EPVLON
SODALI TITIENSI
LEG. PRO PR. DIVI AVGVSTI
ET TI. CAESARIS AVGVSTI
CIVITATES SVPERIORIS
PROVINCIAE HILLTRICI.

Ex quo adparet, Illyricum ab Augusto in duas prouincias dispensatum fuisse, Superiorem & Inferiorem: sed qui situs vtriusque fuerit, tacente historia & veteri geographia, non liquet. Pannonia & Mœsia respectu fluminum, Danubii maxime, ita diuiduntur: aliæ respectu montium. Dubium ergo est, quæ diuidendi ratio hic valuerit; num Superior, Liburnia, propter vicinitatem Pannoniæ & Mœsiæ sic distributarum; & Inferior, Dalmatia; an Superior montana Illyris siue montibus vicina; inferior, maritima. Mirum, si non dubitatione dignum, quod neque Plinius neque Ptolemæus diuisionis tam antiquæ mentionem fecerint, nec in historia vestigium adpareat. Dalmatiam sub Cæsaribus a legato augusti pro prætore rectam, inscriptiones & historiæ testantur. Gruterus pag. 402 n. 6 LEG. AVG. PR. PR. DALMATIAE. Suetonius Claudio cap. XIII *Bellum ciuile mouit Furius Scribonianus Dalmatiæ legatus.* Et Tacitus II Hist. cap. LXXXVI Poppeum Siluanum, *consularem legatum, Dalmatiam tenuisse* refert Galbæ & Othonis temporibus. Liburnia autem & Histria fere coniunctæ cum Transpadana erant. Gruterus ibidem num 4 PROC. ALIMENTORVM PER TRANSPADVM, HISTRIAM ET LIBVRNIAM; sicut Iulius quoque Cæsar Illyricum, quantum tum temporis Romanis parebat, coniunctum cum Cisalpina Gallia tenuit. Diuisio autem Illyrici in Orientale & Occidentale, non est antiquæ Geographiæ, nec illius Illyrici, quod heic tractamus, sed

sed Illyrici magni, plures alias prouincias sub Christianis principibus comprehendentis.

Plinius Illyricum in tres conuentus iuridicos diuisit, *Scardonitanum*, quo ius Iapydes & Liburni petebant: & *Salonitanum*, vnde petebant Mazæi Dalmatæ & Sardiates, & cum aliis insulis Issæi: & denique *Naronitanum* pro reliquis populis, in quibus Cerauni, Docleatæ, Naresii & Siculotæ numerantur. Quæ sequuntur oppida ab Epidauro ad Scodram, ciuium Romanorum erant. Vide Plinium lib. III cap. XXI & XXII Ptolemæus, quem sequemur, omnem Illyridem in *Liburniam*, & *Dalmatiam* distribuit. Iapydia autem vel continetur in Liburnia, vel eidem, vt parua provincia, adiecta est.

LIBVRNIA.

Liburnia inter Histriam est atque Dalmatiam ab Albio monte ad mare Hadriaticum. Olim in libera republica Histria quoque fuit pars Illyrici. nam, vt supra ex Pomponii Melæ lib. II cap. III extremo cognouimus, *Tergeste, intimo in sinu Hadriæ situm, finiit Illyricum.* Ab Augusto autem Cæsare prorogati sunt fines Italiæ, eique maior pars Histriæ adiecta, & Illyridis fines facti arctiores sunt. Strabo lib. VII pag. 217 tradit Ἴστρους πρώτους τῆς Ἰλλυρικῆς παραλίας, *Histros primos in Illyrica ora maritima fuisse*, postea μέχρι Πόλας, Ἰστρικῆς πόλεως, προήγαγον οἱ νῦν ἡγεμόνες τοὺς τῆς Ἰταλίας ὅρους, *suæ ætatis Imperatores protulisse Italiæ terminos vsque ad Polam, Histriæ ciuitatem.* Pola vero Italiæ fuit adiecta, & limes constitutus in Arsia flumine. Plinius lib. III cap. XIX *& nunc finis Italiæ fluuius Arsia.* NVNC ait, quia recens institutum prolati termini, cœptum sub Augusto Cæsare. Et cap. XXI *Arsiæ gens Liburnorum iungitur, vsque ad flumen Titium.*

Distincti quodammodo a Liburnis fuerunt IAPYDES, quorum regio *Iapydia* vocatur. Strabo dixit Ἰάποδες, *Iapodes*; Dio Cassius autem & Ptolemæus & Plinius Ἰάπυδες, *Iapydes*, Græca littera. Strabo de iis lib. VII pag. 218 agit vt gente singulari & a Liburnis separata, eisque quatuor oppida tribuit, *Metulum, Arupinum, Monetium, & Vendum*, eosque a montibus ad mare extendit. Albius ille mons est, in quo sedes præcipue habuerunt. Pag. 217 ἵδρυνται οἱ Ἰάποδες ἐπὶ τῷ Ἀλβίῳ ὄρει, τελευταίῳ τῶν Ἄλπεων ὄντι,

Habitant Iapodes in monte Albio, vltimo Alpinorum. Ad mare vſque extendit illos, ad quod per mille colant ſtadia. Ibidem ait: ὁ Ἰαποδικὸς παράπλους χιλίων σταδίων, *Iapodum ora mille ſtadiis prꝧternavigatur.* Sed de maritima ſede non omnes conſentiunt. Plinius cap. XIX *Nonnulli in Flanaticum ſinum Iapydiam promouere.* In his Strabo eſt præcipuus. Dio Caſſius de Auguſti victoria, qui illos perdomuit, lib. XLIX pag. 412 αὐτὸς ἐπὶ τοὺς Ἰάπυδας ἐστράτευσε, καὶ τοὺς μὲν ἐντὸς τῶν ὀρῶν, οὐ πάνυ πόῤῥω τῆς θαλάσσης οἰκοῦντας, ἀπονώτερον προσηγάγετο· τοὺς δὲ ἐπί τε τῶν ἄκρων, καὶ ἐς τὰ ἐπὶ θάτερα αὐτῶν, οὐκ ἀταλαιπώρως ἐχειρώσατο. *Iapydes ipſe bello petiit: quorum eos, qui citra montes haud procul a mari habitabant, non omnino difficulter ſubegit: qui vero montes, & vltra eos, incolebant, eos non ſine maximo labore perdomuit.* Plana deſcriptio, ex qua patet, & in montibus Albiis, & cis eos ac vltra late habitaſſe, propinquos etiam mari, non autem contiguos.

In montanis partibus horum oppidum Μέτουλον, *Metulum*, primarium erat; μεγίστη πόλις, *ampliſſima vrbs*, vt Dio vocat, in cuius oppugnatione ipſe Octauianus Cæſar vulneratus fuit. *Arupinum* eſt *Arypium* tabulæ Peutingerianæ, *Arupium* Antonini itinere ab Aquileia Siſciam; quod vna cum *Auendone* non longe a mari videtur ſitum fuiſſe. *Auendo* autem Tabulæ & Itinerarii, eſt Strabonis Οὐενδὼ, *Vendo*, vt in MSS. legitur; pro quo editum eſt Οὔενδος, *Vendus.* Diſtat XX M. P. a Senia in ortum; a Vendone X millibus Arypium ſiue Arupinum, Ἀρούπινος, Strabonis hoc ordine:

Senia XX *Auendone* X *Arypio.*

Itinerarium tantum XVIII habet inter Seniam & Auendonem: quartum, *Monetium*, ignotum eſt. Habitarunt Iapydes vſque ad flumen *Tedanium*, hodie Zermagna, vt Harduinus interpretatur. Plinius cap. XXI *Flumen Tedanium, quo finitur Iapydia.* Flumen hoc Ptolemæus poſt Lopſicam ab oriente deduxit.

Strabo dicto lib. VII p. 218 Μετὰ τὸν τῶν Ἰαπόδων, ὁ Λιβυρνικὸς παράπλους, *Poſt maritimam oram Iapydum eſt ora Liburnorum.* Sed ex ſupra propoſitis manifeſtum eſt, non ita partitas has regiones fuiſſe, vt vna alteram conſequeretur: ſed Iapydiam ita fuiſſe Liburniæ immiſtam, vt poſt Albonam & Seniam, Liburnica oppida,

pida, fuerint Vendo & Arupium, quæ Iapydum erant, & post Tedanium rursus quæ in Liburnis censentur. Maritimam oram primum perlustrabimus, post adituri oppida mediterranea.

Initium Liburniæ supra cum Plinio a flumine *Arsia*, quod in Histria est, constituimus, quæ sententia etiam Flori fuit lib. II cap. V *Illyrii*, inquit, *seu Liburni sub extremis Alpium radicibus agunt inter Arsiam Titiumque flumen.* Prima Ptolemæi vrbs est Ἀλϐῶνα, quasi *Aluona*, quæ etiam Plinio & Tabulæ Peutingerianæ auctori *Aluona* est, XII millibus ab Arsia fluuio: hodie *Albona*. Deinde est *Flanona* Plinii, Φλάνων Stephani, qui περὶ τὴν Ἄψυρτον νῆσον, *circa Absyrtum insulam* ponit: ex quibus Ptolemæi Φλαυῶνα corrigenda est, & ν pro υ reponendum. Hinc eidem Plinio *Flanates*, populus, & *Flanaticus sinus*, lib. III cap. XIX & XXI: qui Stephano est κόλπος Φλανωνικὸς, *Flanonicus sinus*. An in hoc sinu insula *Flanon* sit, disquirendum. Socrates certe Hist. Eccles. lib. II cap. XXXIV tradit, Gallum cæsarem περὶ Φλάνωνα τὴν νῆσον γενόμενον, *quum circa Flanonem insulam esset*, fuisse interfectum: quod Ammianus lib. XIV cap. XXXVIII *in Histria prope oppidum Polam* dicit factum esse: nisi forte lapsus est Socrates, & νῆσον scripsit pro πόλιν, *insulam* pro *vrbe*.

Succedit *Tarsatica* Plinii, Ptolemæi, Antonini & Tabulæ, qua ab *Aluona* XX distat millibus, interiecta Flanona; quæ prætermissa in Tabula est. Post hoc oppidum Ptolemæus ostia Ὀινέως, *Oenei* amnis ponit, a quo, præter quemdam obscurum locum, ad oppidum *Seniam* ducit, Plinio æque, & in Tabula memoratam: cuius situs & nomen prodit, esse id oppidum quod vulgo Zeng & Segna adpellatur. Portum habere Seniam in Peutingeriana notatum est. Inde ordine, quem supra monstrauimus, Iapydum oppida *Auendo* & *Arypium*, id est *Vendo* & *Arupinum* Strabonis, succedunt: Ptolemæo autem proxima post Seniam est *Lopsica*, a qua *Lopsi*, quorum Plinius meminit, nominantur: tum *Tedanii* fluminis ostia, quod secundum Plinium finit Iapydiam. Eumdem ordinem Plinius & Ptolemæus tenent, præter *Tedanium* amnem, cuius locum Plinius turbauit. Ordo autem talis est:

PTOLEMAEI	PLINII
Σένια	*Senia*
Λοψίκα	*Lopsica*
Τηδανίȣ ἐκβολαὶ	- - - -
Ὄρτοπλα	*Ortopula*
Οὐεγία	*Vegium*
Αργυρȣ͂τον	*Argyruntum*
Κορίνιον	*Corinium*
Αἰνῶνα.	*Aenona.*

Cur *Aenona* apud Plinium *ciuitas Pasini* cognominetur, non est compertum: Hodie dicitur Nona. Post quam *Iadera* est, Ἰάδερα κολώνια Ptolemæo, *Iadera colonia* : & Plinio *colonia Iadera*, memorata etiam Melæ lib. II cap. III. Nummus Claudii, COL. CLAVDIA AVGVSTA FELIX IADERA. Vide Holstenium. Alius Domitiani apud Harduinum ex Golzio, COL. AVGVSTA IADERA. Hodie vocatur locus Zara Vecchia, vltra Zaram nouam visendus cum ruderibus nostræ Iaderæ. In MSS. aliquando est *Iader*, dissyllabum. Vide Harduin. ad Plin. lib. III extrem. Vltima in ora Liburnorum Ptolemæo sunt *Titii* ostia cum vrbe *Scardona*, Σκαρδῶνα, quam ostiis quidem postponit, in Liburnia autem censet, quod etiam alibi nonnumquam fieri obseruauimus, vt in Veliocassibus Gallorum. Sed qui Dalmatiam hodiernam scripserunt, tradunt, ruinas Scardonæ haud longe a *lacu Scardonio* a dextra fluminis *Titii*, quod nunc Kerca vocatur, conspici, vt ita transponenda sint ostia Ptolemæi. Casimirus Freschotus in Memoria Geographica pag. 291 de Scardona : *Le ruine delle sue antiche fortificazioni, e cittadella, si vedono poco longi dal lago, chiamato da Latini Scardonio; e in volgare Proclian; e a destra del fiume Kerca, ch' e l'antico Titio, quale col suo corso mette li confini all antica Liburnia e Dalmazia.* Claram olim fuisse *Scardonam*, ex iuridico conuentu eius constat, quia inde ius & Iapydes & Liburni omnes petierunt, vt supra de Diuisione ex Plinio cognouimus. E Tabula Peutingerorum in hoc vocabulo excidit littera, & scriptum exstat *Sardona* : sed & Plinius & Ptolemæus *Scardona*, quam ille XII M. P. a mari abesse tradit, & Strabo Σκάρδων, *Scardon*, lib. VII. Flumen etiam Τίτον, *Titum* scripsit Ptolemæus : at Plinius & Florus *Titium*, tribus syllabis, vt perinde ibi videatur littera excidisse.

Hæc

Hæc de Liburnia maritima: minus cognita sunt eius mediterranea loca, e quibus Agathodæmon *Aruciam*, *Tediastum*, *Ardotium*, *Stlupi*, & *Curcum* Tedanio fluuio adposuit; quorum soli *Stlupini*, ab oppido illo nominati, a Plinio memorantur. Vlteriora sunt, Ὀυαρουαρία, *Varuaria*, vnde *Varuarini* sunt apud Plinium; & lapide Rauennate apud Gruterum pag. 564 num. 7

D. M.
M. VALERIO
M. F. CLAVD. CO
LONO LIBVRN
VARVAR. SCRIB. CL.
PR. RAVEN. VIX. ANN. L
MIL. ANN. XXVI;

& *Saluia*, quæ etiam in Antonini itinere a Sirmio Salonas ita legitur; Aldina autem *Silua*: & prope hanc *Asisia* & *Burnum*, vnde apud Plinium sunt *Assesiates* & *Burnistæ*. De ceteris, *Adra*, *Arauzona*, *Ouporum*, *Nedinum*, & in Dalmatiæ limite *Blanona*, nihil habemus quod adferamus. De *Sidrona* Ptolemæi prope Sauum, dictum in Pannonia est. *Romulam* addo ex itinere Antonini ab Aquileia Sisciam; & Peutingeriana Tabula, cuius hæ rationes sunt:

Romula XIIII *Quadrata* XIIII *Ad Fines* XX *Siscia*.

In Antonini autem Itinerario hic ordo obseruatur:

Senia	—	—	—
Auendonem	M.	P.	XVIII
Arupium	M.	P.	X
Bibium	M.	P.	X
Romulam	M.	P.	X
Quadratum	M.	P.	XIIII
Ad Fines	M.	P.	XIIII
Sisciam	M.	P.	XXI.

Fortasse etiam *Quadratum* Liburniæ fuit, aut in fines eius incidit: quemadmodum itinere ab Aquileia per Histriam, traiecto Liburniæ sinu, inter Iaderam & Tragurium ponuntur, quæ non possunt in Liburniam non cadere, præsertim Blandona, ab Iadera XX millibus remota.

DALMATIA.

Dalmatia in antiquis monimentis, id eſt in nummis & marmoribus ſæpe *Delmatia*, ſecunda vocali, dicitur. Io. Harduinus refert, in nummis eſſe ADVENT. AVG. DELMATIAE, non *Dalmatia*. Et Hadriani nummo MET. DELM. id eſt Metallum Delmaticum. Diues enim prouincia metalli fuit. Fragmentum Faſt. conſul. apud Gruter. pag. 298 num. 3

L. CAECILIVS L. F. Q. N. METELLVS ANN. IↃCX
DELMATIC. PROCOS. DE DELMATEIS III NOV.

Et pag. 529 n. 8 idem Gruterus NAT. DELM. Et pag. 574 num. 5 IN DELMATIA, ex Domitiani æuo. Nec vero nulla exempla ſunt vocalis primæ. Grut. p. 402 num. 6 LEG. AVG. PR. PR. DALMATIAE. Et pag. 568 num. 3 in cippo Iaderenſi:

D. M.
L. VETVRIVS FLORVS
VETERANVS SCRIBA
NA. DALMATA
VIX. ANN. LV

Et Græci plerique Δαλματία, Δαλμάται & Δαλματεῖς, Scylax, Strabo, Ptolemæus, Dio Caſſius, Agathemerus, Procopius, & alii: ſolus fere Polybius nobis viſus eſt qui Excerpt. Legat. CXXIV Δελματεῖς vocali ſecunda ſcripſerit.

Fines ſupra deſcripſimus, a Titio amne ad Macedoniæ Mœſiæque limitem, inter montes Pannoniam terminantes, & ſinum Hadriaticum. In litorali ora poſt Titii oſtia primum vulgari cenſu eſt *Sicum*, Σικοῦν Ptolemæi. Plinius lib. III cap. XXII *Sicum, in quem locum diuus Claudius veteranos miſit.* Itaque vulgo opinantur Sebenigo eſſe, oppidum epiſcopale. Sed aliter oram illam deſcripſit nobis Plinius loco dicto. *Liburniæ finis*, inquit, *& initium Dalmatiæ Scardona, in amne eo*, XII M. *paſſ. a mari. Dein Tariotarum antiqua, & caſtellum Tariona, promontorium Diomedis, vel vt alii, peninſula Hyllis, circuitu* C. M. *paſſuum. Tragurium ciuium Romanorum, marmore notum: Sicum, in quem locum diuus Claudius veteranos miſit. Salona colonia, ab Iadera* CXII M. *paſſ.* Quos *Tariotas* vocat, videntur *Autariatæ* Strabonis eſſe, quorum caſtellum *Tariona* fuerit. *Peninſula Hyllis*, ſi hoc loco fuit, illam fuiſſe neceſſe

eſt,

eſt, in qua Tragurium ſitum eſt. Et Græci *Hyllos* ſiue *Hylleos* Liburniæ iungunt. Dionyſius verſ. 385 θῖνας Λιβυρνίδας, *litora Liburnica*, &

Ὑλλείων χθόνα πᾶσαν, ὅση περιμήκεται ἰσθμῷ,

Hylleorum omnem terram, quæcumque iſthmo continetur, coniungit. In quem locum Euſtathius ex Apollodoro (forte eo qui περιήγησιν ſcripſiſſe fertur) adfert, μετὰ τοὺς Ὕλλους Λιβυρνοὶ, *poſt Hyllos Liburni colunt*. Sed nihil definimus, non ignari quod alii aliter interpretentur Græcos. Et *Hyllis* quoque *peninſula* fortaſſe alibi inueſtiganda. Lucas Holſtenius: *Hyllis eſt Sabioncello, ſiue peninſula Stagni*. Quoquo loco igitur Hyllis fuit, in oppidorum nos ordine inhæremus. Quod autem marmore notum *Tragurium* dicit, omnium conſenſu eſt oppidum *Trau;* poſt quod demum *Sicum* ponit, & deinde *Salonam*. Si certus hic ordo eſt, (neque vero habemus vnde impugnetur) *Sicum* inter Tragurium & Salonam fuiſſe neceſſe eſt. Locorum periti etiam ibidem rudera ſupereſſe adfirmant, vt Freſchotus oſtendit in Sebenico pag. 292. Strabo & Mela & Ptolemæus Τραγούριον, *Tragurium* in inſula ponunt eiusdem nominis: ſed maior nobis eſt Plinii auctoritas, cuius verba modo recitauimus; præſertim quum recentes αὐτόπται quoque confirment. Ioannes Lucius, Dalmata genere, & cum eo Iacobus Sponius, doctus peregrinator, obſeruarunt, eſſe omnino peninſulam, quamuis per foſſam, manu factam, videri poſſit inſula.

Nobiliſſima in his oris *Salona*, colonia, Plinio & veteri inſcriptione teſtantibus, qua, Grutero referente pag. 23 num. 12, COLONIA MARTIA IVLIA SALONA dicta fuit: & nummo Claudii apud Golzium COL. IVL. SALONA: & alio quem Ligorius deſcripſit COL. CLAVDIA AVGVSTA PIA VETER. SALONA, de quo autem Harduinus dubitat. Sic vetuſtis monimentis ſingulariter *Salona:* etiam Mela II cap. III extremo: *Salona, Iadera, Narona, Tragurium*, turbato ordine. Et Hirtius B. Alexandr. cap. XLIII de Gabinio: *Salonam ſe recipiens in oppidum maritimum, quod ciues Romani fortiſſimi fideliſſimique incolebant*. Alii pluratiuo numero. Cæſar III Civ. cap. VIII *A Salonis ad Orici portum:* & cap. IX *M. Octauius cum iis, quas habebat, nauibus Salonas peruenit*. Et veteri inſcriptione apud Sponium Miſc. Erud. Antiq. p. 179 VIAM GABINIANAM AB SALONIS ANDE-

ANDETRIVM APERVIT ET MVNIT. Ptolemæus, Σαλῶναι κολώνια, *Salonæ, colonia.* Lucanus lib. IV verſ. 404

Qua maris Hadriaci longas ferit vnda Salonas.

Græci etiam virili genere dixerunt ὁ Σάλων, *Salo.* Strabo lib. VII pag. 218 τὸ ἐπίνειον αὐτῶν Σάλων, *nauale eorum* [Dalmatarum] *Salo.* Et Dio Caſſius lib. LV pag. 568 ὁ Βάτων ὁ Δαλματης ἐπὶ Σάλωνα ϛρατεύσας, *Bato Dalmata Salonem oppugnans.* Zonaras de Diocletiano, ſe imperio abdicante, ἐν Σάλωνι, πόλει τῆς Δαλματίας, διῆγεν, ἥ τις ἦν αὐτῷ καὶ πατρίς. nam *Salonenſis* erat Diocletianus. *Salone* ergo priuatus *vitam transegit.* Poſteriores Græci etiam Σάλωνες pluraliter. Procopius lib. I B. Goth. cap. VII ὁ τῶν Σαλώνων περίβολος, & mox, Ῥωμαῖοι Σάλωνας ἔχον: & Pæanius lib. IX extremo, ἐν ἀγρῷ γειτνιῶντι Σάλωσι. Iuridicum conuentum habuit, vt ſupra ex Plinio demonſtratum eſt. Nunc in ruinis iacet vrbs quondam celeberrima, in vicino autem loco *Spalatrum*, tamquam ex illius cineribus reſurrexit.

Inter Salonam & Naronis oſtia Ptolemæus poſuit *Epetium*, *Peguntium*, *Oneum.* Plinius lib. III cap. XXII ab Epetio nominat *Epetinos:* alterum, caſtellum vocat, in tertii locum ſubſtituit aliud. Ait enim: *Epetini. Ab his caſtella, Piguntiæ, Rataneum.* Et Polybius Excerpt. Legat. CXXIV Ἐπέτιον memorauit. In Tabula Theodoſiana ex his *Epetium* cum ciuitatis non vulgaris inſignibus, & cum *portu Epetio* notatum eſt: deinde poſt VII millia *Oneum.* Antoninus itinere a Salonis Dyrrachium, alia nomina habet vſque Naronam, *Pontem Tiluri*, *Tronum*, *Biludium*, *Aufuſtianas*, obſcura omnia. Ab Narone ad Drilonis oſtia Ptolemæus diſpoſuit *Riſinum*, *Epidaurum*, *Aſcruium*, (Ἀσκρούιον) *Rizonicum ſinum*, *Buluam* (Βουλόαν) *Vlcinium*, *Drilonis oſtia*, *Liſſum.* Male Ptolemæus *Reſinum*, quod Rhizinium eſt, antepoſuit Epidauro. Secus enim & Plinius & auctor Tabulæ Peutingerorum ordinauerunt. Clare cap. XXII Plinius: *A Narone amne* C *millibus paſſ. abeſt Epidaurum. Ab Epidauro ſunt oppida ciuium Rom. Rhizinium, Aſcriuium, Butua, Olchinium.* Tabula quoque XX millibus *Reſinum* poſt *Epidaurum* conſtituit. Inter Naronem autem & Epidaurum Tabula interpoſita habet, ſed corruptis quædam nominibus; *Ad turres*, *Delntum*, quod Antonini *Dalluntum* eſt; *Parduam*, - - - *Aſanum:* & tum demum *Epitaurum.* Sic ſcribitur in Tabula: & inſcriptione apud Gruterum

terum p. 573 P. VIBI MIMI EPITAVR. EQ. R. qui cum Salonita ibi componitur: ceteri *Epidaurus* siue *Epidaurum.* Fuit autem *Epidaurum* colonia, vt Plinius tradit, & apud Golzium inscriptione est, COL. EPIDAVRVM. LEG. IX. Ptolemæus feminea forma Ἐπίδαυρος, *Epidaurus:* & Procopius lib. I Goth. cap. VII ἐς Ἐπίδαυρον, & ἐξ Ἐπιδαύρου, æque, quod non dubitamus, muliebri genere. Situs ostendit, fuisse in loco ruinarum dicto Ragusa Vecchia, aliquot millibus ab Ragusa, nobili & præclara ciuitate.

Post hanc est *Rhizinium* Plinii, Ῥίσινον Ptolemæi, reductum in suum locum; *Resinum* Tabulæ; Ῥιζοῦς Scylacis pag. 19; Strabonis & Stephani Ῥίζων, Liuii *Rhizon* lib. XLV cap. XXVI. *Anicius,* inquit, *rege Gentio in potestatem redacto, Rhizoni & Olcinio vrbibus C. Licinium præfecit.* Incolæ Liuio ibidem *Rhizonitæ:* Ριζαῖοι Straboni. Ὁ Ῥιζαίων, inquit, κόλπος ἐστὶ, καὶ Ῥίζων πόλις, *Rhizaeorum sinus, & vrbs Rhizon,* lib. VII p. 218; quem sinum mox Ῥιζικὸν κόλπον, *Rhizicum* adpellat; Ptolemæus Ῥιζωνικὸν κόλπον, *Rhizonicum sinum,* quamuis oppidum a quo nomen est, Ῥίσινον vocauerat; nisi forte a recentiore manu hoc vocabulum est, quia hodie id oppidum *Risino* nominatur.

Sequitur, ad eumdem sinum, *Ascriuium* Plinii; Ἀσκρίβιον Ptolemæi, quod Cattaro Harduinus interpretatur. Proxima *Butua* Plinii, Βουθόη, *Buthoë* Scylacis & Stephani; *Batua* Tabulæ Theodosianæ; corrupte Βουλούα, *Bulua* Ptolemæi. Apud Sophoclem Βουθοίην, *Buthoeen* dici, Berkelius ad Stephanum ex Etymologico confirmat. Scylax pag. 19 Ἀπὸ τοῦ Δρίλωνος ποταμοῦ εἰς Βουθόην ὁ πλοῦς, καὶ τὸ ἐμπόριον, *a Drilone fluuio nauigatio est Buthoen, & emporium.* Hodie Budoa vocari dicitur conseruato nomine antiquo. Succedit consensu Plinii & Ptolemæi *Olcinium,* quod *Olchinium* Plinius scripsit, quia a Colchis deriuat quasi Colchinium: Liuio autem loco dicto est *Olcinium.* Sic puto scribendum esse; non *Olzinium,* quod in libris est; quia mox eodem cap. *Olciniatæ,* incolæ eius vrbis, per C scribuntur: quod Ptolemæus firmat, Οὐλκίνιον, *Vlcinium,* per κ Græce exprimens. Nunc *Dulcigno* est, vt vel nominis consonantia probare potest.

Tandem *Lissus* ad Drilonem, vel post illum est, terminus Illyricæ regionis, vltra quam vrbem incipit Macedonia. Plinius lib. III cap. XXII extr. *Retinet nomen in ora Nymphæum promon-*

torium : Lissum oppidum ciuium Romanorum ab Epidauro C. M. *passuum. A Lisso Macedonia prouincia.* Ptolemaeo Λισσὸς est vltima Illyrici ad maritimam Macedoniam. Portum capacem habuit, opus Dionysii Siceliotae, qui coloniam *Lissum* deduxerat, quam ampliauit & muris cinxit, quod Diodorus Siculus refert lib. XV cap. XIII. Et paruus fluuius adluit, *Anapus* nomine, iuxta quem gymnasia idem rex Dionysius exstruxit. Adiacebat Ἀκρόλισσος, *Acrolissus*, arx in monte. Polybius lib. VIII cap. X de Philippo rege : θεωρῶν τόν τε τοῦ Λίσσου περίβολον, καὶ τὰ πρὸς τῇ θαλάττῃ, καὶ τὰ πρὸς τὴν μεσόγαιον ἠσφαλισμένον διαφερόντως καὶ φύσει καὶ κατασκευῇ· τόν τε παρακείμενον Ἀκρόλισσον αὐτῷ, καὶ διὰ τὴν εἰς ὕψος ἀνάτασιν, καὶ διὰ τὴν ἄλλην ἐρυμνότητα διάυτην ἔχοντα φαντασίαν, ὥστε μηδ᾽ ἂν ἐλπίσαι μηδένα κατὰ κράτος ἑλεῖν, *contemplans Lissi ambitum, egregie tam natura quam arte munitum : Acrolissum quoque ei adiacentem, partim quia mire in altum est elatus, partim ob reliquam munitionem eiusmodi prae se ferre speciem, vt per vim capi posse nemo hominum sperare deberet.* Erat autem *Acrolissus* non continuus, aut coniunctus vrbi, sed μεταξὺ διάστημα τοῦ Λίσσου, καὶ τοῦ κατὰ τὸν Ἀκρόλισσον πρόποδος σύμμετρον ὑπάρχον, *interuallum inter Lissum & radicem montis, in quo est Acrolissus.* Post Gentii, Illyriorum regis, imperio parebat. Liuius lib. XLIII cap. XX *Lissi rex Gentius erat. eo acciti legati, mandata exponentes, benigne auditi sunt.* Tandem medii aeui temporibus haec vrbs Praeualitanae prouinciae, quod ex Hieroclis Notitia adparet, contributa fuit. A Constantinopolitanis scriptoribus Ἐλισσὸς adpellatur, vt supra de fluminibus demonstratum est : hodie dicitur *Alessio.* Propinqua fuit *Bassania*, sed incertum, intrane limitem Illyrici, an in Macedoniae finibus. Liuius de illa lib. XLIV cap. XXX de Gentio rege : *ipse ad Bassaniam vrbem quinque millibus ab Lisso ducit.* Aeque incerti sumus de oppido ab Romanis expugnato, quod Liuio *Dimallum* dicitur lib. XXIX cap. XII, Polybio Δίμαλον, simplici littera, lib. III cap. XVIII, quod oppugnaturus consul Rom. εἰς τὴν Ἰλλυρίδα μετὰ τῶν δυνάμεων, *in Illyricum cum legionibus* venit. Promontorium *Nymphaeum*, quod supra Plinius memorauit, quidam prope Lissum ponunt, vt sit Cabo di Redeni : quidam in oram Apolliniatium producunt.

Haec de ora maritima Dalmatiae. In mediterraneis Ptolemaeus

mæus Ανδέκελον, *Andecrium* ponit, quod Dionis Cassii Ανδήελον, *Anderium* castellum est, lib. LVI pag. 579. Vterque vitiose. Verum nomen est *Andetrium.* Inscriptio vetus apud Iac. Sponium Misc. Erud. Antiq. p. 179

ITEM VIAM GABINIANAM
AB SALONIS ANDETRIVM APERVIT
ET MVNIT PER LEG. VII.

Sic & Plinius recte vocauit lib. III cap. XXII. *In hoc tractu*, inquit, *sunt Burnum, Andetrium, Tribulium, nobilitata populi Romani prœliis castella.* Strabo, vna littera superflua, Ανδρήτριον dixit, *Andretrium*, idque vocat ἐρυμνὸν χωρίον, *munitum locum.* In Tabula Peutingeriana *Andretium.* Situm clarius descripsit Dio Cassius, loco dicto, de Tiberio Batonem obsidente: καταφυγόντι αὐτῷ ἐς Ἀνδήριον τεῖχος ἐπ' αὐτῇ τῇ Σαλώνῃ ἐπῳκισμένον προσεδρεύσας ἐπόνησε. τό τε φρούριον ἐπ' ἐνερκοῦς πάνυ καὶ δυσπροσβάτου πέτρας ἐπετετείχιστο, φάραγξι βαθείαις, ποταμοὺς χειμάῤῥους ἐχούσαις, ἐγκεκυκλωμένον, *fugientem in castello Andetrio obsedit, quod erat ad ipsas Salonas ædificatum in munita & inaccessa rupe, profundis conuallibus, quæ torrentes fluuios habebant, cinctum.* Vt situs ostendit, videtur castellum esse, quod hodie *Clissa* vocatur, cuius nomen a κλεῖσα, *clausa* vel *clusura* est, de qua Constantinus Porphyrogen. de Administr. cap. XXIX.

Quæ præter hoc Plinius castella dicto loco Dalmatiæ nominauit, *Burnum* & *Tribulium* sunt: illud, dubium, idemne sit quod Βοῦρνον Ptolemæus in Liburnia dixit, & vnde Plinii *Burnistæ* nominantur: diuersa sane Harduino videntur, qui illud oppidum Liburniæ; hoc castellum Dalmatiæ attribuit. *Tribulium* autem, quod etiam nomen prodit, *Trebigni* videtur esse. In MSS. *Triburium* est. Deinde Ptolemæo sunt *Alcta* (Ἄλητα) & *Herona.* Antonini itinere a Salonis Dyrrachium, est *Alata*, quam a Sallunto XVII millibus in ortum videmus prolatam, vt ita minus certum sit, eademne *Aleta* & *Alata*, an separata & diuersa: *Salluntum* vero etiam in Peutingeriana expressum est. De *Herona* non superest alia, præter Ptolemæi fidem & auctoritatem: apud quem Αἴκουον κολώνια, *Aequum colonia* sequitur. Ex Zlatna Transilvaniæ inscriptio apud Gruterum pag. 387 num. 4 huc referenda est:

P. CELSENIO CONSTANTI
DEC. COL. DELMATIAE
CL.' AEQVO. ITEM DEC. COL
DAC. V. A. XXX.

An etiam illa ex Alba Iulia, pag. 33 n. 3 DEC. COL. AEQVENS. huc ducenda? Aequum dignumque videtur Reinesio Inscr. Op. p. 712, vbi eodem refert Sertoriam quamdam DOMO AEQVO, puta oriundam colonia Aequo in Dalmatia.

Inter Heronam & Aequum Ptolemæus ponit Δελμίνιον, *Delminium*, quod ita etiam Appianus in Illyricis, teste Byzantino scriptore vrbium, nominauit, qui liber Græce desideratur. Strabo sæpe dicto loco vocat Δάλμιον, *Dalmium*, Quadratus apud eumdem Stephanum, Δέλμιον, vt in Palatino codice Salmasius inuenit: in ceteris etiam Δάλμιον vel Δάλμινον exstat. Scilicet, quod Eustathius ad Dionysii vers. 97 notauit, ἡ πόλις λέγεται Δάλμιον, ἢ Δελμίνιον, ἢ Δέλμινον. Fuit olim vrbs magna & potens, quæ genti nomen dedit, vt *Delmatæ* vel *Dalmatæ* adpellarentur. Strabo, Δάλμιον μεγάλη πόλις, ἧς ἐπώνυμον τὸ ἔθνος, *Dalmium magna vrbs, vnde nomen genti est.* Eadem Appianus de Delminio. De situ nihil certi constat: ex Ptolemæi autem numeris & positione inter Andretium & Naronam in septemtrione ponendum esse admonemur. Nasicam Scipionem eam vrbem μικρὰν ποιῆσαι,* captam *in tenuem statum redegisse*, ibidem Strabo adiecit. Id quod ab Aurelio Victore de Viris illustr. in hoc Nasica confirmatur. *Consul*, inquit, *Delminium, vrbem Delmatarum, expugnauit.* Consul autem fuit P. Cornelius Scipio Nasica cum M. Claudio Marcello II, anno V. C. IↃXCVIII, quinquennio circiter ante bellum Punicum III. Tantæ moræ & molis fuit superare Delmatiam, quippe ab Augusto Cæsare tandem omnis subiugata fuit.

Prætereuntes *Salonianam*, quam non nouimus, ad *Naronam* venimus Ptolemæi ductu, quam ipse quidem, aut qui oscitanter transscripserunt, Ναρβονὰν, forte Ναρβῶναν, *Narbonam* vocant, Gallicum nomen in Dalmatiam transferentes; verum autem nomen *Narona* ex multis probatum documentis est. Bene adscripsit Ptolemæus κολώνια, *colonia.* nam Plinius quoque cap. XXII sæpe dicti libri: *Narona colonia tertii conuentus, a Salona* LXXXII M. P. *adposita cognominis sui fluuio, a mari* XX* M. *passuum.* Et

num-

nummus Titi apud Golzium, COL. NARONA. Etiam Antonini Itinerario, & Theodosiana Tabula *Narona* vocatur, vt ita de nomine satis conueniat: de dignitate nec Plinius nos sinit dubitare, qui & coloniam vocauit, & conuentus sedem iuridici, quem Cerauni, Dæsitiates, Daorizi, Docleatæ, Naresii, & aliæ gentes petant, e quibus supra plerasque descripsimus, de *Dæsitiatibus*, quos Strabo in Pannoniæ gentibus numerauit, hoc tantum addimus, quod bene Plinius in Dalmatia posuerit, quem antiqua inscriptio, a Sponio prodita, p. 179 tuetur,

TI. CAESAR DIVI AVGVSTI F.
AVG. IMP. PONTIF. MAX
TRIB. POTEST. XXI. COS. III
VIAM SALONIS AD CASTEL
DAESITIATIVM PER MILLIA PASSVVM
CLVI MVNIT.

Quodnam vero sit *castellum Dæsitiatium*, & vbi situm, non facile quisquam exposuerit. Naronam in Ptolemæi serie excipit *Enderum*, Ἔνδηρον, vnde *Enderodunos* Labeatis coniunctos Plinius nominauit. Labeatæ autem Scodram tenuerunt, vt ex vicinis etiam de sede Enderodunorum iudicari possit. Sed non opus aliunde petere qui ad *Enderum* nos deducat: quum nomen *Endero* maneat in Albania, sat fidus testis antiquæ positionis oppidi *Enderi*. Est autem in septemtrionis plaga, prope fines Seruiæ. Populus *Labeatæ* Plinio; *Labeates* Liuio dicuntur.

Prætermissa *Chinna*, sequitur Δόκλεα, *Doclea*, vnde *Docleatæ* sunt Plinii, in conuentu Naronitano. Dictum postea oppidum *Dioclea*. Aurelii Victoris epitoma: *Diocletianus Delmata, Anulii senatoris libertinus, matre pariter atque oppido nomine Dioclea, quorum vocabulis, donec imperium sumeret, Diocles adpellatus: vbi orbis Romani potentiam cepit, Graium nomen in Romanum morem conuertit.* Proxima est *Rhizana*, de qua nihil occurrit memorabile: deinde *Scodra*, de qua aliquid in Drilonis expositione diximus, supra quem fluuium Plinius positam esse dixit, idemque *oppidum ciuium Romanorum*. Gentii regia fuit aut vrbs præcipua. Liuius lib. XLIV cap. XXXI *Ad Scodram inde ventum est, id quod belli caput fuerat: non eo solum, quod Gentius eam sibi ceperat, velut regni totius arcem; sed etiam quod Labeatium gentis munitissima longe est & difficilis adi-*

lis aditu. Duo cingunt eam flumina, Clausula latere vrbis, quod in orientem patet, præfluens: Barbana, ab regione occidentis, ex Labeatide palude oriens. Hi duo amnes confluentes incidunt Oriundi flumini; quod ortum ex monte Scodro, multis & aliis auctum aquis, mari Hadriatico infertur. Coloniam ab Romanis eo deductam fuisse, Ligorius ex nummo Claudii probat, quem Holstenius etiam transscripsit, COL. CLAVDIA AVGVSTA SCODRA. Medio æuo Præualitanæ prouincia contributa est: nostris temporibus, prauato nomine *Scutari* Italis, *Scadar* incolis, vt referunt, dicta, nec hodie vrbs ignobilis Turcorum: Labeatium etiam fuit oppidum *Medeon*, quo cognatos rex Gentius deposuerat. Liuius lib. XLIV cap. XXXII *Anicius Perpernam extemplo mittit ad comprehendendos amicos cognatosque regis; qui Medeonem, Labeatium gentis vrbem profectus, vxorem cum duobus filiis, & Carauantium fratrem Scodram in castra adduxit.*

Quæ Scodram in Ptolemæi Dalmatia mediterranea sequuntur, *Thermidaua, Siparuntum, Epicaria* & *Eiminacium*, obscuriora sunt: etiam quæ in Itinerario inter Naronam & Scodram (itinere a Salonis Dyrrachium) ponuntur, *Leusinium*, in Tabula *Leusinum*: & *Andarba*, *Salluntum*, quod itidem in Tabula quoque conspicitur: *Alata*, *Birziminium*, *Cinna*, quod est Ptolemæi Χίννα, *Chinna*, Tabulæ *Sinna*, XII millibus a Scodra secundum Itinerarii rationes: XX secundum Tabulæ, qua *Scodræ* nomen praue in *Scobre* est deformatum. Nec oppida ab Augusto exusta, *Priamonem*, *Niniam*, *Sinotium* suis sedibus adsignare possumus, quorum nomina sola Strabo prodidit.

INSVLAE ILLYRICAE.

Insulæ in ora Illyrica plures sunt, nec vero omnes nominatæ, aut ab omnibus singulæ eodem modo distributæ, aut eisdem distinctæ nominibus. Strabo lib. VII pag. 218 παρ' ὅλην, ἣν εἶπον παραλίαν νῆσοι μὲν αἱ Αψύρτιδες· - - - ἔπειτα ἡ Κυρακτικὴ, κατὰ τοὺς Ἰάποδας· εἶθ' αἱ Λιβυρνίδες περὶ τετταράκοντα τὸν ἀριθμόν· εἶτ' ἄλλαι νῆσοι, γνωριμώταται δ' Ἴσσα, Τραγούριον, Ἰσσέων κτίσμα· Φάρος, ἡ πρότερον Πάρος, Παρίων κτίσμα. *Iuxta totam, quam explicaui, oram insulæ sunt Apsyrtides, - - - deinceps est Cyractica pone Iapodas: sequuntur Liburnicæ, numero* XL: *tum aliæ, quarum nobilissima Issa;* *Tra-*

Tragurium, ab Issensibus condita: Pharus, quae olim Parus, Pariorum colonia. Pomponius Mela lib. II cap. VII has recenset: *In Hadria Apsoros, Dyscelados, Apsyrtis, Issa, Pityia, Hydria, Electrides, Nigra Corcyra, Tragurium.* Et Plinius lib. III cap. XXI *Insulae eius sinus cum oppidis, praeter supra significatas* (significauerat autem *Fertinates* & *Curictas* populos ex insulis) *Absyrtium, Arba, Crexa, Gissa, Portunata.* Et cap. XXII de Salonitano conuentu: *petunt ex insulis Issaei, Colentini, Separi, Epetini.* Et eodem lib. III cap. vlt. *Contra Iader est Lissa, & quae adpellatae. Contra Liburnos Crateae aliquot: nec pauciores Liburnicae; Celadussae. Contra Tragurium Bauo, & capris laudata Brattia: Issa ciuium Romanorum, & cum oppido Pharia. Ab his Corcyra, Melaena cognominata, cum Gnidiorum oppido, distat* XXV M. *passuum; inter quam & Illyricum Melita, vnde catulos Melitaeos adpellari Callimachus auctor est:* XV *millia passuum ab ea* IV *Elaphites.* Ptolemaeus denique extremo lib. II separauit Liburniae Dalmatiaeque insulas: ex cuius dispensatione Liburnicae sunt Ἄψορος, *Apsorus,* in qua duo oppida sint, Κρέψα, *Crepsa,* & Ἄψορρος, *Apsorrus:* deinde insula Κουρίκτα, *Curicta,* cuius oppida sint *Fulfinium* & *Curicum:* tertia insula Σκαρδῶνα, *Scarduna,* cuius oppida sint *Arba* & *Collentum.* Dalmaticas autem insulas enumerat *Issam, Tragurium, Phariam, Corcyram Nigram,* & *Melitinen.*

Hae sunt variorum de insulis illis opiniones: ex quibus componimus, conciliamus, abiicimus & nonnullas superaddimus. Primae iuxta Histriam sunt *Apsyrtides* siue *Absyrtides* Strabonis, quae vna est Melae & Plinii, illi *Apsyrtis;* huic *Absyrtium;* vna etiam Ptolemaei *Apsoros.* Nomen deduxit Strabo & Plinius lib. III cap. vlt. ab Absyrto, Medeae fratre, a sorore ibidem interfecto. Sed vna est & plures siue duae, quod vna exiguo freto dissecta & ponte iuncta fuit. Male autem Pomponius *Apsoron* & *Apsyrtidem,* tamquam diuersas insulas, prodidit, quum eamdem esse ex Ptolemaeo notum sit. *Dyscelados* Melae nulla est, Vossio iudice, ficta ex Issae insulae epitheto apud Apollonium Argonaut. lib. IV versu 565

Ἰσσά τε δυσκέλαδός τε καὶ ἱμερτὴ Πιτύεια,

Issa malesona, desiderabilisque Pityea. Sed nexus geminatus repetitae voculae τε videtur sententiae Vossianae repugnare. Plinii

Crexa

Crexa quoque non est insula, sed oppidum insulæ Absyrtidis *Crepsa*, Κρέψα, si fides habenda Ptolemæo est. *Cyractica* autem Strabonis est cum Plinio & Ptolemæo dicenda *Curicta*; etiam incolæ eius *Curictæ*. Hæc proxima est Absyrtibus: litori autem propior quam illæ. *Celadussæ* Plinii sunt ex Melæ *Dyscelado*. nam & illo modo in Melæ quibusdam libris legitur. Satis ergo supra de illa, etiam si plures sint, dictum est. *Cratea* eiusdem (non Creteæ) sic in MSS. leguntur. Adiuuat lectionem Caryandensis Scylax, cuius Κρατειαί, *Crateiæ* insulæ in hoc sinu sunt κατὰ Φάρον καὶ Ἴσσαν, prope Pharum & Issam, vna cum *Proterade* & *Olynta*, quas addit Crateiis.

Quæ contra Iaderam Plinio insula est *Lissa*, a multis cum celebriore *Issa* confunditur. At distinxit Plinius, illam contra Iaderam, vt dixi, statuens; hanc in iis, quæ obiectæ sunt Tragurio. Separauit etiam Antoninus, siue quisquis auctor Maritimi itinerarii, hac serie insulas ad Dalmatiam & Histriam recensens: *Apsoros*, *Brattia*, *Bolentia*, *Issa*, *Lissa*, *Corcyra*, *Melita*. Alteram autem *Issam* cum Pharo coniunxerunt veteres. Scylax pag. 17 situm quarumdam insularum descripturus, dicit positas esse κατὰ Φάρον καὶ Ἴσσαν, *iuxta Pharum & Issam*, tamquam maxime vicinas. Straboni est γνωριμωτάτη, *notissima*; Agathemero lib. I cap. V ἐπισημοτέρα, *insignior*. Liuius lib. XLIII cap. IX *Octo naues ornatas a Brundisio senatus censuit mittendas ad C. Furium legatum Issam, qui cum præsidio duarum Issensium nauium insulæ præerat.* Apollonii versum supra vidimus de hac insula: Polybius Teutæ reginæ restitisse ait, ideoque ἐπολιόρκει τὴν Ἴσσαν, vrbem insulæ eiusdem nominis, *obsidione cinxisse*, lib. II cap. VIII. Hinc *Issaici lembi*, genus nauigii, apud Liuium lib. XXXI cap. XXI denominantur, quod nauigandi studium & peritiam Issensium ostendit. Plura de Issa infra suo loco: hæc, vt discerpatur ab obscuriore Lissa.

Plinii *Bouo*, vt in MSS. est, Tragurio opposita: aliis *Boa* dicta, aut pluraliter *Boæ*. Erat autem pœnæ locus, quo damnati deportabantur. *Lege* LIII Cod. Theod. de Hæreticis: *Præcipimus ipsum machinatorem in insulam Boam festina celeritate deduci.* Et Ammianus lib. XXII cap. III *contrusus est in insulam Dalmatiæ Boas.* Et lib. XXVIII cap. V *quum senatus eum ad Boas, Dalmatiæ locum, exter-*

exterminasset. Hodie vocatur *Bua*, eique proxime Tragurium est adiectum. Insula *Brattia*, quam *capris laudatam* Plinius dixit, etiam maritimo itinerario, vt vidimus supra, laudata est. nunc *la Brazza* Italis, vel *la Brassa.*

Insula *Scardona* siue Σκαρδῶνα Ptolemæi est Liburniæ subiecta, diciturque duo oppida habere *Arbam* & *Collentum*. An a Scardonitis, continentis populo, seu ciuitate, ædificata insula, aut colonia in illam deducta, quia communi nomine vtebantur? & num eadem Plinii *Arba* est, ab oppido nominata? Ita videtur Ortelio. At *Arbam* Plinius cum Absyrtide coniungit, vicinamque ponit Histriæ: Colentinos autem, ab altero Scardonæ oppido denominatos, idem cum Issæis conuentui Salonitano contribuit. Quis autem credet vnius insulæ duo oppida diuersis censeri conuentibus? Hoc est quod suspectam mihi *Scardonam* insulam facit, quæ si omnino aliqua fuit, id tamen dubitari potest, an *Arba* & *Collentum* fuerint eius oppida, quia illa nomina diuersis & longe disiunctis insulis imponit Plinius. De *Arba* modo diximus, quam propinquam Iapydiæ vel ipsi Histriæ constituit; & etiamnum id nominis, *Arba*, insula Venetis est in Flanatico sinu, inter Gissam & Curictam, contra Seniam oppidum continentis: de *Colento* ipse Plinius tam diligenter scripsit, vt curatius non potuerit. *Rursus*, inquit, *in continente colonia Iadera, quæ a Pola* CLX M. P. *abest: inde triginta* M. *Colentum insula:* XVIII *ostium Titii fluminis.* Plinii *Gissa* videtur plerisque Pago esse, inter Curictam & Aenonam sita: certo non probatum. *Electridas* Melæ Plinius ex Hadria exterminauit, ostenso errore Græcorum, quos ille sequutus erat, de quo in Germania sub finem, dicta plura sunt.

De *Issa* supra copiose actum est, quum a *Lissa* distingueremus. Addo, Plinium lib. III extremo vocare *ciuium Romanorum*, intellige vrbem insulæ eiusdem cognominis. Hirtius B. Alexandr. cap. XLVII vocat *nobilissimum regionum earum oppidum*. Vatinius, inquit, *post diem* III *contendit in insulam Issam, quod eo se recepisse ex fuga credebat Octauium. Erat nobilissimum regionum earum oppidum, coniunctissimumque Octauio.* Ex eiusdem belli cap. XLV discimus in eodem sinu esse insulam *Tauridem*, iuxta quam victus Octauius a Vatinio, in insulam Issam se fuga recepisse credebatur. Hirtius dicto loco: *Octauius, quum Vatinium classem magna ex parte confe-*

ctam ex nauiculis actuariis habere cognouisset, confisus sua classe, substitit ad insulam Tauridem: qua regione Vatinius insequens nauigabat, non quod Octauium ibi restitisse sciret, sed quod eum longius progressum insequi decreuerat. Quum propius Tauridem accessisset, & reliqua. Propinqua ergo Issæ est *Tauris* insula, quia inde proxime fuga victo in Issam patuit: nec vero ab alio memoratur, haud dubie ex XL illis Liburnicis, aut ἄλλαις, *aliis*, e quibus tantum *Issam* Strabo nominauit.

Post Issam ex nobilioribus insulis fuit *Pharia* Plinii; Φάρος, *Pharus* Strabonis, aliorumque Græcorum. Scylax p. 17 *Proteras, Cratiæ, Olynta* κατὰ Φάρον καὶ Ἴσσαν, *prope Pharum & Issam.* Agathemerus lib. I cap. V Εἰσὶ ἐν τῷ Ἀδρίᾳ νῆσοι παρὰ τὴν Ἰλλυρίδα, ὧν ἐπισημότεραι Ἴσση, καὶ ἡ Μέλαινα Κορκύρα, καὶ Φάρος, καὶ Μελίτη, *Sunt in Hadriatico mari insulæ propter oram Illyrici, quarum insigniores sunt Issa, & Corcyra Nigra, & Pharus, & Melite.* Stephanus Byzantius: Φάρος νῆσος ἐν τῷ Ἀδρίᾳ, *Pharus insula in Hadriatico.* Addit ex Ephoro, esse κτίσμα Παρίων, *coloniam Pariorum.* Idem Strabo tradit lib. VII Φάρος, ἡ πρότερον Πάρος, Παρίων κτίσμα, *Pharus, antea Parus dicta, Pariorum colonia.* Et Diodorus Siculus lib. XV cap. XIII Πάριοι κατά τινα χρησμὸν ἀποικίαν ἐκπέμψαντες εἰς τὸν Ἀδρίαν, ἔκτισαν ἐν αὐτῷ νῆσον ὀνομαζομένην Φάρον, *Parii, oraculi monitu coloniam deducentes in Hadriaticum mare, in eo condiderunt insulam Pharum dictam.* Polybius lib. III cap. XVIII etiam Φάρον, *Pharum*, dixit, & πόλιν ὀχυρὰν, *munitam vrbem*, quamquam Stephanus id exemplum ad continentis vrbem referat: non videmus quid impediat, quo minus de insula, continenti proxima, interpretemur. His Φάρος, *Pharus* est: Ptolemæo Φαρία, καὶ πόλις, *Pharia, & vrbs* eiusdem nominis. Plinio itidem *Pharia* est, ut supra cognouimus. Hodie censetur Lezina insula esse.

Post hanc, interiecta Hylli peninsula, est *Corcyra*, cognomento *Nigra*, vt Plinius ait, quod a Græcis est, qui Μέλαιναν cognominant, vt ab Ionii maris maiore insula discernatur. Agathemerus, ἡ Μέλαινα Κορκύρα; Ptolemæus Κόρκυρα ἡ Μέλαινα. Hodie Curzola. *Nigra* autem cognominatur a siluis procerarum arborum, quibus prope contecta est. Tandem est *Melita* Plinii, Μελίτη Agathemeri, Μελιτινὴ νῆσος, *Melitine insula* Ptolemæi. Vnde catulos cognominari *Melitæos*, Plinius dicto loco auctor est. Nunc Italis

Italis *Melede* vocata, in potestate Ragusanæ reipublicæ, cui plures subsunt insulæ, cum peninsula Hylli. Iacobus Sponius Itinerario Dalmatiæ p. 88 *En poursuivant nostre Route nous vimes les isles d'Augusta, de Mezzo, & de Meleda, qui appartiennent a la republique de Ragusa.* Plinii *Elaphites*, vt nomen ostendit, a multitudine ceruorum adpellantur: quot numero, incertum, quia inconstantius de eis scriptum est. Libro Frobenii III; Harduini IV, numerale signum, præmittitur.

CAPVT IX

DE

ITALIA.

ITalia, antequam hoc nomen sortiretur, *Saturnia*, *Oenotria*, *Hesperia*, *Ausonia* traditur adpellata, quæ nomina aliquando apud Poetas remanent. Virgilius Georg. II vers. 173

> *Salue, magna parens frugum, Saturnia tellus,*
> *Magna virûm;*

qui vero ipse fatetur, alias huic adpellationes successisse, lib. VIII Aeneid. vers. 329

> *Sæpius & nomen posuit Saturnia tellus.*

Nomen autem a Saturno esse, ibidem latitante, cum pulsus ab Ioue filio fuisset, nemo est qui ignoret. Alterum nomen est *Oenotria*, Οἰνωτρία, ab antiquis incolis *Oenotris*. Virgilius lib. VII vers. 85

> *Hinc Italæ gentes omnisque Oenotria tellus.*

Quod ipse lib. I Aeneid. vers. 530, adiuncto & tertio nomine *Hesperiæ*, interpretatur:

> *Est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt,*
> *Terra antiqua, potens armis atque vbere glebæ:*
> *Oenotri coluere viri; nunc fama, minores*
> *Italiam dixisse, ducis de nomine, gentem.*

A Græcis ergo *Hesperiæ* nomen est, quod *occidentalem* regionem sonat, qualis Italia est si ad Græciam referatur. Aeneidos II vers. 781 Creüsa Aeneam adloquitur:

> *Ad terram Hesperiam veniens, vbi Lydius arua*
> *Inter opima virûm leni fluit agmine Tibris:*

& Lucanus lib. I vers. 404

Finis & Hesperiæ promoto limite Varus:

ac Silius Italicus lib. I verſ. 50 *Cannas tumulum Hesperiæ* dixit, id eſt Italiæ. Eſt & Hiſpania *Hesperia*, ſed cum *vltima* cognomine: vt in illo Horatii lib. I oda XXXVI

Qui nunc Hesperia ſoſpes ab vltima:

at ſi Italiæ ſub hoc nomine epitheton adiiciendum eſt, *Hesperia magna*, a magnitudine imperii atque rerum adpellatur. Iterum Virgilius Aeneid. I verſ. 569

Seu vos Hesperiam magnam, Saturniaque arua,
Siue Erycis fines, regnumque optatis Aceſten;

quemadmodum propter eamdem cauſſam etiam *Italia* cognominatur *magna* Aeneid. IV verſ. 345

Sed nunc Italiam magnam Gryneus Apollo,
Italiam Lyciæ iuſſere capeſſere ſortes.

Tandem etiam *Auſonia* dicta fuit Italia, niſi hoc ex primis & antiquiſſimis fuit adpellationibus. Aeneid. VII v. 54 de Lauinia nubili:

Multi illam magno e Latio totaque petebant
Auſonia.

Et lib. XI Aeneid. verſ. 252

O fortunatæ gentes, Saturnia regna,
Antiqui Auſonii.

Ad quæ verba Seruius commentatus eſt: ANTIQVI AVSONII, *quia qui primi Italiam tenuerunt, Auſones dicti ſunt.* Et quia a Græcis hæc cognomenta ſunt, non neſcimus inferiori Italiæ, Græcis cognitæ præ ſuperioribus partibus, impoſita præcipue fuiſſe, & tam Auſones, quam Oenotros in certis partibus, difficulter autem ob antiquitatem definiendis, ſedem habuiſſe: poſtea nomina ſua vniuerſæ Italiæ conceſſiſſe, quod etiam poetæ imitati fuerunt, quibus ſolis hæc nomina conſeruata ſunt: apud ceteros obſoleuerunt, *Italiæ* vocabulo in illorum locum ſubrogato. De cuius adpellationis dubitata origine, ceteriſque nominibus antea commemoratis, eorumque ſucceſſione, Dionyſius Halicarnaſſeus diſſeruit lib. I pag. 28, qui, poſtquam dixerat, Italiam ſecundum quoſdam quaſi *Vitaliam*, dictam putari, a *vitulo* ſeu boue Herculis, ibi deperdito, & per totam regionem quæſito; id vero nominis μεταπεσεῖν ἀνὰ χρόνον εἰς τὸ νῦν σχῆμα, *proceſſu temporis in præſentem formam mutatum eſſe;* tum hæc plane & perſpicue ſubiecit:

εἴτε,


pag. 627
Septentrio
Meridies
Oriens
ITALIA
ANTIQVA
MARE LIGVSTICVM
Stoechades Insulæ
MARE INFERVM
siue
TYRRHENVM
MARE SARDOVM
MARE SVPERVM
siue
ADRIATICVM
MARE IONIVM
GRAECIAE PARS
SICILIAE PARS
LIBVRNIA
LVCANIA
LATIVM
Apenninus Mons
Alpes Rhæticæ
Insubres
Aeoliæ Insulæ
Oenotrides Insulæ
Diomedis Insulæ
Sinus Tarentinus
Peligni
Marrucini
Sabini
Roma
Capua
Neapolis
Genua
Placentia
Parma
Mutina
Regium
Bononia
Rauenna
Verona
Vicentia
Tridentum
Tergeste
Pola
Ancona
Narona
Epidaurus
Dyrrachium
Aulon
Tarentum
Brundisium
Pisæ
Luna
Sena
Perusia
Clusium
Rhegium
Messana
Scylla
Olbia
Sulci
Caralis
Corsica
Aleria
Strongyle
Lipara
Hercules I.
Vulcania siue Hiera

εἴτε, ὡς Ἀντίοχός φησιν, ἐπ' ἀνδρὸς ἡγεμόνος, ὅπερ ἴσως καὶ πιθανώτερον ἐστιν· εἴτε, ὡς Ἑλλάνικος οἴεται, ἀπὸ τοῦ ταύρου τὴν ὀνομασίαν ταύτην ἔσχεν, ἐκεῖνό γ' ἐξ ἀμφοῖν δῆλον, ὅτι κατὰ τὴν Ἡρακλέους ἡλικίαν, ἢ μικρῷ πρόσθεν, οὕτως ὠνομάσθη. τὰ δὲ πρὸ τούτων Ἕλληνες μὲν Ἑσπερίαν καὶ Αὐσονίαν αὐτὴν ἐκάλουν· οἱ δὲ ἐπιχώριοι Σατορνίαν, ὡς εἴρηταί μοι πρότερον. *Siue, vt Antiochus* [Syracusanus] *ait, a duce, quod fortasse verosimilius est; siue vt Hellanicus opinatur, a tauro nomen hoc* [Italia] *accepit: illud certe ex amborum auctoritate liquet, Herculis ætate, aut paullo ante, sic nominatam esse: superiore vero tempore Græci Hesperiam & Ausoniam eam vocabant, indigenæ Saturniam, vt supra dictum est.* Verosimilius ergo Halicarnassensi fuit, a duce *Italo*, quod etiam supra producto versu Virgilius censuerat, adpellatam *Italiam* esse; quam a boue aberrante, quæ Antiochi erat opinio; aut ab antiqua voce Græca, quæ Varronis sententia est apud Gellium lib. XI cap. I. *M. Varro,* inquit, *in antiquitatibus rerum humanarum, terram Italiam de Græco vocabulo adpellatam scripsit: quoniam boues veteri lingua* ἰταλοὶ *vocitati sint, buceraque in ea terra gigni pascique solita sint complurima.* Quod vero plures terræ armentosæ sunt, nec inde vel vlla alia sibi adsumsit nomen; probabilior est, Halicarnassensi quæ πιθανωτέρα videbatur, eademque Virgilii opinio, Aeneid. I vers. 533, qua *minores*

Italiam dixisse ferunt ducis de nomine gentem.

Obscura & incerta Italiæ nomina, id est vnius tantum auctoris fide cognita, prætermittimus, vt sunt *Argessa* apud Tzetzen scholiasten Lycophronis ad vers. 1232: & *Chone* apud Hesychium ex Antiocho Xenophane; & *Camesene*, vt regionem, in qua Ianiculum est, nescio an omnem Italiam, Protarchus Trallianus dixit, referente Macrobio lib. I Saturn. cap. VII. Nec antiquissimos populos Italiæ, Aborigines, Osci, Læstrigones, Ausones, Oenotros aliosque curamus ita, vt de limite illorum magnopere solliciti simus: qui vero Romanorum temporibus in Italia populi fuerunt, ex diuisione in regiones manifestum fiet, vbi cuilibet parti suæ gentes adsignabuntur. Diuisionem autem præcedant fines & flumina, vt ex illis totum prius, quam partes, cognoscamus: & ex his diuisionis fundamentum, plerisque populis a natura constitutum, accipiamus.

Fines Italiæ sunt maiorem partem ita supero inferoque mari fir-

ri firmati, vt neque ignorari, neque mutari facile possint. Reliquam partem Alpes summæ definiunt a mari Ligustico vsque ad Pannoniam, & vbi illæ desinunt iuxta Hadriatricum mare, flumen per Histriam delabens Arsia. Ptolemæus quidem lib. III cap. I etiam gentes nonnullas trans Alpes sitas in Italia censuit, vt fines dilataret: sed malumus cum aliis Italiæ terminum in summis Alpium constituere, quarum ὄρη, *montes*, ἐν τείχους σχήματι περίκειται καὶ προβέβληται Ἰταλίας, *in muri forma circumiacent Italiæ*, vt scite Herodianus dixit lib. II cap. XI.

Flumina Italiæ sunt quam plurima, saltem plura nominata & descripta ab historicis & geographis, quam in vlla parte ac regione terrarum orbis. Italia enim vt feracissima ingeniorum fuit, ita his quoque debuit accuratiorem sui, quam aliarum regionum descriptionem. Omnia nunc singulatim prænarrare, antequam regiones explicemus; nimium erit: etiam superfluum, quia in suis quæque regionibus denuo occurrent enarranda. Contenti ergo erimus vel maiores tantum fluuios iam proponere, vel ex minoribus præcipue illos, qui ad diuisionem prouinciarum siue regionum aliquid adferunt.

Primas partes, quamuis in media Italia, *Tiberis* tenet, quem *sceptriferum* Silius lib. VIII vers. 368 vocauit. Oritur ex Apennino, & Tifernum ac Perusiam præterlabitur, auctusque *Tinia*, *Clani*, *Nare*, nunc vrbi propior *Fabarim*, *Alliam*, *Cremeram* & tandem *Anienem* accipit, & gemino ostio infra vrbem Tyrrheno mari infunditur. Hic non Latium solum, sed Sabinorum etiam agrum, & Vmbriam cis Apenninum, ab Etruria, quam dextra ripa tangit, separat. Huic proximus, non situ, sed nobilitate est *Padus*, qui sæpe etiam *Eridanus* adpellatur vetustiore nomine. Diodorus Siculus lib. V cap. XXIII τοῦ δὲ Φαέθοντος πεσόντος πρὸς τὰς ἐκβολὰς τοῦ νῦν Πάδου καλουμένου ποταμοῦ, τὸ δὲ παλαιὸν Ἠριδανοῦ προσαγορευομένου, *quum Phaëthon delaberetur in ostia fluuii, qui nunc Padus, quondam Eridanus dicebatur*. Plinius lib. III cap. XVI Græcis auctoribus id adpellationis imputat. *Padus*, inquit, *Græcis dictus Eridanus, ac pœna Phaëthontis illustratus*. Imitantur hos Latini poetæ. Virgilius Georg. I vers. 481

Proluit insano contorquens vortice siluas
Fluuiorum rex Eridanus.

Et Pro-

Et Propertius lib. I elegia XII

Quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano.

Nec minus poetæ Latini, quam fere omnes scribentes prosa, eumdem amnem *Padum* vocant. Lucanus lib. IV versu 134

Sic Venetus, stagnante Pado, fusoque Britannus
Nauigat Oceano.

Oritur in Cottiis Alpibus monte Vesulo & Cisalpinam Galliam in Transpadanam secans & Cispadanam, vtrimque fluminibus ex ceteris Alpibus & Apennino auctus non exiguis, septem ostiis in Hadriatricum mare exoneratur. Pomponius Mela lib. II cap. IV *Padus, ab imis radicibus Vesuli montis exortus, paruis se primum fontibus colligit, & aliquatenus exilis ac macer, mox aliis amnibus adeo augescit atque alitur, vt se per septem ad postremum ostia effundat.* Præcipui fluuii quibus Padus augetur ex Alpibus Penninis & Rhæticis sunt *Ticinus, Addua, Ollius, Mincius*: ex Ligusticis montibus & Apennino, *Tanarus, Trebia, Tarus, Scultenna, Lauinius* & *Rhenus* paruus. De singulis in regionibus suis agemus.

Liguriam includunt *Varus*, finis Galliæ, & *Macra*, Etruriam & Liguriam disterminans. Plinius lib. III cap. V *Flumen Macra, Liguriæ finis.* Et mox: Patet ora Liguriæ *inter amnes Varum & Macram.*

Etruriam secat *Arnus*, fluuius nobilior, Florentiam & Pisas adluens, & has vna *Auser* siue *Ausur*, amnis minor. De Pisana vrbe. Rutilius Itiner. lib. I vers. 566

Quam cingunt geminis Arnus & Ausur aquis.

Latium ab Etruria vt *Tiberis*, ita *Liris* a Campaniæ ora seiungit: superius autem, id est septemtrionem versus, vbi *Fibrenum* Liris accipit, excedit hunc amnem Latii noui limes, de quo infra dicturi sumus. Campaniæ flumina sunt *Vulturnus* amnis & *Liternus*, quorum ille Capuam adluit; hic, Acerras. Idem *Linternus* scribitur, & alio nomine *Clanius*. Virgilius Georg. II vers. 225.

- - - *vacuis Clanius non æquus Acerris.*

Et Silius Italicus lib. VIII vers. 536

Clanio contemtæ semper Acerræ,

propter crebras exundationes, quibus oppidum infestatur. *Silarus* amnis Picentinos a Lucanis: hos a Bruttiis *Laüs* distinguit.

In si-

In ſinum Crotonienſem effluunt *Neæthus*, nunc Neto, de quo Ouidius Metamorph. XV verſ. 51

Præterit & Sybarin, Sallentinumque Neæthum,

vltra fines Sallentino cognomine a poetis promoto, de quo infra dicturi ſumus: & *Crimiſus* ſiue *Crimiſſus* Stephani: in ſinum Tarentinum *Sybaris*; & *Siris*, *Aciris*, inter quos Heraclea ſita; *Caſuentus*, *Bradanus*, inter quos Metapontum; & ad Tarentum *Galeſus*, ſiue *dulce pellitis ouibus Galeſi flumen*, vt Horatius vocat lib. II Oda VI. Idem flumen etiam *Eurota* dictum fuit, Polybio teſtante lib. VIII cap. XXVIII, ἔχον ἐπωνυμίαν ταύτην ἀπὸ τῆς τοῦ παρὰ Λακεδαίμονα ῥέοντος Εὐρώτα, *ab Eurota qui Lacedæmonem præterfluit.* nam Lacedæmoniorum colonia Tarentum fuit. Ouidius dicto XV Metam. verſ. 50

Nauigat Ionium: Lacedæmoniumque Tarentum
Præterit.

Apuliæ nobiliſſimus fluuius eſt *Aufidus*, Horatio *tauriformis* ille *Aufidus*,

Qui regna Dauni præfluit Appuli:
Quum ſæuit horrendamque cultis
Diluuiem meditatur agris,

lib. IV oda XIV: Floro lib. II cap. VI *documentum cladis* [Cannenſis] *cruentus aliquamdiu Aufidus.* Polybius lib. III cap. CXI de hoc flumine obſeruat, quod μόνος διαιρεῖ τὸν Ἀπέννινον, *ſolus Apenninum diuiſum pertranſeat.* In Hadriæ ora multi ſunt fluuii regionum terminatores. *Frento* enim dirimit Frentanos ab Apulis: *Matrinus* & *Aeſis* Picenum definiunt: Vmbriam Aeſis & Rubico: & alter ſimul terminus Galliæ Ciſalpinæ erat, notus ex ciuilis belli initio. Suetonius Cæſare cap. XXXI *Conſequutus cohortes ad Rubiconem flumen, qui prouinciæ eius finis erat, paullum conſtitit: ac reputans quantum moliretur, conuerſus ad proximos, Etiam nunc, inquit, regredi poſſumus. quod ſi ponticulum tranſierimus, omnia armis agenda erunt.* PONTICVLVM vocat, quia exiguus fluuius eſt. Lucanus lib. I verſ. 185

- - - *Vt ventum eſt parui Rubiconis ad vndas.*

Nihilominus terminus erat prouinciæ. Cicero Philipp. VI cap. III *citra flumen Rubiconem, qui finis eſt Galliæ.* Et Lucanus dicto libro verſ. 213

Fonte

Fonte cadit modico, paruisque impellitur vndis
Puniceus Rubico, quum feruida canduit æstas:
Perque imas serpit valles, & Gallica certus
Limes ab Ausoniis disterminat arua colonis.

Inter hunc & Aesim *Ariminus*, *Pisaurus*; sed nobilior clade Asdrubalis factus *Metaurus*. Horatius lib. IV oda IV

Quid debeas, o Roma, Neronibus,
Testis Metaurum flumen, & Asdrubal
Deuictus.

Vltra Padum proximus *Athesis*, ex Rhætorum Alpibus ruens, Tridentum & Veronam præterfluens. Virgilius lib. IX vers. 680

Siue Padi ripis, Athesin seu propter amœnum.

Euganeos, veterem populum, a Venetis terminauit: & ab Verona flectit cursum, & παράλληλος Pado in Hadriaticum mare defertur. Inter vtrumque, Athesim & Padum, minor quidam fluvius est, *Tartarus*, tandem per fossam Pado coniunctus, vnde Plinius lib. III cap. XVI *Tartarum ostium* vocat. Tacitus lib. III Hist. cap. IX *Cæcina inter Hostiliam vicum Veronensium, & paludes Tartari fluminis castra permuniit: tutus loco, quum terga flumine, latera obiectu paludis tegerentur.* Quod idem flumen oppidum *Atriam* adluit, inde Ατριανὸς ποταμὸς, *Atrianus amnis* Ptolemæo est. Succedit *Medoacus* geminus, maior & minor, sed confluentes in vnum alueum, qui & ipse Padi ostio septemtrionali miscetur. Plinius dicto loco: *Edronem* [portum faciunt] *Medoaci duo, ac fossa Clodia. His se Padus miscet, & per hæc effunditur.* Distinctionis signa, *maior, minor*, addita in Tabula Peutingeriana. Qui sequuntur, *Silis, Plauis*, a paucis memorantur: *Liquentia* ex montibus Opiterginis, Plinio lib. III cap. XVIII, quem Seruius etiam Aeneid. IX vers. 679 *liquentia flumina* vocari credit, & *Liquetia* potius, quam *Liquentia*, pro fluminis nomine habet, atque ita legendum in Virgilio censet. Reliquos fluuios ita dicto loco enarrat Plinius: *colonia Concordia: flumina & portus, Romatinum, Tilauentum maius minusque, Anassum in quod Verramus defluit; Alsa, Natiso cum Turro, præfluentes Aquileiam coloniam*, XV M. P. *a mari sitam.* Tilauentum, Τιλαουέμπτος ποταμὸς Ptolemæo, id est *Tilauemptus fluuius*: in Alsam proiectus Constantinus, Constantini M. filius, vt Epitoma Victoris refertur.

Post Aquileiam est *Sontius* fluuius. Cassiodorus lib. I epist. XVIII Theodorici verbis : *Sonti fluenta transmisimus, vbi primum Italiæ nos suscepit imperium.* Hodie Lisonzo vocatur. Recipit idem ex transuerso adlabentem fluuium *Frigidum*, ad quem miranda victoria Theodosius Eugenium superauit. Socrates lib. V cap. XXV γίνεται συμβολὴ περὶ τὸν ποταμὸν τὸν καλούμενον φρίγδον, *prælium committitur ad fluuium, quem Frigidum vocant.* De eodem prœlio Claudianus III Cons. Honor. vers. 99

Alpinæ rubuere niues, & Frigidus amnis
Mutatis fumauit aquis, turbaque cadentum
Staret, ni rapidus iuuisset flumina sanguis.

Est quoque in Peutingeriana Tabula *fluuius Frigidus* post *Pontem Sonti* : & Antonini itinere ab Vrbe in Orientem, hic ordo seruatus est:

Altino	—	—	—
Concordiam	M.	P.	XXXI
Aquileiam	M.	P.	XXXI
Fluuium Frigidum	M.	P.	XXXVI
Longaticum, mans.	M.	P.	XXII
Aemonam	M.	P.	XVIII.

In proximo est nobilissimus *Timauus*, fons, lacus, flumen, portus. Virgilius Aeneid. I vers. 244 *Antenor potuit*

- - - - - fontem superare Timaui,
Vnde per ora nouem, & vasto cum murmure montis
It mare præruptum.

Liuius lib. XLI cap. I *la cum Timaui* vocat. *Profectus*, inquit, *ab Aquileia consul, castra ad lacum Timaui posuit.* Scilicet ex lacu septem vel nouem capitibus hic amnis profluit. Pomponius lib. II cap. IV *In oris proxima est a Tergeste, Concordia. Interfluit Timauus nouem capitibus exsurgens, vno ostio emissus.* Et Claudianus VI consul. Honor. vers. 497

Mincius, inque nouem consurgens ora Timauus.

At Strabo lib. VII pag. 148 ἱερὸν τοῦ Διομήδους ἐστὶν ἄξιον μνήμης τὸ Τίμαυον· λιμένα γὰρ ἔχει, καὶ ἄλσος εὐπρεπὲς, καὶ πηγὰς ζ ποταμίου ὕδατος, εὐθὺς εἰς τὴν θάλατταν ἐκπίπτοντος πλατεῖ καὶ βαθεῖ ποταμῷ, *Templum Timauum Diomedis memorabile est : portum habet, & lucum amœnum,*

amœnum, etiam fontes septem aquæ fluuialis, statim lato altoque flumine in mare exeuntis. Poetæ sic describunt, vt apud Patauium in Venetis, aut prope illos videatur esse. Vnde Patauinum Liuium Papinius Statius lib. IV silv. VII extr. *Timaui alumnum* vocat: & Sidonius carm. IX vers. 196 *Euganeum Timauum*, ab Euganeis, Venetorum ab occasu vicinis, denominat. Nec aliter Lucanus lib. VII vers. 192

> *Euganeo, si vera fides memorantibus, augur*
> *Colle sedens, Aponus terris vbi fumifer exit,*
> *Atque Antenorei dispergitur vnda Timaui.*

At quum non raro geographia laxior poetarum sit; præstat ex Græcis Strabonem, & quos ipse adlegat, Polybium & Posidonium; e Latinis Melam, Plinium, Antoninum, & Tabulæ Theodosianæ auctorem sequi, qui omnes Timauum post Aquileiam ponunt, siue inter Aquileiam & Tergeste. Plinius cap. XVIII *amnem Timauum* post Aquileiam, ante Tergestinum sinum habet, perinde ac Mela verbis supra recensitis. Antoninus itinere ab Aquileia Salonas:

Aquileia	—	—	—
Fontem Timaui	M.	P.	XII
Tergeste	M.	P.	XII

Idem ordo in Tabula Peutingeriana obseruatur, vt de vero situ Timaui dubitare non liceat.

Vltra Tergestinam coloniam VI M. passuum *Formio amnis*, vt Plinius prædicto loco tradit, *antiquus auctæ Italiæ terminus*, quem postea *Polam* vsque, & tandem ad Arsiam amnem prorogarunt Cæsares. Strabo lib. VII pag. 217 Ἴστρους πρώτους τῆς Ἰλλυρικῆς παραλίας, συνεχεῖς τῇ Ἰταλίᾳ· καὶ διότι μέχρι Πόλας, Ἰστρικῆς πόλεως, προήγαγον οἱ νῦν ἡγεμόνες τοὺς τῆς Ἰταλίας ὅρους, *Histros primos Illyricæ oræ, conterminos Italiæ* fuisse dicit. *Post*, inquit, *principes nostri ad Polam vsque, Histriæ vrbem, Italiæ fines protulerunt.* Plinii ætate vltra Polam ad flumen Arsiam finis productus erat. *Nunc*, inquit, cap. XIX, *finis Italiæ fluuius Arsia.* Vlterius numquam, quantum constat, terminus fuit promotus.

DIVISIO ITALIAE.

Ab ipſa natura Italia per *Apennini* iuga, quæ omnem a Liguria ad fretum Siculum percurrunt, eſt diuiſa: indeque duo maria, *Superum*, quod trans Apenninum eſt; & *Inferum*, quod cis eundem montem eſt, denominantur. Inde quoque populi, & arbores, & aliæ res in *ſupernates* & *infernates* diuiduntur. Plinius lib. XVI cap. XXXIX *Romæ infernas abies ſupernati præfertur.* Cauſſam Vitruuius dat lib. II cap. vlt. *Infernates* [arbores] *quæ ex apricis locis adportantur, meliores ſunt, quam quæ ab opacis de ſupernatibus aduehuntur.* Sicciores enim arbores in aprico & auſtrali Apennini latere, quam in ſeptemtrionali, quod ſuperum mare ſpectat; ideoque durabiliores gignuntur. Superum mare vulgo *Hadriaticum*, ſiue *Adriaticum* vocatur: item *Hadria* ſiue *Adria*, ab vrbe eius nominis nominatur. Duplex autem Italiæ *Hadria*, altera in Venetis ad Tartarum fluuium inter Padum & Atheſim; quam ſupra in fluminibus *Atriam* ſcripſimus, præeunte Plinio, & Ptolemæo; Strabo autem lib. V pag. 148 etiam hanc per Δ ſcribit Ἀδρίαν, *Adriam:* altera ad Vomanum fluuium in Piceno eſt, ad quam Antonini iter ab vrbe eſt directum, patria maiorum Hadriani imperatoris. Ab vtra nunc mare appelletur, dubitari poteſt. Plures Venetæ id attribuunt. Plinius lib. III cap. XVI *egeſto amnis impetu per transuerſum in Atrianorum paludes, quæ ſeptem maria adpellantur, nobili portu oppidi Tuſcorum Atriæ, a quo Atriaticum mare ante adpellabatur, quod nunc Adriaticum.* An vero hoc oppidum tam celebre fuerit, vt mari nomen imponeret; dubitari ex eo poſſit, quia Strabo inter πολισμάτια, id eſt *oppidula* numerat; de veteri autem conditione eius non ex ſua ſententia, ſed incerta vulgi opinione dicit, τὴν Ἀδρίαν ἐπιφανῆ γενέσθαι πόλιν φασὶν, ἀφ᾽ ἧς καὶ τοὔνομα τῷ κόλπῳ γενέσθαι τῷ Ἀδρίᾳ, *Adriam claram fuiſſe vrbem dicunt, a qua nomen ſit ſinui Adriatico.* Sed φασὶν *dicunt* homines, non probant documentis. Iuſtinus quidem lib. XX cap. I videtur Plinium iuuare, dum *Adriam*, quæ mari nomen dederit, *Illyrico mari* ponit *proximam:* at iunior Aurelius Victor, epitomes auctor, in Hadriano aperte dicit, *oppidum agri Piceni mari Adriatico nomen dediſſe.* Eſt & tertia opinio, ab *Adria*, Iaonis filio, Italo homine, nomen impoſitum mari fuiſſe. Euſtathius in Dionyſ.

nyſ. verſ. 92 *Ἰάονος υἱὸς Ἀδρίας ἱςόρηται, ἀφ' οὗ τὲ αὐτὸ πέλαγος καὶ Ἀδριατικὸν λέγεται, Traditur. Adrias Iaonis* [Ἰάονος, ἀνδρὸς Ἰταλοῦ, vt ante paullo vocauerat] *filius exſtitiſſe, a quo etiam Adriaticum mare adpelletur.* Sed hæc de nominis origine dubitanter. Vocatur Græcis plerumque ὁ Ἀδρίας κόλπος, *Adria ſinus:* vide Polybium lib. II cap. XIV; & ſimpliciter ὁ Ἀδρίας, ibidem cap. XVI, & Strabonis proxime productis verbis : quemadmodum Latinis etiam *Adria* eſt, vt Horatio *arbiter Adriæ Notus*, lib. I oda III; & Senecæ epiſt. XC *Parum eſt, niſi trans Hadriam, & Ionium, Aegæumque veſter villicus regnet.* Cicero vocauit *Hadrianum mare*, in Piſon. cap. XXXVIII, & lib. X Attic. ep. VII. Alia forma Virgilius Aeneid. XI verſ. 405 *Hadriacas vndas*; Silius lib. I verſ. 54. *Adriacum pontum.* Vulgo *mare Adriaticum* cum Mela lib. I cap. III; Plinio, loco ſupra dicto; Seneca III Quæſt. Nat. cap. XXIX. Sed, ſine adſpiratione, an cum illa, vocabulum ſcribendum ſit, noua lis eſt. Si nomen ab oppido Piceni eſt, *Hadria*, & *Hadriaticum* ſcribi oportet, quia imperatoris, inde genus ducentis, in nummis & lapidibus nomen *Hadrianus* eſt: ſi ab oppido Venetiæ, vt antiquiore, eiusque colonia Picentinum eſt, vt Cluuerio videtur; eadem ratio ob commune nomen præualebit : ad quam Venetorum vrbem Lucas Holſtenius in Stephanum, Magni Ducis Tuſcorum vetuſtum nummum refert, cui HADR. inſcriptum eſt cum Neptuno effigiato.

Sed vt in viam reuertamur, vnde *Superi* maris explicandi cauſſa digreſſi fueramus; adpellatio illa, etiam *Inferi*, id eſt Tyrrheni maris, quod illi opponitur, admodum trita frequensque Romanis fuit. Cicero lib. IX ad Attic. epiſt. III *Non ſunt faciles nobis ex Italia exitus, quum ea tota armis præſidiisque teneatur, hieme præſertim. nam, ſi commodius anni tempus eſſet, vel infero mari liceret vti. nunc nihil poteſt niſi ſupero tramitti; quo iter interclusum eſt.* Et eodem libro, epiſt. vltima : *Nos, quoniam ſuperum mare obſidetur, infero nauigabimus; & ſi Puteolis erit difficile, Crotonem petemus aut Thurios.* Et Liuius lib. V cap. XXXIII *Mari ſupero inferoque Italia inſulæ modo cingitur.* Et Pomponius Mela lib. II cap. IV *Italia ſe media perpetuo iugo Apennini attollens montis, inter Hadriaticum & Tuſcum, ſiue, vt aliter adpellantur, inter ſuperum mare & inferum excurrit.* Inſcriptione Alpina, Auguſto Cæſari dicata, quam Plinius etiam

lib. III cap. XX exhibuit, GENTES ALPINAE OMNES QVAE A MARI SVPERO AD INFERVM PERTINEBANT, SVB IMPERIVM P. R. REDACTAE SVNT. Et Virgilius lib. VIII verſ. 149

Et mare quod ſupra, teneant, quodque adluit infra.

Has adpellationes marium Apenninus mons gignit, per mediam Italiam, quam longa eſt, procurrens. Lucanus lib. II verſ. 399

Mons inter geminas medius ſe porrigit vndas
Inferni ſuperique maris.

Hic mons eſt, vt ipſe verſ. 396 deſcripſerat,

Vmbroſis mediam qui collibus Apenninus
Erigit Italiam.

ſiue, vt Silius Italicus lib. II verſ. 314 illum comparat,

Alpibus aequatum attollens caput Apenninus.

Hæc naturalis diuiſio Italiæ. Alia ſequitur ab origine gentium, quæ occupauerant, deſumta. Conſtat enim ſuperiorem partem, quæ ſub Alpibus eſt, Gallos inſediſſe: partem vero quæ in Græciam Siciliamque vergit, oppletam fuiſſe Græcorum coloniis. Hinc noua nomina nata, vt pars Italiæ *Gallia* adpellaretur; pars alia, *Græcia Magna.* Gallorum inuaſionem cum cura ſcripſit Liuius lib. V cap. XXXIII ſeq. *ducentis annis ante, quam Cluſium oppugnarent, vrbemque Romam caperent, in Italiam Gallos tranſcendiſſe, Priſco Tarquinio Romæ regnante, excitos, Belloueſo* duce, *ex Biturigibus, Aruernis Senonibus, Aeduis, Ambarris, Carnutibus, Aulercis: per Taurinos ſaltusque Iuliæ Alpis tranſcendiſſe, fuſisque acie Tuſcis, haud procul Ticino flumine, quum, in quo conſederant, agrum Inſubrium adpellari audiſſent, cognomine Inſubribus, pago Aeduorum. Ibi omen ſequentes loci condidiſſe vrbem, Mediolanum adpellaſſe. Alia ſubinde manus Cenomanorum, Elitouio duce, veſtigia priorum ſequuta, eodem ſaltu, fauente Belloueſo, quum tranſcendiſſet Alpes, vbi nunc Brixia & Verona vrbes ſunt (locos tenuere Libui) conſediſſe. Poſt hos Salluuios: - - - Pennino deinde Boios Lingonesque transgreſſos, quum iam inter Padum atque Alpes omnia tenerentur, Pado ratibus traiecto, non Etruſcos modo, ſed etiam Vmbros agro pepuliſſe: intra Apenninum tamen ſe ſe tenuiſſe. Tum Senones, recentiſſimos aduenarum, ab Vtente flumine vſque ad Aeſim fines habuiſſe.* Hi ergo ſunt illi populi, qui intra Italiæ fines Cisalpinam Galliam conſtituerunt, quibus, in poteſtatem redactis, Romani poſtea certos limites conſtituerunt,

tuerunt, prouinciæ formam imponentes, cuius caput videtur *Ariminum* fuisse, quo nomine totam aliquando prouinciam adpellaverunt. Liuius lib. XXVIII cap. XXXVIII, anno Punici II belli quartodecimo: *Tum pratoria prouincia in sortem coniecta. urbana Cn. Seruilio contigit: Ariminum (ita Galliam adpellabant) Sp. Lucretio: Sicilia L. Aemilio: Cn. Octauio Sardinia.* Post Mutina videtur caput prouinciæ fuisse, quod ex Mutinensi bello, cum M. Antonio gesto adparet, quia ibi D. Brutus, cui decreta prouincia a senatu erat, ab Antonio fuit obsessus.

Græcorum in Italia coloniæ, quæ *Maiorem Graciam* constituebant, saltem partem eius, certos fines ac limitem non habuerunt. Quidam scriptores angustis terminis concludunt: alii laxe nimis eius fines per omnem fere Italiam proferunt. Liuius lib. XXXI cap. VII consulis Sulpicii verbis: *Nec Tarentini modo, oraque illa Italia, quam Maiorem Graciam vocant, vt linguam, vt nomen sequutos crederes: sed Lucanus, & Bruttius, & Samnis a nobis defecerunt.* Iustinus lib. XX cap. II de Metaponto agens: *Omnis illa pars Italia Maior Gracia adpellata est.* Et Seneca ad Heluiam cap. VI *Totum Italia latus, quod infero mari adluitur, Maior Gracia fuit.* Festus tandem MAIOR GRAECIA: *Maior Gracia dicta est Italia, quod in ea multa magnaque ciuitates fuerunt, ex Gracia profecta.* Ouidius concinit Fast. IV vers. 63

Nec tibi sit mirum Graio rem nomine dici:
Itala nam tellus Gracia Maior erat.

Non facile hæc conueniunt, nec omnis Italia, sed pars eius *Magna Gracia* vocata: sed quanta illa, & qui eius fuerint limites, fateor, subobscurum esse. Liuius eximit Lucanos & Bruttios: at Seneca huic Græciæ totum dat latus maris inferi, in quo vtique est Lucania, & ipsa Græcis exculta coloniis; nec non ipsa quoque Campania in eodem litore. Iustinus presse loquitur, litus quod a Tarento ad Locros aut ad fretum est, hoc nomine adpellitans. Scilicet res ita habet: Quod plures in Italia Græcæ coloniæ erant, magna illius pars fuit *Gracia* adpellata. postquam vero propiores Latio, Latinos mores Latinamque linguam sequuti sensim sunt; factum est vt angustiori parti nomen Græciæ relinqueretur, præsertim illi, quæ ad Tarentinum sinum, & vsque ad Locros seu Leucopetram promontorium est, ita tamen, vt nec alterum litus, quod

quod inde in Lucaniam tendit, excluderetur. Nulli ergo certi fines huius Græciæ erant: omnium autem consensu in eo tractu Italiæ sita fuit, quæ Græciam vlteriorem & transmarinam, nec non Siciliam spectabat. Ipse Cicero sic inter tempora distinxit, &, vt videtur, secundum illa etiam inter fines, lib. III de Oratore cap. XXXIV *Instituitne*, inquit, *Pythagoras totam illam veterem Italiæ Græciam, quæ quondam Magna vocitata est?* QVONDAM ait. ergo Ciceronis tempore cessauerat hæc adpellatio: non autem *Galliæ Cisalpinæ*, quam vbique in ore habet Cicero.

Cur vero hæc pars Italiæ vocetur *Græcia*, apertum est: non æque, cur *Magna* vel *Maior*. Iosephus Scaliger ad Festum pag. 81 *Certissimum est, ita vocatam a Romanis, quia propior ea esset illis, quam transmarina Græcia*. Non capio, qui propinquitas inferat magnitudinem. Aliæ rationes quærendæ sunt. Plinius lib. III cap. V ad ambitionem refert Græcorum, qui adpellationis huius auctores sint, non Romani. *Ipsi*, inquit, *de ea iudicauere Græci, genus in gloriam suam effusissimum: quotam partem ex ea adpellando Græciam Magnam?* Ergo, quæ per se non maior quam transmarina, immo minor sit, ab ambitiosis ex Græcia colonis ita adpellari censet. Strabo autem lib. VI sub initium τὴν μεγάλην Ἑλλάδα ταύτην ἔλεγον, καὶ τὴν Σικελίαν, *illam* [quam tractat Italiæ partem] *Magnam Græciam dixerunt, & Siciliam*. Si ergo Sicilia simul sub Magna Græcia continetur, vtique verius potest *Magna* dici, quam si sola pars esset Italiæ. Sicilia æque Græcis coloniis plena, & in Græcis censetur ab Liuio lib. VII cap. XXVI, nec vero ad propriam pertinuit, sed in eodem censu, quo Italica Græcia erat, relicta. Sic enim Liuius dicto loco: *Cum Græcis a Camillo nulla memorabilis gesta res: nec illi terra, nec Romanus mari bellator erat. - - - Cuius populi ea, cuiusque gentis classis fuerit, nihil certi est: maxime Siciliæ fuisse tyrannos crediderim. nam vlterior Græcia ea tempestate intestino fessa bello, iam Macedonum opes horrebat.*

Quum ergo Liuius Siciliæ respectu Græciam *vlteriorem* dixit, quæ trans Ionium mare erat; sequitur citeriorem etiam aliquam fuisse in Sicilia & in Italia: quam Apuleius Apolog. p. 294 *Subsiciuam Græciam* adpellat. De Pythagora inquit, *proxime Metapontum, in litore Italiæ, quam subsiciuam Græciam fecerat*. Plautus

exoti-


Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens
GALLIA CISALPINA
MARE LIGVSTICVM
MARIS ADRIATICI PARS
Helvetii
Alpes Rhaeticae
Veragri
Lepontii
Salassi
Taurini
Libicii
Insubres
Orobii
Cenomani
Euganei
Stoeni
Vennonses
Carni
Histria
Cispadani
Transpadani
Venetii
Boii
Lingones
Genua
Placentia
Cremona
Verona
Mantua
Parma
Ravenna
Ariminum
Padus flu.
Apeninus Mons
Apuani
Luca
Pisae
Florentia
Arretium
Cortona
Clusium
Ancona
Picenum
Sabini
Intemelii
Ingauni
Statielli
Alpes Maritimae
Regnum Cottii
Ilua sive Aethalia I.
Forum Iulii
Tergeste
Mediolanum
Comum
Bergomum
Brixia
Tridentum
Patavium
Atria
Adria
Bononia
Mutina
Faventia
Sena Gallica
Senones
Umbria
Etruriae Pars

exoticam Græciam vocat, Menæch. act. II sc. I sub persona serui dicens,

> *Mare superum omne, Græciamque exoticam,*
> *Orasque Italicas omnes, qua adgreditur mare,*
> *Sumus circumuecti.*

Scilicet ita antiqui Græci in Hellade propria dicebant colonias Græcas in Italia & Sicilia: quos imitatur seruus hac adpellatione. Quod ad eum modum dictum est, quo Strabo dicto loco dixit: νυνὶ δὲ πλὴν Τάραντος, καὶ Ῥηγίου, καὶ Νεαπόλεως, ἐκβεβαρβαρῶσθαι συμβέβηκεν ἅπαντα, *at nunc, Tarento, Rhegio & Neapoli exceptis, omnia in peregrinos mores sunt transducta,* quos barbariem respectu veterum Græcorum vocat.

Mansit nomen μεγάλης Ἑλλάδος, *Magnæ* Græciæ, quamuis ad exiguos fines dudum redactæ, etiam Ptolemæi temporibus. Lib. III enim cap. I Μεγάλης Ἑλλάδος παρὰ τὸ Ἀδριατικὸν πέλαγος, *Magnæ Græciæ maritima* hæc oppida recenset, *Locros, Scylacium, Crotonem, Thurium, Metapontum, Tarentum:* mediterranea, *Peteliam* & *Abystrum.* Sic magnum nomen in parua regione conseruatum fuit. Quæ inter hanc & Galliam Cisalpinam sita sunt, quasi *propriam Italiam* constituunt, & sæpe ipsam magnam Græciam, tamquam exiguam partem in se complectuntur, quia Romani huius Græciæ non ita rationem singularem habebant, vt Galliæ Cisalpinæ, de qua nunc nobis dicendum est.

GALLIA CISALPINA.

Gallia hæc Italica, a Gallis colonis nomen Galliæ indepta, a Transalpina & propria Alpibus separatur; non numquam *citerior* adpellatur: & sæpe Romanis scriptoribus simpliciter est *Gallia:* raro communi *Italiæ* nomine in libera republica, siue ante Augustum Cæsarem, significatur. Cicero pro Lege Manil. cap. XII *Gallia Cisalpina præsidiis & nauibus confirmata.* Et Liuius lib. V. cap. XXXV est dubius, *solane gens Senonum Romæ bellum intulerit, an ab omnibus Cisalpinorum Gallorum populis adiuta.* Et lib. XXVII cap. XXXVIII *ne* [Asdrubal] *Gallos Cisalpinos sollicitaret.* Eadem, vt modo diximus, est CITERIOR; & Transalpina, *vlterior.* Cicero lib. X ep. IV *Sum in exspectatione omnium rerum, quid in Gallia citeriore, quid in vrbe mense Ianuario geratur, vt sciam.* Sollicitus

autem erat de exitu belli Mutinensis. Idem de Consular. prov. cap. XV *alter vlteriorem Galliam decernit cum Syria; alter citeriorem.* ac cap. XVI *ne Gallia citerior alicui decernatur post eos consules, qui nunc erunt designati.* Sæpe etiam neque citerior, neque Cisalpina dicitur, sed simpliciter *Gallia.* Cicero Philipp. XII cap. IV *Quid? Galliam quo tandem animo hanc rem auditurum putatis? illa enim huius belli propulsandi, administrandi, sustinendi principatum tenet. Gallia D. Bruti nutum ipsum, ne dicam imperium, sequuta, armis, viris, pecunia, belli principia firmauit. - - - - Et vt omittam reliquas partes Galliæ, Patauini alios excluserunt, alios eiecerunt, missos ab Antonio.* Et de eadem caussa ac tempore Velleius lib. II cap. LX *Idem,* [Antonius] *prouinciam D. Bruto designato consuli decretam, Galliam occupare statuit.* Et Eutropius lib. II cap. IX *Conditæ a Romanis ciuitates, Ariminum in Gallia, & Beneuentum in Samnio.*

Alia nomina huius partis Italiæ sunt *Gallia Togata*, & *Italia Subalpina*. Prius, supra quoque in Transalpinæ explicatione ex Ciceronis Philipp. VIII cap. IX ostendimus, qua Antonii postulata referebat, *Galliam Togatam remitto, Comatam postulo.* Quæ adpellatio non æque, vt superius explicatæ, antiqua est, sed demum tum cœpit, quum ἐς τὸν τῆς Ἰταλίας ἤδη νόμον ἐσεγέγραπτο, *Italiæ iam legibus & statutis formata fuerat*, vt Dio Cassius lib. XLVIII pag. 364 tradit: & propterea incolæ τῇ ἐσθῆτι τῇ Ῥωμαϊκῇ τῇ ἀστικῇ ἐχρῶντο ἤδη, *Romano iam vestitu*, hoc est toga, *vt in vrbe, vtebantur*, quod idem sub finem lib. XLVI declarauit: seu, vt Martialis ait lib. III epigr. I

Gallia Romanæ nomine dicta togæ.

Hæc vero, vt priore loco addidit, ἐντὸς Ἄλπεων, *Cisalpina* erat, quod etiam Pompeius Festus in *Boicus ager*, confirmat. *Boicus,* inquit, *ager dicitur, qui fuit Boiorum Gallorum. Is autem est in Gallia citra Alpes, quæ Togata dicitur, in qua sunt Mediolanenses.* Hirtius lib. VIII de Bello Gall. aliquoties hac adpellatione vsus est: cap. XXIV *Legionem* XII *in Togatam Galliam mittit, ad colonias ciuium Romanorum tuendas.* A coloniis itaque & toga huius prouinciæ, & origo nominis *Togatæ.* Idem cap. LII *quum omnes regiones Galliæ Togatæ Cæsar percucurrisset.* & post paullo: *T. Labienum Galliæ Togatæ præfecit.* Et Plinius lib. III cap. XIV *Ab Ancona Gallica ora incipit, Togatæ Galliæ cognomine.* Ex quibus clarum satis est,

tis est, Ptolemæum lib. III cap. I nimis coarctare Γαλλίαν τὴν Τογάταν, *Galliam Togatam*, qui Alpibus Liguriæque montibus, seu Apennino, ac Pado flumine vsque Rauennam inclusit. Omnis enim citerior & Cisalpina Togata fuit, non sola Cispadana, vt Ptolemæus censuit; sed Transpadana etiam, & Festo nominatim testante, *Mediolanenses* etiam, qui trans Padum sunt. Quid? quod Mela lib. II cap IV scripsit: *Interiora eius* [Italiæ] *alia aliaque gentes: sinistra parte Carni & Veneti colunt Togatam Galliam.*

Alterum ex reliquis nominibus est *Italia Subalpina.* apud Plutarchum in Marcello sub initium, ἡ ὑπαλπεία. Subalpini enim ibi dicuntur τὴν ὑπαλπείαν νεμόμενοι τῆς Ἰταλίας. Et Plinius lib. XVI cap. XI de resina quadam: *rara, nec nisi in paucis locis Subalpinæ Italiæ.* Vtrum tota prouincia Cisalpina, an pars Alpibus propinqua ita vocetur, ex hisce non potest intelligi. Idem Plutarchus autem in Cæsare pag. 717 non sinit nos dubitare, quin tota sic provincia denominetur. Ait enim de Cæsare, εἰς τὴν περὶ Πάδον Γαλατίαν κατέβη, τῆς αὐτῷ δεδομένης ἐπαρχίας οὖσαν. ὁ γὰρ καλούμενος Ῥουβίκων ποταμὸς ἀπὸ τῆς ὑπὸ ταῖς Ἄλπεσι Κελτικῆς ὁρίζει τὴν ἄλλην Ἰταλίαν, *in Galliam Circumpadanam, quæ prouincia erat sua, contendit: siquidem amnis Rubico dirimit a Gallia Subalpina Italiam reliquam.* Rubico autem, terminus Subalpinæ, longius remotus est ab Alpibus, quam vt finire proxime subiacentem illis regionem possit.

Hæc nominum satis sit explicatio, quorum pleraque *Galliam* adpellant illam partem Italiæ. Augustus autem quum Italiam in XI Regiones descripsit, sustulit ex illa denominationem *Galliæ*, quæ postea non occurrit nisi rarissime, quum antea frequentatissima fuisset. An vero illa pars ante Augustum etiam *Italiæ* nomine adpellata fuerit, est quod nunc dispiciamus. Rara quidem tum illi parti, quæ sub Alpibus & circa Padum est, *Italiæ* cognominatio, nec vero nulla, aut falsa fuit, quum vulgo *Gallia* adpellaretur non quod vere talis esset, sed quod a Gallis populis occupata fuerit. Hos vero Polybius lib. II cap. XIII vocat τοὺς κατὰ τὴν Ἰταλίαν Κελτούς, *Gallos in Italia*: & in Hannibalis historia lib. III cap. LIV dicit, ita Italiam Alpibus subiacere, vt hæ illi sint instar arcis (ἀκροπόλεως) & munimenti. Et D. Brutus persequuturus trans Alpes Antonium, scripsit ad Ciceronem Eporedia, quæ in Pedemontio est, lib. XI.

epist. XXIII *Ego, dum mihi a te litteræ veniant, in Italia morabor.* Quod Cicero epist. XXIV repetit & probat his verbis: *Quod scribis, in Italia te moraturum, dum tibi litteræ meæ veniant, si per hostem licet, non erraris.* In Italia ergo ille tractus subalpinus est, vbi sita Eporedia.

Tandem etiam de finibus Cisalpinæ Galliæ aliquid dicendum est, qui aliter in se considerantur, aliter vt prouinciam Romanam definiunt. Supra ex Liuii lib. V cap. XXXV percepimus Senones Gallos *vsque ad Aesim* flumen habitasse. Longius fines prorogauit Plinius lib. III cap. XIV. *Ab Ancona,* inquit, *Gallica ora incipit, Togata Galliæ cognomine.* Nihilominus Cicero Philipp. VI cap. III & Suetonius Cæsare cap. XXXI (quorum verba supra protulimus) Rubiconem fluuium, qui inter Rauennam & Ariminum est, terminum citerioris Galliæ constituunt. Addimus Plutarchum Cæsare pag. 723 ὡς ἦλθεν ἐπὶ ὁρίζοντα τὴν ἐντὸς Ἄλπεων Γαλατίαν ἀπὸ τῆς ἄλλης Ιταλίας ποταμὸν (Ρουβίκων καλεῖται) καὶ λογισμὸς αὐτὸν εἰσήει, ac reliqua. Hoc est, *Vt venit ad amnem, qui Galliam Cisalpinam a cetera Italia secernit, & cogitatio ipsum subiit, quantum periculum adiret,* & cetera. Sed vtrumque verum est: habitationem Gallorum olim Aesis amnis aut oppidum Ancona finiebat; & prouinciam postea Romanorum fluuius Rubico. Nam Polybius lib. II cap. XXI, tempore inter primum & secundum Punicum bellum medio: Μάρκου Λεπίδου στρατηγοῦντος κατεκληρούχησαν ἐν Γαλατίᾳ Ρωμαῖοι τὴν Πικεντίνην προσαγορευομένην χώραν, ἐξ ἧς νικήσαντες ἐξέβαλον τοὺς Σήνωνας προσαγορευομένους Γαλάτας. *M. Lepido duce, Romani in Gallia Picenum agrum diuiserunt, ex quo Gallos Senones vincendo expulerunt.* Itaque diuisio inter Romanos ciues superiore Piceno, terminus Galliæ ad Rubiconem fluuium reductus fuit. Strabo lib. V. pag. 157, postquam de Metauro fluuio & Fano Fortunæ dixerat, adiecit: Περὶ τούτους τοὺς τόπους εἰσὶ τὰ ὅρια τῆς Ιταλίας τῆς πρότερον καὶ τῆς Κελτικῆς, - - - Πρότερον μέν γε τὸν Αἶσιν ἐποιοῦντο ὅριον· πάλιν δὲ τὸν Ρουβίκωνα ποταμόν. *Circa hæc loca est limes Italiæ antiquæ & Galliæ. Prius enim Aesim fluuium fecerunt limitem: deinde Rubiconem.* Idem narrauerat paullo ante pag. 150, postremis verbis ita expressis, ὕστερον δὲ ὁ Ρουβίκων, *postremo Rubico*, puta, terminus fuit. Ergo diuersis temporibus alius atque alius limes fuit. Limes medius inter Macram Liguriæ finem, & Aesim vel Rubiconem, curuatura

tura

tura Apennini fuit ad superum tendentis mare. Strabo dicto libro p. 150 Ὅρον τῆς χώρας ταύτης, ἣν ἐντὸς Κελτικὴν καλοῦμεν, πρὸς τὴν λοιπὴν Ἰταλίαν, τό, τε Ἀπεννῖνον ὄρος τὸ ὑπὲρ τῆς Τυῤῥηνίας ἀπεδέδεικτο, καὶ ὁ Αἶσις ποταμός· ὕστερον δὲ ὁ Ρουβίκων, *Limes regionis huius, quam citeriorem Galliam vocamus, ad reliquam Italiam, mons Apenninus est, quem ostendimus Etruriæ imminere; & fluuius Aesis: ac postea Rubico.*

Qui vero ager inter Rubiconem & Aesim ereptus Gallis fuit, & inter ciues distributus, vt esset propriæ Italiæ pars; nihilominus a pristina conditione *ager Gallicus* & *Gallicanus* dictus fuit. Cicero in Catilin. II cap. III *delectum in agro Piceno & Gallico Q. Metellus habuit:* & cap. XII *Q. Metellus, quem ego, prospiciens hoc, in agrum Gallicanum Picenumque præmisi, aut opprimet hominem, aut omnes eius motus conatusque prohibebit.* Paullus Manutius in Cicer. lib. V epist. I nobiscum facit. *Erat,* inquit, *hic ager Gallicus non Galliæ citerioris, quam postea Metellus rexit; sed Italiæ pars, disiunctus a Gallia Rubicone flumine.*

Hic ergo limes ab ortu erat & ad Italiam, quam propriam vocamus: ad Illyricum æque mutatus, primum *Formio* fluuius fuit, dein *Pola*, aut tandem amnis *Arsia*, vt suprà in fluminibus ex Plinio & Strabone demonstratum est: Alpinus Galliæ limes per se notus est: ad Liguriam res incertior difficiliorque. Sita Liguria propria & Italica (erant enim etiam circa Massiliam & ad Rhodanum ac vltra Ligures, vti in Gallia ostendimus) sita, inquam, nostra Liguria cis Alpes est, intra Italiæ terminum: & sic vtique videtur pars Cisalpinæ fuisse. At Liuius distinguit lib. XXVII cap. XLIX *Quum esset nuntiatum consuli, Gallos Cisalpinos, Liguresque abire sine certo duce.* Erant etiam, præsertim Alpes maritimas incolentes, *capillati* & *comati* vsque ad Augusti tempora, atque sic extra sortem Togatæ Galliæ. Dio Cassius lib. LIV pag. 538 αἱ Ἄλπεις αἱ παραθαλάσσιοι, ὑπὸ Λιγύων τῶν Κομητῶν καλουμένων ἐλευθέρως ἔτι καὶ τότε νεμόμεναι, ἐδουλώθησαν, *Ligures Comati etiam, qui Alpes maritimas adhuc libere coluerant, in potestatem redacti sunt.* Inde a Punico bello pugnatum cum Liguribus, & multi ex iis acti triumphi, quoties fere captum castellum esset, vt Cicero in Bruto cap. LXXIII ostendit; omnes autem, montani præcipue, ante Augustum non fuerunt perdomiti. Tum posita

coma, & in togæ ius omnes transierunt. Lucanus lib. I verſ. 442

Et nunc tonſe Ligur, quondam per colla decora
Crinibus effuſis toti prælate Comatæ.

Quod vero Ligures, antiquus populus, eas ſedes incoluerunt ante, quam Transalpini Galli in Italiam migrarunt; factum, vt diſcreti aliquando a Cisalpina Gallia cenſerentur. Poſt ſenſim in Romanos mores & Ligures transducti, licet quidam illorum ad vltimum repugnarint; & coloniæ in illum tractum deductæ, vt de Dertonenſi ex Paterculo lib. I cap. XV eſt clariſſimum. Tum etiam Togatæ prouinciæ adſcribi potuerunt. Sic Veneti ante illam Gallorum migrationem ſupra Padi oſtia coluerunt, vt Liuius lib. V cap. XXXIII teſtatur; nihilominus cum Carnis *Togatæ* adſcribuntur a Mela lib. II cap. IV. Nunc ad ſingulas gentes explicandas accedimus.

GENTES ALPINAE ET SVB ALPIBVS.

Ab Alpibus incipiendum, limite inter Galliam & Italiam. Ad mare terminus Varus flumen eſt, a quo proximi ſunt VEDIANTII, a Plinio lib. III cap. V memorati, quorum oppidum *Cemelion* eſt, ſeu potius *Cemenelion*, ſiue *Cemenelum*, vt in Antonini itinere eſt ab Roma in Galliam. Gemina inſcriptione apud Iac. Sponium Miſc. Er. Antiq. p. 163 ORDO CEMENEL. Et alia, pag. 104

MATRONIS
VEDIANTIABVS
P. ENISTALIVS P. F.
CL. PATERNVS CEMENELENSIS.

Etiam Ptolemæus in *Veſtiantiis* (ſic ſcribit per ſibilum) oppidum Κεμενέλεον, *Cemeneleum* ponit: nunc *Cimiez* eſt. Pars hi ſunt Ligurum CAPILLATORVM Plinii, qui Dionis Caſſii lib. LIV pag. 538 Λιγυες Κομῆται, *Ligures Comati* ſunt, ab Auguſto perdomiti, quum antea libere egiſſent. Et cap. XX ait Plinius: *Capillatorum plura genera ad confinium Liguſtici maris.* Contingunt hos MONTANI Ligures in Maritimis Alpibus. Ibidem Plinius: *ex Caturigibus orti Vagienni Ligures, & qui Montani vocantur.* Montani ergo in ſummis

Alpium

Alpium verticibus prope fontes Padi. Ad Padi recentis ripam VAGIENNI, quorum *Augusta Vagiennorum* fuit, a Plinio laudata, & Taurinensi inscriptione apud eumdem Sponium p. 164 AVG. BAGIENNORVM. Ptolemæus corrupte Αὐγοῦστα Βατιεννῶν, quam falso etiam cum Iria & Dertona in Taurinis locauit. Plurimorum opinione oppidum est, quod *Saluzzo* hodie vocatur. In Tabula Peutingeriana scribuntur *Bagitenni*, T otiose redundante. Et hi quoque ex Liguribus fuerunt, auctore Plinio lib. III cap. XVI.

Trans Padum TAVRINI sunt, & vbi is Duriam recipit, aut non longe supra illum locum, *Augusta Taurinorum*, antea *Taurasia* dicta, quod nomen superest in Hannibalicis Appiani. Nouum nomen ab Augusti colonia est. Plinius cap. XVII *Colonia ab Alpium radicibus, Augusta Taurinorum, antiqua Ligurum stirpe, inde nauigabili Pado. Dein Salassorum Augusta Pratoria.* Et Tacitus Hist. lib. II cap. LXVI *Augustam Taurinorum*, & mox *coloniam Taurinam* vocat: Ptolemæus Αὐγοῦστα Ταυρινῶν. Anonymi panegyrico, nisi Nazarii est, ad Constantinum, cap. VI coloni *Taurinates* dicuntur: ager circumiectus, *Taurinates campi.* Iam *Turinum* esse, caput Pedemontii, nemo est qui dubitet. Alterum Taurinorum oppidum est *Vibi Forum*, vt Plinius scripsit cap. XVII, id est *Forum Vibii*, cuius incolæ *Forouibienses* sunt cap. XVI. Situm ibidem sic describit: *Padus e gremio Vesuli montis, celsissimum in cacumen Alpium elati, finibus Ligurum Vagiennorum, visendo fonte profluens, condensque sese cuniculo, & in Forouibiensium agro iterum exoriens, nulli amnium claritate inferior.* Taurinos supra in Liguribus censebat Plinius: at Appianus Gallicæ originis facit, dum Taurasiam πόλιν Κελτικήν, *oppidum Gallicum* vocat. Liuius tamen etiam ab Liguribus videtur deriuare.

Post Taurinos, seu occasum versus, *Alpes* sunt *Cottiæ*, in iisque REGNVM COTTII reguli, & populus, SEGVSIANI. Plinius lib. III cap. XX dicit *Cottianas ciuitates* XII fuisse, e quibus paucæ ab oppidis suis notæ sunt. Caput gentis *Segusio*, vt Plinius, Ammianus & auctor Tabulæ scripserunt: vel *Segusium*, Σεγούσιον, vt Ptolemæus. Inuenitur etiam per C scriptum *Secusione*, sexto casu, Itinere Burdigalensi, & inscriptione Maximiani ac Diocletiani apud Sponium p. 198 seq. *Secusia*, sic, ORDO SPLENDI-

DISS.

DISS. CIVITATIS SECVSIAE. At ibidem etiam geminato G in Taurinenſi lapide CIVIT. SEGG. Municipium in lapide Taurinenſi vocatur. inſcriptum enim GENIO MVNICIPI SEGVSINI, in Grut. Opere pag. CXI. Situm eſt ad amnem Duriam, qui infra Taurinorum Auguſtam miſcetur Pado. Nunc *Suſa* vocatur, vrbs non ignobilis. Id quod etiam ex diſtantia patet, quippe dicto Itinerario, quod Burdigala Hieroſolymam ducit, hic ordo ſervatus :

Incipiunt Alpes Cottiæ :		
Rame	—	— —
Brigantium	M.	XVII
Inde adſcendis Matronam.		
Gesdaone	M.	X
Ad Martem	M.	IX
Secuſione	M.	XVI
Ad Duodecimum	M.	XII
Ad Fines	M.	XII
Ad Octauum	M.	VIII
Taurinis	M.	VIII

Ptolemæus in Seguſianis ſcripſit quoque Βεργάντιον, quod nunc in itinere vidimus *Brigantium*, ſiue vt praue editum eſt, *Byrigantum*; prauius *Virgantia* pro Vrigantia vel Brigantia, in Ammiani lib. XV cap. X Valeſ. [XXV Grut.] cuius ſitus nos ad vrbem *Briançon* in Delphinatus limite deducit. Cetera minoris momenti ſunt, nec vero non intra regnum Cottii, *Rame, Ad Martem, Ad Duodecimum, Ad Fines,* mutationes tantummodo aut manſiones : at Secuſio ſiue Seguſio *ciuitas* eodem Itinerario, perinde vt Taurini, vocata eſt. *Ad Martem,* quod in Itinerario dicitur, Ammianus dicto loco *ſtationem Martis* dixit : quod *Ad Fines* in eodem, in Tabula quoque *Finibus* eſt indicatum. Supereſt oppidum vel vicus *Ocelum*; & alius ei proximus, *Scingomagus.* Strabo lib. IV in Narbonenſis deſcriptione pag. 124 ἐντεῦθεν πρὸς τοὺς ἑτέρους ὅρους τῶν Οὐοκοντίων, πρὸς τὴν Κοττίου, μιλια ἑκατὸν ἑνὸς δέοντα, εἰς Ἐπεβρέδουνον κώμην· εἶτ' ἄλλοι τοσοῦτοι διὰ Βεργαντίου κώμης ἐκ Σκιγγομάγου καὶ τῆς τῶν Ἄλπεων ὑπερθέσεως ἐπὶ Ὤκελον, πέρας τῆς Κοττίου γῆς· καὶ ἡ ἀπὸ Σκιγγομάγου δὲ ἤδη Ἰταλία λέγεται. *Inde ad alteros Vocontiorum terminos & ad Cottii terram, milliaria* IC *ad Epebrodunum vicum : hinc totidem per Bri-*

per Brigantium vicum a Scingomago & Alpium alto transitu ad Ocelum, qui finis est terrae Cottii. A Scingomago autem iam Italia dicitur. Etiam a Caesare *Ocelum* memoratum est lib. I Bell. Gall. cap. X. *Compluribus*, inquit, *his praeliis pulsis, ab Ocelo, quod est citerioris prouinciae extremum, in fines Vocontiorum vlterioris prouinciae die septimo peruenit.* Plinius lib. II cap. CVIII vocat *Cingomagum* alterum, elapsa forsitan littera prima; ideoque Harduinus *Scingomagum* ex Strabone restituit. Plures interpretantur *Sezanne*: at idem Harduinus cum Honor. Bouche contendit esse ipsum oppidum, quod *Segusium* postmodo, siue *Segusio*, nunc *Susa* dictum est.

Historiam regni Cottii cum cura scripsit Marcellinus lib. XV cap. X Valef. [XXV Grut.] *Gallia*, inquit, *vnde ad solis ortus attollitur, aggeribus cedit Alpium Cottiarum: quas rex Cottius, perdomitis Galliis, solus in angustiis latens, inuiaque locorum asperitate confisus, lenito tandem tumore, in amicitiam Octauiani receptus principis, molibus magnis exstruxit ad vicem memorabilis muneris, compendiarias & viantibus opportunas, medias inter alias Alpes vetustas, super quibus comperta paullo postea referemus. In his Alpibus Cottiis, quarum initium à Segusione est oppido, praecelsum erigitur iugum, nulli fere sine discrimine penetrabile.* Et paucis interiectis: *Huius sepulcrum reguli, quem itinera struxisse retulimus, Segusione est moenibus proximum, manesque eius ratione gemina religiose coluntur; quod iusto moderamine rexerat suos, & adscitus in societatem rei Romanae, quietem genti praestitit sempiternam.* Segusio ergo ipsius regia fuit, quia sepulcrum habet: & ab eius temporibus Romanis via per Alpes Cottias aperta est, qua postea etiam plerumque in itineribus & militum traiectu vsi sunt. Mortuo rege prouinciam Nero fecit, vt Suetonius cap. XVIII & Eutropius lib. VII cap. IX adnotarunt.

IDEONNI REGNVM, proximum Cottiano, & Salassorum terrae, est obscurius, quam illud Cottii, nec forte vlli memoratum, nisi Straboni lib. IV pag. 141. Ἐπὶ δὲ θάτερα μέρη, τὰ πρὸς τὴν Ἰταλίαν κεκλιμένα τῆς λεχθείσης ὀρεινῆς, Ταυρινοί τε οἰκοῦσι, Λιγυστικὸν ἔθνος, καὶ ἄλλοι Λίγυες. Τούτων δ' ἐστὶ καὶ ἡ τοῦ Ἰδεόννου λεγομένη γῆ, καὶ ἡ τοῦ Κοττίου. Μετὰ δὲ τούτους καὶ τὸν Πάδον Σαλλασσοί. *In altera parte montanorum, quae ad Italiam vergit, Taurini habitant, Ligustica gens, aliique Ligures. Horum est etiam, quae Ideonni dicitur, &*

qua Cottii terra. Post hos & Padum Salassi. Obscura & regio & eiûsdem regulus: nec situs satis ex his verbis perspectus. Ait geographus, post Cottii & Ideonni mentionem, μετὰ τὸν Πάδον, *trans Padum* deinde Salassos esse, quasi cis flumen & Cottii & Ideonni possessiones fuerint. At vero Cottii oppida supra enarrata trans Padum sunt omnia. Quæ vero cis flumen, occuparunt Vagienni, Ligures Montani, & Capillati: ideoque Cluuerius Ideonni regionem in septemtriones ad Alpes *Graias* remouet, quæ inter Cottias & Penninas sunt mediæ. An alia etiam Ideonni memoria exstet, dubium est. Cluuerius eius caussa adlegat Ouidii versum lib. IV Pont. eleg. VII ad Vestalem, oræ Ponticæ præfectum,

- - - progenies alti fortissima Donni,

quasi exciderit prima littera ex *Idonni*, tertia absorpta sit contractione, *Idonni* pro *Ideonni*. At variant mire codices in hac voce. Heinsius *Dauni* legit. Sed pro Cluuerio est eiusdem epistolæ præcedens versus VI

Alpinis iuuenis regibus orte.

Dauni regnum vero in Apulia, non in Alpibus fuit: vt sic quoque vulgatæ lectioni aliquid præsidii adferri videatur.

Supra Taurinis in *Graiis* Alpibus, & sub illis, SALASSI sunt, potens natio, & bellicosa. Strabo lib. IV pag. 141 ἡ τῶν Σαλασσῶν πολλὴ μέν ἐστιν, ἐν αὐλῶνι βαθεῖ, τῶν ὀρῶν ἀμφοτέρων κλειόντων τὸ χωρίον. μέρος δέ τι αὐτῶν ἀνατείνει καὶ πρὸς τὰς ὑπερκειμένας κορυφάς. *Salassorum regio ampla est in profunda conualle, montibus vtrimque includentibus: quamquam alicubi etiam ad superincumbentes attollitur vertices.* Plinius lib. III cap. XVII *Salassorum Augusta Pratoria iuxta geminas Alpium fores, Graias atque Pœninas. His Pœnos, Graiis Herculem transisse memorant.* Idem de Graiis & transitu Herculis Cornelius Nepos Hannibale cap. III tradit; sed fabulosa sunt, quæ de Herculis transitu cum exercitu referuntur. Liuius lib. V cap. XXXIII de Alpinis itineribus agens dixit, *nisi de Hercule fabulis credere libet.* Nihilominus dicamus *Alpes Graias* cum Plinio: aut *saltum Graium* cum Nepote, vt ab aliis Alpibus secernamus. Quæ supra Graias sunt, & Hannibali transitum præbuisse traduntur, illarum inconstans & incertum nomen est. Ptolemæus lib. II cap. XII vocat Ποινὰς, *Pœnas*: Plinius *Pœninas*, ob eam-

ob eamdem rationem: Strabo lib. IV pag. 141 διὰ τοῦ Ποινήνου λεγομένου, intellige ὄρους, *per montem Pœninum dictum*. Quo referri inscriptio vetus potest, Gruter. p. 376 num. 6,

PROLEG. PROVINCIAI
RAITIAI ET VINDELIC
ET VALLIS POENIN.

Contra Liuius lib. XXI cap. XXXVIII negat heic Herculem transire potuisse, aut nomen Alpibus Pœnorum transitu fuisse inditum. *Nec verisimile est*, inquit, *ea tum ad Galliam patuisse itinera; vtique quæ ad Penninum ferunt, obsepta gentibus semigermanis fuissent. neque, hercule, montibus his (si quem forte id mouit) ab transitu Pœnorum vllo Veragri, incolæ iugi eius, norunt nomen inditum: sed ab eo, quem in summo sacratum vertice Penninum montani adpellant.* Sic *Penninæ* sunt illæ Alpes, non *Pœnæ*, aut *Pœninæ*; a numine ibi culto adpellatæ.

Salassorum *Augusta Prætoria* est, vt supra ex Plinio cognouimus: colonia Romana, in quam III millia prætorianorum Octauianus Augustus deduxit, postquam ductu Terentii Varronis eam gentem deuicerat. Strabo lib. IV p. 142 τρισχιλίους Ῥωμαίων πέμψας ᾤκισε τὴν πόλιν Αὐγούσταν ὁ Καῖσαρ, ἐν ᾧ ἐστρατοπέδευσε Βάρρων Οὐάρρων, *Vrbem Augustam Cæsar, missis Romanorum tribus millibus, condidit in loco, quo Varro castra habuerat.* Dio Cassius de Salassis, ab Augusto victis, lib. LIII pag. 514 Αὐτῶν ἡ ἀρίστη τῆς γῆς τῶν τε δορυφόρων τισὶν ἐδόθη, καὶ πόλιν τὴν Αὐγούσταν Πραιτωριανῶν ὠνομασμένην ἔχει, *Agri eorum pars optima cohortibus prætorianis data, vrbem Augustam Prætoriam tenet.* Etiam Ptolemæo in Salassis est Αὐγοῦστα Πραιτωρία κολώνια, *Augusta Prætoria colonia.* In extremo sita Italiæ, vt inde longitudinem Italiæ *ab Alpino fine Prætoriæ Augustæ, per Vrbem Capuamque cursu meante, Rhegium oppidum* Plinius lib. III cap. V metiatur. Adposita est *Duriæ* fluuio, qui vtilis Salassis εἰς τὰ χρυσοπλύσια, vt Strabo ait, *ad eluendum aurum.* nam ἔχει χρύσεια ἡ τῶν Σαλασσῶν, *Salassorum regio auri prouentum*, quod ex alueo fluminis in riuos diuisi collegerunt. *Duria* autem ille non est is amnis, qui a Segusione Taurinum versus tendebat: sed alius & maior, qui Eporediam defertur, & longe infra confluentem minoris, qui in Taurinis est, itidem Pado adfunditur. Plinius lib. III cap. XVI *Durias duos* in ea regione ponit, alter maior

maior ex Alpibus Graiis ortus; alter minor decurrens ex Cottiis. Vtriusque etiamnum commune nomen *la Doria* eſt. Sed vt ad Auguſtam Salaſſorum reuertamur, illa hodie *Aoſta* eſt, vt præter nomen, ex itinerariis eſt manifeſtum. A Mediolano Antoninus

per Alpes Graias		*per Alpes Penninas*	
Ticinum	M. P. XXII	— — —	
Laumellum	M. P. XXII	*Nouariam*	M. P. XXXIII
Vercellas	M. P. XXVI	*Vercellas*	M. P. XVI
Eporediam	M. P. XXXIII	*Eporediam*	M. P. XXXIII
Vitricium	M. P. XXI	*Vitricium*	M. P. XXI
Auguſtam Prætoriam	M. P. XXV	*Auguſtam Prætoriam*	M. P. XXV
— — —		*Summum Penninum*	M. P. XXV
— — —			
Darantaſiam	M. P. LXVII.	*Octodurum*	M. P. XXV

Ad eumdem amnem Duriam maiorem ſita etiam eſt *Eporedia*, oppidum, vt Plinius ait lib. III cap. XVII, *Sibyllinis iuſſis a populo Rom. conditum.* Datæ heic epiſtolæ D. Bruti ad Ciceronem XX & XXIII libri XI. Ptolemæo Ἐπορεδία, *Eporedia.* Colonia Romana fuit, vt non obſcure Plinius prædictis verbis: plane & perſpicue Paterculus lib. I cap. XV ſignificat, quamuis hic male in Vagiennis collocauit. Municipium deinde factum. Tacitus lib. I Hiſt. cap. LXX *vt donum aliquod nouo principi firmiſſima Transpadanæ regionis municipia Mediolanum, ac Nouariam,* & Eporediam ac *Vercellas adiunxere.* Tabulæ Peutingerianæ hic ordo eſt:

Auguſta Prætoria XXVIII *Vitricio* XXI *Eporedia.*

Medio æuo ſemibarbaro Rauennas anonymus ſcripſit *Eporea* & *Eporeia* lib. IV cap. XXX. Inde barbare *P* in *B* mutatum, & hæc in cognatum *V*, vt nunc, extruſa *O*, ſit *Ivrea.* Reliqua Salaſſorum oppida ſunt *Vitricium* Tabulæ & Antonini, quod Rauennas *Bitricium* ſcripſit: & eiusdem Tabulæ *Eudracinum*, medio itinere inter Summum Penninum & Auguſtam Prætoriam.

LIGV-

LIGVRIA.

Alpinas adhuc gentes perlustrauimus, plerasque originis Ligustinæ, quasdam etiam ab aliis Liguriæ adscriptas ita, vt illius limitibus comprehendantur; quemadmodum ex Liuio & Strabone supra cognouimus: nunc vero ad *Liguriam propriam*, & strictim ita & sine dubietate dictam, accedimus, quæ inter Varum & Macram amnes continetur, pleraque in litore *Ligustici maris* procurrens, nec parum in mediterranea, non autem in summas Alpes extensa. Litoralem tractum diligenter Plinius lib. III cap. V descripsit. *Ab amne Varo*, inquit, *Nicæa oppidum a Massiliensibus conditum: fluuius Paulo* (sic legendum, non Pado) *Alpes, populique Inalpini multis nominibus: - - - portus Herculis Monœci, Ligustica ora. - - - Flumen Rutuba, oppidum Albium Intemelium: flumen Merula, oppidum Albium Ingaunum: portus Vadûm Sabatiûm: flumen Porcifera, oppidum Genua: fluuius Feritor, portus Delphini: Tigulia intus: Segesta Tiguliorum: flumen Macra, Liguriæ finis.* Singula inspiciemus, addituri ex aliis, si quæ fuerint prætermissa.

Ptolemæus Liguriam non a Varo incipit, sed post Monœci portum, inter quem & Varum quæ sita sunt, *Massiliensium oram* adpellat. Consentit Plinius, vt modo ex verbis illius cognitum, post portum Monœci, *Ligusticam oram* nominans, quasi prima ibidem incipiat. Strabo quoque lib. IV pag. 140 ἔοικε, inquit, ἀπὸ τοῦ ὀνόματος καὶ μέχρι δεῦρο διατείνειν ὁ Μασσαλιωτικὸς παράπλους, *ex nomine* [Græco Monœci] *verisimile, eo vsque pertinuisse nauigationem Massiliensium.* Quoquo modo hæc extrema Italiæ censeantur, & vel Massiliensibus vindicentur vel Liguribus propriis; quatuor omnino sunt, quæ Ptolemæus inter Galliam & Liguriam posuit.

Prima est *Nicæa*, Νίκαια Μασσαλιωτῶν, id est *a Massiliensibus condita*, vt Plinius refert; seu, vt Stephanus, Μασσαλιωτῶν ἄποικος, *Massiliensium colonia*: qui eam, quod Strabo addit, τοῖς Λίγυσι τοῖς τὰς Ἄλπεις οἰκοῦσι, *Liguribus Alpes incolentibus* opposuerunt. Hodie Nizza, notum oppidum. Adluitur flumine *Paulone*, quod perperam *Pado* in Plinii libris scriptum est. Mela lib. II cap. IV ob ortu in occasum progrediens: *Genua, & Sabatia, & Albigaunum:*

num: tum Paulon & Varum flumina, vtraque ab Alpibus delapsa. Non autem ab ortu, vt Plinius postposuit; sed Varum versus illud mœnia attingit, siue inter Varum & Nicæam decurrit. Reliqua Ptolemæi sunt, *Portus Herculis, Tropæa Augusti* & *Monœci Portus*. Sic distinxit portum Herculis & Monœci, interiectis Augusti tropæis: quod errore commissum Cluuerius putat, quia, qui plene dicitur *Portus Herculis Monœci*, aliquando sine cognomine *Herculis* portum, aliquando tantummodo *Monœci* portum nominari perceperit. Alii vero *portum Herculis* a Ptolemæo separatim positum interpretantur Villam Francam, II millibus a Nicæa sitam. Sed non constat, Villæ Francæ portum, vt vt Monœci portu sit capacior, antiquis temporibus frequentatum ædificatumque fuisse, & si fuit, potius Nicæensium nomine, in quorum agro est, quam Herculis, videtur adpellari debuisse, præsertim quum Plinius & Strabo, & ceteri omnes non nisi vnum *portum Herculis*, cognomine *Monœci*, Μονοίκου, in hac ora nouerint. Auctor Itinerarii maritimi, vulgo Antoninus creditus, inter Herculem Monœcum & Nicæam tres obscuros portus nominat, *Auisionem, Anaonem*, & *Oliuulam;* sed nullam facit Herculei alterius mentionem. *Monœci Herculis* autem portus celebratus est. Virgilius lib. VI vers. 830

> *Aggeribus socer Alpinis atque arce Monœci*
> *Descendens.*

Et Lucanus lib. I Pharsal. vers. 405 plenius:

> *Quaque sub Herculeo sacratus nomine portus*
> *Vrget rupe caua pelagus: non Corus in illum*
> *Ius habet, aut Zephyrus: solus sua litora turbat*
> *Circius, & tuta probibet statione Monœci.*

Et Tacitus III Hist. cap. XLII *Fabius Valens, e sinu Pisano segnitia maris, aut aduersante vento, Portum Herculis Monœci depellitur.* Hodie est Monaco. *Tropæa* autem *Augusti*, a solo Ptolemæo memorata, vt fere nomen etiam arguit, videntur *Torbia* esse, paullo intus sita, quia tropæa mos erat in montibus erigere.

Ptolemæi Liguria ab *Albiniminio* incipit, quod corruptum nomen est, & *Albintemelium*, siue *Albintimilium*, aut *Albium Intemelium* cum Strabone & Plinio scribendum est. Plinii verba supra vidimus; Strabonis lib. IV pag. 139 hæc sunt: ἐν τῷ μεταξὺ πόλις εὐμεγέθης, Ἄλβιον Ἰντεμέλιον, καὶ οἱ κατοικοῦντες Ἰντεμέλιοι, *In medio*

dio [inter Portum Monœci & Albingaunum] *vrbs magna est Albium Intemelium: incola Intemelii.* Tacitus lib. II Hist. cap. XIII *Irritatus eo prœlio Othonis miles, vertit iras in municipium Intemelium.* Scribitur & *Albintimilium.* Inscriptio Romana in Sponii Miscell. p. 155

M. SABINIVS
FAB. ALBINTIMILI
EVOC. AVG. SALVT.

Et alia ibidem ALBINTIMILIENSIVM. Vnde emendari Tabula Peutingeriana potest, quæ refert *Albentimillo*, auferendi, vt aiunt, casu. Nunc *Vintimiglia* vocatur, flumine *Rutuba* ab ortiuo latere adfusa, secus ac Plinius flumen ab occiduo delabi censuit. Lucanus *Rutubam cauum* dixit lib. II vers. 422, propter riparum altitudinem, nisi hic alius est, fortassis quem Vibius *ex Apennino in Tiberim fluere* tradidit.

Interponit Albiis duobus Itinerarium maritimum *Mauricii portum*, ignotæ originis, recentiorem fortasse, quam vt nostram geographiam, quæ antiqua est, possit attingere: Peutingeriana *Costam Bellene*, quam correctius *Balenæ* Antoninus dixit, sed æque incognitam: Plinius amnem *Merulam*, quem nunc *Arociam* aiunt adpellari. Tum e propinquo oppidum *Albium Ingaunum*, vt Plinius plene scripsit: alii *Albingaunum*, siue *Albigaunum* contracte. Strabo dicto loco lib. IV p. 139 Τῶν Λιγύων τῶν μὲν ὄντων Ἰγγαύνων, τῶν δὲ Ἰντεμελίων, εἰκότως τὰς ἀποικίας αὐτῶν ἐπὶ τῇ θαλάττῃ, τὴν μὲν ὀνομάζεσθαι Ἄλβιον Ἰντεμέλιον, τὴν δὲ ἐπιτετμημένως μᾶλλον Ἀλβίγγαυνον, *Quum Ligurum alii sint Ingauni, alii Intemelii; consentaneum fuit, eorum colonias maritimas alteram Albium Intemelium vocari, alteram concisius aliquanto Albingaunum.* Sic & Tacitus Hist. II cap. XV *Othoniani Albingaunum interioris Liguriæ reuertere.* Nec aliter in Tabula Peutingeriana, & Maritimo Itinerario scriptum: at Mela, elisa littera, *Albigaunum* lib. II cap. IV, & Ptolemæus Ἀλβίγαυνον. Nunc *Albenga* est.

In illo litore succedit nunc oppidum munitum Hispanorum *Finale*; dein *Vadi*, siue vulgari elisione *Vai*; tandem *Sauona* episcopalis. Hæc ita secundum veterum rationes, Antonini & Strabonis, Lucas Holstenius distribuit, vt in Antonini *Pollupicis* loco Finale esse censeat: & Vadi siue Vai, in loco *Vadorum Saba-*

tiorum,

tiorum, quæ Plinio sunt *Portus Vadûm Sabatiûm*: Straboni pag. 139 τὰ καλούμενα Σαββάτων Οὔαδα: Bruto ad Ciceronem lib. XI epist. X simpliciter *Vada*, de quibus epist. XIII hoc addit: *Antonius ad Vada venit, quem locum volo tibi esse notum. Iacet inter Apenninum & Alpes, impeditissimus ad iter faciendum*, intellige propter montes & paludes. a paludibus autem *Vadorum* nomen. Est & vbi *Sabatia* simpliciter dicuntur, suppresso Vadorum nomine. Pomponius lib. II cap. IV *Deinde Luna Ligurum, & Tigulia, & Genua, & Sabatia, & Albigaunum.* nam Vada intelligi non Sabata; ora, quam enarrat, litoralis conuincit. Tandem in Sauonæ loco fuerunt *Sabata*, oppidum Sabatiorum, Straboni dicta Σάββατα, duplicata littera, quæ simplex plurimis Latinorum est: etiam Ptolemæo Σάβατα. Cluuerio *Sabata* & *Vada Sabatia* vel eadem vel coniunctissima sunt: sed notatus ob id ab Holstenio est, qui VI vel VII millibus passuum disiungit, quot sunt inter Vai & Sauonam. Quod si Sabata in loco Sauonæ fuerunt, unde nouum illud Sauonæ nomen? Liuius extremo lib. XXVIII, *Genuam, nullis præsidiis maritimam oram tutantibus*, [Mago] *repentino aduentu cepit: inde ad oram Ligurum, si quos ibi motus facere posset, classem adpulit. - - - Pœnus Sauone, oppido Alpino, præda deposita, & decem longis nauibus in statione ad præsidium relictis - - - ipse, societate cum Ingaunis composita, montanos instituit oppugnare.* Aptum *Sauonis* nomen, vt inde *Sauona* ducatur, sicut a *Narbo, Narbona*; a *Salo, Salona*: sed *Sauona* ad mare est, *Sauo*, oppidum Alpinum. Intus ergo *Sauo* situs fuit, reductus quodammodo a mari, quo etiam *Sabata* reducenda videntur, quorum nullam mentionem faciunt qui Liguriæ litoralia exponunt. An ergo idem Sauo & Sabata? non habeo, quo negem; nec quo adfirmem pertinacius. Commune priori parte nomen *Sau* & *Sab*, quia B & V sæpissime permutantur. Sed situs Sauonæ turbat. An Sauo potuit intus esse, postea euersus, mutata sede, vt sæpe fit, restitui, & ad mare transferri, traducto vna nomine? Sic coniicere licet: certo definiri vix potest. Ceterum *Sabata* vix alius, quam Strabo & Ptolemæus memorauit: iste lib. IV pag. 139 dixit, στάδιοί εἰσι μεταξὺ Γενούας καὶ Σαββάτων σ' πρὸς τοῖς ξ', *inter Genuam & Sabata* CCLX *stadia sunt*: Et, τὸ Ἀπέννινον ἀπὸ Γενούας, αἱ δὲ Ἄλπεις ἀπὸ τῶν Σαββάτων ἔχουσι τὴν ἀρχὴν, *Apenninus a Genua, Alpes a Sabatis initium habent.* Antonini itinere ab Roma per

ma per Tusciam via Aurelia Arelatum, transpositi numeri, ita restituendi videntur:

Vadis Sabbatiis
Pollupicem M. P. VIII
Albingaunum M. P. XII.

Ceterum *Vada Sabatia* nobiliora quondam, quam ipsa *Sabata*, etiam a pluribus, vt supra vidimus, commemorata, Strabone, Plinio, Bruto, Mela, Antonino, & auctore Peutingerianæ: quibus Capitolinum addo, de Pertinace cap. IX dicentem, *Auaritiæ suspicione priuatus non caruit, quum apud Vada Sabatia, oppressis fœnore possessoribus, latius suos teneret fines.*

Proximum in litore oppidum *Genua* est, ἐμπορεῖον Λιγύων, *Ligurum emporium*, vt Strabo vocat, qui & verbis antea productis distantiam a Sabatis definiuit. Liuii testimonium supra vidimus: addo eiusdem alia. Lib. XXI cap. XXXII *P. Scipio cum admodum exiguis copiis Genuam repetit.* & lib. XXIX cap. V *Naues, quæ ab Carthagine ad Magonem missæ erant, inter Albingaunos Ligures, Genuamque accesserunt.* De Plinio & Mela etiam antea dictum est. Ptolemæo quoque est Γενύα, *Genua.* In Tabula vetere ænea ciues dicuntur GENVATEIS apud Gruter. pag. 204. Plinius præponit flumen *Porciferam*, sed incognitum aliis: nisi quod Holstenius pag. 9 in Cluuerium, ex ænea antiqua tabella, quam etiam Gruterus pag. 204 descripsit, huc FLOVIVM PROCOBERAM agri Genuatis, quasi eumdem, qui in Plinii libris *Porcifera* scriptus est, adlegat. Quem vero Plinius *Feritorem* fluuium vocat, Cluuerio videtur ille esse, qui sub ipsis vrbis mœnibus ad orientem versus defluit, *Bisagno* nunc vulgo dictus. Ptolemæi autem *Entella* amnis vlterior est, inter Delphini portum & Tiguliam, qui vulgo adpellatur *Lauagna.*

In reliquo litore Liguriæ post Genuam est Tabulæ *Ricina*, nunc forte vicus *Recco*: & Plinii *Portus Delphini*, quem *Delphinos* Antoninus vocat: nunc corrupto nomine *Porto Fino*. Quæ vero de *Tigulia* & *Segesta Tiguliorum* in Plinii enarratione sequuntur, quarum illa intus sit, hæc in ora & litore; earum situm sollicitat Cluuerius, vt Tiguliam malit ad mare locari, Segestam vero intus ad duo millia, vbi rudera antiquæ vrbis adpareant. Inductus ad permutationem est Ptolemæi auctoritate, qui Τιγούλλιαν, *Tigulliam*

in litoralibus recenset. At exactissimus vir, Lucas Holstenius, potiorem fidem Itinerariis antiquis habendam censet, quæ in ipsa via Aurelia *Tigullam*, siue vt Aldus scripsit *Tecolatam*; vt Schottus, *Tegulatam* commemorant: *Segestæ* autem positio litoralis in ora maritima recenseatur, quo tempore vterque adhuc locus exstitisse videtur, vt nominum permutatio a Plinio, vel describente, non potuerit fieri. Vtrumque enim iter, terrestre & maritimum, quæ Antonino tribuuntur, Plinianæ narrationi consonant. In cuius summi viri iudicio, tam firmis rationibus innixo, adquiescimus, & *Segestam Tiguliorum* illud esse oppidum, quod *Sestri* hodie vocatur, persuasi sumus: *Tigulliam* vero ad rudera illa interiora in viam Aureliam remouemus.

Succedit proxime locus in Tabula Peutingeri *Ad Monilia*, quod hodiernam *Moneglium* esse, ipsum nomen clarissime ostendit. Qui vero in maritimo Itinerario *Portus Veneris* memoratur, etiam nunc veteri nomine clarus est, ad occidentale latus sinus, siue ipsius Portus Lunensis, haud longe ab ostio fluminis *Macræ*, qui terminus est Liguriæ. Ipsa autem vrbs *Luna* trans flumen fuit in solo Etruriæ, vbi ruinæ eius de veteri loco testantur. Strabo lib. v pag. 153 ἡ μὲν Λοῦνα πόλις ἐστὶ καὶ λιμήν, *Luna & vrbs est & portus*, sed interfluente Macra. Liuius distincte de vtroque lib. XXXIV cap. VIII *M. Porcius consul ad Lunæ Portum profectus:* & lib. XXXIX cap. XXI *Litteris de morte proprætoris recitatis, senatus censuit mittendum, qui ad Lunæ portum C. Calpurnium prætorem consequeretur.* De oppido autem lib. XLI cap. XIX *qui Lunam Pisasque depopulati erant:* & lib. XLIII cap. IX *exercitu in hiberna Lunam & Pisas deducto.* Vrbs non magna fuit, vt Strabo refert: portus autem μέγιστος καὶ κάλλιστος, *capacissimus & pulcherrimus*, plures includens portus, omnes ἀγχιβαθεῖς, *prope litus profundos.* Silius Italicus lib. VIII vers. 481

Tunc quos a niueis exegit Luna metallis
Insignis portu, quo non spatiosior alter
Innumeras cepisse rates, & claudere pontum.

Iuxta portum *Promontorium Lunæ* est, cuius Ptolemæus meminit, sed loco alieno in Etruria, quum ad dextram Macræ exeuntis ripam procurrat.

Medi-

Mediterraneæ Liguriæ Ptolemæus dat quinque oppida *Sabata, Polentiam, Astam* coloniam, *Albam Pompeiam*, & *Libarnam*. Plinius addit plura lib. III cap. V, quorum præcipua sunt *Dertona* colonia, quam perperam Ptolemæus in Taurinis scripserat; *Forum Fului*, & *Aquæ Statiellorum*. Augustam enim Vagiennorum in Alpinis supra contemplati sumus. Proximus Vagiennis est amnis *Tanarus*, vt Plinius ait lib. III cap. XVI, *Apennini latere iactus;* ad quem, vbi Sturam recipit, *Pollentia* sita est, quæ secundum Plinium etiam *Carrea*, item *Potentia* cognominatur, Harduino interprete: Cluuerius autem incidit post *Pollentia*, vt *Carrea*, cognomine *Potentia*, sit oppidum separatum. D. Brutus Ciceroni lib. XI epist. XIII de Ventidianis militibus, cum Antonio coniunctis, *orare cœperunt*, vt *Pollentiam iter facerent.* Et mox: *hora antea præsidium meum Pollentiam venit, quam Trebellius cum equitibus.* Ptolemæo est Πολεντία. Inde dicti *Pollentini* incolæ. Suetonius Tib. cap. XXXVII *Quum Pollentina plebs funus cuiusdam primipilaris non prius ex foro misisset, quam extorta pecunia per vim heredibus ad gladiatorium munus: cohortem ab vrbe, & aliam a Cottii regno, dissimulata itineris caussa, detectis repente armis, concinentibusque signis per diuersas portas in oppidum immisit, ac partem maiorem plebis ac decurionum in perpetua vincula coniecit.* Quod decuriones habuit, argumento est, municipium fuisse non nullius dignitatis. Laudatur a copia nigri velleris. Plinius lib. VIII cap. XLVIII [Lanas] *nigri velleris præcipuas habet Pollentia iuxta Alpes.* Posteriori æuo, insigni clade polluta fuit Pollentia, Romanorum magis Stilicone duce, quam Gothorum sub Alarico, de qua chronicorum scriptores Prosper Aquitanus & Aurelius Cassiodorus, Arcadio & Honorio quintum consulibus, vt de prælio illo adulatorie magis quam vere scripserit Claudianus Bello Get vers. 635

O celebranda mihi cunctis Pollentia sæclis!
O meritum nomen felicibus apta triumphis!

Hodieque, quamuis exigua, *Polenza* vocatur, vt de situ dubitare non liceat.

Supra Pollentiam ad idem flumen *Ceba* fuit nunc Ceua, vnde Plinius *Cebanum ex Liguria* caseum laudat lib. XI cap. XLII: infra autem, ad id flumen est *Alba Pompeia*, Plinio sic & Ptolemæo nominata, & in Tabula Peutingeri repetita: patria Pertinacis au-

gusti, qui, vt Xiphilinus ex Dione excerpsit, fuit Λίγυς ἐξ Ἄλβης Πομπηίας, *Ligur ex Alba Pompeia.* Colonia fuit, aut a Pompeio Magno deducta, aut ab eodem instaurata, quum antea a Scipione deducta fuisset. In veteri lapide, quem Sponius Misc. Erud. Antiq. p. 163 descripsit:

P. CORNELIO P. F. L. N. AFRICANO
ET CN. POMPEIO MAGNO CN. F. SEX. N.
ALBAE INSTAVRAT. S. P. Q. CERIALIS D.

Ceriale autem, vel *Cereale* nunc, oppidum territorii Albensis, vbi hic lapis visitur. Et alio, in Augusta Taurinorum, pag. 164

PRAEF. COH. BREVCOT. MVNICIPIO SVO
ALBA POMPEIA PATRONO COLONIARVM
MVNICIPIORVM ALBAE POMPEIAE
AVG. BAGIENNORVM .....
...ENS. GENVENS. AQVENS. STATIEL.

Oppidani, *Albenses Pompeiani.* Plinius lib. XVII cap. IV *in Albensium Pompeianorum agro.* Et veteri lapide apud Gruter. p. 484 ALB. POMPEIANORVM. Hodie *Alba* vocatur sine cognomine. Infra Albam, ad idem flumen, in sinistra ripa, vbi minorem fluvium, *Vrbem* dictum, accipit, *Asta* est, quæ nomen seruat, nunc quoque ampla & munitionibus illustris, *Asti* ab Italis vocata. Romana colonia fuit. Ptolemæus in Liguria mediterranea Ἄστα κολώνια, *Asta colonia:* Plinius lib. III cap. V *Alba Pompeia, Asta, Aquæ Statiellorum.* Corrupte in Tabula *Hasia*, quasi *Hasta* cum adspiratione, XVI millibus a Pollentia. Oppidani *Astenses*, vti ab Hispaniæ quoque Asta adpellantur in Hirtii bello Hispaniensi: & ipsa vrbs Ligurum *Astensis ciuitas*, a Paullo Diaco Langob. IV cap. XLII. *Vrbs* vel *Vrbis*, nunc Orba, fluuius minor apud Astam, memoratur a Claudiano de Bello Get. vers. 554

Ligurum regione suprema
Peruenit ad fluuium miri cognominis Vrbem.

Hinc in ortum paullo colebant STATIELLI siue STATIELLATES. Liuius lib. XLII cap. VII *In Liguribus in agro Statiellati pugnatum ad oppidum Carystum:* & cap. VIII *Atrox res visa senatui, Statiellates, qui vni ex Ligurum gente non tulissent arma aduersus Romanos, - - - omni vltimæ crudelitatis exemplo laceratos & deletos esse.* Et cap. XXI eiusdem libri: *Aucta inuidia est Popillii litteris eius,*

ris eius, quibus iterum cum Statiellatibus Liguribus proconsul pugnasse se scripsit. Et interiectis paucis: *Sanciebatur, vt qui ex Statiellis deditis in libertatem restitutus ante calendas Sextiles primas non esset, cuius dolo malo is in seruitutem venisset, vt iuratus senatus decerneret, qui eam rem quaereret, animaduerteretque.* Horum oppidum ad Bormiam fluuium erant *Aquae Statiellae*, siue *Statiellorum;* nunc, ne de loco dubites, *Acqui* dictae. Plinius lib. III cap. V *Aqua Statiellorum:* & lib. XXXI cap. II *Augent* [aquae] *numerum deorum nominibus variis, vrbesque condunt, sicut Puteolos in Campania, Statiellas in Liguria, Sextias in Narbonensi prouincia.* Oppidani *Statiellenses.* D. Brutus Ciceroni lib. XI epist. XI extrema: *ex castris, finibus Statiellensium.* Inscriptione modo prolata, AQVENS. STATIEL. ex qua etiam adparebat, municipium Aquas Statiellas fuisse. Oppidum *Carystum* siue *Caristum*, quod Liuius in Statiellate agro cap. VII posuit, non restat, nisi vestigia eius in vico Carso, qui in via, a Genua Dertonam ferente, est, superesse existimes.

Ad Padum vsque Ligures habitarunt, sub quo flumine ipsis Plinius tribuit *Forum Fuluii*, cognomine *Valentinum*, ex quo conjicitur, in Valenza, Mediolanensis Ducatus oppido, *Forum Fuluii* latitare, id quod distantia XXII M. P. a Dertona, quae in Tabula Peutingeri est, comprobatur. Supra quod Forum, iuxta eumdem fluuium, *Industria* oppidum fuit, quod Ligures a flumine *Bodincomagum* adpellabant, in quo loco creditur nunc Casale esse, nupero bello recuperatum. Plinius lib. III cap. V *Industriam* in Liguriae oppidis numerat mediterraneis. Et cap. XVI extremo de Pado: *Ligurum lingua amnem ipsum Bodincum vocari* [Metrodorus Scepsius dicit] *quod significet fundo carentem. Cui argumento adest oppidum iuxta, Industria, vetusto nomine Bodincomagum, vbi praecipua altitudo incipit.* In Romano lapide, quem Gruterus pag. 555 num. 7 refert, est DOMO BODINCOMAGVS: & in alio Montisferratensis agri, p. 431 n. 5

T. LOLLIVS T. LOLLII MASCVLVS
IIII VIR BONDICOMENSIS

quasi etiam *Bondicomum* id oppidum adpellauerint, nisi incisoris culpa syllaba praetermissa fuit. Vtroque modo autem *Bondincomagus* & *Bodincomagus* libri habent, vt propterea inscriptio non suspecta

ſpecta fieri poſſit, quam contra Cluuerii dubitationem Lucas Holſtenius, vir accuratiſſimus, tuetur.

Hæc intra Padum & Tanarum: citra hunc *Dertona* colonia, cum *Iuliæ* cognomento: nunc *Tortona*. Plinius lib. III cap. V de hoc tractu: *omnia nobilibus oppidis nitent; Libarna, Dertona colonia, Iria*, & reliquis. Et Paterculus lib. I cap. XV in coloniis Romanis numerat, licet ambigat de tempore deductionis. In lapide vetuſto apud Grut. p. 487 n. 6

ORIVNDO EX ITAL. IVL. DERTONA.

Quo nummum Tiberii Harduinus refert, ſignatum C. I. A. D. quod legit, *Colonia Iulia Auguſta Dertona*: quem Vaillantius ad Hiſpaniæ Dertoſam transmittendum eſſe contendit. Itinerariis etiam *Dertona*, & Ptolemæo Δερτῶνα, Latinorum forma, ſed male in Taurinis collocata. Græcis aliis ὁ Δέρτων, vt Stephani Byzantii breuiator ſcripſit: vel Δερθὼν, vt Strabo lib. V pag. 150. Fluuius qui adluit, & paullo inferius Pado miſcetur, vulgo creditur *Iria* eſſe. at, quia oppidum *Iria* a Dertona X millibus in ortum remotum eſt, quod etiam amne quodam adfunditur; ille potius *Iria* cenſendus eſt, non, qui Dertonam præterlabitur. Iornandes de Reb. Get. cap. XLV alteram ſententiam induxerat: *Dertonæ iuxta fluuium Ira cognomento occiditur*. At ſemibarbaro ſcriptori *Dertona* eſt *in agro Dertonenſi*. Antoninus itinere ab Arimino Dertonam:

Placentia	—	—	—
Camillomagum	M.	P.	XXV
Iriam	M.	P.	XVI
Dertonam	M.	P.	X.

Supra Dertonam, Montes verſus *Libarna* eſt Plinii & Ptolemæi; *Libarnum* Antonini & Tabulæ, media via inter Genuam & Dertonam. De *Iria* eiusque ſitu, modo aliquid diximus, X millibus diſtare a Dertona, Placentiam verſus. Et hanc quoque Ptolemæus male in Taurinis poſuit. Hodie *Voghera* eſt. Quod interiacet in Itinerario *Comillomagum*, oppidum, in Tabula eſt *Cameliomagum*, de quo nihil certi iudicare licet, ſicut neque de *Barderate* Plinii.

Finiri heic per *Iriam* fluuium Liguria poſſit, niſi Liuius longius videatur in ortum eius limitem produxiſſe lib. XXXII cap. XXIX. *Q. Minucius*, inquit, *in læua Italia ad inferum mare flexit*

xit iter: Genuamque exercitu abducto, ab Liguribus orsus est bellum. Oppida Clastidium & Litubium, vtraque Ligurum, & duæ gentis eiusdem ciuitates, Celelates, Cerdiciatesque, se se dediderunt. Et iam omnia cis Padum, præter Gallorum Boios, Iluates Ligurum, sub ditione erant. quindecim oppida, hominum viginti millia esse dicebantur, quæ se dediderant. Quod si Ligurum oppida fuerunt *Clastidium* & *Litubium*, vt Liuius ait; & Clastidium in loco vici Chiastezo siue Chiasteggio fuit, vt Cluuerius & alii ex nominis adfinitate iudicant; videtur vtique Liguriæ sub Pado terminus trans Iriam amnem protrahendus, quem Cluuerius vsque ad flumen Tidonem, quod proximum est Trebiæ, producit. De loco, minus est quod dubitemus: de Liguriæ autem extensione omnino. Nam Clastidium, quod heic *oppidum* vocatur, *vicus* est lib. XXI cap. XLVIII, etiam Plutarcho κώμη, *vicus*, quamuis Polybio lib. II cap. XXXIV, & lib. III cap. LXIX πόλις, *oppidum.* Etsi enim diuersi de conditione huius loci dissentiant: verisimile tamen non est, a se ipso Liuium dissentire. Præter id Liuius lib. XXI cap. LVIII principio, & lib. XXVII cap. XLIX, & alibi, Gallos Cisalpinos a Liguribus distinxit, quæ verba supra protulimus; & clarius lib. XXXIX cap. II *Pacatis Liguribus, in agrum Gallicum exercitum duxit:* idem vero Clastidium dixit *in Gallia* esse lib. XXIX cap. XI extremo. *Aedem Virtutis M. Marcellus dedicauit septimo decimo anno post, quam a patre eius vota in Gallia ad Clastidium fuerat.* Et ipso libro XXXII, quo Ligurum esse dixerat, post paullo cap. XXXI videtur, etiam Sigonii iudicio, Gallorum solo tribuere, vbi incensum esse scribit; & a Liguria separare. Plutarchus quoque Clastidium diserte vocat Γαλατικὴν κώμην, *Gallicum vicum*, Vita Marcelli pag. 300. Quæ omnia eiusmodi sunt, vt non sine caussa Carolus Sigonius de Liuii loco, quo Ligurum dixit esse oppidum, dubitauerit, suspicatus, forte *Carislum* aut aliud scriptum a Liuio fuisse. De *Litubio*, quod cum Clastidio Liuius memorauit, isque solus; æque dubia res est: quia, quem locum adsignat Cluuerius, a loco Clastidii Ligustini pendet, qui si incertus est, aut lectio suspecta, non certior sedes erit *Litubii*, quod nunc Ritorbio dici existimat, idque nomen cum velis *Ritouinis, in vicino Padi & Ticini* factis, quæ Plinius laudat lib. XIX cap. I, componit, quasi *Ritobium* & ipse Liuius scripserit. Incertiores

riores sunt ciuitates siue populi Ligurum *Celelates* & *Cerdiciates*, lib. XXXII cap. XXIX; & *Iluates*, ibidem, & lib. XXXI cap. X: nec iis sic sedes adsignari possunt vt *Ingaunis*, *Intemeliis*, aut aliis iuxta mare: aut iis qui in Alpibus habitabant.

GALLIA CISPADANA.

A Liguribus ad eos populos accedimus, quos *Gallos* Romani adpellabant, regum Romanorum temporibus transgressos Alpes in Italiam. Hos autem secabat Padus fluuius, cui qui propiores vtrimque colebant, *Circumpadani* dicebantur. Liuius lib. XXI cap. XXXV de Hannibale: *Italiam ostentat, subiectosque Alpinis montibus Circumpadanos campos*: & Plinius lib. XIV cap. XX *musta Circumpadana*. Hi ad vtramque ripam, & amplius. Alterutrimque etiam Padus denominabat Gallos specialius, hinc Cispadanos; quos vel simpliciter *Gallos*, vel *Gallos* proprie *Togatos* postea dixerunt, quia citius in leges Romanas, quam qui trans Padum erant, concesserunt: illinc Transpadanos, qui longius in Illyricum vsque protendebantur. Multa *Transpadanorum* mentio apud Ciceronem, Tacitum, Suetonium, & in antiquis inscriptionibus: ex cuius vocabuli analogia citeriores *Cispadanos*, eorumque regionem *Cispadanam Galliam* adpellamus (nec enim facile exemplum inueneris; saltem non ita frequenter, vt verbi alterius:) de qua nunc proxime agendum est.

Supra diximus, ambiguum sub Pado terminum Liguriæ & Cispadanæ Galliæ esse, quem Cluuerius ad *Tidonem* amnem, qui propinquus est Trebiæ, promouendum censet: nos autem ostendimus, vltra *Iriam*, nihil certum proferri posse, quod indubitato sit Ligurum: idque de *Clastidio*, quod interiacet, in vtramque partem disputatum est, vt tamen Gallis potius, quam Liguribus tribuatur. De quo quæ ex Polybio, Liuio, Plutarcho proferri possunt, attulimus ibidem: addo nunc Strabonem lib. V pag. 150, qui Κλαςίδιον, *Clastidium* inter Ticinum & Dertonam memorat, quorum illud trans Padum est, hæc citra eumdem. Sed cis flumen *Clastidium* fuisse, etiam ex Polybii lib. II cap. XXXIV liquet, vbi Insubres, Acerris relictis, oppugnaturi Clastidium, dicuntur διαβιβάσαντες τὸν Πάδον, *Padum fluuium traiecisse*. Ad illum fluuium, siue *Tidon* est, siue alius, a Cluuerio Phlegon-

tis

tis Tralliani de Longæuis, *πόλις Βελέια*, *oppidum Veleia* ſtatuitur, quod Plinius confirmat lib. VII cap. XLIX. *Circa Placentiam*, inquit, *in collibus oppidum eſt Veleiatium, in quo* CX *annos ſex detulere; quatuor centenos vicenos; vnus* CXL. Veliates ergo oppidani ex Veleia. Et huc uſque Cluuerius Liguriam produxit, de qua prorogatione autem eſt quod dubitemus, vt ſupra pluribus demonſtratum eſt. Quæ ſequuntur, ſunt Galliæ ſine dubitatione, eiusque *Cispadanæ*, quam ſingulari ratione & κατ᾽ ἐξοχὴν, vt aiunt, *Togatam Galliam* Ptolemæus vocat, intra Padum & Apenninum vſque ad Sapim & Rubiconem fluuios procurrentem.

Populi huius Galliæ præcipui nobiliſſimique erant BOII, vbique in Romana hiſtoria memorati: & mare verſus LINGONES, quos Liuius lib. V cap. XXXV, etiam cum Boiis tranſiiſſe Alpes conſediſſeque cis Padum narrat: quibus Polybius lib. II cap. XVII ad Apenninum ANANES adiungit. Τὰ δὲ πέραν, inquit, τοῦ Πάδου τὰ περὶ τὸν Ἀπεννῖνον πρῶτοι μὲν Ἄνανες, μετὰ δὲ τούτους Βοιοὶ κατῴκησαν. ἑξῆς δὲ τούτων ὡς πρὸς τὴν Ἀδρίαν, Αἴγωνες· τὰ δὲ τελευταῖα πρὸς θαλάττῃ, Σήνωνες. *Vltra Padum, circa Apenninum primi Ananes occurrunt; deinde Boii: poſt iſtos Hadriam verſus Aegones: poſtremi omnium ad mare Senones.* Noti Senones Romano bello & mutua clade: *Aegones* & *Ananes* obſcuriſſimi, nec ex quibus plagis Transalpinæ profecti ſint, conſtat. *Senones* autem maiorem partem, ſi non omnem, in Vmbria, extra limitem noſtrum habitarunt, quorum regionem poſtea Romani in propria Italia, exſtinctis Senonibus, cenſuerunt. Sed ad principium, vnde digreſſi ſumus, reuertimur.

Primum occurrit fluuius *Trebia*, ex Apennino in Padum apud Placentiam decurrens, inde *Placentinus* cognominatus Plinio lib. III cap. XVI. *Padus*, inquit, XXX *flumina in mare Hadriaticum defert: Celeberrima ex iis, Apennini latere iactum, Tanarum; Trebiam Placentinum; Tarum, Niciam, Gabellum, Scultennam, Rhenum.* Nobilitatus clade Romanorum Punico II bello, in quo eius a Polybio lib. III cap. LXVIII ſeqq. Liuio lib. XXI cap. LI, Floro lib. II cap. VI, Eutropio lib. III cap. IV, facta mentio eſt. Præterea Strabo lib. V pag. 150 κατὰ Πλακεντίαν ὁ Τρεβίας συμβάλλων τῷ Πάδῳ, *iuxta Placentiam Trebias incidit in Padum.* Et Silius lib. III verſ. 575

Tum Trebia infauſto noua prœlia gurgite feſſis
Inchoat, & precibus Iunonis ſuſcitat vndas.

Quæ adiacet *Placentia*, antiqua colonia fuit, metu Punici belli condita. Polybius lib. III cap. XL *Nuntiato, iam Iberum transiisse Hannibalem, dilectus habent, & cetera expediunt bello necessaria, & prius institutum de coloniis in Galliam deducendis perfecturi, oppida muniunt, & colonos ad suas colonias proficisci iubent.* ὧν μὲν μίαν ἐκτίζον ἐπὶ τάδε τοῦ Πάδου ποταμοῦ, προσαγορεύσαντες Πλακεντίαν· τὴν δ᾽ ἄλλην ἐπὶ θάτερα, κατονομάσαντες Κρεμώνην. *Harum alteram cis Padum condebant, cui nomen fecerunt Placentiæ: alteram trans Padum, quæ dicta est Cremona.* Id quod epitoma Liuii XX sic breuiter narratur: *Coloniæ deductæ in agro de Gallis capto Placentia & Cremona.* Et Velleius Paterculus lib. I cap. XIV *Sub aduentum in Italiam Hannibalis Cremona atque Placentia*, puta, deductæ sunt coloniæ. Post, vt multæ aliæ, ius municipii quoque accepit. Cicero in Pison. cap. XXIII *O familiæ, non dicam Calpurniæ, sed Caluentiæ: neque huius vrbis, sed Placentini municipii!* Et in fragmento eiusdem orationis apud Asconium itidem *municipium* vocauit, *de se optime meritum.* Et Tacitus lib. II Hist. cap. XIX vocat *coloniam virium & opum validam:* at mox cap. XXI incolas eius *municipale vulgus.*

Circa Placentiam duo emporia fuerunt, a Liuio laudata lib. XXI cap. LVII. *Emporium*, inquit, *prope Placentiam fuit, & opere magno munitum, & valido firmatum præsidio. eius castelli expugnandi spe cum equitibus ac leui armatura profectus Hannibal.* Tam propinquum autem fuit, *vt clamor* eius tumultus *Placentiæ quoque audiretur.* Inde reiectus Hannibal a consule, *ad Victumulas ire pergit oppugnandas. Id emporium a Romanis Gallico bello fuerat munitum.* Hoc deditione cepit Hannibal, & diripuit.

A Placentia ad Ariminum noua via strata fuit ab Aemilio Lepido, quæ *Aemilia* vocata *via.* Liuius lib. XXXIX cap. II *Aemilius viam ab Placentia, vt Flaminiæ committeret, Ariminum perduxit.* Duæ autem secundum Strabonem lib. V pag. 150, Aemiliæ viæ, Scauri Aemilii alia, quæ per Pisas & Lunam ferebat Dertonam: alia Aemilii Lepidi, διαδεχομένη τὴν Φλαμινίαν, *quæ Flaminiam excipit.* Idem Scaurus, quod ibidem Strabo fertur addidisse, fossam nauigabilem per transuersos amnes a Placentia duxit Parmam, vt paludosa loca exsiccaret. Sic corrupta Strabonis verba emendant partim, partim interpretantur Xylander & Cluuerius, quæ ita in libris habentur: ἀνέψυχε τὰ πεδία ὁ Σκαῦρος

διωρυ-

διωρυχαῖς πλωταῖς, ἀπὸ τοῦ Πάδου μέχρι Παρμησῶν, quod ſecundum litteram eſt, *a Pado ad Parmeſtas.* Xylander vertit *a Placentia Parmam vſque*; quod adprobat Cluuerius, quaſi *Παρμητὰς* geographus ſcripſerit, qui *Parmenſes* ſint; quod dubitat Caſaubonus. Iam impedita adhuc eſt *Foſſa Aemilia*, ab Aemilio Scauro inter Parmam ducta & Placentiam.

Interiacet Parmæ & Placentiæ ad foſſam *Fidentia* in itinerario, quæ itinere a Mediolano per Picenum vocatur *Fidentiola vicus*, XXIIII millibus a Placentia; XV a Parma: & itinere ab Arimino Dertonam, non ſolum *Fidentia*, verum etiam *Florentia* aliqua, quæ Cluuerii tabula eſt *Florentiola*, ſuſpecta & dubia Suritæ. Sed Peutingerianæ quoque Tabulæ *Florentia* inter Placentiam Fidentiamque eſt media, quæ quoquo ſe modo habet, *Fidentia* tamen certiſſima & antiqua eſt eo poſitu, commemorata ab Liuio epitoma LXXXVIII, Velleio lib. II cap. XXVIII, & Plinio lib. III cap. XV. Nam Carbo *circa Fidentiam* ſuperatus fuit a Metello Pio, Syllæ auſpiciis, quod Liuius tradit & Paterculus: Plinius *Fidentinos* in octaua regione ponit, id eſt in Ciſpadana. Itinerariorum rationes in locum referunt, qui nunc *Burgo di San Domnino* dicitur. S. Domninus autem in Martyrologio Romano a. d. VII idus Octob. dicitur ſupplicium paſſus *apud Iuliam in territorio Parmenſi:* quod ſi iuſtum cognomen eſt, coloniam fuiſſe Fidentiam, auſpiciis Iulii vel Auguſti Cæſaris deductam, probabile eſt. Subiacet in auſtrum, ad Tari & Ceui confluentes, locus qui nunc *Fornouo* dicitur, quod nomen documento eſt, & heic *Forum Nouum* exſtitiſſe. Inſcriptio vetus apud Grut. p. 492 n. 5

PATR. COL. IVL. AVG. PARM
PATR. MVNICIPIORVM FORODRVENT. ET FORO
NOVANORVM.

Nunc ad nobilem vrbem *Parmam*, quo iam ante Aemilia nos ducebat, progredimur, antiquam coloniam, nec minore noſtris temporibus claritate. Colonia facta cum Mutina. Liuius lib. XXXIX cap. LV *Eodem anno* [quo Aquileia] *Mutina & Parma coloniæ Romanorum ciuium ſunt deductæ. bina millia hominum in agro, qui proxime Boiorum, ante Tuſcorum fuerat, octona iugera Parmæ, quina Mutinæ acceperunt.* Auxit ornauitque coloniam Auguſtus Cæſar: a quo IVLIAE AVGVSTAE cognomen in mo-

do producta inscriptione accepit. Qui incolebant, Cicero Philipp. XIV cap. III vocat *optimos viros, honestissimosque homines, maxime cum auctoritate huius* [senatorii] *ordinis, populique Romani dignitate coniunctos*. Deplorat ibidem *Parmensem calamitatem*, a L. Antonio bello Mutinensi acceptam. Lanam Parmensis agri Martialis laudat multis locis, e quibus satis sit libri XIV epigramma CLV repetiisse, cui titulus LANAE ALBAE præscriptus:

Velleribus primis Apulia, Parma secundis
Nobilis: Altinum tertia laudat ouis.

Nomen vrbis haud dubie est ab interfluente amne *Parma:* cuius nescio an in antiquis monimentis supersit quædam memoria, nisi quod illa ex Theodosiano æuo Tabula itineraria corrupte in hoc tractu habet *Fl. Paala.*

Eadem Tabula, & Antonini, quod dicitur, Itinerarium inter Parmam & Mutinam *Tannetum* oppidum siue vicum tenent, quod etiam nunc Tanedo adpellatur. Polybius lib. III cap. XL in Boiis memorat τὴν Τάνητος καλουμένην κώμην, *Tanetis ita dictum vicum*: & Liuius lib. XXX cap. XIX dicit, *qui ad vicum Tanetum a Boiis capti fuerant.* Plinius lib. III cap. XV in octaua regione, quæ Cispadana est, *Tanetanos* recenset: & Ptolemæus in Togata Τάνητον, *Tanetum.* Ordo talis est itinere ab Arimino Dertonam:

Bononia	—	—	—	
Mutinam	M.	P.	XXV	
Regium	M.	P.	XVIII	
Tannetum	M.	P.	X	
Parmam	M.	P.	IX	
Fidentiam	M.	P.	XV	
Florentiam	M.	P.	X	(Florentiolam)
Placentiam	M.	P.	XV.	

Hinc ad Padum rursus descendimus, ad cuius & alterius fluminis, quod Plinii *Nicia*, Tabulæ *Nigella* videtur, situm confluentes est *Brixellum*, nunc Bersello, siue Brescello, quod Plinius dicto loco in coloniis numerat. Et Ptolemæus in Togata vocat Βρίξελλον, *Brixellum.* Fatale fuit Othoni imperatori, qui heic vim vitæ suæ intulit, rebus ad Bedriacum inprospere gestis. Suetonius cap. IX *Nec illi pugnæ adfuit, substititque Brixelli.* Tacitus Hist. II cap. XXXIX

XXXIX *Profecto Brixellum Othone*, ibi (cap. XLVI) *opperiebatur nuntium pugnæ.* Infra Brixellum ad eumdem Padum est *Nuceria*, Ptolemæi Νουκερία, nec forsan ab alio veterum scriptorum memorata: nunc mutata littera, Lucera siue Luzara.

Clarius est, quod intus recedit, *Regium Lepidi*, siue *Regium Lepidi*, aut simpliciter *Regium*, quod Cluuerius vocat, nescio quo auctore, *Forum Lepidi.* Situm in via Aemilia, nomen ferens ab Aemilio Lepido, qui cum C. Flaminio consul fuit. Vnde autem cognomen vel nomen *Regium*, incertum plane & obscurum est. Cicero lib. XII epist. V ad Cassium: *Præter Bononiam, Regium Lepidi, Parmam, totam Galliam tenebamus studiosissimam reipublicæ.* Et Brutus ad Ciceronem lib. XI epist. IX extr. III *Kal. Maii ex castris Regii.* Ptolemæus in Togata prouincia: Ῥήγιον Λεπίδιον κολωνία, *Regium Lepidium* (seu potius *Lepidum*) *colonia.* Sic enim est emendandum ex Strabone, qui æque, vt Latini, Ῥήγιον Λέπιδον lib. V pag. 150 adpellauit. Plinio lib. III cap. XV sunt *Regienses a Lepido.* Tacitus lib. II Hist. cap. L *Die quo Bedriaci certabatur, auem inusitata specie apud Regium Lepidum celebri luco consedisse incolæ memorant.* In Peutingeriana Tabula *Lepido Regio* scriptum exstat: ceteri posteriores tantum *Regii* nomen agnoscunt, vt paullo ante ex Antonini itinere vidimus. Orosius quoque lib. V cap. XXII de tumultu, post Syllæ mortem a Lepido consule concitato, *Brutus in Cisalpinam Galliam fugiens, persequente Pompeio, apud Regium interfectus est.* Hodie vocatur Reggio.

Excipit Plinii flumen *Gabellum*, cui oppidulum, a Strabone Μακροὶ Κάμποι, *Macri Campi*, vocatum, adpositum est. Liuius etiam videtur oppidi nomen facere. Lib. XLI cap. XVIII *Consul litteras ad C. Claudium misit, vt cum exercitu ad se in Galliam veniret: Campis Macris se eum exspectaturum.* Et lib. XLV cap. XII *Profectus in Galliam, circa Macros Campos, ad montes Siciminam & Papinum, statiua habuit.* Columellæ autem lib. VII cap. II sunt campi circa Parmam atque Mutinam. *Oues*, inquit, *quæ circa Parmam & Mutinam Macris stabulantur campis.* Atque sic etiam Varro R. R. præfatione libri II, *in Campos Macros.*

Inter *Gabellum* & *Scultennam* amnes, ad Aemiliam viam, nobilis vrbs est *Mutina*, colonia ciuium Romanorum, cuius deductionem supra in *Parma* vidimus, quia eodem anno sunt conditæ,

vt Liuius refert lib. XXXIX cap. LV. Polybius Μοτίνη scripsit lib. III cap. XL; Strabo p. 150 Μουτίνη; Ptolemæus Μούτινα, Latino more. Cicero Philipp. V cap. IX [Antonius] *circumsedit Mutinam, firmissimam & splendidissimam populi Romani coloniam.* Tacitus lib. I Hist. cap. L *Pharsaliam, Philippos, & Perusiam ac Mutinam, nota publicarum cladium nomina, loquebantur.* Plura apud Ciceronem & historicos in bello Mutinensi. Silius lib. VIII vers. 592

Certauit Mutinæ quassata Placentia bello.

Et Lucanus lib. I Pharsal. vers. 41

His, Cæsar, Perusina fames, Mutinæque labores
Accedant fatis.

Inter eosdem fluuios, Gabellum & Scultennam, sed supra Mutinam, ad montem Apenninum versus, *Mutilum* castrum est. Liuius lib. XXXIII cap. XXXVII *L. Furius Purpureo, alter consul, per tribum Sappiniam in Boios venit. Iam castro Mutilo adpropinquabat, quum veritus, ne intercluderetur simul a Boiis Liguribusque, eadem via, qua adduxerat, reduxit.* Etiam nunc vocatur Médolo, situmque supra Mutinam in radicibus Apennini. Paullo infra hoc castellum Cluuerius ad Gabellum ponit *Saltum Gallianum,* quasi oppidum a Plinio lib. III cap. XV notatum: verum Harduinus e MSS. legit *Saltes Galliani, qui cognominantur Aquinates.* Non enim oppidorum ibi aut nemorum, sed populorum nomina recensentur. In Aemilia via, prope Scultennam, III millibus a Mutina abest locus *Ad Victoriolas,* in Hierosolymitano Itinerario sub finem designatus: trans flumen in eadem via, VIII M. P. a Mutina, est *Forum Gallorum,* vt Tabula Peutingeri distantiam definiuit. Heic Antonius vicit Pansam, & victus est ab Hirtio. Galba ad Ciceronem lib. X epist. XXX *Audita re Hirtius cum cohortibus viginti veteranis redeunti Antonio in sua castra occurrit, copiasque eius omnes deleuit, fugauitque eodem loco, vbi erat pugnatum, ad Forum Gallorum.* Et Frontinus Strateg. lib. I cap. V exemplo XXXIX *Antonius, apud Forum Gallorum, quum Pansam* COS. *aduentare comperisset, insidiis per siluestria Aemiliæ viæ dispositis, agmen eius excepit fuditque: & ipsum eo vulnere adfecit, quo intra paucos dies exanimaretur.*

Infra Mutinam, intra eosdem amnes, *Gabellum & Scultennam,* itinere Antonini a Verona Bononiam, inter Hostiliam & Mutinam

tinam medio loco, vtrimque XXV M. P. diſtante, ponitur *Colicaria*, oppidum vel vicus, quam inter Mutinam & Mirandulam in vico Rocaglia, itineris tractu monſtrante, quærebat Cluuerius: inferius, Padum verſus, *Oteſia*, vnde *Oteſini* dicti Plinio lib. III cap. XV, & ex Bergomate lapide CVRATOR REIP. OTESINORVM, vt Cluuerius refert p. 282, quod eſt praue ſcriptum ATESINORVM in Gruteri opere p. 396 num. 8. Ad confluentes *Scultennæ* & Padi, oppidum *Padinum* eſt, nunc Bondeno; vnde Plinii *Padinates* ſunt dicto cap. XV. De *Scultenna* autem fluuio præter Plinium lib. III cap. XVI, etiam Liuius lib. XLI cap. XVIII ineunte agit.

Vlteriores fluuii ſunt *Lauinius* & *Rhenus*, in quorum altero *inſula Triumuirorum* eſt, hoc eſt, in qua M. Antonius, M. Lepidus, & Octauianus Cæſar triumuiratum, ſeu poteſtatis ſummæ ſocietatem inierunt. Appianus ineunte lib. IV de B. Ciuili: συνῆεσαν ἀμφὶ Μουτίνην πόλιν ἐς νησῖδα τοῦ Λαβινίου ποταμοῦ βραχεῖάν τε καὶ ὑπτίαν, *congreſſi ſunt* [triumuiri] *circa Mutinam in parua quadam & plana inſula fluuii Labinii.* Cui fragmentum tabulæ in agro Bononienſi repertæ conſentit, qua inſulam triumuirorum dicitur AMNIS LAVINVS ADLATRARE. Sed dudum obſeruarunt docti viri, non eſſe antiquum, quisquis eſt, illius tabulæ auctorem, & ab Appiano accepiſſe, quod de amne Lauino tradidit. Vide Thomæ Reineſii Inſcript. LXVII Claſſis II, cum ſubnotatis. Nec Appianus ſibi conſtat de oppido & amne. Ait *circa Mutinam,* at tamen in *Lauinii inſula* pactos ſocietatem triumuiros fuiſſe. Longe abeſt Lauinius a Mutina; propior vtique Bononiæ: nec tantus, vt inſulam capiat, in cuius medio conferre ſecreta triumuiri potuerint, vt nec in ripa vtrimque ſtantes, neque in pontibus, exaudirent. Sic enim ipſe Appianus de illo colloquio ſcripſit. Relinquitur ergo in *Rheno*, qui maior eſt Lauinio, illam inſulam triumuirorum, & prope Bononiam fuiſſe. Id quod non obſcure Dio Caſſius lib. XLVI ſub finem, confirmat, ἐν νησιδίῳ τινὶ τοῦ ποταμοῦ τοῦ παρὰ τὴν Βονωνίαν παραῤῥέοντος, *in inſula quadam parua illius amnis, qui Bononiam præterlabitur.* Is vero haudquaquam Lauinius eſt, ſed Rhenus, [illegible] Plinius *Bononienſem amnem* dixit lib. XVI cap. XX[illegible] quit,

ſagit-

sagittis aptior calamus, quam in Rheno, Bononiensi amne. Et Silius lib. VIII vers. 600

- - - - - *paruique Bononia Rheni.*

Suetonius quoque Aug. cap. XCVI dicit, *ad Bononiam* triumuirorum copias fuisse contractas : & Plutarchus Cicerone p. 884 ἐγίνοντο αἱ σύνοδοι μόνοις ἀπόῤῥητοι περὶ πόλιν Βονωνίαν ἐφ' ἡμέρας τρεῖς, καὶ συνῄεσαν εἰς τόπον τινὰ πρόσω τῶν στρατοπέδων, ποταμῷ περιῤῥεόμενον, *Colloquuti soli sunt, remotis arbitris, tres dies iuxta vrbem Bononiam. Locus vbi conuenerunt, pro castris erat, amne cinctus.* Tres sic apud Bononiam id factum esse adfirmant, singuli grâues auctores, & Appiano vtique præferendi : quorum consensu probatur, amnicam illam insulam fuisse Rheni, Bononiam præfluentis ; non Lavinii, decurrentis longius ab illa vrbe.

Satis nota vrbs *Bononia*, & vel sola antiquitate commendabilis, olim, quum Tusci tenerent, ante inuasionem Gallorum, *Felsina* vocitata, quod nomen nec deinceps fuit penitus oblitteratum. Plinius lib. III cap. XV *Bononia, Felsina vocitata, quum princeps Etruriæ esset.* Et Liuius lib. XXXIII cap. XXXVII *Dein iunctis exercitibus primum Boiorum agrum vsque ad Felsinam oppidum populantes* [consules] *peragrauerunt.* Nomen autem Bononiæ videtur a Gallis esse, quorum id nominis oppidum etiam in Belgica ad fretum fuit Britannicum. Romani coloniam Latinam eo deduxerunt. Liuius lib. XXXVII cap. LVII *Eodem anno* [IↃLXIII vrbis conditæ] *ante diem tertium Kalendas Ianuarias, Bononiam Latinam coloniam ex SC. L. Valerius Flaccus, M. Atilius Seranus, L. Valerius Tappus triumuiri deduxerunt. Tria millia hominum sunt deducta : equitibus septuagena iugera ; ceteris colonis quinquagena sunt data. Ager captus de Gallis Boiis fuerat : Galli Tuscos expulerant.* Et Velleius Paterculus lib. I cap. XV de eadem : *Cn. Manlio Volsone, M. Fuluio Nobiliore* COSS. *Bononia deducta colonia, abhinc annos ferme* CCXVII. Auxit Octauianus sub initium Actiaci belli, vt Dio refert lib. L pag. 422. Tacito lib. XII cap. LVIII est *Bononiensis colonia.*

Vltra Bononiam in eadem via Aemilia est *Claterna* intervallo X M. P. quod ex itinerario vtroque constat. Cicero Philipp. VIII cap. II *cuius* [Antonii] *præsidium Claterna deiecit Hirtius.* Idem lib. XII epist. V ad Cassium : *Si erupisset* [D. Brutus] *Muti-*

Mutina, nihil belli reliqui fore videbatur. Paruis omnino iam copiis obsidebatur, quod magno præsidio Bononiam tenebat Antonius. Erat autem Claternæ noster Hirtius: ad Forum Cornelii Cæsar, vterque cum firmo exercitu. Plinius lib. III cap. XV post colonias Cispadanæ enumeratas: *oppida, Cæsena, Claterna,* & reliqua. Ptolemæi quoque in Togata Κλατέρνα est.

Antequam Boios deseramus, in Lingonum Gallorum sedem transituri, de *Litana silua* aliquid dicendum est. In Boiis fuisse, ex Liuio notum est: quo loco aut regione, incertum. L. Postumius Albinus in ea a Boiis cæsus. Lib. XXIII cap. XXIV *Silua erat vasta (Litanam Galli vocant) qua exercitum traducturus erat - - - - caput ducis præcisum Boii ouantes templo, quod sanctissimum est apud eos, intulere.* Et lib. XXXIV cap. XXII *L. Valerius Flaccus in Gallia cum Boiorum manu propter Litanam siluam signis collatis secundo prœlio conflixit.* Hic vltus est superiorem cladem, quam etiam Frontinus lib. I cap. VI strateg. IV descripsit. *Boii,* inquit, *in silua Litana succiderant arbores.* Holstenius in Cluv. Ital. p. 15 coniicit fuisse supra fontes Scultennæ in iugo Apennini inter Cerfinianum & Mutinam.

Post Claternam *Forum Cornelii* est, Ciceronis epistola modo memoratum: Straboni Φόρον Κορνήλιον: Ptolemæo Φόρος Κορνηλίε. Martialis lib. III epigr. IV

Romam vade, liber. Si, veneris vnde, requiret;
Aemiliæ dices de regione viæ.
Si quibus in terris, qua simus in vrbe, rogabit;
Corneli referas me, licet, esse Foro.

Opus Cornelii Sullæ esse, Prudentius hymno IX de passione Cassiani Forocorneliensis in principio testatur:

Sulla Forum statuit Cornelius: hoc Itali vrbem
Vocitant ab ipso conditoris nomine.

Et vetusto lapide apud Spon. Miscell. p. 185 IIIIII VIRO FORO CORNELI. Hodie *Imola* id oppidum vocatur, quod non solum itinerariorum rationes probant, verum etiam Paullus Warnefridi lib. II Langobard. cap. XVIII aperte & nominatim declarauit. *Aemilia,* inquit, *locupletibus vrbibus decoratur: Placentia scilicet,*

Parmaque, Regio, & Bononia, Corneliique Foro, cuius castrum Imolas adpellatur. Oppidani FOROCORNELIENSES in veteri lapide apud Holstenium in Cluv. pag. 15.

Post, eodem tractu, sequitur *Fauentia*, nunc Faenza, vnde Plinio *Fauentini* incolæ eius oppidi nominantur. Sullano bello memorabilis facta *Fauentia*, quod ad illam etiam pugnatum fuit. Epitoma Liuii LXXXVIII *Sulla Carbonem, exercitu eius ad Clusium, ad Fauentiam Fidentiamque caeso, Italia expulit.* Et Velleius lib. II cap. XXVIII *magnificis prœliis partium eius viri hostium exercitum fuderant: duo Seruilii apud Clusium, Metellus Pius apud Fauentiam, M. Lucullus circa Fidentiam.* Silius Italicus lib. VIII vers. 596

- - - - - - - vndique sollers
Arua coronantem nutrire Fauentia pinum.

Inde pergitur *Solonam*, quæ hodie Citta di Sole est, in sinistra *Vtentis* ripa. Inscriptio apud Gruterum pag. 1095 n. 2 CVRATORI SOLONATIVM. Trans flumen, paullo inferius, *Forum Liuii* est, nunc Forli, inter Cæsenam situm & Fauentiam, quod ex Antonini itinere ab Arimino Dertonam, & Peutingerorum Tabula adparet. Decem millibus distat a Fauentia. Inde ad mare vergit *Forum Popilii*, vt Plinius vocat lib. III cap. XV; vt corrupte in Peutingeriana, *Forum populi*: vnde hodiernum nomen est Forlinpopolo. Superest intus in tractu hoc *Caesena*, Straboni Καισῆνα. Plinius d. l. *Oppida, Caesena, Claterna*, & cetera: Ptolemæo Καισῶνα: hodie Cesena, seruato vocabulo: medio æuo, nescio vnde, *Curua Caesena*, vt in Antonini Itinerario est, & Tabula Peutingeriana. Inter Cæsenam & Forum Popilii in occasum vergit *Forum Truentinorum*, vt in Plinii lib. III cap. XV scriptum: siue *Druentinorum*, vt in lapidibus vetustis est. Supra in *Foro Nouo* monstrauimus ex Grut. p. 492 n. 5 PATR. MVNICIPIORVM FORODRVENT. & alia pag. 1094 n. 2 CVR. REIP. FORODR. vtrobique per D. quæ verior orthographia est. Distantias plurimorum, quæ adhuc oppida proposuimus, iter Antonini ab Arimino Dertonam sic illustrat:

Arimi-

Arimino			
Curuam Cæsenam	M.	P.	XX
Forum Liuii	M.	P.	XIII
Fauentiam	M.	P.	X
Forum Cornelii	M.	P.	X
Claternam	M.	P.	XIII
Bononiam	M.	P.	X.

In maritima ora nobilis vrbs *Rauenna* est, πόλις ἀρχαία, Θεσσαλῶν ἀποικία, *vrbs antiqua, Thessalorum colonia,* vt Zosimus tradit lib. v cap. XXVII. Strabo confirmat idem lib. v pag. 148 ex fama, Θετταλῶν λέγεται κτίσμα, *dicitur a Thessalis condita.* Vnde est quod de integritate Plinii, in cuius lib. III cap. XV *Sabinorum oppidum* est, Cluuerius dubitare cœpit. Quod Strabo addit, ἐν τοῖς ἕλεσι ἐστι, καὶ διάρρυτος, *in paludibus est sita, & aquis peruia.* Ideoque Silius lib. VIII vers. 602 dixit,

Lenta paludosæ perscindunt stagna Rauennæ.

Hæc munimenta eius naturalia. Portum antiquitus habuit in *Bedesis* ostio: addidit nouum Augustus, qui classem caperet tutando supero mari impositam, inter quem & vrbem Via Cæsaris. Sidonius lib. I epist. v *Rauennam cursu dexteriore subeuntes: quo loci veterem ciuitatem nouumque portum media via Cæsaris ambigas vtrum connectat an separet.* De classe Rauennate, ex Augusti institutione, Suetonius Aug. cap. XLIX, Tacitus Hist. II cap. C. Iornandes de Get. reb. cap. XXIX, vbi situm vrbis curatius quam ceteri ex Dionis deperdito loco descripsit. Supra Rauennam, VI millibus passuum ab illa, *Butrium* fuit, quod Strabo τῆς Ῥαουέννης πόλισμα, *oppidum Rauennatium* vocat: Plinius autem dicto loco: *nec procul a mari, Vmbrorum Butrium.* Scilicet Vmbri Thessalis, quod Strabo addit, in Rauennæ oppidi possessione successerunt. Distantia VI millium in Tabula Peutingeri adnotata est.

Tandem de fluminibus, quamquam aliquibus minus claris, quæ inter Rhenum Bononiensem & Rubiconem sunt, aliquid adiiciendum est. Post Rhenum est *Idex* inter Bononiam & Claternam medius, nunc *l' Idice:* quod prauationem Tabulæ Peutingerianæ arguit, qua *Isex* scriptum est. Inter Claternam & Forum Cornelii *Silarus,* in eadem tabula positus. Deinde *Vatrenus* Plinii, nunc Saterno, Forum Cornelii, hoc est Imolam, ab ortu

adluens. Et hic in Padum cum ſuperioribus decurrit. Plinius cap. XVI libri III *Auget ibi Padum Vatrenus amnis ex Forocorneliensi agro.* Et Martialis lib. III epigram. LXVII ad pigros nautas:

Ceſſaſtis pueri, nihilque môſtis
Vatreno Eridanoque pigriores.

Succedit in eadem Tabula *Sinnum* flumen, nunc Senno ſiue Senio: &, qui Fauentiam præterlabitur, *Anemo* Plinii cap. XV. in Tabula *Animo*, ſed nimis in occaſum cum Saterno, & vltra Mutinam remotus. Vulgo Amone eſt ſiue Armone. Salonam & Rauennam, illam ab ortu, hanc a ſeptemtrione præterfluit *Vtis* in obliquo Vtentis; male in Plinii libris cap. XV *Vitis* ſcriptus. Liuius lib. V cap. XXXV *Tum Senones, recentiſſimi aduenarum, ab Vtente flumine vſque ad Aeſim fines habuere.* Inter Forum Liuii & Forum Popilii Rauennam delabitur *Bedeſis* Plinii: & tandem *Sapis* eiusdem, cuius ſuperior pars circa Sarſinam fines Vmbriæ perſtringit: quamuis inferior, vt citra Rubiconem, partem Cispadanæ extremam permeet. Vmbriæ, ob ſuperiorem partem, etiam Silius lib. VIII verſ. 449 adſignauit,

- - - *canis venientes montibus Vmbri.*
Hos Aeſis Sapisque lauant.

Tractum circa amnis huius ſuperiora, *Sapiniam tribum* quem dicunt, etiam Liuius lib. XXXI cap. II, Vmbriæ adiudicauit.

TRANSPADANA REGIO.

Qui trans Padum populi habitabant, non omnes Galli erant, ſed quidam etiam ante illorum aduentum illas terras tenuerunt, vt Veneti, Euganeique: ideoque quum *Gallia Transpadana* vulgo dicitur συνεκδοχικῶς illud tanquam de pluribus, intelligendum eſt. Vocatur autem *Transpadana Italia* Plinio lib. XVI cap. XV, & ſæpe alibi; & Tacito Hiſt. II cap. XXXII, cui etiam *regio Transpadana* dicta lib. I Hiſt. cap. LXX, ad cuius explicationem nunc adgredimur.

Ab Alpibus vero denuo incipiendum. Poſt Salaſſos ſupra explicatos iuxta Graias Alpes ſunt LEPONTII, quorum pars ſuperior, *Viberi* Plinio cognominati, in Rhætorum fines porrigitur: altera, nec minor fortaſſis, cenſetur in Italia. Plinius lib. III cap. XX *Lepontios & Salaſſos Tauriſcæ gentis Cato arbitratur. Ceteri*

teri fere Lepontios relictos ex comitatu Herculis interpretatione Græci nominis credunt, præustis in transitu Alpium niue membris. Scilicet a λείπω, *linquo*, duxerunt nomen, quod in Strabonis lib. IV sub finem inconstanter scribitur, semel Ληπόντιοι, iterum Λεπόντιοι. Caput illorum fuit *Oscela*, Ptolemæi Ὀσκέλλα, quod Cluuerius λ simplici scribendum esse ex eo putat probabile, quia vulgare nomen, quod hodie obtinet, *Domo d' Oscela*, aut *Osula*, mediam correptam habeat. Ad hos etiam *Canini Campi* pertinuerunt, per quos a Mediolano transeundum in Alemannos erat, vti ex Ammiani Marcellini lib. XV cap. VI adparet, & supra in Rhætia quoque pag. 535 præmonstrauimus. Situm Camporum illorum Gregorius Turonensis lib. X cap. III ostendit. *Olo dux*, inquit, *ad Bilitionem, huius vrbis* [Mediolanensis] *castrum, in campis situm Caninis, importune accedens, iaculo sub papilla sauciatus, cecidit & mortuus est.* Bilitio autem castrum haud dubie est *Belizona*, situm supra Verbanum lacum ad flumen Ticinum. Præterea ad Caninos Campos Iacobus Gothofredus *Dinumma* refert, locum, quo data lex VIII Cod. Theod. de Exactionibus.

Decurrit ex Lepontiis *Sessites* fluuius Plinii lib. III cap. XVI ad LIBICIOS siue LIBICOS populum, & *Raudios campos*, in quibus Marius Cimbrorum ingentes copias prostrauit. *Libicorum* oppida duo Ptolemæus nominat, *Vercellas*, & *Laumellum*. Plinius lib. III cap. XVII *Vercellæ Libicorum ex Sallyis ortæ.* Tacitus Hist. lib. I cap. LXX *firmissima Transpadanæ regionis municipia, Mediolanum, ac Nouariam, & Eporediam, ac Vercellas adiunxere.* Vtraque, nomen seruant, Vercelli & Lomello, XXV millibus passuum in veteribus Itinerariis disiuncta. Tabulæ Theodosianæ, quam Peutingeri etiam dicimus, inter vtrumque sunt *Cutiæ*, nunc Cozo, medio viæ interuallo. Gentis nomen Ptolemæo & Plinio sunt *Libici*, tribus syllabis: at quatuor, Polybio lib. II cap. XVII Λεβέκιοι, *Lebecii*: quo Cluuerius etiam refert Liuii *Libuos*, lib. XXI cap. XXXVIII, tamquam prauatum nomen ex *Libicis* sit. Situs non repugnat. Ait enim de Hannibalis itinere: *ambo saltus eum non in Taurinos, sed per Salassos montanos ad Libuos Gallos deduxissent.* At lib. V cap. XXXV ait, Libuos *tenuisse* illos *locos, vbi nunc Brixia ac Verona.*

Campi *Raudii* primus Paterculus lib. II cap. XII mentionem fecit. *Quinto* [consulatu Marius] *citra Alpes in campis, qui-*

bus nomen erat Raudiis, ipse consul & proconsul Q. Lutatius Catulus fortunatissimo decertauere prœlio. Aurelius Victor de Vir. illustr. in C. Mario: *Teutones in Gallia apud Aquas Sextias: Cimbros in Italia in campo Raudio vicit.* Sic A. Schotti MS. alii *Caudio*, vel *Claudio*, quod nihil est. Florus tandem lib. III cap. III *Tridentinis iugis in Italiam prouolutos* illos Cimbros dicit, & *Athesim flumen*, quod tranare frustra tentassent, *ingesta obrutum silua transiluisse*: quorum *in Venetia* deinceps *ipsa soli cœlique clementia robur elanguerit.* At Alpes illæ, & flumen, & regio longe absunt a Sessite fluuio, ad quem Raudios campos fuisse supra cum Cluuerio dicebamus. Subdit præmissis his nihilominus Florus: *in patentissimo, quem Raudium vocant, campo concurrere.* Quibus inducti non nulli illum campum & prœlium prope Athesim & Veronam quærunt. Schottus ad Victoris dictum locum: *ad Athesim, Veronæ fluuium, pugna facta.* Crederem ipse, nisi Plutarchus aliud suaderet in Mario pag. 419 dicens, prouocantibus Cimbris, diem illis tertium, χώραν τε καὶ πεδίον τὸ περὶ Βερκέλλας, *locum & campum apud Vercellas* ad pugnam constituisse. Quum vero æque ac Florus, traiecti Athesis paullo ante meminerit Plutarchus, & nunc pugnæ locum dicat apud Vercellas fuisse; moram intercessisse oportet, & circuitionem, qua ab Athesi ad Ticinum tandem & Sessitem sunt barbari reducti.

Supra hos campos *Lacus Verbanus* est, iam Lago Maggiore, qui *Ticinum* fluuium, nunc Tesino, transmittit. Strabo lib. IV extremo: Λίμνας εἶναί φησιν ἐν τοῖς ὄρεσι πλείους μὲν, τρεῖς δὲ μεγάλας· ὧν ἡ μὲν Βήνακος ἔχει μῆκος πεντακοσίων σταδίων, πλάτος δὲ ἑκατὸν πεντήκοντα, ἐκρεῖ δὲ ποταμὸς Μίγκιος· ἡ δ' ἑξῆς Οὐερβανὸς, τετρακοσίων· πλάτος δὲ στενωτέρα τῆς πρότερον, ἐξίησι δὲ ποταμὸν τὸν Τίκινον· τρίτη δὲ Λάριος, μῆκος ἐγγὺς τριακοσίων, πλάτος δὲ τριάκοντα· ποταμὸν δὲ ἐξίησι μέγαν Ἀδέαν. *Aiunt lacus esse complures in Alpibus, tres vero maiores: quorum Benacus habet longitudinem* IↃ *stadiorum; latitudinem* CL. *ex hoc Mincius effluit. Post hunc Verbanus, longus* CCCC *stadia; angustior aliquanto prius dicto: tertius est Larius longus fere* CCC, *latus* XXX. *is Adduam, magnum flumen, emittit.* Congruit numerus maiorum lacuum; etiam fluminum nomina per quemque transmissorum: non autem ordo, quia Larius est medius: nec longitudo, quia Benacus horum est minimus. Adferendum

vero

vero hoc pro Verbano teſtimonium erat, quia neſcio, an alius eius meminerit præter Plinium, qui lib. II cap. CIII dixit: *Vt in Fucino lacu inuectus amnis, in Lario Addua, in Verbano Ticinus, in Benaco Mincius.* Et lib. III cap. XIX *In hac* [X] *regione &* XI, *lacus incluti ſunt, amnesque eorum partus aut alumni: ſi modo acceptos reddunt, vt Adduam Larius, Ticinum Verbanus, Mincium Benacus, Ollium Sebinus, Lambrum Eupilis, omnes incolas Padi.* Et quia hi lacus & flumina coniunxere; iuuat de fluminibus coniunctis etiam poetam Claudianum ex lib. de VI Conſ. Honor. v. 195 audire:

> *- - - - Frondentibus humida ripis*
> *Colla leuant pulcher Ticinus, & Addua viſu*
> *Cærulus, & velox Atheſis, tardusque meatu*
> *Mincius.*

Ticinum etiam egregie deſcripſit Silius lib. IV verſ. 82

> *Cæruleas Ticinus aquas, & ſtagna, vadoſo*
> *Perſpicuus ſeruat turbari neſcia fundo,*
> *Ac nitidum viridi lente trahit amne liquorem.*
> *Vix credas labi*, & reliqua.

Eſt hic inter infauſta Romano populo nomina ob cladem ab Hannibale acceptam. Idem lib. VI extremo:

> *Adde & Ticini ſpumantes ſanguine ripas,*
> *Et noſtrum Trebiam, & Traſimeni litora Tuſcis*
> *Clauſa cadaueribus.*

Inter Ticinum & Seſſitem paruus amnis *Nouaria* in Tabula Theodoſiana dictus, a quo vrbs *Nouaria*, quam præterlabitur, nomen habet. Inter Larium quoque Verbanumque lacus, alius, minor his, intercedit, nunc Lago di Lugano, olim *Cereſius* dictus, quem Turonenſis Gregorius lib. X cap. III, *ſtagnum Coreſium*, ſiue vt Cluuerius legit, *Cereſium* adpellat.

Larius lacus pluribus laudatus, Plinio maxime iuniori, cuius natale ſolum & plura prædia tangebat. Lib. IX epiſt. VII *Hoc quoque non diſſimile, quod ad mare tu* [ædificas,] *ego ad Larium lacum. Huius in litore plures villæ meæ, ſed duæ vt maxime delectant, ita exercent.* Virgilius quoque lib. II Georg. verſ. 159 eiusdem lacus, & Benaci etiam rationem habuit, quum ſcripſit,

An ma-

An mare, quod supra memorem, quodque adluit infra?
Anne lacus tantos? te, Lari maxime, teque
Fluctibus & fremitu adsurgens, Benace, marino?

Ad Larium lacum etiam in Comensi agro fuit fons mirandæ naturæ, statis horis crescens & decrescens, quem idem Plinius lib. IV epist. XXX descripsit.

Sub lacu Lario, & ad Adduam fluuium, ac vltra illum, OROBII fuerunt, quibus Plinius lib. III cap. XVII tria oppida dat, Catonem auctorem, vt fatetur, sequutus. *Orobiorum* inquit, *stirpis esse Comum, atque Bergomum, & Licini forum, & aliquot circa populos, auctor est Cato.* Antiqua vrbs *Comum*, & potens olim, vt etiam cum Romanis bellum gereret haud secus atque aliæ gentes validiores. Liuius lib. XXXIII cap. XXXVI *Marcellus Pado confestim traiecto in agrum Comensem, vbi Insubres, Comensibus ad arma excitis, castra habebant, ducit.* Et extremo illo capite, *victoria ad Comum parta:* & cap. XXXVII *Triumphauit* [Marcellus] *in magistratu de Insubribus Comensibusque.* Non obscurum deinde municipium, cui nouos colonos Iulius Cæsar addidit, ex quo *Nouocomum* plerumque vocitatum. Cicero lib. XIII epist. XXXV *C. Auianus - - - - quem Cæsar meo beneficio in Nouocomenses retulit.* Strabo lib. V pag. 147 πεντακισχιλίους ἐπισυνῴκισεν, *quinque millia colonorum addidit.* Appianus Alexandrinus lib. II Ciuil. p. 730 πόλιν Νεώκωμον ὁ Καῖσαρ ἐς Λατίου δίκαιον ἐπὶ τῶν Ἄλπεων ᾠκίκει, ὧν ὅσοι κατ' ἔτος ἦρχον, ἐγίγνοντο Ῥωμαίων πολῖται, *Nouumcomum condidit sub alpibus Cæsar, donauitque iure Latii, vt qui annuum magistratum ibi gessisset, haberet in vrbe ius ciuium.* Plutarchus quoque in Cæsare p. 722 de iniuriis Cæsari illatis: Νεοκωμίτας ὑπὸ Καίσαρος ἐν Γαλατίᾳ κατῳκισμένους ἀφῃροῦντο τῆς πολιτείας, *colonis, quos Nouumcomum Cæsar in Galliam deduxerat, ciuitatem ademerunt.* Quod ita Suetonius cap. XXVIII narrauit: *Retulit* [consul Marcellus,] *vt colonis, quos rogatione Vatinia* [Cæsar] *Nouumcomum deduxisset, ciuitas adimeretur.* Catullus quoque ad illud incrementum respexit, quum carm. XXXVI Cæcilio poetæ scripsit,

Veronam veniat, Noui relinquens
Comi mœnia, Lariumque litus.

Sed cum tempore obsoleuit nouitatis cognomen, & Plinius, alumnus eius, simpliciter *Comum* vocauit lib. I epist. III ad Caninium

ninium Rufum: *Quid agit Comum? tua meaque delicia?* Et lapide Brixienfi apud Gruterum pag. 392 num. 7

CVRAT. REIP. COMENS. DAT
AB IMP. HADRIANO.

Nec itinerariis aliter quam *Comum*. In Tabula Peutingeri *Como*, fexto cafu: in Anton. itineribus a Brigantia Mediolanum, & Comum ipfum, pergitur

Summum lacum: Comum: Mediolanum.

Vrbs altera Orobiorum, & Como vel æqualis, vel fecundum alios, etiam ipfum Cluuerium, tamquam princeps gentis, præferenda, eft *Bergomum*, de qua Plinii verba fupra vidimus: Ptolemæo eft Βέργομον, *Bergomum*. Atque fic etiam in vetuftis lapidibus. Gruter. p. 392 CVRAT. REIP. BERGOM. & pag. 396 num. 8 BERGOMI PATRONO. In Iuftini vulgaribus libris legitur *Vergamum*, quæ iudice Græuio, confummatiffimo viro, barbari fæculi fcriptura eft, quum veteris libri, etiam Iuntarum Florentiæ impreffus, *Bergomum*, vocali quarta præ fe ferant. Iuftini verba, & ceteris etiam interpretandis idonea, lib. XX cap. V funt: *Galli quum in Italiam veniffent, fedibus Tufcos expulerunt, & Mediolanum, Comum, Brixiam, Veronam, Bergomum, Tridentum, Vicentiam condiderunt.* E quibus tamen Plinius quædam non Gallis, fed Rhætis auctoribus it vindicatum, vt in Rhætia præmonftrauimus. Quid? quod in Tabula Theodofiana, ex Peutingeriano mufeo prodita in lucem, CCL plus minus annis poft Iuftinum confecta, etiam *Bergomum* fcriptum exftat, quarta in medio, non prima vocali. Quod vero hodie *Bergamo* illud oppidum vocitatur, id temporum infequentium barbariei imputandum eft. Oppidani funt *Bergomates* Plinio lib. III cap. XVII. Ptolemæus quidem *Bergomum* in Cenomanis fcripfit, nec nomen quidem Orobiorum habet, quod tam celebre, vt Infubrum & Cenomanorum non eft; nos vero Plinii auctoritatem, antiquiora repetentis, fequuti fumus. Tertium oppidum Orobiorum, *Forum Licinii*, minus eft notum, nec ab alio forfan, quam Plinio, commemoratum: ideoque dubiæ pofitionis, fitne hodie *Pieve d'Incino*, an, quod Cluuerio magis placet, *Berlafina* inter Comum & Mediolanum.

Proximi Orobiis in auftrum funt INSVBRES, Gallica & ipfa gens, & multis certaminibus Romanorum nota. Liuius lib. XXII

cap. VI singulariter dixit *Insuber eques:* & lib. XXX cap. XVIII *in agro Insubrium Gallorum.* Polybio sunt Ἴσομβρες, lib. II cap. XVII; & Straboni lib. V post initium, ac Ptolemaeo lib. III cap. I Ἴνσουβροι, *Insubri.* Potentiam bella cum Romanis gesta apud Liuium ostendunt, & Strabo Insubres & Boios Gallorum cis Alpes potentissimos dixit iam indicato loco: Μέγιστα τῶν Κελτῶν ἔθνη Βοΐοι καὶ Ἴνσυβροι, καὶ οἱ τὴν Ρωμαίων πόλιν ἐξ ἐφόδου καταλαβόντες Σένωνες, *Maxima gentes Gallorum Boii & Insubres sunt, & qui Romam subita incursione ceperunt, Senones.* Situm illorum Polybius demonstrauit dicto loco, & vna multitudinem testatur: τὰ μὲν πρῶτα καὶ περὶ τὰς ἀνατολὰς τοῦ Πάδου κείμενα, Λάοι καὶ Λεβέκιοι, μετὰ δὲ τούτους Ἴσομβρες κατῴκησαν, ὃ μέγιστον ἔθνος ἦν αὐτῶν· ἑξῆς δὲ τούτοις παρὰ τὸν ποταμὸν Κενομάνοι. *Prima eius regionis, quæ fontes versus Padi sita, tenent Lai* (Læui) *& Lebecii: post illos Insubres habitarunt, quæ illarum gens maxima: deinceps fluuium accolunt Cenomani.* Sunt ergo magis occidentales quam Cenomani: nec vero Padum attingunt, sed Lai siue Læui inter illos & flumen sunt.

Caput Insubrium *Mediolanum*, antiquum oppidum & genti suæ in Italia coæuum. Liuius lib. V cap. XXXIV *Ipsi* [Galli] *Taurino saltu inuias Alpes transcenderunt, fusisque acie Tuscis, haud procul Ticino flumine, quum, in quo consederant, agrum Insubrium adpellari audissent, cognomine Insubribus pago Aeduorum; ibi, omen sequentes loci, condidere vrbem: Mediolanum adpellarunt.* Quod etiam Plinius lib. III cap. XVII adprobauit: *Insubres condidere Mediolanum.* Et Polybius lib. II cap. XXXIV Μεδιόλανόν ἐστι κυριώτατος τόπος τῆς τῶν Ἰσόμβρων χώρας, *Mediolanum præcipuus locus est Insubrium.* Tacitus lib. II Hist. in *firmissimis Transpadanæ regionis municipiis* Mediolanum primo loco numerauit. Et quod ex Plinii lib. IV epist. XIII adparet, liberalium studiorum sedes fuit hoc municipium adeo, vt inde *Nouarum Athenarum* nomen acceperit. Inscriptio ibidem reperta apud Gruterum p. 177 n. 4 sub Antonino Pio, AQVAEDVCTVM IN NOVIS ATHENIS COEPTVM A DIVO HADRIANO PATRE SVO CONSVMMAVIT DEDICAVITQ. Videtur pars municipii, vel vicus, in quo domicilia litterarum erant, id augusti nominis tulisse. Et Ausonius in claris vrbibus:

Et Mediolani mira omnia. copia rerum,
Innumeræ culteque domus, facunda virorum
Ingenia, & mores læti.

Supra

Supra Mediolanum in septemtrionem ad flumen *Lambrum* est locus Mozza dictus, qui videtur ille esse quem *Modiciam* Paullus Diaconus vocat lib. IV cap. XXII, a Mediolano, vt ipse tradit, XII millibus remotum. Ibi inscriptio vetus nomen MOGVNTIACI refert, ex quo docti viri coniiciunt, id vetus nomen illius loci exstitisse.

In ortum versus a Mediolano *Laus Pompeia* sita est inter Adduam & Lambrum fluuios. Vulgo putant *Lodi* esse, quod oppidum Adduæ est adpositum: verum aliter itineraria tradunt, quæ aliquot millibus *Laudem* Mediolanum versus reducunt a Lodi nostræ ætatis, circa quem locum vicus *Lodeue* occurrit, quod nomen Holstenius *Lodi Vecchio* interpretatur, vnde haud dubie contractum est. Oppidum autem Lodi ex illius ruinis in vlteriori loco ortum fuit. Peutingeriana Tabula & Antonini iter a Mediolano ad columnam seu Siciliæ traiectum hoc ita demonstrant:

Tabula		Antoninus	
Mediolano		*Mediolano*	— —
Laude Pompeia	XVI	*Laudem*	XVI
Placentia	XXII	*Placentiam*	XXIIII.

Hæc de situ. Origo alia oppidi, eaque peruetusta; alia coloniæ est. Plinius dicto loco: *Boii trans Alpes profecti Laudem Pompeiam condiderunt.* Scilicet quum primum transgressi Alpes fuissent, antequam traiecto Pado sedem aliam & fixam inter amnem & Apenninum deligerent. Quod nomen Gallicum huius oppidi fuerit, ignoratur. Strabo Pompeius tandem, Magni pater, colonia eo deducta, nouum nomen imposuit. Asconius Pedianus ad Orat. in Pisonem sub initium: *Cn. Pompeius Strabo, pater Cn. Pompeii Magni, Transpadanas colonias deduxerat: - - -* [&] *veteribus incolis manentibus ius dedit Latii.* In quibus alter Strabo, geographus, pag. 147 *Comum* quoque refert, ante κάτοικίαν μετρίαν, *mediocre oppidum:* quod adflictum a Rhætis ille συνῴκισεν, *instaurauerit.*

In Tabula illa Theodosiani æui vltra Laudem Pompeiam in ortum distant XXII millibus *Acerræ:* inde XIII Cremona. *Acerræ* etiam Ἀκέῤῥας a Plutarcho nominantur in Marcello pag. 300; a Polybio autem lib. II cap. XXXIV Ἀχέῤῥας, qui obsidionem illarum describit: a Strabone lib. V p. 150 Ἄκαρα, nisi forte alium locum intellexit, quia cum Cispadanis oppidis recenset: ceteri vero omnes trans Padum habent, vt inde reiecti hostes Mediolanum & Comum

refugerint: & Tabulæ rationes ad flumen Adduam perducunt, VII millibus supra Padum fluuium, vt coniicit Cluuerius. Ibi in vico quodam nomen Gherræ dicitur superesse.

Ptolemæus addit *Forum Iutuntorum* (Φόρος Ἰουτουντῶν est) quod in Cenomanis quidem scribit, in Insubribus tamen fuisse, locus quem adsignat, ostendit, qui fere ille est, quem nunc oppidum *Crema* tenet. Turbat vero in aliis etiam limites Ptolemæus, & Cenomanis tribuit quæ sunt Euganeorum, & Læuorum, Rhætorum ac Boiorum cis Padum: Insubribus autem quæ eorumdem Læuorum erant. Itinere Hierosolymitano adduntur inter Mediolanum & Bergomum *Argentia* XXII millibus a Mediolano, qui locus nunc in vico obscuro latet: & post X millia *Pons Aureoli*, de quo Aurelius Victor Schotti in Gallieno: *Aureolus, quum per Rhætias legionibus praeesset, excitus, vt mos est, socordia tam ignaui ducis, sumto imperio, Romam contendebat. Eum Gallienus apud pontem, cui ex eo Aureoli nomen est, fusum acie Mediolanum coegit.* Et Trebellius in Aurelio tyranno: *Hunc eumdem Aureolum Claudius, interfecto iam Gallieno, conflictu habito, apud eum pontem interemit, qui nunc Pons Aureoli nuncupatur.* Bis apud illum pontem victus a diuersis fuerit, an Pollio & Victor eamdem historiam confundant, non est facile explicatu: certior situs illius pontis, quia ab eo Bergomum in itinere sunt XIII passuum millia.

Ab Insubribus ad Padum patebant LAEVI, vt Liuius vocat lib. V cap. XXXV; siue LEVI, vt Plinius scripsit lib. III cap. XVII: qui Λάοι sunt Polybii lib. II cap. XVII. Liuius dicto loco ita: *Salluuii prope antiquam gentem Lauos Ligures, incolentes circa Ticinum amnem, considunt.* Scilicet Galli, etsi bonam partem hominum expulissent, nomen eiectæ gentis subierunt; quod Io. Frid. Gronouius etiam ad Liuii locum obseruauit. Plinius autem sic: *Nouaria ex Vertacomacoris orta, Vocontiorum hodieque pago, non, vt Cato existimat, Ligurum: ex quibus Leui & Marici condidere Ticinum, non procul a Pado.* Polybii verba paullo ante in Insubribus sunt recitata. Ex quibus colligitur, *Nouariam* & *Ticinum* fuisse Læuorum oppida. *Nouariam* Tacitus Hist. I cap. LXX in *firmissimis Transpadanæ regionis municipiis* numerauit. Idcirco decuriones habuit, vt est in Comensi lapide apud Gruterum pag. 393 num. 8

M. AE-

M. AEMILIO COELIO
COELIANO DECVR
MEDIOL. ET NOVAR.

Suetonius in claris rhetoribus cap. VI laudat *C. Aebutium Silum Nouariensem*. Notus situs, quia nomen conseruatum.

Oppidum alterum *Ticinum* est, ad flumen eiusdem nominis, quod a Gallis conditum, vt Plinius supra ostendit; an vero statim fuerit muro circumdatum, dubitari ex eo potest, quia Hannibalis bello nulla oppidi mentio, fluminis autem multa. Postea tamen municipium factum, ex lapide eiusdem loci Cluuerius probat, quo MVNICIPI PATRONO scriptum est. Clarum sub Cæsaribus fuit, & Augustum Drusi funeris causa *Ticinum vsque progressum* Tacitus refert annal. III cap. V; & classicos Othonis *inter Placentiam Ticinumque interceptos*, Hist. II cap. XVII; & castra *apud Ticinum* munita, cap. XXVII; & *Ticini Vitellium discubuisse*, cap. LXVIII. Hodie *Pauia* nuncupatur, quod ex Pabia vel Papia est, nomine oppidi medio æuo. Paullus Warnefredi lib. II Langobard. cap. XV *Secunda prouincia Liguria* [plana, Transpadana, quæ medio æuo vocabatur] *in qua Mediolanum est & Ticinus, quæ alio nomine Papia adpellatur*.

CENOMANI, Κενομάνοι, vt Plinius, Polybius, & Ptolemæus scribunt; siue CAENOMANI, diphthongo, vt Liuii libris quibusdam expressum est; vtrosque, Insubres & Læuos, ab ortu excipiunt, & a *Sebino* lacu vsque ad Padum pertinent. Polybius lib. II cap. XVII ἑξῆς δὲ τούτοις [Ἰσόμβρεσι] παρὰ τὸν ποταμὸν Κενομάνοι, *post Insubres ad flumen* [Padum] *Cenomani*. Liuius lib. V cap. XXXV *Alia subinde manus Cænomanorum, Elitouio duce, vestigia priorum* [Gallorum] *sequuta, eodem saltu, fauente Belloueso, quum transscendisset Alpes, vbi nunc Brixia ac Verona vrbes sunt* (*locos tenuere Libui*) *considunt*. Plinius lib. III cap XIX *In mediterraneo regionis decimæ, coloniæ: Cremona, Brixia, Cenomanorum agro*. Caput gentis *Brixia*, nunc Brescia, iuxta flumen *Melam*. Liuius lib. XXXII cap. XXX *Insubres cum Cenomanis super amnis Mincii ripas consederunt. Infra eum locum quinque millia passuum & consul Cornelius castra adplicuit. Inde mittendo in vicos Cenomanorum Brixiamque, quod caput gentis erat; vt satis comperit, non ex auctoritate seniorum iuuentutem in armis esse, nec publico consilio Insubrium defectioni Cenomanos se adiunxisse; excitis ad se principibus, ibi agere & moliri cœpit, vt descis-*

scerent ab Insubribus Cenomani. Catullus carm. LXVIII ad Ianuam impudicæ:

> *Brixia Chinææ suppositæ speculæ,*
> *Flauus quam molli præcurrit flumine Mela:*
> *Brixia Veronæ mater amata meæ.*

Flumen *Mela* præcurrit Brixiam ab occasu, non *percurrit*, vt in vulgatis libris Catulli est. Seruat enim nomen suum, distinctusque est a Gartia fluuiolo, vrbem perluente. Hunc etiam Virgilius, si antiquis interpretibus credendum est, memorauit Georg. IV, a uers. 275 canens

> - - - - *violæ sublucet purpura nigræ.*
> *Sæpe deûm nexis ornatæ torquibus aræ.*
> *Asper in ore sapor. tonsis in vallibus illum*
> *Pastores & curua legunt prope flumina Mellæ.*

Seruius enim: *Mella fluuius Galliæ, iuxta quem herba hæc plurima nascitur.* Et Philargyrius: *Mella amnis in Gallia Cisalpina, vicinus Brixiæ.* Sed ad Brixiam a fluuio reuertimur, quæ colonia fuit & municipium, eademque multis antiquis inscriptionibus celebrata: e quibus sunt apud Gruterum p. 423 num. 7 DECVRIO BRIX. quod municipatum arguit: & p. 469 n. 4 BRIXIAE VI VIR AVGVSTAL. Liuius inde dixit *Brixianos Gallos* lib. XXI cap. XXV extr.

Alia vrbs incluta in Cenomanis, & colonia Romana fuit *Cremona*, cuius originem supra in Placentia ex Polybii lib. III cap. XL, & Liuii epitoma XX demonstrauimus, quia ambæ vno tempore ac vnis auspiciis fuerunt deductæ. Sita ad Padum, infra Adduæ confluentem, certa positione, quia integro nomine & flore superat. Græci quidam nomen Κρεμὼν formant. Appianus Hannibalico p. 549 ἐς Κρεμῶνα, & mox ἐν Κρεμῶνι. Et Xiphilinus ex Dione in Vitellio, ἐς τὴν Κρεμῶνα, & ἐν τῇ Κρεμῶνι. Et Zosimus lib. V cap. XXXVII Κρέμωνα, quarto casu. At Polybius dicto loco Κρεμώνη: & Strabo lib. V p. 150 Πλακεντία καὶ Κρεμώνη πλησιαίτατοι, *Placentia & Cremona admodum vicinæ sunt*: & Ptolemæus Κρέμωνα κολώνια. Opulenta fuit & mercatu celebris. Tacitus III Hist. cap. XIX *opes Cremonensium* laudat: & cap. XXXII *tempus mercatus ditem alioquin coloniam maiorum opum specie complebat.* Calamitosa autem ciuilibus bellis. Virgilius ecloga IX vers. 28

> *Mantua væ miseræ nimium vicina Cremonæ!*

Vbi

Vbi Seruius: *Augustus victor Cremonensium agros, quia pro Antonio senserant, dedit militibus suis, qui quum non suffecissent, his addidit agros Mantuanos,* saltem aliquid illorum. Vitelliano autem bello excisa fuit a Flauianis quod Tacitus cap. XXXIII dicti libri descripsit. *Mox* tamen *rediit Cremonam reliquus populus. reposita fora, templaque magnificentia municipum: & Vespasianus hortabatur,* quod idem cap. XXXIV superaddidit. Municipum, ait. Sic enim colonia fuit, vt etiam municipale ius habuerit.

Deinde *Mantua* est ad *Mincium* fluuium, qui ex *Benaco* lacu profluit. De flumine Virgilius ecloga VI verſ. 12

Hic viridis tenera prætexit arundine ripas
Mincius.

De lacu idem lib. II Georgic. verſ. 159

te, Lari maxime, teque,
Fluctibus & fremitu adsurgens Benace marino.

De vtroque Plinius lib. IX cap. XXII *Lacus est Italiæ Benacus in Veronensi agro, Mincium amnem transmittens.* Qui accolunt lacum *Benacenses* dicuntur in vetustis lapidibus apud Gruterum pag. 260 n. 2, & p. 263 n. 8. Vrbis autem famam vel solus alumnus Virgilius ingenio suo clarissimam fecit cum per se, tum per alios in ipsius gratiam. Ipse lib. III Georg. verſ. 12

Primus Idumæas referam tibi, Mantua, palmas
Et viridi campo templum de marmore ponam
Propter aquam, tardis ingens ubi flexibus errat
Mincius, & tenera prætexit arundine ripas.

Et alii propter ipsum. Silius Italicus lib. VIII verſ. 594

Mantua Musarum domus, atque ad sidera cantu
Euecta Andino, Smyrnæis æmula plectris.

Et Papinius Statius lib. IV Silv. carm. II verſ. 9

Nectat adoratas & Smyrna & Mantua lauros.

Ac Martialis lib. I epigrammate LXII

Marone felix Mantua est.

Non autem in vrbe natus est Virgilius, sed in pago prope vrbem, cui *Andes* nomen erat. Vitæ Virgilianæ vetus auctor, qui vulgo Donatus creditur, *Natus est,* inquit, *Cn. Pompeio Magno & M. Licinio Crasso* COSS. *iduum Octobrium die, in pago, qui Andes dicitur, qui est a Mantua non procul.* Hinc *cantus Andinus* in iam prolato

Silii

Silii versu, est Virgilianus, quia ipse Maro *Andinus* proprie fuit, & propter vicinitatem *Mantuanus*. Originem Mantuæ, quæ sane antiquissima est, lib. X Aeneidos vers. 198 seq. descripsit.

Verona sequitur, non minus antiqua vrbs Italiæ, quam *Rhætorum & Euganeorum* simul fuisse, lib. III cap. XIX Plinius tradit: Liuius autem lib. V cap. XXXV dicit, *Gallorum manum*, Elitouio duce, transgressam Alpes, *vbi nunc Brixia ac Verona vrbes sunt, consedisse*. Et Catullus Veronensis carm. LXVIII

Brixia Veronæ mater amata meæ,

quasi colonia Verona Brixiensium fuisset. Hæc vero ita inter se conciliari possunt, vt initium Veronæ debeatur Rhætis ac Euganeis, aut, quod Liuius ibidem habet, etiam Libuis: post, Gallos illum tractum occupasse, & post Brixiam, vel ex illa, insedisse ac obtinuisse Veronam, probabile est. Hæc sita ad Athesim flumen, æque Catullo, alumno suo, vt Mantua Marone, gloriatur. Silius Italicus lib. VIII versu 596

Tum Verona Athesi circumflua.

Et Martialis lib. XIV epigrammate CXCV

Tantum magna suo debet Verona Catullo,
Quantum parua suo Mantua Virgilio.

Amplior ergo & opulentior Verona fuit, quam Mantua.

Colonia & ipsa facta Romana fuerat, quam Flauiani aduersus Vitellium sedem belli sibi legerunt. Tacitus Hist. III cap. VIII *Quæsitum inde quæ sedes bello legeretur. Verona potior visa patentibus circum campis ad pugnam equestrem, qua prævalebant: simul coloniam copiis validam auferre Vitellio, in rem famamque videbatur:* ideoque cap. X *militari vallo circumdari placuit.* Sub Gallieno renouata fuit, & *Augustæ* nomine aucta. Arcus Veronæ geminus, qui aliquando pro porta fuit, hanc inscriptionem habet, referente post alios Grutero p. 166

COLONIA AVGVSTA VERONA NOVA GALLIENIANA
VALERIANO II ET LVCILIO CONS.
MVRI VERONENSIVM FABRICATI EX DIE III NON. APRIL
DEDICATI PR. NON. DECEMBRIS
IVBENTE SANCTISSIMO GALLIENO AVG. N.

Veronensis ditionis erat Sirmio, in imo Benaco lacu peninsula miræ amœnitatis, non patria Catulli, qui Veronensis fuit, testante Plinio

lib.

lib. XXXVI cap. VI, & Eusebio in chronico: sed prædium & secessus. nec enim illam patriam, sed *larem suum* vocat seu possessionem, seque illius *herum*, non alumnum. Sic enim canit carm. XXXII

Peninsularum Sirmio, insularumque
Ocelle, quascumque in liquentibus stagnis
Marique vasto fert vterque Neptunus.
Quam te libenter, quamque lætus inuiso.

& mox: *O quid solutis est beatius curis!*
Quum mens onus reponit, ac peregrino
Labore fessi venimus larem ad nostrum,
Desideratoque adquiescimus lecto!
Hoc est, quod vnum est pro laboribus tantis.
Salue, o venusta Sirmio, atque hero gaude.

In via a Verona Cremonam fuit *Bedriacum* siue *Betriacum*, prœlio ab Othonianis commisso cum Vitellianis nobilitatum. Quidam *Bebriacum* scribunt, sed superantur ab iis codicibus, quibus T vel D est loco B. Tacitus habet *Bedriacum* in cod. Florentino: Suetonius Othone in melioribus MSS. (quod Torrentius & A. Schottus testantur) *Betriacum*, plane vt Plutarchus Othone Βητριακὸν; Iosephus lib. IV cap. XXXIII de Bello Iud. Φερηγδιακὸν, quod prauatum quidem, non autem alienum multo a scriptura Taciti. Tolle enim γ superfluum, manebit Φερηδιακὸν, quod, transpositis litteris & Φ cum non absimili B permutata, est ipsum, quod modo exhibuimus, *Bedriacum.* Hieronymus in Chronico *Vetriacum*, B & V pro more commutatis. Plinius autem cap. XLIX libri X scripsit *Bebriacensibus bellis ciuilibus trans Padum;* & Iuuenalis Satyr. II vers. 106 *Bebriaci campo:* & Eutropius *Bebriacum*, quem Orosius sequutus est, & forte etiam Victor iunior in epitoma. Tacitus *vicum* adpellat lib. III Hist. cap. XXIII. *Bedriaci*, inquit, *sistit. inter Veronam Cremonamque situs est vicus, duabus iam Romanis cladibus notus, infaustusque.* Plutarchus pag. 1070 ἐστι πολίχνη πλησίον Κρεμώνης τὸ Βητριακὸν, *oppidulum prope Cremonam est Betriacum.* Dio Cassius etiam pugnatum dicit πρὸς τῇ Κρεμῶνι, *ad Cremonam*, quod huic, quam Veronæ, Betriacum erat propinquius: Victor autem Schotti Othonem dicit *Veronensi prælio pulsum esse*, quod longius a vero loco abest. Situs coniici potest ex Taciti verbis cap. XXXIX *Promoueri ad quartum a Bedriaco castra placuit:* & mox cap. XL *Confluen-*

tes Padi & Adduæ fluminum XVI *inde millium ſpatio diſtantes.* E quibus colligit Cluuerius, Bedriacum XX *millia paſſuum a Padi Adduæque confluentibus abfuiſſe:* XV *a Cremona, Veronam verſus.* Quo poſito, incidit Bedriacum in locum ferme, quo vicus eſt Caneto, ſupra Ollii atque Cluſii confluentes.

Inter Cremonam & Bedriacum fuit locus, qui *Caſtorum nemus* vocabatur, deſcriptus a Tacito lib. II Hiſt. cap. XXIV *Ad duodecimum,* inquit, *a Cremona, locus Caſtorum vocatur, ferociſſimos auxiliarium imminentibus viæ lucis occultos componit.* Via illa eſt *Poſtumia,* quam idem vocat lib. III cap. XXI. Suetonius Othone cap. IX *Tribus, verum mediocribus prœliis, apud Alpes, circaque Placentiam, & ad Caſtoris, quod loco nomen eſt, vicit.* Caſtoris ergo, vel vna fratris etiam, ibi lucus templumve fuit.

Supereſt ex nobilioribus locis *Hoſtilia* vt perluſtretur. Vicum eſſe ad Padum amnem, Veronenſis ditionis, adfirmant Plinius & Tacitus. Ille lib. XXI cap. XII *Hoſtilia vicus adluitur Pado.* Hic (Tacitus, puta) lib. III Hiſt. cap. IX *Mox Cæcina inter Hoſtiliam, vicum Veronenſium, & paludes Tartari fluminis caſtra permunit.* Antoninus itinere a Verona Bononiam hanc diſtantiarum rationem ponit:

Verona			
Hoſtiliam	M.	P.	XXX
Colicariam	M.	P.	XXV
Mutinam	M.	P.	XXV
Bononiam	M.	P.	XXV.

Tacitus quoque, vt vicinam, cum Cremona Hoſtiliam coniungit ſæpius. Hiſt. III cap. C *Accelerare legiones Cremonam; pars Hoſtiliam petere iuſſæ.* Et lib. III cap. XIV *Hoſtiliam rurſus, inde Cremonam pergunt.* Et cap. XL *Nec deerant qui monerent, vt, vitata Ravenna, Hoſtiliam Cremonamve pergeret.*

EVGANEORVM gens in ſeptemtrionem hinc & ad Alpes, inter Larium lacum & Atheſim flumen, habitabant: ante Troiana tempora vero ad ipſum mare Hadriaticum. ex qua ſede a Troianis & Henetis expulſi, in Alpinas partes receſſerunt. Liuius lib. I cap. I *Satis conſtat, caſibus variis Antenorem cum multitudine Henetûm, qui ſeditione ex Paphlagonia pulſi, & ſedes & ducem, rege Pylæmene ad Troiam amiſſo, quærebant, veniſſe in intimum maris Hadriatici*

tici ſinum, Euganeisque, qui inter mare Alpesque incolebant, pulſis, Henetos Troianosque eas tenuiſſe terras, - - - - gens vniuerſa Veneti adpellati. Hinc eſt quod Venetorum regionem poetæ ſæpe ab Euganeis, antiquis poſſeſſoribus, denominant. Silius lib. VIII verſ. 603

> *Tum Troiana manus, tellure antiquitus orti*
> *Euganea, profugique ſacris Antenoris oris.*

Et Martialis lib. IV epigrammate XXIV

> *Quaque Antenoreo Dryadum pulcherrima Fauno*
> *Nupſit ad Euganeos ſola puella lacus.*

Et Sidonius Apollinaris Panegyr. Athemii verſ. 189

> - - - - vel *quidquid in auum*
> *Mittunt Euganeis Patauina volumina chartis.*

Sed de pulſorum ſede, quam inter Larium & Atheſim tenuere, nunc nobis disquirendum eſt: cuius pleraque obſcura ſunt & ignobilia. Primum gentes ſub Euganeis minus claræ erant, *Camuni, Triumpilini, Stœni.* CAMVNI Strabonis ſunt lib. IV ſub finem, qui Rhæticis gentibus adnumerat; & Plinii lib. III cap. XX; iidemque Καμμούνιοι, Ἀλπικὸν γένος, *Cammunii, Alpinum genus,* Dionis lib. LIV pag. 535. Ad Ollium flumen tractus, qui vulgo vocatur *Val Camonica,* haud dubie a Camunis, in valle Ollii habitantibus, nomen ſuum accepit. De ceteris Plinius dicto loco: *Triumpilini, venalis cum agris ſuis populus: dein Camuni.* Et ibidem in Auguſti tropæo: TRIVMPILINI, CAMVNI. Vallis, quam Mela amnis ſecat, nunc Troppia vocatur, quod videtur ex Trompia, quaſi Italice pro Trompla, eſſe. Ibi putantur Triumpilini ſedem habuiſſe. STONI tandem, Strabonis ſunt & Liuii. Ille lib. IV pag. 141 Λεπόντιοι, καὶ Τριδέντιοι, καὶ Στόνοι, *Lepontii, Tridentini, & Stoni:* hic epitoma libri LXII *Q. Marcius conſul Stonos, gentem Alpinam, expugnauit.* In marmore triumphorum Capitolino apud Grut. p. 298 DE LIGVRIBVS STOENIS. Videntur ex Liguria originem habuiſſe, vel communem cum priſcis Liguribus. Rurſus Plinius dicto loco: *præſtantes genere Euganei, inde tracto nomine. Caput eorum Stonos.* Sed nemo, præter illum, tale oppidum memorauit. Sedis Stonorum, nullum exſtat indicium. Locantur in tabulis ex incerta coniectura circa *Cluſium* vel *Cleſium* amnem ſupra lacum *Edrinum,* coniectore Cluuerio.

Nec oppida Euganeorum fuerunt clarissima. Cluuerius recenset *Maletum* & *Brentonicum*, quae Paullus Diaconus Langob. lib. III cap. XXXI *in Territorio Tridentino* posuit, vt dubium sit, Rhaetisne an Euganeis sint proprie contribuenda. Addit *Anonium* Ptolemaei, nunc Nôn vel Nun: *Bretinam* eiusdem, nunc Brentino: & *Carracam* itidem Ptolemaei; nunc Sarca amnis nomen in Benacum defluentis, iuxta quem coniicitur situm fuisse: & *Tusculanum* quasi Benacensium, id est, qui Benacum accolunt, commune oppidum, quod cum Octauio Rossio ex veteri inscriptione probat in valle Camunorum reperta:

SACERDOS TVSCVLANI
AEDILIS BRIX . . . .

Et *Sabium*, a quo hodieque Val di Sabio cognominatur, & olim oppidani *Sabini*. Idem Rossius ex vico Sauallo eiusdem vallis inscriptionem antiquam produxit,

FIRMVS IN
GENVI F. PRIN
CEPS SABINORVM.

vbi *princeps*, πρωτοπολίτης, vt πρῶτος τῆς νήσου, Act. Apost. XXVIII. 7. Fuit ibi etiam ad ripam Clesii amnis oppidum, cuius vestigia in vico Boarno sunt, cuius vetus nomen *Vobernam* fuisse, alio ostenditur lapide ibidem reperto:

P. ATINIVS L. F. FAB
HIC SITVS EST
- - - - PERLEGE VT RE
QVIETVS QVEAS DICERE
SAEPE TVIS. FINIBVS ITA
LIAE MONVMENTVM
VIDI VOBERNA IN QVO
EST ATINI CONDITVM

Ab occasu Benaci minor lacus est quem Clesius amnis transit, cui adpositum est oppidum nunc Idro dictum, cuius antiquum nomen Edrum fuisse, ex lapide discimus, in quo oppidani *Edrani* dicti sunt:

. . . . . CVS-

. . . . . CVSSIAE
GASSVMI F. VXORI ET
LVIDIAE VOSSIS .
F. EDRANI.

Supra Sebinum lacum ad Ollium fluuium oppidulum est nunc Civitâ seu Cividado dictum, quod videtur Ptolemæi *Vannia*, vnde Plinii lib. III cap. XIX *Vannienses* sunt. Vestigia amphitheatri habet, vt municipium fuisse minus dubitetur. Ipse lacus *Sebinus* & *Sevinus* dicitur, vulgo Lago d' Iseo, quod nomen corruptum est ex Seo, pro *Seuo*. Adiacet enim, in ima parte lacus, oppidum Iseo, quod *Seuum* nominatum fuisse vel *Sebum*, ex lacus vocabulo adparet, quem Plinius lib. II cap. CIII *Seuinum* nuncupat. *In Benaco*, inquit, *Mincius, in Seuino Ollius*, hunc amnem enim transmittit lacus. Et lib. III cap. XIX *Amnes acceptos reddunt, Adduam Larius, Ticinum Verbanus, Mincium Benacus, Ollium Sebinus, Lambrum Eupilis*. Ergo & *Sebum* & *Seuum* dictum idem fuit oppidum. Adiicit Cluuerius notissimam illam ex vini prouentu *Telinam vallem*, quam amnis Addua usque ad Larium lacum secat: in qua oppidum est Teglio, Germanis Tell, quod vetus nomen *Telium* manifestat. Sed quis veterum scriptorum vel vallis huius, vel oppidi mentionem fecerit, nescire nos profitemur.

Post Euganeos ad mare vsque, inter Padi ostium extremum, quod prope Rauennam est, & Carnorum fines habitarunt VENETI, antiquus populus, quem plures ex Asia & Troiano bello arcessunt, vt supra ex Liuio cognouimus, principio narrationis de Euganeis: Strabo vero lib. IV pag. 134 ex Gallia & ab Oceano deducit. Postquam enim de Cæsaris bello cum Venetis Gallis gesto dixerat, suam ita declarat de iis sententiam: τούτους οἶμαι τοὺς Οὐενετοὺς, οἰκιστὰς εἶναι τῶν κατὰ τὸν Ἀδρίαν. *Hos ego puto conditores illorum Venetorum esse, qui ad Hadriaticum mare habitant.* Libro V vero post principium dubitanter: Περὶ τῶν Ἐνετῶν διττός ἐστι λόγος· οἱ μὲν γὰρ καὶ αὐτοὺς φασὶ Κελτῶν εἶναι ἀποίκους τῶν ὁμωνύμων παρωκεανιτῶν· οἱ δὲ ἐκ τοῦ Τρωϊκοῦ πολέμου μετ' Ἀντήνορος σωθῆναι δεῦρο φασὶ τῶν ἐκ τῆς Παφλαγονίας Ἐνετῶν. *De Venetis duplex fertur sententia. quidam eos Gallos faciunt, Gallorum ad Oceanum gentiles: alii ex bello Troiano cum Antenore eo locorum venisse tradunt Venetorum Paphlagonum quosdam.* Sed neutra sententia satis firma, & sola nomi-

nis conuenientia nituntur. Id vero certum eſt, vndecumque venerunt, ante ceterorum Gallorum trans Alpes migrationem, in Italiam antiquis temporibus veniſſe. Liuius enim tradidit lib. v cap. XXXIII, quum Tuſci *ante Romanum imperium* trans Padum terras tenerent, *Venetorum angulum, qui ſinum circumcoluerint maris, exceptum fuiſſe.*

Fines Venetorum in ceteris plagis ſatis certi ſunt, Padus, mare, & limes Euganeus antea explicatus, ſiue flumen Atheſis ante conuerſionem, cum limite Cenomanorum: in ſeptemtrione pro temporibus diuerſis variatus. Primum enim Veneti ſinum accolebant vſque ad Hiſtriam, tum terminum Italiæ. Scylax Periplo pag. 13 Μετὰ δὲ Ἐνετοὺς εἰσὶν ἔθνος Ἴστροι, *poſt Venetos eſt gens Hiſtrorum:* & Scymnus Chius Periegeſi Iambica, quam alii Marciano Heracleotæ tribuunt, pag. 16

Ἐνετῶν ἔχονται Θρᾷκες Ἴστροι λεγόμενοι,

Venetis contermini ſunt Thraces, qui Hiſtri vocantur. Ex quibus adparet, maritimam omnem oram a Pado vſque ad Hiſtriam, Venetorum ditionis fuiſſe quondam. Poſtea vero vel ipſi Carni, Alpina gens, partem oræ vlteriorem eripuerunt Venetis, vel a victoribus Romanis in eam deducti fuerunt, quia Strabo, Mela, Plinius, & Ptolemæus non tantum in montibus, verum in litore quoque Carnos prope Hiſtriam poſuerunt. Strabo lib. v pag. 148 ἔξω δ᾽ ἐστὶ τῶν Ἐνετικῶν ὅρων ἡ Ἀκυληία, *Aquileia extra Venetorum fines ſita eſt.* Et lib. VII pag. 217 *Tergeſten* ad mare poſitam, *Carnorum vicum* adpellat. ἐκ Τεργέστης, κώμης Καρνικῆς, ὑπέρθεσίς ἐστι διὰ τῆς Ὄκρας εἰς ἕλος Λούγεον καλούμενον, *a Tergeſte*, inquit, *vico Carnico, traiectus montis Ocræ eſt ad Lugeam paludem.* Pomponius lib. II cap. IV maritimos populos Italiæ recenſens, a Carnis initium facit. *ſiniſtra*, inquit, *parte Carni & Veneti colunt Togatam Galliam: tum Italici populi Picentes, Frentani, Dauni, Apuli, Calabri, Salentini.* Ptolemæus autem lib. III cap. I manifeſto ſeparauit maritimos Carnos a mediterraneis. Illorum, inquit, ὁ μυχὸς τοῦ κόλπου, *intimus ſinus eſt*, ἐν ᾧ ἐστὶ Τιλαουέμπτου ποταμοῦ ἐκβολαί, Νατίσωνος ποταμοῦ ἐκβολαί; *in quo ſunt Tilauempti & Natiſonis fluuiorum oſtia.* Et Plinius lib. III cap. XVIII poſt narrata Tilauentum, Alſam, Natiſonem flumina, & Aquileiam coloniam, ſubdit, *Carnorum hæc regio, iunctaque Iapydum.* Quum ergo *Tilauemptus*, ſiue, vt Plinius ſcri-

ſcripſit, *Tilauentus*, Carnorum amnis ſit, ſaltem in finibus illorum; vſque ad illum Cluuerius produxit limitem Venetorum: cui etiam bene cum prædictis iam auctoribus eſt quod conueniat.

Regio, quam Veneti inhabitabant, antiquitus vocata *Venetia*. Liuius lib. XXXIX cap. XXII *Galli Tranſalpini transgreſſi in Venetiam, haud procul inde, vbi nunc Aquileia eſt, locum oppido condendo ceperunt.* Et Plinius lib. II cap. LXXII *Decima in parte Italiæ, quæ Venetia adpellatur.* Et lib. XXXV cap. IV *eques e Venetia.* Idem lib. XVII cap. XXIII *arbuſtat agros Venetia ſalice propter vliginem ſoli.* Nunc ad oſtia Padi, & oppida Venetiæ perluſtranda accedimus, quorum ingentem numerum collegit Scymnus Chius dicto loco,

- - - Ἑνετῶν δ' εἰσι πεντήκοντά που
Πόλεις ἐν αὐτῷ κείμεναι πρὸς τῷ μυχῷ,

Venetorum quinquaginta ſunt oppida in intimo ſinu poſita. Sed tantum numerum, ſi etiam Carnorum oram, vt Scymni ætate fuit, adieceris, nec tamen inibis, forte quod clariora tantum a geographis & hiſtoriarum conditoribus nominata ſunt: quibus nos recenſendis & perluſtrandis tantummodo inſiſtemus.

Primum oppidum ab extremo Padi oſtio, quod prope Ravennam exit, *Spina* fuit, Græcorum antiquiſſima colonia, quum Romanorum res florerent, in vicum redacta. Strabo lib. V pag. 148 ἡ Σπίνα, νῦν μὲν κωμίον, πάλαι δὲ Ἑλληνὶς πόλις ἔνδοξος. θησαυρὸς γοῦν Σπινιτῶν ἐν Δελφοῖς δείκνυται, *Spina, nunc vicus, quondam Græca vrbs nobilis: quippe & Spinitarum theſaurus Delphis oſtenditur.* Quod etiam Plinius adfirmat lib. III cap. XVI, & ſitum vna oſtendit, dum inde oſtium cognominatum dicit. De auſtrali oſtio diſſerens, *Hoc*, inquit, *ante Eridanum oſtium dictum eſt: aliis Spineticum, ab vrbe Spina, quæ fuit iuxta prævalens, vt Delphicis creditum eſt theſauris.*

Oſtia heic ſunt Eridani ſiue Padi varie nominata. Primum dicitur *Spineticum*, & *Paduſa:* proximum inde oſtium *Capraſia:* dein *Sagis;* dein *Volane*, quod ante *Olane* vocabatur. Hæc ex Plinii cap. XVI lib. III, qui vero addit, *omnia ea flumina foſſasque primos a Sagi feciſſe Tuſcos.* A SAGI quid ſit, non eſt omnino apertum. quidam oppidum eius nominis ex Annii Viterbienſis Catone interpretantur: cui videtur aliquid ex Tabula Peutingeriana accedere,

cedere, qua *Sacis ad Padum*, tamquam oppidum recensetur: aliis tantum alueus est & ostium. Fossas plures heic esse & fuisse non dubium est: easque plures non natura, sed manu factas significat Plinius: quod clarius ex Polybii lib. II cap. XVI probatur. Dicit, Padum vno alueo ferri inde a fontibus: σχίζεται δ' εἰς δύο μέρη κατὰ τὰς προσαγορευομένας Τριγαβόλους. τούτων δὲ μὲν ἕτερον στόμα προσονομάζεται Παδόα [lege Παδοῦσα] τὸ δ' ἕτερον Ὀλάνα, *scindi in duos alueos iuxta ita dictos Trigabolos: quorum alter Padusa dicatur, alter Olana.* De Padusa etiam Virgilius lib. XI verſ. 456

> *Haud secus atque alto in luco quum forte cateruæ*
> *Consedere auium, piscosoue amne Padusæ*
> *Dant sonitum rauci per stagna loquacia cygni.*

Adde ibi Seruium. Et Claudianus Epithalam. Pallad. & Celerinæ verſ. 109

> *Eridani ripas, & rauca stagna Padusæ*
> *Diffugiens nudauit olor.*

Quicumque ergo aluei extra Padusam siue Spineticum, ac Olanam, quæ post Volana dicta est, fuerunt, fossæ sunt, manu factæ, vltra quas *Carbonaria* est, & *fossiones Philistinæ* apud eumdem Plinium, quæ vel ipso fossionis nomine originem suam produnt. Septem hæc Padi flumina per lacus in Hadriam effunduntur, quos *septem maria* qui accolebant, vocarunt. Herodianus lib. VIII cap. VI de Eridano siue Pado: ἑπτὰ στόμασιν ἐς θάλατταν ἐκχεῖται· ἔνθεν καὶ τῇ [ἑαυτῶν] φωνῇ καλοῦσιν οἱ ἐπιχώριοι ἑπτὰ πελάγη τὴν λίμνην ἐκείνην, *septem ostiis in mare effunditur: vnde etiam indigenæ patria lingua Septem maria paludem illam adpellant.* Plinius dicto loco ambiguus est, de his Padi ostiis, an Atrianorum paludibus, quæ tamen cohærent cum illis, hæc *septem maria* interpretetur. De Padi fossis ait & fluminibus, Tuscos primum fecisse, *egesto amnis impetu per transuersum in Atrianorum paludes, quæ septem maria adpellantur.*

Supra Padum est amnis *Tartarus*, qui & *Atrianus* Ptolemæo vocitatur, ad quem situm est oppidum *Atria* siue *Hadria*; de quibus supra in diuisione Italiæ prædictum est pag. 636. Flumen illud & ipsum cum Pado iunctum fossa est: quamquam per Athesim, qui proximus est, potius quam per Padum, mare subeat. *Tartari* nomen apud Tacitum est lib. III Hist. cap. IX, sed ita *castra m-*

ſtra inter Hoſtiliam, [illegible]um Veronenſium, & paludes Tartari fluminis poſita memorat, vt magis dubites, quam confirmeris de ſitu amnis. Plinius autem illud Padi oſtium quod poſtremum ad ſeptemtrionem eſt, ab aliis *Tartarum* tradit vocitari. *Inde,* inquit, *oſtia plena: Carbonaria, ac foſſiones Philiſtinæ, quod alii Tartarum vocant.* Vltra Atheſim, de quo ſupra in fluminibus dictum, eſt Plinii *Togiſonus,* in portum *Brundulum,* quem idem nominat, effluens. Prope abeſt *Foſſa Clodia,* ex Medoaco minore deducta; & portus *Edro,* in quem exit Medoacus. Vide de ſingulis Plinium dicto cap. XVI.

Inter foſſas illas a Rauenna ad Patauium, multa narrantur loca in Peutingeriana Tabula, quorum pleraque aliunde haud nota ſunt, quæ eo ordine & caſu, quo ibi referuntur, viſum eſt huc transſcribere. *Min. Medoaco; Ebrone* [Edronem portum Plinius dixit:] *Foſſis; VII Maria; Hadriani; Corniculani; Neronia; Sacis ad Padum; Auguſta, Butrio, Rauenna.* Iornandes de Reb. Get. cap. XXIX *Foſſam Aſconis* ex Pado ductam ad Rauennam, deſcribit.

Mediterranea Venetorum citra Medoacum ſunt, *Patauium,* Antenoris Troiani opus, vt fama fuit, ſitum in ſiniſtra ripa Medoaci minoris. Pomponius Mela lib. II cap. IV in *opulentiſſimis vrbibus* numerat *Patauium Antenoris.* Strabo lib. V pag. 147 πλησίον τὸ Παταβίον, πασῶν ταύτῃ ἀρίστη τῶν πόλεων, *prope,* [paludes] eſt *Patauium, omnium eius regionis vrbium præſtantiſſima.* Seneca ad Helv. cap. VII *Quid intereſt enumerare Antenorem Patauii conditorem, & Euandrum in ripa Tiberis regna Arcadum collocantem?* Virgilius Aen. I verſ. 247

> *Hic tamen ille vrbem Patauii ſedesque locauit*
> *Teucrorum:* Antenor, puta.

Tacitus lib. III Hiſt. cap. VI *Patauium & Ateſte partibus adiunxere.* Oppidani *Patauini.* Liuius & ipſe Patauinus, lib. X cap. II *ad frequentes agros, tribus maritimis Patauinorum vicis colentibus eam oram, peruenit.* Hic T. Liuius non exiguam quoque gloriam ingenio ſuo adiecit patriæ, nec minor illi, quam Catullus Veronæ, Mantuæ Maro Virgilius fuit. Sidonius Panegyr. Anthemii verſ. 189

> - - - - - *quidquid in æuum*
> *Mittunt Euganeis Patauina volumina chartis.*

In Patauino agro fons *Aponus* est, calidis [illegible]tidicis aquis celebratus. Silius Italicus lib. XII vers. 217

- - - - - *Venetaque ex ordine gentes,*
Atque Apono gaudens populus.

Quia calidus, *fumiferum* dixit Lucanus lib. VII vers. 193.

- - - - - *Aponus terris vbi fumifer exit.*

Salubritatem laudat Cassiodorus regia epistola XXXIX lib. II, etiam mirandam naturam inde defluentis riui. Vim μαντικὴν, quæ credebatur, prodidit Suetonius Tiber. cap. XIV, *Quum Illyricum petens, iuxta Patauium adisset Geryonis oraculum sorte tracta, qua monebatur, vt de consultationibus in Aponi fontem talos aureos iaceret; euenit, vt summum numerum iacti ostenderent.* Plura Claudianus singulari carmine de Apono.

Ad minorem Medoacum, sed superius, vrbs alia sita est, & ab illo perluitur, *Vicetia,* aliter *Vicentia,* vt hodie Vicenza. Prior forma scribendi *Vicetia* Latinis veteribus probata. Plinio lib. III cap. XIX inter oppida regionis X est quoque *Vicetia.* Tacitus lib. III Hist. cap. VIII *possessa ipso transitu Vicetia: quod per se parum (etenim modicæ municipio vires) magni momenti locum obtinuit.* Et vetus inscriptio apud Gruter. p. 326 num. 8

M. ENNIVS M. F
MEN. VICETINVS
DECVRIO VICETIAE.

At Ptolemæus Οὐίκεντα, *Vicenta* seu *Vicentia:* Tabula Peutingeri *Vicetia,* N per notam suprascripto. Prauius Hierosolymitano itinerario & apud Paullum Diaconum *Vincentia.* Municipium fuit, quod Tacitus modo dixit, & *decurio* in lapide laudatus probat.

Medoacus autem fluuius, siue *Meduacus,* duplex est, maior & minor: ille septemtrionalis; hic australis: vterque ex Tridentinis Alpibus decurrit. Maior hodie *la Brenta* dicitur: minor *il Bachiglione.* Confluunt ante lacus atque portum, & fossis etiam deriuantur. Liuius lib. X cap. II *quum inde esse ostium fluminis prealti* [audisset] *quo circumagi naues in stationem tutam vidisset; (Meduacus amnis erat) eo inuectam classem subire flumine aduerso iussit.* Strabo lib. V pag. 148 de Patauina vrbe: ἔχει θαλάττης ἀνάπλουν ποταμῷ διὰ τῶν ἑλῶν φερομένῳ σταδίων ν καὶ σ ἐκ λιμένος μεγάλου. καλεῖται δ' ὁ λιμὴν Μεδόακος, ὁμώνυμος τῷ ποταμῷ.

Ad eam

Ad eam a mari subuectio est aduerso flumine per paludes ad stadia CCL, *ex magno portu, cui, nec non flumini, nomen est Medoaco.* Distinguit Plinius lib. III cap. XVI *Pars eorum* [fluminum] *& proximum portum fecit Brundulum, sicut Edronem Medoaci duo, ac fossa Clodia. His se Padus miscet, & per hæc effunditur.*

Inter Medoacum & Athesim *Ateste colonia*, vulgo nunc *Este*. Plinius lib. III cap. XIX *In mediterraneo regionis decimæ, coloniæ: Cremona, Brixia, Cenomanorum agro: Venetorum autem, Ateste: & oppida Acelum, Patauium, Opitergium, Belunum, Vicetia.* Ptolemæo est Ἀτεςέ. Tacitus III Hist. cap. VI *Patauium & Ateste partibus adiunxere.* Memorat & Antoninus itinere ab Aquileia Bononiam, quo fertur per *Concordiam, Altinum, Patauium, Ateste.* Prope abest ab ortu solis *Mons silicis*, oppidum, quod vulgo dicitur *Moncelese.* Paullus Diaconus lib. II cap. XIV *Alboin Vincentiam Veronamque, & reliquas Venetiæ ciuitates, exceptis Patauio, & Monte silicis, & Mantua, cepit.* Et lib. IV cap. XXVI *Langobardi castrum Montis silicis inuaserunt.* Nec vero dubitamus, antiquioris memoriæ fuisse, licet de eo nihil reliquum in monimentis vetustis sit.

Forum Allieni superest, cuius solus Tacitus Hist. III cap. VI mentionem fecit. De Patauio & Ateste egerat. *Illic cognitum,* pergit, *tres Vitellianas cohortes, & alam, cui Scribonianæ nomen, ad Forum Allieni, ponte iuncto, consedisse.* Scribunt alii editores *Forum Alieni.* Doctorum hominum coniectura est, Forum hoc nobilem nunc vrbem *Ferraram* esse, alueo Padi, vbi in Padusam & Caprasiam diuiditur, impositam. Sic Phil. Cluuerius, Th. Ryckius. Iul. Pichon, & alii: quam certo nixi argumento sint, non est quod nunc discutiamus.

Trans Medoacum vsque ad Tilauentum quæ sita sunt, nunc exponemus. In ora *Altinum* est ad ostium *Silis* fluuii. Plinius lib. III cap. XVIII *Decima regio Italiæ, Hadriatico mari adposita, cuius Venetia: fluuius Silis ex montibus Taruisanis: oppidum Altinum.* Strabo lib. V pag. 148 Ἐςι τὸ Ἄλτινον ἐν ἕλει, *in palude situm Altinum est,* παραπλήσιον, *perinde* vt Rauenna. Etiam Ptolemæus & Zosimus lib. V cap. XXXVII Ἄλτινον. Martialis lib. IV epigram. XXV

Aemula Baianis Altini litora villis.

 Oppi-

Oppidani *Altinates.* Inscript. Gruter. pag. 409 n. 8 COLLEG. FABR. ALTINATIVM. Flumen hodieque *Sile* vocatur: & oppidum quoque nomen in ruinis seruat.

Ad eumdem amnem, *Taruisium*, vulgo Treuiso, situm est, sed intus: quam antiquum oppidum, non liquet. posteriores enim sunt, qui memorant. Procopius lib. II B. Goth. cap. XXIX Belisarium Ταρβίσιον, *Taruisium* cepisse; & lib. III cap. I ἀμφὶ πόλιν Ταρβήσιον (mutata vocali) *circa oppidum Taruesium* acre prœlium commissum esse refert. Meminit & Paul. Diaconus lib. IV cap. III *rebellauit apud Taruisium:* & cap. XLVII *Opitergium, ciuitatem inter Taruisium & Foroiulii positam, expugnauit & diruit.* Et Fortunatus de Martino lib. IV sub finem: *Qua mea Taruisus residet.* Nec vero nouum plane videtur. Lapide ibidem reperto MVN. TAR. inscriptum est: & alio DECVRION. quod veteris municipii dignitatem confirmat. Adferre etiam aliquid *montium Taruisanorum* nomen potest, quos modo Plinius nominauit, nisi a gente id potius, quam oppido deductum est. Cassiodorus lib. X epist. XXVII *Taruisinum horreum:* & Paullus Diaconus lib. II cap. XII *ecclesia Taruisiana.*

Inter Silim & Plauem amnes est *Acelum* Plinii, Ptolemæi Ἄκελον, & eiusdem Paulli lib. III cap. XXVI *Acilum:* vulgo nunc Azolo siue Asolo. Ipse fluuius *Plauis*, hodie Piave, itidem a Paullo Langobardo nominatur lib. II cap. XII. *Alboin*, inquit, *quum ad fluuium Plauem venisset, ibi ei episcopus Taruisianæ ecclesiæ occurrit.* Huic amni *Duplauilis* vicus adsidet, de quo idem capite insequenti: *hic Fortunatus, natus in loco qui Duplauilis dicitur, fuit: qui locus haud longe a Cenitensi castro, vel Taruisiana distat ciuitate.* Ipse Fortunatus lib. IV de Vita S. Martini sub finem

Per Cenetam gradiens & amicos Duplauelenses.

Oppidum autem *Ceneta*, vulgo nunc Ceneda, situm paullo superius inter Plauem & Liquentiam, municipium antiquum. Veteri lapide apud Gruterum p. 228 num. 8 DECVRIONES ET POP. CENET. Aquileiensi concilio Euentius Cenetensis episcopus interfuit, etiam subscripsit. Ad Alpes *Cælina* vel *Cilina* fuit vetus oppidum ad amnem cognominem, qui Liquentiam defertur. Plinius lib. III cap. XIX *In hoc situ interiere per oram Iramine,*

Pellaon,

Pellaon, Palsatium: ex Venetis Atina, & Calina. In ripa amnis Cælinæ lapis repertus, cui CILINENSES inscriptum est.

Inter Plauem & Liquentiam etiam *Opitergium*, a pluribus memoratum, flumini paruo adsidet, cui Motegano dicitur nomen esse, quod Liquentiæ adfunditur. Plinius dicto lib. III cap. XIX *Venetorum colonia, Ateste: & oppida, Acelum, Patauium, Opitergium, Belunum, Vicetia.* e quibus Belunum supra in Rhætia censuimus: cetera paullo ante in Venetis. Et Tacitus lib. III Hist. cap. VI *Primus ac Varus & Opitergii & Altini lætis animis accipiuntur.* Ptolemæus Ὀπιτέργιον: Ammianus lib. XXIX cap. XXXV *obsessa ab iisdem* [Quadis] *ac Marcomannis Aquileia diu, Opitergiumque excisum.* Hodie Oderzo est. *Liquentia* autem fluuius, hodie Liuenza, post Opitergium delabitur. Plinius lib. III cap. XVIII *Flumen Liquentia ex montibus Opiterginis: & portus eodem nomine.* Seruius etiam Virgilio memoratum tradit Aeneid. IX vers. 679.

> *Quales aeriæ Liquentia flumina circum*
> *Siue Padi ripis, Athesim seu propter amœnum*
> *Consurgunt geminæ quercus.*

Ait enim: *Liquetia Venetiæ fluuius est inter Altinum & Concordiam. nam liquetia* (sic legit, non liquentia) *non est epitheton. nemo enim a generalitate transit ad species. Vnde adparet, quia Liquetia legendum, & non Liquentia.* Sed ceteri constanter *Liquentia* scribunt, vt iam in *Ponte Liquentiæ* videbimus. Iunctus enim hic fluuius fuit memorabili ponte, XLVIII millibus a Foroiulii. Warnefredi filius toties nominatus lib. V cap. XXXIX *Ipse Alachis ad pontem Liquentiæ fluminis, quod a Foroiulii quadraginta octo millibus distat - - quum Foroiulianorum exercitus sparsim veniret, omnes eos, sicut veniebant, iurare sibi compulit.* Et Lege II Cod. Theod. *Ne operæ a conlator.* dicunt imperatores: *Caussam Pontis Liquentiæ nolumus nostris præiudicare decretis: videlicet ob reparationem eiusdem aliquis numerus excusatus habeatur, sed ita eum instaurari oportet, vt a possessoribus ciuitatis eius territorio suo, quotiens vsus poposcerit, reformetur.* Cluuerius putat illum pontem ad *Mottam* fuisse, quæ ciuitas illa sit, cuius in lege fit mentio. At Iacobus Gothofredus, vir eminente ingenio iudicioque, *ciuitatem* legis probat ipsum esse Opitergium, quæ quamuis illi flumini non sit

adposita, tamen territorium habuerit, quod ad Liquentiam flumen pertineret. Lucas tamen Holstenius, vir æque summus, cum Cluuerio in hac caussa facit, & Pontem Liquentiæ non nudum pontem; sed pontem cum oppido esse, quod sit *la Motta* dictum vulgariter.

Vltra Liquentiam *Romatinus* amnis est, de quo Plinius lib. III cap. XVIII *colonia Concordia: flumina & portus, Romatinum: Tilauentum maius minusque: Anassum, in quod Varramus defluit.* Cluverius ordinem verborum sollicitat, & illud *maius minusque* retrahendum censet ad *Romatinum*, qui geminus sit, nec alterius nomen aliud notum: contra Tilauentus fluuius Varramum deferat sinistra ripa exceptum. nam & reliqua auctoris verba ita ordinat: *Tilauentum, quo Varramus defluit: Anassum, Alsa, Natiso.* Rationem adfert, quia Tilauenti & Varrami nomina corrupte supersint *Tiliamento* & *Varmo*, qui confluant. Siue iam minor Romatinus ad maiorem, siue alio nomine fluuius in sinistra ripa accedit; ad illos confluentes colonia illa Plinii fuit *Concordia*, quam etiam Ptolemæus κολώνιαν dicit, quamquam minus accurate in Carnis locat. Cognomen habet *Iulia*, quo simul proditur qui deduxit. Lapis a Grutero p. 549 num. 7 descriptus præfert

D. M.

C. LAELIO C. F. CLAVD
EXORATI DOMO IVLIA
CONCORDIA EQVO PVBLICO
VIXIT ANN. XIII M. VI.

Inde via publica per pontem Liquentiæ & oppidum Altinum ferebat in citeriorem Italiam. Eutropius lib. VIII cap. V de L. Vero: *obiit in Venetia, quum a Concordia ciuitate Altinum proficisceretur.* Et de Alarico, Romam petituro, Zosimus lib. V cap. XXXVII Ἀκυληίαν παρατρέχει καὶ τὰς ἑξῆς πόλεις, ἐπέκεινα τοῦ Ηριδανοῦ ποταμοῦ κειμένας· φημὶ δὲ Κονκορδίαν καὶ Ἄλτινον, *Aquileiam praeterit, & vrbes ordine trans Padum flumen sitas, Concordiam, inquam, & Altinum.* Et Antonini itinere ab Aquileia Bononiam hic ordo obseruatus:

Aqui-

Aquileia	- -	
Concordiam	M. P.	* XXXI
Altinum	M. P.	XXXI
Patauium	M. P.	XXXII
Ateste	M. P.	XXV.

A Tilauento flumine CARNI ſuccedunt, Alpinus populus, ſed poſtea ex parte vſque ad mare deductus, vt ſupra de Venetorum finibus probatum fuit. Pertinebant ad *Formionem* amnem, quo ab Hiſtria diremti ſunt. In ora hæc ſunt: *Anaſſus* fluuius, in quem, ſecundum Plinium, *Varramus* defluit, in quibus quæ Cluuerius deſideret, paullo ante ad Romatinum flumen demonſtrauimus. *Varramus* enim Tilauento, id eſt Varmo (nam ſuperant nomina) Tiliamento, adfunditur: poſtea delabitur *Anaſſus*: deinde *Alſa* fluuius. Plinius dicto loco: *colonia Concordia: flumina & portus: Romatinum: Tilauentum maius minusque: Anaſſum, in quod Varramus defluit: Alſa, Natiſo cum Turro, præfluentes Aquileiam coloniam.* Alſa flumen eſt, ad quod Conſtantinus, Magni filius, ciuili bello a fratre Conſtante victus, periit. Epitoma Aurelii Victoris: *Conſtantinus latrocinii ſpecie dum incautus, fœdeque temulentus, in aliena irruit, obtruncatus eſt, proiectusque in fluuium, cui nomen Alſa eſt, non longe ab Aquileia.* Hieronymus chronico: *Conſtantinus bellum fratri inferens, iuxta Aquileiam Alſæ occiditur.* Ex quo coniicias, oppidum eiusdem nominis flumini fuiſſe adpoſitum: cuius vero nulla exſtat apud alios memoria reliqua. Forſan lapſu factum, vt fluminis nomen pro oppidi vocabulo caperetur.

Deinde *Aquileia* fuit, ampla ciuitas & nobilis colonia. Præfluentes, *Natiſonem* cum *Turro*, iam Plinius memorauit. Natiſo ab oriente vrbem præfluens in lacu Hadriæ præiacente portum facit Aquileienſem, ad inſulam lacus, *Gradus*, de cuius oppido in medii æui geographia dicturi ſumus. Iornandes Get. cap. XLII *Attila Aquileienſem obſedit ciuitatem, - - - - cuius ab oriente muros Natiſo amnis, fluens a monte Picis, elambit.* Et Paullus Warnefredi lib. II cap. X *patriarcha ex Aquileia ad Gradus inſulam confugit.* Vocatur hodieque & ipſa & oppidum in ea, & portus *Grado*. Sed ad Aquileiam reuertimur. Antiqua illa colonia fuit, cuius originem Liuius lib. XL cap. XXXIV deſcripſit. *Aquileia colonia Latina*

tina eodem anno in agro Gallorum est deducta. Tempus id erat inter I & II bellum Macedonicum. Strabo lib. V pag. 148 caussam deductionis prodit. κτίσμα, inquit, ἐστὶ Ῥωμαίων, ἐπιτειχισθὲν τοῖς ὑπερκειμένοις βαρβάροις, *opus Romanorum est Aquileia, munitum aduersus supra illam habitantes barbaros.* Aucta colonis nouis post aliquot annos fuit. Liuius lib. XLIII cap. XVII *Postulantibus a senatu Aquileiensium legatis, vt numerum colonorum augeret;* M & ID *familiæ ex* S C. *scriptæ, triumuirique, qui eas deducerent, missi sunt.* Inde celeberrimum emporium factum, cuius vbique laudes celebrantur. Vide Herodianum lib. VIII cap. II, Præfat. Nouellæ XXIX, & Ausonium de claris vrbibus, quamuis ille detrahat dignitati, dum *nonam* facit. Adi illust. Spanhem. ad Iulianum pag. 254. Nomen Iulianus Orat. II de gestis Constantii, ab *aquilæ* augurio, quum conderetur, impositum dixit: Isaacus Vossius ad Melam, ab aquarum copia quasi *Aquilegiam* adpellatam. Portus in Natisonis ostio LX stadiis ab vrbe distat, vnde ὁλκάσι κατὰ τὸν Νατίσωνα, *tractis nauigiis aduerso Natisone* merces subuehebantur, quod Strabo, loco ante dicto, memorat. Mela quoque lib. II cap. IV *Natisonis* rationem habet, qui *Aquileiam ditem non longe a mari attingat.*

Vltra Aquileiam est amnis *Sontius*, nunc *l'Isonze* dictus. Cassiodori quidem chronico, in Zenone, vulgatum est, *Odouacer ad Isontium victus;* sed vereor, ne ab recenti manu prima littera sit: quia idem Cassiodorus lib. I epist. XVIII scripsit: *Sonti fluenta transmisimus.* Iornandes quoque Get. cap. LVII, *ad pontem Sontium nuncupatum castra metatus est:* & antiqua Peutingerorum tabula *Ponte Sonti.* Hic pons ab Aquileia XIIII millibus fuit, itinere inde in Alpes Iulias directo. Supra pontem Sontius amne *Frigido* augetur, ab ortu adlabente, de quo supra in Fluminibus ex Socrate, Claudiano, & Itinerariis prædictum fuit: nec non de *Timauo fonte, flumine, & lacu:* etiam de antiquo fine Italiæ, vt Plinius ait, flumine *Formione.* Vide pag. 634. 635.

Omnia hæc flumina, quæ post Aquileiam sunt, in *Sinum Tergestinum*, quem ita Plinius lib. III cap. XVIII nominauit, effunduntur. A colonia *Tergeste* nomen sinui, quæ adiacet, citra tamen Formionem: & ipsa aliquando finis Italiæ. Mela lib. II cap. III extremo: *Tergeste, intimo in sinu Hadriæ situm, finit Illyricum.*

cum. Plinius dicto loco: *Tergestinus sinus, colonia Tergeste* XXIII M. P. *ab Aquileia: vltra quam* VI M. *passuum Formio amnis, antiquus aucta Italia terminus.* Prorogationem termini exposuimus pag. 635 ex Strabone. Nomen Latinis censetur neutro genere, vt *Praeneste, Ateste.* Sic Pomponius modo dixit, *Tergeste intimo in sinu situm:* & Paterculus lib. II cap. CX *Nauporti ac Tergestis confinio.* At Strabo lib. VII pag. 217 ἐκ Τεργέστης, femineo modo: & Ptolemæus neutrali forma alia Τέργεστον κολώνια, *Tergestum colonia.* Stephani breuiator, transpositis litteris, Τέγεστρα, poetas forsan sequutus, metathesi metri caussa vtentes. Dionysius Periegesi vers. 382 ἄστυ Τεγεστραίων, *vrbs Tegestræorum.* Verum autem nomen *Tergeste* est, atque ita in lapidibus inscriptum. Gruterus pag. 388 num. I

AED. II VIR. IVR. D
TERGESTE.

Etiam Theodosiana Tabula *Tergeste.* Vulgo nunc *Trieste.* Coloniam Plinius vocat & Ptolemæus. Quando deducta fuerit, non liquet. Mirum vero, Strabonem, qui sub Tiberio scripsit, dicto loco κώμην Καρνικήν, *vicum Carnicam* vocare, quum Dionysius, quem Augusto iubente scripsisse tradit Plinius lib. VI cap. XXVII, iam tum ἄστυ, *vrbem* adpellauerit. Sequutus forte Strabo est veterem scriptorem, qui præcessit deductionem coloniæ.

Hæc de Carnorum maritimis. In mediterraneis sunt, si ab occasu incipimus, in Carnicis Alpibus *Iulium Carnicum*; quod ita Antoninus vocat itinere ab Aquileia Veldidenam. Ptolemæus lib. II cap. XIV μεταξὺ Ἰταλίας καὶ Νωρικοῦ Ἰούλιον Κάρνικον, *inter Italiam & Noricum est Iulium Carnicum.* Dubius itaque fuit, vtri regioni sit attribuendum. Plinius vero lib. III cap. XIX sine hæsitatione *Iulienses Carnorum* in Italia censet. Ne enim Forum Iulium intelligas, post paullo seorsum memorauit *Foroiulienses,* distinctos ab Iuliensibus Carnorum. Vestigia exstare dicuntur circa initia Tilauenti fluuii. Ad eumdem etiam videtur *Noreia* fuisse, quia Strabo lib. V pag. 148 scripsit: *Sita est Aquileia extra Venetorum fines.* διορίζονται δὲ ποταμῷ ῥέοντι ἀπὸ τῶν Ἀλπίων ὀρῶν, ἀνάπλουν ἔχοντι, καὶ σ' σταδίων ἐπὶ τοῖς χιλίοις εἰς Νωρηίαν πόλιν, *Dirimuntur* [Veneti a Carnis] *flumine delabenti ab Alpibus, quo aduerso nauigari potest per* CIↃ CC *stadia ad vrbem Noreiam.* Iam vero, quia

extra Venetum limitem Aquileia fuit, quem fluuius citerior nauigabilis fecit; non poteſt alius ille eſſe quam Tilauentus, ad quem ex Strabonis deſcriptione *Noreia* poſita fuit. Plinius dicto cap. XIX Tauriſcis quidem tribuit, attamen cum Carnis eos coniungit, & vtrosque in decima Italiæ regione recenſet. *In hoc ſitu*, inquit, *interiere per oram Iramine, Pellaon, Palſatium: ex Venetis Atina & Cælina: Carnis Segeſte & Ocra: Tauriſcis Noreia.* Meminit etiam Cæſar Noreiæ in Norico lib. I Gall. cap. V, cuius verba in illa prouincia pag. 543 propoſuimus. Verum dubitant multi, an eadem ſit. Quod ſi fuit, oportet ipſum Cæſarem, in illo tractu, Italiæ fines protuliſſe, quemadmodum Forum Iulium & Iulium Carnicum ab ipſo nomen habent. Verum quia plane incertum eſt, an Norici limes ſummas Alpes tranſierit, Cæſaris autem *Noreia*, vt veteres libri & metaphraſis Græca habent, ſiue *Norica*, vt recentiores legunt, *in agro Norico* ſita fuit; non deſinit dubitatio, ſitne eadem Noreia Cæſaris, quæ Plinii ac Strabonis fuit, an ab illa diuerſa: niſi dicere velis, Cæſarem non id tradere, quod Noreia in Norico ſita ſit, ſed quod Boii ex Norico Noreiam oppugnaverint: quod etiam fieri potuit, quia Norici & Carni ſunt contermini. Quoquo autem modo res de Cæſaris Noreia habet: fuit nihilominus in medio Norico Noreia, vt ex Peutingeriana Tabula alibi oſtenſum eſt.

Non ignobilis vrbs hodie in illo tractu eſt *Vdina*, de cuius ætate quidem nihil conſtat, nec tamen noua, aut condita poſt Romanorum tempora videtur, pro quo Cluuerius *Nedinates* Plinii ex dicto cap. XIX adlegat, quaſi N pro V irreſperit, ac *Vedinates* legendum ſit; & *Vedinum* (correpta media vt in *Ariminum*) nomen oppidi antiqui fuerit, quod nunc *Vdene* vel *Vdine*, vulgo adpellatur. Scite inuentum, nec a fide alienum, niſi, quod etiam Harduinus obiecit, ab adſenſu ordo reuocaret, quem Plinius pro more ſecundum alphabetum obſeruauit. Hanc enim ſeriem elementorum tenuit: *Forotulienſes cognomine Transpadani*, *Foretani*, *Nedinates*, *Quarqueni*, *Tauriſani*, *Togienſes*, *Varbari*. Sic Harduinus ex MSS. legit: Frobenius autem, poſthabita ſerie elementorum, *Foretani*, *Venidates*, *Quarqueni*: quam lectionem etiam Cluverius in animo & oculis habuit.

Itinere

Itinere Antonini ab Aquileia Veldidenam, inter ipſam Aquileiam & Iulium Carnicum, eſt locus *Ad Tricenſimum,* ſiue *Triceſimum,* intellige lapidem ſeu milliarium, qui quod diſtantiam ab vrbe per ſe ſignificat, itineris ductu locari facile poteſt, fere medio inter vtrumque loco. Plura in hoc tractu caſtella, ſed ignobilia omnia, Paullus Diaconus nominat lib. IV cap. XXXVIII, *Cormones, Nomaſum, Oſopum, Arteniam, Reuniam, Glemonam,* &, vt ait, inexpugnabili poſitione *Ibliginem:* ſed obſcura pleraque, nec alibi deſcripta, & quorum nequit oſtendi locus atque ſitus, præter *Cormones,* nunc Cormons: Ideoque prætereunda potius cenſemus, quam incertis inueſtiganda coniecturis.

Ad Natiſonem ſupra Aquileiam eſt *Forum Iulii,* Ptolemæi φόρος ἰȣ́λιος κολώνια, *Forum Iulium colonia.* cuius incolæ ſunt Plinio *Foroiulienſes cognomine Transpadani,* lib. III cap. XIX. Plura enim ſunt huius nominis oppida, Forum Iulium Galliæ Narbonenſis cis Rhodanum: Forum Iulium Vmbriæ, cognominatum Concubienſe: & hoc noſtrum diſcriminis cauſſa *Transpadanum* dictum. Eadem eſt *Foroiulienſis ciuitas* lib. XII epiſtola regia XXVI, vbi cum Concordienſi & Aquileienſi coniungitur. Et Paullus Langobard. lib. VI cap. LI *Fidentius epiſcopus de Caſtro Iulienſi cum voluntate ſuperiorum ducum intra Foroiuliani caſtri muros habitauit.* Hodie vocatur *Ciuidal di Friuli,* a qua regio Friuli denominatur: dignitatem autem capitis conceſſit ciuitati Vdinenſi.

Tandem ἀνώνυμος vrbs non eſt prætereunda in hoc tractu. Liuius lib. XXXIX cap. XXII *Eodem anno* [Q. Marcio & Sp. Poſtumio coss.] *Galli Transalpini transgreſſi in Venetiam ſine populatione aut bello, haud procul inde, vbi nunc Aquileia eſt, locum oppido condendo ceperunt.* Condiderunt vtique: ſed breui poſt tempore deletum fuit a Claudio Marcello. Plinius lib. III cap. XIX quum opppida, quæ in Venetis & Carnis interiiſſent, enarraſſet, addit, *Et ab Aquileia ad duodecimum lapidem, deletum oppidum, etiam inuito ſenatu, a Claudio Marcello, L. Piſo auctor eſt.* Id haud dubie fuit, quod Galli, vt dictum, condiderant. Vnde Cluuerius, quod proprium nomen latet, *Gallorum oppidum* adpellat.

HISTRIA tandem accedit, quondam pars Illyrici: ſub Cæſaribus demum adiecta Italiæ. Nam more priorum temporum, vt ſæpe facit, Pomponius Mela ſcribens, *Tergeſte* tradit *finire Illyricum*

cum lib. II cap. III extremo. Et olim citerior limes erat, quia Plinius *Formionem* fluuium, qui VI millibus vltra Tergeste est, *aucta Italia terminum* dixit lib. III cap. XVIII. Sub Augusto accessit Histria. Strabo lib. VII pag. 217 οἱ νῦν ἡγεμόνες, *nostri temporis principes*, qui Augustus sunt & Tiberius, fines Italiae *ad Polam* Histriae vrbem protulerunt. Illius enim auspiciis, huius ductu & aliorum in illis oris contra Dalmatas & Pannonios debellatum fuit. Integra Strabonis verba supra pag. 635 exscripsimus. Accessit iterum pars post Strabonem a Pola vsque amnem Arsiam, de quo Plinius cap. XIX dicit: *finis Italiae fluuius Arsia.* Nec dissentit Ptolemaeus, cui Νέσακτον τέλος Ἰταλίας, *Nesactium finis Italiae* est, oppidum ad ostia situm Arsiae, atque ita Italiae extremum. Exigua pars Histriae, quae vltra est amnem Arsiam, relinquitur Illyrico.

Italiae itaque in Histriae peninsula post Formionem est *Aegida*, proximum flumini oppidum, quod medio aeuo *Iustinopolis* dictum, nunc *Capo de Istria*, ibi in insula situm. Plinius lib. III cap. XIX vetus nomen seruauit. *Oppida*, inquit, *Histriae ciuium Romanorum, Aegida, Parentium.* Oppidani inscriptionem ostendunt, quam & Gruterus pag. 164 habet, qua *Aegidis insula* vocatur, aedificata ab Iustino imperatore. Sed conficta illa Thomae Reinesio, acerrimi iudicii viro, ab recentiore aliquo videbatur. Alterum ciuium Rom. oppidum erat *Parentium*, vt iam Plinii testimonio cognouimus; Ptolemaei Παρέντιον, hodie *Parenzo*, in parua peninsula. Antonini itinere ab Aquileia per Histriam, oppidum *Ningum* interpositum est, his vtrimque interuallis:

Aquileia		
Fontem Timaui	M. P.	XII
Tergeste	M. P.	XII
Ningum	M. P.	XXVIII
Parentium	M. P.	XVIII
Polam	M. P.	XXXI.

Itineris ductu fertur fere ad paruae oralis insulae oppidum *Humago*. Nemo praeterea mentionem fecit. Inter Ningum & Parentium flumen exit, quod Histriam secat, nunc vulgo *Quieto* dictum. In Theodosiana Tabula, quam Peutingeris debemus, ad figuram praetorii vel calidarum adscriptum est *Quaeri:* & infra, *Siluo.* Inde coniicit Cluuerius *Quatum* nomen fluminis fuisse: & *Siluum* vel *Siluium*


Septentrio
ITALIA MEDIA sive PROPRIA
ISTRIAE PARS
MARE ADRIATICUM
MARE TYRRHENUM
GALLIA TRANSPADANA
GALLIA CISPADANA
Apenninus Mons
Boii
Lingones
Apuani
Etruria
Senones
Latium
Marsi
Vestini
Marrucini
Peligni
Umbria
Picenum
Campania
Apulia
Ravenna
Ariminum
Florentia
Pisae
Luca
Roma
Capua
Ancona
Perusia
Trasimenus Lacus
Insulae Diomedis
Ilua sive Aethalia
Igilium I.
Oriens
Meridies

Siluium illud oppidum, cuius ruinæ IV millibus a mari in ripa eius amnis conſpiciuntur.

Pola autem, nobilis colonia, nomen retinet. Strabo, lib. V pag. 149, Colchorum κτίσμα ἀρχαῖον, *opus antiquum* vocat, eorum videlicet, qui miſſi ad Medeam perſequendam, fruſtrati ſpe, heic conſederint. Plinius dicto loco: *colonia, Pola, quæ nunc Pietas Iulia, quondam a Colchis condita.* Etiam Mela lib. II cap. III *Sinus Polaticus, & Pola quondam a Colchis, vt ferunt, habitata (in quantum res tranſeunt!) nunc Romana colonia.* Veteri lapide apud Gruterum p. 360 n. I VI VIR AVG. TERG. ET POL. Vt autem Mela *ſinum* nominauit *Polaticum:* ſic Stephani breuiator refert ἀκρωτήριον πολατικὸν, *promontorium Polaticum.*

Poſt Polam Plinius: *mox oppidum Neſactium: & nunc finis Italiæ fluuius Arſia.* Neſactium ergo extremum Italiæ oppidum ad oſtium amnis Arſiæ, Νέσακτον, *Neſactum,* tribus ſyllabis, Ptolemæo dictum. Liuius corrupte *Neſatium,* vel, vt in aliis libris eſt, *Neſartium:* ſed *ct*, auctoribus Plinio & Ptolemæo, ſubſtituendum. *Iunius,* inquit, *Manliusque oppidum Neſactium, quo ſe principes Hiſtrorum, & regulus ipſe Aepulo receperat, ſumma vi oppugnarunt.* Liuius ibidem addit: *Duo deinde oppida, Mutila & Faueria, vi capta, & deleta:* ſed de horum ſitu nihil nobis cognitum eſt præter incertam Cluuerii coniecturam, qui *Faueriam* Arſiæ adponit; *Mutilam* mari poſt promontorium Polaticum.

ITALIA PROPRIA.

De Gallia Cisalpina adhuc actum fuit, ea Italiæ parte, quæ in Cispadanam Transpadanamque diuiſa fuit. Quæ nunc ſequitur, Italia Propria eſt, ſemper Italiæ nomine vſa, cui propter incertos fines etiam illam partem adiectam volumus, quæ ab Græcanicis coloniis Græcia olim Magna fuit adpellata. Propriam ergo Italiam vocamus, vt ab Italia Gallica diſcernatur: quamuis in illa quoque aliquid fuit, inter Macram videlicet & Arnum, quod in prouincia Gallia Cisalpina Romani cenſuerunt. Nam *Luca* primum eius prouinciæ oppidum fuit, quod ex Ciceronis lib. I epiſt. IX ſect. 16 clarum eſt: vbi Manutium etiam interpretantem conſulas. Contra *Piſæ* primum oppidum erat Etruriæ. Polybius

lib. II cap. XVI *μέχρι πόλεως Πίσης, ἥ πρώτη κεῖται τῆς Τυῤῥηνίας ὡς πρὸς τὰς δυσμὰς, vsque ad Pisas, primam Etruriæ vrbem, occidentem versus.* Quod Italiæ Propriæ pars maxime occidentalis Etruria est, de illa etiam initium faciemus, inde ad ceteras partes, vt proximus cuiusque situs inuitabit, qua cœptum via est, progressuri.

E T R V R I A.

Quæ a Macra fluuio, Liguriæ fine, ad Tiberim vsque regio patet, *Etruria* Romanis dicta fuit, Græcis *Τυῤῥηνία.* Id nomen Latini veteres sine adspiratione scripserunt; etiam deriuatum *Etrusci*, quod ex inscriptionibus vetustis manifestum est: hoc Polybius, Scylax, Strabo, alii vsi sunt, quod ab rege Tyrrheno, ex Asia aduecto, deducunt. Plinius lib. III cap. V *Adnectitur septima* [regio] *in qua Etruria est, ab amne Macra, ipsa mutatis sæpe nominibus. Vmbros inde exegere antiquitus Pelasgi: hos Lydi, a quorum rege Tyrrheni; mox a sacrifico ritu, lingua Græcorum, Thusci sunt cognominati.* Quod etiam Dionysius Halicarnasseus tradit lib I pag. 24, a peritia rerum diuinarum & sacrificiorum quasi Θυοσκόους vocatos esse, quod contractum in Tuscos fuerit. Sed vereor, vt genuina hæc deriuatio sit, nec potius adlusio longius petita. Veteres Latini enim per T scripserunt *Tuscos;* non *Thuscos* per Th, quod Θ Græcorum est, & necessarium iis, quæ a θύω deriuantur. Manutius testis est, & libris veteribus, & in lapidibus sine adspiratione esse, verbi caussa, fragmento marmoris triumphorum Capitolini, DE TVSCEIS: & Prænestino lapide TVSCVS ARATOR: ac Florentino, SABINORVM ET TVSCORVM. Ipsum autem *Tuscorum* vocabulum perantiquum est, & Virgilius dixit *Tuscum Tiberim* Georg. I vers. 499: & lib. X vers. 164

- - - - Tuscis comitetur ab oris.

An vero etiam regionis nomen quod a Tuscis ducitur, *Tuscia*, sit æque antiquum, exemplis destituti, non sine caussa dubitamus. Lapides habent CORRECTORI TVSCIAE apud Gruterum p. 387, 476, 486; sed nec ignotum, posterioris æui illud munus & dignitatem esse perinde ac *Tusciæ suburbicariæ* cognomen Lege XII Cod. Theod. de Indulgentiis debitorum: quo tempore etiam Ammianus *Tusciam annonariam* lib. XXVII cap. IV dixit; & simpliciter, *Tusciam rexit*, lib. XXVIII sub initium. Vetustiores

omnes

omnes dicunt *Etruria.* Quae regio quod longius procurrit a mari ad Tiberim vſque; commodioris expoſitionis cauſſa in partes diuidemus, vt prima ſit a Macra amne ad Arnum: altera ab Arno fluuio ad Volſinium lacum: reliqua inde ad Tiberim. Id ſolum praenotamus, antequam ad oppidorum expoſitionem veniamus, vniuerſam Etruſcorum gentem in duodecim populos, a praecipuis oppidis denominatos, fuiſſe diſtributam. Liuius lib. IV cap. XXIII, *legatis circa* XII *populos miſſis:* & lib. V ineunte, *ſuffragio* XII *populorum:* & lib. VII cap. XXI *Terror inde vanus belli Etruſci, quum coniuraſſe duodecim populos fama eſſet.* Et clarius Halicarnaſſenſis Dionyſius lib. VI pag. 399 L. Iunii oratione: Τυῤῥηνίαν ἅπασαν εἰς δώδεκα νενεμημένην ἡγεμονίας, *vniuerſam Etruriam in duodecim ducatus diuiſam* dixit. Sunt autem populi illi ab vrbibus nominati, quas Cluuerius & Holſtenius ita enumerant: *Cluſium, Perusia, Cortona, Arretium, Volaterra, Vetulonium, Ruſellae, Tarquinii, Volſinii, Caere, Falerii, Veii.* Sic antiquis temporibus. Sub Caeſaribus auctus numerus, vt inſcriptiones teſtantur. Gruter. p. 385 num. I ETRVR. XV POPVLOR. Et Reineſ. claſſ. VI n. 114 AETRVR. XV POPVL. Reineſius quidem cenſet XV in XII mutandum eſſe: ſed quod altera Gruteri eumdem numerum habet, molliorem ex temporibus, quam violentam liturae & mutationis medicinam duco praeferendam eſſe. Sunt enim ſub Caeſaribus factae, & ſuam Reineſius ad Gallieni tempora referre non dubitauit.

Prima pars a Macra ad Arnum nunc expedienda. Oppidum primum *Luna* eſt, in Macrae ſiniſtra ripa, reductum a mari: portus autem Lunenſis trans flumen in Liguriae ſolo eſt: quod contra Cluuerium, Straboni atque Melae credentem, ex Plinio & Ptolemaeo, & quod praecipuum eſt, ex αὐτοψίᾳ & locorum inſpectione Holſtenius probauit. Strabo ſcripſit ambigue p. 153 ἡ Λοῦνα πόλις ἐστὶ καὶ λιμὴν, *Luna & vrbs eſt & portus*, quod tam de diuerſis quam vno loco intelligas licet. Mela confudit cum vrbe portum lib. II cap. IV, *Luna Ligurum* dicens: niſi ad originem reſpexit. Nam inter Macram etiam & Arnum credibile Ligures genere habitaſſe. nam XII populi Etruſcorum citra Arnum omnes fuere: nec vero Auguſtus demum limitem produxit, quia Strabo p. 154 ait, τῶν συγγραφέων πολλοὺς, *multos ſcriptores* in Macra limitem

tem Liguriæ Etruriæque posuisse. Hoc est quod Liuius dixit lib. XLI cap. XIII de Luca colonia: *Quinquagena & singula iugera & semisses agri in singulos dati sunt. De Ligure captus is ager erat: Etruscorum ante, quam Ligurum, fuerat.* Idem bene distinxit ab vrbe Luna portum Lunæ, vt verbis eius in Liguria p. 658 demonstrauimus. Nec marmor Lunense silendum est. Plinius lib. XXXVI cap. V *Omnes candido marmore vsi sunt e Paro insula, multis postea candidioribus repertis, nuper etiam in Lunensium lapidicinis.* Et cap. VI de Mamurra Formiano: *totis ædibus nullam nisi e marmore columnam habuit, omnes solidas e Carystio aut Lunensi.* Et Silius Italicus lib. VIII vers. 481

Tunc quos a niueis exegit Luna metallis.

Flumen post Lunam L' Avenzo est, quod, vt nomen arguit, est *Auentia* Tabulæ, quamuis alieno ibi positum loco. *Fossæ* ibidem *Papirianæ* sunt, Antonini *Papiriana*, medio inter Lunam & Pisas loco sita, hinc XI, illinc XII passuum millibus. Longius a mari in Macram flumen *Audena* se infundit prolapsus ex iugis Apennini. Liuius memorauit lib. XLI cap. XIX. *Inter Audenam*, inquit, *amnem P. Mucius cum iis, qui Lunam Pisasque depopulati erant, bellum gessit.* Sed hoc ex coniectura Cluuerii. *Vesidia* flumen, quod Tabula habet, se nomine vulgari prodit *Versiglia*. Huic Cluuerius *Fanum Feroniæ* adponit, ductus Longobardica inscriptione apud Gruter. p. 220 *Petra sancta, olim Fanum Feroniæ.* In hac ora autem exstat oppidum, quod Pietra Santa vocitatur. Accedit Latina Ptolemæi versio, qua inter Lunæ promontorium & Arni ostia est *Lucus Feroniæ.* Strabonis autem *Feroniæ Fanum* sub monte Soracte prope Tiberim: ibidemque *Lucus Feroniæ* Plinii. Supra Fanum, quod posuit, in eadem ripa *Forum Clodii* idem Cluuerius locauit, quod in Peutingeri tabula, sed turbato ordine, adparet. Ptolemæus autem *Herculis Fanum* in litore habet.

Intus ad *Auserem* amnem nobilis colonia *Luca* est, quæ nomen custodit, vt de sede non liceat ambigere. Liuius lib. XXI cap. LIX *Hannibal in Ligures: Sempronius Lucam concessit.* Tum nondum colonia erat. Idem lib. XLI cap. XIII *Et Lucam colonia eodem anno* [IↃLXXVI] MM *ciuium Romanorum sunt deducta:* quod etiam cum Velleii Paterculi calculo lib. I cap. XV conuenit. Strabo lib. V pag. 150 πρὸς τοῖς ὄρεσιν ἐστὶν πόλις τοῖς ὑπερκειμένοις τῆς

Λούνης,

Λούνης, Λοῦκα, ad montes supra Lunam sitos est Luca. Plinius III cap. V colonia *Luca a mari recedens.* Ita vero colonia Luca fuit, vt vna esset municipium. Cicero lib. XIII epist. XIII *L. Castronius Pætus, longe princeps municipii Lucensis.*

Illustriores olim *Pisæ* erant, a pluribus tam Græcis quam Latinis laudatæ. Ibidem Plinius: *Pisæ inter amnes Auserem & Arnum.* Quod etiam Rutilius Numatianus mox proferendo versu dixit. Tradunt, a Pisæis Peloponnesi conditas: vnde *Alpheæ* a fluuio Peloponnesiaco cognominantur. Virgilius lib. X vers. 179

> - - - - *Alpheæ ab origine Pisæ,*
> *Vrbs Etrusca solo.*

Et Rutilius iam nominatus lib. I Itinerar. vers. 565

> *Alpheæ veterem contemplor originis vrbem,*
> *Quam cingunt geminis Arnus & Ausur aquis.*

nam *Ausur* & *Auser* dicitur is fluuius: Straboni corrupte Αἴσαρ. Idem p. 154 ἡ Πίσα κτίσμα ἐστὶ τῶν ἐν τῇ Πελοποννήσῳ Πισατῶν, *Pisæ conditæ a Pisatis Peloponnesiacis.* Duplicant sibilantem Græci ceteri. Polybius lib. II cap. XXVII ὕπατος εἰς Πίσσας καταπλευκώς, *consul Pisas nauigans* e Sardinia: & cap. XXVIII εἰς τὰς Πίσσας κατάπλους, *Pisas nauigatio.* Sic quoque Ptolemæus, & Lycophron vers. 1241. Sed Romanorum lapides constanter *Pisæ,* aut sexto casu *Pisis,* apud Gruterum p. 301, 444 num. 1, & 550 n. 10. & L. Cæsaris cenotaphio, PISIS IN FORO. Colonia fuit æque vt Luca. Plinius dicto loco: *Colonia Luca a mari recedens: propiorque* [mari] *Pisæ inter Auserem & Arnum,* subaudi, colonia. Ptolemæus Πίσσαι κολώνια. Et ipsi Pisani dicto L. Cæsaris cenotaphio: LEGATI EX NOSTRO ORDINE IMPER. CAESAREm AVGVSTVM - - - ADEANT PETANTQVE AB EO, VTI COLONIS IVLIENSIBVS COLONIAE OPSEQVENTI IVLIAE PISANAE EX HOC DECRETO EA OMnIA FACERE EXSEQVIQVE PERMITTAT. Hinc habes integra & honorifica coloniæ cognomina. Originem Liuius reuelauit lib. XL cap. XLIII. *Pisanis,* inquit, *agrum pollicentibus, quo Latina colonia deduceretur, gratiæ ab senatu actæ, triumuiri creati ad eam rem.* Postea Cæsar colonos nouos addidit: vnde cognomen nouum. Portum egregium habuerunt: ex quo est quod supra dixit Polybius εἰς Πίσσας καταπλευκέναι, *Pisas*

nauigare: etiam Liuius lib. XXI cap. XXXIX *quum Pisas nauibus venisset.* Et Rutilius Itinerar. lib. I vers. 531

Contiguum stupui portum, quem fama frequentat
Pisarum emporio, diuitiisque maris.

Sinum etiam maris hæc vrbs, quamuis reducta paullo, cognominauit. Tacitus Hist. lib. III cap. XLII *Fabius Valens e sinu Pisano segnitia maris, aut aduersante vento, Portum Herculis Monœci depellitur.* Supra vrbem, tertio fere lapide, qua Lucam iter est, *Aquæ* sunt *Pisanæ*, calidæ scilicet. Plinius lib. II cap. CIII *Patauinorum aquis calidis herbæ virentes innascuntur: Pisanorum, ranæ.*

Hinc in septemtrionem sub Apennino est *Pistoria*, nunc Pistoia, Plinii *Pistorium:* at Ptolemæus Πιςωρία, *Pistoria.* Tabula Peutingeriana corrupte *Pistoris:* Antoninus itineribus a Fauentia & Luca, Aldina editione *Pistores;* Schottana & Bertiana *Pistorium.* A Luca distat XXV millibus. Possessiuum & gentile *Pistoriensis.* Sallustius Cat. cap. LVII *reliquos Catilina in agrum Pistoriensem abducit.*

Florentia, Arno flumini imposita, XXV millibus a Pistorio in ortum, vt Antonini itinere a Fauentia Lucam, & Luca Romam, definitum est, iam tum Syllani belli temporibus in splendidis municipiis numerata. Florus lib. III cap. XXI *Municipia Italiæ splendidissima sub hasta venierunt, Spoletium, Interamnium, Præneste, Florentia.* Sic Palat. & Vineti MSS. vbi vulgo *Fluentia*, quod nihil aut dubium est, legitur. Sed an illo tempore tam splendida fuerit, non sine caussa dubitatur. Tacitus quoque in municipiis aut coloniis habet, Annal. I cap. LXXIX. *Audita,* inquit, *municipiorum & coloniarum legationes, orantibus Florentinis, ne Clanis solito alveo demotus, in amnem Arnum transferretur.* Coloniam quoque factam esse, hæc verba Frontini, de coloniis Tusciæ, probant: *Colonia Florentina deducta a triumuiris, adsignata lege Iulia centuriæ Cæsariana in iugera* CC. Plinii eadem, quæ Flori, ratio est, cuius lib. III cap. V in plerisque libris *Fluentini præfluenti Arno adpositi* sunt, solo Chifll. & Paris. MSS. *Florentini.* Ptolemæi in Tuscis est Φλωρεντία. Antonini testimonium dictum est: in Tabula itineraria, *Florentia Tuscorum.*

Fæsulæ III millibus passuum supra Florentiam, nunc pagus Fiesoli, ad Apennini radices situs: olim oppidum non incelebre. Poly-

Polybius lib. II cap. XXV ἐπὶ πόλιν Φαίσολα, *ad oppidum Fæsola.* Et Silius lib. VIII vers. 478 singulariter *Fæsula* dixit. Ptolemæus autem Φαισόλαι, *Fæsulæ*, pluraliter: etiam Salluſtius Catil. cap. XXIV & XXVII dixit *Fæsulas:* & Cicero II Catil. cap. IX, in MSS. quoque libris, *ex iis coloniis, quas Sylla Fæsulis conſtituit:* quamquam ob pluratiuum coloniarum numerum, quas vnum oppidum non capit, id nomen gloſſema videtur, & tam Arretini quam Fæſulani coloni ex eiusdem pro Muræna cap. XXIV intelligendi. Plinius lib. VII cap. XIII dixit *Criſpinum Hilarum ex ingenua plebe Fæsulana*, quod coloniam vel municipium non contemnendum arguit. *Ager Fæſulanus* memoratur in Catil. orat. I cap. VI. Quidam ſine diphthongo ſcribunt: ceteri Græcos imitantur, & veterem inſcriptionem apud Gruter. p. 533 num. 5 A. BAEBIVS C. F. SCAP. CLEMEnS FAES. id eſt Fæſulanus.

Ab Arno ad Volſinienſem lacum conſtituimus ſecundam partem Etruriæ. In ea ab Arno in litore procedenti occurrit primum *Portus Herculis Labronis* ſiue *Liburni*, cuius mire nomen conquiſitum eſt. Antoninus itinere ab Roma per Tuſciam & Alpes maritimas, XII millibus a Piſis locum vocat *Ad Herculem.* Cicero ad Quintum fratrem lib. II epiſt. VI eo tractu portum quemdam *Labronem* nominat. *Erat*, inquit, *iturus a. d.* III *id. Apriles, vt aut Labrone, aut Piſis conſcenderet.* Zoſimus autem lib. V cap. XX oppidum quoddam Italiæ in ora maritima Λίβουρνον, *Liburnum*, licet incertum ſit, quod ille ait, in eo primum Liburnas naues ædificatas eſſe. Ex quo coniicitur, *Labronis* vocabulum, ſi modo ſe recte in epiſtola habet, poſteriori æuo in *Liburnum* mutatum fuiſſe, vti hodieque celeberrimus portus & emporium *Liuorno* adpellatur.

Decem octo inde millibus diſtant *Vada Volaterrana*, vt Antoninus numerauit. In Tabula Peutingeriana *Vadis Volaterris.* Cicero pro Quintio cap. VI *Quum veniſſent ad Vada Volaterrana, quæ nominantur; vident perfamiliarem Næuii.* Plinius quoque lib. III cap. V poſt Piſarum deſcriptionem: *Vada Volaterrana, fluuius Cæcina, Populonium Etruſcorum hoc tantum in litore.* Rutilius verſ. 453

In Volaterranum vero, Vada nomine, tractum
Ingreſſus dubii tramitis alta lego.

Fluuius *Cæcina*, modo a Plinio nominatus, iuxta hæc Vada in mare exit, qui an nomen suum ipsi Vadorum oppido etiam dederit incertum & obscurum est. Pomponius Mela lib. II cap. IV sub finem, verso ordine: *Cossa, Telamon, Populonia, Cæcina, Pisæ, Etrusca & loca & nomina.* Sed puto, Plinio interprete, & flumen his locis & nominibus inmiscuisse. Intus, a Vadis XV circiter M. passuum, est antiqua vrbs *Volaterræ*, in monte sita, colonia & municipium, olim vna ex XII Tuscorum ciuitatibus siue populis, quod ex Halicarnassensis lib. III pag. 189 constat. Strabo lib. V p. 154 situm describit, positam ἐν φάραγγι, *in valle*, vt tamen, τὸ τεῖχος τῆς πόλεως, *arx & munimentum vrbis*, ἐν κορυφῇ λόφου, *in vertice collis* exstructum fuerit. Municipium fuisse Cicero ostendit lib. XII epist. IIII. *Cum municipibus*, inquit, *Volaterranis mihi summa necessitudo est:* eamdemque coloniam, his probatur Frontini de Coloniis: *Colonia Volaterrana lege triumuirali est adsignata.* Thermæ in illo agro sunt, quæ in Tabula dicuntur *Aquæ Volaternæ*, hoc est scripturæ compendio, *Volaterranæ.*

A Volaterris in ortum æstiuum distat *Sena Iulia*, colonia cum aliis Etruriæ ab Augusto Cæsare deducta, aut instaurata, vt ex communi cognomento *Iuliæ* adparet. Qualis ante Cæsarem Sena fuerit, non liquet, quia nulla eius antiquior memoria exstat. Post deductam autem coloniam Iuliam clara eius est mentio, sed tantum coloniæ nomine: *Iuliæ* cognomen in sola Tabula additur Peutingeriana. Plinius dicto lib. III cap. V *Intus coloniæ: - - - Rusellana, Seniensis, Sutrina.* Tacitus lib. IV Hist. cap. XLV *in colonia Seniensi:* & mox: *factum S. C. quo Seniensium plebes modestiæ admoneretur.* Sunt qui de Senia Dalmatiæ interpretantur Tacitum, quod a Sena *Senensis* dicendum fuisset. At Dalmatiæ Seniam coloniam populi Rom. fuisse, vnde probabitur? Plinius lib. III cap. XXI oppidum tantummodo dixit, colonias seorsum memorauit. Ad hæc MSS. etiam in Plinii cap. V *Seniensis colonia* in Etruria mediterranea, vbi vulgo *Senensis* legitur, quemadmodum in Tacito ante Lipsium *in colonia Senensi, & Senensium plebes.* Vide Th. Ryckii & L. Holstenii adnotationes, ac de MSS. Plinii, Io. Harduini. Hodie *Siena*, vrbs archiepiscopalis & Academia. Sed a montibus in oram rursus reuertamur.

Post

Post Vada & Cæcinæ ostia *Vetulonii* sunt, siue *Vetulonia*, ad quod oppidum aquæ calidæ sunt. Plinius lib. II cap. CIII *Patauinorum aquis calidis herbæ virentes innascuntur: Pisanorum ranæ: ad Vetulonios in Etruria non procul a mari, pisces.* Dionysius Halicarnassensis in XII ciuitatibus Etruriæ, & postquam Clusinos, Arretinos, Rusellanos, Vetulonienses nominauerat, addit, καὶ ἔτι πρὸς τούτοις Οὐετυλωνιᾶται, *& supra illos, Vetulonienses.* Et Silius Italicus lib. VIII vers. 484 seq.

Mæoniæque decus quondam Vetuloniæ gentis.
Bissenos hæc prima dedit præcedere fasces,
Et iunxit totidem tacito terrore secures:
Hæc altas eboris decorauit honore curules,
Et princeps Tyrio vestem prætexuit ostro.

Quæ quod ad laudem huius ciuitatis pertinent, Romanos ad imitationem perlicientis; haud prætermittenda hoc loco videbantur. Inde ad insulam Ilvam versus situm erat in promontorio *Populonium*, vt Plinius & Tabula vocant, siue *Populonia*, vt Mela & Rutilius: aut *Populonii* pluraliter, vt Liuius. Singulorum mox verba adferemus. Strabo lib. V p. 154, qui Ποπλώνιον vocat, situm exacte descripsit, sed sua ætate desertum fuisse addit: ἐπίνειον autem siue *nauale*, ad radices montis, melius habitatum. Solum hoc, idem obseruat, ex vetustis Etruriæ oppidis ἐπ' αὐτῇ τῇ θαλάττῃ ἱδρύσθαι, *ad ipsum mare fuisse conditum.* Ex quo Plinii verba, paullo ante quoque recitata intelligimus: *Populonium Etruscorum quondam hoc tantum in litore:* quod mare, vt addit Strabo, conditores παντάπασιν ἔφευγον, *omnibus modis* propter pericula *fugiebant.* Ruinas etiam Rutilius descripsit a versu 401

Proxima securum referat Populonia litus,

& paucis interiectis versibus:

Agnosci nequeunt æui monimenta prioris,
Grandia consumsit mœnia tempus edax.
Sola manent interceptis vestigia muris,
Ruderibus latis tecta sepulta iacent.

Oppidani sunt *Populonienses* apud Liuium lib. XXVIII cap. XLV. Tabula Peutingeriana etiam exhibet longiuscule a Populonio reductas *Aquas Populonias*, de quibus silent scriptores alii. Prope Populonium erat *portus Lauretanus*, nunc fere ignotus. Liuius lib.

xxx cap. xxxix *Claudiam consulem profectum tandem ab vrbe inter portus Cosanum Lauretanumque atrox vis tempestatis adorta, in metum ingentem adduxit. Populonios inde quum peruenisset, stetissetque ibi, dum reliquum tempestatis exsæuiret; Iluam insulam traiecit.*

In ortum paullo a Vetuloniis distat clara nunc vrbs Massa, quæ haud dubie est *Massa Veternensis*, patria Galli Cæsaris, ab Ammiano Marcellino memorata lib. xiv cap. xl. *Natus*, inquit, [Gallus] *apud Tuscos in Massa Veternensi, patre Constantio, Constantini fratre Imperatoris.* Subiacet sinus, in quem etiam amnis a Massa decurrit. Huic sinui ab occasu adiacet *Portus Falesia*, vti Antonini itinerario maritimo vocatur: siue *Faleria* vt Rutilius dixit vers. 371

Laxatum cohibet vicina Faleria cursum.

Ab latere ortiuo eius sinus sunt *Scapri* siue *Scabri*, itidem portus, eodem itinere: supra quem *Manliana* Tabulæ, & Antonini, ac Ptolemæi: & inter sinum ac lacum *Prelium*, siue *Prilem* (quem praue Itineraria *Aprilem* nominant) est fluuius *Alma* exiguus. Ipse autem lacus a Cicerone *Prelius* vocatur, quod inter variantes codices tuetur Cluuerius, & tenet Iac. Gronouius, pro Milone cap. xxvii. De Clodio enim Tullius: *quum ab equite Rom. T. Pacuvio non impetrasset, ut insulam in lacu Prelio venderet; repente lintribus in eam insulam materiam, calcem, cæmenta, atque arma conuexit.* Agit autem de Etruriæ inuasis villis & possessionibus. Plinius quasi cum tempore mutato nomine vocat *Prilem* siue *Prillem* lib. iii cap. v. *Hinc amnes*, inquit, *Prille, mox Vmbro nauigiorum capax.* Ab amne autem nomen hæsit lacui, in quem ille effunditur. Maritimi autem itinerarii secundum Aldinam, ex Schottana nonnihil correctam, hæc est dispositio: *A portu Telamonis ad fluuium Vmbronem:* hinc *in lacum Aprilem* (Prilem) *a lacu Aprili in in Almam flumen: ab Alma flumine Scapros portum: ab Scapris Falesiam portum: a Falesia Populonium.* Lacus autem Prilis siue Prelius nunc est Lago di Castiglione: cui *Salebro* oppidum (quod Antonini iter ab vrbe per Tusciam, nec non Tabula habet) ad os fluminis *Salebronis* adsidet.

Inter lacum Prilem & Vmbronem Plinii amnem, *Rusellæ* erant, vna ex duodecim vrbibus Tuscorum veterum, quod ex Dionysio Halicarnassensi constat lib. iii p. 189: postea colonia Romana.

mana. Plinius dicto loco: *Intus colonia: Falisca Argis orta, quæ cognominatur Etruscorum; Lucus Feroniæ, Rusellana, Senensis, Sutrina.* Holstenius p. 39 ex veteri lapide profert COL. RVS. Ptolemæo sunt Ῥυσέλλαι: incolæ Liuio lib. XXVIII cap. XLV *Rusellani.* Holstenio teste vestigia antiqua huius coloniæ adeo clara supersunt, vt nomen quoque priscum seruerit. Post Vmbronem, *non ignobile flumen,* vt Rutilius censet vers. 337, nunc Ombrone, ex interuallo aliquo fuit *Caletra,* in cuius agro colonia *Saturnia* fuit condita. Liuius lib. XXXIX cap. LV *Saturnia colonia ciuium Romanorum in agrum Caletranum est deducta.* Incertum, an tum superstes fuerit Caletra. Saturnia Ptolemæo est Σατουρνιάνα κολώνια, *Saturniana colonia:* coloni autem Plinio, sæpe dicto cap. V, *Saturnini, qui antea Aurinini vocabantur.* Ergo vetus nomen *Aurinia* fuit.

Ad mare *Telamon* cum portu. Polybius lib. II cap. XXVII, περὶ Τελαμῶνα τῆς Τυῤῥηνίας, *circa Telamonem Etruriæ.* Mela lib. II cap. IV extr. *Grauiscæ, Cossa, Telamon, Populonia.* Plinius prædicto loco: *Vmbro, nauigiorum capax, & ab eo tractus Vmbriæ, portusque Telamon.* Oppidum nomen retinet *Telamone.* Post sequitur *Albinia* fluuius in Tabula nominatus, hodie Albegna: vltra cuius ostia, & paruum sinum, in quem exit ille, sita est *Cosa* siue *Cossa,* μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάττης, *breui spatio a mari,* vt Strabo lib. V pag. 156 refert, qui, etiam Ptolemæus, Κόσσαι, *Cossæ* plurali numero scripsit: Mela, Plinius, Antoninus *Cossa;* Cicero autem & Liuius melioribus libris *Cosanus* simplici elemento; & Tacitus, ac Rutilius, & auctor Tabulæ Peutingerianæ *Cosa* scribunt. Virgilius itidem, sed multitudinis numero, Aeneid. X vers. 167

- - - - - qui mœnia Clusi
Quique vrbem liquere Cosas.

Colonia fuit, qua de ita Plinius loco sæpe prædicto: *Cossa Volcientium a populo Romano deducta,* subaudi, colonia. Annum deductionis prodit Paterculus lib. I cap. XIV *Cosam & Pæstum abhinc annos ferme* CCC, *Fabio Dorsone & Claudio Canina* COSS. *coloni missi,* nouem annis ante Punicum I bellum. Aucta, petentibus Cosanis, mille colonis, teste Liuio XXXIII cap. XXIV. Instauratam ab Augusto esse, cognomen *Iuliæ,* vt plerarumque Etruscarum, in nummo Neruæ, quem Holstenius cum Tristano profert, videtur adprobare. inscriptus enim, COL. IVL. COSSA. Egregium

gium portum habuit, de quo Liuius lib. XXII cap. XI *naues onerarias, commeatum ab Ostia in Hispaniam ad exercitum portantes, a classe Punica circa portum Cosanum captas esse.* Et lib. XXX cap. XXXIX *inter portus Cosanum Lauretanumque.* Vide paullo ante de Lauretano. De agro, aut litore prope portum, Cicero lib. IX Attic. ep. VI *Domitius in Cosano, & quidem, vt aiunt, paratus ad nauigandum.* Adde Cæsar. Civ. I cap. XXXIV. Idem portus & *Herculis* vocatur in maritimo Itinerario. Et Strabo lib. V p. 156 ὑπόκειται Ἡρακλέους λιμὴν, *subiacet* [vrbi Cosæ] *Herculis portus:* nisi forte qui proximus vrbi, *Herculis* est; & in altero promontorii latere, qui nunc S. Stephani dicitur, *Cosanus.* Nam & promontorium ibi est, & eodem nomine. Tacitus annali II cap. XXXIX *vectus Cosam, Etruriæ promontorium, ignotis locis se se abdit.* Id promontorium *Mons Argentarius* quoque vocatur. Rutilius vers. 298

Haud procul hinc petitur signatus ab Hercule portus.

&, interiecta de Lepidis narratione, vers. 315

Tenditur in medias mons Argentarius vndas.

At nobilis hæc colonia desolata Rutilii temporibus erat. Versu enim 285 lib. I Itinerarii ait,

Cernimus antiquas nullo custode ruinas,
Et desolatæ mœnia fœda Cosæ.

In loco fere nunc Ansedonia oppidum: at Orbetello in intimo lacus situm, quæ λιμνοθάλαττα Strabonis est p. 156.

Supra Cosam antiquum oppidum *Volci*, Οὐόλκοι Ptolemæi, vnde Plinii *Volcentini cognomine Etrusci:* & ipsa *Cossa Volcientium*, verbis supra productis; quia in agro vetustæ vrbis Volcorum sita. Scriptum antiquitus *Vulci* & *Vulcientes*, quod in Capitolina tabula de triumphis est DE VVLSINIENSIBVS ET VVLCIENTIB. Tabula Itineraria etiam *Succosam* siue *Subcosam* habet supra Cosam; & vltra illam, *Armenitam* fluuium, qui *Arnina* Itinerario maritimo nominatur, nunc Fiore: cui superiori, seu propiori fontibus *Suana*, hodie Soana, adposita est, vnde Plinii sunt *Suanenses:* decurso prope ostia, *Forum Aurelii*, vt ex Itinerariis coniicere licet. Quod Antonino tribuitur inter hoc Forum & Martam fluuium XIIII M. P. ponit; quod interuallum, aut minus etiam, ad Armenitam flumen ducit, vbi nunc Monte Alto est: at Tabula ex Theodosiano, vt putatur, sæculo, IIII millibus ab Armenita siue Flore flumine

flumine reductum habet. Nihil ergo certi de Foro Aurelii definiri poteſt. Conditor haud dubie fuit qui viam muniuit Aureliam.

Inter Armenitam & Martam flumina procul a litore eſt *Statonia*, Strabonis Στατωνία, ex qua *Statonienſis* eſt. Plinius XIV cap. VI *vina Statonienſia:* & lib. XXXVI cap. XXII *Silices albi circa lacum Volſinienſem. Et in Statonienſi ſunt quibus ne ignis quidem nocet.* Haud dubie ergo lib. III cap. V oppidani non *Statones*, vt editum, ſed *Statonienſes* ſunt. Seneca Quæſt. Nat. III cap. XXV *Alia* [inſula] *in Vadimonis lacu vehitur, alia in lacu Statonienſi.* Ex quo lacu & vicinis locis, quæ Strabo, Plinius, Vitruuius commemorant, lacum hunc *Lago di Mezzano* eſſe, & *Statoniam* clarum nunc oppidum *Caſtro*, eruditi homines coniiciunt. Non colonia, nec municipium fuit, ſed præfectura. Vitruuius lib. II cap. VII de lapidicinis: *Officinæ maximæ ſunt circa lacum Vulſinienſem; item præfectura Statonienſi.* In hoc tractu etiam *Sudertum* locant, a quo Plinii lib. III cap. V *Sudertani* ſunt: & Liuii lib. XXVI cap. XXIII *in foro Sudertano.* Ptolemæi eſt Σȣ́δερνον, *Sudernum:* vnde quidam corruptum Tabulæ *Materno* ex *Suderno*, ſuſpicantur. Ad *Martam* amnem, qui ex Volſinienſi lacu emanat, hodie Toſcanella eſt, quæ locum *Tuſcanæ*, quam Tabula habet, oſtendit. Vetus oppidum eſſe, *Tuſcanienſes*, a Plinio III cap. V memorati, probant.

Hinc in ſeptemtrionem ipſe *lacus* eſt *Volſinienſis*, ſiue *Vulſinienſis*, nomen ducens ab oppido *Volſiniis*, quod in ſummo lacu in boream verſus ſitum, nunc *Bolſena* vocatur. Modo a Plinio & Vitruuio nominari cognouimus. Addo Columellam, qui lib. VIII cap. XVI ait, *lacum Sabatinum, item Vulſinienſem, & Ciminum lupos auratasque* [natura] *procreare:* & Liuium lib. XXVII cap. XXIII dicentem, *Vulſiniis ſanguine lacum manaſſe.* Ergo *Volſinii*, ſiue *Vulſinii*, antiquum oppidum, eiusque incolæ Vulſinienſes, vt ſupra ex marmore Capitolino dictum, *de Vulſinienſibus* triumphatum anno CCCCLXXIII fuiſſe. Qui & *Volſinii*, vt Græuius cum N. Heinſio emendat, non *Volſini*, a Floro dicuntur lib. I cap. XXI, *Poſtremi Italicorum in fide manſere Volſinii, opulentiſſimi Etruſcorum.* Ipſum oppidum præterea memorarunt Tacitus, annali IV ineunte, de Seiano, *genitus Vulſiniis:* & Iuuenalis Satyr. III verſ. 191

- - *poſitis nemoroſa inter iuga Volſiniis.* - -

Ad latus occidentale lacus, & vna auſtrum verſus, ſitum eſt oppi-

dum *Vesentium*, aut *Visentium*, nunc Bisentio; a quo *Vesentini* sunt Plinii: qui veteri lapide ibi reperto etiam *Visentini* dicti ita: VIRTVTI VISENT. SACR.

Ad *Clanem* flumen, vbi id *Palliam*, in Tabula Itineraria signatum amnem, (nunc Paglia) recepit, in dextra ripa vrbs conspicua *Orvieto* est, quod nomen ortum videtur ex *Vrbs vetus*, vt Paullus Diaconus lib. IV cap. XXXIII oppidum Tusciæ adpellat, in illo tractu situm, vbi Orvieto est. nam Procopius lib. II Belli Goth. corrupte Οὐϱβιβεντον, *Vrbiuentum* vel *Vrbiuentus*, inserta littera, habet: idque vicinum dicit Clusio cap. XI, in colle situm ad flumen *magnum & imperuium*, μέγα καὶ ἀπόϱευτον, cap. XX, qui Clanis est, vt aliud non possit esse quam Oruieto. *Vrbs* autem illa *Vetus* creditur Plinii *Herbanum*, quod in Etruriæ oppidis nominat, fuisse. Supra illud, ad eumdem amnem, vbi e paludibus emergit, posita vrbs vetus *Clusium* est, nunc Chiusi dicta, olim regia Porsenæ. Liuius lib. II cap. IX *Tarquinii ad Lartem Porsenam, Clusinum regem, perfugerant.* Polybius lib. II cap. XXV Κλούσιον ἀπέχει ἡμεϱῶν τϱιῶν ὁδὸν ἀπὸ τῆς Ῥώμης, *Clusium tridui spatio ab Roma abest.* Liuius lib. V cap. XXXIII *auctor Clusium oppugnandi.* Virgilius lib. X vers. 167

- - - - - *qui mœnia Clusi*
Quique vrbem liquere Cosas.

Ab hac vrbe longa illa palus *Clusina* cognominatur, vulgo Chiana Palude: Straboni lib. V pag. 157 ἡ λίμνη ἡ πεϱὶ Κλούσιον, *lacus qui circa Clusium est.* Fluuius *Clanis* perfluit, vulgo *la Chiana.* Tacitus annal. I cap. LXXIX *Auditæ municipiorum & coloniarum legationes, orantibus Florentinis, ne Clanis solito alueo demotus in amnem Arnum transferretur.* Silius lib. VIII vers. 454

Et Clanis, & Rubico, & Senonum de nomine Sena.

Sequitur tertia pars Etruriæ, a Clani & Marta fluuiis ac Volsiniensi lacu vsque ad Tiberim. In supremo, ad radices Apennini *Tusci*, villa Cæcilii Plinii, erant, quam ipse lib. V epist. VI diligentissime descripsit. Ad Tiberim sita est, sed fontibus propinquum: dextra an sinistra ripa, non liquet. Cluuerii Tabula in sinistra: sed nomen *Tusci* videtur dextram postulare, quia in plerisque Tuscos siue Etruscos alueus Tiberinus finit. Inde Arretium versus Harduinus ad lib. III cap. V Plinii *Clusinos nouos* locat, nec illos vero longe a fontibus Tiberinis. Id quod in Emend. XXXVI ex fragmento quo-

to quodam Itinerarii Antoniniani contra Holſtenium, qui veteres, nouos Cluſinos vni loco incluſos vult, illuſtrat. Sane ibidem adhuc locus *Chiuſi* vocatur, qui facit, vt adſenſum faciliorem præbeamus *Cluſini* autem *veteres* ſunt, qui *Cluſium* ad Clanis paludem incoluerunt, cuius inſalubritas aeris videtur cauſſa migrationis exſtitiſſe.

Arretium, vulgo Arezzo, etiam ex antiquis oppidis Etruriæ eſt, prope Arnum & Clanem ſitum, Polybio lib. II cap. XIX Ἀῤῥητίνων πόλις, *vrbs Arretinorum.* Cicero lib. XVI epiſt. XII *quum Cæſar Arretium occupauiſſet.* Cæſar ipſe Civ. I cap. XI *ab Arimino Antonium cum cohortibus quinque Arretium mittit.* Silius lib. V. verſ. 123

Arreti muros, Coriti nunc diruat arcem.

Triplices Arretinos facit Plinius lib. III cap. V, *Veteres, Fidentes, & Iulienſes*, quos Harduinus locis & oppidis diſtinctos & ſeperatos fuiſſe exiſtimat: Holſtenius autem in Cluv. p. 72 colonos nomine tantum, non re & loco, diſtinctos: quaſi integrum nomen fuerit, COLONIA FIDENS IVLIA ARRETIVM. Sane Harduinus quoque, qui ſeiungit, non habet quod alio loco veſtigium vel Fidentis vel Iulienſis coloniæ, a veteri Arretio ſeparatæ, oſtendat. Quamuis vero coniunctæ loco fuerunt coloniæ, tamen quæque rem ſuam ſeparatam habuiſſe, ex inſcriptione, quam iam olim Hermolaus produxit, adparet, DECVRIONES ARRETINORVM VETERVM. Sic lapides ſemper cum geminata RR inſcriptum habent, DOMO ARRETIO Grut. pag 520, n. 3. MVNICIP. ARRETIN. p. 372 n. 12. ORDO ARRETINORVM p. 1028.

Supra Traſimenum lacum *Cortona* eſt, quæ nomen ſeruat, olim inter capita Etruriæ numerata. Liuius lib. IX cap. XXXVII *a Peruſia, & Cortona, & Arretio, quæ ferme capita Etruriæ populorum ea tempeſtate erant, legati pacem fœdusque ab Romanis petentes, inducias in* XXX *annos impetrauerunt.* Et lib. XXII cap. IV *quod agri inter Cortonam vrbem Traſimenumque lacum eſt.* Polybius lib. III cap. LXXXII Κυρτώνιον vocat: at Ptolemæo Κόρτωνα eſt, vt Romanis. Silius lib. V verſ. 123 *Coriti arcem*, periphraſi, vocat, vti interpretes quidam exiſtimant. At lib. VIII verſ. 473 expreſſo nomine

Lectos Cære viros, lectos Cortona ſuperbi
Tarcontis domus, & veteres miſere Grauiſcæ.

A Cortona *Cortonensis* est. Liuius lib. XXII cap. IV *vbi montes Cortonenses Trasimenus lacus subit.*

Ab altero lacus Trasimeni latere, iuxta Tiberim, *Perusia* est, nunc Perugia, & ipsa, vt iam in Cortona vidimus, inter capita Etruriæ antiquæ. Testimonio, ibidem producto, addo aliud eiusdem Liuii lib. X cap. XXXVII *Tres validissimæ vrbes, Etruriæ capita, Volsinii, Perusia, Arretium, pacem petiere.* Ex L. Antonii bello, quod *Perusinum* vocatur, fama vrbi adcreuit. Velleius lib. II cap. LXXIV *Antonius pulsus vndique viribus Cæsaris, Perusiam se contulerat. - - - Cæsar Perusiam expugnauit; Antonium inuiolatum dimisit. in Perusinos magis ira militum, quam voluntate sæuitum ducis.* Vrbs populosa: quod ex Liuii lib. X cap. XXXI luculente adparet. *Fabius,* inquit, *in Etruria rebellante denuo quatuor millia & quingentos Perusinorum occidit: cepit ad mille septingentos quadraginta.*

Ipse *Lacus Trasimenus* nunc a Perusia vicina nomen habet: Romanis Punico bello fatalis. Polybius lib. III cap. LXXXII Θρασυμένην λίμνην scripsit: at Strabo lib. V p. 157 Τρασυμένην, per T, vt plerique Latinorum. At vterque falsus in penultima est, quam Latini poetæ attollunt. Ouidius lib. VI Fast. vers. 765

- - - - Trasimenaque litora testes.

Et Silius Italicus lib. IV vers. 740

- - - - stagnis Trasimenus opacis.

Et Statius lib. I Siluar. carm. IV vers. 86

- - - - gaudet Trasimenus, & Alpes,
Cannensesque animæ.

Sed rursus in austrum & ad lacum Volsiniensem descendamus. A lacu Tiberim versus primum fuit *Trossulum,* duobus millibus a Monte Fiasconi, vbi vestigia & nomen Trosso, vt Holstenius notauit, supersunt. Ab eo capto equites *trossuli* olim Romanis adpellati. Festus Pompeius: *Trossuli equites dicti, quod oppidum Tuscorum Trossulum sine opera peditum ceperint.* Et Plinius lib. XXXIII cap. II *Celeres sub Romulo regibusque* [equites] *adpellati sunt: deinde flexumines: postea trossuli, quum oppidum in Tuscis citra Volsinios passuum* IX M. *sine vllo peditum adiumento cepissent eius vocabuli.*

Vici-

Vicinum Troſſulo *Ferentinum*, cuius ruinæ & nomen prope Flaſconem dicuntur ſupereſſe. Plinius lib. III cap. V memorat in Etruriæ oppidis; & Suetonius Othone cap. I *Maiores Othonis orti ſunt oppido Ferentino, familia vetere & honorata, atque ex principibus Etruriæ.* Et Horatius lib. I epiſt. XVII verſ. 8 *Ferentinum ire iubebo:* de quo dubitat quidem vetus interpres, ſitne Tuſciæ oppidum, an Hernicorum; plures tamen de Etruſco interpretantur, idque ex textu probat Cluuerius. Vitruuius lib. II cap. VII *municipium Ferentis* dixit: & Frontinus de Tuſciæ Coloniis: *Colonia Ferentinenſis lege Sempronia eſt adſignata.* Subiacent *Aquæ Paſſeris*, in Tabula Itineraria ſignificatæ, quarum etiam mentionem Martialis fecit lib. VI epigram. XLII

Non mollis Sinueſſa, feruidique
Fluctus Paſſeris.

Propior Volſinienſi eſt lacui mons ſeu ſaltus *Ciminus*, & eodem vocabulo lacus. Virgilius lib. VII verſ. 697

Et Cimini cum monte lacum lucosque Capenos.

Et Silius lib. VIII verſ. 492

- - - - *Sabatia quique*
Stagna tenent, Ciminique lacus.

Inde *Ciminius*, adiectiuum, cum montis, ſaltus, ſiluæ, lacus nominibus. Liuius lib. IX cap. XXXVI *Silua erat Ciminia magis tum inuia atque horrenda, quam nuper fuere Germanici ſaltus.* Et poſt paullo: *abhorrebat a fide, quemquam externum Ciminios ſaltus intraturum.* Et mox: *luce prima iuga Ciminii montis tenebat.* Adde Florum lib. I cap. XVII, & Frontinum lib. I cap. II ſtrateg. 2. Lacum quoque Strabo lib. V p. 157 Κιμινίαν λίμνην vocat. Ammianus lib. XVII cap. XVI refert, *in Ciminia Italiæ parte Succinienſe oppidum ad profundos hiatus* demerſum ſubſediſſe. Forſan vbi lacus eſt, qui in locum ſucceſſit.

Eſt etiam in Tabula & Antonini itinerario *Forum Caſſii*, quod in hunc tractum & ad Cimini montis radices incidit. Antonini rationes diſtantiarum hæ ſunt itinere a Luca Romam via Clodia:

Clusio		
Vulsinios	M. P.	XXX
Forum Cassii	M. P.	XXXVIII
Sutrium	M. P.	XI
Bacanas	M. P.	XII
Romam	M. P.	XXI.

Vestigia tradit Holstenius in Cluuer. p. 64 seq. ad Vetullam & Sutrium exstare ad ipsam veterem viam Cassiam.

Nec procul afuit ab his montibus *Fanum Voltumnæ*, situm circa Viterbium, nisi ipsum illud, quod quibusdam videtur, oppidum est. Liuius heic concilia Etruscorum habita refert. Lib. IV cap. XXIII *Quum duæ ciuitates legatis circa duodecim populos missis impetrassent, vt ad Voltumnæ fanum indiceretur omni Etruriæ concilium.* Et cap. XXV *Consilia ad mouenda bella in Volscorum Aequorumque conciliis, & in Etruria ad Fanum Voltumnæ agitata.* Et cap. LXI *Etruscorum concilium ad Fanum Voltumnæ frequenter habitum.* In Tabula additur *Vicus Matrini* IIII millibus a Foro Cassii in ortum solis.

Vlterius in ortum & lacum versus Vadimonis, fuit *Castellum Amerinum*, quod eadem Peutingerorum Tabula XII millibus a Faleriis in occasum constituitur. In hoc agro circa Castellum illud *Amerina prædia* Calpurnii Fabati, quæ progenero Plinio Cæcilio inspicienda mandauit lib. VIII epist. XX; & inter illa ipse *Lacus Vadimonis*, natantibus insulis admirandus, eadem epistola descriptus. Memorarunt hunc lacum etiam Polybius lib. II cap. XX princ. qui Οάδμονα, correpta penultima vocat: & Liuius lib. IX cap. XXXIX *ad Vadimonis lacum Etrusci, lege sacrata coacto exercitu, quum vir virum legisset, simul animis dimicarunt.* Et Florus lib. I cap. XIII extr. *Omnes reliquias eorum* [Gallorum Senonum] *in Etruria ad lacum Vadimonis Dolabella deleuit.* Natantium in eo insularum meminere & Plinius alter lib. II cap. XCV; & Seneca Quæst. Nat. lib. III cap. XXV.

Falerii autem oppidum ad Tiberim, cuius incolæ aut populus, quos ager ille habuit, *Falisci* dicti sunt. Male igitur Strabo lib. V pag. 156, aut quorum ille sententiam profert, Falerios & Faliscos, vt gentes; & Solinus, cap. de Italia, Faliscam & Falerios, vt op-

vt oppida, distinguunt. Aliter Liuius, qui *Falerios* oppidum nominat: & *Faliscos* populum. De oppido lib. v cap. XXVII dicit proditor puerorum obsidenti Camillo, *Falerios se in manus Romanis tradidisse.* Et lib. x cap. XIV *ab Sutrio, & Nepete, & Faleriis.* Et lib. XXI cap. I post oppidorum nomina, e quibus prodigia nuntiabantur; *& Faleriis cælum findi visum.* Dionysius Halicarn. lib. I p. 16 Φαλέριον, *Falerium* vocauit. De gente autem Liuius lib. v cap. XXVI *donec M. Furius Camillus in Faliscos proficisceretur.* Et lib. x cap. XLV *Faliscos arma Etruscis iunxisse.* Zonaras quoque Tom. II p. 32 optime distinxit. Ait enim, ὁ πρὸς Φαλίσκους πόλεμος, *bellum aduersus Faliscos:* & mox, πολιορκοῦντες πόλιν αὐτῶν ἐρυμνὴν, Φαλερίους ὠνομασμένην, *obsidentes vrbem illorum permunitam, Falerios nomine.* Virgilius lib. VII vers. 695 Faliscos *æquos* laudat, quod vt Seruius ait, ab his supplementa XII tabularum legibus accesserint. Eutropius tamen lib. I cap. XVIII vrbem *Faliscos* vocat, & Frontinus de coloniis Tusciæ, *Colonia*, inquit, *Iunonia, quæ adpellatur Faliscos.*

Supra Falerios est *Fescennia* Plinii, Φασκένιον Halicarnassensis prædicto loco: ubi nuptialia carmina inuenta Seruius refert, inde *Fescennina* dicta. Virgilius lib. VII, 695

Hi Fescenninas acies æquosque Faliscos,
Hi Soractis habent arces.

E regione confluentis Naris in Tiberim, nunc oppidum *Orti* est, quod, vt nomen probabile facit, *Hortanum* Plinii fuit, siue Pauli Langobardi IV cap. VIII *Horta:* qui ibidem & *Polimartium*, aliud oppidum memorat, quod hodie Bomazzo in eodem tractu dicitur.

Vt reliqua Etruriæ persequamur, ad *Martam* amnem reuertendum est, qui nomen, quod in Antonini Itinerario habet, nunc quoque retinet. Hunc inter & Minionem in mediterraneis *Tarquinii* erant, vetus oppidum, de quo Liuius lib. I cap. XXXIV *Lucumo vir impiger ac diuitiis potens, Romam commigrauit, cupidine maxime ac spe magni honoris, cuius adipiscendi Tarquiniis (nam ibi quoque peregrina stirpe oriundus erat) facultas non fuerat.* Et mox: *consilium migrandi ab Tarquiniis cepit.* Et cap. XLVII oratione Tulliæ: *facesse hinc Tarquinios, aut Corinthum.* Situm Tarquiniorum idem ostendit lib. V cap. XVI, Romanis vltra Cære fuisse,

quia

quia *A. Postumius & L. Iulius per agrum Caretem obliquis tramitibus egressi, Tarquinienses, a populationibus Romani agri redeuntes grauesque præda, oppressere.* A Græcis originem Iustinus XX cap. I tradit duxisse. Post colonia Romana facta. Frontinus de Coloniis: *Colonia Tarquinios lege Sempronia est adsignata.* Tabula Peutingeriana *Tarquinis* contracte, auferendi casu; Strabo p. 152 Ταρκυνία ἡ πόλις: sed breui post ἐκ Ταρκυνίων.

Ad mare prope Martæ ostia *Grauiscæ* sunt: Velleio lib. I cap. XV, & Tabulæ, *Grauisca*, singulari numero: ceteris plurale est. Liuius lib. XLI cap. XVI *nuntiatum, Grauiscis murum portamque de cœlo tacta.* Virgilius lib. X vers. 184

Et Pyrgi veteres, intempestæque Grauiscæ.

Et Silius lib. VIII vers. 474 - - - *veteres misere Grauiscæ.*
Colonia fuit, quod præter Velleium dicto loco, etiam Liuius significauit lib. XL cap. XXIX *Colonia Grauisca eo anno deducta est in agrum Etruscum, de Tarquiniensibus quondam captum.* Incolæ *Grauiscani*, inscript. Grut. p. 407 num. I CVR. R. P. GRAVISCANORVM.

Minio amnis post Grauiscas exit. Mela turbat locum, inter Pyrgos & Castrum Nouum deducens lib. II cap. IV, qui inter Grauiscas & Centumcellas delabitur, nunc il Mignone dictus: nisi aliud sub Minione latet, quia MSS. & olim editi *Anio* habent, etiam praue, & Rutilius hoc loco *Inui castrum*, vers. 302. vide Holsten. p. 35. Virgilius lib. X vers. 183

Qui Cærete domo, qui sunt Minionis in aruis.

Et Rutilius Numatianus lib. I vers. 279

Paullisper litus fugimus Minione vadosum,
Suspecto trepidant hostia parua solo.
Inde Grauiscarum fastigia rara videmus,
Quas premit æstiuæ sæpe paludis odor.

Ab aeris enim grauitate nomen est Grauiscarum. Ad fontes Minionis referunt *Nouem Pagos*, quos Plinius lib. III cap. V memorauit. Lucas Holstenius pag. 47 *Nouem illos Pagos fuisse existimo circa superiorem partem Minionis.* Inde quæ recto tractu via Clodia sunt Romam vsque, Tabula reuelat, & laudatus ita interpretatur Holstenius: *Roma Careias sunt* m. p. XV: *inde* IX *ad Nouas: inde porro* XVI *Bleram transeundo Sabaten & Forum Clodii, quæ Tabula coniuncta*

cta fuisse docet. Nam a Nouis Sabaten III *plus minus sunt m.p. Inde* II *sunt milliaria Oriolum siue Forum Claudii. Vnde porro Bleram sunt m. p.* IX *vel* X, *quæ in vniuersum* XVI *m. p. constituunt, quæ Tabula inter Nouas & Bleram ponit, & Cluuerius frustra mutare conatur, non perspecto vero sensu Tabulæ. Vnde certissimo liquet, Forum Claudii plane eodem loco fuisse, vbi nunc est Oriolo.*

Sic intelligimus *Forum Claudii* vbi fuerit, quod in Tabula *Foro Clodo:* in Itinerario *Forum Clodi* scribitur: plenius a Plinio *Præfectura Claudia Foroclodii* vocatur. Episcopum olim *Fori Clodii* fuisse, ex Optati Mileuitani lib. I sub finem constat, vbi cum Italiæ episcopis etiam *Donatianus a Foro Clodii* nominatur. Oppidum *Blera*, Ptolemæi Πλήρα, corrupte Strabonis libro V scriptum Πληρᾶτοι, quod Casaubono legendum videtur Πληρά τε, καὶ Φερεντινόν, καὶ Φαλέριον. Ex ea Plinio sunt *Blerani* incolæ adpellati. Oppidum *Sabate* ad lacum cognominem est incertius. In Tabula scribitur *Sabate*, dubium, lacus an oppidum intelligatur: creditur tamen oppidum. Lacus autem eodem vocabulo nominatur. Pompeius Festus: *Sabatina* [tribus] *a lacu Sabate dicta.* Et in Etruriæ lacubus Strabo p. 157 Σαβάτα connumerat. Silio lib. VIII vers. 491 lacus sunt *Sabatia stagna:* Columellæ lib. VIII cap. XVI *Sabatinus lacus.* Proculi verba, Lege LXIX Dig. de Contrahenda emtione, videntur aliquid vitii traxisse. *Rutilia Polla,* inquit, *emit lacum Sabatenem angularium.* Suspecta vox *angularium*, visa ex adiacentis oppidi non antiquissimi, *Anguillara*, per glossam aut aliter accessisse. Hodie *lago di Bracciano* dicitur ab oppido, quod adiacet ripæ australi. *Careias* supra vidimus ex Tabula ab Holstenio definitas.

Hinc in septemtrionem sunt *Sutrium, Nepet, Soracte*, & alia. *Sutrium* celebris vrbs, & antiqua colonia Romanorum, eisque *claustra Etruriæ*, vt Liuius censet lib. IX cap. XXXII. Nam *post septem annos quam Galli vrbem ceperunt, Sutrium deducta colonia est,* vt Paterculus lib. I cap. XIV numerauit. Auxit Augustus, a quo COLONIA IVLIA SVTRIN. in veteri lapide apud Grut. p. 302 n. I adpellatur. Plinius lib. III cap. V *colonia Sutrina:* & incolæ *Sutrini.* Liuius dicto loco: *Aduenientibus Romanis, Sutrini benignius commeatus in castra aduexere.* Situm Antoninus Via Clodia ita definiuit:

Foro Cassii		
Sutrium	M. P.	XI
Baccanas	M. P.	XII
Romam	M. P.	XXI.

Nepet oppidum succedit Romam versus, quod ita scribendum esse Sigonius ad Liuii VI cap. IX contendit. Ibi: *legati ab Nepete ac Sutrio auxilium aduersus Etruscos petentes veniunt.* Hic sextus casus: primo Plin. III cap. V *Herbanum, Nepet, Nouem pagi.* Atque ita Sigonius in Liuii lib. VI cap. IX extremo, *Nepet exercitus ductus*, quarto casu: & lib. XXVII cap. IX *Ex* [coloniæ] *fuere Ardea, Nepet, Sutrium.* Vtrobique libri vulgati Nepete. Paterculus lib. I cap. XIV *Nepe* libris optimis habet. *Post septem annos*, inquit, *quam Galli vrbem ceperunt, Sutrium deducta colonia est, & post annum Setina: nouemque interiectis annis, Nepe.* Tabula etiam *Nepe:* at Ptolemæus Νέπετα. Inde *Nepesinus* deriuatum, vt *ager Nepesinus*, Liuii lib. V cap. XIX: & veteri inscriptione apud Gruter. p. 441 n. 7 MVNICIPIBVS NEPESINIS. Sic enim colonia fuit, vt iure municipii etiam vteretur. Frontinus autem, coloniarum mensor, *colonia* dixit *Nepensis.*

Inde in septemtrionem, Tiberim versus est mons *Soracte*, in Faliscorum finibus. Horatius lib. I oda IX

> *Vides, vt alta stet niue candidum*
> *Soracte.*

Ad radices montis in tumulo oppidum fuit, saltem arx eodem vocabulo: quo Holstenius p. 56 refert Virgilii verba lib. VII Aen. versu 696

> *Hi Soractis habent arces, Flauiniaque arua.*

Apollini mons sacer erat, cuius fanum ibi, & singularis per prunas currendi religio. Aeneid. XI vers. 785

> - - - *sancti custos Soractis Apollo.*

Et Silius Italicus lib. VIII vers. 493

> - - - *qui sacrum Phœbo Soracte frequentant.*

Modum religionis illius idem Virgilius lib. XI scripsit vers. 787, & Silius lib. V vers. 178. *Flauina* autem, vnde *Flauinia arua* modo Virgilius dixit, incerti situs est. Idem Silius lib. VIII vers. 491

> *Quique tuos Flauina focos, Sabatia quique*
> *Stagna tenent, Ciminique lacum.*

Ad

Ad orientale latus Soractis montis, vt Holstenius monstrat, *Aqua Viua* fuit, olim episcopale oppidum, inter cuius rudera & vestigia ædificiorum fons vberrimus scaturire visitur, qui vulgari sermone dicitur *La fontana de Aqua viua.* Exstat in Tabula, & Itinerario Hierosolymitano XXXII millibus passuum ab Roma.

A monte, Romam versus, est locus in Tabula & Hierosolymitano est *Ad Vicesimum,* qui per se ab vrbe distantiam significat. Magis inde in austrum vergebat potens olim & ditissima ciuitas, plurali nomine *Veii* adpellata: vnde assidui Romanis & anniuersarii Romanis, vt Florus lib. I cap. XII dixit, hostes veniebant. Liuius lib. V cap. XIX *Veios fata adpetebant:* & cap. XXII *nuntiatum est Veios captos.* Tam vicina Romæ vrbs fuit, *vt* XVIII *milliario abesset,* Eutropio obseruante lib. I cap. XVII. Sed nimius est numerus Eutropii, & in Tabula tantum XII colliguntur: ac Dionysius Halicarnassensis lib. II pag 116 ἀμφὶ τὰς ἑκατὸν σαδίας, *ad centum stadia* plus minus, id est XII milliariis & 10 passibus remouet ab Roma. Oppidani *Veientes* & *Veientani:* vtrumque etiam commune aliis rebus adiectum nomen. Cicero lib. I de Diuinat. cap. XLIV *In annalibus habemus, Veienti bello, quum lacus Albanus præter modum creuisset, Veientem quemdam ad nos hominem nobilem profugisse, eumque dixisse, ex fatis, quæ Veientes scripta haberent, Veios capi non posse, dum lacus is redundaret.* Liuius lib. II cap. XLVIII *Veiens hostis.* Et lib. V cap. XXVII *Veientium exitus.* Et Ouidius Fast. II vers. 195 *Veientibus aruis.* Rursus Liuius lib. V cap. XXI *in Veientana arce.* Eutropius lib. I cap. XVIII *Veientani rebellauerunt.* Et Plinius quoque lib. III cap. V *Veientanos* dixit pro *Veientibus.* Capta vrbs sexennio ante Romam a Gallis captam, vt Cicero dicto loco adnotauit: nec vero deleta, vt consilia agitauerint Romani, vrbe sua incensa, eo migrandi, quod Camillus dissuasit teste Liuio lib. V cap. LI. Stabat etiam post Punicum bellum. Idem lib. XXXII cap. IX *de cælo tacta erat via publica Veiis.* Et colonia aliquando Veios deducta. Libello de Coloniis, quem Frontino tribuunt, forte excerptum ex illius libro: *Colonia Veius* [sic scriptum est] *priusquam oppugnaretur* [al. suppleretur] *ager eius militibus est adsignatus ex lege Iulia.* Post ita sensim decreuit, vt tandem ne vestigium superesset; ac difficulter locus inuentus ac monstratus ab Holstenio est aduersus

Cluuerium p. 54. in colle ſcilicet prærupto, oppoſito inſulæ Farneſiæ, nunc Iſola: quod cum Dionyſio Halicarnaſſenſi lib. II pag. 116 conſentit, κεῖται, dicenti, ἐφ' ὑψηλοῦ σκοπέλου καὶ περιῤῥῶγος.

Inter Veios & Tiberim in ripa fuit *Capena* oppidum, in eiusque agro *Lucus* & *Fanum Feroniæ*. Liuius lib. V cap. X *Bellum multiplex fuit eodem tempore, & ad Veios, & ad Capenam, & ad Falerios, & in Volſcis*. Et lib. XXII cap. I *Prodigia ex pluribus ſimul locis nuntiata: Capenæ duas interdiu lunas ortas*, & cetera. Municipivm fuit, quod ex inſcriptione in monte Soracte apud Gruter. p. 466 n. 6 adparet,

V. M. SELICI CLE
MENTIS SEVIRI
MVNICIPIO CA
PENAT.

nam *Capenates* oppidani & accolæ. Liuius lib. V cap. VIII *Auctum eſt bellum aduentu repentino Capenatium & Faliſcorum. Hi duo Etruriæ populi, quia proximi regione erant, deuictis Veiis, bello quoque Romano ſe proximos fore credebant*. Hinc ſitus Capenæ coniicitur & populi Capenatium. Et cap. XXIV *Cornelii Faliſcum bellum, Valerio ac Seruilio Capenas ſorte euenit*. Et mox: *Ea clades Capenatem populum ſubegit*. In horum agro, vt prædixi, *Lucus* fuit *Feroniæ*, eiusdemque diuæ *fanum*. Liuius lib. XXVII cap. IV *in agro Capenate ad Lucum Feroniæ*: vbi, cap. V, ipſi Romani ſupplicationem indixerunt: etſi *templum* Hannibal ſpoliauerat, lib. XXVI cap. XI. Et lib. XXXIII cap. XXVI *Aedes Feroniæ in Capenate de cælo tacta erat*. Virgilius lib. VII verſ. 697

Et Cimini cum monte lacum, lucosque Capenos.

Hinc in auſtrum recedunt *Saxa Rubra*, oppidulum propinquum Romæ, ſeu ponti Muluio, in Flaminia via. Cicero Philipp. II cap. XXXI *Quum hora diei decima fere ad Saxa Rubra veniſſet, delituit in quadam cauponula*. Liuius lib. II cap. XLIX *Ita fuſi retro ad Saxa Rubra, pacem ſupplices petunt*. Et Tacitus III Hiſt. cap. LXXIX *Antonius per Flaminiam ad Saxa Rubra, multo iam noctis, ſerum auxilium venit*. Aurelius Victor maior in Maxentio: *tandem vrbe in Saxa Rubra, millia ferme nouem, ægerrime progreſſus*. Et Hieroſolym.

Itine-

Itinerario IX millibus ab Roma locantur *Rubra*, subaudi, *petra*, vt Martialis lib. IV epigram. LXIV dixit

Fidenas veteres, breuesque Rubras.

Prope aberat *Cremera* amnis, funestus Fabiorum clade. Liuius lib. II cap. XLIX *ad Cremeram flumen perueniunt. Is opportunus visus locus communiendo præsidio.* Florus lib. I cap. XII *cæsi apud Cremeram trecenti.* Et Ouidius lib. II Fastor. vers. 205

Vt celeri passu Cremeram cepere rapacem.

Castellum ad flumen Fabii condiderunt, cuius præsidio & amne se tutarentur: id quod Dionysius Halicarnassensis τὸ ἐν Κρεμέρᾳ φρούριον, *castellum Cremeræ impositum* nominat: quod Etrusci expugnarunt. Liuius dicto loco: *Veientes, excito ex Etruria exercitu, præsidium Cremeræ oppugnant.* Infra hoc flumen erat locus *Ad sextum* dictus, puta, milliarium ab Roma, e regione vrbis, notatus in Tabula Peutingeriana: supra amnem, vel prope fontes eius, *Baccanæ*, quæ itinere Antonini per viam Clodiam hac ponuntur distantia:

Foro Cassii		
Sutrium	M. P.	XI
Baccanas	M. P.	XII
Romam	M. P.	XXI.

In confinio Cæretanorum & Veientium fuit oppidum *Artena*, a regibus olim euersum, vt Liuius testatur lib. IV extremo.

Hæc de mediterraneis in hac Etruriæ parte tertia vsque ad Romam perducta: supersunt maritima, aut mari vicina a Minione fluuio vsque ad Tiberim eiusque ostia. Inter Minionem & Centumcellas in Maritimo itinerario sunt *Alga*, ita, quod Holstenius obseruauit, nominatæ, quia isthic totum litus alga oppletum semper conspicitur. Inde III millibus a mari sunt *Aquæ Tauri*, calidæ, a tauro, vt aiunt, inuentæ & nomen adeptæ. Tabula, vt alias thermas, insigni monimento ornauit, cuius restare dicuntur structurarum nonnullæ reliquiæ. Ab his sunt Plinii lib. III cap. V *Aquenses cognomine Taurini.* Rutilius Itinerario a versu 249 descripsit mirifice:

Nosse iuuat Tauri dictas de nomine thermas,
Nec mora difficilis millibus ire tribus.
Non illic gustu latices vitiantur amaro
Lymphaque fumifico sulfure tincta calet.
Purus odor mollisque sapor dubitare lauantem
Cogit, qua melius parte petantur aquæ.
Credere si dignum famæ, fragrantia taurus
Inuestigato fonte lauacra dedit.

Tribus millibus ab *Algis Centumcellæ* in litore sunt, villa Traiani, cum egregio portu, quem mirandis operibus idem princeps elaborauit. Plinius lib. VI epist. XXXI *Euocatus in consilium a Cæsare nostro ad Centum Cellas* (*hoc loco nomen*) *longe maximam cepi voluptatem.* Et sectione XV eiusdem epistolæ: *Villa pulcherrima cingitur viridissimis agris: imminet litori, cuius in sinu quam maximus portus, velut amphitheatrum. Huius sinistrum brachium firmissimo opere munitum est: dextrum elaboratur. In ora portus insula adsurgit,* & reliqua. Insula autem facticia, ingentibus saxis constructa, *vt illatum vento mare obiacens frangat.* Et extrema epistola: *Habebit hic portus etiam nomen auctoris:* quod aliquamdiu ita fuit, & a Ptolemæo Τραϊανὸς λιμὴν, *Traianus Portus* vocitatur: posteriores autem Centumcellarum nomen reduxerunt, vt ex Itinerario maritimo constat, & illo Rutilii vers. 237

Ad Centumcellas forti deflEximus austro,

qui ibidem portum non minus industrie, quam Plinius, descripsit:

Molibus æquoreum concluditur amphitheatrum,
Angustosque aditus insula facta tegit.
Attollit geminas turres, bifidoque meatu
Faucibus arctatis pandit vtrumque latus.

Vel locus antea oppidulum habuit, vel villa Traiani in oppidum excreuit, quod hodie *Ciuita Vecchia* adpellatur, insigni adhuc portu præditum. Procopius certe lib. II Goth. cap. VII vocat πόλιν ἐπιθαλασσίαν, λόγου πολλοῦ ἀξίαν, Κεντουμκέλλας ὄνομα, *vrbem maritimam memorabilem, Centumcellas nomine.* De Tabula, & gemino itinere Antonini per oram, vbi itidem *Centumcellæ* adpellantur, superuacaneum erit addere..

In eadem

In eadem Tabula ſubſequitur in litore *Caſtrum nouum*; quod etiam Liuii lib. XXXVI cap. III, qui in coloniis numerat; & Melæ II cap. IV, & Antonini eſt: & poſtea, ſed reductæ a mari, *Aquæ Apollinares*, quas Cluuerius cum Cæretanis confundit, improbante Holſtenio pag. 35. nam longius abſunt a Cære, vt ex itinere ab vrbe Coſam, adparet. Inde in Tabula eſt *Punicum* vel caſtrum vel oppidum in litore, VIIII millibus, at verius III millibus paſſuum ſecundum Itinerarium maritimum a Caſtro nouo: & vltra, poſt VI millia paſſuum, *Pyrgi*, pluribus memorati. Mela dicto loco poſt illa quæ citra Tiberim ſunt: *Vltra, Pyrgi, Minio, Caſtrum nouum.* Plinius in Italiæ deſcriptione: *Grauiſca, Caſtrum nouum, Pyrgi.* Virgilius lib. X, verſ. 184

Et Pyrgi veteres, intempeſtaque Grauiſca.

Et Rutilius lib. I verſ. 223

Alſia prælegitur tellus: Pyrgique recedunt,
Nunc villæ grandes, oppida parua prius.

Martialis lib. XII epigram. II *litoreos Pyrgos* dixit. Coloniam fuiſſe, ex Liuii lib. XXXVI cap. III probatur. *Liuium prætorem*, inquit, *contentio orta cum colonis maritimis paulliſper tenuit. - - - Oſtia, & Fregenæ, & Caſtrum nouum, & Pyrgi, & Antium, & Tarracina & Minturnæ & Sinueſſa fuerunt, quæ cum prætore de vacatione certauerunt.* Nunc ibi oppidulum *S. Seueræ.*

Inter Pyrgos & Alſium Tabula X; Antoninus XVI millia habet paſſuum, interiecto loco *Ad Turres.* Adeo incerti ſunt itinerariorum numeri. Interfluit etiam *Cæretanus amnis*, quem Plinius memorat, ab oppido *Cære*, quod intus eſt, decurrens in mare. Plinius: *Grauiſca, Caſtrum nouum, Pyrgi. Cæretanus amnis, & ipſum Cære intus,* M. *paſſ. quatuor, Agylla a Pelasgis conditoribus dictum. Alſium, Fregenæ.* Fluminis quoque Virgilius mentionem facit, verum etiam ſine proprio nomine, ab vrbe, quam præfluit, denominati, Aeneid. VIII verſ. 597

Eſt ingens gelidum lucus prope Ceritis amnem.

Eſt quidem *Cære* alias ἄκλιτον nomen, vt Liuius dixit lib. I cap. II, *ad Mezentium Etruſcorum regem confugiunt, qui Cære, opulento tum oppido, imperitans, haud grauatim ſocia arma Rutulis iunxit.* Et lib. IX cap. XXXVI *Cære educatus apud hoſpites.* Vetus vrbis nomen *Agyllæ* fuiſſe,

la fuisse, tradunt etiam Dionysius, Strabo, Stephanus: atque ideo Virgilius Cære Agyllinam vrbem lib. VII verf. 652 dixit:

Ducit Agyllina nequidquam ex vrbe sequutos
Mille viros. Et lib. VIII verf. 478
Haud procul hinc saxo colitur fundata vetusto
Vrbis Agyllinæ sedes, & cetera.

Oppidani *Cærites*, correpta media: & *Cæretes*, media porrecta. Liuius lib. VII cap. XIX *prædæ partem in Cæritum fines auectam*: & cap. XX *Cærites belli terror incessit*. Et Gruteri inscript. p. 214 MVNICIP. CAERITVM. nam municipium fuit, quod etiam alio lapide p. 485 n. 5 MVNIC. CAER. legitur. Altera forma in illo Virgilii est lib. X verf. 183

Qui Cærete domo, qui sunt Minionis in aruis.

Est & tertia forma *Cæretanus*. Rutilius verf. 225

Iam Cæretanos demonstrat nauita fines,
Aeuo deposuit nomen Agylla vetus.

Olim magna & clara vrbs Cære, Strabonis ætate ἴχνη σώζει μόνον, *solum vestigia seruat*. Prope vrbem sunt *Aquæ Cæretanæ*, τὰ πλησίον θερμὰ, ἃ καλοῦσι Καιρετανὰ, vt Strabo dicit p. 152, quo Romani θεραπείας χάριν, *valetudinis caussa*, frequentius itabant. Nunc Cære dictum *Ceruetere* castrum, siue vt pronuntiant, *Cervetr*.

Prosequenti litus illud Romam versus, occurrit proxime *Alsium*, XVIII millibus a Portu Augusti, vt ex itinere Antonini liquet, quod spatium ad ostia fere *Aronis* fluminis, quod ex Sabatino lacu delabitur, deducit. Confirmat lapis ibidem repertus, in quo est DECVR. COLON. ALSIENSIS. Id enim gentile & possessiuum est. Cicero lib. IX epist. VI *quum ille* [Cæsar] *scripsisset, se in Alsiense venturum*. Et pro Milone cap. XX *sciebat Pompeium in Alsiensi esse*. Ipsum oppidum *Alsium* præter Plinium, quem supra produximus, memoratur Velleio, qui lib. I cap. XIV refert, circa finem I Punici belli *Aesulum & Alsium colonis occupata*. Et Silius originem ad Troiana tempora & ad Alesum, Agamemnonis amicum, refert lib. VIII verf. 475

Nec non Argolico dilectum litus Aleso,
Alsium, & obsessæ campo squalente Fregenæ.

Sic

Sic enim legendum: non Fregellæ, vt editum. Strabo & Ptolemæus Ἄλσιον: regio, *Alsia tellus*, Rutilio, vt paullo ante vidimus.

Post Alsium tandem sequitur oppidum *Fregenæ* apud Plinium & Antoninum medio inter Alsium & Portum Romanum loco, vtrimque IX M. P. vti in itinere est ab Roma Centumcellas. Liuius quoque lib. XXXVI cap. III in maritimis coloniis *Fregenas* numerauit, cuius verba in *Pyrgis* paullo ante sunt producta. Strabo lib. V pag. 156 Πύργοι καὶ Ἄλσιον καὶ Φρεγηνία, quod mediam in *Fregenæ* productam arguit. Et Silii modo prolatus versus huc referendus est, in eoque *Fregenæ*, non *Fregellæ*, legendum, quia *litus* describit ab Aleso siue Haleso amatum, in quo Alsium est: Fregellæ vero longe hinc remotæ sunt, nec in litore positæ, sed in mediterraneis Latii adiecti. Cluuerius etiam Plinii epitomam XIX correxit *Fregenæ* substituens, vbi *Fregellæ* lectum vulgo est. Fregellas enim coloniam deductam iam tum supra lib. VIII cap. XXII Liuius memorauerat.

Intus supra Fregenas in Tabula est *Bebiana*, puta, villa: & propius vrbem *Lorium*, quod etiam Antoninus itinere ab Roma per Tusciam Arelatum vsque habet, XII millibus ab vrbe remotum. quam distantiam Eutropius lib. VIII cap. IV firmat, de Antonino Pio dicens, *Obiit apud Lorium, villam suam, milliario ab vrbe* XII. quod plenius metaphrastes exscripsit, τῆς Ῥώμης πόῤῥω δυοκαίδεκα σημείων, *duodecim milliaris ab Roma.* De eodem Capitolinus cap. XII *spiritum reddidit apud Lorium.* Scribitur etiam *Laurium.* Ibidem cap. I *Natus in villa Lanuuina: educatus Lauri in Aurelia.* ad hanc viam enim pertinet. Sed dubitatur de scriptura, quia & heic in Palat. codice *Lori* est, quod etiam Salmasio adprobatur. Eusebius quoque, seu potius Hieronymus in chronico, etiam de Antonini morte *Lorium* dixit. Victoris epitoma in eodem principe plurali forma: *apud Lorios, villa propria, millibus passuum duodecim ab vrbe, febri consumtus est.*

Tandem etiam de *Mæsia silua*, ab Anco rege Veientibus ademta, aliquid addendum est. Liuius de ea lib. I cap. XXXIII *Nec vrbs tantum hoc rege creuit, sed etiam ager finesque: silua Mæsia Veientibus ademta: vsque ad mare imperium prolatum.* Plinius quoque eiusdem meminit lib. VIII cap. LVIII. *In Mæsia silua,* inquit, *Italiæ, non nisi in parte reperiuntur hi glires.* Cluuerius

cum aliis ponit in mediterraneis ad Baccanum castellum & Cremeram amnem: at Holstenius, vir peritissimus locorum, censet pag. 56, fuisse haud dubie propius mare & ostia Tiberis circa Maccarese. Hæc de Etruria, quanta cognosci potuerunt. Sunt pauca oppida, vt *Cortuosa* & *Contenebra* apud Liuium lib. VI cap. IV, de quorum situ nihil constat, ideoque non prætermitti non potuerunt.

V M B R I A.

VMBRIA Etruriæ ab ortu solstitiali opponitur, comprehensa Supero mari & Rubicone, Tiberi, Nare, Aesi fluminibus, per Apenninum in duas partes diuisa. Græcis ὀμβρικὴ est, quasi ab ὄμβρος, *imber*, hoc est ab inundatione. Plinius lib. III cap. XIV *Vmbrorum gens antiquissima Italiæ existimatur, vt quos* OMBRIOS *a Græcis putent dictos, quod inundatione terrarum imbribus superfuissent*. Alii, quod Solinus Cap. de Italia ex Boccho refert, *Gallorum veterem propaginem* Vmbros esse tradiderunt, quod de prioribus difficulter probauerit: de Senonibus autem, qui postremi in Italiam venerunt, conciliatur ita, vt maritimam Vmbriam, quæ inter mare & Apenninum est, a Gallis concedas occupatam fuisse, eosque Vmbris permistos postea habitasse, nec vero prouinciæ Galliæ ab Romanis attributos esse: id quod supra de Gallia Cisalpina est pluribus demonstratum. Sed quoquo modo Græcorum deriuatio vocis, vel adlusio se habet; Latini vocali quinta scripserunt, quod Stephani quoque breviator agnoscit, qui postquam ὀμβρικοὺς & ὄμβρους Græce dixisset adpellari; addit, λέγονται οὔμβροι παρὰ τοῖς Ἰταλικοῖς συγγραφεῦσι, *dicuntur ab Italis scriptoribus Vmbri:* Propertius lib. I extremo de patria sua:

Proxima supposito contingens Vmbria campo
Me genuit terris fertilis vberibus.

Cultores *Vmbri;* singuli, *Vmber*. Catullus carm. XXXVIII

Si vrbanus esses, aut Sabinus, aut Tiburs,
Aut porcus Vmber, aut obesus Etruscus.

Et Prænestino marmore, vt Gruterus refert p. 72 n. 5

QVOS VMBER SVLCARE SOLET, QVOS TVSCVS ARATOR.

Ma-

Maritima Vmbria, saltem magna illius pars, quod a Gallis Senonibus habitata fuerat, quamlibet postea inter ciues distributa, a pristina conditione *Ager Gallicus*, siue *Gallicanus* haud desiit vocitari, vt supra pag. 645 demonstrauimus. Adlatis ibi testimoniis aliquot noua adiunxisse liceat. Cicero pro Sextio cap. IV *non obscure Pisauri, & in aliis agri Gallici partibus in illa coniuratione versatus.* Liuius lib. XXXIX cap. XLIV *colonia dua, Potentia in Picenum; Pisaurum in Gallicum agrum, deducta sunt.* Et Plinius lib. III cap. XIV *Iungitur his sexta regio, Vmbriam complexa agrumque Gallicum circa Ariminum.*

Strabo lib. V pag. 157 de Vmbris ait, *ἀπὸ Ῥαουέννης ἀρξάμενοι, inde a Rauenna incipiunt colere:* nos vero a supra constituto termino, Rubicone fluuio incipiemus. Nihilominus in mediterraneis pars illa, quæ circa Sapem fuit fluuium, inde *Tribus* adpellata *Sapinia*, Vmbriæ etiam a Liuio adiudicatur lib. XXXI cap. II. *C. Appium,* inquit, *præfectum sociûm, hac tumultuaria manu per Vmbriam, quam tribum Sappiniam vocant, agrum Boiorum inuadere iussit.*

Post Rubiconem est Ariminus amnis, & ad ostium eius oppidum *Ariminum.* Pompeius Festus: *Ariminum a nomine fluminis propinqui est dictum.* Plinius lib. III cap. XV *Ariminum colonia cum amnibus Arimino & Aprusa.* Amnis *Aprusa* ab altera parte oppidum prælabitur, quod nomen corrupte in *Rimino* conseruat. Memoratum a pluribus. Cicero lib. XVI epist. XII *quum Cæsar Ariminum, Pisaurum, Anconam occupauisset.* Ipse Cæsar Civ. I cap. VIII de se: *Cognita militum voluntate, Ariminum cum ea legione proficiscitur.* De accentu Lucanus nos edocet lib. I vers. 231

Vicinumque minax inuadit Ariminum, vt ignes
Solis lucifero fugiebant astra relicto.

Inter Ariminum & Pisaurum medio tractu *Crustumium* flumen est. Plinius dicto loco: *In ora fluuius Crustumium:* Et Lucanus lib. II vers. 405 - - - - *veloxque Metaurus,*

Crustumiumque rapax, & iuncto Sapis Isauro.

Oppidum *Pisaurum,* nunc Pesaro, dictis locis Cicero memorauit: & Cæsar Civ. I cap. XI *Pisaurum, Fanum, Anconam singulis cohortibus occupat.* Colonia fuit, vt paullo ante ex Liuii XXXIX cap.

 XLIV

XLIV perceptum eſt, qui etiam annum deductionis notauit: etiam Velleius lib. I cap. XV *Cn. Manlio Volſone & Fuluio Nobiliore* COSS. *Bononia deducta colonia, abhinc* annos ferme CCXVII: *& poſt quadriennium, Piſaurum & Potentia.* Et Gruteri Theſauro p. 433 n. I PATRONO COLONIARVM PISAVR. ET FANEST. Exit iuxta eam eiusdem vocabuli flumen. Plinius lib. III cap. XIV *Piſaurum cum amne.* Vibius Sequeſter: *Piſaurus, qui & Iſaurus, vt Lucanus: a quo ciuitas Piſaurum, de qua Catullus* [carm. LXXXI] *moribunda ſede Piſauri: decurrit in Hadriaticum.* Lucani verſum modo vidimus.

Quod proxime in ora memorabile ſit, *Fanum Fortunæ* eſt. Sic plene nominat Plinius cap. XIV *coloniæ, Fanum Fortunæ, Piſaurum cum amne.* Et Tacitus Hiſt. III cap. L *Exercitus ducesque ad Fanum Fortunæ iter ſiſtunt.* Ac Strabo lib. V pag. 157 τὸ ἱερὸν τῆς Τύχης. Aliquando ſimpliciter *Fanum* dicitur: item *colonia Faneſtris.* Cæſar dicto cap. XI *Piſaurum, Fanum, Anconam.* Sidonius lib. I epiſt. V *Hinc Ariminum Fanumque perueni.* Et Vitruuius lib. V cap. I *colonia Iulia Faneſtris.* Et inſcriptio in Gruteri Theſ. p. 416 n. 8 COL. IVL. FANESTRIS. Et pag. 475 n. 7 ORIVNDVS COLONIA IVLIA FANO FORTVNAE.

Ex modico interuallo *Metaurus* fluuius, ab Apennino per Vmbriam delapſus, in mare ſe effundit. Plinius: *in ora flumen Aeſis: Senogallia: Metaurus fluuius.* Liuius lib. XXVII cap. XLVII *alter per vada nota Metaurum flumen tranauit.* Et Silius lib. VIII verſ. 450

Vortice contorquens vndas per ſaxa Metaurus.

Horatius quoque lib. IV oda IV de Nerone, Asdrubalis victore:

Quid debeas, o Roma, Neronibus,
Teſtis Metaurum flumen, & Asdrubal
Deuictus.

Proximum flumen memorabile, *Sena* eſt, ſiue *Senna* ἐπιθετικῶς. Silius lib. VIII verſ. 455 poſt alia fluuiorum nomina,

Et Clanis, & Rubico, & Senonum de nomine Sena:

Sic enim legendum, quia de fluminibus agitur, non de oppidis; minus de Senis, Etruriæ ciuitate & colonia. Lucanus lib. II verſ. 406

Cruſtu-

Crustumiumque rapax & iunctus Sapis Isauro,
Sennaque, & Hadriacas qui verberat Aufidus vndas.

Cluuerio est is, qui nunc Cesano dicitur, IV millibus ante Senogalliam. nam hanc qui adluit in Tabula itineraria vocatur *Misus*, nunc Nigola vulgo, etiam non nullis Misa.

Senogallia ad Misum est, cuius vel nomen originem prodit. Plinius dicto loco: *in ora flumen Aesis: Senogallia, Metaurus fluuius.* Et Strabo p. 157 ἔστι ὁ μὲν Αἶσις μεταξὺ Ἀγκῶνος καὶ Σηνογαλλίας, *Aesis est inter Anconam & Senogalliam fluuius.* Dicitur etiam simpliciter *Sena.* Liuius lib. XXVII cap. XLVI *Ad Senam castra alterius consulis* [Liuii Salinatoris] *erant: & quingentos inde ferme passus Asdrubal aberat.* Et Eutropius lib. III cap. X *Asdrubal apud Senam, Piceni ciuitatem, in insidias compositas incidit.* Additur in Tabula veteri separatim *Galli*, breuiatum cognomen, quod plene est *Sena Gallica.* Gentile *Senensis.* Cicero in Bruto cap. XVIII *quos* [ludos] *Salinator Senensi prœlio vouerat.* Et Liuius dicto libro XXVII cap. XXXVIII *colonos maritimos* enumerat, qui vacationem dicebantur habere, cuius caussa hi populi ad senatum venerint: *Ostiensis, Alsiensis, Antias, Anxuras, Minturnensis, Sinuessanus, & ab supero mari Senensis.* E quibus simul elucet, coloniam fuisse, quia *colonis* maritimis adnumeratur. Frontinus de Coloniis libro, aut quisquis auctor est vel excerptor, etiam *Senogalliensis ager* dixit.

Aesis, Αἶσις, fluuius qui Vmbriam a Piceno seiungit, satis iam ex Plinio & Strabone in Senogallia, etiam antea, delineatus fuit. Silius lib. VIII vers. 444 ita nominis originem ex fama, vt ait, vetusta reuelauit:

Ante (vt fama docet) tellus possessa Pelasgis,
Queis Aesis regnator erat: fluuioque relinquit
Nomen, & a se se populos tum dixit Asisos.

Hæc de Vmbria in ora maris: sequuntur eiusdem mediterranea, in quibus enarrandis rursus ab occasu in ortum, vt solemne est geographis, progrediemur. Prima ergo vrbs est *Sarsina*, quæ nomen seruat, in sinistra *Sapis* ripa, Plauti, comici poetæ, patria, de quo Hieronymus chron. ad olympiadem CXLV *Plautus ex Vmbria Sarsinas Romæ moritur.* Strabonis lib. V pag. 157 est Σαρσινα, &

ſic Latinis quoque per R litteram ſcriptum legitur. Silius lib. VIII verſ. 462

- - - - his Sarſina diues Lactis.

Et Martialis lib. IX epigrammate LIX

Sic montana tuos ſemper colat Vmbria fontes,
Nec tua Baianas Sarſina malit aquas.

Incolæ quoque Plinio *Sarſinates* dicto loco: Polybio lib. II cap. XXIV Σαρσινάτοι, ſeu potius Σαρσινάται, vt mos eſt Græcis gentilia formare. Etiam Grut. Inſcr. p. 1095 num. 2 CVRATORI SARSINATIVM. Aliis tamen lapidibus per SS videmus ſcriptum. Grut. p. 322 n. 4 MVNIC. SASSI. & pag. 522 n. 8 NATVS SASSINA. Et Reineſ. claſſ. VII inſcr. 20 BAEBIVS GEMELLVS SASSINAS MVNICIPIBVS SINGVLEIS. Municipium enim fuit haud ignobile.

Inter Sarſinam & montem Feretrum ad ſiniſtram Arimini amnis ripam, haud procul caſtello Sicchiano, *Vicus Titienſis* fuit, quod Lucas Holſtenius pag. 89 ex lapide ibidem reperto demonſtrat, quo legitur BALINEVM VICANORVM TITIENSIVM. *Mons Feretrus* autem, hodie S. Leo; at ager Monte Feltro, corrupte, a Procopio ita nominatur lib. II Goth. cap. XI Φρούρια δύο, Καισηνά τε καὶ Μοντεφέρετρον, *duo caſtella, Cæſena & Monteferetrum.* Liuthprandus lib. VI cap. VI *Montem Feretratum* dixit. At prope fontes Piſauri *Seſtinum* celebre municipium fuiſſe, teſtantur antiquæ inſcriptiones, e quibus eſt, quam Cluuerius refert,

L. VOLCEIVS SEVERVS SESTINO.

plures in Seb. Maccii Tomo II pag. 222 exhibentur. Hinc quos Plinius laudauit, *Seſtinates* ſunt municipes.

Haud longe a ſiniſtra Piſauri ripa *Pitinum* fuit, cognomine *Piſaurenſe*, vt ab alio ejus vocabuli oppido, quod in Piceno fuit, diſtingueretur. Ptolemæo eſt Πίτινον, *Pitinum*, in mediterranea Vmbria: Gruterus veterum inſcriptionem p. 322 n. 8 Piſaurenſis lapidis oſtendit,

PATRONAE MVNICIPI
PITINATIVM PISAVRENSIVM.

Eſt & eiusdem cognominis *Tifernum Metaurenſe*, ſitum ad flumen, a quo cognominatur, eodemque diſcernitur a Tiferno Tiberino.

Plinius

Plinius lib. III cap. XIV *Tifernates cognomine Tiberini; & alii Metaurenses.* Videtur esse oppidum S. Angelo in Vado.

Vrbinum quoque geminum, *Hortense* & *Metaurense.* Plinius ibidem: *Vrbinates cognomine Metaurenses; & alii Hortenses.* Ex his præcipuum *Vrbinum Hortense* fuit, quod etiam nunc caput sui ducatus est, vt ex inscriptionibus eius loci, & Procopii narratione adparet. Hic lib. II B. Goth. cap. XIX Vrbinum tradit in edito colle & rotundo situm, & vno tantum fonte vti; quod adprime conuenit cum clarissima nunc ciuitate Vrbino. Gruterus Inscript. p. 485 n. 8

C. VESNIO C. F. STEL. VINDICI
POPVLI VRVINI PATRONO SVO
ET MVNICIPII AEDIL.

per V enim, loco B, & alibi scriptum hoc nomen exstat. Et pag. 301 Oper. Grut. in priore vrbium serie VRBINO scriptum est: in altera eiusdem paginæ VRVINO. *Vrbinum* autem *Metaurense* VIII millibus passuum ab illo abest, Metauro flumini impositum, videtur Castellum Durante esse, ab altero Vrbino in austrum recedens. Gruter. pag. 463 num. 4 CVRATORI REIP. VRVINATIVM METAVRENSIVM.

Ad Metaurum infra Vrbinum est etiam *Petra Pertusa*, quæ ita Victoris epitoma in Vespasiano adpellatur. *Tunc*, inquit breuiator ille, *cauati montes per Flaminiam sunt prono transgressu, qua vulgariter Pertusa Petra vocitatur.* Maior Aurelius, quem Schottus in lucem produxit, tantummodo dicit, *cauati montes per Flaminiam prono transgressu:* cui alter, tamquam interpres, *Pertusæ Petræ* nomen adiecit. Procopius quoque lib. IV Goth. cap. XXVIII eodem vocabulo nominauit, Πέτρας τῆς Περτούσης καλουμένης τὸ τοῦ ὀχυρώματος καρτερὸν χωρίον φύσει, *Petræ Pertusæ, vt vocant, locus natura munitissimus.* Castellum itaque fuit, & vna transitus per petram instar portæ factus. Claudianus de VI consul. Honorii a vers. 500 ita descripsit:

Lætior hinc Fano recipit Fortuna vetusto,
Despiciturque vagus prærupta valle Metaurus,
Qua mons ante patens viuo se perforat arcu,
Admisitque viam sectæ per viscera rupis.

Idem

Idem locus veteri tabula, quæ Peutingerorum fuit, ſignatur *Ad interciſa*, intellige ſaxa, a Fano Fortunæ XVI millibus ad Forum Sempronii itinere ducente; inde XII ad hunc locum, qui *Ad interciſa* vocitatur. Hieroſolymitano itinere ſimpliciter *Interciſa* dicuntur, & diſtantia paullo breuior hoc modo, niſi numeri fallunt, expreſſa:

Interciſa	— — —
Foroſempronî	IX
Ad Octauum	IX
Fano Fortunæ	VIII.

Inde in auſtrum, IX millibus paſſuum ab Interciſis eſt locus *Ad Cale* in Hieroſolymitano, *Ad Calem* in Tabula, *Ad Callem* Antonini ab Heluillo Anconam itinere: quæ ſcriptura Holſtenio probatur, quia & hodie *Cagli* eſt. Vlterius in auſtrum & ad Apenninum erat *Ad Enſem*, Tabulæ Peutingerianæ memoratus locus, quem Cluuerius in oppidi cuiusdam ruinis quærit: Holſtenius p. 87 diuerſorium fuiſſe exiſtimat, qui oppidi ruinas ſeparatim ad *Luccolis* vel oppidum vel caſtrum refert, de quo Paullus lib. IV Langobard. cap. VIII & XXXV.

Inter Ad Enſem & Attidium *Sentinum* eſt, hodie Sentina; Ptolemæus Σεντῖνον vocat: Polybius lib. II cap. XIX ἐν τῇ τῶν Σεντινατῶν χώρᾳ, quod Liuius lib. X cap. XXX, & inſequenti, Latine dixit, *in Sentinati agro*. Dio lib. XLVIII pag. 364 de triumuiro Cæſare Octauiano, μεταςὰς ἐς τὴν Ομβρικὴν Σεντινάτας ἐπολιόρκησε, *profectus in Vmbriam, Sentinatium vrbem oppugnauit*. Et hoc ad Apennini radices, haud longe ab *Heluillo*, quod propius eſt montibus, aut in ipſis ſitum, vnde Antonini iter Anconam directum, ad Callem primum ducit, XIIII ab Heluillo in ſeptemtriones remotum: X millibus a loco Ad Enſem reductum eſt in Tabula, orientem verſus. Cluuerius exiſtimat vetus nomen *Suillum* fuiſſe, vnde Plinii ſunt *Suillates* lib. III cap. XIV. Ibi locus eſt nunc *Sigillo* dictus, quod nomen *Suillo* Plinii reſpondet, ſiue id itinerariorum Heluillum eſt, ſiue ab eo paulliſper reductum.

Infra Interciſa eſt *Forum Sempronii* ad Metaurum amnem, hodie Foſſombrone, vitiato nomine. Straboni Φόρον Σεμπρώνιον dictum; Ptolemæo Φόρος Σημπρώνιος. Vetuſto lapide, Grutero p. 322 notante, FORO SEMPRONII eſt: & pag. 417 num. 7

II VIRI ET DECVRIONES FOROSEMPRONIENS. Hierosolymitano itinere Forosemproni, cuius situm ex ductu itineris paullo ante in Intercisis intelleximus.

Ad Senam sita *Suasa* est in vtraque ripa: Ptolemæi Σουάσα: vnde *Suasani* sunt Plinii. Municipium fuisse, ex inscriptione constat, a Grutero p. 469 n. 5 producta, II VIRO Q.Q. AVGVRI SVASAE. *Ostra*, Ptolemæi Ὄστρα, infra Suasam, Misum flumen versus; aut in eius ripa, vbi vestigia dicit Holstenius exstare. Hinc *Ostrani* sunt, quos Plinius dicto loco recenset. Supra hæc ad idem flumen Senam, nunc Cesano, vbi Pergula est, antiqui oppidi rudera adparent in læua ripa, quo loco *Tuficum* Ptolemæi & Plinii fuisse Holstenius existimat: quod oppidum ad Tiberim Cluuerius locauit.

Aesis colonia ad cognominis eiusdem flumen, hodie Iesi. Ptolemæus Αἶσις, *Aesis*. Vetus inscriptio in Gruteri Thesauro p. 446 n. I COL. AVXIM. ET COL. AESIS ET MVNICIP. NVMANAT. & num. 2 ibidem: P. C. AESIS ET MVNIC. NVMANAT. Ac Reinesius class. VI inscr. 22 PATRONO COL. AESIS. Et hæc sunt Vmbriæ mediterranea trans Apenninum, inter Rubiconem aut Sapem ab occasu, & Aesim fluuium ab ortu comprehensa, quem supra ostendimus limitem fuisse Vmbriæ & Piceni: sed hoc, si veteres geographos sequemur, de ora potius & maritimis, quam de interioribus & Apennino propinquis intelligendum est, quia Strabo, Plinius & Ptolemæus etiam *Camerinum* in Vmbria censent, quod longius abest ab Aesi flumine, orali termino Picentium Vmbrorumque. Horum ductu Vmbris adiungemus quædam oppida trans Aesim, sed Appenninum versus, aut ad radices eius posita.

Primum est *Attidium*, vnde Plinii *Attidiates* sunt lib. III cap. XIV. In veteri lapide Aesi, Holstenio teste, CVRAT. R. P. ATTIDIAT. Corruptum ergo est quod ex Balbi de Limitibus libro Frontinus sub finem adfert, *Ager Atteiatis oppidi*. Pagus eo tractu prope Aesis fontes, est Attigio, quod nomen ex illo videtur deductum esse. Infra id oppidum, etiam propior amni, est *Matilica*, a quo Plinius *Matilicates* dixit oppidanos. Frontinus de Coloniis: *Matilica, oppidum. Ager eius ea lege continetur, quo & Camerinus.* Veteri nomine hodieque dicitur Matelica.

His in ortum breui interuallo *Pitulum* municipium adiacet. Holſtenius ex lapide, qui Aeſi exſtabat, CVRATOR. REIP. PITVL. Et ex alio pag. 84 CVRATORI REIP. FVLGINAT. ORDO PITVL. Plinius ſæpe dicto loco: *Pitulani, cognomine Piſuertes; & alii Mergentini.* Quinam huius loci ſint, incertum eſt: item, num vtrique in Vmbria ſeu ſexta regione, an alteri in Latio, vbi etiam *Pitulum* lib. III cap. V Plinius collocauit. Prope amnis Potentiæ fontes *Prolaquium* Tabulæ fuiſſe videtur.

Vltima vrbs Vmbrorum *Camerinum*, quod nomen manet: id Strabo & Ptolemæus Καμάρινον vocali prima ſcripſerunt: Latini ſemper ſecunda. Cæſar Civ. I cap. XV *Camerino fugientem Hirrum excipit.* Pompeius Domitio ſub Ciceronis lib. VIII ad Attic. ep. XII, *cohortes, quæ ex Piceno & Camerino venerunt.* Frontinus de Colon. *Ager Camerinus.* nam idem gentile eſt. Paullus lib. IV Langob. cap. XVII *Ariulfus quum bellum contra Romanos in Camerino geſſiſſet.* Frequentius vero eſt *Camers* tam poſſeſſiuum quam gentile. Cicero pro Sulla cap. XIX *in agro Camerti, Piceno, Gallico.* Idem pro Balbo cap. XX *neque Iguuinatium neque Camertium fœdere eſſe exceptum.* Et Silius lib. VIII verſ. 462

- - - his populi fortes, Amerinus, & armis
Vel raſtris laudande Camers.

VMBRIA CIS APENNINVM.

Hactenus quæ trans Apenninum Vmbria eſt: quæ pars cis montes inter Tiberim & Narem amnes erat, nunc nobis perluſtranda eſt. Primum eſt in Tiberis ripa *Tifernum Tiberinum*, quo cognomine a Tiferno Metaurenſi ſeparatur. Plinius lib. III cap. XIV *Tifernates cognomine Tiberini, & alii Metaurenſes.* Plinius alter lib. IV epiſt. I *Oppidum eſt prædiis noſtris vicinum: nomen Tifernum Tiberinum, quod me pæne adhuc puerum patronum cooptavit.* Idem lib. X epiſt. XXIV *municipium* dicit id vicinum prædiis ſuis oppidum. Gruteri Inſcript. p. 494 n. 5 exſtat REIP. TIF. TIB. Etiam pluraliter *Tiferna Tiberina* dictum fuiſſe, probat Holſtenius pag. 90 inſcriptione veteri: C. IVLIO C. F. CLV. PROCVLO TIFERNIS TIBERINIS, ſupple, oriundo.

Iguui-

Iguuium proximum ſuccedit, Tabulæ *Agubium*, hodie *Eugubio*. Cæſar Civ. I cap. XII *Diffiſus municipii voluntati Thermus cohortes ex vrbe educit: Curio, omnium ſumma voluntate, Iguuium recipit.* Municipium ergo fuit, & antiquum oppidum. Siſenna quoque apud Nonium in APISCI ex Hiſt. lib. IIII *Poſtero die legatos Iguuium apiſcitur.* Silius lib. VIII verſ. 459

Narnia, & infeſtum nebulis humentibus olim
Iguuium.

Oppidani Plinio ſunt *Iguuini*: etiam Cæſari dicto loco, *certior factus, omnium eſſe Iguuinorum optimam erga ſe voluntatem:* & inſcriptione Grut. p. 347 n. I IGVVINORVM: Cicero autem pro Balbo cap. XX dixit etiam in MSS. *fœdere Iguuinatium.*

Tuſicum deinde, Ptolemæi Τέφικον, vnde Plinii *Tuſicani* ſunt, Cluuerius ad Tiberim, ſed dubitanter, ponit. Ait enim, *forte* apud ripam illam *Tuſicum* fuiſſe. Sed ſupra oſtendimus, Holſtenium trans Apenninum ad Ceſanum fluuium illius rudera, vt opinatur, inueniſſe. *Arna* ex aduerſo Peruſiæ, prope Tiberim, Ptolemæi Ἄρνα. Silius lib. VIII verſ. 457

His vrbes, Arna, & latis Meuania pratis.

Oppidani *Arnates* Plinio. Hodie Ciuitella d' Arno. Trans Claſium flumen, qui in *Tiniam* influit, *Aſiſium* eſt in monte, nunc Aſſiſi, ſeruato vocabulo, Ptolemæi Ασίσιον, ex quo Plinii ſunt *Aſiſinates.* Municipium fuiſſe inſcriptio docet, Grutero pag. 21 num. II referente, MVNICIPVM ASISINATIVM. Procopio lib. III B. Goth. cap. XII ſunt Ασισινοί. Prope Tiniæ confluentem *Vettona* fuit, Tabulæ *Vetona*, inter Peruſiam & Tuder. Incolas Plinius *Vettonenſes* dixit: & inſcriptio Grut. p. 487 n. 2 PATRONO ET CVRATORI R. P. VETTONENSIVM.

Hispellum paullo plus in ortum ab Aſiſio recedit, Strabonis Εἰσπέλλον, Ptolemæi Ἴσπελον. Latini *Hiſpellum* ſcribunt. Plinius lib. III cap. XIV *Intus Hiſpellum, Tuder.* Hygenus de Limitibus, *colonia Iulia Hiſpellum.* quod etiam ex lapide ita Gruterus p. 351 n. I profert: II VIR QVIN. COL. IVL. HISPELLI. Silius lib. VIII verſ. 458

Hiſpellum, & duro monti per ſaxa recumbens Narnia.

Coloni *Hiſpellates*. Plinius lib. VIII epiſt. VIII *Balineum Hiſpellates, quibus illum locum diuus Auguſtus dono dedit, publice præbent, & hoſpitium.* Nec non iidem *Hiſpellenſes* dicebantur. Inſcriptio Fulginienſ. in Sponii Miſcell. erud. Ant. p. 183 HISPELLENSES, IGVVINI.

Ad *Tiniam* amnem *Fulginia* eſt ſiue *Fulginium:* hodie Fuligno. Silius lib. VIII verſ. 460

Iguuium, patuloque iacens ſine mœnibus aruo
Fulginia.

Altera forma Appiani eſt, qui lib. V Ciuil. p. 1100 Φουλκίνιον ſcripſit, additque CLX ſtadiis a Peruſia diſtare. Oppidani Plinio ſunt *Fulginates:* inſcriptione iam ex Sponio citata ſunt æque FVLGINATES, tamquam a *Fulginum* ſit triſyllabo. Alia tamen Grut. p. 347 n. I legitur PATRONO CIVITAT. FOROFIA. FVLGINIA. ITEMQVE IGVVINORVM, quod legendum videtur *Fulginiatium.* Itin. Hieroſolym. *Fulginis* eſt multitudinis numero & caſu ſexto contracto.

Vbi Tiniæ Clitumnus miſcetur, ei adpoſita eſt *Meuania*, cuius oppidani *Meuenates* dicti Plinio: etiam inſcriptione, quam Sponius Erud. Antiq. Miſc. p. 183 transſcripſit, MEVENATES. Diues *Meuania* armentorum albo colore, quæ ſacrificiis alebantur. Silius lib. VIII verſ. 457 - - - *latis Meuania pratis.* Lucanus lib. I verſ. 473

- - - *tauriferis vbi ſe Meuania campis*
Explicat.

Cauſſa coloris Clitumni aqua, qui ibi Tiniæ miſcetur. Virgilivs lib. II Georg. verſ. 146

Hinc albi, Clitumne, greges, & maxima taurus Victima.

Eſt autem *Clitumnus*, vt Plinius lib. VIII epiſt. VIII deſcribit, fons pluribus venis inter Hiſpellum & Spoletium, ex quo flumen emanat brevi poſt ſpatio amplifſimum, etiam patiens nauium. Adiacet templum priſcum & religioſum, quo Clitumnus deus amictus ornatusque prætexta ſtat, quem Iouem Vibius Sequeſter interpretatur. Commodus amnis gignendis alendisque victimis, vt ex Virgilio modo oſtendimus. Addo Silii teſtimonium lib. VIII verſ. 451

ingen-

- - - ingentem perfundens flumine sacro
Clitumnus taurum.

Amnis *Tinia*, Straboni ὁ Τενέας, p. 157, nunc Tupino, cui misce- tur Clitumnus, ibidem verſ. 453 inter amnes, qui in Tiberim properant, numeratur ita

- - - - Tiniaque inglorius humor.

Prope fontes Tiniæ eſt *Nuceria*, nunc Nocera, cognomine *Camellaria*, vt in Tabula Peutingeriana eſt: Strabonis Νουκερία: Etiam Ptolemæi, qui κολώνια addit, quod quidam ex cognomine καμελλάνα ſuſpicantur prauatum eſſe. nam Plinius ſæpe notato loco: *Nucerini cognomine Fauonienſes & Camelani*: id quod Tabulæ cognomen ſuſpectum corruptionis facit. An Fauonienſis Nuceria ſit eadem quæ Camelana, & ſic duo cognomina vnius oppidi, dubitatur. Ait tamen Cluuerius, quia Plinius non addiderit, quod alibi hoc capite ſolet, *& alii.*

Forum quoque *Flaminii* in hoc tractu fuit, Strabonis Φόρον Φλαμμίνιον, qui cum Nuceria coniungit: Ptolemæi Φόρος Φλαμίνιος. Hieronymus chronico: *Gallus & Voluſianus, quum aduerſum Aemilianum, qui in Mœſia res nouas moliebatur, ex Vrbe profecti eſſent, in Foro Flaminii, ſiue vt alii putant, Interamnæ, interfecti ſunt.* Supra laudata ex Sponii Miſcellaneis inſcriptione in Vmbriæ populis recenſentur etiam FOROFLAMINIENSES. Cluuerius anxie locum inquirit: iuuat Holſtenius, in Tabula poſt *Forum Flaminii* non XVI ſed VI *legens* paſſuum millia. Hieroſolymitano itinere hæc ſunt

Ciuitas	*Treuis*	— —	— —
Ciuitas	*Fulginis*	M.	V
Ciuitas	*Foroflamini*	M.	III
Ciuitas	*Noceria*	M.	XII.

Trebia propinqua eſt, vnde Plinii *Trebiates*. In Hieroſolymitano *Treuis*, id eſt Trebiis, vt iam oſtenſum eſt. Hodie *Treui* in colle inter Fulginium & Spoletium, ſed propius illi. *Spoletium* autem colonia, cuius deductionem Veleius lib. I cap. XIV, & Epit. Liuii XX deſcripſerunt. Liuius lib. XXII cap. IX *Hannibal per Vmbriam vſque ad Spoletium venit.* Florus lib. III cap. XXI in ſplendidiſſimis Italiæ municipiis numerat. Incolæ *Spoletini*

.*tini* Plinio: & *populus Spoletinus* Ciceroni pro Balbo cap. XXI. Et Inscript. Grut. p. 476 n. 7 ORDO SPOLETINORVM: quod a *Spoletium* formatur; non a *Spoletum*, vt perperam quidam libri, recentem adpellationem *Spoleto* imitati, exhibent.

Tuder oppidum, nunc Todi. Strabo Τȣδερ. Plinius: *Intus Hispellum*, *Tuder*. Tabula itineraria, *Tuder* inter Vetonam & Ameriam. Silius lib. VI vers. 645

Deuexum lateri pendet Tuder. - - - -

Frontinus: *colonia Fida Tuder.* Posteriores *Tudertum* dixere. vide Paul. Diaconum lib. IV cap. VIII. Incolæ *Tudertes;* singulatim *Tuders.* Plinius lib. II cap. LVII *ab Amerinis & Tudertibus.* Gruter. pag. 19 inscr. 6 POPVLI TVDERTIS. Et Silius lib. IV vers. 222

Et Gradiuicolam celso de colle Tudertem.

Dicta inscriptione apud Sponium p. 183 TVDERTINI.

Inter Tuder & Spoletium sunt *Carsulæ*, sed in austrum nonnihil deductæ, IX m. p. ab Narnia, XXI a Meuania, vt Holstenius calculum posuit. Strabonis sunt Κάρσȣλοι. Tacitus Hist. III cap. LX *Duces partium vt Carsulas venere, paucos ad requiem dies sumunt.* Hodie diuersorium Carsulanum in ruderibus est. Gentile Carsularum est *Carsulanus.* Plinius lib. I epist. IV *Quantum copiarum in Ocriculano, in Narniensi, in Carsulano, in Perusino tuo.* Inde ad Tiberim deuergit *Ameria*, nunc Amelia. Cicero pro Roscio cap. VII *primo diluculo nuntius hic Ameriam venit.* Ptolemæus Αμερία. Plinius lib. III cap. XIV extremo: *Ameriam Cato ante Persei bellum conditam annis* IↃCCCCLXIV *prodidit.* Municipivm fuisse, Cicero dicta oratione testis est cap. VI, *Sex. Roscius, pater huiusce municeps Amerinus fuit, genere, & nobilitate, & pecunia non modo sui municipii, verum etiam eius vicinitatis facile primus.* Et inscriptio Grut. p. 485 n. 5 PATR. MVNIC. AMERIAE. Augusti lege *ager Amerinus*, vt Frontinus prodidit, veteranis est adsignatus.

Ad Narem amnem *Narnia* est, hodieque Narni dicta, a Plinio & Ptolemæo Vmbriæ adscripta, quamuis, vt nunc est, posita in ripa læua extra limitem. Vetus nomen illius *Nequinum* fuit. Plinius cap. XIV *Narnienses, quod oppidum Nequinum antea vocabatur.*

batur. Liuius lib. x cap. IX *Alter consul in Vmbria Nequinum oppidum circumsedit.* Et quia in limite, coloniam aduersus Vmbros accepit, & nouum a flumine nomen. Ibidem cap. X *Ita Nequinum in ditionem populi Rom. venit. Colonia eo aduersus Vmbros missa, a flumine, Narnia adpellata.* Hinc duplex gentile. In tabula triumphorum Capitolina NEQVINATES: & apud Gruterum p. 387 ORDO NARNIENSIVM. Situm Silius lib. VIII vers. 458 delineauit,

> *Hispellum, & duro monti per saxa recumbens*
> *Narnia.*

Supra Narniam, ad idem flumen, aut in ipso, *Interamna* est, Nare circumflua. Varro LL. lib. IV cap. V *Oppidum Interamna dictum, quod inter amnes est constitutum.* Strabo in Vmbria Ιντέραμνα. Tacitus Hist. III cap. LXIII *pars Narniæ, pars Interamnæ subsistere iussi.* Incolæ *Interamnates.* Idem annali I cap. LXXIX *Interamnates disseruere, pessum ituros fecundissimos Italiæ campos, si amnis Nar (id enim parabatur) in riuos deductus superstagnauisset.* Quum vero plures sint Interamnæ, hi *Nartes* fuere cognominati. Plinius in Vmbria: *Interamnates, cognomine Nartes.* Et inscriptione veteri apud Grut. p. 411 n. 3 PATRONO MVNICIPI INTERAMNAT. NART.

Tandem *Ocriculum,* cuius situm ita Strabo descripsit: ὁ Νὰρ ποταμὸς συμβάλλων τῷ Τίβερι μικρὸν ὑπὲρ Ὀκρίκλων, *amnis Nar paullo supra Ocriculos Tiberi fluit.* nam pluraliter is οἱ Ὀκρίκλοι eadem pag. 157 dixit. Latini veteres *Ocriculum.* Liuius lib. XX cap. XI quum ad *Tiberim circa Ocriculum prospexisset agmen.* Tacitus lib. III Hist. cap. LXXVIII *digressus Narnia Vespasiani exercitus, festos Saturni dies Ocriculi per otium agitabat.* Et Plinius lib. VI epist. XXV *Scribis, Robustum cum Attilio Scauro Ocriculum vsque commune iter peregisse.* Et Ptolemæus quoque eadem forma Ὀκρίκωλον scripsit. Vulgare nomen est *Otricoli,* a quo T etiam in libros Taciti irrepsit, a quo ex MSS. Th. Ryckius purgauit. Situm etiam est vltra Narem, Romam versus; nec minus vero in Vmbria a Plinio & Ptolemæo censetur. Quod argumento est, Vmbriæ fines Narem ex parte transgressos fuisse. Gentile eius, *Ocriculani,* auctore Plinio: & inscriptione, quæ Ocriculi exstat, qua de PATRONI MVNICIPI patre dicitur THERMAS OCRICVLANIS A SOLO EXSTRVCTAS SVA PECVNIA DONAVIT. Ceterum Flami-

Flaminia via per hæc oppida hoc ordine & distantia itur Antonino duce, itinere ab Vrbe per Picenum Anconam,

Ocriculos	M. P.	XLVII
Narniam	M. P.	XII
Ad Martis	M. P.	XVIII
Meuaniam	M. P.	XVI
Nuceriam	M. P.	XVIII.

AGER PICENVS.

Vmbriam ab ortu solis excipit *Picenum*, siue vt sæpius vocatur, *Ager Picenus*. Cæsar Civ. I cap. XII *delectum toto Piceno habebat*. Plinius lib. III cap. XIII *Quinta regio Piceni est*. Et ne *agrum* subaudiri putes, ecce Florus lib. III cap. XVIII nominandi casu: *quum omne Latium atque Picenum, Etruria omnis, atque Campania, postremo Italia contra matrem ac parentem vrbem consurgeret*. At Cicero & Sallustius semper, puto, *Picenum agrum* dixerunt. Vide illum in Catil. II cap. II & XII, pro Sulla cap. XIX, Philipp. V cap. XVI, Offic. III cap. XVIII, & alibi: hunc Catil. Belli cap. XXVII, XXX, XLII, & LVII. Etiam Liuius lib. XXII cap. IX *in agrum Picenum auertit iter:* & Tacitus Hist. III cap. XLII *qua Picenus ager Hadria adluitur*. Silius simili modo lib. VIII vers. 425

Et qui Picenæ stimulat telluris alumnos.

Populus *Picentes* sunt, diuersi a Picentinis ad mare inferum: quamvis Græci & illos Πικεντίνους adpellitant. Cicero pro Sulla cap. VIII de Asculano genere differens, *Aut doceat, Picentes solos non esse peregrinos*. Liuius lib. X cap. X *fœdus ictum cum Picenti populo est*. Prudentius passione Hippolyti vers. 206

Indigena, & Picens, plebs & Etrusca venit.

Tam amplæ multitudinis hic populus fuit, vt Plinius dicto loco *trecenta sexaginta millia Picentium in fidem populo Romano venisse* referat. Fines in ora ab Aesi flumine sunt vsque Prætutianos, si proprie Picentes intelligamus. Ibidem Plinius: *Teruium, quo finitur Prætutiana regio, & Picentium incipit*. Laxe autem si Picenum capias, & Prætutianum & Hadrianum agrum comprehendet. Itidem Plinius eodem loco: *Tenuere Picentes ab Aterno amne, vbi nunc*

ager

ager Hadrianus. Superiori parte ab Apennino Vmbri excludunt Camerinum vsque, vt supra exposuimus: inferiore latius a mari ad montes habitabant. Strabo lib. v pag. 166 οἰκοῦσι ἀπὸ τῶν ὀρῶν ἀρξάμενοι μέχρι τῶν πεδίων καὶ τῆς θαλάττης, *incolunt a montibus* [Picentes] *vsque ad campos & mare.* Nomen deductum ab aue *pico*, quo duce in has oras ex Sabinis venisse referuntur, ibidem Strabo explicauit, & Festus in *Picena regio.*

Prima vrbs in ora *Ancona* est, & situ & nomine suo hodieque notissima. Iterum Strabo: πόλις Ἀγκὼν Ἑλληνὶς, Συρακουσίων κτίσμα, τῶν φυγόντων τὴν Διονυσίου τυραννίδα, *Græca vrbs Ancona, a Syracusanis condita, Dionysii tyrannidem fugientibus.* Nominis rationem Pomponius Mela lib. II cap. IV ex situ declarat. *Illa*, inquit, *in angusto duorum promontoriorum ex diuerso coeuntium inflexu, cubiti imagine sedens, ideo a Graiis dicta Ancon.* Græcis enim huius vrbis nomen Ἀγκὼν est, Latinis pluribus *Ancona.* Cicero lib. XVI epist. XII *Pisaurum, Anconam, Arretium occupauit.* Cæsar Civ. I cap. XI *Pisaurum, Fanum, Anconam singulis cohortibus occupat.* Liuius lib. XLI cap. I *Aduersus Illyriorum classem creati duumuiri nauales erant, qui tuendæ* XX *nauibus maris superi oræ, Anconam velut cardinem haberent.* Et Plinius dicto loco suum Melam sequutus in nominis interpretatione, *Colonia*, inquit, *Ancona, adposita promontorio Cumero in ipso flectentis se oræ cubito.* Et Catullus carm. XXXVI ad Venerem, ibi templum habentem,

> *Quæque Anconam, Cnidumque arundinosam*
> *Colis, quæque Amathunta, quæque Golgos.*

Nec aliter antiquis inscriptionibus est quam ANCONA, & II VIR ANCONAE. Vid. Grut. p. 301 & 459 n. 9. Alii poetæ autem Græcos imitantur. Lucanus II vers. 402

> - - *Dalmaticis obnoxia fluctibus Ancon.*

Et Silius Italicus lib. VIII vers. 437

> *Stat fucare colus nec Sidone vilior Ancon,*
> *Murice nec Libyco.*

nam & purpura Anconæ tingebatur. Et græcissans Atticus ad Ciceronem lib. VII epist. XI ineunte: *Anconem amisimus.* Sic enim in MSS. est. Gentile Balbus & Frontinus ita formant, *Ager Anconitanus.*

Numana XII millibus in Tabula ab Ancona. Mela lib. II cap. IV *Piceni litora excipiunt: in quibus Numana, Potentia, Cluana, Cupra.* Et Plinius eodem cap. XIII *Numana a Siculis condita.* Silius dicto libro, verſ. 432

Heic & quos paſcunt ſcopuloſa rura Numanæ.

Municipium fuit: *Numanates* municipes. Inſcriptione veteri apud Gruterum pag. 446 n. I MVNICIP. NVMANAT. Nunc *Humana* vulgo vocitatur.

Potentia in illo litore ſequitur. Mela modo cognitus. Plinius inuerſo ordine procedens: *Cluana, Potentia, Numana.* Cicero extrema oratione de Aruſp. Reſponſis: *eodem fere tempore factus in agro Piceno Potentiæ nuntiatur terræ motus horribilis.* Strabo & Ptolemæus Ποτεντία. Tabula inter Anconam & Potentiam flumina præfert *Aſpiam* & *Miſeonem:* & poſt Potentiam aliud *Miſium* cum loco *Sacrata*, nunc Porto de Monte ſanto.

Cluana oppidum Melæ & Plinio, quorum verba ſupra commemorauimus, in maritimis recenſitum. Et quia oſtiis fluuiorum ſolemne adponi oppida, hoc forſan ad oſtium amnis fuit, qui nunc Chiento dicitur, Cluuerio *Fluſor* Tabulæ videtur, de quo nomine nihil certi dici poteſt, quia nemo præter auctorem Tabulæ memorauit.

Firmum oppidum, nunc Fermo, paullo intus ſitum & reductum a mari, colonia vetus. Paterculus lib. I cap. XIV *Initio primi belli Punici Firmum & Caſtrum colonis occupata.* Pompeius Domitio proconſuli (lib. VIII ad Attic. poſt epiſt. XII) *quod audieris, Cæſarem Firmo progreſſum in caſtrum Truentinum veniſſe.* Et Ptolemæus in mediterraneis Φίρμιον ponit. quæ contra Melam notanda ſunt, qui tantummodo *caſtellum Firmum* refert, oppidum cum caſtello confundens, quæ Strabo optime diſtinxit. Cum oppidis enim quæ in ora, καὶ Φίρμον Πικηνὸν, *etiam Firmum Picenum* recenſet, quia non longe a mari recedit. Quæ Strabonis adpellatio, coniungens vrbi regionis nomen, aut ab aliis eiuſdem vocabuli diſtinguens, etiam antiqua inſcriptione, quam Gruterus p. 533 n 5 profert, adprobatur, NAT. COL. FIRM. PICENO, id eſt, natus colonia Firmo Piceno. Addit Strabo, ἐπίνειον δὲ ταύτης, Κάστελλον, *nauale vero huius* [vrbis] *dicitur Caſtellum.* Hoc Plinius dixit

dixit *Castellum Firmanorum.* Sic enim oppidani dicebantur seu coloni. Plinius alter lib. VI epist. XVIII *Rogas, vt agam Firmanorum publicam caussam; quod ego adnitar.*

Cupra Maritima, si ad flumen fuit & ostium, quod pronum est ad fidem; ad illud fuit quod nunc *Asone* adpellatur. Ptolemæus Κȣ́πρα Μαριτίμα, quod cum inscriptione, a Grutero p. 108 n. 7 prodita, consentit, ANNIVS CRISPINVS CVPRA MAR. Plinius in ora: *Cupra oppidum, Castellum Firmanorum.* Mela in Italia: *Numana, Potentia, Cluana, Cupra, vrbes.* Cognomen *Maritimæ* discernit a Cupra Ptolemæi altera, quam in eodem Piceno intus posuit, *Montanam* cognominatam. *Cupræ* autem nomen est Κύπρα, quod in Iunonis nominibus Etruscis conditoribus erat. Strabo lib. V pag. 166 τὴν Ἥραν ἐκεῖνοι Κύπραν καλȣ̃σι, *Iunonem illi* [Etrusci] *Cupram, siue Cypram, nominant.* De quo numine, Hadriano facta inscriptio testatur (Grut. p. 1016 n. 2) TEMPLVM DEAE CVPRAE RESTITVIT: quod Straboni est τὸ τῆς Κύπρας ἱερὸν, *Cupræ fanum.* Et Silius lib. VIII vers. 433

Et queis litoreæ fumant altaria Cupræ.

Amnis *Truentus* deinceps est proximus, cui intus, vbi Castellanum flumen receptat, *Asculum Picenum*, caput regionis, adpositum est: in ora *Castrum Truentinum*, quod supra in *Firmo*, Pompeio auctore, memorauimus. Pomponius dicto loco: *Castella, Firmum, Hadria, Truentinum: id & fluuio, qui præterit, nomen est.* Plinius: *Truentum cum amne.* Strabo: Τρȣεντῖνος ποταμὸς, καὶ πόλις ἐπώνυμος, *Truentinus amnis, & oppidum eiusdem nominis.* Ptolemæus tantum ostia Truentini, Τρȣεντίνȣ ποταμȣ̃ ἐκβολὰς, sine oppido memorat. Id quod flumen nunc Tronto, contracta voce ex Truento, nominatur. Inter hoc & Vomanum flumen, quod itidem nomen retinet, tria mediocria flumina intercedunt, quæ vulgo creduntur nominatim a Plinio referri, quippe, vt a Frobenio & aliis est editum, post Truentum, oppidum & amnem, expositum ait: *Flumina, Albulates, Suinum, Heluinum, quo finitur Prætutiana regio, & Picentum incipit.* Ioannes autem Harduinus, reiectis his tamquam spuriis, ex septem codicibus MSS. ita legit: *Flumen Albula: Teruium, quo finitur Prætutiana regio, & Picentium incipit.* Teruium autem ipsi oppidi nomen est, non fluminis. Adde eiusdem Emendat. LXXIV lib. III.

Hic finis est oræ Picentium proprie sic dictæ: *Prætutiorum* incipit inter prædicta flumina, & Vomano finitur, qui limes est agri Hadriani. Simplex *Prætutiorum* nomen nobis Ptolemæus reliquit, quum de Vestinis tradit, esse ἀνατολικωτέρες Πραιτουτίων, *magis orientales quam Prætutios*. Et Silius lib. XV vers. 568

Tum qua vitiferos domitat Prætutia pubes
Læta laboris agros.

Inde *Prætutianus*. Liuius lib. XXII cap. IX *Prætutianum Hadrianumque agrum deuastat*. Plinius lib. III cap. XIII *Flumen Vomanum: ager Prætutianus Palmensisque*. Corruptus est Polybius, cuius lib. III cap. LXXXVIII eadem historia, quam Liuius transscripsit, Hannibal Πρετετιανὴν καὶ Ἀδριανὴν χώραν vastasse dicitur. Consona tamen τ Ptolemæo corrigendo prodest, in quo perperam Πραιγουτίων legebatur. Longius hic ager ad interiora recedit, & Ptolemæus vt Vestinos magis orientales Prætutiis; ita hos ἀνατολικωτέρες Μαρσῶν, *orientales magis, quam Marsos*, ponit. Ili autem sunt populi mediterranei. Ager vero *Palmensis*, quem Prætutiano Plinius coniungit, haud dubie illi implicitus fuit, nec definiri potest facile, cuius nulla, præter hanc Plinii, vsquam exstat memoria. Sed in oram reuertamur.

Castrum ibi in Prætutiorum finibus, saltem prope illos est, colonia vetus. Velleius lib. I cap. XI *Initio primi belli Punici Firmum & Castrum colonis occupata*. Liuius epitoma XI *Coloniæ deductæ sunt, Castrum, Sena, Hadria*. Et Strabo ac Ptolemæus Κάστρον in his oris habent, & hic quidem distincte in maritimis. Plinius lib. III cap. XIII *Flumen Vomanum: ager Prætutianus Palmensisque. Item Castrum nouum, flumen Batinum, Truentum cum amne*. Itinerariis quoque *Castrum nouum* adpellatur, & itinere ab Vrbe per Picenum, XII m. p. a Castro Truentino ponitur: in Tabula XXIV ab Aterno. Inde dicuntur *Castrani*. Balbus de Limitibus: *Ager Cuprensis, Truentinus, Castranus*. Flumen autem *Batinum* Plinii ignotum est, saltem perquam dubium. MSS. aliquot, Harduino teste, *Vibatinum* ferunt: ipse intelligit *Matrinum* Strabonis & Ptolemæi, quod nomen *Macrinum* in Tabula itineraria vocatur, etiam in MSS. Ptolemæi Vaticanis, Holstenio testante p. 136. Quod si idem est, oportet turbatum Plinii ordinem esse, qui

qui inter Caſtrum nouum & Truentum ponit; nam Ptolemæus & Strabo de loco fluminis conſentiunt, quod ultra caſtrum ſit, Aterno propinquum. Strabo etiam clariſſime: ὁ Ματρῖνος ποταμὸς ῥέων ἀπὸ τῆς Ἀδριανῶν πόλεως, ἔχων ἐπίνειον τῆς Ἀδρίας ἐπώνυμον ἑαυτῷ, *Matrinus amnis ab Hadrianorum vrbe profluens, nauale Hadriæ habet nomine ſecum conueniens.* Quod nauale *Macrinum* eſt Tabulæ, VII millibus diſtans ab Hadria, nunc Porto de Atri. Intus ad idem flumen, ad cuius oſtia Caſtrum nouum fuit, ſitum eſt oppidum *Interamna*, Ptolemæi in Prætutianis Ιντεραμνία, hodie corrupto nomine *Terano*, ex quo de ſitu ſatis conſtat.

Vt vero Hadriam vrbem ab ortu Matrinus præterfluit, ita ab occaſu ſolis maior fluuius *Vomanus* decurrit, hodieque dictus *Vomano.* Plinius, *flumen Vomanum:* Silius lib. VIII verſ. 438

- - - - *ſtatque humectata Vomano*
Hadria.

Vltra Matrinum, poſt aliquot minores, eſt *Aternus* fluuius, nunc Peſcara dictus, Paullo Diacono lib. II cap. XIX *Piſcarius*, vnde recens nomen deprauatum eſt. Strabo in oppido *Aterno* (quod vero in ripa Marrucinorum eſt) id ὁμώνυμον τῷ ποταμῷ dicit, eiuſdem vocabuli, quo amnis vtitur, cuius oſtio adpoſitum eſt. Ptolemæus, Ατέρνου ποταμοῦ ἐκβολαί, *Aterni fluminis oſtia.* Plinius ſæpe dicto loco: *Tenuere ab Aterno amne Picentes.* Mela, vt nouiſſime Iac. Gronouius e MSS. correxit, *Ab eo* [Truentino] *Frentani iam Matrini habent ac Aterni fluminis oſtia.* Olim hic fluuius Picenum laxe dictum terminauit, vt ex Plinio intelleximus, & de Piſcario ſuo, qui idem eſt, dicto loco Paullus Langobardus prodidit.

Hæc de maritimis. Mediterranea Piceni nunc ingrediamur. *Auximum* primum ab Aeſi oppidum, nunc Oſimo ſiue Oſino. Tabula *Auſimum:* Balbus de Limit. *Ager Auſimatis:* Strabo, Αὔξουμον πόλις μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάττης, *Auxumum oppidum, paullulum ſupra mare.* Verum & antiquum nomen *Auximum.* Cæſar Civ. I cap. XII *Cæſar Auximum proficiſcitur:* & cap. XIII *Decuriones Auximi ad Attium Varum frequentes conueniunt.* Velleius Paterculus lib. I cap. XV *Auximum in Picenum coloni miſſi.* Plutarchus in Pompeio pag. 621 ἐν Αὐξίμῳ πόλει. Et Lucanus lib. II verſ. 466

- - - admotæ pulſarunt Auximon alæ.

Coloni *Auximates.* Cæſar dicto cap. XIII *Auximatibus agit gratias.* Et Gruterus pag. 372 inſcr. 4

L. AVRELIO MARCIANO
AVG. LIB. EXCEPTORI
AVXIMATES.

Cingulum a Labieno conſtitutum vel munitum ciuili bello. Cæſar Civ. I cap. XV *Etiam Cingulo, quod oppidum Labienus conſtituerat, ſuaque pecunia exædificauerat, ad eum* [Cæſarem] *legati veniunt.* Cicero, Attici verbis, lib. VII epiſt. XI *Cingulum, inquis, nos tenemus: Anconem amiſimus.* Nomen & hodie ſuperat Cingolo. Oppidani Plinio *Cingulani* dicti; Frontino *Cingulanus ager.* Qualis ante ciuile bellum locus fuerit, ignoratur. Adluſio enim Silii eſt Italici ad ciuile bellum in Punico, quum lib. X verſ. 34 ſcripſit,

- - - celſis Labienum Cingula ſaxa
Miſerunt muris.

Septempeda, Strabonis & Ptolemæi Σεπτέμπεδα, Frontini de Colon. *Septempeda oppidum.* Situm Antoninus itinere ab Vrbe Anconam ita oſtendit:

Nuceriam	M. P.	CXI
Prolaqueum	M. P.	XVI
Septempedam	M. P.	XV
Trea	M. P.	IX
Auximum	M. P.	XVIII
Anconam	M. P.	XII.

Municipium fuit. Gruter. p. 308 inſcr. 3 FLAM. FERON. MVNICIPI SEPTEMP. Municipes *Septempedani.* Idem pag. 284 inſcr. 4 ORDO SEPTEMPEDANORVM.

Treia municipium, Antonini *Trea*, vti iam vidimus. vnde *Treenſis ager* Frontino de Coloniis: at municipes Plinio *Treienſes.* Verum nomen *Treia*, & gentile *Treienſis.* In lapide veteri, Grutero auctore p. 446 n. 1, ORDO ET PLEBS TREIENS. Locus ex itinere iam monſtratus fuit.

VrbsSaluia, hodie Vrbiſaglia: Ptolemæi Οὐρβσαλουία: Balbus de Limit. *Ager VrbisSaluienſis.* Tabu-

Iuſi-

Ausimo - - Ricina XIIII *Vrbesaluia* XII.

At Plinius lib. III cap. XIII extr. *Vrbesaluia Pollentini.* Fuit quippe etiam in Piceno quædam POLLENTIA. Liuius lib. XXXIX cap. XLIV *Eodem anno coloniæ duæ, Pollentia in Picenum, Pisaurum in Gallicum agrum, deductæ sunt.* Alia est illa *ferax fusci Pollentia villi,* vt Silius ait lib. VIII v. 598, de qua in Liguria diximus. Hæc autem Piceni aut eadem est, quæ Vrbsaluia, quod Harduino placet: aut proxime illi coniuncta, quod cum Camillo Lilio Holstenius censet, vt, ob vicinitatem, in vnam quasi ciuitatem coaluisse videantur: quod ex vestigiis aiunt demonstrari. Fluctuat Cluverius, dirimendo illas, & longius separando.

Tollentinum, quod nomen hodie superat, municipium fuit, vt in veteri lapide, Grutero p. 194 referente, incisum est, PRAEF. FABR. MVNICIP. TOLLENTIN. Municipes Plinio sunt *Tollentinates:* Balbo de Limit. *Ager Tolentinus.*

Ricina, oppidum, sero colonia sub Seuero facta. Vetus Tabula, *Ricina:* Plinius, *Ricinenses.* Vestigia II vel III m. p. a Macerata ad fluminis Potentiæ ripam dexteram sunt, Holstenio monstrante pag. 137. Marmore ad Maceratam inuento (Grut. p. 265 n. 5) COLONIA HELVIA RICINA CONDITORI SVO. Et Iac. Sponii Miscell. E. A. p. 177 PATRONO COLONIAE RICINNIAE HELVIAE IN CVIVS CVR. ET OF. F BENEMERITO RICINNATI HELVIANI SVA IMPENSA IN FORO CAESAR. D. D.

Faleria siue *Falaria.* Plinii sunt *Falarienses* lib. III cap. XIII: at ænea tabula, quam Gruterus p. 1082 n. 2 descripsit, DECVRIONIBVS FALERIENSIVM EX PICENO. Hodie Falleroni, vbi tabula illa exstat. Balbus de Limit. *Falerionensis ager.*

Asculum Picenum, hodie Ascoli, noto situ. Cæsar Civ. I cap. XV *cum his duabus* [legionibus] *Asculum Picenum proficiscitur.* Græci Ἄσκλον, Strabo, Plutarchus, Stephanus: at Ptolemævs Latino more Ἄσκουλον. Locus natura munitus. Strabo p. 166 lib. V, τὸ Ἄσκλον τὸ Πικηνὸν ἐρυμνότατον χωρίον, καὶ ἐφ᾽ ᾧ κεῖται τὸ τεῖχος, καὶ τὰ περικείμενα ὄρη στρατοπέδοις οὐ βάσιμα. Caput fuit Piceni. Plinius dicto loco: *Super id* [castellum Firmanorum] *colonia Asculum, Piceni nobilissima, intus.* Et Florus lib. I cap. XIX *Domiti Picentes, & caput gentis Asculum.* Coloni, *Asculani.* Cicero in

Bruto

Bruto cap. XLVI *Omnium eloquentissimus extra hanc vrbem T. Betucius Barrus, Asculanus, cuius sunt aliquot orationes Asculi habitae.* Gruter pag. 405 n. 16 PATRONVS COLONIAE ASCVLANORVM. Municipium etiam fuisse, probant illa Ciceronis pro Sulla cap. VIII *Est ipse* [Torquatus] *a materno genere municipalis honestissimi ac nobilissimi generis, sed tamen Asculani.*

Cupra Montana intus sita, e regione Cupræ Maritimæ. Ptolemæus in mediterraneis Piceni: Κύπρα μοντάνα. Plinius dicto loco: *Cuprenses, cognomine Montani.* Balbus de Limit. *Ager Cuprensis, Truentinus, Castranus, Aternensis lege Augustea sunt adsignati.* Situm ex relatione episcopi eius loci ostendit Holstenius p. 137. Tandem sunt *Pausulæ.* Tabula: *Pausulas* VIIII *Potentia.* Balbus, *Ager Pausulensis.* Plinius, *Pausulani.* In ruderibus Pausularum nunc oppidum *Monte dell' Olmo* exstare, fide Camilli Lilii adfirmat Holstenius p. 137.

Quod reliquum est, aliquot dubia loca, quæ ad Picenum referuntur, ne prætereamus, institutum admonet. *Nouana* Plinii dubitatur, fueritne in ora, an mediterraneo solo. Verba eius sunt lib. III cap. XIII ex vulgari incisione: *Cupra oppidum, castellum Firmanorum, & super id colonia Asculum Piceni nobilissima. Intus Nouana: in ora Cluana, Potentia, Numana, a Siculis condita.* Harduinus autem ita incidit: *colonia Asculum, Piceni nobilissima, intus. Nouana in ora: Cluana, Potentia, Numana.* Hinc est quod Cluuerius mediterraneis Nouanam adscribit: Harduinus maritimis. Prona vulgaris lectio: in altera durum, *Nouana in ora: Cluana.* Tum æque prona esset, si sequentibus copula esset præfixa, *& Cluana, & Potentia:* aut voces transpositæ, *in ora Nouana, Cluana,* & reliqua.

Deinde *Pitinum* oppidum trans Apenninum fuit: qua sede, incertum. Plinius lib. II cap. CIII *In agro Pitinate trans Apenninum fluuius Nouanus omnibus solstitiis torrens, bruma siccatur.* Ignotus amnis Nouanus. quare *Vomanus* videtur pluribus legendum. Tabula Peutingeriana habet *Pitinum*, sed interpositum vtrimque obscuris locis & aliunde non cognitis. Cluuerius prope fontes Vomani ponit: Holstenius vestigia III circiter m p. ab ciuitate Aquilana exstare tradit, in *Torre di Pitino.* Ad hæc & *Forum Nouum* fuit in Piceno, cuius incolæ FORONOVANI in vete-

veteri inscriptione reperta Romæ CIↃIↃCXLV. Reinesius illam classe VI num. CXXIX reuelauit: sed vbi illud Forum in Piceno fuerit, nemo quisquam, quod sciamus, adhuc prodidit. Balbus de Limit. (p. 122 ed. Gœs.) in Piceno: *Foronouanus* [ager] *per limites & centurias est adsignatus.*

Tandem & *Alba* in Piceno a Procopio memoratur lib. II Goth. cap. VII; ἀμφὶ πόλιν Ἄλβαν, ἐν Πικήνοις κειμένην, *circa vrbem Albam, in Picenis sitam.* Balbus ibidem p. 120 *Albensis ager locis variis limitibus intercisiuis est adsignatus.* Regius tamen cod. Procopii ἐν Πελιγνοῖς, quod æque nihil illustrat. Si Albam ad Fucinum lacum intellexit, Piceni fines nimium laxos habuisse oportet.

VESTINI, MARRVCINI, PELIGNI, MARSI.

Coniunctos conterminosque populos coniungamus, quos & coniungi in historiis videmus. Liuius lib. VIII cap. XXIX *Erat genus omne abunde bello Samnitibus par, Marsi, Pelignique, & Marrucini: quos, si Vestinus attingeretur, omnes habendos hostes.* Et sic etiam Polybius lib. II cap. XXIV. Primum itaque VESTINI sunt perlustrandi, qui a fontibus Vomani, Matrini, & Aterni incipientes, in ripis illorum fluminum vsque ad mare coluerunt. Ptolemæus oppida illis tribuit *Pinnam, Auiam, Angulum:* addit *Amiternum,* quod vero Sabinorum esse postea ostendemus. Plinivs addit *Peltuinates* & *Aufinates:* Cluuerius etiam *Aternum* ad mare, quod Marrucinis mox vindicabimus. Quinque ergo oppida indubitato Vestinorum sunt: quæ vero Liuius lib. VIII cap. XXIX adiungit, *Cutinam* & *Cingiliam;* eorum situs ignoratur.

Pinna, hodie Ciuita di Penna, Ptolemæi Πίννα, vnde *Pinnenses* sunt Plinii. Vitruuius lib. VIII cap. III *Pinnam Vestinam* dixit. *Est,* inquit, *aquæ frigidæ genus nitrosum, vti Pinnæ Vestinæ, Cutiliis, aliisque locis similibus.* Silius Italicus lib. VIII vers. 516

Haud illo leuior bellis Vestina iuuentus
Agmina densauit venatu dura ferarum,
Quæ, Fiscelle, tuas arces, Pinnamque virentem,
Pascuaque haud tarde redeuntia tondet Auella.

Angulum oppidum, Ἀγγολὸς Ptolemæi in Veſtinis; vnde Plinii *Angulani* ſunt. Antoninus itinere ab Vrbe Anconam & inde Brundiſium, inter Aterni oſtia & Ortonam *Angulum* ponit, inde x; hinc xi millibus paſſuum remotum: quod arguit haud longe a mari abfuiſſe.

Auia, Ptolemæi Αὔϊα, Tabulæ *Aueia* xx millibus ab Alba, quæ Fucentis videtur Cluuerio eſſe. Prope vrbem Aquilam fuit, quod ex Martyrologio Romano elucet a d. xiii Kal. Nouembris: *In Auienſi ciuitate prope Aquilam in Veſtinis, natalis beati Maximi, leuitæ & martyris.*

Peltuinum habuit *Peltuinates* Plinii. Oppidum ſic in antiqua inſcriptione eſt, quam Gruterus p. 443 num. 6 profert, PELTVINI VESTINIS IN CVRIA AVG. ORDINEM HABENTIBVS.

Auſina vel *Auſinum* nobis Plinius prodidit, *Auſinates* vocans incolas lib. iii cap. xii. Cum nomine conuenit Ofena inter Aquilam & Pinnam ſita. Cognomen *Ciſmontanorum* addit Plinius, quod aliter, quam de Apennino reſpectu Romæ & Latii, intelligendum eſt, quia Apenninus Veſtinos Sabinosque ſeparauit. Quæ cauſſa etiam eſt, cur *Amiternum* in montibus ſitum, quia cis ſummos montes eſt, Sabinorum potius agro, quam Veſtinorum, attribuamus, quamuis Ptolemæus in Veſtinis cenſeat, & Martyrologio ix Kalend. Auguſti ſcriptum ſit, *Amiterni in Veſtinis.*

MARRVCINI, Græcis fere ρ ſimplici, Latinis geminata littera R ſcribuntur. Strabo de illis gentibus in vniuerſum lib. v p. 167 ἔχουσι καὶ Τεάτε τὴν τῶν Μαρουκίνων μητρόπολιν· ἐπ' αὐτῇ δὲ τῇ θαλάττῃ τό, τε Ἄτερνον, ὅμορον τῇ Πικεντίνῃ, ὁμώνυμον δὲ τῷ ποταμῷ τῷ διορίζοντι τήν τε Οὐηστίνην καὶ τὴν Μαρουκίνην, *Habent etiam Teate, caput Marrucinorum: ad mare vero Aternum, Piceno confine, & flumen eiusdem nominis, quod Veſtinorum ac Marrucinorum regionem diſiungit.* Certum ergo de *Teate* eſt, Marrucinorum fuiſſe, etiam caput illorum: & hanc ſolam vrbem eis, quia præcipua, Plinius adſignat, *Marrucinorum Teatini,* dicens. Laudat Silius lib. viii verſ. 510

Marrucina ſimul Frentanis æmula pubes
Corfini populos, magnumque Teate trahebat.

quamquam Corfinium in Pelignis eſt. Et lib. xvii verſ. 457

cui

- - - - cui nobile nomen
Marrucina domus, clarumque Teate ferebat.

Antoninus itinere ab Vrbe Hadriam per Valeriam vi[illegible],

Tibur	M.	P.	XX
Carseolos	M.	P.	XXII
Albam Fucentiam	M.	P.	XXV
Cerfenniam	M.	P.	XXIII
Corfinium	M.	P.	XVII
Interbromium	M.	P.	XI
Teate Marrucinum	M.	P.	X[illegible]II
Hadriam	M.	P.	XIIII.

Hodie *Tieti* & frequentius *Chieti*, ac Ciuita di *Chieti*, adpellatur.

Aternum oppidum, nunc Pescara, quamuis Strabo dicat Vestinorum esse, tamen quia in ripa Marrucinorum positum, quem limitem ipse Strabo constituit; & commune ἐπίνειον, *nauale* tam Marrucinorum Pelignorumque eodem teste, quam Vestinorum fuit; in Marrucinis potius quam Vestinis numeramus, ne oppidum ex ripa in oppositam translocare, quod Cluuerio visum est, necesse habeamus. Balbus de Limit. *agrum Aternensem* memorauit. An plura oppida habuerint Marrucini, nullo indicio vel a geographis vel historicis est proditum. nec mirum silentium illorum, quia, eodem Strabone testante, hæ gentes κωμηδὸν ζῶσιν, *in vicis habitabant* magis quam in oppidis.

PELIGNI his proximi erant, quos *Sagrus* fluuius diuidebat a Frentanis. Strabo dicto loco: Μεταξὺ δὲ Ὄρτωνος καὶ Ἀτέρνου ὁ Σάγρος ποταμὸς ὁρίζων τοὺς Φρεντανοὺς ἀπὸ τῶν Πελιγνῶν, *inter Ortonam & Aternum Sagrus fluuius est, qui Frentanos a Pelignis disterminat.* An etiam ad mare vsque coluerint, dubitari potest, quia nullum eius habitationis indicium adparet: nisi quod communi portu Aternensi cum Marrucinis & Vestinis vsi sunt. *Corfinium & Sulmo* sunt, quæ Ptolemæus illis dat oppida: Plinius *Superæquum* addit; sed hæc omnia a mari longius reducta sunt. Plinius: *Marrucinorum Teatini: Pelignorum, Corfinienses, Superequani, Sulmonenses.* Pelignus genere Ouidius fuit, ac ipse de se scripsit lib. III Amor. eleg. XV

Mantua Virgilio gaudet, Verona Catullo,
Pelignæ dicar gloria gentis ego.

Corfinium caput Pelignorum. Strabo, Κορφίνιον, ἡ τῶν Πελιγνῶν μητρόπολις, *Corfinium metropolis Pelignorum.* Bello Marſico caput Italiæ aduerſus Romam conſtitutum fuit, etiam *Italicæ* nomen adſumſit. Idem Strabo de Italis ſociis: *Corfinium* κοινὴν ἅπασιν τοῖς Ἰταλιώταις ἀποδείξαντες πόλιν ἀντὶ τῆς Ῥώμης, ὁρμητήριον τοῦ πολέμου, μετονομασθεῖσαν Ἰταλικὴν, id quod breuius Velleius Paterculus enunciat: *Caput imperii ſui Corfinium legerant, quod adpellarent Italicum.* Situm fuit tribus millibus ab Aterno flumine, quod ponte traiiciendum iis erat, qui Aſculo Corfinium petebant. Cæſar I Civ. cap. XVI *Corfinium contendit. Eo quum veniſſet, cohortes V, præmiſſæ a Domitio ex oppido, pontem fluminis interrumpebant, qui erat ab oppido millia paſſuum circiter* III. *Ibi cum antecurſoribus Cæſaris prœlio commiſſo, celeriter Domitiani, a ponte repulſi, ſe in oppidum receperunt. Cæſar, legionibus transductis, ad oppidum conſtitit, iuxtaque murum caſtra poſuit.* Lucanus lib. II verſ. 478

At [illegible] Corfini validis circumdata muris
Tecta tenent, [illegible] pugnax Domiti.

Aberat VII millibus a Sulmone, qui nomen conſeruat: quod etiam Tabula Auguſtana ita definitum eſt, itinere a Teate Sulmonem per Corfinium ducente. Ex quo coniicitur, prope Popolo ſiue Populium oppidum exſtitiſſe.

Sulmo, hodie Solmona, notum oppidum. Cæſar Civ. I cap. XVIII *Interim Cæſari nuntiatur, Sulmonenſes, quod oppidum a Corfinio* VII *millium interuallo abeſt, cupere ea facere, quæ vellet.* Silius lib. VIII verſ. 510

- - - - - coniungitur acer
Pelignus gelidoque rapit Sulmone cohortes.

Patria fuit Ouidii, quod ipſe lib. IV Triſt, eleg. IX prædicauit,

Sulmo mihi patria eſt gelidis vberrimus vndis.

Coloni eo miſſi, ſed, vt videtur, poſt Naſonis tempora. Frontini expilator, ſeu quisquis auctor libelli de Coloniis ſub Frontini nomine: *Solmona ea lege eſt adſignata, qua & ager Æſerniæ.* At de hac ita ibidem: *Æſernia oppidum muro ductum: iuſſu Neronis* ſi de-

est deductum. Et Goes. ed. p. 145 *colonia Solmontina* videtur vitio barbarorum temporum Sulmonensis dicta.

Tertium oppidum Pelignorum Frontinus de Limit. *Super Equum* vocat: oppidanos Plinius *Superequanos*; & iterum Frontinus p. 145 ed. Goes. *colonia Superequana. Ager eius veteranis est adsignatus: sed postea Seuerus & Antoninus, & Commodus aliqua priuatis concesserunt.* Hodie; vt Holstenius probauit, est Castel Vecchio Subrequo siue Subequo. Addo *Interbromium* Antonini, quod in Tabula est *Inter primum*, itineris ductu ad Aterni ripam referendum.

MARSI circa *Fucinum* lacum late coluerunt, gens bellicosa, vti ex Marsico bello clarum est. Fabulosam originem saltem nominis a Marsya ex Asia poetæ deducunt. Silius VIII vers. 503

Sed populis nomen posuit metuentior hospes,
Quum fugeret Phrygios trans æquora Marsya Crenos.

Lacus ille *Fucinus* in Marsis, iam Lago di Celano, a multis memoratus est. Virgilius Aeneid. VII vers. 759

Te nemus Angitiæ, vitrea te Fucinus vnda,
Te liquidi fleuere lacus.

Liuius lib. IV cap. LVII *castellum ad lacum Fucinum vi expugnatum.* Plinius lib. XXXI cap. III *Aqua Marcia transit Marsos & Fucinum lacum, Romam non dubie petens.* Hunc emittere Iulius Cæsar tentauit, vt Suetonius cap. XLIV refert: quod perficere conatus Claudius est. Suetonius cap. XX *emissarium Fucini lacus perfecit.* Et Dio lib. LX p. 672 τὴν λίμνην τὴν Φουκίνην τὴν τῶν Μαρσῶν ἠθέλησε μὲν ἐς τὸν Τίβεριν ἐξαγαγεῖν, *Marsorum lacum Fucinum in Tiberim* [Claudius] *emittere voluit.* Ad quod opus *montem perfodit inenarrabili impendio*, vt Plinius lib. XXXVI cap. XV in *maxime memorandis* huius principis laudauit. Tacitus lib. XII cap. LVI *inter lacum Fucinum amnemque Lirin perrupto monte, quo magnificentia operis a pluribus viseretur, lacu in ipso nauale prœlium adornasse.* Ad lacum qui colunt, *Fucentes* dicti Plinio: nescio an circumcolentes ibi, quia Alba satis vicina lacui, a quo cognominatur; *Albenses* tamen eodem cap. XII lib. III a Fucentibus distincti sunt.

Caput Marſorum *Marrubium* ſiue *Marruuium*, ab orientali latere lacus ſitum, quod ex veſtigiis Holſtenius aduerſus Cluuerium demonſtrauit p. 151. Strabo lib. V pag. 167 & Dionyſius Halicarn. lib. I p. 12 Μαῤῥούϊον, id eſt *Maruuium* vocant. Et Silius lib. VIII verſ. 506

Marruuium, veteris celebratum nomine Marri,
Vrbibus eſt illis caput.

Quo inſcriptio Reineſii 114 claſſ. VI pertinet CVRATORI P. SPLENDIDISSIMAE CIVITATIS MARS. MARR. id eſt Curatori perpetuo ſpl. civ. Marſorum Marrubii. Gentile inde *Marruuii* Plinio: *Marrubii* Virgilio, qui lib. VII verſ. 750

Quin & Marrubia venit de gente ſacerdos.

Altera vrbs eſt *Alba*, ſeptemtrionali lacus latere, quæ nomen ſuum adſeruat. Quod vero plures Albæ ſunt in Italia, hæc a lacu cognominata, cui adiacet, ſatis diſtincta eſt a ceteris. Plinivs dicto loco: *Albenſium, Alba ad Fucinum lacum.* Soſipater Chariſius lib. I In[illegible]r. p. 81 *Albani dicuntur ab Albano: Albentes autem ab Alba Fucente.* Inſcriptio vetus Grut. p. 404 CVR. R. ALB. FVC. Antonini itinere per Valeriam, *Alba Fucentia.* Silivs lib. VIII verſ. 507 poſt verſus ante adlatos de Marruuio Marſorum:

- - - - - *interiorque per vdos*
Alba ſedet campos, pomisque rependit ariſtas.

Gentile *Albenſes* ex Plinio & Soſipatro cognouimus. Colonos in eam miſſos, Liuius lib. X ineunte, Velleius lib. I cap. XIV, & Appianus Hannibalic. p. 579 tradiderunt.

Cerſennia quoque in oppidis memorabilibus Marſorum fuit. Poſita inter Albam & Corfinium: nec vero nouum forte eſt oppidum, ſed iam tum ætate Claudii imperatoris laudatum. In Teatina columna milliaria, Iac. Sponio Miſc. p. 200 referente, etiam Holſtenio p. 154, de Claudio exſtat:

VIAM CLAVDIAM VALER
A CERFENNIA OSTIA ATERN
MVNIT.

Situm

Situm & distantiam iter supra in *Teate* commonstratum perspicue definit.

Ad latus occidentale lacus Fucini *Lucus* fuit *Angitiæ*, de quo Virgilius versu ante producto, *Te nemus Angitiæ*. *Nemus*, metri gratia: *Lucus* proprie dictus, cuius incolas Plinius *Lucenses* dixit. Angitia, Medeæ soror, cur ibi culta fuerit, prodit Silius lib. VIII, a versu 499

> *Aeetæ prolem Angitiam mala gramina primam*
> *Monstrauisse ferunt, tactuque domare venena,*
> *Et lunam excussisse polo, stridoribus amnes*
> *Frenantem, ac siluis montem nudasse vocatis.*

Adde, quem ibi interpretis loco adhibuimus, Iul. Solinum cap. de Italia, ex C. Cœlio. Situs ex oppido, cui vulgare nomen *Luco* est, non est obscurus, quia non dubie idem est. In ipso lacu quærendum oppidum *Archippe*, haustum a lacu submersumque. Plinius lib. III cap. XII *Gellianus auctor est, lacu Fucino haustum Marsorum oppidum Archippe, conditum a Marsya duce Lydorum.* Vestigia etiam nunc exstare adfirmant Marsi ad ripam lacus inter Transaquam & Ortuciam, vt Holstenius refert p. 154.

Anxantium, a quo Plinii sunt *Anxantini*, dicitur esse Ciuita d'Antia. *Cuculum* autem, Κούκουλον Strabonis in Valeriæ descriptione, est Cucullo in Valle Superequana in confiniis Marsorum & Pelignorum, haud procul via Valeria. Supra Cerfenniam in Valeria, Corfinium versus est *Mons Imeus* Tabulæ, & deinde *Statule*; obscura loca, & aliunde non cognita. Restant alia incerta & dubia, quæ Liuius lib. X cap. III memorauit. *Profectus*, inquit, *dictator cum exercitu, prælio vno Marsos fundit. compulsis deinde in vrbes munitas Milioniam, Plestinam, Fresiliam, intra dies paucos cepit.* Quum vero breui post tempore, quod eiusdem libri cap. XXXIV describitur, *Milionia* Samnitibus difficili expugnatione erepta perhibeatur, & lib. IX cap. XXI *Plistia* Romanorum socia ab Samnitibus oppugnata; dubitare viri eruditi cœperunt, eademne illa oppida, quæ Marsis supra tribuebantur, an Marsorum alia, alia simili vocabulo Samnitium. Carolus Sigonius separauit ita, vt *Miloniam* & *Plistiam* Samnitibus daret, *Milioniam* & *Plestinam* vindicaret Marsis, veterum librorum, vt ait, & Stephani By-

ni Byzantii auctoritate fictus: cui *Μιλωνια πόλις Σαμνιτῶν*, *Milonia urbs est Samnitica*. Quod vt de *Plistina* & *Plistia* facile concedo; ita *Milonia* & *Milionia* diuersitatem, dum maiora testimonia accedant, nondum adducor vt credam, quum belli tempore eadem vrbs, praesertim in confinio sita, nunc in huius gentis, nunc in alterius sit potestate.

SABINI ET AEQVI SIVE AEQVICVLI.

Sabinorum gens antiquissima, de cuius nomine & sede Plinius lib. III cap. XII *Sabini, vt quidam existimauere, a religione & deorum cultu adpellati: Velinos adcolunt lacus, roscidis collibus.* Nec tantum ad lacus illos, sed vsque Tiberim habitauerunt, Nare fluuio ab Vmbris, Apennino a Picentibus secclusi, Latinis, qui Latium colebant, & Aequis ab austro contermini. Strabo lib. v pag. 157 Sabinos habitare dicit *ἀπὸ τοῦ Τιβέρεως καὶ Νωμέντου πολίχνης μέχρις Ουηστίνων*, *a Tiberi & oppido Nomento vsque ad Vestinos.* Nec ita Nomentum terminus fuit, vt infra illud oppidum, ad Romam versus, nihil Sabini possiderent. Liuius lib. I cap. x de raptu Sabinarum: *Caeninenses, Crustuminique & Antemnates erant, ad quos eius iniuriae pars pertinebat.* At haec oppida interiacent. Erant quidem Nomentum, Crustumerium, & Fidenae Albanorum coloniae, vt Dionysius Halicarnassensis lib. II pag. 116 refert; at in agro constitutae Sabinorum, illorumque postmodum, vt ex bello cum Romanis constat, subiectae ditioni.

Antemnae siue *Antemna* proximum ex his oppidum vrbi Romanae erat. Liuius, vt dixi, de raptu virginum historia, in Sabinis censet. Cis Anienem Antemnae erant: inde Nomen, Varrone auctore de L. L. lib. IV cap. v. *Antemnae*, inquit, *quod ante amnem, qui influit in Tiberim.* Praeterea pluraliter Strabo adpellat Ἀντέμναι, lib. v pag. 159; & Virgilius lib. VII vers. 631

Ardea, Crustumerique, & turrigerae Antemnae.

Singulari numero Ἄντεμνα Dionysius lib. II scripsit, & Cato lib. I Originum (quod Priscianus nobis fragmentum lib. VI seruauit) *Antemna*, inquit, *vetustior est quam Roma:* & Silius Italicus lib. VIII vers. 366

Antemna-



- - - - - Antemnaque prisco
Crustumio prior.

Cis amnem videtur etiam *Collatia* fuisse. Liuius lib. I cap. XXXVII in Tarquinii gestis: *Collatia, & quidquid circa Collatiam agri erat, Sabinis ademtum.* Ergo Sabinorum fuerat, quamlibet in limite Latinorum. Idem cap. LVII *Omnes citatis equis aduolant Romam. quo quum primis se intendentibus tenebris peruenissent, pergunt inde Collatiam, vbi Lucretiam nocte sera deditam lanæ inueniunt.* Nulla vestigia exstant. Holstenius vltra Ostia & Anienis confluentes remouet: sed tantum spatium tam breui & nocturno tempore, postquam regias etiam nurus Romæ inuisissent, non videtur a Tarquinio & comitibus perfici potuisse. Probabilius, vltra IV vel V m. p. ab vrbe non abfuisse. Silius lib. VIII vers. 362

Lauinum, ac altrix casti Collatia Bruti.

Et Virgilius lib. VI vers. 773 in editiore loco situm ait,

Hi Collatinas imponent montibus arces.

Intercedit *Anio* fluuius, nunc Teuerone, a cuius cum Tiberi confluente non procul Antemnæ afuerunt. Ortus *in monte Trebanorum*, vt Plinius lib. II cap. XII notauit, per Aequiculos delapsus Latinos postea ab Sabinis discernit, at propior ostio vtraque in ripa Sabinos videt. Horatius lib. I oda VII

Et præceps Anio, & Tiburni lucus.

Obliquo *Anienis* flectit, vt Cicero in I pro Cornelio dixit *trans Anienem.* Priscianus iterum lib. VI *Anio etiam Anienis, quod antiquissimi secundum analogiam Anien nominatiuum proferebant.* Antiquitatem renouauit Statius lib. I Siluar. carm. V vers. 25

Quas præceps Anien, atque exceptura natatus,
Virgo iuuat.

Post amnem proximus vrbi *Mons Sacer* est, in quem semel, iterum Romana plebs secessit, iniuriis adfecta patriciorum. Liuius lib. II cap. XXXII *Sicinio quodam auctore, iniussu consulum in Sacrum Montem secessisse, trans Anienem amnem, tria ab vrbe millia passuum.* Iterum oppressi plebeii a patribus, quod Liuius lib. III cap. LII refert, *Via Nomentana, cui tum Ficulnensi nomen fuit, castra in Monte Sacro locauere, modestiam patrum suorum, nihil violando imitati.* Co-

gnomen *Sacri* ab illa ſeceſſione impoſitum. Dionyſius lib. VI pag. 375 ὁ νῦν ἐξ ἐκείνου ἱερὸν ὄρος καλεῖται, *qui nunc ab illo tempore Sacer Mons adpellatur.* Nam aram ibi Διὸς Δειματίου terrore ſacro correptos conſtituiſſe, idem dicto libro, p. 411 memorauit. Vltra montem in via Nomentana *Ficulea* fuit ſiue *Ficulnea*, vt iam ex viæ deſcriptione intelleximus. Liuius lib. I cap. XXXVIII *Corniculum, Ficulnea vetus, Cameria, Cruſtumerium, Ameriola, Medullia, Nomentum, hæc de priſcis Latinis, aut qui ad Latinos defecerant, capta oppida.* Gentile inde *Ficuleates*. Varro de L. L. lib. V cap. III *qui tum ſub vrbe populi, vt Ficuleates ac Fidenates, & finitimi alii, contra nos coniurarunt.* Non dubitandum, Plinii *Ficolenſes* eſſe, quamuis hos extra Sabinos lib. III cap. XII locauerit. Sabinorum enim agrum non ex antiquo ſæculo, ſed ſuo metitur, quo propiora vrbi Romanæ, quamuis Sabinorum fuerant, in Latio cenſebantur. Cicero quoque lib. XII ad Attic. ep. XXXIV huius oppidi agrum vel in eo prædium memorauit. *Cras*, inquit, *in Sicæ ſuburbano: inde puto me in Ficulenſi fore.* De via *Ficulnenſi* modo dictum eſt ex Liuio.

Propinquas etiam Roma habuit *Fidenas*, ſiue *Fidenam*, quarum ſitum Dionyſius Halicarnaſſenſis delineauit. Libro II pag. 116 de Romulo dixit, ἐπὶ τὴν Φιδηναίων ἐστράτευσε πόλιν, ἀπὸ τετταράκοντα σταδίων τῆς Ῥώμης κειμένην, *contra Fidenatum vrbem exercitum duxit*, XL *ſtadiis ab Roma ſitam.* Et lib. III p. 191 in Tarquinio Priſco: οἱ Σαβῖνοι καταστρατοπεδεύονται Φιδήνης πλησίον, περὶ τὰς συμβολὰς τοῦ τε Ἀνίητος καὶ τοῦ Τιβέριος ποταμοῦ, *Sabini caſtra ponunt prope Fidenam, circa Anienis & Tiberis confluentes.* Et Tacitus annali IV cap. LXII ruinam amphitheatri *apud Fidenam*, L. M. ſuo caſu debilitantem vel obterentem deſcribens, *confluxiſſe* ait *auidos talium ob propinquitatem loci effuſius.* Veſtigia eius prope Tiberim adparent V M. P. ab vrbe, II millibus ſupra Anienis confluentem. Illuſtris olim fuit, ideo dicta Dionyſio priore loco πόλις μεγάλη τε καὶ πολυάνθρωπος, *vrbs magna & populoſa.* Nomen vtroque numero enuntiant, plurali, Strabo lib. V pag. 159 Ἀντέμναι καὶ Φιδῆναι: Liuius II cap. XIX *His conſulibus Fidenæ obſeſſæ, Cruſtumeria capta.* Et Cicero Agr. II cap. XXXV *Labicos, Fidenas, Collatiam cum - - - comparabunt.* Suetonius Tib. cap. XL *apud Fidenas ſupra* XX *hominum millia, gladiatorio munere,* amphi-

amphitheatri ruina perierant. Horatius lib. I epist. XI vers. 7

- - - - *Gabiis desertior atque*
Fidenis.

Et Iuuenalis satyra X vers. 100

An Fidenarum Gabiorumque esse potestas?

Contra singulari, præter Dionysium atque Tacitum, quos iam cognouimus, Virgilius lib. VI vers. 773 vsus est,

Hi tibi Nomentum, & Gabios, vrbemque Fidenam.

Et Silius Italicus lib. XV vers. 90

- - - - *modo Roma minanti*
Impar Fidenæ, contentaque crescere asylo.

Deriuatum nomen *Fidenas* est & *Fidenates.* Liuius lib. I cap. XIV *perculsi Fidenates:* & mox: *belli Fidenatis contagione irritati Veientium animi.*

Supra Fidenas ad Tiberim *Crustumerium* fuit, modico interuallo. nam & ipsum Dionysius lib. XI p. 705 ὐ πρόσω τῆς Ῥώμης, *haud longe ab Roma* ponit. Nomen varium casu. Plinius lib. III cap. V, & Liuius lib. I cap. XXXVIII *Crustumerium* vocant, neutrali genere: at lib. II cap. XIX *Crustumeria capta,* & lib. III cap. XLII *inter Fidenas Crustumeriamque:* & Dionysius dicto loco Κρυστομέρεια. Virgilius pluraliter *Crustumerii*, lib. VII vers. 631 *Ardea Crustumerique.* Silius lib. VIII vers. 367 breuiori forma *Crustumium;* a qua gentile *Crustuminus* est. Liuius I cap. IX *Cæninenses, Crustumini, Antemnates:* & lib. V cap. XXXVII *Allia Crustuminis montibus defluens.* Plinius lib. III cap. V *Agrum Crustuminum,* nescio quem, in Etruria censet: & Festus *Crustuminam tribum a Tuscorum vrbe* dictam tradit: sed vbi illa fuerit, ignotum prorsus est: de tribu etiam dubium, si non falsum. Apud Liuium enim lib. XLII cap. XXXIV *Sp. Ligustinus tribus Crustuminæ, ex Sabinis,* inquit, *sum oriundus.* An forsan trans flumen quoque Crustumini agrum possederunt? ipsi certe Sabini fuere, quia ad illos quoque pars iniuriæ raptarum virginum pertinebat, Liuio indicante lib. I cap. X.

In ortum & Anienem versus hinc abest *Corniculum.* Liuius I cap. XXXVIII *Corniculum, Ficulnea vetus, Cameria.* Vere

 coniun-

coniungit. nam vt Dionyſius lib. I pag. 13 refert, Φικόλνεοι, οἱ πρὸς τοῖς καλȣμένοις Κορνίκλοις ὄρεσι, *Ficuleates, qui ad montes Corniculanos ſunt.* Meminit & Plinius in prima regione. Idem lib. IV ineunte, & Stephani breuiator oppidum Latinorum vocant, ſed vel originis cauſſa, vel quia Latio pars illa Sabinorum adiuncta ab Romanis fuit. Sub Tarquinio rege ἐνεπρήσθη, *incendio deletum fuit:* ſed poſtea inſtauratum, quia etiam poſt exactos reges illius mentionem Florus facit lib. I cap. XI.

In ſeptemtrionem magis *Cænina* vergebat: quam Feſtus ſine diphthongo ſcripſit. At Stephanus Καινίνη πόλις Σαβίνων, *Cænina oppidum Sabinorum.* Pars etiam iniuriæ raptarum *ad Cæninenſes* ſpectauit, teſtante Liuio I cap. X, vt in Sabinis id oppidi fuiſſe non liceat dubitare. Ideo cum Curibus coniunxit Ouidius lib. II Faſt. verſ. 135 ad Romulum conſecratum:

Te Tatius, paruique Cures, Cæninaque ſenſit.

In monte ſita fuit. Propertius enim lib. IV eleg. XI

- - - - *Cænina ductor ab arce.*

Holſtenio videtur S. Angelo eſſe, aut Monticelli, pag. 103.

Liuii *Cameria, Medullia, Ameriola* lib. I cap. XXXVIII, quæ ſingula etiam Plinius lib. III cap. V memorauit, niſi quod alio caſu *Camerium* dixit, incerta poſitione ſunt: nec vero ab iam dictis ſeu explicatis Sabinorum oppidis disiuncta multum, quod vtriusque ordo probat. Liuius enim: *Corniculum, Ficulnea vetus, Cameria, Cruſtumerium, Ameriola, Medullia, Nomentum, hæc de priſcis Latinis, aut qui ad Latinos defecerant, capta oppida.* Plinius autem hoc ordine: *Cænina, Ficana, Cruſtumerium, Ameriola, Medullia, Corniculum:* & Romæ mentione interiecta, *Antemnæ, Camerium, Collatia.* Medulliæ munitiones Liuius lib. I cap. XXXIII laudauit. Sed inter ante recenſita & Nomentum *Allia* interfluit, de quo diſſentiunt eruditi viri, cui id nomen amni hodie attribuendum ſit. Liuius autem ſatis notabiliter deſcripſit lib. V cap. XXXVII. *Gallis,* inquit, *velut tumultuario exercitu raptim ducto, ægre ad vndecimum lapidem occurſum eſt, qua flumen Allia, Cruſtuminis montibus prealto defluens alueo, haud multum infra viam Tiberino amni miſcetur.* Ex quibus Holſtenius p. 127 verum fluen-

tum

tum Alliæ demonſtrauit. *Ego*, inquit, *conſideratis locorum interuallis, Alliam eſſe puto riuulum, qui inter prædium S. Columbæ & S. Ioannis paullum vltra Marcellianum præalto alueo defluit in Tiberim. Nam hic riuus quinque aut ſex paſſ. mill. diſtat a Fidenis ſiue Caſtello Giubileo: Fidenæ autem* V *ab vrbe paſſuum millibus abſunt, quæ in vniuerſum* XI *millia paſſ. conficiunt.* Clades Romanorum ibi accepta infauſtum nomen fecit. Ideo Virgilius lib. VII verſ. 717

Quosque ſecans infauſtum interluit Allia nomen.

Oppidum autem *Nomentum*, quod cum ceteris ſupra Liuius coniungebat, haud longe a Tiberi afuit, quod Strabo docet, p. 157 limitem Sabinorum occidentalem ducens ἀπὸ τȣ̃ Τιβέρεως καὶ Νωμέντȣ πολίχνης, *a Tiberi & oppido Nomento.* Iterum Liuius lib. VI cap. XXII *Eo dictator infeſto agmine ſubit, nec procul Nomento ſignis collatis fudit Etruſcas legiones: compulit inde in vrbem Fidenas.* Dionyſius lib. II pag. 116 Albanorum ἀπόκτισιν vocat, quod etiam Virgilius innuit lib. VI verſ. 773

Hi tibi Nomentum, & Gabios, vrbemque Fidenam,

puta, hi Albani, Aeneæ poſteri, condent. At lib. VII verſ. 712 inter Sabinorum vrbes etiam *Nomentum* recenſet. Scilicet Latini Albani in agrum Sabinorum colonias deduxerunt. Hodie Lamentana Vecchia eo loco eſt. Inde *Via Nomentana* dicta, & incolæ *Nomentani*, quos Plinius videtur duplices facere lib. III cap. V cum Norbanis & Præneſtinis, Latinis populis, enumerans: at cap. XII cum Nurſinis & Reatinis, vltimis Sabinorum, in regione quarta. De quibus Harduinus notauit: *a Nomentanis primæ regionis diuerſi.* Quum vero neque apud Norbam, neque apud Reate aliis ſit Nomentum obſeruatum, putamus vnum bis Plinium poſuiſſe, exinde in errorem deductum, quod antiquiores dixerant, a Latinis Nomentum conditum fuiſſe: poſteriores in Sabinis, vbi eſt, illud cenſuerint. In Nomentano agro Straboni lib. V pag. 165 laudatæ *Aquæ Labanæ*, τὰ Λάβανα ὕδατα ἐν τῇ Νωμεντάνῃ, quæ vero nunc corruptæ dicuntur, neque, vt olim fuerunt, ſalubres.

Propinquum Nomento *Eretum*, porrecta media. Strabo p. 158 *Salaria via in Nomentanam incidit* κατὰ Ἤρητον τῆς Σαβινῆς κώμην, ὑπὲρ τοῦ Τιβέρεως κειμένην, *iuxta Eretum, vicum Sabini agri, supra Tiberim positum.* Et loco iam in Labanis aquis citato, ἐν τῇ Νωμεντανῇ καὶ τοῖς περὶ Ἤρητον τόποις, *in Nomentana regione & circa Eretum locis.* Liuius lib. III cap. XXIX *consul ad Eretum cum Sabinis egregie pugnat.* Et Valerius Maximus lib. II cap. IV *Habitabat in villa sua propter vicum Sabinæ regionis Eretum.* Et Virgilius lib. VII vers. 711

Ereti manus omnis, oliuiferæque Mutuscæ.

Antoninus in Via Salaria, ab vrbe Eretum numerauit millia passuum XVIII. In quo tractu etiam *Silua Malitiosa* fuit, de qua Liuius lib. I cap. XX *Tullus occupat in agrum Sabinum transire: pugna atrox ad Siluam Malitiosam fuit.* Et Dionysius lib. III pag 174 in eadem historia περὶ τὴν καλουμένην ὕλην κακούργων. Sed neque huius situs & locus satis certus est.

Cures nunc adeundi, oppidum princeps Sabinorum quod multitudinis numero Latini nominant, Virgilius lib. VI vers. 811 de Numa Pompilio:

- - - *Curibus paruis & paupere terra*
Missus in imperium magnum.

Et Ouidius lib. II Fastor. vers. 135 ad Romulum:

Te Tatius, paruique Cures, Cæninaque sensit:

parui, virili genere, quod Scaliger etiam Propertio lib. IV elegia X extrema restitutum vult:

Sic Sancum Tatii composuere Cures.

Etiam Dionysius pluraliter lib. II pag. 113 τὰς προσαγορευομένας Κύρεις dixit. Alii Græci singulari numero. Breuiator Stephani: Κύρις μητρόπολις Σαβίνων, *Curis metropolis Sabinorum.* Et Strabo lib. V pag. 158 Κύρις νῦν μὲν κώμιόν ἐστιν· ἦν δὲ πόλις ἐπίσημος, ἐξ ἧς ὥρμηντο οἱ τῆς Ῥώμης βασιλεύσαντες Τίτος Τάτιος καὶ Νουμᾶς Πομπήλιος, *Curis nunc viculus est, quondam vrbs illustris, ex qua orti sunt, qui Romæ regnarunt, T. Tatius & Numa Pompilius.* Et Festus Pompeius de Curibus: *fuit vrbs opulentissima Sabinorum.* De situ controuersa est: nos Holstenium, peritissimum antiquæ Italiæ virum, sequu-

ſequuti, Cures veteres cenſemus nunc Correſe ſiue Cureze eſſe, poſitum ad flumen eiusdem nominis, quod infra Farſarum Tiberi miſcetur. Gentile *Curenſes* Plinio lib. III cap. XII; Stephano Κουρίτης, vnde *Quirites* Romani ciues adpellantur. *Fabaris* ergo fluuius, qui & *Farfarus* dicitur, ſupra amnem Curenſem eſt. Virgilius lib. VII verſ. 715

Qui Tiberim Fabarimque bibunt.

Et Vibius Sequeſter de Fluminibus: *Fabaris Sabinorum. Is Faber corrupte dicitur.* Ouidius Metamorph. XIV verſ. 330

Narque tulit præceps, & amœnæ Farfarus vmbræ.

Seruius ad dictum Virgilii locum: *Fabarim quem dicit, etiam ipſe per Sabinos tranſit, & Farfarus dicitur.* Truncatum nomen Farfa, quod ſuperſtes eſt, qui binominis ille fuerit, non ſinit nos ignorare.

Sed *Auens* fluuius incertus plane eſt. Solus Seruius ex Varrone ad illud Virgilii, *Pulcher Auentinus*, Aeneid. VII verſ. 657, memorauit. *Varro,* inquit, *dicit in Gente populi Romani, Sabinos a Romulo ſuſceptos iſtum accepiſſe montem, quem ab Auente fluuio prouinciæ ſuæ adpellauerint Auentinum.* Sed plane incerta hæc origo nominis in monte Auentino. Liuius enim lib. I cap. III, Dionyſius lib. I p. 57, Pompeius Feſtus in hac voce, & Victor de Orig. Gentis Rom. tradunt, *Auentinum* regem Albanorum huic colli, ſub quo ſepultus fuerit, nomen de ſuo reliquiſſe. Addit aliam opinionem Seruius, *ab auibus nominatum eſſe*, quæ de Tiberi adſcendentes ibi conſederint. Sed fuerit *Auens* Sabinorum fluuius, quamuis nomen Auentino monti non dederit; vlteriorem tamen, quam quos perluſtrauimus, probabile eſt fuiſſe, quia hi ſuis nominibus dignoſcuntur, & propinquior a tot ſcriptoribus nequierit ita prætermitti, vt ne ſemel quidem eius mentio in tot Sabinis bellis occurſaret. Tandem *Himella* amnis eſt, de quo Vibius: *Himella Sabinorum prope Caſperiam vrbem.* Scilicet ſupra id oppidum ortus in Tiberim decurrit. Virgilius lib. VII verſ. 714

Qui Nomentum vrbem - - - -
Caſperiamque colunt, Foruloſque, & flumen Himellæ.

Supre-

Supremum forte Sabinorum fuit, Tiberim versus, oppidum *Forum Nouum*, de cuius sede dubitat Cluuerius: certior Holstenius ex vestigiis & inscriptionibus ostendit, fuisse eo loco, vbi nunc est Episcopium Sabinense. Magliano nunc vocatur caput prouinciæ Sabinæ & sedes episcopi Sabinorum, prope Tiberim, XX millibus supra Romam: prope quem locum adparet *Forum Nouum* exstitisse. Municipium fuisse, inscriptione ibi reperta probatur, in qua MVNICIPIVM & MVNICIPES clare leguntur: & alia, in qua FORONOVARII. Vide Holsten. Adnot. in Cluv. p. 107 & 121. Addit Sponius p. 186 aliam, in qua FORONOVANI.

Sic omnia, quæ nouimus, ab occidente Sabinorum explicata essent, si quid certius ad hæc de *Regilli* sede constaret. Vulgo inter Farfarum & Auentem (si & hic amnis satis certus est) conlocant, quod ibidem ruinæ alicuius oppidi conspiciantur. Sed recentius id dirutum oppidum esse, Holstenii, perspicacis viri, opinio est. Nihilominus quæ de *Regillo* oppido exstant, quoquo loco etiam in Sabinis fuit, adferenda sunt. Stephani breuiator: *Ρηγιλλος Σαβίνων πόλις*, *Regillus oppidum Sabinorum.* Liuius lib. II cap. XVI *Ap. Clausus, cui postea Ap. Claudio fuit Romæ nomen, ab Regillo magna clientium comitatus manu, Romam transfugit.* Dionysius Halicarnassensis lib. V p. 308 de eodem Appio: *ἀνήρ τις ἐκ τῆς Σαβίνων ἔθνους πόλιν εἰκῶν Ρήγιλλον*, *vir quidam Sabinæ gentis, in vrbe Regillo habitans.* Et lib. XI p. 697 oratione Appii: *εἰς Σαβίνους ἄπειμι, πόλιν οἰκήσων Ρήγιλλον*, *in Sabinos abeo, oppidum habitaturus Regillum.* Dicuntur & *Regilli*, multitudinis numero. Suetonius Tiber. cap. I *Gens Claudia orta est ex Regillis, oppido Sabinorum.* Gentile *Regillianus*, ibidem cap. II; quamuis & *Regillenses* A. & L. Postumii cognominantur apud Liuium lib. VI cap. XXII, nisi ab lacu Regillo Tusculani agri cognomen habent, iuxta quem Postumius dictator Latinos deuicerat: quam pugnam Liuius lib. II cap. XIX & sequenti descripsit.

Orientalem Sabinorum partem incipimus a *Casperia*, quam Virgilius lib VII ita, versu 714 nominauit, *Qui Nomentum - - - Casperiamque colunt*: quod nomen etiam Vibius Sequester seruauit in *Himella*, prope quod flumen, aut fontes eius, sita fuit *Casperia*:

ria: Silio autem lib. VIII verſ. 416 vocata eſt *Casperula,* qui nomine adludit ad originem ex Caspiis.

Hunc, inquit, *Amiterna cohors, & Bactris nomina ducens*
Casperula, hunc Foruli - - - -

puta, comitantur. Nunc in Aſpra vico veſtigia quæruntur. Hinc ad flumen Anienem progredienti occurrit Horatii villa cum fonte *Blandusiæ*, *Lucretili* & *Vſtica* montibus, riuo *Digentia*, & pago *Mandela*, de quibus ipſe lib. I oda XVII, & lib. III oda XIII, & lib. I epiſt. XVI & XVIII conſulatur. Vetus interpres ad I od. XVII, & Feſtus: *Lucretilis, mons in Sabinis.* Idemque interpres: *Vſtica, nomen montis & vallis.* Fontem lib. III od. XIII deſcripſit,

O fons Blandusiæ, ſplendidior vitro,

& reliqua: pagum & riuum epiſt. XVIII verſ. 104

Me quoties reficit gelidus Digentia riuus,
Quem Mandela bibit rugoſus frigore pagus.

Hac contentus amœniſſima villa Horatius ſibi videbatur, vt ipſe ait lib. II oda XVIII,

Satis beatus vnicis Sabinis:

& præ illa maiores opes contemnebat. Lib. III enim od. I dixit

Cur valle permutem Sabina
Diuitias operoſiores?

Supra Caſperiam in ſeptemtriones eſt *lacus Velinus*, nunc Lago di Rieti, ab adiacente vrbe Reate dictus. Tacitus annali I cap. LXXIX *Nec Reatini ſilebant, Velinum lacum, qua in Narem effunditur, obſtrui recuſantes.* Plinius lib. III cap. XII *Sabini Velinos accolunt lacus,* quia in plures diuiſus eſt, ſed connexos, quos *Velinus* amnis alit, de quo Virgilius dixit lib. VII verſ. 517

Sulfurea Nar albus aqua, fontesque Velini:

aut ſi *fontes* de capite intelligas, inter eos & lacum amnis Velinus intermeat. Augetur hic amnis *Telonio* ex Marſis aduecto, ad quem Rutilius conſul bello Marſico cum exercitu cæſus eſt, Oroſio notante lib. V cap. XVIII, niſi *Tolenus* vel *Tolenius* legendum, vt Ouidius VI Faſt. verſ. 565 in aliquot MSS.

- - - - - flumenque Tolenum
Purpureo mistis sanguine fluxit aquis.

Circa hos lacus fertilissimi campi & pascua, quæ Virgilius dicto libro, vers. 712 *Rosea rura Velini* dixit: de quibus Varro R. R. lib. I cap. VII extremo: *Cæsar Vopiscus, caussam quum ageret apud censores, campos Roseæ Italiæ dixit esse sumen.* quod Plinius lib. XVII cap. IV extr. repetiit. Caussam fertilitatis Seruius, *Rosea rura* interpretans, ex Varrone adfert emissionem lacus, postquam tantum per noctem creuerit, quantum per diem demum pascendo fuisset. De emissione Cicero ad Attic. lib. IV epist. XV *Lacus Velinus, a M' Curio emissus, intereiso monte, in Narem defluit: ex quo est illa siccata, & humida tamen modice, Rosea.* Seruius etiam *agrum Rosulanum* dixit vocitari.

Adiacet ad lacum oppidum *Reate*, nunc Rieti, porrecta media syllaba. Silius lib. VIII vers. 416

- - - hunc Foruli, magnæque Reate dicatum
Cælicolûm matri.

Præfectura fuit, in quo censu nominatim Festus scripsit: & Cicero *ex præfectura Reatina* exciuerat delectos, quorum opera in republica, a Catilinæ insidiis defendenda, vteretur, quod ipse dixit oratione III cap. II. Suetonius autem auum Vespasiani *municipem Reatinum* cap. I dixit. nam & præfecturæ quædam aliquid municipalis iuris obtinuerunt, vt Carolus Sigonius de Iure Ital. lib. II cap. XI demonstrauit: ex quo inscriptiones apud Sponium sunt pag. 196 REIP. REAT. & R. P. REATINORVM. Multa heic prodigia tradebantur facta. Liuius XXV cap. VII *Reate saxum ingens visum volitare:* & lib. XXVI cap. XXIII *nuntiatum, Reate mulam peperisse;* & id genus alia.

Multa circa Reate, & in agro Reatino, qui amplus est, notabilia. *Reatina palus* vocatur Plinio lib. II cap. CIII ex Velinis lacus; haud dubie propior oppido: aut vniuersi, *Reatinæ paludes,* lib. XXXI cap. II. *Tempe Reatina* Cicero dicta epistola dixit. *Reatini*, inquit, *me ad sua τέμπη duxerunt, vt agerem caussam contra Interamnates apud consulem.* Tempe, id est omnia amœna loca circa Velinos lacus, cuius sortis & Rosea rura, supra laudata, censeri debent. Plinius dicto cap. CIII lib. II, *In Reatino fons*

Nemi-

Neminie adpellatus, alio atque alio loco exoritur, annonæ mutationem significans. Fuit quoque locus *Palatium* in hoc agro. Varro de L. L. lib. IV cap. VIII de vocabulo collis Palatini disquirens, aut, inquit, sic dictus, *quod Palatini, qui & Aborigines, ex agro Reatino, qui adpellatur Palatium, ibi consederunt.* Dionysius Halicarn. lib. I pag. 11 Παλάτιον πέντε πρὸς τοῖς εἴκοσι ςαδίοις ἀφεςὼς Ρεάτε, *Palatium* XXV *stadiis abest a Reate.* In πόλεσι, *oppidis* Aboriginum id primo loco numerat. Sunt etiam *Septem Aquæ* in illo tractu, Dionysio pag. 12 τὰ καλέμενα Ἑπτὰ ὕδατα. Cicero prædicta epistola: *Vixi cum Axio, quin etiam me ad Septem aquas duxit.* Cluuerio videtur lacus S. Susannæ esse in Roseæ campo: Holstenio autem omnes etiam vicini lacus, maiores & paruuli adnexi, vt numerus respondeat. Vide ipsum p. 110.

Hæc proxima oppido in Reatino agro: reductiora sunt, *Corsula*, Κορσὲλα, quam Dionysius LXXX stadiis a Reate abesse, ibidem narrat. Addit vero, νεωςὶ διεφθαρμένη, *nuper euersa.* Septuagesimo a Reate stadio distabat Κοτυλια πόλις ἐπιφανής, *clara vrbs Cutilia*, vt ibidem refertur, sub monte posita ad lacum. Lacus ille *Cutiliensis* a Varrone vocatur L. L. lib. IV cap. X, cui adsint *nymphæ Commotiæ; quod ibi insula in aqua commouetur.* Plinius lib. III cap. XII extremo: *In agro Reatino Cutiliæ lacum, in quo fluctuet insula, Italiæ vmbilicum esse M. Varro tradit* Medicata ibi aqua cum celebri titulo *Aquarum Cutiliarum.* Idem lib. XXXI cap. II *Aquæ Cutiliæ in Sabinis gelidissimæ: suctu quodam corpora inuadunt, vt prope morsus videri possit: aptissimæ stomacho, neruis, vniuerso corpori.* Solitus iis Vespasianus vti. Suetonius cap. XXIV *Cutilias ac Reatina rura, vbi æstiuare quotannis solebat, petiit.* Ibidemque mortuus est. Xiphilinus ex Dione: μετήλλαξεν ἐν τοῖς ὕδασι τῶν Σαβίνων τοῖς Κετιλίοις ὀνομασμένοις, *excessit in Sabinorum Aquis Cutiliis.* De insula in lacu natante Seneca lib. III Q. Nat. cap. XXV, *Ipse ad Cutilias natantem insulam vidi.* Adde Macrobium lib. I Saturn. cap. VII.

Vicus inde non procul fuit *Phalacrine*, patria Vespasiani. Suetonius cap. II *Natus est in Sabinis vltra Reate, vico modico, cui nomen est Philacrine.* Antonini itinere ab vrbe Hadriam hic ordo distantiarum cernitur:

Reate	— — —		
Cutilias	M. P.	VIII	emendante Holsten.
Interocrium	M. P.	VI	
Falacrinum	M. P.	XVI.	

quod corruptum in Peuting. Tabula est *Palacrinis*. Qui interiacet locus, *Interocrium*, etiam in Tabula expressus est & oppidi signo notatus, VII millibus ab *Aquis Cutilliis*, vt ibidem scriptum exstat: Strabonis lib. V pag. 100 Aldina, & Xylandr. p. 251 (nam Casaubonea excidit) κώμη Ιντεροκρέα, *vicus Interocrea*. Nomen inde est, quia inter montes situm. Festus: *Ocrem antiqui montem confragosum vocabant.*

Sexaginta stadiis ab Reate fuit *Trebula*, ἡ Τρίβολα, Dionysio auctore lib. I pag. II. Hæc *Mutusca* cognominata, vt ab altera Sabinorum Trebula, cui *Suffenatis* cognomen fuit, discerneretur. Plinius lib. III cap. XII *Nomentani, Reatini; Trebulani, qui cognominantur Mutuscæi, & qui Suffenates.* Iulius Obsequens cap. CII & CIII prodigia *Trebulæ Mutuscæ*, vt plene scripsit, facta narrat. Inscriptio vetus in Gruteri opere p. 487 n. 9 TREBVL. MVTVSTAE, cum T loco C. At Holstenius testis p. 112, MVTVISCA in lapide esse. Virgilius lib. VII vers. 711 solum cognomen posuit:

Ereti manus omnis, oliuiferæque Mutuscæ.

Eodem Dionysio testante, λόφον ἐπικαθημένη σύμμετρον, *colli modico imposita* fuit, quod confirmat illorum opinionem, qui nunc Monte Lione della Sabina vocari aiunt, vbi multæ TREBVLANORVM inscriptiones reperiuntur. Municipium fuit. Frontinus de Coloniis: *Trebula municipium oppidum.* Et Liuius lib. X ineunte, *Trebulanis ciuitas data.* Alteram cognomine *Suffenam*, vel *Suffenatem*, Harduinus interpretatur Montorio di Romagna ad Curensem fluuium.

Supra Velinum ad radices Apennini est *Nursia*, hodie Norcia, Ptolemæi Νουρσία in Sabinis. Suetonius Vespas. cap. II *Polla* [mater Vespasiani] *Nursiæ honesto genere orta.* Dio Cassius de Octauiano lib. XLVIII pag. 364 ἐπὶ Νουρσίαν ἐς τοὺς Σαβίνους στρατεύσας, *aduersus Nursiam, Sabinorum oppidum, cum exercitu profectus.* Frigidior ex situ sub Apennino. ideo Virgilius lib. VII vers. 716

quos

quos frigida misit Nursia: & Silius lib. VIII verſ. 418 *nec non habitata pruinis Nurſia.* Gentile *Nurſinus.* Suetonius Aug. cap. XII *Nurſinos grandi pecunia, & quam pendere nequirent, multatos, extorres egit oppido.*

Extremum Sabinorum *Amiternum* fuit, ideoque a Ptolemæo, qui etiam Αμίτεϱνον ſcribit, poſitum in Veſtinis, quia illorum fines attigit: Straboni autem lib. V pag. 157 in Sabinis, cui etiam eſt neutro genere Αμίτεϱνον. Dionyſius lib. I pag. 12 ſequiori genere ἐκ πόλεως Αμιτέϱνης. Latini *Amiternum.* Liuius lib. XXVI cap. XI *Cœlius iter* [Hannibalis] *ab Reate, Cutiliisque, & ab Amiterno orditur, - - - inde Albenſi agro in Marſos; hinc Amiternum Forulosque vicum veniſſe.* Incolæ *Amiternini* Plinio lib. III cap. XII. Et Liuius lib. XXVIII cap. XLV *Vmbriæ populi, & præter hos Nurſini, & Reatini, & Amiternini, Sabinusque ager omnis, milites polliciti.* Virgilius vero lib. VII verſ. 710, & imitator Silius lib. VIII verſ. 415 metri cauſſa *Amiterna cohors:* & Martialis lib. XIII epigr. XX *Ager Amiternus.* Fuit prope caſtrum Vittorino, quod a S. Victorino Amiternenſi martyre nomen habet, ſitum ad Aternum, prope fontes, prope vrbem Aquilam, quæ ex ruinis Amiterni creuit. Non longe abeſt locus, adhuc Furconio dictus, vbi oppidum fuiſſe veſtigia docent, quod Paullus Langob. lib. II cap. XX *Furconam* dixit.

Inter Amiternum & Cutilias Reatini agri, vt ex Hannibalis iam monſtrato itinere coniicitur, etiam *Foruli* fuerunt, quos Liuius vicum lib. XXVI cap. XI, non oppidum, dixit: nec tamen incelebres fuere. Strabo lib. V p. 158 Σαβίνων εἰσὶ καὶ οἱ Φόϱυλοι, πέτϱαι πϱὸς ἀπόστασιν μᾶλλον, ἢ κατοικίαν, εὐφυεῖς, *Sabinorum ſunt etiam Foruli, rupes ad rebellionem, quam habitationem, aptiores.* Virgilius lib. VII, 714, *qui*

Caſperiamque colunt, Forulosque, & flumen Himellæ.

Et Silius lib. VIII verſ. 416 *comitantur hunc*

Caſperula, hunc Foruli.

Inſcriptione antiqua ſunt incolæ VICANI FORVLANI, Holſtenio teſtante pag. 119. *Forum Decii,* quod Plinius nominat lib. III cap. XII, quo loco fuerit, ignoratur.

Montes ſuperſunt, Apennini partes, ſed citeriores, & Sabinis contributi, *Fiſcellus* & *Seuerus,* & *Tetricus.* De iſto Plinius

lib. III cap. XII *Nar amnis e monte Fiscello labens:* & Silius lib. VIII verſ. 518

Quæ, Fiſcelle, tuas arces, & cetera:

de his Virgilius lib. VII verſ. 713

Qui Tetricæ horrentes rupes, montemque Seuerum
Caſperiamque colunt.

Tetrica autem, qui mons Virgilio, quem *Tetricam rupem* lib. VIII verſ. 418 Silius Italicus dixit,

- - - *a Tetrica comitantur rupe cohortes.*

Holſtenio eſt horrendum illud adſpectu montis iugum, quod inter Montem Sibyllæ & Aſculum ſuper reliqua Apennini iuga emicat.

Hæc de SABINIS. Contermini erant AEQVI ſiue AEQVICVLI, inter Sabinos Latinosque medii, Latinis hiſtoricis plerumque *Aequi* dicti: poetis ſæpius *Aequiculi.* Liuius lib. III toto teſtimonio ſit, & Florus lib. I cap. XI. Alterno nomine vtuntur Virgilius VII, 747

- - - - *gens duris Aequicola glebis.*

nam & quarta vocali ſcribitur. Ouidius Faſt. III verſ. 93 *Aequicolus acer:* & Silius lib. VIII verſ. 370

- - - *raſtrisque domant Aequicula rura.*

Suetonius quoque Vitell. cap. I *aduerſus Aequiculos.* Et Græci variant nomine. Dionyſius & Appianus Αἰκανοί: Strabo Αἰκοι, & p. 159 Αἴκȣοι: Diodorus Siculus lib. XIV extremo, ὑπὸ Αἴκων τῶν Αἰκίκλων καλȣμένων: Ptolemæus Αἰκȣικλοι. Deriuata vtrimque ſunt. Liuius lib. III cap. IV *Aequicum bellum.* Plinius III cap. XII *Aequiculanorum, Cliternini, Carſeolani.* Hæc vero ſunt indubitata oppida Aequorum, etiam a Ptolemæo Aequiculis ſiue Αἰκȣικλοις attributa, Κλείτερνον & Καρσίολοι: tertium quod addiderat, excidit ex Græco, in cuius locum interpres corruptum nomen *Obriculum* adſumſit: quod, tamquam ignotum omnibus, prætereundum eſt. Sunt autem Aequi diſtincti ab Latinis, quod vel ex illo Liuii lib. II cap. XXX abunde conſtat, *Aequi Latinum agrum inuaſerant.* Sed ita antiquis temporibus fuit, antequam Roma vicinas gentes in ditio-

ditionem redegisset. Ex eo autem pars Sabinorum citerior, & Aequi ac Volsci, aliique Latino populo adscripti, & Latii finibus continebantur. Florus ex suorum temporum conditione de priscis loquens, *peruicacissimi Latinorum Aequi & Volsci fuere.*

Primum Aequorum oppidum, ex nominatis, *Cliternum* est, quod vocabulum a Ptolemæo habemus: reliqui possessiuo aut gentili nomine vtuntur: Plinius *Cliternini*, vti iam vidimus, id est incolæ ac oppidani: Cicero lib. IX epist. XXII *colei Cliternini non honesti.* Quæ forma probabile reddit, & *Cliterniam* Latinum nomen fuisse, vt alia vrbs in Daunis a Pomponio Mela atque Plinio vocatur. Quo situm loco Aequorum *Cliternum* fuerit siue *Cliternia*, definiri non potest: & si qui definiunt, sola coniectura nituntur. Alterum oppidum, quod Plinius & Ptolemæus adsignant Aequis, *Carseoli* sunt, antiqua colonia. Liuius lib. X cap. III *a Marsis agrum vi teneri, in quem colonia Carseoli deducta erat.* Et lib. XXVII cap. IX in triginta coloniis Romanorum & *Carseoli* numerantur. Adde lib. XXIX cap. XV. Ouidius lib. IV Fast. vers. 683

Frigida Carseoli, nec oliuis apta ferendis
Terra, sed ad segetes ingeniosus ager.

Situs quodammodo ex Tabula Augustana cognoscitur, in qua vltra Præneste cum vrbis insignibus positi, XV millibus a Varia, X a Laminis, nisi numeri prauati sunt. Ruinas Holstenius diu perquisitas inuenit & descripsit p. 164, sitas a læua Valeriæ, IIII millibus a loco qui nunc *Arsoli* vocatur: ruinarum autem nomen est Ciuita Carentia. Coloni *Carseolani* dicti Plinio, vt supra vidimus. *Lex Carseolana* dicto Ouidii libro vers. 710 memoratur.

Quæ circumiacent, haud dubie Aequorum fuerunt, illinc *Laminæ*, ex Tabula modo nominatæ; & *Varia* eiusdem Tabulæ, cuius locum vicus Varo in dextra ripa Anienis ostendit: hinc *Simbruini colles.* Tacitus lib. XI cap. XIII de Claudio: *Fontes aquarum, Simbruinis collibus deductos, vrbi intulit.* Et vicinum oppidum *Sublaqueum.* Plinius lib. III cap. XII *Anio in monte Trebanorum ortus, lacus tres amœnitate nobiles, qui nomen dedere Sublaqueo, defert in Tiberim.* Hæc sunt *Simbruina stagna*, a Tacito lib. XIV cap. XXII memorata. *Discumbentis*, inquit,

inquit, *Neronis apud Simbruina stagna (loco Sublaqueum nomen est) icta dapes [fulmine] mensaque disiecta.* Aliud vero Sublaqueum oppidum, alia villa Neronis est. hæc ab oppido nomen habet, quia non sub lacubus, sed supra, sita. Frontinus de Aquæductibus p. 247. *Anienis quoque noui vitia exscindi posse* [princeps] *vidit. Omisso enim flumine repeti ex lacu, qui est super villam Neronianam Sublacensem, vbi limpidissima est, iussit.*

Et quia non longe *Treba* abest, nunc Treui, prope fontes Anienis, vt ex Plinio iam cognouimus; illam quoque Aequiculanæ ditionis fuisse censendum est. Frontinus dicto loco: *Quum oriatur Anio supra Trebam Augustam.* Sic MSS. non *angustam*, vt vulgatum est. Sed a quo nomen illud principe sit, non liquet. Statim mox *nouum imperatorem Cæsarem Neruam Traianum augustum* Frontinus laudat, cuius putamus ornamenta illa Trebanæ vrbis, vt auctoris, fuisse. Incolæ *Trebani,* & supra Plinii verba attulimus, quibus natalem locum Anienis *montem Trebanorum* dixit. Liuius ineunte lib. X, & Appianus Hannib. p. 579 etiam Albam Fucentem *in Aequos* deductam coloniam tradunt, sed longius illa remota in Marsis fuit, de qua supra, quum de Marsis ageremus, diximus.

Hæc Aequorum trans Anienem aut circa illum: cis flumen, illorum *Bola* fuit, vt Virgilius & Stephani breuiator singulari numero nominant: ille Aeneid. VI vers. 775

Pometios, Castrumque Inui, Bolamque Coramque.

hic, Βῶλα, πόλις Ἰταλίας, *Bola, vrbs Italiæ.* Pluratiuo numero Diodorus Siculus lib. XIV extr. ἀκούσας ὁ αὐτοκράτωρ πορθεῖσθαι Βώλας πόλιν, *audiens dictator vrbem Bolas oppugnari.* Et Liuius lib. IV cap. XLIX *Volas quoque, sicut Lauicos, coloni mitterentur:* & paucis interiectis, *Volis insequente anno receptis.* Quod num ipse per V scripserit, an permutatio elementi ab exscribentibus sit grammaticis, dubius Cluuerius est, quia & Græci & Latini alii B littera in hoc vocabulo vtantur, Virgilius *Bola,* vt vidimus; Plinius, *Bolani,* gentile, scribendo lib. III cap. V in prima regione. Sed quod Liuius illo capite sexies *Volas* aut *Volanos* scripsit, eripit vel constantia sua dubitationem. Dionysio lib. 8 p. 493 est Βωλανῶν πόλις, *oppidum Bolanorum.* Plinius in Latio, vt dixi, posuit: sed antea

Aequo-

Aequorum fuiſſe ex Liuii dicto loco probatur. *Aequos*, inquit, *accepta clades prohibuit Volanis, ſuæ gentis populo, præſidium ferre.* Qui quod addit: *Excurſiones inde in confinem agrum Lauicanum factæ erant;* de ſede ſimul aliquid docet, non procul a Lauico ſiue Labico abfuiſſe.

Et quæ citerius oppida, *Vitellia* & *Corbio* ad Aequos ſunt referenda. De *Vitellia* res certa. Liuius lib. V cap. XXIX *Vitelliam coloniam Romanam, in ſuo agro Aequi expugnant.* In ſuo agro; ergo Aequorum fuit. Suetonius Vitell. cap. I *Indicia ſtirpis diu manſiſſe, viam Vitelliam ab Ianiculo ad mare vſque: item coloniam eiusdem nominis, quam gentili copia aduerſus Aequiculos tutandam olim depopoſciſſent.* Huic propinqua fuit vrbs *Corbio.* Liuius lib. II cap. XXXIX de Coriolano exſule: *Corbionem, Vitelliam, Trebiam, Labicos, Pedum cepit.* Et lib. III cap. XXX *nocturno impetu Aequorum Corbione amiſſum præſidium nuntiatum eſt.* Fata Corbionis Dionyſius lib. X pleniora deſcripſit. Aequi acie victi a L. Quintio Cincinnato, illo ab aratro dictatore, cogebantur πόλιν τῶν σφετέρων Κορβιῶνα, *ſuam vrbem Corbionem* Romanis tradere, quam inſequenti anno, oppreſſo per noctem præſidio, receperunt: ſed eodem anno conſul Horatius Puluillus, victis denuo Aequis, vrbem hanc funditus deleuit, τοῦ τε Κορβιῶνος τὰ τείχη κατασπάσας, καὶ τὰς οἰκήσεις ἐκ θεμελίων ἀνελών. Dionyſ. p. 651, 652, 657.

De *Algido* ſupereſt, monte & oppido. Cluuerius Aequis transſcribit: Holſtenius Latinis, quia Liuius, exercitus, vt in alienum ſolum, eo miſſos ſcribat. Haud dubie vir ſummus ad libri III cap. II verba reſpexit, *exercitus in Algidum aduerſus Romanos miſſus* ab Aequis. Sed vt in bello fit, ab Latinis & Romanis teneri potuit; & repeti ab Aequis, tamquam olim ipſorum, qui etiam pro belli ſede aliquamdiu, quod fatetur Holſtenius, habuerunt. Dionyſius pro altera ſententia eſt lib. XI pag. 705 οἱ ἐν Ἀλγιδῷ τῆς Αἰκανῶν χώρας θέμενοι τὴν παρεμβολὴν, *qui in Aequorum regione in Algido caſtra poſuerant.* Abeſt ab Roma ἀπὸ σαδίων εἴκοσι καὶ ἑκατὸν, *centum viginti ſtadiis*, vt Procopius lib. III B. Goth. cap. XXII; aut potius decem octo millibus paſſuum, vt peritiſſimus illius regionis Holſtenius tradit, qui propterea in Eutropii lib. I cap. XV pro *duodecimo ferme milliario*, legendum cenſet *duodeuiceſimo.* Mons fuit, & oppidum, & tractus ſeu regiuncula eodem

 vocabu-

vocabulo. Eutropius, *in Algido monte*: Strabo lib. v p. 163 ἐπὶ Ἀλγιδὸν πολίχνιον; Dionysius lib. x p. 647 περὶ πόλιν Ἀλγιδόνα; nam & Ἀλγιδὼν Græci nomen formant: Procopius dicto loco, ἐν χωρίῳ Ἀλγιδόνι. Ideo Latini, vt regiunculæ aut monti, præpositionem addunt. Liuius lib. III cap. II *in Algidum missus exercitus*: & cap. III *ab Algido consul redierat*: & cap. XXXVIII *Aequi castra in Algido locant*. Horatius quoque, vt de monte, lib. I oda XXI *nemorum coma*

- - - gelido prominet Algido.

Et lib. III oda XXIII *victima*,

- - quæ niuali pascitur Algido
Deuota, quercus inter & ilices.


LATIVM VTRVMQVE.

Latium Latinorum regionem sonat, quæ initio angustis admodum finibus circumscripta erat, accessionibus postea ex variis gentibus successu creuit temporis. A *latendo* nomen deducunt, quod Saturnus, arma Iouis fugiens, in has oras delatus, & hominibus in reipublicæ formam compositis, *Latium* eam regionem, vt Virgilius lib. VIII vers. 322 tradit, voluerit vocari,

- - - - his quoniam latuisset tutus in oris.

Idem gentem *Latinam*, quam quidam a Latino rege habuisse nomen credunt, a *Latio* denominatam lib. I vers. 6 refert, de Aenea dicens, - - - *dum conderet vrbem,*
Inferretque deos Latio, genus vnde Latinum.

Contra Halicarnassensis Dionysius lib. I pag. 8 *Aborigines* ἐπὶ Λατίνου βασιλέως, ὃς κατὰ τὸν Ἰλιακὸν πόλεμον ἐδυνάστευσε, Λατῖνοι ἀρξάμενοι καλεῖσθαι, *a Latino rege, qui Troiani belli temporibus regnauit, cœperunt Latini adpellari.* Sed quoquo modo origo vocabuli habet, id certum est vtique, temporibus primis Latium, quum Aeneæ & posteris pareret, id est Albanis regibus, Latinos solos tenuisse, exclusis, Aequis, Volscis, Hernicis, aliisque, qui postea in Latinorum societatem venerunt: nisi quod Rutulos deuictos Aeneas quoque cum Latinis suis eodem nomine censuit. Idcirco Strabo lib.



Septentrio
pag. 7
Meridies
LATII VTRIVSQVE DELINEATIO.
MARE INFERUM
ETRVRIAE PARS
SABINORVM AGER
MARSI
AEQVI siue AEQVICVLI
LATIVM ANTIQVVM
LATIVM NOVVM
HERNICI
VOLSCI
RVTVLI
AVRVNCI
POMPTINVS siue
ADIECTVM
CAMPANIAE LIMES
Roma
Lacus Fucinus
Pomptinae Paludes
Tiberis flu.
Anio flu.
Liris flu.
Nepete
Sutrium
Veii
Capena
Fanum Fe
Regillum
Cures
Nomentum
Tibur
Varia
Carseoli
Alba Fucentis
Corfennia
Cuculum
Cliternum
Lamina
Lucus
Anxantia
Castellum Volscorum
Aesula
Scaptia
Pedum
Gabii
Labicum
Collatia
Antemnae
Fidenae
Ficulea
Caenina
Crustumerium
Corniculum
Caere
Artena
Lorium
Bebiana
Alsium
Portus
Ostia
Ficana
Tellenae
Laurentum
Lauinium
Ardea
Corioli
Lanuuium
Aricia
Alba Longa
Mons Albanus
Bouillae
Tusculum
Villa Tusculana
Corbio
Vitellia
Forum Populi
Hortana siue Ortona
Algidum
Velitrae
Cora
Signia
Anagnia
Norba
Sulmo
Setia
Satricum
Suessa Pometia
Praeneste
Villa Neronis
Sublaqueum
Treba
Sacriportus
Ecetra siue Echetra
Ferentinum
Aletrium
Verulae
Sora
Arpinum
Atina
Arcana villa
Aquinum
Interamna
Casinum
Fregellae
Frusino
Priuernum
Fabrateria
Fundi
Lacus Fundanus
Tarracina siue Anxur
Lautulae
Amyclae
Circeii
Circaeum prom.
Spelunca
Caieta
Caietae Promont
Formiae
Formianum
Minturnae
Paludes
Forum Appii
Tres Tabernae
Vlubrae
Astura
Antium
Aphrodisium
Castrum Inui
Castra Romana
Comnium
Villa Ciceronis
Regillus lacus
Fossa Caelia

lib. v pag. 159 dixit, τὸν Αἰνείαν νικήσαντα Λατίνους καλέσαι τοὺς ὑφ' αὐτῷ, *victorem Aeneam suæ ditioni subiectos Latinos adpellaſſe.*

Hoc antiquiſſimum Latium fuit, contentum Latinorum ſedibus: at partim ſub regibus Romanis, partim poſt illos ita creuit, vt *Circeii* terminus antiqui Latii ſtatuerentur, poſtquam ſuperbus ille Tarquinius Sueſſam Pometiam, caput Volſcorum, vt Strabo lib. v pag. 159 notauit. Plinius lib. III cap. v de illis temporibus: *Latium antiquum a Tiberi Circeios ſeruatum eſt:* idemque Strabo p. 160 ἡ Λατίνη πρότερον μέχρι τοῦ Κιρκαίου ἐσχήκει τὴν ἐπίδοσιν, *Latium prius vſque ad Circæum promontorium acceſſionibus creuit.* ANTIQVVM autem, præter Plinium iam dicto loco, Virgilius adpellauit lib. VII verſ. 38

Quis Latio antiquo fuerit ſtatus:

& Tacitus annal. IV cap. v *vetere Latio, & coloniis antiquitus Romanis.* Exactis regibus, certamen conſulibus cum reliquis Latinis, cum Aequis, Volſcis, Hernicis, Auruncis fuit, quibus tandem poſt grauia & diuturna bella ſubactis, omnis illorum regio in Latinorum nomen, Latio contributa, tranſiit. Hoc ipſum eſt, quod Strabo p. 158 dixit, ἡ Λατίνη πολλὰς [πόλεις] συνείληφυῖα τῆς μὴ Λατίνης πρότερον, *Latium multa comprehendit, quæ antea Latinorum non fuerant,* videlicet *Aequos, Volſcos, Hernicos,* aliosque, quos nominatim ibidem ſubiicit, & Latio iam aucto comprehendit. Plinius dicto loco: *Vltra Circeios Volſci, Oſci, Auſones, vnde nomen Latii proceſſit ad Lirim amnem.* Liris ergo terminus factus ab oriente: ab ſeptemtrione autem vſque ad Marſos & Sabinos porrectum Latium, niſi quod ad Tiberim agri Sabinorum quædam, coloniis Albanorum occupata, Latinis nonnumquam adſcribi videmus, cuius teſtis eſt Virgilianus verſus 773 libri VI

Hi tibi Nomentum, & Gabios, vrbemque Fidenam,

& reliqua. Et ſicuti antea citatis verbis Strabo Aequos ad ſeptemtrionalem partem vtriusque Latii adſcripſerat, ita auſtralem & maritimam pag. 160 diligentius definiuit, vt *Nouum* Latium ab *Antiquo* vna ſecernatur. Νυνὶ οὖν, inquit, ἡ παράλια μέχρι πόλεως Σινυέσσης ἀπὸ τῶν Ὠστίων Λατίνη καλεῖται· πρότερον δὲ μέχρι τοῦ Κιρκαίου μόνον ἐσχήκει τὴν ἐπίδοσιν. *Nunc ora maritima ab Oſtia Sinueſſam vsque, Latium adpellatur: prius vſque Circæum tantummodo acceſſione au-*

ctum fuit. Habes sic vtrumque Latium in litore curate terminatum: intus autem difficilius discernuntur, nec nisi ex oppidis non Latinis, id est Aequis, Volscis & similibus, quod alterutrius est, cognoscitur. Supra ergo Lirim limes tandem productus fuit, quod Strabo etiam p. 151 prædixerat, *μεχρὶ πόλεως Σινυέσσης, vsque ad oppidum Sinuessam*, quod trans Lirim amnem in finibus est Campaniæ. Et Plinius lib. III cap. V *oppidum Sinuessa extremum in adiecto Latio.* At idem lib. XXXI cap. II Sinuessanas aquas *in Campaniæ regione* posuit, quia in limite illius regionis sunt. Quod autem vulgo Latium *Nouum* dicunt, tamquam *antiquo* & *veteri*, vt Virgilius & Tacitus nominauerunt, oppositum; id eleganter Plinius ADIECTVM eo modo dixit, quo minor Phrygia Straboni est Επίκτητος.

De populis Latii Plinius dicto cap. V *Colonis sæpe mutatis tenuere alii aliis temporibus, Aborigines, Pelasgi, Arcades, Siculi, Aurunci, Rutuli: & vltra Circeios Volsci, Osci, Ausones.* Ex his qui primi, qui deinde regionem tenuerint, difficile est explicare. Ad Saturnum & Ianum nos annales vel fabulæ reducunt, quum Latinorum antiquitatem, quantum geographiæ necessaria est, inuestigamus. Ille enim *Saturniam* vrbem condidisse fertur, hic *Ianiculum*, proximum illi, sed trans Tiberim. Varro lib. IV de L. L. cap. VII de Tarpeio monte: *Antiquum oppidum in hoc fuisse Saturniam scribitur. Eius vestigia etiam nunc manent tria.* Minucius Felix cap XXII Saturnus profugus, ab Iano susceptus, *vrbem Saturniam de suo nomine; & Ianiculum Ianus ad memoriam vterque posteritatis reliquerunt.* Virgilius lib. VIII vers. 357

Hanc Ianus pater, hanc Saturnus condidit vrbem:
Ianiculum huic, illi Saturnia nomen.

Inde per Picum & Faunum poeta genus ad Latinum regem, Aeneæ socerum, lib. VII vers. 35 deduxit: quo tempore Euander, fato huc actus ex Arcadia, in monte Palatino vrbem condidisse fertur lib. VIII vers. 54

Pallantis proaui de nomine Pallanteum.

De *Pallanteo* oppido Liuius lib. I cap. V *Iam tum in Palatino monte Lupercal hoc fuisse ludicrum ferunt, & a Pallanteo vrbe Arcadica Palatium, deinde Palatinum montem adpellatum.* Et Solinus cap. I *Palatium*

latium nemo dubitauerit, quin Arcadas habeat auctores: a quibus primum Pallanteum oppidum; quod aliquamdiu Aborigines habitatum, propter incommodum vicinæ paludis, quam præterfluens Tiberis fecerat, profecti Reate, postmodum reliquerunt. Pallantium autem Arcadiæ, a quo Italico nomen est, descripsit Pausanias Arcad. cap. III & XLIV. Hæc tria oppida vetustas deleuit ante, quam Romani rerum potirentur: *Laurentum* autem, Latini & maiorum regia, ideoque Aeneid. VII verf. 171 *Laurentis regia Pici;* & nomen & oppidi formam conseruauit. Sed de regiis his domiciliis sit fides penes poetas, conditores huiusmodi fabularum.

Iam ad populos Latii vtriusque progredimur explicandos. *Aequos*, siue *Aequicolos*, supra cum Sabinis exposuimus, quia inter Latinos, Sabinos & Marsos siti sunt, vt in Latio perlustrando auspicium a LATINIS & ab ipsa *Roma* faciamus. De origine & conditu *Romæ*, nec non de situ, re per se nota, nihil proferemus. Septem collibus impositam esse, etiam indubitatum: vnde Prudentius Romani passione verf. 413 *septicollem* dixit: quamquam Romulus in Palatino solo ædificauit; ceteros colles alii reges adiecerunt, Tullus Cœlium, Ancus Ianiculum & Auentinum, Seruius Viminalem, Quirinalem, Esquilinum. Colles vt diuersis temporibus adiecti fuerunt, ita diuersis dati ad inhabitandum. Liuius lib. I cap XXXIII *Quum circa Palatium sedem veteres Romani, Sabini Capitolium atque arcem, Cœlium montem Albani implessent; Auentinum nouæ multitudini datum.* Et interiectis paucis de eodem Anco rege: *tum quoque multis millibus Latinorum in ciuitatem acceptis: quibus, vt iungeretur Palatio Auentinum, ad Murciæ datæ sedes. Ianiculum quoque adiectum, non inopia loci, sed, ne quando ea arx hostium esset, id non muro solum, sed etiam, ob commoditatem itineris, ponte sublicio, tum primum in Tiberi facto, coniungi vrbi placuit.*

Præter septem illos colles, quos Liuius, Dionysius, Eutropius vrbi commemorant additos, & a quibus Septimontiale sacrum adpellatur; sunt etiam alii colles non minus memorabiles huius vrbis, vt *cliuus Capitolinus*, vt Cicero vocat pro Mil. cap. XXIV, & II Phil. cap. VII; qui & mons *Tarpeius* est, in præcipitio lateris *saxum Tarpeium*, *rupes Tarpeia*, vnde damnati deiiciebantur. Aeneid. VIII verf. 347

Hinc ad Tarpeiam sedem & Capitolia ducit.

Et Liuius lib. VI cap. XVII *non obuersatam esse speciem agminis Gallorum per rupem Tarpeiam scandentis?* Et Tacitus lib. VI cap. XIX *Sex. Marius saxo Tarpeio deiicitur.* Est quoque *collis hortulorum*, cui inpositum Domitiorum monimentum fuit, Suetonio auctore Neron. cap. L: & *collis Vaticanus*, vt Festus vocat, trans Tiberim; seu *montes Vaticani*, vt Cicero XIII Attic. epist. XXXIII. *Casu*, inquit, *sermo a Capitone de vrbe augenda: a ponte Muluio Tiberim duci secundum montes Vaticanos.* Sunt & *campi*, cis Tiberim *Martius*, comitiorum sedes, omnibus notissimus, cuius consecrationem Liuius refert lib. II cap. V: & *campus Vaticanus* trans flumen, quo comitia transferri Cæsar cupiebat, quum Martium coædificare in animo haberet, vt ibidem Cicero ex Capitone, amico Cæsaris, audiuerat.

Portas, vt Plinius tradit, lib. III cap. V, tres Romulus reliquit, aut, vt plurimas tradentibus credamus, quatuor: postea, prolatis pomœriis, fuerunt triginta septem, e quibus in historiis nobiliores sunt *Capena*, *Carmentalis*, *Collina*, *Cœlimontana*, *Esquilina*, *Flumentana*, *Triumphalis*, *Trigemina*, & aliæ. Regiones vrbs habuit XIIII, compita Larium CCLXV. Cetera a scriptoribus, qui id singulari cura persequuti sunt, petantur. De magnificentia imperioque summo, sufficiat vnum & alterum poetam, breui summa rem maximam complexos, adlegasse. Propertius lib. III eleg. X vers. 57

Septem vrbs alta iugis, toti quæ præsidet orbi.

Et Martialis lib. XII epigrammate VIII

Terrarum dea gentiumque Roma,
Cui par est nihil & nihil secundum.

Aquæductus etiam Romanæ vrbis magnificentiam auxerunt, aquis longius conlectis, &, vbi loci genius respuebat, supra arcuatum opus eleuato alueo, deductis. Iulius Frontinus singulari libello descripsit, in quibus præcipuæ *Appia*, quæ & *Claudia* Eutropio lib. II cap. IV adpellatur, ab Appio Claudio ductore; *Martia*, *Virgo*, *Anio vetus*. Septem autem vsque ad C. Cæsarem Caligulam fuerunt, qui duos nouos ductus inchoauit, quos successor Claudius perfecit dedicauitque: vni datum *Claudiæ* nomen; alteri *Anienis noui*. Fuit etiam *aqua Crabra* ex Tusculano agro ad vrbem

vrbem perducta, cuius Cicero meminit Agrar. III cap. II, & lib. XVI epist. XVIII; verum hanc Agrippa emisit, vt Tusculanis villis relinqueretur tota; quod idem Frontinus prodidit. In riuis *Almo* religionis caussa notabilis fuit, *cursu* ille *breuissimus Almo*, vt Ouidius dixit XIV Metamorph. vers. 329. Idem Fastor. lib. IV vers. 337

Est locus, in Tiberin qua lubricus influit Almo,
Et nomen magno perdit ab amne minor;
Illic purpurea canus cum veste sacerdos
Almonis dominam sacraque lauit aquis.

Et Italicus Silius lib. VIII vers. 364 - - - *quique ostia Tusci*
Amnis amant, tepidoque fouent Almone Cybellen.

Ritum clarissime etiam Vibius Sequester de Fluminibus libello notauit. *Almon*, inquit, *Romæ, vbi mater deûm* VI *calend. Aprilis lauatur:* id est, simulacrum deorum matris.

Hinc prono amne ad ostia descendimus Tiberina, quæ gemina sunt. Rutilius lib. I vers. 179 - - - *qua fronte bicorni*
Diuiduus Tiberis dexteriora secat.

Cornua insulam ambiunt, quam ἱερὰν νῆσον, *insulam sacram* Procopius dixit lib. I Goth. cap. XXVI, quæ Aesculapio sacrata fuit, postquam draco Epidaurius, quem naue aduectum pro numine habebant, in illam desiluit. Epit. Liuii XI *angue in insulam Tiberis egresso, eodem loco ædes Aesculapio consecrata est.* Adde Valerium lib. I cap. VIII exempl. 2. Originem insulæ Liuius lib. II cap. V mirabilem descripsit, *stramenti aceruos*, ex Tarquinii agro in flumen immissos, ibi *sedisse illitos limo, insulam paullatim, aduectis aliis, quæ flumen fert, factam, firmam templis quoque atque porticibus sustinendis.* Diuisum itaque flumen dextro alueo *portum Romanum* perfluit: sinistro *Ostiam*, primam Romanorum coloniam, præterlabitur.

Portu hoc priscos Romanos vsos esse, sed natura facto, non est, quod dubitemus: augustorum studio ædificatus, munitus, exornatus. Et ne ab illo aberrent nauigantes, Pharum imposuit Claudius imperator. Suetonius cap. XX *Portum Ostiæ exstruxit, circumducto dextra sinistraque brachio, & ad introitum profundo iam salo mole obiecta. quam quo stabilius fundaret, nauem ante demersit,*

qua

qua magnus obeliscus ex Aegypto fuerat aduectus, congestisque pilis superposuit altissimam turrim in exemplum Alexandrini Phari, vt ad nocturnos ignes cursum nauigia dirigerent. Portum *Ostiae*, a vicinitate vocat, quamquam dextri aluei, non Ostiensis fuerit. Procopius lib I Goth. cap. XXVI τὸ ἐν δεξιᾷ τῦ ποταμῦ μέρος ἐς τὸν λιμένα τὰς ἐκβολὰς ποιεῖται, *pars amnis dextera in portum euoluitur.* Distant autem ostia XV inter se stadiis, quod idem adnotauit Procopius. Confirmat Iuuenalis satyra XII vers. 76 *Tyrrhenam Pharon* adpellando, vbi & cetera portus cum cura sic descripsit:

> *Tandem intrat positas inclusa per aequora moles,*
> *Tyrrhenamque Pharon, porrectaque brachia rursum,*
> *Quae pelago currunt medio, longeque relinquunt*
> *Italiam:*

Vetus ibi scholiastes: INCLVSA PER AEQVORA: *portum Augusti dicit, siue Traiani.* PORRECTAQVE: *quia Traianus portum Augusti restaurauit in melius, & interius tutiorem sui nominis fecit.* Augustus hunc portum ornasse non legitur: maxime vero Caesar Claudius: a quo etiam *Augusti* nomen habere potest, quod commune factum imperatoribus est. Traianum vero addidisse interiorem, vel ideo minus dubitamus, quia, quem geminum iniecta mole fecerat Claudius, postea tergeminus siue triplex fuisse scribitur. Philostorgius lib. XII cap. III de Alaricho: ὁ δὲ θᾶττον καταλαμβάνει τὸν πόρτον, μέγιστον δὲ ὅτος νεώριον Ῥώμης, λιμέσι τρισὶ περιγραφόμενος, *festinanter portum occupat: maximum illud vrbis Romae nauale est, tribus portubus circumseptum.* Figuram multiplicis portus huius cum Pharo descriptam vetus tabula Peutingeriana, ex Theodosii aeuo, vt putatur, conseruata, exhibet. Vocatur non vno modo: *portus Romanus*, ὁ τῆς Ῥώμης λιμὴν, Zosim. lib. VI cap. XI; & *portus vrbis aeternae*, lege vn. C. Th. de saccariis: *portus venerabilis vrbis*, lege vlt. de nauiculariis: *portus Augusti*; itinerario maritimo: *portus Ostiae*, Sueton. dicto loco: saepe simpliciter *portus*, Procop. dicto loco, & Sidon. Apollinar. lib. I epist. X: item *portus Phari.* Paullinus Nolanus carm. XXI ad Cytherium de Martiniani naufragio vers. 363

> *Longinquiorem portum ab vrbe adlabitur,*
> *Cui Centumcellas nomen est:*
> *Ac inde naui promouendus longius*
> *Intraret vt portum Phari.*

Idem-

Idemque prorsa epistola XLIX ad Macarium, sect. VIII, *Primo* [navis] *ad vrbem acta, Romani portus Pharum vidit.* Nec tantum portus fuit, sed supra illum etiam oppidum conditum, mercibus frumentisque recipiendis idoneum, & ipsum *Portus* vocabulo celebratum. Procopius dicto loco: ὧν [ἐκβολῶν] ἐκτὸς πόλιν ἐκ παλαιοῦ Ρωμαῖοι πρὸς τῇ ὄχθῃ ἐδείμαντο τεῖχος περιβεβλημένην ἐχυρὸν μάλιστα. Πόρτον δὲ αὐτὴν τῷ λιμένι ὁμωνύμως καλοῦσιν. *Extra illud ostium ad ripam olim oppidum Romani condiderunt, quæ mœnibus cincta validissimis Portus communi cum portu nomine adpellatur.* Sic Antoninus terrestri itinere ab Roma Centumcellas primo *per Portum* ducit, dein Fregenas, & Alsium, & in reliqua loca maritima. Heic horrea annonæ vrbanæ erant per mare aduecta ex prouinciis, quæ inde *horrea Portuensia* dicta. Vide titulum Cod. Theod. *de patronis horreorum Portuensium.* Hodie vix vestigia supersunt cum paucissimis incolis: manet tamen nomen *Porto*, & dignitas episcopalis.

Sinistro alueo Tiberini amnis colonia *Ostia* adposita, prima Romanarum, ab rege Anco deducta. nomen ab ostio, cui adiacebat. Clarum quondam oppidum. Liuius lib. XXIII cap. XXXVIII *quinquaginta naues ab Ostia Tarentum profecta.* Et epitoma LXXIX *Ostiam coloniam Marius expugnauit, & crudeliter diripuit.* Plinius lib. II epist. XVII *ceteras copias Ostiensis colonia ministrat.* Minucius Felix cap. II *placuit Ostiam petere, amœnissimam ciuitatem.* Decreuit postea & lacerata fuit. Procopius dicto lib. I B. Goth. cap. XXVI πόλις Ὀστία, λέγω μὲν πολλοῦ τὸ παλαιὸν ἀξία, νῦν δὲ ἀτείχιστος παντάπασιν οὖσα, *Vrbs Ostia, olim magni nominis, nunc mœnibus plane nuda.* Hodie in ruinis iacet, solo nomine & episcopatu conseruatis. *Ostienses* circum *salinæ* erant. Liuius in Anco lib. I cap. XXXIII *In ore Tiberis Ostia vrbs condita, salinæ circa factæ.* Ab his *via salaria* dicta, quæ in Sabinos ferebat. Ceterum Tiberis olim *Albula* dicta fuit. Liuius lib. I cap. III *Pax ita conuenerat, vt Etruscis Latinisque fluuius Albula, quem nunc Tiberim vocant, finis esset.* Et Plinius lib. III cap. V *Tiberis, antea Tybris adpellatus, & prius Albula.* Virgilius lib. VIII vers. 330

Tum reges, asperque immani corpore Tybris,
A quo post Itali fluuium cognomine Tybrim
Diximus: amisit verum vetus Albula nomen.

Hhh hh Si

Si a Tiberi per oram veteris Latii progredimur, primum venimus *Laurentum*. Melæ lib. II cap. IV, ordine inuerso, hæc oppida sunt, *Circeii, Antium Aphrodisium, Ardea, Laurentum, Ostia*. Et Plinius lib. III cap. V ab Roma progrediens, *In principio est Ostia, colonia a Romano rege deducta: oppidum Laurentum, lucus Iouis Indigetis, amnis Numicius*. Strabo lib. V p. 160 Λαύρεντον. Fingitur regia vetustimorum regum Latini, Pici, Fauni. Virgilius lib. VII vers. 171

Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis
Vrbe fuit summa, Laurentis regia Pici.

Tibullus lib. II eleg. V *castrum* vocat versu 51,

Ante oculos Laurens castrum, murusque Lauini est.

Sane Traiani ætate si oppidum fuit, exiguum fuisse epistola Plinii de villa Laurente probat, quippe cui *ceteras copias*, quibus ipsa carebat, non propinquius Laurentum, sed *Ostiensis colonia ministrauit*. Commodus vt pestilentiam euaderet, quod Herodianus lib. I cap. XII refert, εἰς τὴν Λαύρεντον ἀνεχώρησε, *Laurentum secessit*. Nomen a lauretis est, quia τὸ χωρίον κατάσκιον δαφνηφόροις ἄλσεσιν, *regio siluis e lauru opaca est*, quod ibidem Herodianus adiecit. Qui colunt, *Laurentes* dicuntur. Aeneid. VIII vers. 537

Heu quantæ miseris cædes Laurentibus instant!

quod & adiectum nomen est, vt dicta Tibulli elegia v. 41

Iam tibi Laurentes adsignat Iuppiter agros.

Dicitur pro illo etiam *Laurentinum*. Martialis X epigr. XXXVII *Laurentino in litore*. Et Plinius lib. II epist. XVII ineunte ad Gallum de suo in his oris prædio: *Miraris, cur me Laurentinum, vel si ita mauis, Laurens meum tantopere delectet*. quod mirifice exædificatum ibidem pluribus descripsit.

A Laurento sex millibus, vt in veteri tabula est, distabat *Lauinium*, opus Troianorum, ab vxore Aeneæ Lauinia, regis Latini filia, ita nominatum. Liuius cap. I *Troiani oppidum condunt: Aeneas ab nomine vxoris Lauinium adpellat*. Et Varro lib. IV de LL. cap. XXXII *Oppidum quod primum conditum in Latio stirpis Romanæ, Lauinium. nam ibi dii penates nostri*. Liuius lib. VIII cap. XII *Venerant & ab Lauinio Antioque auxilia*. Populus

lus & incolæ *Lauinii* & *Lauinienses* dicti. Liuius ibidem cap. XIII *Aricinos, Lauiniosque, & Veliternos, Antiatibus Volscis se coniungentes, ad Astura flumen Mænius, inprouiso adortus, fudit.* Lapis Capitolinus de Mænii triumpho, Grut. p. 297

C. MAENIVS P. F. P. N. COS. DE ANTIATIBVS AN. CDXV
LAVINIEIS VELITERNEIS PRIDIE K. OCT.

Et Varro de re rust. lib. II cap. IV *Lauinienses condiderunt oppidum Albam.*

Amnis *Numicus*, vel *Numicius* prope *Lauinium* decurrit, inter quem & Tiberim Aeneas adpulit. Virgilius lib. VII vers. 150

--- vrbem, & fines, & litora gentis
Diuersi explorant: hæc fontis stagna Numici, &c.

& versu 242 *--- fontis vada sacra Numici:* & vers. 797

Qui saltus, Tiberine, tuos, sacrumque Numici
Litus arant, Rutulosque exercent vomere colles.

nam Rutulorum in finibus fluit. Plinius lib. III cap. V verbis supra prolatis, *amnis Numicius.* Fons huius fluminis est ille, in quem *Anna Perenna* desiluit, quæ apud Ouidium Fast. III vers. 653 ita loquitur:

--- placidi sum nympha Numici:
Amne perenne latens Anna Perenna vocor.

Circa hunc amnem *lucus Iouis Indigetis* fuit, vt Plinius dicto loco vocauit, positus inter Laurentum & amnem Numicium. Plures *Indigetis* numen ad Aenean referunt, qui quum prœlio ad illum amnem commisso desierit videri, creditus sit in fluuium decidisse, iuxta quem templum ei cum hac inscriptione, vt Dionysius Halicarnassensis lib. I pag. 52 tradit, dicatum fuerit:

ΠΑΤΡΟΣ ΘΕΟΥ ΧΘΟΝΙΟΥ
ΟΣ ΠΟΤΑΜΟΥ ΝΟΜΙΚΙΟΥ ΡΕΥΜΑ ΔΙΕΠΕΙ.

Cuius nominis etiam apud Virgilium mentio est lib. XII vers. 794. Et Aurelius Victor de Orig. Gent. Rom. p. 16 *Illi* [Aneæ] *eo loco templum consecratum, adpellarique placuit* PATREM INDIGETEM. Et Tibullus lib. II elegia V ad Aeneam ἀποστροφῇ,

Illic sanctus eris, quum te, venerande Numici
Vnda deum cælo miserit Indigetem.

Hæc in litore Aeneas atque posteri, etiam primi reges Romanorum possederunt: qui sequuti sunt, ad *Circeios* vsque antiqui Latii fines protulerunt. Interiecto tractu sine nomine aut memorabili re, *Aphrodisium* fuit. Mela dicto loco: *Antium, Aphrodisium, Ardea.* Plinius ordine verso incedens, post Ardeam: *dein quondam Aphrodisium, Antium colonia,* Quum ergo *quondam* dicit, tum vestigia sola superfuisse ostendit. Deinde *Castrum Inui* fuit. Virgilius lib. VI vers. 775

Pometios, Castrumque Inui, Bolamque Coramque.

Seruius ad hunc locum: *Castrum Inui, id est Panos, qui illic colitur. Inuus autem latine adpellatur: græce* Πάν. Silius lib. VIII vers. 360 simpliciter *Castrum* dixit:

Quos Castrum, Phrygibusque grauis quondam Ardea misit.

Quo pertinet, quod Martiali restitutum est lib. IV epigram. LX,

Ardea solstitio Castranaque rura petantur.

Quod sequitur *Antium,* quia Volscorum fuit, in illa gente explicabimus, nunc LATINOS & proprie dictum LATIVM consideraturi, & RVTVLOS.

Rutili ad mare Latinis contermini, a quibus difficulter discernuntur, post Aeneæ victoriam Latinis contributi. Sæpe a Marone celebrati posterioribus libris Aeneidos. Caput illorum *Ardea* fuit, reducta a mari, regia Turni, Rutulorum principis. Liuius lib. I cap. LVII *Ardeam Rutuli habebant, gens, vt in ea regione, atque in ea ætate, diuitiis præpollens.* Virgilius lib. VII vers. 409, 411

Audacis Rutuli muros: - locus Ardua quondam
Dictus auis, & nunc magnum manet Ardea nomen.

Quod Silius, imitator Maronis, repetit lib. I vers. 293

Magnanimis regnata viris, nunc Ardea nomen.

Distare ab Roma Eutropius lib. I cap. VII *octauo decimo milliario* tradit: Strabo lib. V pag. 158 stadiis CLX. Colonia facta. Liuius lib. IV cap. XI *Triumuiri ad coloniam Ardeam deducendam creati,*

ti, quamuis tum plurimum agri *ad Ardeates redierit.* Sic enim incolæ vocantur, & ipsa Ardea ibidem *ciuitas Ardeatium.* In coloniis etiam Liuius lib. XXIX cap. XV numerauit. Reliqua Rutulorum incerta sunt: situs caussa huc referas licet, Cluuerio auctore, *Aphrodisium* & *Castrum Inui*, loca paullo ante in maritimis exposita.

Prope Ostiam videntur *Ficana*, *Tellena* & *Politorium* fuisse: incertior tamen res de Politorio. Plinius singula lib. III cap. V memorauit: sed totus ille locus turbatus est, sine oppidorum ordine aut situ obseruato. Festus autem in *Puilia saxa*, ex Labeone: *Locum putat Labeo dici, vbi fuerit Ficana, via Ostiensi, ad lapidem vndecimum.* Liuius lib. I cap. XXXIII de Anco rege: *Politorium, vrbem Latinorum vi cepit, - - - multitudinem omnem Romam traduxit - - - - Auentinum nouæ multitudini datum: additi eodem haud ita multo post, Tellenis Ficanaque captis, noui ciues.* Tellenæ ergo, quod eodem tempore captæ, vicinæ oppido Ficanæ videntur fuisse, & si Cluuerii coniecturæ credendum, inter Ficanam & Lanuuium. Strabo quoque pluraliter Τελλῆναι scripsit: Dionysius singulari numero Τελλήνη, quam lib. III p. 179 πόλιν Λατίνων ἐπιφανῆ, *claram Latinorum vrbem* adpellat: Plinio est *Tellene*, æque singulari, sed Græca forma. *Politorium* inde rursus bello ab eodem rege repetitum, *quod vacuum occupauerant prisci Latini, eaque caussa diruendæ vrbis eius fuit:* quod ibidem Liuius adiecit. Sed de positu eius nihil certum habemus dicere.

Princeps autem vrbs illarum, quas posteri Aeneæ possedisse ante Romam conditam feruntur, *Alba*, cognomine *Longa* fuit, colonia Lauinio deducta. Liuius lib. I cap. III *Ascanius, abundante Lauinii multitudine, florentem iam, vt tum res erant, atque opulentam vrbem matri seu nouercæ reliquit: nouam ipse aliam sub Albano monte condidit, quæ ab situ porrectæ in dorso vrbis Longa Alba adpellata.* Hæc regia deinde sedes vsque ad conditam Romam, sicut Anchises prædixisse fingitur Aeneidos VI vers. 766 de Siluio Lauiniæ filio:

Vnde genus Longa nostrum dominabitur Alba.

Condita XXX annis post Lauinium, & *Albæ* nomen inditum ab sue alba, quæ XXX porcellos ibidem edidisse fertur. Varro R. R.

lib. II cap. IV *Antiquissimum fuisse scribitur, quod sus Aenea Lauinii triginta porcos pepererit albos. Itaque, quod portenderit, factum XXX annis, vt Lauinienses condiderint oppidum Albam.* Adde Aurelium Victorem de Origine Gentis Romanæ. Propertius lib. IV eleg. I vers. 35

Et stetit Alba potens, alba suis omine nata.

Euersa ab Romanis sub rege Hostilio Tullo. Liuius lib. I cap. XXXIII *Euentus belli minus miserabilem dimicationem fecit, quod nec acie certatum est, & tectis modo dirutis alterius vrbis duo populi in vnum confusi sunt.* Strabo lib. V p. 160 κατεσκάφη πλὴν τοῦ ἱεροῦ, *diruta est Alba, fano excepto.* Circa illum tractum prætoria & villæ nitidius ædificatæ, e quibus eminuerunt *Albanum* Pompeii, & Domitiani, duæ splendidissimæ villæ: illa memorata Ciceronis pro Milone oratione cap. XX; hæc notata Tacito Agric. cap. XLV, & Plinio lib. IV epist. XI, quia eodem, qui peruerse omnia agebat, & senatum aliquando, & pontificum collegium, contra morem patrium, conuocauit. Posteriores etiam oppidi in his locis mentionem iniecerunt, Procopius lib. II Goth. cap. IV τὸ Ἀλβανῶν πόλισμα ἐν τῇ Ἀππίᾳ ὁδῷ κείμενον, *Albanorum oppidum, in Appia situm*, commemorans; & Itinerario Hierosolymitano *Aricia* & *Albona*, corrupte quamuis, coniunguntur. Verum id non antiquum oppidum fuit, sed ex castris videtur natum, descriptis ab Herodiano lib. VIII cap. V in Maximinis. Memorabilior est *Mons Albanus*, in quo Feriæ Latinæ actæ, etiam triumphus extra ordinem; de quibus passim Liuius potest consuli: & *tumuli Albani*, atque *luci*, quorum meminit Cicero pro Milone cap. XXXI; & *lacus Albanus*, ibidem; & Liuius lib. V cap. XIX *ex lacu Albano aqua emissa in agros.*

In Albano bello etiam *Fossa Cluilia* memoratur, vt Liuius ait lib. I cap. XXIII, *ab nomine ducis Cluilii Albani per aliquot secula adpellata:* & lib. II cap. XXXIX de Coriolano: *Postremum ad vrbem a Pedo duxit, & ad Fossas Cluilias quinque ab vrbe millia passuum castris positis, populatur inde agrum Romanorum.* Plutarchus Coriolani vita p. 227 diphthongo *Clœlias fossas* scripsit, περὶ τὰς λεγομένας Κλοιλίας τάφρους κατεστρατοπέδευσε. Distantia Plutarchus congruit cum Liuio, quadraginta ponens stadia.

Pro-

Propius Albanum lacum *Bouillæ* fuerunt, quas Auguſtana Tabula *Bobellas* x ab vrbe millibus paſſuum, videmus nominatas. Propinquitatem Albani montis ſignificat Velleius lib. II cap. XLVII tradens, Clodium a Milone *circa Bouillas* iugulatum eſſe, quod Cicero factum dicit ſub monte Albano. Exſtat illarum memoria apud Tacitum non vna; *ſacrarium genti Iuliæ, effigiemque diuo Auguſto apud Bouillas dicatam*, lib. II cap. XLI: & *ludicrum Circenſe Iuliæ genti apud Bouillas editum*, lib. XV cap. XXIII: & *agmen legionum intra Bouillas ſtetiſſe*, Hiſt. lib. IV cap. II: & apud Suetonium Auguſto cap. C, eius mortui corpus *a Nola Bouillas vſque decuriones municipiorum & coloniarum deportaſſe*. Ergo illo tempore *Bouillas* ſtetiſſe non dubitandum, quamuis Florus lib. I cap. XII de illis triumphum, vt de paruo oppido, non tam rideat, quam in pudendis Romæ veteris adſcribat.

Aricia quoque ſub Albano monte fuit, ſeu vt Strabo dicit μετὰ τὸ Ἄλβανον Ἀρίκια πόλις, *poſt Albanum montem eſt oppidum Aricia*, &, quod addit, in via Appia, CLX ſtadiis ab Roma: Antonino XVI M. P. Tabulæ, XIII. Horatius lib. I ſatyr. V ineunte:

Egreſſum magna me excepit Aricia Roma
Hoſpitio modico.

Adiacet *Aricinum nemus*, ſiue lucus *Dianæ Aricinæ*; βαρβαρικὸν καὶ Σκυθικὸν ἔθος, *barbarum Scythicumque morem* ſeruans, vt Strabo refert p. 165. Hinc *nemoralis Aricia* Martiali lib. XIII epigr. XIX: & Statio lib. III Silv. carm. I verſ. 56

Fumat Aricinum Triuiæ nemus.

In nemore illo erat *fons Egeriæ* nymphæ, de quo Liuius lib. I cap. XXI *Lucus erat, quem medium ex opaco ſpecu fons perenni rigabat aqua: quo quia ſe perſæpe Numa ſine arbitris, velut ad congreſſum deæ, inferebat, Camœnis eum lucum ſacrauit, quod earum ſibi concilia cum coniuge ſua Egeria eſſent.* Quæ repetiit inde, & ad id, quod res eſt, accommodauit Lactantius lib. I Inſtit. cap. XXII. Fuit ibi locus etiam, *ad Camœnas* dictus. Martialis lib. II epigram. VI

Et cum currere debeas Bouillas,
Interiungere quæris ad Camœnas.

Ad-

Adpellatio exinde est, quia Numa, vt Liuius dixit, *Camœnis eum lucum sacrauit:* &, quod Halicarnassensis obseruat lib. II pag. 121, quidam Egeriam τῶν Μȣσῶν μίαν, *aliquam Musarum* fuisse crediderunt.

Post Ariciam in Appia est *Lanuuium*, cuius multam mentionem Cicero pro Milone fecit. Cap. X *Quum sciret Clodius, iter solemne, legitimum necessarium a. d.* XIII *Kal. Febr. Miloni esse Lanuuium ad flaminem prodendum, quod erat dictator Lanuuii Milo.* Et cap. XVII *dictatoris Lanuuini stata sacrificia:* & alibi. Iunonis ibi Sospitæ siue Sispitæ cultus erat. Liuius lib. XXII cap. I *decretum est, Iunoni Sospitæ Lanuuii maioribus hostiis sacrificaretur.* Silivs ad Ciceronis Milonem adludens lib. XIII vers. 364

Lanuuio generate, inquit, quem Sospita Iuno
Dat nobis, Milo.

In Lanuuino agro *campus* fuit *Solonius*, cuius aliquoties mentionem Cicero fecit. Lib. I de Diuinat. cap. XXXVI *Roscius quum esset in cunabulis, educareturque in Solonio, qui est campus agri Lanuuini.* Adde lib. II cap. XXXI, & ad Attic. lib. II epist. III. Macrobius lib. I Saturn. cap. X dixit, corrupte credo, *agrum Solinum.*

Supra Albam, septemtrionem versus, est *Tusculum*, ἐπ' ὀρεινῇ, *in colle* situm, vt Strabo lib. V p. 165 notauit: ideoque Horatii epodo I *supernum* dictum,

- - *superni villa candens Tusculi.*

Non autem, vt vulgo creditum, in summo iugo fuit, cuius rudera priuatam potius villam, quam Tusculanum oppidum, inspectanti Holstenio probauerunt: sed vbi nunc Frascati est, vetus Latinorum Tusculum fuit. Græci plerique dissyllabum faciunt, Τȣσκλον, vt Strabo, & Plutarchus principio Catonis maioris; vel Τύσκλον, vt Dionysius lib. V; aut Τύσκλος, vt Stephanus: at Latini tribus syllabis *Tusculum.* Cicero Diuinat. I cap. XLIII *Tusculi ædes Castoris & Pollucis e cælo icta est.* Tacitus lib. XI cap. XXIV *Porcii Tusculo in senatum acciti.* Suetonius Galb. cap. XVIII *quum Tusculum excucurrisset.* Atque ita etiam Ptolemæus Τȣσκȣλον. Municipium fuit. Cicero pro Fonteio cap. XIV *Pro huius innocentis salute supplicat primum generis antiquitas, quam Tusculo, ex cla-*

clarissimo municipio, profectam, in monimentis rerum gestarum incisam ac notatam videmus. Distantiam ab vrbe prodidit Dionysius lib. x p. 646 οὐκ ἔλαττον σαδίων ἑκατὸν, *non minorem centum stadiis:* quod Iosephus etiam lib. XIIX cap. IIX adfirmat, Τουσκολάνον, ὅσον ἀπὸ σαδίων ἑκατὸν τῆς Ῥώμης. qui vero villam potius Tiberii, in quam Capreis delatus erat, quam ipsum oppidum, huic tamen propinquam, significare videtur. Amœnissima regio, ideoque pluribus villis ædificata, quæ passim laudantur a Cicerone: sed huius quod prædium *Tusculanum* fuit, omnium habetur, propter ingenii non minus quam agri prouentum, clarissimum.

Supra Tusculum, Anienem versus, *Regillus lacus*, ad quem Postumius dictator, iuuantibus Διοσκούροις, vt credebatur, Latinos vicit. Liuius lib. II cap XIX de illo prœlio: *ad lacum Regillum in agro Tusculano.* Cicero II Nat. D. cap. II *apud Regillum bello Latinorum.* Victor de vir. illust. in eodem Postumio, *apud Regilli lacum.* Dionysius lib. VI p. 343 παρὰ λίμνῃ Ῥηγίλλῃ καλουμένῃ.

In eodem tractu *Labicum* siue *Lauicum*, & frequentius plurali numero *Labici* seu *Lauici* erant. Liuius lib. IV cap. XLVII *ad Lauicos ductus exercitus:* & mox: *senatus censuit frequens, coloniam Lauicos deducendam.* Et Cicero II Agrar. cap. XXXV *Labicos, Fidenas, Collatiam.* Silius lib. VIII vers. 367

- - - - *habiles ad aratra Labici,*

vbi dubium, vrbs an populus intelligatur, quia inter oppida Tibur, Præneste, Antemnas recensetur. nam *Labici* etiam poetis sunt Labicani, vt in illo Aeneid. VII vers. 796

- - - *& picti scuta Labici.*

Singulariter *Labicum*, præter Strabonem, cuius est p. 164 παλαιὸν Λαβικὸν, *vetus Labicum;* Silius XII vers. 534 dixit

- - - *campos ingressus & arua Labici.*

Situm Liuius ostendit XXVI cap. IX Hannibalis itinere: *per Frusinatem Ferentinatemque & Anagnium agrum in Labicanum venit. Inde Algido Tusculum petiit.* Nunc la Colonna est, Holstenio teste, XV millibus ab Roma, viæ Lauicanæ a dextris imminens: supra quod Tusculum ad III vel IV millia passuum rece-

dit. Etiam Antonini itinerario, Lauicana via primus locus ab vrbe est *ad Quintanas*, decimo quinto milliario: inde post decem passuum millia, *ad Pictas*, etiam Straboni p. 164 πρὸς τὰς Πικτάς: male in Tabula, *ad Pactas*. Ibi tabernas subaudiunt; heic, statuas.

E Lauicana via in Prænestinam si declinamus, *Gabii* sunt fere medio inter Romam & Præneste loco, illic XII millium interuallo; heic XI, secundum Antoninum & Tabulam. Frequens mentio illorum in Tarquinii Superbi historia, cap. LIII, *Gabios, propinquam vrbem, nequidquam vi adortus:* item, *transfugit ex composito Gabios:* & cap. LV *Gabiis receptis*. Virgilius lib. VI vers. 773

Hi tibi Nomentum, & Gabios, vrbemque Fidenam.

Deriuatum *Gabinus*. Liuius dicto libro, cap. LIV *veteribus Gabinis adsentire:* item, *Gabina res plerumque superior:* & Tacitus lib. XV cap. XLIII *saxo Gabino Albanoque solidare.*

Supra Gabios *Pedum*, Latinorum oppidum. Liuius lib. II cap. XXXIX de Coriolano: *Labicos, Pedum cepit. postremum ad vrbem a Pedo ducit.* Et lib. VIII cap. XII *Aemilius ad Pedum exercitum duxit. Pedanos tuebatur Tiburs, Prænestinus, Veliternusque populus:* & cap. XIII *A paucis populis Pedani adiuti sunt. Tiburtes Prænestinique, quorum ager propior erat, Pedum peruenere.* Horatius lib. I epist. IV ad Tibullum:

Quid nunc te dicam facere in regione Pedana?

id est in villa tua, in agro sita Pedano. Plinius lib. III cap. V *Pedanos* in iis populis numerauit, quorum oppida sine vestigiis interierint. Coniectura ergo standum est in sede inuestiganda, quæ ex Liuio laudata propinquitate haud dubie inter Tibur & Præneste fuit: id quod etiam in vetustissimo Horatii libro adscriptum margini Torrentius inuenit.

Nec longe a Pedo fuit *Aesula*, siue *Aesulum*, siue *Aesola*; verum etiam inter Tibur forsan & Præneste, saltem prope agrum Tiburtinum. Horatius lib. III oda XXIX

Ne

Ne semper vdum Tibur, & Aesulæ
Decliue contempleris aruum, &
Telegoni iugum parricidæ,

qui Tusculum fertur condidisse. Quum itaque cum Tibure, cum Tusculo coniungatur *Aesula*, in illo tractu etiam sedes illius quærenda est, quamquam certo designari non potest, quia iam tum suo æuo Plinius *Aesolanos* in iis scripsit, quorum nulla vestigia supereſsent. Coloniam fuisse testis est Paterculus, qui *Aesulum* scripsit, neutro genere, lib. I cap. XIV, idque, ac Alsium, XXIII annis ab initio belli I Punici colonis fuisse occupatum.

Nec certior ratio est oppidi *Scaptiæ*, quod Plinius dicto loco in Latii quondam claris oppidis, euersis postmodum, numerauit. Pompeius Festus tradit, *Scaptiam vrbem Pedanos incoluisse.* Propinquam ergo Pedo fuisse, non est quod dubitemus. Hinc *tribus Scaptia* cognominata, eodem auctore Festo : & *tribules Scaptienses* apud Suetonium Aug. cap. XL. Origo tribus Scaptiæ ab Liuio perscripta lib. VIII cap. XVII.

Ad Anienem amnem oppidum Latinorum *Tibur* recedit, antiquissimum æque, vt amœnissimum, quidpe conditum a Græcis fertur

Tibur, Argeo positum colono,

Horatio canente lib. II oda VI. Amœnitatem idem lib. I oda VII descripsit, quod nulla Græcarum vrbium tam delectet,

Quam domus Albuneæ resonantis,
Et præceps Anio, & Tiburni lucus, & vda
Mobilibus pomaria riuis.

Positu idem *supinum* est lib. III oda IV; & *vdum* tamen, vt modo in Aesula ostendimus, quia, eodem auctore lib. IV oda III

- - *Tibur aquæ fertile perfluunt,*

cataracta præcipites : vnde *præceps Anio* lib. II oda VI, cuius ex alto deiectus etiam Straboni lib. V p. 164 ὁ καταῤῥάκτης dictus est. Virgilio Aeneid. VII vers. 630 est

- - - *Atina potens, Tiburque superbum.*

Religiosum cultu & templo Herculis, quod [illegible] Strabo

iam memorato loco dixit; ideoque Propertio lib. II eleg. XXXII est *Tibur Herculeum.* Deriuata nomina *Tiburs*, & *Tiburtinus.* Cicero lib. II de Orat. cap. LXV *villam in Tiburte habes.* Liuius lib. VIII cap. XII *Pedanos tuebatur Tiburs populus:* & cap. XIII *Tiburtes Prænestinique Pedum peruenere.* Martialis lib. IV epigram. LVII

Nunc Tiburtinis cedite frigoribus.

Tiburtium ditionis erant *Empulum* & *Sassula*, ignotæ positionis oppida, a Romanis olim capta. Liuius lib. VII cap. XVIII *Empulum eo anno ex Tiburtibus haud memorando certamine captum:* & cap. insequenti XIX *Cum Tiburtibus ad deditionem pugnatum. Sassula ex his vrbs capta.* Tiburi ab oriente imminet *Afflianus* mons, ex veteri inscriptione cognitus, quam Holstenius pag. 200 exhibuit:

RIVOM AQVAE CLAVDIAE AVGVSTAE
SVB MONTE AFFLIANO CONSVMAVIT
IMP. DOMIT. CAESAR AVG. GERM. COS.

Inde in austrum longius, & in fines Aequorum, recedit Latinorum oppidum *Præneste*, illud *altum Præneste*, vt Virgilius vocat lib. VII vers. 682: ideoque *frigidum* Horatio lib. III oda IV, a montano situ: quæ vero successit ei Palestrina, vt nunc vocatur, in vallem est deducta. Vetus autem *Præneste* & natura & arte munitissimum fuit. Strabo lib. V p. 165 situm & munitionem quum descripsisset, notabiliter adiecit, καταφεύγουσι ἐκεῖ σε οἱ νεωτερίσαντες, *qui res nouas moliti sunt, eodem confugiunt.* Velleius lib. II cap. XXVI de Mario filio, apud Sacriportum victo, *Præneste, quod ante natura munitum præsidiis firmauerat, se exercitumque contulit.* Idem cap. LXXIV de Fuluia Antonii: *Hæc belli sedem Præneste ceperat.* Et Cicero de Catilina orat. I cap. III *Quid? quum tute Præneste kalend. ipsis Nouembris occupaturum nocturno impetu esse confideres, sensistine illam coloniam meo iussu, meis præsidiis, custodiis vigiliisque esse munitam?* Incolæ *Prænestini.* Liuius lib. VI cap. XXIX *Octo oppida erant sub ditione Prænestinorum: ad ea circumlatum bellum: deincepsque haud magno certamine captis, Velitras exercitus ductus. ea quoque expugnata. tum ad caput belli Præneste ventum.* Plinius lib.

lib. III cap. V *Prænestini, vrbe quondam Stephane dicta.* nam & Strabo dicto loco refert, Πραίνεστον Πολυστέφανον καλεῖσθαι πρότερον. Plerique neutro genere, vt vidimus, etiam auferendi casu, *Præneste* dicunt, vt Liuius lib. VI cap. XXIX *Triumphans, signum Præneste deuectum Iouis Imperatoris in Capitolium tulit.* Tamen etiam femineo more Virgilius lib. VIII vers. 561 *Præneste sub ipsa,* etiam Seruio, vt rarum, adnotante. Et Iuuenalis sat. III vers. 190

Quis timet, aut timuit gelida Præneste ruinam?

Patrio casu *Prænestis.* Paterculus lib. II cap. XXVII *oppugnationi Prænestis ac Marii præfuerat Ofella.* Propertius lib. II eleg. XXXII

Nam quid Prænestis dubias, o Cynthia, sortes?

id est, oraculum Prænestinum petis. nam & Strabo ei imponit τὸ τῆς Τύχης ἱερὸν ἐπίσημον χρηστηριάζον, *fanum & oraculum Fortunæ.* Et Suetonius Tib. cap. LXIII *Vicina vrbi oracula etiam disiicere conatus est: sed maiestate Prænestinarum sortium territus destitit.* Ceterum Strabo ἡ Πραίνεστος format casum: Ptolemæus τὸ Πραίνεστον.

Superest ex Latinis oppidis *Ortona,* quam *Hortanam* aliqui libri, aut *Artonam* referunt, sed, iudice Sigonio, peruerse, cui ex Dionysii vestigiis *Ortona* placet. Liuius lib. II cap. XLIII *Ortonam, Latinam vrbem, Aequi oppugnabant.* Et lib. III cap. XXX *Horatius, quum iam Aequi, Corbione interfecto præsidio, Ortonam etiam cepissent; in Algido pugnat: multos mortales occidit, fugat hostem non ex Algido modo, sed a Corbione Ortonaque.* Sedes coniecturæ relinquenda, quæ vero minus in *Tolerio* inuestigando valet, ex quo Plinii *Tolerienses* in Latio sunt; Plutarchi in Coriolano pag. 227 Τολερῖνοι: quos cum Latinis Dionysius lib. VIII pag. 493 censet. De illo enim Coriolano ait: ἐπὶ Τολερίνους ἐλαύνει, τοῦ Λατίνων ὄντας ἔθνους, *in Tolerinos mouet, Latini nominis populum,* quos pag. 500 in μικροπολίταις adnumerat. Reliqua, quæ Præneste circumiacent, Aequiculorum fuerunt pleraque, supra in Aequis post Sabinos exposita: quæ itidem deuocanda in Latium, sed ampliatum sunt,

hoc eſt, quod præter Latinos Rutulosque, etiam Hernicos, Aequos, Volſcos, Auruncos comprehendat.

HERNICORVM nomen apud Liuium aliosque frequens eſt, neque vero tam late illorum notitia patet, quam Volſcorum Latinorumque. Correpta ſyllaba media vocabuli, quod ex Virgilii verſu 684 libri VII liquidiſſimum eſt,

Hernica ſaxa colunt - - -

& Silii Italici lib. IV verſu 226

Quosque in prægelidis duratos Hernica riuis
Mittebant ſaxa.

Horum oppida, quantum conſtat, fuere *Anagnia*, *Alatrium*, *Verulæ*, *Ferentinum*. De primo, *Anagnia*, quæ & nunc Anagni eſt, Virgilii prædicto verſu perdocemur, - - - *quique*

Hernica ſaxa colunt, quos diues Anagnia paſcit:

& clarius Macrobii teſtimonio lib. V Saturn. cap. XVIII *Hernicorum eſt Anagnia.* Et paullo ante: *Sunt in libro ſeptimo* [Maronis] *illi verſus, quibus Hernici populi, & eorum nobiliſſima, vt tunc erat, ciuitas, Anagnia enumerantur,*

- - - - *quos diues Anagnia miſit*, &c.

Reliqua oppida Hernicorum, quæ noſci poſſunt, Liuius nobis lib. IX cap. XLII prodidit. *Id ægre*, inquit, *paſſi Hernici, concilium populorum omnium habentibus Anagninis, in circo, quem Maritimum vocant, præter Alatrinatem, Ferentinatemque, & Verulanum, omnes Hernici nominis populo Romano bellum indixerunt.* Et cap. XLIII *Hernicorum tribus populis, Alatrinati, Verulano, Ferentinati, ſuæ leges redditæ.* Ex quibus manifeſtum eſt, hæc oppida Hernicorum fuiſſe, vt vero caput eſſet *Anagnia*, quæ quod cum ceteris non nominatis, (præter tria illa, quæ bello abſtinuerant,) ſine difficili pugna Romanis ſe dediderat, præmium ciuitatis ab iisdem tulit. Liuius ibidem: *Anagninis, quique arma Romanis intulerant, ciuitas ſine ſuffragii latione data.* Poſt colonia facta. Frontinus de Coloniis: *Anagnia, muro ducta. colonia Druſi Cæſaris. populus deduxit. Iter populo non debetur. Ager eius per ſtrigas veteranis eſt adſignatus.*

Alte-

Alterum Hernicorum oppidum est *Alatrium*, vt Liuius vbique *Alatrinates*, vocali prima scripsit, & hodieque *Alatri* dicitur: Straboni Ἀλέτριον, vnde Plinii sunt *Aletrienses* vocali secunda. Ciuitatem sine suffragio tulisse, modo ex Liuio perceptum fuit. Cicero autem (sed longo post tempore) municipium vocat pro Cluentio cap. XVI. *C. & L.* inquit, *Fabricii, fratres gemini fuerunt ex municipio Aletrinate:* qui & cap. XX populum dixit *Aletrinates* vocali secunda.

Hinc in austrum vergunt *Verulæ*. Florus lib. I cap. XI *De Verulis & Bouillis; pudet, sed triumphauimus.* Frontinus de Coloniis libro: *Verulæ oppidum muro ductum. Ager eius limitibus Gracchanis est adsignatus: & ab imperatore Nerua colonis redditus.* Incolæ *Verulani*, de quibus satis ex Liuio iam dictum est. Et hoc oppidum eiusque situs ex seruato prisco nomine *Veruli* perfacile cognoscitur.

Et *Ferentinum* in via Latina nomen retinet. Antea Liuii *Ferentinates* vidimus: quos alii, poetæ præsertim, etiam *Ferentinos* vocant. Silius lib. VIII vers. 394

> *Sulla Ferentinos, Priuernatumque maniplos*
> *Ducebat.*

Antoninus in Lauicana via *Ferentinum, Frusinonem* VII millibus disiungit. Priorem statum supra cognouimus, αὐτονομίαν concessam ab Romanis esse: post colonia Latina eodem deducta. Liuius lib. XXXV cap. IX *Eodem anno coloniam Latinam in agrum Ferentinum triumuiri deduxerunt.* Annus erat IↃLX, L. Cornelio Merula & Q. Minucio Thermo consulibus. Hæc de Hernicis prodita: plura possedisse ex Liuii verbis [lib. IX cap. XLII] supra productis clarum est, quia cum Anagnanis *omnes Hernici nominis* Romanis bellum indixerunt, præter Alatrinates, Ferentinates, Verulanos. Vici forsan & oppidula fuerunt, quorum nulla fama superest. Sed vnum restat, quod Hernicis adscribit Holstenius p. 205, *Affile* oppidum non ignobile, in montibus inter Sublaqueum situm & Anagniam. Frontinus de Coloniis libello: *Affile oppidum lege Sempronia. In centuriis & in laciniis ager eius est adsignatus.* Veteri lapide ibidem reperto inest L. LVPERCVS

A F-

AFFILANVS. Anaſtaſius Bibliothecarius Vita Sixti III *in territorio Aſilano.*

VOLSCI ſequuntur, gens maior ceteris, quæ in Latium adſumtæ ſunt, etiam potentior, a mari Antiano habitans ad Liris fluuii ſuperiora, & vltra. Quod in cauſſa fuit, vt Pomponius Mela lib. II cap. IV ad veterem memoriam reſpiciens, *Volſcos*, tamquam per ſe validos ad gentem conſtituendam, a Latio ſepararet. Sic enim oram illam enumerat : *Etruria ; poſt Latium, Volſci, Campania.* Scylax quoque Periplo ita diſcernit, prauato quamuis nomine : Λατίνων ἔχονται Ὀλσκοί· Ὀλσῶν δὲ ἔχονται Καμπανοί. *Latinis continui ſunt Volſci : Volſcis Campani.* Ab ora maritima incipiemus.

Antium, Græce Ἄντιον, (Dionyſio etiam Ἀντία, lib. V p. 304) Volſcorum fuiſſe vrbem, docet Liuius lib. II cap. XXXIII *fuſi Volſci Antiates :* & cap. LXIII *Numicius Antium aduerſus Volſcos profectus :* & poſt paullo, eodem capite : *Melius in Volſcis imperatum eſt. Fuſi primo prœlio hoſtes, fugaque in vrbem Antium, vt tum res erant, opulentisſimam acti.* Ad mare ſita vrbs ; ἀλίμενος tamen, hoc eſt, *ſine portu*, vt Strabo ait pag. 160, quia propinquum oppidulum cum portu habuit, *Cenonem*, de quo mox dicturi ſumus. Ab Antio prima gloria rei naualis Romanis fuit. Liuius lib. VIII cap. XIV *Naues Antiatium partim in naualia Romæ ſubductæ, partim incenſæ, roſtrisque earum ſuggeſtum in foro exſtructum adornari placuit, Roſtraque id templum adpellatum.* Plenius paullo Florus lib. I cap. XI *Exſtant & parta de Antio ſpolia, quæ Manius in ſuggeſtu fori, capta hoſtium claſſe, ſuffixit ; ſi tamen illa claſſis. nam ſex fuere roſtratæ.* Coloni eo aliquoties miſſi, primum, quum captum ab Romanis eſſet, circa annum V. C. CCLXXXV. Vide Liuium lib. II extremo : Iterum lib. VIII cap. XIV *Et Antium noua colonia miſſa.* Et ſub Nerone Tacitus lib. XIV cap. XXVII *Veterani Tarentum & Antium adſcripti.* Deriuata *Antianus* & *Antias*. Plinius lib. III cap. VI *Vltra Tiberina oſtia in Antiano* [mari] *Aſtura*, inſula. Coloni & oppidani *Antiates*. Liuius dicto lib. VIII cap. XIV *interdictum mari Antiati populo eſt :* & mox, *naues Antiatium*, vt prædiximus. Celebre ibi Fortunæ templum. Horatius lib. I oda XXXV ad illam:

O diua, gratum quæ regis Antium, & reliqua.

Ad-

Adiacebat *Ceno* oppidum, quod nauale & forum habebat Antiatium. Dionysius lib. VIII p. 612 πολίχνην, ἐπιθάλαττιον, *maritimum oppidulum* vocat, quo Antiates ἐπινείῳ τε καὶ ἀγορᾷ τῶν εἰς τὸν βίον ἀναγκαίων ἐχρῶντο, *portu & foro necessariorum ad vitam vtebantur.* Ei nomen *Cenoni* fuisse, in eadem consulis Numicii expeditione, quam Halicarnassensis tractat, prodit Liuius lib. II cap. LXIII. *Cenonem*, inquit, *aliud oppidum, nequaquam tam opulentum, ab Antiatibus cepit.* Quod *Ceno* quondam dictum, nunc, etiam iudice Holstenio, est Nettuno.

Astura succedit, flumen & insula. Plinius lib. III cap. V *Dein quondam Aphrodisium, Antium colonia, Astura flumen & insula.* Et cap. VI insequenti, quo de insulis agit, *Vltra Tiberina ostia in Antiano* [mari] *Astura.* Insula autem parua prope ostium fluuii. Heic villa Ciceronis fuit. Plutarchus in Vita p. 884 de Marco & Quinto fratribus, nuntiata proscriptione; ἔγνωσαν εἰς Ἄστυρα μεταβῆναι, χωρίον παράλιον τοῦ Κικέρωνος, *decreuerunt Asturam transire, maritimam villam Ciceronis.* Huius ipse meminit lib. VI ep. XX *Ego me Asturae diutius arbitror commoraturum.* Et lib. XIII Attic. epist. XXVI *Ego, vt tempus est nostrum, locum habeo nullum, vbi facilius esse possum, quam Asturae.* Videtur villa intra insulam fuisse. Lib. XII enim epist. XIX scripsit Attico: *Est heic quidem locus amoenus, & in mari ipso, qui & Antio & Circeiis adspici possit.* Excreuit vel haec vel alia eius loci villa in oppidum, vicum saltem. Seruius enim in Aeneid. VII vers. 801 *Haud longe a Tarracina oppidum est Astura, & eiusdem cognominis fluuius.* Fluuii etiam Livius meminit lib. VIII cap. XIII. *Aricinos*, inquit, *Lauiniosque, & Veliternos, Antiatibus Volscis se coniungentes, ad Asturae flumen Maenius improuiso adortus fudit.* Strabonis lib. V p. 161 est ὁ Στόρας ποταμός, *Stora fluuius*, quod in mendis nolim habere, quia etiam Festus scripsit: *Stura flumen in agro Laurenti est, quod quidam Asturam vocant.* Vtrumque ergo nomen receptum fuit, *Astura* verum forte ac genuinum: *Stura* vulgare.

• *Clostra Romana* Plinius lib. II cap. V nominauit: & Tabula vetus *Clostris*, ab Astura IX millibus passuum. Intercedit apud Plinium *Nymphaeus* fluuius, nunc la Nimpa, cuius ostio putat Holstenius ab Romanis claustra fuisse ad-

posita contra vim Oceani; quæ illa Plinii *Clostra Romana* sint.

Circeii deinceps in ora occurrunt, antiquus Latinorum terminus. Scylax periplo: *Λατῖνοι μέχρι τοῦ Κιρκαίου*, subaudi ὄρους, *Latini pertinent ad Circæum vsque promontorium.* Hoc est quod Virgilius lib. VII verſ. 799 dixit *Circæum iugum:* Silius VIII verſ. 391 *iuga Circæa.* Oppidum Latinis *Circeii* pluraliter dictum. Cicero lib. XV Attic. ep. X *Statim mittam vel Antium vel Circeios.* Mela lib. II cap. IV *Circes domus aliquando, Circeii.* Inde nomen. Et Strabo *πολίχνιον Κίρκης*, *Circes oppidulum* vocat lib. V pag. 161. Et Tabula vetus *Circeios* XXII M. P. a Clostris habet positos. Colonia antiqua fuerunt, deducta ab rege Tarquinio Superbo, vt Liuius lib. I cap. LVI tradit. Cicero III Nat. D. cap. XIX *Circen coloni nostri Circeienses religiose colunt.* Et Liuius lib. VI cap. XVII *colonis Circeiensibus tristiora responsa reddita, quod ciues Romani patriæ oppugnandæ nefanda consilia iniissent.*

In hoc tractu est *Saturæ palus*, de qua Virgilius lib. VII verſ. 801

Qua Saturæ iacet atra palus.

Et Silius Italicus lib. VIII verſ. 381

Qua Saturæ nebulosa palus restagnat.

Cluuerio est ipsa *Pomptina* siue *Pomtina*, quæ etiam vt vna, quamquam sæpius pluraliter, describitur ab Iuuenale satyra III verſ. 307

Et Pomtina palus, & Gallinaria pinus.

Dixi, sæpius pluratiue nominari. Lucanus lib. III verſ. 85

Et qua Pomtinas via diuidit vda paludes.

Tacitus lib. XV cap. XLII de fossa, quam Neroni quidam ab Auerno lacu ad Tiberina ostia nauigabilem promiserant; *non aliud humidum gignendis aquis occurrit, quam Pomptinæ paludes.* Siccare plures tentauerunt, & ex parte siccasse certum est. Epitome Liuii XLVI *Pomptinæ paludes a Cornelio Cethego consule siccatæ, agerque ex iis factus.* Idem conatus est Iulius Cæsar testante Suetonio cap. XLIV, incertum quo successu. Et Antonius triumuir

per

per Lucium fratrem diuidendos plebi agros, in iisque χώραν ἐν τοῖς ἕλεσι Ποντίνοις, ὡς κεχωσμένοις ἤδη, pollicitus est, quod Dio Cassius refert lib. XLV pag. 274. Heic & alibi (lib. XLIV pag. 242) scribit τὰ Πόντινα ἕλη, per N; etiam Festus in Pontina tribu: *a Pontia vrbe dicta, a qua & palus quoque Pontina adpellata est iuxta Terracenam*: si Festi sunt, quæ nomine illius ibidem referuntur.

In proximo *Vfens* fluuius est, quem diphthongo Festus scripsit, *Oufentinam tribum* ab *Oufente* fluuio deriuans. Virgilius Aeneidos VII vers. 802

- - - gelidusque per imas
Quærit iter valles, atque in mare conditur Vfens.

Et Silius Italicus lib. VIII vers. 381 - - - *& atro*
Liuentes cœno per squalida turbidus arua
Cogit aquas Vfens, atque inficit æquora limo.

Claudianus etiam in Probini & Olybrii consul. vers. 257

- - - tardatusque suis erroribus Vfens.

Et Vibius Sequester: *Vfens Terracinæ proximus.* Recipit aut vicinum habet *Amasenum*, a Priuerno decurrentem. Virgilius lib. VII vers. 685

- - - - quos diues Anagnia pascit,
Quos Amasene pater.

vbi Seruius: *Amasenus est fluuius, qui Anagnienses agros inrigat.* Sed Anagninum flumen in Lirim effunditur. Præstat Vibium sequi, cui *Amasenus* est *Priuernatium*. Quod propter Pomptinas paludes, iisque siccandis depressas fossas, & ductus fluminum & ostia mutata fuerunt, difficulter de his quoque, Amaseno & Vfente, censetur. Holstenius Vfentem *il Portatore* interpretatur, natum sub Setia: Amasenum, *Baudinum* vel *Badinum* vulgo adpellatum: alii coniungunt, vt vno ostio effluant; alii separatum vtrumque in mare deducunt.

Et *Feroniæ lucus* in hac ora maris fuit, estque de quo Virgilius lib. VII vers. 799

- - queis Iuppiter Anxurus aruis
Præsidet, & viridi gaudens Feronia luco.

Fons in luco ſacer. Horatius lib. I ſatyra V verſ. 24

Ora manusque tua lauimus, Feronia, lympha:

etiam fanum ſiue templum. Scholiaſtes Horatii: *Fanum Feroniæ in tertio erat milliario a Tarracina.* Diſtantiam ipſe Horatius ibidem a fonte ſacro verſ. 25 adprobauit:

Millia tum pranſi tria repimus: atque ſubimus
Impoſitum ſaxis late candentibus Anxur.

Anxur autem eſt Volſcum nomen eius oppidi, quod Græci & Latini *Tarracinam* dicunt. Plinius lib. III cap. V *Dein flumen Vfens, ſupra quod Terracina oppidum, lingua Volſcorum Anxur dictum.* Sic ſcriptum eius optimis libris *Terracina:* alii plerique *Tarracina*, prima vocali. Strabo Ταῤῥακίνη, Stephanus Ταρρακῖνα: Cicero Attico VII ep. V *De Formiano Tarracinam prid. kal. Ian. inde Pomptinam ſummam: inde Albanum Pompeii.* Mela lib. II cap. IV *Liris, Minturnæ, Formiæ, Fundi, Tarracina.* Liuius lib. XXXVI cap. III colonias enumerat, quæ cum prætore de vacatione naualis rei certauerint, in quibus etiam ſunt *Antium, & Tarracina, & Minturnæ.* Alibi Plinius pluraliter effert. Etenim lib. IV cap. LIX *Anxur*, inquit, *fuit quæ nunc Tarracinæ ſunt.* Etiam Ptolemæus plurali numero Ταῤῥακῖναι. Vocabulo *Anxuris* in antiqua Volſcorum hiſtoria etiam Liuius vſus eſt, v. gr. lib. VII cap. XXXIX *quum haud procul Anxure eſſet:* aliis temporibus, quæ inſequuta ſunt, *Tarracinæ* nomen præualuit, vt ſupra oſtendimus. Poetis tamen *Anxur* placet, tamquam magis idoneum ad metrum, eoque diuerſo genere vtuntur: neutro, Horatius verbis antea ex lib. I ſat. V productis,

Impoſitum ſaxis late candentibus Anxur:

virili, Martialis lib. V epigrammate I

Siue ſalutiferis candidus Anxur aquis.

Et lib. X epigram. LI *ſuperbus Anxur,* quo ſitum ſignificat editiore vertice: vt Silius lib. VIII verſ. 391

- - - *ſcopuloſi verticis Anxur.*

Geminum inde gentile, *Tarracinenſis* & *Anxuras.* Cicero pro Ro-

Roscio Am. cap. XXIII *Tarracinensis homo :* Liuius lib. XXVII cap. XXXVIII *Ea die hi populi ad senatum venerunt, Ostiensis, Alsiensis, Antias, Anxuras, Minturnensis.*

Inter Anxur & Fundos *Lautulæ.* Liuius lib. VII cap. XXXIX *quum haud procul Anxure esset, ad Lautulas saltu angusto inter mare ac montes consedit.* Et lib. IX cap. XXIII *ad Lautulas ancipiti prœlio dimicatum est.* Oppidulum, an saltus fuerit, non liquet. Hæc Volscorum maritima, ex quibus in eorumdem mediterranea adscendemus.

Velitræ primum oppidum Volscorum trans montem Albanum: hodie Velletri. Liuius lib. II cap. XXX in Volsco bello: *castris exutum hostem Velitras persequuti, vno agmine victores cum victis in vrbem irrupere.* Tum colonia facta, quæ statim post aucta fuit. Eodem lib. II cap. XXXIV *Et Velitris auxere numerum colonorum Romani.* Et lib. VIII cap. III *præter Signiam Velitrasque, & ipsas colonias Romanas, Volsci exciti ad arma erant.* Suetonius Aug. principio : *Gentem Octauiam Velitris præcipuam olim fuisse, multa declarant.* Hinc gentile *Veliternus* formatur, non, vt in Suetonii quosdam libros inrepsit, *Velitrinus.* Liuius lib. VIII cap. XII *Veliternus populus.* adde cap. XIV. Et Plinius III cap. V *Veliterni :* etiam Suetonius Aug. cap. XCIV in MSS. *Veliterni.* Vetusta tabula triumphorum (Grut. p. 297) C. MAENIVS --- DE VELITERNEIS PRIDIE K. OCT.

Proxima Velitris est ab ortu *Cora*, nomen hodieque seruans. Virgilius lib. VI Aeneidos vers. 775

Pometios, Castrumque Inui, Bolamque Coramque.

Et Italicus Silius lib. VIII vers. 379

Quos Cora, quos spumans inimico Signia musto.

Et Liuius lib. II cap. XVI *Duæ coloniæ Latinæ, Pometia & Cora, ad Auruncos deficiunt.* Gentile *Corani.* Plinius lib. III cap. V *Corani a Dardano Troiano orti.* Liuius lib. IIX cap. XIX *vastans effuse Setinum Norbanumque & Coranum agrum.*

Vlterior in eodem tractu *Norba*, οὐκ ἀφανὴς πόλις, *non ignobilis vrbs*, vt Dionysius lib. VII p. 428 laudauit. nunc Norma. Liuius lib. II cap. XXXIV *Velitris auxere numerum colonorum Ro-*

mani, & Norbæ in montes nouam coloniam, quæ arx in Pomptino esset, miserunt. Idem lib. VII extremo: *Priuernates Norbam atque Setiam, finitimas colonias Romanas, incursione subita depopulati sunt.* Et principio libri IIX, *Setini Norbanique:* & cap. XIX *ager Norbanus.*

Etiam *Signia*, nunc Segni, in illo tractu est, in septemtriones a Norba recedens. Colonia Tarquinii Superbi. Liuius lib. I cap. LVI *Signiam Circeiosque colonos misit, præsidia vrbi futura terra marique.* Aucta & renouata sub consulibus. Idem lib. II cap. XXI *Signia colonia, quam rex Tarquinius deduxerat, suppleto numero colonorum, iterum deducta est.* Silius lib. IIX vers. 379

- - - - - *spumans inimico Signia musto.*

Vide quæ adnotauimus ex Plinii XIV cap. VI de Signino vino. Eadem Martialis lib. XIII epigr. CXVI

Potabis liquidum Signina morantia ventrem,

quia id vini aluum sistit. Coloni *Signini.* Liuius XXVII cap. X *Ne nunc quidem post tot sæcula sileantur fraudenturve laude sua, Signini fuere, & Nolani & Norbani.*

Prope Signiam *Sacriportus* fuit. Paterculus lib. II cap. XXVI *Marius* [Marii filius] *apud Sacriportum pulsus a Sulla acie, Præneste se exercitumque contulit.* Liuius epit. LXXXVII de eodem: *exercitu eius fuso deletoque ad Sacriportum.* Appianus vocabulum Græce vertens, Civil. I pag. 674 de eodem Mario, ὡς ἦλθεν ἐπὶ τὸν καλούμενον Ἱερὸν λιμένα, ἐξέτασσεν ἐς μάχην, *vbi ad Sacriportum peruenit, explicuit aciem.* Elegans Lucani tmesis lib. II vers. 134

Iam quot apud Sacri cecidere cadauera Portum?

Quod vero prœlium Velleius, Liuius, Appianus *apud Sacriportum* commissum narrant, idem Plutarchus Sullæ vita p. 469 factum tradit περὶ Σιγνίον, *circa Signiam.* Vnde vicinitas, supra indicata, intelligitur. Num vero oppidum, vicus, an aliud fuerit, non constat; nec alia eius exstat mentio.

Setia colonia in austrum inde magis est reducta: vulgo nunc Sezza. Liuius lib. VII extremo: *Priuernates Norbam atque Setiam, finitimas colonias Romanas, incursione subita depopulati sunt.* Et lib. XXVII cap. IX in triginta coloniis numeratur. Et lib.

lib. XXVI cap. IIX *consul per Appiæ municipia, quæque propter eam viam sunt, Setiam, Soram, Lauinium præmisit*. Sita in montium iugo. Inde *pendula* Martiali cognominata lib. IV epigram. LXIV. Idem lib. X epigr. LXXIV

Nec quæ paludes delicata Pomptinas
Ex arce cliui spectat vua Setini.

nam largus vini optimi prouentus in Setino agro. Silius lib. IIX verſ. 377

- - *ipsius mensis seposta Lyæi Setia.*

Coloni *Setini*, & ipſa Setia *Setina colonia*. Vetus inſcriptio apud Sponium p. 179 PATRONO FABRVM COLONIAE SETINAE.

Priuernum hinc in ortum recedit, nunc Piperno Vecchio, paullulum declinans a nouo in ſeptemtrionem. Liuius lib. IIX ineunte: *Consul ad Priuernum profectus, extemplo acie conflixit.* Et lib. XXVII cap. XI *Priuerni satis constabat, bouem loquutum.* Virgilius lib. XI verſ. 540

Priuerno, antiqua Metabus quum excederet vrbe.

Incolæ *Priuernates*. Liuius lib. IIX ineunte: *nuntii defectionis Priuernatium venerunt.* Et cap. XXI *ex auctoritate patrum latum ad populum est, vt Priuernatibus ciuitas daretur.* Sic cap. XIX eiusdem libri, *Priuernas bellum:* & Plinius lib. XIV cap. VI *Priuernatia vina.*

Antequam ad vlteriora, quæ circa Lirim ſunt, progrediamur, in *Campum Pomptinum*, qui in auſtrum verſus ſubiacet, degreſſi a Setia & Priuerno, quo in eo, aut circa ſunt, peragramus. *Pomptinus* ille *Campus* vocatur, Straboni lib. V pag. 161 τὸ Πωμέντιον πεδίον, quod Græci plures *Pometiam* dicunt Πωμεντίαν, inſerto N, *Pomentiam*. Ab illa enim & paludis & agri videtur cognomen eſſe, quaſi *Pometia* contracte dicta fuerit *Pomtia*; & *Pometinus*, *Pomtinus*; quibusdam etiam, vt permutabiles ſunt litteræ, *Pontia* & *Pontinus*. P autem inter M & T, vt ſæpe alias, euphoniæ cauſſa impoſitum.

In extremitate, Romam verſus, ſita illa *Sueſſa Pometia*, quam Strabo p. 159 μητρόπολιν τῶν Οὐολσκων, *metropolim Volſcorum;* Dio-

Dionyſius lib. VI p. 364 ἡγεμόνα τοῦ ἔθνους, *gentis eius primariam vrbem* vocat. Liuius lib. I cap. LIII de Tarquinio Superbo: *Is primus Volſcis bellum in ducentos amplius poſt ſuam ætatem annos mouit: Sueſſamque Pometiam ex his vi cepit.* Et lib. II cap. XXV *Ad Sueſſam Pometiam quo confugerant hoſtes, legionibus ductis, intra paucos dies oppidum capitur.* Receperant enim interea Volſci. Cognomen additur diſcriminis cauſſa, quia & alia *Sueſſa* eſt, ſed *Auruncorum*, de qua poſt paullo dicturi ſumus. Alibi vel tantum *Sueſſa*, vt præcipua huius nominis; vel ſolo nomine *Pometia* vocatur. Strabo lib. V p. 159 ὁ υἱὸς αὐτοῦ τὴν Σύεσσαν εἷλε, *filius eius* [Tarquinii Priſci; is eſt Superbus] *Sueſſam cepit.* Et Liuius lib. II cap. XVI *duæ coloniæ Latinæ, Pometia & Cora, ad Auruncos deficiunt:* & paucis interiectis: *Pometiæ arma inlata.* Virgilius id vocabulum pluratiuo numero expreſſit lib. VI verſ. 775

Pometios, Caſtrumque Inui, Bolamque Coramque.

A Pometia eſt deriuatum *Pometinus.* Liuius lib. I cap. LV *Pometinæ manubiæ.* Et contracte lib. IV cap. XXV *in Pomtinum agrum frumenti cauſſa miſere.* Inter Sueſſam & Lanuuium, in Latinorum confinio, *Mons* eſt *Marcius*, in Volſcorum bello memoratus. Liuius lib. VI cap. II de Camillo: *nec procul ab Lanuuio (ad Marcium is locus dicitur) caſtra oppugnare eſt adortus.* Sic legendum: non, *Metium.* Diodorus Siculus lib. XIV cap. vlt. in eodem bello: ἐν τῷ καλουμένῳ Μαρκίῳ κατεστρατοπέδευσαν, ἀπέχοντες ἀπὸ Ῥώμης σταδίους διακοσίους, *in ita dicto Marcio caſtra metati* [Romani] *ſunt*, CC *ſtadiis ab Roma.* Et Plutarchus in Camillo p. 126 περιελθὼν μακρὰν περίοδον περὶ τὸ Μάρκιον ὄρος, *exercitu Marcium montem circumducto.*

In hoc Volſcorum tractu fuit etiam oppidum, Liuio dictum *Corioli:* Dionyſio lib. VI p. 412 Κοριόλα: Stephano Κορίολλα. Plutarchus in Coriolano: Ἐν τῷ Οὐολούσκων ἔθνει ἡ τῶν Κοριολάνων πόλις ἀξίωμα μέγιστον εἶχε, *in Volſcis Corioli vrbs maximæ dignationis.* Et Dionyſius dicto loco: προῆγεν ἐπὶ Κοριόλαν, πόλιν ἐπιφανῆ σφόδρα, καὶ ὥσπερ ἂν μητρόπολιν τῶν Οὐολούσκων, *duxit aduerſus Coriolam, vrbem clariſſimam & quaſi metropolim Volſcorum.* Liuius lib. II cap. XXXIII *Fuſi Volſci Antiates: Corioli oppidum captum.* Inde cognomen C. Marcio *Coriolano*, vt præter laudatos ſcriptores Valerius, Florus, Eutropius, Victor adnotarunt. Situs ambiguus,

guus, & Plinius III cap. V *Coriolanos* in iis populis recenset, quorum oppida interierint sine relicto vestigio. Liuius autem quodammodo sedem indicauit lib. III cap. LXXI, Scaptii verbis pronuntians, *finium Coriolanorum fuisse agrum*, de quo Aricini atque Ardeates, quum bello sæpe certassent, multis inuicem cladibus fessi, iudicem populum Romanum ceperint. Hinc utrique populo ad ortum *Coriolos* pônit Cluuerius ad Antium versus, sub Lanuuio, quia obsessæ vrbi auxilio Antiates soli, vt propinquiores, vênerint.

Et circa Coriolos fuere *Longula*, *Polusca*, *Satricum*. De *Polusca* & *Longula* Liuius lib. II cap. XXXIII *alter consul Antiates Volscos fundit fugatque: compulsos in oppidum Longulam persequutus mœnibus potitur. inde Poluscam, item Volscorum, cepit: tum magna vi adortus est Coriolos.* Et cap. XXXIX de Coriolano exsule, & hoste: *Satricum, Longulam, Poluscam, Coriolos, nouella hæc Romanis oppida, ademit.* Halicarnassensis Dionysius lib. VI pag. 412 Πολύσκη (sic legendum pro truncato Πολὺς, ex lib. VIII) κατὰ διάστημα ὀ πολὺ τῆς Λογγόλας ἀπέχει, *Polusca haud longe a Longula distat.* Oppidani Plinio *Pollustini* sunt lib. III cap. V, ex alia forma *Pollustia* adpellati. At Dionysius lib. VIII pag. 509 εἰς τὴν Πολυσκανῶν χώραν, *in Poluscanorum regionem.* De oppido *Satrico* iam diximus aliquid ex Liuii II cap. XXXIX. Eius reliquia sata ita se habent: Liuius lib. VI cap. XXXIII *Ira & rabies Latinorum eo erupit, vt Satricum vrbem, quæ receptaculum primum eis aduersæ pugnæ fuerat, igni concremarent: nec aliud tectum eius superfuit vrbis, quam matris Matutæ templum.* Restitutum ab Antiatibus. Idem lib. VII cap. XXVII *Satricum ab Antiatibus colonia deducta, restitutaque vrbs, quam Latini diruerant.* Tertio post anno [Vrbis CCCCVII] dirutum atque incensum Satricum ab Romanis, vt Liuius dicto loco addidit. Postea ciues Romani in id oppidum missi, qui quum præsidium Samnitium accepissent, oppressi ab Romanis, & auctores defectionis securi percussi sunt, referente Liuio lib. IX cap. XVI. Incolæ *Satricani* ibidem dicti.

Supra hæc in septemtrionem reducendum oppidum *Verrugo* Volscorum: an vero eo vsque, quo Cluuerius constituit, inter Velitras & Sacriportum, pro certo non habemus dicere.

Id autem rationis subest : consul Sempronius quum parum prospere aduersus Volscos dimicasset, Lauicana via exercitum adfectum reduxisse a Liuio narratur lib. IV cap. XLI. Id vero prœlium Valerius Maximus dicit *apud Verruginem* commissum, lib. III cap. II exemplo 8. Addit vero Liuius cap. XXXIX extremo, consulem non proximis ad vrbem itineribus fugisse, sed ignaros fuisse equites, quam consul regionem petisset, qui in viam tandem Lauicanam euasit: vt ita nec ex prœlio illo & consulis fuga certus locus *Verruginis* possit definiri. Aequis propinquiorem fuisse, ex Liuii cap. LV videtur probari, quia ab arce *Caruentana*, quam Aequi inuaserant, exercitus Verruginem ductus fuit. Adde eiusdem libri IV cap. I & LVIII.

Sed prius quæ in austro restant, quam ad vlteriora progrediamur, expedienda sunt. Circa Velitras & Suessam Pometiam fuerunt *Vlubræ*, in Pomptino agro, iuxta paludes. Cicero lib. VII epist. XVIII ad Trebatium : *Has litteras scripsi in Pomptino, quum ad villam Metrilii Philemonis deuertissem: ex qua iam audieram fremitum clientium meorum, quos quidem tu mihi conciliasti. Nam Vlubris honoris mei caussa vim maximam ranunculorum se commosse constabat.* Trebatius autem, ad Cæsarem in Gallias profectus, clientes suos, in quibus Vlubrani erant, (epist. XII) Ciceroni commendauerat. Fuit tenue oppidum, aut instar vici. Horatius lib. I epist. XI extr.

- - - - *nauibus atque*
Quadrigis petimus bene viuere. quod petis, heic est,
Est Vlubris: animus si te non deficit æquus.

Hinc est quod *vacuas* Iuuenalis dixit satyr. X verf. 102, id est, male habitatas, non omnino desertas. Superfuit enim, qui *vasa minora* solitus sit

Frangere pannosus vacuis ædilis Vlubris.

Incolæ Ciceroni *Vlubrani* lib. VII ep. XII, Plinio lib. III cap. V *Vlubrenses.*

Propinquæ fuerunt *Tres Tabernæ* in via Appia : & vlterius paullo *Forum Appii.* Cicero lib. II Attic. ep. X *Ab Appii Foro, hora quarta. dederam aliam paullo ante Tribus Tabernis.* Vterque locus etiam apostolico itinere Act. XXVIII, 15 notatus, obuiam Roma Christianos Paulo exiisse ἄχρις Ἀππίου φόρου καὶ Τριῶν Ταβερνῶν.

νῶν. *Appii Forum*, quod circa Nymphæum amnem fuit, Hierosolymitano itinerario ſignatum eſt : *Tres Tabernæ*, Tabula Auguſtana : vtrumque itinere Antonini ab Vrbe via Appia ad Columnam, licet numeri non ſatis ſalui videantur eſſe.

Ecetra dubius locus eſt. Dionyſius ſcribit Ἐχέτρα, lib. VIII poſt principium, quæ ἐν καλλίςῃ συνόδῳ, *idoneo comitiis* Volſcorum *loco* ſit poſita. Et lib. X p. 647 Ἐχετρανῶν πόλις τῶ Οὐολούσκων ἔθνους ἐπιφανεςάτη τε καὶ κρατίςῳ τόπῳ μάλιςα κειμένη. *Echetra, clariſſima Volſcorum vrbs, & loco ſita commodiſſimo.* Liuius, qui demit adſpirationem, ad Aequorum vicinitatem refert lib. III cap. IV. *Aequi*, inquit, *ab Ecetranis Volſcis præſidium petiere : quo cupide oblato, bellum ſumma vi parabatur. Sentiunt Hernici, & prædicunt Romanis, Ecetranum ad Aequos deſciſſe.* Et cap. X eiuſdem libri: *Hernici nuntiant, Volſcos & Aequos, etſi acciſæ res ſint, reficere exercitus: Antii ſummam rei poſitam : Ecetræ Antiates colonos palam concilia facere. id caput, eas vires belli eſſe.* E quibus colligitur, ita Volſcorum Ecetram fuiſſe, vt non longe ab Aequis & Hernicis abeſſet. Forte in eodem tractu *Artena* fuit, de qua Liuius lib. IV extremo : *Artena inde, Volſcorum oppidum, ab tribunis obſideri cœpta. inde inter eruptionem tentatam, compulſo in vrbem hoſte, occaſio data eſt Romanis inrumpendi, præterque arcem, cetera capta.* Et poſt paullo : *Diruta & arce & vrbe Artena, reducta legiones ex Volſcis.* Sed poſitio incertiſſima, immo ignota huius oppidi eſt. Minus dubium oppidum *Sulmo* eſt Volſcorum. Quemadmodum enim nobilis Pelignorum Sulmo, non tantum *Sulmona* vulgo, verum etiam a quibuſdam, praue quamuis, *Sermona* vocatur; ita nomen *Sermoneta*, muniti in monte oppidi, poſt Norbam ad ortum ſiti, tamquam ὑποκοριςικὸν, ad paruum Sulmonem Volſcorum nos adducit : cuius Plinius meminit cum Norba, lib. III cap. V, & Virgilius in viri nomine ad id adl[illegible] lib. IX verſ. 412.

Inde vſque ad Lirim amnem erant Volſcorum oppida, & quædam trans illum. Cis Lirim, ad *Coſam* fluuium (Straboni lib. V pag. 164 ὁ Κόσας) qui a Verulis decurrit, eſt *Fruſino*, nunc Fruſſilone, Feſto *præfectura*; Frontino de coloniis, *oppidum muro ductum.* Silius lib. VIII verſ. 399

Sueſſa, atque duro Fruſino haud imbellis aratro.

Et Iuuenalis Satyra III verſ. 223

Si potes auelli Circenſibus, optima Soræ,
Aut Fabrateriæ domus, aut Fruſinone paratur.

Ducitur inde nomen *Fruſinas* tam incolis ſignificandis, quam rebus, quæ illorum ſunt. Liuius lib. X ineunte: *Fruſinates tertia parte agri damnati.* Et Cicero ad Attic. XI epiſt. XIII *De fundo Fruſinati redimendo iam pridem intellexiſti voluntatem meam.*

Magis hinc in ortum recedit *Fabrateria*, ad amnem *Trerum*, qui Coſam acceperat, poſita. Strabo dicto loco: Φαβρατερία, παρ' ἣν ὁ Τρῆρος ῥεῖ, *Fabrateria, quam Trerus fluuius præterfluit.* Silius lib. VIII verſ. 397

Heic Fabrateriæ vulgus: nec monte niuoſo
Deſcendens Atina aberat.

Cicero lib. IX epiſt. XXIV *Aquini & Fabrateriæ conſilia ſunt inita de me.* Coloniam fuiſſe ex Velleii lib. I cap. XV patet. *Caſſio*, inquit, *Longino & Sex. Caluino* COSS. *Fabrateria deducta eſt.* Gentile *Fabriterni.* Priſcianus lib. II ſub finem: *Fabrateria, Fabraternus.* Liuius lib. VIII cap. XIX *legati ex Volſcis Fabraterni & Lucani Romam venerunt.* Plinius diſtinguit inter *Fabraternos veteres* & *Fabraternos nouos*, quod forſan noua colonia veteri fuit ſuperaddita. In lapide apud Gruterum pag. 1095 n. 6 FABRATERNI NOVANI.

Ad Lirim, ſupra confluentes Treri, *Fregellæ* fuerunt. Strabo lib. V pag. 164 ἔτι δὲ Φρεγέλλαι, παρ' ἣν ὁ Λεῖρις ῥεῖ, ὁ εἰς τὰς Μιντέρνας ἐκδιδούς· νῦν μὲν κώμη, πόλις δὲ γεγονυῖα ἀξιόλογος, *Adhuc Fregellæ, quam* [vrbem] *Liris præterfluit, ad Minturnas ſe effundens; nunc quidem vicus, quondam vero vrbs memorabilis.* Liuius lib. VIII cap. XXII *Fregellas (Sidicinorum is ager, deinde Volſcorum fuerat) colonia deducta.* Silius lib. V verſ. 543

- - - *hunc triſtes luxere Fregellæ.*

Fatum vrbis auctor libri IV ad Herennium cap. XV hac exclamatione manifeſtat: *O perfidioſæ Fregellæ! quam facile ſcelere veſtro contabuiſtis! vt, cuius nitor vrbis Italiam nuper illuſtrauit, eius nunc vix fundamentorum reliquiæ maneant.* Deriuatur inde *Fregellanus.*

Ci-

Cicero lib. XIII epist. LXXVI *Fregellanus ager:* & Columella lib. III cap. II *Vitis Fregellana.* Et de colonis Liuius IX cap. XII *pugnam Fregellani sustinuerunt.*

Supra Fregellas ad Lirim *Sora* est, quæ retinet nomen, etiam oppidum Volscorum quondam. Strabo de situ lib. V p. 164 Σώρα, παρ' ἣν ὁ Λεῖρις παρεξιὼν εἰς Φρεγέλλας ῥεῖ καὶ Μιντούρνας, *Sora, quam Liris præteriens, ad Fregellas & Minturnas defluit.* Ptolemæo etiam Σώρα in Latinis oppidis est, id est in Latio. Liuius lib. IX cap. XXIII *Ad Soram e Samnio Apuliaque traductæ legiones.* Et cap. XXIV *Ad Soram inde reditum.* Iuuenalis testimonium supra in *Frusinone* vidimus. Silius lib. VIII vers. 394

Sulla Ferentinos Priuernatumque maniplos
Ducebat simul excitos: Soræque iuuentus
Addita fulgebat telis.

Coloniam accepit. Liuius lib. X incunte: *Soram atque Albam coloniæ deductæ.* Adde Velleium lib. I cap. XIV. Sed hæc iterata fuit deductio. nam ante quoque colonia fuerat. Liuius lib. IX cap. XXIII *Sora ad Samnites defecerat, interfectis colonis Romanorum.* Hinc *Soranus*, gentile nomen. Liuius ibidem cap. XXIV *Soranus transfuga:* & lib. X cap. XXXIII *retro in pacatum Soranum agrum pabulatores ibant.*

Inter Soram & Fregellas Liris amnis Fibrenum flumen, sinistræ adfusum ripæ, accipit: prope quos confluentes ab ortu situm est *Arpinum*, nunc deminutum, seruato tamen nomine: patria Ciceronis & C. Marii. Ille de se lib. XIII ep. XI *Non dubito, quin scias non solum, cuius municipii sim, sed etiam quam diligenter soleam meos municipes Arpinates tueri:* de hoc Sallustius Iugurth. cap. LXIII *Is* [Marius] *natus, & omnem pueritiam Arpini altus.* Ante Punica bella ius ciuitatis accepit: finito secundo, suffragii lationem. Liuius lib. X ineunte: *Eodem anno* [quo Sora colonia deducta] *Arpinatibus Trebulanisque ciuitas data.* Et lib. XXXVIII cap. XXXVI *De Formianis Fundanisque municipibus, & Arpinatibus C. Valerius Tappus tr. pl. promulgauit, vti iis suffragii latio (nam ante sine suffragio habuerant ciuitatem) esset. - - - Rogatio perlata est, vt in Cornelia tribu Arpinates ferrent.* Et possessiuum *Arpinas.* Cicero XIV ep. VII ad Terentiam: *fundo Arpinati*

nati bene poteris vti: & Attico I ep. XVI *Arpinates aquæ.* Poetæ etiam *Arpinus* dicunt. Martialis lib. X epigr. XIX de Plinii studiis, elaborare dicit

> *Hoc quod quod sæcula posterique possint*
> *Arpinis quoque comparare chartis,*

id est Ciceronianis. Sed ad flumina reuertendum.

De confluentibus Liris & Fibreni ita Silius lib. VIII vers. 400

> *At qui Fibreno miscentem flumina Lirim,*
> *Sulfureum tacitisque vadis ad litora lapsum,*
> *Accolit Arpinas.*

Fibrenus ante confluentem, insulam facit, in qua Ciceronis villa erat, quam ipse dialogo II de Legibus cap. I descripsit ita: *Visne,* inquit Atticus, *in insula, quæ est in Fibreno, sermoni reliquo demus operam sedentes?* respondet Marcus: *Sane quidem. nam illo loco libentissime soleo vti, - - - - quia hæc est mea, & huius fratris mei germana patria. hinc enim orti stirpe antiquissima: hic sacra, hic gens, hic maiorum multa vestigia. Quid plura? hanc vides villam, vt nunc quidem est, lautius ædificatam patris nostri studio: qui quum esset infirma valetudine, hic fere ætatem egit in litteris.* Fuisse plures Ciceroni villas circa Arpinum, ex lib. VIII ad Atticum ep. IX adparet. *Ego,* inquit, *Arpini volo esse pridie kalendas: deinde circum villulas nostras errare, quas visurum me postea desperaui.*

Infra Fregellas, vbi Liris flumen *Melpim*, vt Strabo vocat, nunc Melfa, recipit, *Interamna*, discriminis ergo *Lirinas* cognominata, sita fuit. Cicero Phil. II cap. XLI *Casino salutatum veniebant, Aquino, Interamna.* Et Liuius lib. XXVI cap. IX *Sub Casinum biduo statiua habita. Inde, præter Interamnam Aquinumque, in Fregellanum agrum ad Lirim fluuium ventum.* Ad Lirim autem hanc Interamnam fuisse, etiam cognomen probat, quod Plinius adiungit sæpe dicto cap. V *Interamnates Succasini, qui & Lirinates vocantur*, hoc est, sub Casino ad Lirim siti. Vetus inscriptio [Grut. pag. 431 num. 7] CVR. R. P. INTERAMNAT. LIRIN. Hos solo cognomine videtur Silius notasse, quem ita lego a versu 400 lib. VIII

Fibre-

Fibreno miſcentem flumina Lirim
Accolit Arpinas, accita pube Venafro,
Ac Lirinatum dextris ſocia hiſpidus arma
Commouet, atque viris ingens exhaurit Aquinum.

Lego *Lirinatum*, id eſt Interamnatium, quos *Lirinates* cognominabant. Hi enim inter Aquinum & Arpinum ſunt, non *Larinates*, qui vulgo leguntur, quales in Frentanis nouimus: nullos in finibus Latii, quos hoc loco Silius recenſet.

Aquinum proximum, *ingens* Silio iam dicto verſu: *πόλις μεγάλη* Straboni, loco ſupra indicato. Municipium fuit. Cicero Philipp. II cap. XLI *Quum inde Romam proficiſcens ad Aquinum accederet; obuiam ei proceſſit (vt eſt frequens municipium) magna ſane multitudo.* Paullinus Nolanus Natal. III Felic. verſ. 73

- - - *quos fertile paſcit Aquinum.*

Municipes *Aquinates*. Cicero dicto loco: *Stulte Aquinates: ſed tamen in via habitabant.* Et Silius lib. XII verſ. 528

- - - - *mox & vicinus Aquinas.*

Ab Arpino in ortum prope recentem Melpim fluuium ſita eſt *Atina*, quæ nomen hodieque ſeruat. Adrigitur media protracto accentu. Virgilius lib. VII verſ. 630

Tela nouant Atina potens, Tiburque ſuperbum.

Liuius IX cap. XXVIII *Qui captæ decus Nolæ ad* COS. *trahunt, adiiciunt Atinam & Calatiam ab eodem captas.* Prius præfectura fuit, quam colonia fieret ſub Cæſaribus. Cicero pro Plancio cap. IIX *Hic eſt e præfectura Atinati, non tam priſca, non tam honorata, non tam ſuburbana.* At Frontinus principio libelli de Coloniis: *Atina muro ducta colonia. Deduxit Nero Claudius Cæſar.* Gentile *Atinates*. Cicero dicto loco: *Vtrum magis fauere putas Atinates, quam Tuſculanos, ſuis?*

Extremum in Volſcis & ſeptemtrionali Latio trans Lirim oppidum *Caſinum* fuit, cui hodieque *Caſino* nomen eſt. Paullo ante, in *Interamna* huius regionis, ex Ciceronis Philipp. II produximus, *Caſino ſalutatum veniſſe*: & ex Liuii XXVI cap. IX *ſub Caſinum ſtatiua habita.* Municipium fuit. Sic enim in lapide vetuſto eſt apud

apud Gruter. p. 351 n. 1 II VIR QVINC. IN MVNICIPIO SVO CASINI. Municipes alia inſcriptione pag. 431 dicuntur CASINATES. Et Liuius lib. XXII cap. XIII. *Vt ſe in agrum Caſinatem ducat.* Atque ita vbique in antiquis monimentis s ſimplici *Caſinum, Caſinates*, quod perperam in vulgatis libris duplicatum eſt. Adde Cluuer. Inſcr. p. 126, & 462 n. 4.

Tandem AVRVNCI quoque ac AVSONES, vltimus in Latio adiecto populus iuxta inferum mare, adeundi ſunt. *Auſones*, laxe accepto vocabulo, omnem inferiorem Italiam tenebant a Circæo promontorio ad fretum vsque Siciliæ. Plinius lib. III cap. X de magna Græcia: *Auſones tenuere primi.* His Oenotrii, ex Græcia aduecti, ſucceſſerunt in partibus, vbi reliquias Oenotrides inſulæ, Lucanis obuerſæ, teſtantur. Idem cap. VII dicti libri: *Contra Veliam Pontia & Iſcia, vtræque vno nomine Oenotrides, argumentum poſſeſſæ ab Oenotris Italiæ.* Redacti ſic Auſones in anguſtias inter Circæos & Maſſicos montes, nec vero ſoli poſſederunt, ſed permixti alii. Idem cap. V *Vltra Circeios Volſci, Oſci, Auſones.* Oſci vero etiam in Campania. Hi in ora, Auſones: mediterraneos inter Beneuentum & Cales Feſtus locat. Etiam Liuius lib. VIII cap. XVI *Auſonum gens Cales vrbem incolebat.* Iidem *Aurunci*, ſaltem intermixti ita, vt diſcerni facile non poſſint. Tzetzes Chiliad. V verſ. 580

Τὲς δὲ Αὐρέγκες μόνες μοι Αὔσονας λέγειν νόει,
Μέσες Οὐόλσκων, Καμπανῶν πρὸς θάλασσαν κειμένες.

id eſt, *Auruncos ſolos mihi Auſones dicere cogita, medios inter Volſcos & Campanos, ad mare ſitos.* Seruius ad Maronis verba: *Aurunci miſere patres*, lib. VII verſ. 727, *Iſti*, inquit, *Græce Auſones nominantur:* quaſi eadem gens aliter ab Italis antiquis, aliter a Græcis fuerit adpellata. Plinius autem lib. III cap. V *Auſones* & *Auruncos* ſeparauit. Liuius Auſonum bello lib. IX cap. XXV *Auſonum gens proditione vrbium in poteſtatem venit. Auſona, & Minturnæ, & Veſcia vrbes erant.* De *Auſona* vrbe aut reliquiis eius, quia ſilent ceteri, nihil prodi poteſt: de *Veſcia* & *Minturnis* dicemus iam in vrbibus.

Oppida ergo & alia loca Auſonum iuxta mare, Villa *Spelunca*, in qua Tiberius pæne oppreſſus fuerat, quod Tacitus narrat

rat annali IV cap. LIX. Sita inter Amyclanum mare & montes Fundanos. *Vescebantur*, inquit Tacitus, *in villa, cui vocabulum Speluncæ, mare Amuclanum inter, Fundanosque montes, natiuo in specu. eius os, lapsis repente saxis, obruit quosdam ministros: hinc metus in omnes.* Et Plinius lib. III cap. V post Tarracinam: *dein locus Speluncæ, lacus Fundanus, Caieta portus.*

Ad mare sub loco Speluncæ, aut paullo propius Tarracinam, fuit olim oppidum *Amyclæ*, vt Plinius cap. V addit, *a serpentibus deletæ.* Iulius Solinus sit loco interpretis, qui cap. II de Italia hæc ita repetiit: *Amunclas, quas Amyclas ante Græci condiderant, fugauere serpentes. Illic frequens vipera insanabili morsu.* Colonia ergo Amyclarum Laconiæ fuerunt, in quarum nomine leuiter Latini hoc mutarunt, vt *Amunclas* (sic Salmasius e MSS.) vel *Amuclas*, vt Tacitus dicto loco scripsit, adpellitarent. Seruius ad verba Maronis Aeneid. X vers. 564

- - - - - - - *ditissimus agri*
Qui fuit Ausonidûm, & tacitis regnauit Amyclis;

commentatus est, a Laconibus conditas, qui quum Pythagoræ disciplinam sequuti, a qua *taciti* dicti sint, abstinerent a necandis animalibus, multitudine serpentum, a vicinis paludibus natarum, fuisse deletas. Aliam expositionem addit, quum falso rumore, hostes adesse, ciuitas sæpius concuteretur, lata lege cautum fuisse, ne quis vmquam hostis nuntiaret aduentum. Sic verum aduentum hostium nemine nuntiante, ex improuiso ciuitatem captam oppressamque esse. Id quod Silius respexit lib. VIII vers. 529

- - - *quasque euertere silentia, Amyclæ:*

& Lucilius apud Seruium, *Mihi necesse est loqui: nam scio Amyclas tacendo periisse.* Deriuatum nomen Latinis *Amyclanus* siue *Amuclanus* est, vti supra ex Taciti verbis perspeximus: Græcis *Amyclæus*, vt Virgilius lib. III Georg. vers. 89 ab Amyclis Laconicis formauit

- - - *Amyclæi domitus Pollucis habenis.*

Caieta sequitur, nunc Gaeta, portus & oppidum. Tradunt ab Aeneæ nutrice nomen trahere, ibidem sepulta. Virgilius principio libri VII Aeneidos:

Tu quoque litoribus nostris Aeneia nutrix
Aeternam moriens famam Caieta dedisti.

Cicero pro Lege Manil. cap. XII vocat *portum Caietæ celeberrimum atque plenissimum nauium.* Silius lib. VIII. vers. 530 *regnata Lamo Caieta.* Lamus autem rex Læstrygonum fuit, qui in hoc tractu circa Formias sedem dicuntur habuisse.

Caietano litori propinquæ ab ortu sunt *Formiæ*, vt vnum sinum etiam & hæ & Caieta denominent. Λακωνικὸν κτίσμα Strabo dicit lib. V pag. 161, hoc est a Lacedæmoniis conditas: a quibus Ὁρμίαι διὰ τὸ εὔορμον, *Hormiæ a portus opportunitate* sint nominatæ. Plinius quoque lib. III cap. V *Oppidum Formiæ, Hormiæ prius olim dictum: vt existimauerunt, antiqua Læstrygonum sedes.* Cicero VII Attic. epist. VIII *vna Formias venimus.* Tacitus XV cap. XLVI *gubernatores, quamuis sæuiente pelago, a Formiis mouere.* Antiquum municipium. Velleius lib. I cap. XIV *Fundani & Formiani in ciuitatem recepti eo ipso anno, quo Alexandria condita est.* Longe post II Punicum bellum, vt Liuius lib. XXXVIII cap. XXXVI notauit, *de Formianis Fundanisque tr. pl. promulgauit, vti iis suffragii latio (nam ante sine suffragio habuerant ciuitatem) esset.* Horatius lib. I oda XX vinum Formianum laudat:

- - - *mea nec Falernæ*
Temperant vites, neque Formiani
Pocula colles.

Nec incelebre Ciceronis *Formianum* prædium, cuius sæpe mentionem habet, vt lib. XI epist. XXVII, lib XVI ep. X. Hodie Formiæ in ruinis iacent prope locum, qui nunc Mola dicitur.

Ad Lirim *Minturnæ* erant paullo supra ostium, ad vtramque ripam, IX millibus passuum vltra Formias, vt Antonini est Itinerario: siue, vt Strabo metitur, σαδίοις π', *stadiis* LXXX, qui vtramque ripam inædificatam docet. διαῤῥεῖ, inquit, Λεῖρις ποταμὸς, *perfluit* [Minturnas] *Liris fluuius*, lib. V pag. 161. Plinius eadem lib. III cap. V *colonia Minturnæ, Liri amne diuisa.* Vetus autem colonia. Liuius lib. IX cap. XXV *Ausonum gens proditione vrbium in potestatem venit. Ausona, & Minturnæ, & Vescia vrbes erant.* Idem lib. X cap. XXI *Placuit, vt duæ coloniæ circa Vescinum & Falernum agrum deducerentur, vna ad ostium Liris fluuii, quæ Minturnæ*

ad-

adpellata: altera in saltu Vescino, Falernum contingente agrum. Et Velleius lib. I cap. XIV *Quo anno Pyrrhus regnare cœpit, Sinuessam Minturnasque missi coloni:* qui inde *Minturnenses* dicti. Idem lib. II cap. XIX *Marius in carcerem Minturnensium perductus est.*

De amne *Liri*, qui nunc Garigliano est, id notamus, prius *Glanim* adpellatum fuisse Italis. Strabo dicto loco: Λεῖρις ποταμὸς, Κλάνις ἐκαλεῖτο πρότερον, *Liris amnis prius Clanis vocabatur.* Et Plinius: *colonia Minturnæ, Liri amne diuisa, Glani adpellato.* Ex Apennino effusus pluribus augetur fluminibus. Silius lib. IV vers. 350 de placido fluxu illius:

> *Et Liris nutritus aquis, qui fonte quieto*
> *Dissimulat cursum, ac nullo mutabilis imbri*
> *Perstringit tacitas gemmanti gurgite ripas.*

Ac Horatius lib. I Carm. oda XXXI

> *Non rura, quæ Liris quieta*
> *Mordet aqua, taciturnus amnis.*

Adiacent *paludes Minturnenses*, C. Marii latibulum; & *lucus Maricæ.* De paludibus Cicero in Pison. cap. XIX *Marium Italia, seruata ab illo, demersum in Minturnensium paludibus: Africa, deuicta ab eodem, expulsum & naufragum vidit.* Et Paterculus lib. II cap. XIX *Marius extractus arundineto, circa paludem Maricæ, in quam se, fugiens consectantes Sullæ equites, abdiderat.* Maricæ paludem vocat, quia ibi lucus huius nymphæ. Liuius lib. XXVII cap. XXXVII *Prodigia nuntiata: Minturnis ædem Iouis, & lucum Maricæ de cælo tacta.* Plutarchus Mario p. 428 τὸ τῆς λεγομένης Μαρίκης ἄλσος, ὃ σέβονται, *Maricæ, quæ sic dicitur, lucus, quem sacrum habent.* Lucanus lib. II vers. 424

> \- - - *vmbrosæ Liris per regna Maricæ.*

Et Claudianus de consulatu Prob. & Olybr. vers. 259

> \- - - *flauæque terens querceta Maricæ Liris.*

Seruius ad illud Aeneidos lib. VII vers. 47 de Latino:

> *Hunc Fauno & nympha genitum Laurente Marica;*

Est, inquit, *Marica dea litoris Minturnensium iuxta Lirim fluuium.* - - - *Quod si voluerimus accipere vxorem Fauni Maricam, non procedit. Dii enim topici, id est locales, ad alias regiones numquam*

transeunt. Alia ergo fuit Laurens Marica, alia Marica Lirinas, quæ huius loci.

Vescia, vetus vrbs Ausonum, de qua paullo ante in *Minturnis* ex Liuio dictum. Addo ex eiusdem lib. VIII cap. XI *qui pugnæ superfuerunt, - - - Vescia vrbs eis receptaculo fuit.* Byzantii chorographi epitoma: Βεσκία πόλις Αυσόνων, *Vescia vrbs Ausonum.* Hinc *Vescinus* saltus dictus, & *ager Vescinus.* Cicero Agrar. II cap. XXV *ager Fundanus, Vescinus, Falernus.* In Hygini libro de Limitib. constit. pag. 161 depictus visitur *mons Vescini* supra Minturnas. Liuius lib. X cap. XXI *Placuit, vt duæ coloniæ circa Vescinum & Falernum agrum deducerentur, vna ad ostium Liris fluuii, quæ Minturnæ adpellata: altera in saltu Vescino, Falernum contingente agrum, vbi Sinope dicitur Græca vrbs fuisse; Sinuessa deinde ab colonis Romanis adpellata.* Ex quibus de situ Vesciæ, & saltu ad illam, iudicari potest.

Sinuessa autem, quæ ibidem designatur colonia, vltima Latii adiecti fuit, in finibus Campaniæ, trans Lirim amnem, ad mare, vbi ruderibus nomen priscum conseruatur. Strabo lib. V pag. 161 Ταύτης [πόλεως Φορμιῶν] ἀνὰ μέσον ἐστὶ καὶ Σινυέσσης αἱ Μιντοῦρναι, *Inter Formias & Sinuessam Minturnæ medio loco sunt.* Et Plinius lib. III cap. V *Oppidum Sinuessa extremum in adiecto Latio, quam quidam Sinopen dixere vocitatam.* Cicero lib. IX ad Attic. ep. XVI *Cæsarem Sinuessæ mansurum nuntiabant.* De colonis in eam missis supra in *Minturnis* & Liuii & Velleii testimonia cognouimus, quia ambæ coloniæ eodem anno deductæ. Coloni *Sinuessani.* Liuius lib. XXVII cap. XL *populus Sinuessanus.* Et in lapide apud Holstenium p. 224 SENVISSANI. Proximo loco *Aquæ Sinuessanæ.* Liuius lib. XXII cap. XIII *Hannibal Mabarbalem cum equitibus in agrum Falernum prædatum dimisit. Vsque ad Aquas Sinuessanas populatio ea peruenit.* Et Plinius lib. XXXI cap. II *In Campaniæ regione Sinuessanæ aquæ sterilitatem feminarum, & virorum insaniam abolere produntur.* Campaniæ dat: oppidum autem supra Latio adiecto, quia Aquæ inter oppidum & Falernum agrum in limite Campaniæ, quod modo etiam ex Liuio intellectum est. Ab his thermis *Sinuessa tepens* Silio dicta lib. VIII vers. 528. Claudius Cæsar iis vsus est. Tacitus lib. XII cap. LXVI *In tanta mole curarum Claudius valetudine aduersa corri-*

corripitur, refouendisque viribus mollitie cæli & salubritate aquarum, Sinuessam pergit. Idem lib. I Hist. cap. LXXII *accepto apud Sinuessas aquas supremæ necessitatis nuntio.*

Inter Sinuessam & Minturnas locus fuit, cui *Trifanum* nomen. Liuius lib. VIII cap. XI *Huic agmini Torquatus consul ad Trifanum (inter Sinuessam Minturnasque is locus est) occurrit.* Propius tamen Sinuessæ quam Minturnis fuit, quia Diodorus Siculus lib. XVI cap. XCI idem prœlium, quod Liuius scripsit, dicit factum esse περὶ πόλιν Σινύεσσαν. *circa oppidum Sinuessam.* Sic enim legendum, non Σούεσσαν, vt editum, etiam Sigonius ad Liuium obseruauit.

Hæc Ausonum in maris ora: intus pauciora sunt memoriæ prodita, nec facile reperimus aliquid præter *Fundos* oppidum, & *agrum Cæcubum*, prouentu generosioris vini celebratum. *Fundi* autem, hodie Fondi, loco satis certo oppidum inter Tarracinam & Formias situm ita, vt a mari, nec vero longius, recedat, ab illa distans XVI; ab his XIII M. P. secundum iter Antonini ab Vrbe via Appia ad Columnam. Mela lib. II cap. IV. *Minturnæ, Formiæ, Fundi, Tarracina.* Cicero XIV Attic. ep. VI *Pridie idus Fundis accepi tuas litteras cœnans.* Suetonius Galb. cap. IV *Natus est in villa colli superposita, prope Terracinam, sinistrorsum Fundos petentibus.* Et Strabo & Ptolemæus Φοῦνδοι. Regio circumiecta *ager Fundanus* Ciceroni Agrar. II cap. XXV; & *lacus Fundanus*, Plinio memoratus lib. III cap. V: & incolæ *Fundani.* Liuius lib. XXXIIX cap. XXXVI *Fundani municipes.* Pompeius Festus in Municipii primo genere: *participes omnium rerum ad munus fungendum vna cum Romanis ciuibus, præterquam de suffragio ferendo, aut magistratu capiendo: sicut fuerunt Fundani, Formiani, Cumani.* Ideo etiam idem Festus in præfecturis iis *Fundos* numerat, quæ quotannis ab vrbano prætore missos magistratus capiebant.

Cæcubum, τὸ Καίκουβον, *Cæcubus ager*, vt Plinius lib. II cap. XCV adpellat. *Quædam insulæ*, inquit, *semper fluctuant, sicut in agro Cæcubo.* Fundanum lacum videtur notasse. nam Strabo lib. V pag. 161 Ἔχεται τοῦ Καιάτου κόλπου τὸ Καίκουβον, τούτου δὲ Φοῦνδοι πόλις ἐν τῇ ὁδῷ τῇ Ἀππίᾳ, *Continuum Caietano sinui Cæcubum: huic vero Fundi, oppidum Appiæ.* Plures quidem heic paludes, & totus cam-

pus paluster: at maiorem lacum, qui insulam ferat, vix alium ab Fundano inuenimus. Est simul campus vini feracissimus. Strabo ibidem p. 160 τὸ Καίκυβον ἑλῶδες ὂν, εὐοινότατον ἄμπελον τρέφει, *Cæcubum, quod palustre est, generosissimam vitem fert.* Inde vinum Cæcubum, ab Horatio laudatum. Lib. I oda XX

Cæcubum, & prælo domitam Caleno
Tu bibes vuam.

Et lib. III oda XXVIII

- - - prome reconditum,
Lyde strenua, Cæcubum.

Hactenus de Latio adiectis multis ad Latinos populis, videlicet Volscis, Aequis, Hernicis & Ausonibus, ampliato: adeunda nunc fertilissima est

CAMPANIA.

Campania inter Latium, Samnium, Picentinos & mare inferum posita, vt Strabo dicit lib. V p. 167, πεδίον εὐδαιμονέστατον τῶν ἁπάντων, *omnium fertilissima est regio:* quippe cuius etiam γεωλοφίαι εὔκαρποι, *colles sint summe frugiferi.* Cicero II Agrar. cap. XXIIX *Campanus ager, orbis terræ pulcherrimus.* Et Florus lib. I cap. XVI *Omnium non modo Italia, sed toto orbe terrarum pulcherrima Campaniæ plaga est. Nihil mollius cælo: denique bis floribus vernat. Nihil vberius solo: ideo Liberi Cererisque certamen dicitur.* Fluminibus rigatur *Sauone, Vulturno*, & *Literno*, qui & *Clanius* vocatur: item *Sarno*, aliisque minoribus. Oræ maritimæ hæc facies est:


Sauo primus fluuius post Sinuessam, terminum Latii adiecti, hodie Saone. Plinius lib. III cap. V *In ora Sauo fluuius: Vulturnum oppidum cum amne.* Statius Silv. lib. IV carm. III vers. 66

Et Literna palus, pigerque Sauo.

Tabula Peutingeriana hic ordo & distantia seruatur:

Sinuessa VII *Safo fl.* XII *Vulturno.*

Maximus Campaniæ amnium est *Vulturnus*, hodieque dictus *Voltorno*, qui & oppido, quod ostio adpositum, *Vulturni* nomen dedit, quod nunc Castello di Voltorno. Flumen a Plinio, dictis iam


GRAECIA MAGNA
SIVE PARS VLTIMA
ITALIAE
Septentrio
Meridies
ADRIATICVM
MARE
MARE
INFERVM
seu
TYRRHENVM
SINVS
TARENTINVS
MARE
IONIVM
SICVLVM
LATII PARS
APVLIA
Daunia
Peucetia
Iapygia
LVCANIA
Picentini
Aeoliae
Insulae
Strongyle
SICILIAE PARS
Sinus Terinaeus
et Lametinus
seu Vibonensis
Sinus
Scylaceus
Salentini
Capreae
Messana
Tarentum
Brundusium
Metapontum
Heraclea
Rhegium
Croton
Lacinium prom.
Consentia
Petelia
Locri
Caulon
Salernum
Canusium
Venusia
Barium
Hydruntum, Hydrus
Castrum Minervae
Sason
Oricus

iam verbis, memoratur: & sæpe a Liuio. Lib. VIII cap. XI *Falernus ager vsque ad Vulturnum flumen plebi Romanæ diuiditur.* Et lib. X cap. XX *cognoscit ad Vulturnum flumen sedere hostem.* Et lib. XXII cap. XIV pr. *Vt vero ad Vulturnum flumen castra sunt posita.* Ad ostium castellum exstructum Punico II bello, quod in oppidum excreuit. Idem Liuius lib. XXV cap. XX *ad Vulturni ostium, vbi nunc vrbs est, castellum communitum.* Colonia post eodem est deducta. Liuius lib. XXXIV cap. XLV *Coloniæ ciuium Romanorum eo anno deductæ sunt Puteolos, Vulturnum, Liternum.* Et Varro de Lat. Ling. lib. IV cap. V *colonia nostra Volturnum.*

Liternum siue *Linternum*, ad ostium *Clanii* fluuii, qui & ipse *Liternus* dicitur. Adiacet palus, quam modo ex Statii Silv. IV carm. III. 66 audiuimus memorari, *Linterna palus*, vt in libris est: a qua Silio dicitur lib. VI vers. 653 *stagnosum Linternum:* & lib. VIII vers. 531

- - - - *stagnisque palustre Linternum.*

Coloniam Romanam accepit, vti ex Liuii verbis in Vulturno jam cognouimus, eodem tempore, quo Puteolos & Vulturnum coloniæ fuerunt deductæ. Renouauit, aut auxit, Augustus. Frontinus de Coloniis: *Liternum muro ductum. colonia ab Augusto deducta.* Fuisse ad ostium cognominis fluuii, ipsum nomen commune significat, & Liuius prodit lib. XXXII cap. XXIX. *Acilius*, inquit, *tr. pl. tulit, vt quinque coloniæ in oram maritimam deducerentur: duæ ad ostia fluminum Vulturni Liternique: vna Puteolos: vna ad castrum Salerni: his Buxentum adiectum.* Quæ vtique deductæ omnes sunt, vti ex lib. XXXIV cap. XLV patet, vbi etiam *Liternum* colonia dicitur deducta. Quod si Festo fides est habenda, Liternum vna cum Vulturno coloniarum iure excidit, quippe in præfecturis vtrumque numerauit.

Situm fuit Liternum oppidum inter Cumas & Vulturnum. Sic enim Mela lib. II cap. IV ordinauit: *Cumæ, Linternum, Vulturnus amnis, Vulturnum oppidum.* Et Plinius verso itinere: *Vulturnum oppidum cum amne, Linternum, Cumæ.* In hoc tractu vero & inter dicta oppida non est flumen aliud, quam quod ab Acerris supra Atellam decurrit, vulgo *l'Agno* dictum, quod veteres Glanim vel Clanium

voca-

vocarunt, ideoque ipsum quoque opörtet *Liternum* esse a Liuio supra memoratum. Alterum id nomen Virgilius dat Georg. II vers. 225

- - - vacuis Clanius non aequus Acerris:

Et Silius Italicus lib. VIII vers. 536

- - - & Clanio contemta semper Acerra.

Græcis hic amnis Γλάνις est. Dionysius Halicarn. lib. VII p. 419, οἱ παρὰ τὰ στρατόπεδα ῥέοντες αὐτῶν ποταμοὶ, Οὐολτοῦρνος ὄνομα θατέρῳ, τῷ δὲ ἑτέρῳ Γλάνις, *qui præter illorum castra fluebant amnes, alter Vulturnus, alter Glanis dictus.* Et Lycophron vers. 718 Γλάνιν, *Glanim* fluuium cum Parthenopes, vnius Sirenum, monimento siue templo coniungit, quod in Campaniæ ora fuisse postea demonstrabitur. De priore vocabulo lis est, rectiusne *Liternum* an *Linternum* scribatur, quod difficulter iudicaueris, quum, euerso oppido, ne lapis quidem superſit, quantum scimus, qui antiquum nomen inscriptum ostendat. Libri variant, & Liuii, Plinii, Frontini, Festi; etiam vetus Tabula Peutingeri, *Liternum* præ se ferunt: contra Ouidii [Metamorph. XV vers. 714] Melæ, Silii codices dictis locis *Linternum* habent, nec exactissimi viri Heinsius, Vossius, Gronouius de castigando nomine notauerunt. Sed prior scriptura, vt pluribus probata, & nostro iudicio, si tanti est, vincat, cui & Græcorum suffragium accedit, Strabonis, Appiani, Ptolemæi. Illi enim Λίτερνον scripserunt; hic Λείτερνον diphthongo.

Inter Vulturni & Literni ostia *Silua* est *Gallinaria*. Strabo lib. V pag. 168, vbi de Cumis egit, addit, in sinu illo esse siluam ἄνυδρον καὶ ἀμμώδη, *sine aqua & arenosam*, ἣν Γαλλιναρίαν ὕλην καλοῦσι, *quam Gallinariam siluam vocant.* Cicero lib. IX epist. XXIII *Heri veni in Cumanum - - - - quum mihi M. Ceparius in silua Gallinaria obuiam venisset.* Hæc est quæ Iuuenali satyra III vers. 307 *Gallinaria pinus* dicta est. Aiunt locum illum adhuc siluestrem esse, vt de situ dubitetur minus.

Sequuntur *Cumæ*, plurale Latinis, & Ptolemæo Κοῦμαι; Straboni & Stephano Κύμη singulariter: quos interdum Latini poetæ imitantur. Silius lib. XIII vers. 494

At grauida arcanis Cymes anus,

id

id est Sibylla Cumana: & verſ. 498 *Cymæo in antro*, est in Cumano. Et Statius IV Silv. III verſ. 65

Miratur ſonitum quieta Cyme,
Et Literna palus, pigerque Sauo.

Et rurſus Silius lib. VIII verſ. 532

- - - - quondam fatorum conſcia Cumæ.

Peruetuſtum oppidum. Plinius: *Cumæ Chalcidenſium.* Addit Strabo p. 168 Cymæos ex Aeolia conditores. ἐςὶ, inquit, Κύμη Χαλκιδέων καὶ Κυμαίων παλαιοτατον κτίσμα, *Sunt Cumæ Chalcidenſium & Cumæorum opus vetuſtiſſimum:* quod pronum eſt ad fidem, quia nomen a Cumæis potius, quam a Chalcidenſibus, originem ducit: niſi duos illos populos, quod Strabo refert, ita inter ſe pactos credas, vt alterius colonia eſſet, ab altero nomen acciperet. Poetæ ad Chalcidem Eubœæ ſolam referunt. Statius Silv. lib. IV carm. III verſ. 98

Profert Chalcidicas Sibylla laurus:

& eiusdem libri carm. IV verſ. 78 *Chalcidicis litoribus* Veſuuium ponit propter Cumas & Neapolim a Cumanis conditam. Et Virgilius initio libri VI

Et tandem Euboicis Cumarum adlabitur oris.

Et ipſa Cumana Sibylla inde *Euboica* cognominatur. Statius lib. IV Silv. carm. III verſ. 24 *Euboicæ domum Sibyllæ* Cumas dixit: & Ouidius Faſt. IV verſ. 257 Sibyllina oracula

Carminis Euboici fatalia verba.

Incolæ *Cumani.* Velleius lib. I cap. IV *Cumanos Oſca mutauit vicinia.* Laudantur etiam *Aquæ Cumanæ*, vt ſalubres. Liuius lib. XLI cap. XVI *Cn. Cornelius* COS. *ex monte Albano rediens concidit, & parte membrorum captus, ad Aquas Cumanas profectus, ingraueſcente morbo Cumis deceſſit.* Ciceronis prædium *Cumanum*, laudante ipſo, ſatis notum eſt. v. gr. lib. X ad Attic. ep. IV *A Curione mihi nuntiatum eſt, eum ad me venire. venerat enim is in Cumanum veſperi pridie: - - - præteriit villam meam Curio, iuſſitque nuntiari mox ſe venturum: concurritque Puteolos, - - - rediit: fuit ad me ſane diu.*

Inter Cumas, iam desertas, & Misenum est *Acherusia palus*, Straboni pag. 168 Ἀχερουσία λίμνη, Plinio lib. III cap. V *Acherusia palus, Cumis vicina.* Secundum Strabonem est τῆς θαλάσσης ἀνάχυσίς τις τεναγώδης, *cœnosa maris effusio*, ideoque a Lycophrone etiam vers. 695 Ἀχερουσία χύσις dicta. Quidam, notante ipso Strabone p. 169, cum Lucrino lacu, alii cum Auerno confundunt: sed discreuit Strabo atque Plinius.

Inde proximum est *Misenum* promontorium, portus, & oppidum. Origo nominis fabulosa, ab tubicine Aeneæ ibidem sepulto, cui nomen fuerit *Miseno*. Virgilius lib. VI vers. 232

> *At pius Aeneas ingenti mole sepulcrum*
> *Imponit, suaque arma viro, remumque tubamque*
> *Monte sub aerio, qui nunc Misenus ab illo*
> *Dicitur, æternumque tenet per sæcula nomen.*

Mons ille promontorium ab aliis dicitur. Tacitus lib. VI cap. L *Tiberius, mutatis sæpius locis, tandem apud promontorium Miseni consedit.* Et lib. XIV cap. IV *promontorium Misenum inter, & Baianum lacum.* Oppidum Plinius vterque narrant: maior, *Cumæ Chalcidensium, Misenum, portus Baiarum:* minor lib. VI epist. XX de Vesuuii incendio: *ego Miseni relictus, - - - - tum demum excedere oppido visum.* Portum tandem, immo nauale, Misenensis classis ab Augusto instituta probat. Suetonius cap. XLIX *classem Miseni, & alteram Rauennæ, ad tutelam superi & inferi maris collocauit.* Et Florus lib. I cap. XVI *Hic illi nobiles portus, Caieta, Misenus.* Hinc dicuntur *Misenenses.* Tacitus Hist. lib. II cap. IX *e classe Misenensi duæ triremes.* Et annali XV cap. LI *primores classiariorum Misenensium.* Et Plinius lib. XVIII cap. VI *Nouissimam villam in Misenensi posuit C. Marius septies consul, sed peritia castra metandi.* Plures ibidem villæ propter loci amœnitatem, cuius generis quædam *Luculli villa* fuerat, in qua Tiberius, iam viribus defectus, *apud promontorium Miseni consedit*, & ibi, referente Tacito lib. VI cap. L, vitæ finem habuit.

Ex istis villis erat etiam *Retina*, proxime sub Miseno Vesuvium versus posita. Plinius lib. VI epist. XVI *Retinæ classiarii, imminenti periculo exterriti (nam villa ea subiacebat, nec vlla, nisi nauibus, fuga) vt se tanto discrimini eriperet, orabant.* Et paucis inter-

teriectis: *Deducit* [Plinius maior] *quadriremes, adscendit ipse non Retinæ modo, sed multis (erat enim frequens amœnitas oræ) laturus auxilium.*

Misenum inter & Puteolos *Baiæ* sunt thermis nobiles, quæ non tantum πρὸς θεραπείαν, *ad medicinæ vsum*, verum etiam πρὸς τρυφὴν, vt Strabo ait, hoc est *ad luxuriam & voluptatem* Romanis opulentioribus erant. Nomen fingunt a *Baio*, Vlyssis socio, ibidem sepulto. Lycophron in Cassandra vers. 694

Βαιοῦ δ' ἀμείψας κυβερνήτου τάφον,

Baii naucleri sepulcrum transiens. Silius lib. XII vers. 114

- - - - - - *docet ille tepentes*
Vnde ferant nomen Baiæ, comitemque dedisse
Dulichiæ puppis stagno sua nomina monstrat.

Etiam Florus dixit lib. I cap. XVI *tepentes fontibus suis Baias.* Et Martialis lib. XI epigram. LXXX

Baias superbæ blanda dona naturæ.

Has naturæ dotes ad vitia & luxuriam traxerunt homines, vt Canopum Aegypti, vt Daphnen Antiochiæ. Seneca epist. LI *De secessu cogitans* [vir probus & sapiens] *numquam Canopum eliget, quamuis neminem Canopus esse frugi vetet. Ne Baias quidem. diuersorium vitiorum esse cœperunt. Illic sibi plurimum luxuria permittit: illic, tamquam aliqua licentia debeatur loco, magis soluitur.* Inuitauit locorum voluptas, vt plures heic villæ ponerentur, etiam βασίλειοι οἰκήσεις, *augustorum palatia*, vt Iosephus Antiquit. lib. XIIX cap. IX illum locum descripsit, quem per se πολίδριον, *oppidulum esse* significat. Ab hoc dicitur *Sinus Baianus*, Sueton. Ner. cap. XXVII: *Portus Baiarum*, Plin. lib. III cap. V; quem Augustus Cæsar amplissimum fecit, *immisso in Lucrinum & Auernum lacum mari*, nominarique iussit *Portum Iulium apud Baias*, Sueton. cap. XVI. Est etiam *Baianus lacus* apud Tacitum lib. XIV cap. IV, quem quidam ipsum Lucrinum interpretantur.

Lucrinus autem lacus sub ipsis Baiis fuit, vt ex Suetonio iam cognouimus, & Mela ac Plinius testantur. Ille, *Puteoli*, inquit, *lacus Lucrinus & Auernus, Baiæ, Misenum:* hic, inuerso itinere: *Misenum, portus Baiarum, Bauli, lacus Lucrinus & Auernus,*

- - *dein Puteoli.* In deliciis erant ostrea Lucrina, quæ ex hoc lacu erant. Horatius Epod. II

Non me Lucrina iuuerint conchylia.

Et Cicero IV Attic. ep. X ex Cumano: *Ego hic pascor bibliotheca Fausti. fortasse tu putabas, his rebus Puteolanis & Lucrinensibus.* Hic lacus anno CIↃ IↃ XXXVIII a. d. III kalend. Octob. qui dies angelorum principi sacer est, graui motu terræ concussus, montem eructauit, qui adhuc *Monte nuouo di cenere*, id est mons nouus cinereus vocatur, descriptus ab Iulio Cæsare Capaccio in Antiquitatibus Puteolanis cap. XX. Quæ superant de lacu extra montem, paludes paruæ, lutosæ, cum arundineto sunt.

Inter lacum & mare agger *Via Herculanea* dicebatur, quasi Hercules bubus suis traducendis muniuisset. Cicero Agrar. II cap. XIV *Adiungetur illa via vendibilis Herculanea, multarum deliciarum, & magnæ pecuniæ.* Silio lib. XII verſ. 118 est *Herculeum iter.* Strabo de illo p. 169 ὅ φασιν Ἡρακλέα διαχῶσαι, τὰς βοῦς ἐλαύνοντα τὰς Γηρυόνε, *dicunt Herculem, Geryonis boues agentem, aggeraſſe.* Propertius lib. III eleg. XIIX

Qua iacet & Troiæ tubicen Misenus arena,
Et sonat Herculeo structa labore via.

Lucrino adiacet *lacus Auernus,* qui id nomen retinet. Ostio coniungebatur, quod etiam nunc visitur, quamuis terra oppletum est. Adparet tamen ex situ, interstitium paucorum fuisse passuum: quod Holstenius p. 133 suis oculis obseruatum adnotauit. Vibius Sequester de Lacubus: *Auernus immensæ altitudinis, cuius ima pars deprehendi non potest.* Ideo Lucanus lib. II verſ. 668

Decidat in fundum penitus stagnantis Auerni

dixit. Silua circa eum fuit. Virgilius Aen. III verſ. 442

Diuinosque lacus, & Auerna sonantia siluis:

sed excidit illam Agrippa tum, credo, quum portum Iulium faceret. Strabo lib. V pag. 169 νυνὶ δὲ τῆς ὕλης τῆς περὶ τὸ Ἄορνον κοπείσης ὑπὸ Ἀγρίππα, *nunc autem silua illa, quæ circa Auernum erat, excisa ab Agrippa.* De nomine iam disquirendum est. Lucretius lib. VI verſ. 740

Prin-

Principio, quod Auerna vocantur, nomen id ab re
Impositum est, quia sunt auibus contraria cunctis.

Nota fabula de lacu ita pestilenti, vt ne auis transuolare possit, quin decidat & exstinguatur. Vere Strabo dicto loco: *postquam quæ circa lacum siluestria erant, ædificiis occupata sunt,* (addo ego: & in lacu classis ædificata Augusti;) ἄπαντ' ἐκεῖνα ἐφάνη μῦθος, *omnia illa fabulam esse adparuit.* Virgilius bene, non de lacu, sed de *spelunca* siue antro interpretatur lib. VI verf. 237

Spelunca alta fuit, vastoque immitis hiatu,
Scrupea, tuta lacu nigro, nemorumque tenebris:
Quam super haud vllæ poterunt impune volantes
Tendere iter pennis. Talis se se halitus atris
Faucibus effundens supera ad conuexa ferebat.

Inde rectius *lacus Auerni* vocatur, id est circa antrum Auernum; quam *Auernus lacus* primo casu. Cicero Tusc. lib. I cap. XVI *in vicinia nostra Auerni lacus.* Et Liuius lib. XXIV cap. XII *cum cetero exercitu ad lacum Auerni descendit.* Et cap. XIII *quum* [Hannibal] *ad lacum Auerni esset.* Ammianus Marcellinus lib. XXVIII cap. XXII *si a lacu Auerni lembis inuecti sunt pictis Puteolos vel Caietam.*

Est & *Gaurus* mons in hoc tractu, cuius etiam Cicero Agrar. II cap. XIV meminit. Liuius lib. VII cap. XXXII *Consules ambo cum duobus ab vrbe exercitibus profecti, Valerius in Campaniam, Cornelius in Samnium: ille ad montem Gaurum; hic ad Saticulam, castra ponunt.* Situm poetæ ostendunt. Lucanus lib. II verf. 667

- - - *si conuulso vertice Gaurus*
Decidat in fundum penitus stagnantis Auerni.

Et Sidonius Panegyr. Maioriani verf. 345

Et se Lucrinas qua vergit Gaurus in vndas.

Ergo circa illos lacus est. Supra laudatus Capaccius in Antiquit. Puteolanis cap. XXII tres montes in Campaniæ finibus *Gauri* nomine adpellari censet: primum prope Massicum & Minturnas, quem Cicero de agraria lege intelligat: alterum circa Nuceriam & Surrentum: vnde Plinius III cap. V *Gaurani Surrentinique montes:* & in his naualem materiam cædi. Silius VIII verf. 533

Illic Nuceria, & Gaurus naualibus aptus.

Tertius vicinus Auerno & Lucrino. Nolim vero diiungere: iugo montes longe continuantur, & sic maxime in medio circa Auernum & Puteolos *Gaurus* dicitur, vitifer in imis; vt vel aliis locis, vel saltem in summitate pinifer, aptus naualibus fuerit. Vini feracem descripsit Statius in Siluis. Lib. III carm. I vers. 147

- - - nemorosus palmite Gaurus.

Et carm. V vers. 99

- - - Bacchei vineta madentia Gauri.

Ac lib. IV carm. III vers. 64

Atque echo simul hinc & inde fractam
Gauro Massicus vuifer remittit.

Inter Baias & Lucrinum lacum fuit nobilis villa, *Bauli* dicta, quod nomen interpretantur *Boaulia*, id est boum stabula, ex eadem de Herculis bubus fabula. Seruius ad Aeneid. VII vers. 662 *Iuxta Baias* [Hercules] *caulas bubus fecit, & eas sepsit, qui locus Boaulia dictus. nam hodie Baulæ vocantur.* Symmachus carmine, epistolæ I libri I inserto, de Baulis, quos Lucrina sede mutauerat:

Huc deus Alcides stabulanda armenta coegit,
Eruta Geryonis de lare tergemini.
Inde recens ætas corrupta Boaulia Baulos
Nuncupat occulto nominis indicio.

Ob eamdem caussam lib. XII vers. 156 Silius *Herculeos Baulos* nominauit. Situs ex Dionis lib. LIX pag. 652. *C. Caligula*, inquit, διὰ τῆς θαλάσσης τρόπον τινὰ διππεῦσαι ἐπεθύμησε, γεφυρώσας τὸ μεταξὺ τῶν τε Πυτεόλων καὶ τῶν Βαύλων, *cupiit per mare certo modo equo vehi, ponte iungens illam partem, quæ inter Puteolos & Baulos est.* Ex his Holstenius sequi dicit, *Baulos inter Baias & Lucrinum lacum fuisse. nam ordo ductusque pilarum recta eo tendit.* Villam autem fuisse, non oppidum, diserte Tacitus testatur lib. XIV cap. IV. *Venientem*, inquit, [matrem Nero] *obuius in litora (nam Antio aduentabat) excipit manu & complexu, ducitque Baulos: id villæ nomen est, quæ promontorium Misenum inter & Baianum lacum flexo mari adluitur.* Nobilior autem adeo villa fuit, vt alias ab hac, tam-

tamquam ab oppido, denominatas videamus. Cicero Quæst. Acad. lib. IV cap. III *in Hortensii villa, quæ est ad Baulos:* & cap. XL *putas, vt nos nunc simus ad Baulos, Puteolosque videamus; sic*, & cetera. Meminit & Cœlius ad Ciceronem lib. VIII epist. I.

Huc veteres fabulæ nescio quod oppidum *Cimmerium*, & populum *Cimmerios*, ex Caucaso forsan euocatos, deducunt. Ephorus apud Strabonem dicit, *ἐν καταγείοις οἰκίαις οἰκεῖν, καὶ διά τινων ὀρυγμάτων παρ' ἀλλήλους τε φοιτᾶν, in subterraneis ædificiis habitare, ac per fossas quasdam inter se commeare.* Addit, *μαντεῖον*, *oraculum* habuisse, ad quod hospites per easdem fossas deduxerint. Tandem a rege quodam deletos esse, & oraculum alio translatum. Strabo vero, *τοιαῦτα μὲν οἱ πρὸ ἡμῶν ἐμυθολόγουν*, *Talia*, inquit, *antiqui fabulati sunt.* Plinius in Campania: *lacus Lucrinus & Auernus, iuxta quem Cimmerium oppidum quondam.* Et Silius Italicus lib. XII vers. 131 in Campaniæ descriptione:

> *Infernis pressas nebulis, pallente sub vmbra*
> *Cimmerias iacuisse domos, noctemque profundam*
> *Tartareæ narrant vrbis.*

Hauserunt omnes ab Homero, qui vt Vlyssi suo, quæ de Scythicis Cimmeriis audierat, adplicaret, illos a Circes domo vnius diei nauigatione remouit ita, vt Κιμμερίων δῆμός τε πόλις τε, *Cimmeriorum populus & oppidum*, semper caligine & nebulis contegantur, nec vmquam eos sol radiis suis adspiciat. Vide Odyss. Λ sub initium. Pompeius Festus fabulam naturaliter interpretaturus, *inter Baias & Cumas* ait *conuallem esse satis eminenti iugo circumdatam, quæ neque matutino, neque vespertino tempore sole contegatur.* Quod an satis sit ad fabulæ enormitatem excusandam, & an vere tali situ ibi vallis sit, peritiores locorum videant.

Puteoli, nunc Pozzuolo, in hoc litore sequuntur, Græcis dicti Δικαιαρχία vel Δικαιάρχεια, quod antiquius oppidi nomen est. Epitoma Stephani: *Δικαιάρχεια πόλις Ἰταλίας. Ταύτην δέ φασιν κεκλῆσθαι Ποτιόλους, Dicæarchia vrbs Italiæ, quam Puteolos vocari aiunt.* Nominis Latini rationem dat, quia *δυσώδη τὰ φρέατα ἔχει, graue olentes habuerit puteos.* Nec aliter Festus. *Puteolos*, inquit, *dictos aiunt ab aqua caldæ putore. quidam a multitudine puteorum*

earumdem aquarum caussa factorum. Strabo diuidit, quosdam ἀπὸ τῶν φρεάτων, *a puteis* nominasse, vt Puteoli multos minores puteos eius loci significent ὑποκοριστικῶς: alios ἀπὸ τῆς δυσωδίας τῶν ὑδάτων, *a graui odore aquarum:* quasi ad *olere* simul Romani in hoc nomine respexerint, id quod Stephanus Græcis litteris ὀλέρε scripsit, & ὄζειν interpretatus est. Sed hoc minus est vero simile. Plinius lib. III cap. V *Dein Puteoli, colonia, Dicaarchia dicti.* Poetæ aliquando contrahunt Græcum nomen. Papinius Statius lib. II Silv. carm. II vers. 96 *Dicarchi mœnia* Puteolos dixit: & vers. 110

- - - nec te cultu Tirynthia vincat
Aula, Dicarchæique sinus.

id est, nec Bauli, villa; nec sinus Puteolanus. Alterum nomen Strabo a temporibus Hannibalis duxit, quando Romani locum communire cœperunt. κατὰ τὴν Ἀννίβα στρατείαν συνῴκησαν Ῥωμαῖοι, καὶ μετωνόμασαν Ποτιόλους, quum antea fuerit Δικαιαρχία, ἐπίνειον Κυμαίων, *Cumanorum nauale Dicaarchia dictum.* Romani Punico bello tenuerunt defenderuntque. Liuius lib. XXIV cap. XIII *Peruastato agro Cumano vsque ad Miseni promontorium,* [Hannibal] *Puteolos repente agmen conuertit ad opprimendum præsidium Romanum. Sex millia hominum erant, & locus munimento quoque, non natura modo tutus. Triduum ibi moratus Pœnus, ab omni parte tentato præsidio: deinde, vt nihil procedebat, ad populandum agrum Neapolitanum, magis ira quam potiundæ vrbis spe, processit. Post illud bellum etiam colonia Puteolos fuit deducta,* eodem Liuio tradente lib. XXXIV cap. XLV, & Velleio lib. I cap. XV; an pleno iure coloniarum, dubitari ex illo Taciti possit lib. XIV cap. XXVII: *In Italia vetus oppidum Puteoli ius coloniæ, & cognomentum a Nerone adipiscuntur.* Sed non simpliciter ius coloniæ, quod dudum habuerat, sed ius coloniæ Augustæ (id cognomentum est) & amplius priore, adeptum id oppidum dicitur. Frontinus de Coloniis: *Puteolis colonia Augusta. Augustus deduxit.* Forte legendum: *Nero Augustus deduxit.* Hinc gentile *Puteolani.* Cicero lib. V Attic. ep. II *quum per emporium Puteolanorum iter facerem.* nam & Strabo pag. 169 de Puteolis: ἡ πόλις ἐμπορεῖον γεγένηται μέγιστον, χειροποιήτους ἔχουσα ὅρμους, *vrbs facta emporium maximum,*

quia

quia portus manufactos habet. Vicinum mare *Sinus Puteolanus* dictus Suetonio Aug. cap. XCVIII, qui & *Baianus* idem est.

Tandem in hoc tractu *Phlegraei campi* sunt, id est ardentes. Strabo a Puteolis ad Baias & Cumanam regionem patere dicit: Diodorus Siculus lib. IV cap. XXI· τὸ Κυμαῖον πεδίον ὠνομάσθαι Φλεγραῖον, *Cumanum agrum Phlegraeum nominari:* sed addit a monte Vesuuio id nomen esse, instar Aetnae ignes euomente: vt adeo tractum a Cumis vltra Neapolim innuisse videatur. Polybius lib. II cap. XVII τὰ Φλέγραια ποτε καλούμενα τὰ περὶ Καπύην καὶ Νώλην πεδία, *campos circa Capuam & Nolam Phlegraeos olim vocatos esse*, vt ita fere omnem per Campaniam extendantur. Scilicet, quia ista regio pluribus locis calidos fontes effundit, quibusdam etiam ignes eructat, & sulfuris multum progignit; hoc nomen videtur eidem adhaesisse. Quae vero de gigantibus, fulmine ibidem prostratis, addunt, in fabulis, vt cetera de Hercule in his locis, sunt relinquenda. Plinius lib. XVIII cap. XI ait, *Leborias* campum vocari, quem Graeci *Phlegraeum* adpellent. Silius lib. VIII vers. 538

> - - - - *illic quos sulfure pingues*
> *Phlegraei legere sinus.*

Inter Auernum & Puteolos Ciceronis villa fuit, quam *Academiam* dixit. Fortasse haec eadem & *Puteolanum* ipsius. non enim longius quam XXX stadiis, vt ipse Acad. Quaest. IV cap. XXXI prodidit, aberat a Puteolis. De Puteolano lib. XIV ad Atticum ep. VII *Ego e Formiano exiens* XVII *kal. vt inde altero die in Puteolanum, scripsi haec.* Academiae nomen & situm explicat Plinius lib. XXXI cap. II. *Digna*, inquit, *memoratu villa est ab Auerno lacu Puteolos tendentibus imposita litori, celebrata porticu ac nemore, quam vocabat Cicero Academiam, ad exemplum Athenarum: ibi compositis voluminibus eiusdem nominis, in qua & monimenta sibi instaurauerat.* Addit ibidem de eadem Laureae Tullii liberti versiculos, quibus

> - - *Academiae celebratam nomine villam*

vocat. In ea, exiguo post obitum Ciceronis, Antistio Vetere possidente, *eruperunt fontes calidi, perquam salubres oculis:* quae inde *Aquae Ciceronianae* dictae. Laurea ibidem:

Nimirum locus ipse sui Ciceronis honori
Hoc dedit, hac fontes quum patefecit ope.
Vt, quoniam totum legitur sine fine per orbem,
Sint plures, oculis quæ medeantur, aquæ.

Huius villæ sub *Academiæ* nomine mentionem facit lib. I ad Attic. epist. IV. *Quod ad me*, inquit, *de Hermathena scribis, per mihi gratum est, & ornamentum Academiæ proprium meæ.* quamquam non nulli hoc de Tusculani parte interpretantur, non de villa agri Puteolani. nam & ibi duo gymnasia habuit; superiori, *Lyceo* nomen fuit, lib. I. Diuinat. cap. V; alteri, *Academiæ*, lib. II Tuscul. cap. II, & lib. III cap. III.

Leucogæus collis inter Puteolos & Neapolim. Plinius lib. XVIII cap. XI de alica candida seu cretacea; *Inuenitur hæc inter Puteolos & Neapolim, in colle Leucogæo adpellato.* Et lib. XXXI cap. II laudat *fontes Leucogæos*, itidem *inter Puteolos & Neapolim, oculis & vulneribus medentes.*

Ipsa autem *Neapolis* antiqua vrbs, nouo nomine & nouis colonis aucta. Velleius lib. I cap. IV *Pars horum ciuium* [Cumanorum] *Neapolim condidit.* Sed tum dicta *Parthenope.* Plinius lib. III cap. V *Litore Neapolis Chalcidensium, & ipsa Parthenope a tumulo Sirenis adpellata.* Chalcidensium dicit, eorum videlicet, qui Cumas condiderant. Cumarum enim colonia Parthenope siue Neapolis. Marcianus Heracleota Periplo p. II

Ἐκ τῆς δὲ Κύμης τῆς πρὸς Ἀόρνῳ κειμένης
Κτίσιν κατὰ χρησμὸν ἔλαβεν ἡ Νεάπολις.

Ex Cumis ad Auernum sitis, diuino monitu ortum habet Neapolis. Sireni nomen fuit *Parthenopes.* Strabo lib. V pag. 170 Νεάπολις, ὅπου δείκνυται μνῆμα τῶν Σειρήνων μιᾶς Παρθενόπης, *Neapolis, vbi sepulcrum Parthenopes, vnius Sirenum, ostenditur.* Græca igitur ciuitas habita, Græcorum seruantissima rituum. Liuius lib. XXXV cap. XVI *Qui enim magis Smyrnæi Lampsacenique Græci sunt, quam Neapolitani, & Rhegini, & Tarentini?* Et postea quoque Tacitus lib. XV cap. XXXIII de Neronis ludis: *Non tamen Romæ incipere ausus, Neapolim, quasi Græcam vrbem, delegit.* Ibi enim agones, gymnasia, theatra, vt Strabo etiam obseruat, omnia Græcorum more. Hinc *in otia natam Parthenopen* Ouidius dixit lib. XV Metam.

tam. vers. 711. Silio lib. XII vers. 27 est *mitis Parthenope.* addit vers. 31 rationem:

Nam molles vrbi ritus atque hospita Musis Otia.

Habet etiam thermas non deteriores Baianis, vt Strabo censet: habet Virgilii iuxta se monimentum intra secundum lapidem, vt Vita Virgilii proditum; quod pro templo quasi cultum ab eruditis posteris. Plinius lib. III epist. VII de Silio: *Virgilii natalem religiosius, quam suum, celebrabat; Neapoli maxime, vbi monimentum eius adire, vt templum, solebat.* Statius Siluar. lib. IV carm. IV vers. 52

Litus, vbi Ausonio se condidit hospita portu
Parthenope, tenues ignauo pollice chordas
Pulso, Maroneique sedens in margine templi
Sumo animum, & magni tumulis adcanto magistri.

Adluitur Neapolis Sebetho fluuio. Vibius Sequester: *Sebethos Neapolis in Campania.* Columella lib. X vers. 134

Doctaque Parthenope Sebethide roscida lympha.

Et Statius lib. I Silv. carm. II vers. 263 de sponsa Neapolitana:

\- - - *pulchra tumeat Sebethos alumna.*

Huic nympham præsidere eiusdem nominis, finxit Virgilius Aeneid. VII vers. 734, - - - *fertur*

\- - - *quem generasse Telon Sebethide nympha.*

Nec silentio prætereunda est *Crypta Neapolitana*, inter Puteolos & Neapolim. Seneca epist. LVII principio, de via lutosa, mox pulverulenta: *a ceromate nos haphe excepit in Crypta Neapolitana.* Strabo lib. V p. 170 ἔστι καὶ ἐνθάδε διώρυξ κρυπτὴ τοῦ μεταξὺ ὄρους τῆς τε Δικαιαρχίας καὶ τῆς Νεαπόλεως, *Est ibi quoque fossa occulta per montem inter Puteolos & Neapolim.* Lumen superne accipit ἐκκοπεισῶν θυρίδων, *fenestris excisis.* Hodie dicitur *la Grotte di Napoli.* Prope eodem loco, quo Neapolis est, fuit quondam *Palæpolis*, haud dubie vetustæ pars Parthenopes, quæ id nomen adsumsit aduersus Neapolim, accessione colonorum nouorum ortam. Livius lib. VIII cap. XXII *Palæpolis fuit haud procul inde, vbi nunc Neapolis sita est. duabus vrbibus populus idem habitabat. Cumis erant oriundi.* Et mox: *fecialibus Palæpolim ad res repetendas mis-*

sis : & pauculis interpositis : *populus Palæpolitanis bellum fieri iussit.*

Vltra Neapolim, e regione Vesuuii, in ora *Herculaneum*, siue *Herculanium* oppidum fuit. Tabula Augustana XI millibus passuum a Neapoli positam habet. Plinius III cap. V *Neapolis & ipsa Chalcidensium, Parthenope a tumulo Sirenis adpellata : Herculanium : Pompeii.* Et Paterculus lib. II cap. XVI *Herculanium* sociali bello captum scribit. Florus lib. I cap. XVI *Vrbes ad mare: Formiæ, Cumæ, Puteoli, Neapolis, Herculaneum, Pompeii.* Seneca, Quæst. Nat. VI cap. XXVI *Pompeii & Herculaneum consedere.* de terræ motibus agit. Et cap. I eiusdem libri VI *Et Herculanensis oppidi pars ruit.* Ouidius Metamorph. XV vers. 711

Herculeamque vrbem, Stabiasque, & in otia natam
Parthenopen.

Columella lib. X vers. 135 *salinas* huic loco tribuit:

Quæ dulcis Pompeia palus vicina salinis
Herculeis.

Vicinum oppidum, *Pompeii*, ex dictis iam innotuit. Plinius enim, Florus, atque Seneca cum Herculaneo coniunxerant. Et Velleius dicto loco de atauo suo: *tantam Romanis hoc* [sociali] *bello fidem præstitisse, vt Herculaneum simul cum T. Didio caperet, Pompeios cum L. Sulla oppugnaret.* Seneca principio lib. VI Quæst. Nat. fatum huius oppidi descripsit. *Pompeios*, inquit, *celebrem Campaniæ vrbem, in quam ab altera parte Surrentinum Stabianumque litus, ab altera Herculanense, conueniunt, mareque ex aperto reductum amœno sinu cingunt, desedisse terræ motu, vexatis quæcumque adiacent regionibus, Lucili virorum optime, audiuimus.* Strabo vocat Πομπαίαν, *Pompeiam.* Seruius vocabulo addit fabulam, in Aeneid. VII vers. 662 id a *pompa* Herculis triumphali deducens. *Hercules*, inquit, *in quadam Campaniæ ciuitate pompam triumphi sui exhibuit : vnde Pompeii dicitur ciuitas.* Hanc Sarnus amnis, hodieque *Sarno* dictus, præterlabitur. Strabo : Πομπαία, ἣν παραῤῥεῖ ὁ Σάρνος ποταμὸς, *Pompeia, quam Sarnus præterfluit.* Plinius *adluere* dicit, vt mox trademus. Inde *Pompeianus Sarnus* vocatur. Statius Silv. lib. I carm. II vers. 265

Nec Pompeiani placeant magis otia Sarni.

Silius

Silius lib. VIII vers. 537 *mitem* cognominauit:

> *Sarrastes etiam populos, totasque videres*
> *Sarni mitis opes:*

quod ex Aeneidos VII vers. 738 haustum est:

> *Sarrastes populos, & quæ rigat æquora Sarnus.*

Sarrastes populos, id est Sarni adcolas. Vide Seruium. Et Paullinus Nolanus Natal. III Felic. vers. 62, - - - *quique*

> *Vfentem Sarnumque bibunt.*

Maxime autem spectabilis in hac ora est mons *Vesuuius*, nunc Monte di Somma, Aetnæ æmulator crebris incendiis, & ignium fauillarumque eructatione. Proprium nomen, quo plures scriptores vtuntur, *Vesuuius* est, etiam Straboni Οὐεσούϊον ὄρος: poetis variat nomen, estque *Vesenus*, *Vesuius*, *Vesbius*. Per exempla eamus. Pomponius Mela II cap. IV *Sinus Puteolanus, Surrentum, Herculaneum, Vesuuii montis adspectus, Pompeii, Neapolis.* Plinius hunc sequutus III cap. V *Herculaneum, Pompeii, haud procul adspectante monte Vesuuio, adluente vero Sarno amne.* Liuius lib. VIII cap. VIII extr. *Pugnatum est haud procul radicibus Vesuuii montis, qua via ad Veserim ferebat.* Valerius Maximus lib. I cap. VII n. 3 *non procul a Vesuuii montis radicibus positis castris.* Et Florus lib. I cap. XVI *Hic amicti vitibus montes, Gaurus, Falernus, Massicus, & pulcherrimus omnium Vesuuius, Aetnæi ignis imitator.* Est enim, quod Strabo etiam obseruauit, ἀγροῖς περιοικούμενος παγκάλοις, πλὴν τῆς κορυφῆς, *in circuitu agris optimis cultus, præter verticem*, qui sterilis totus, ἐκ τῆς ὄψεως τεφρώδης, *cinereus adparens*, cauernas ostendens exusti lapidis, ὡς τεκμαίροιτ' ἄν τις, τὸ χωρίον τοῦτο καίεσθαι πρότερον, καὶ ἔχειν κρατῆρας πυρός, *vt coniecturam facere possis, ista loca quondam arsisse, & crateras ignis habere.* Tam rarum & inauditum ante Flauiana tempora Vesuuii fuit incendium! cuius nouitas etiam Plinium inuitauit, vt propius adiret illud, quo periit, ardentis montis periculum. Sed ad poetas, nomen immutantes, accedamus. Silius Italicus lib. XVII vers. 597

> *Sic vbi vi cæca tandem deuictus ad astra*
> *Euomuit pastos per sæcula Vesbius ignes,*
> *Et pelago & terris fusa est Vulcania pestis;*

Videre Eoi monstrum admirabile Seres,
Lanigeros cinere Ausonio canescere lucos.

Grandis hyperbole, Italicos cineres in vltimum orientem dispergi. Sed habuit Silius, quamlibet suspectæ fidei auctorem, quem sequutus est. Is Ctesias, qui in Indicis apud Photium cod. LXXII Aetnæ ignes in Indiam ferri, innocuum iustorum terræ, ceteris pestilentem, audaciter scripsit. Lucretius lib. VI vers. 747

Qualis apud Cumas locus est, montemque Vesevum.

Et Virgilius lib. II Georg. vers. 224

Talem diues arat Capua, & vicina Veseuo
Ora iugo.

Et Statius Silv. lib. IV carm. IV vers. 79 - *Chalcidicis*
Litoribus, fractas vbi Vesbius erigit iras.

Et Martialis lib. IV epigrammate XLIII

Hic est pampineis viridis modo Vesuius vmbris.

Ex his alteram formam Suetonius imitatur in Tito cap. VIII *conflagratio Vesevi montis*, dicens. Tacitus autem & Plinius minor, huic æquales, *Vesuuium* vocant, ille annali IV cap. LXVII de Capreis insula: *prospectabat pulcherrimum sinum, antequam Vesuuius mons ardescens faciem loci verteret:* hic lib. VI epist. XVI incendium montis luculentissime descripsit.

Vltra Sarnum & Pompeios, sinu medio fuerunt *Stabiæ*, oppidum antea, post in villæ formam redactæ. Plinius lib. III cap. V *In Campano agro Stabiæ oppidum fuere vsque ad Cn. Pompeium & L. Catonem consules, pridie calend. Maii, quo die L. Sulla legatus bello sociali id deleuit; quod nunc in villam abiit.* Alter Plinius prædicta epistola de hoc auunculo: gubernatori monenti, vt retro flecteret, *Fortes, inquit, fortuna iuuat: Pomponianum pete. Stabiis erat, diremtus sinu medio.* Ouidius Metam. XV vers. 711

Herculeamque vrbem, Stabiasque.

Lac Stabiarum in medicina fuit. Symmachus lib. VI epist. XVIII edit. Iureti [al. XVII] *Nunc illis proficiscendi attulit caussam medicorum coactu imperata curatio. Nam Stabias ire desiderant, vt reliquias lon-*

longæ ægritudinis armentali lacte depellant. Procopius lib. IV Goth. B. cap. XXXV in hoc tractu montem memorat, ὅπερ Ῥωμαῖοι γάλακτος ὄρος τῇ Λατίνων καλοῦσι φωνῇ, *quem Romani Lactis montem Latine vocant*, qui haud dubie a copia illa & salubritate lactis nomen habet. Aquæ etiam & fontes Stabiarum laudantur. Columella lib. X verſ. 133

Fontibus & Stabiæ celebres, & Vesuia rura.

In Peutingeriana tabula Stabiæ inter Pompeios & Surrentum ſunt locatæ. Hodie *Caſtell a mare di Stabia*, & ſimpliciter *Caſtell a mare*, paruum oppidum, epiſcopale tamen, in illo loco viſitur.

Surrentum Mela primo loco ponit ad Sinum Puteolanum, regrediens a Lucania per maritimam oram in Latium: Plinius contra incedens lib. III cap. V *Surrentum cum promontorio Mineruæ*, poſt Sarnum amnem enarrat. Hodieque *Sorrento* vrbs archiepiſcopalis ſupereſt. Ptolemæus Συῤῥεντόν, Strabo Σύρρεντον adpellat. Silius lib. VIII verſ. 544

Surrentum, & pauper ſulci cerealis Abella.

Frontinus de Coloniis: *Surrentinum oppidum.* Adiacent *colles Surrentini* vitiferi: vnde vinum Surrentinum in generoſis Italiæ. Ouidius Metamorph. XV verſ. 710

Et Surrentino generoſos palmite colles.

Martialis lib. XIII epigrammate CX

Surrentina bibis? nec murrhina picta, nec aurum
Sume: dabunt calices hæc tibi vina ſuos.

Tandem in hoc litore ad *Mineruæ promontorium* venimus, terminum Campaniæ in ora aduerſus Picentinos. Plinius dicto ſæpe loco: *Surrentum, cum promontorio Mineruæ, Sirenum quondam ſede.* Et hodie Capo della Minerua dictum. Exſtat in auſtrali angulo, ex oppoſito inſulæ, cui Capreis nomen eſt. Tacitus annali IV cap. LXVII de Tiberio: *Capreas ſe in inſulam abdidit, trium millium freto ab extremis Surrentini promontorii diiunctum.* Surrentinum, idem quod Mineruæ, quia non propinquius ei oppidum, quam Surrentum. Strabo lib. V p 170 Συνεχὴς τῇ Πομπηΐᾳ τὸ Σύρρεντον τῶν Καμπανῶν, ὅθεν πρόκειται τὸ Ἀθήναιον, *Pompeiis contiguum eſt Surrentum Campanorum, vnde Athenæum* [Mineruæ promon-

montorium] *prominet.* Nomen inde eſt, quia ἐπ' ἄκρῳ Ἀθηνᾶς ἱερόν, *in promontorio Mineruæ fanum eſt.* Ouidius Metam. XV verſ. 709 confirmat vicinitatem inſulæ:

Inde legit Capreas, promontoriumque Mineruæ.

Hoc vero non Campaniam ſolum, ſed ſinum quoque Puteolanum finit. Pomponius ſæpe dicto loco: *Mineruæ promontorium:* - - - - *ſinus Puteolanus, Surrentum, Herculaneum.*

MEDITERRANEA CAMPANIAE.

Ad Sinueſſam, aut prope eam, incipiunt *radices Maſſici* montis, vt Cicero Agrar. II cap. XXV nominat. Liuius lib XXII cap. XIV *per iuga Maſſici montis Fabio ducente.* Vitifera regio, ſi quæ alia. vnde *Maſſicum* ſæpius vinum eius agri nobilius ſignificat. Martialis lib. XIII epigram. CXI

De Sinueſſanis venerunt Maſſica prælis.

ex quo vicinia Sinueſſæ & Maſſici intelligitur. Horatius ode I

- - *veteris pocula Maſſici.*

Sub hoc monte patet *Falernus ager.* Liuius lib. XXII cap. XIV *Vt vero in extrema iuga Maſſici montis ventum eſt, hoſteſque ſub oculis erant, Falerni agri colonorumque Sinueſſæ tecta vrentes*, & reliqua. Scilicet idem mons Maſſicus, tanquam editior pars agri, interdum vocatur *mons Falernus.* Martialis lib. XII epigr. LVII

Nec in Falerno monte maior autumnus.

alii *colle* legunt, quod idem eſt. At *Falernus ager* nominatus & alibi Liuio. Lib. VIII cap. XI *Latinus ager, Priuernati addito agro; & Falernus, qui populi Campani fuerat, vſque ad Vulturnum flumen plebi Romanæ diuiditur.* Et lib. X cap. XX *per Veſcinos in Campaniam Falernumque agrum tranſcendunt.* Et cap XXI *in ſaltu Veſcino Falernum contingente agrum.* Vini generoſiſſimi ferax. Plinius lib. XIV cap. VI *Secunda nobilitas Falerno agro erat, & ex eo maxime Fauſtiano.* Fauſtianus autem ager pars Falerni melior. Et ibidem Plinius: *Fauſtianus* [ager incipit] *circiter quatuor millia vico prope Cedias, qui vicus a Sinueſſa VI millibus abeſt.* Cediæ autem ignotus locus. Sed ad Falernum reuertimur. Silius lib. VII verſ. 164

- - *gra-*

> \- - - - *grauidæ cui nectare vites*
> *Nulli dant prælis nomen præferre Falernis.*

Sæpe id Horatius vinum laudauit, vt lib. I oda XX *Falernæ vites*: & lib. II Sermon. sat. III vers. 115 cum Chio componit:

> \- - *positis intus Chii veterisque Falerni*
> *Mille cadis.*

In hoc tractu decurrit *Sauo* fluuius, de quo supra in litorali ora dictum fuit. Ponte is iungitur ad Appiam viam, qui *Pons Campanus* adpellatur. Plinius lib. XIV cap. VI *Falernus ager a ponte Campano læua petentibus Vrbanam coloniam Sullanam, nuper Capuæ contributam, incipit.* Horatius Serm. lib. I satyr. V vers. 45

> *Proxima Campano ponti quæ villula, tectum*
> *Præbuit, & parochi quæ debent, ligna salemque.*
> *Hinc muli Capuæ clitellas tempore ponunt.*

Tabulæ Peutingerianæ hæc dispositio locorum est:

> *Sinuessa* - - *ponte Campano* III *Vrbanis* - - *Casilino.*

Ex quibus vna cognoscimus, non integri diei iter a ponte fuisse Capuam, quia ibi onerati muli tempestiue clitellas Capuæ deposuerint: etiam, vbi *Vrbana* Syllæ *colonia* fuerit, & quam vicina Campano ponti. Hæc enim est, quam nomine *Vrbanis* significavit Tabula.

Falernum a septemtrione claudit mons Callicula, supra quem *Stellatis* est *Campus*. De monte Liuius lib. XXII cap. XV *Quum satis sciret* [Fabius,] *per easdem angustias, quibus intrauerat Falernum agrum,* [Hannibalem] *rediturum; Calliculam montem & Casilinum occupat modicis præsidiis, quæ urbs Vulturno flumine dirempta Falernum a Campano agro diuidit.* Et insequente XVI capite: *quum per Casilinum euadere non posset, petendique montes, & iugum Calliculæ superandum esset.* De campo autem *Stellate* idem lib. IX cap. XLIV *Eodem anno in campum Stellatem agri Campani Samnitium incursiones factæ.* De situ eius ex eiusdem libri XXII cap. XIII quodammodo constat. *Auersus*, inquit, *ab suo itinere* [Hannibal] *per Allifanum, Calatinumque, & Calenum agrum; in campum Stellatem descendit, vbi quum montibus fluminibusque clausam regionem circumspexisset, vocatum ducem percunctatur, vbi terra-*

rum esset ; quum is Casilini eo die mansurum eum dixisset, tum demum cognitus est error. Memoratus hic campus etiam a Cicerone est. Agraria I cap. VII, *His*, inquit, *colonis agrum Campanum & Stellatem campum diuidi iubet.* Et oratione II Agrar. cap. XXXI *Adiungit Stellatem campum agro Campano, & in eo duodena describit in singulos homines iugera : quasi vero paullum differat ager Campanus & Stellatis.* Et Suetonius Cæs. cap. XX *Campum Stellatem, maioribus consecratum, agrumque Campanum ad subsidia reipublicæ vectigalem relictum, diuisit extra sortem.* Campanus autem ager ille, qui toties Stellati campo opponitur, præcipue est Capuanus, vti mox ostendetur.

Capua autem antiquissima vrbs, vt ex Paterculi lib. I cap. VII adparet ; & caput suæ gentis & vrbium circumiectarum. Florus lib. I cap. XVI *Ipsa caput vrbium Capua, quondam inter tres maximas, Romam Carthaginemque, numerata.* Ad *caput* ergo nominis ortum referre videtur, quemadmodum Strabo lib. V p. 172 eamdem κεφαλὴν vocat, τῷ ὄντι κατὰ τὴν ἐτυμότητα τοῦ ὀνόματος, *vere caput, vt nomen sonat.* At Liuius lib. IV cap. XXXVII a *Capye*, Samnitum duce, qui ceperit a Tuscis conditam, nouum nomen fuisse, ex fama tradit. Videlicet, *Vulturnum, Etruscorum vrbem, quæ nunc Capua est, a Samnitibus captam, Capuamque ab duce eorum Capye adpellatam.* Sed addit idem: *vel, quod propius est, a campestri agro.* quod Plinius etiam lib. III cap. V comprobauit. *Intus*, inquit, *coloniæ: Capua ab campo dicta : Aquinum, Suessa*, & aliæ. Adlusio ergo in Flori verbis & Strabonis inest, non vera origo nominis. Punico bello quod Hannibalem exceperat, in formam præfecturæ redacta erat : sed a COS. Cæsare ius pristinum recuperauit. Velleius lib. II cap. XLIV *In hoc consulatu Cæsar legem tulit, vt ager Campanus plebi diuideretur : suasore legis Pompeio. Ita circiter XX millia ciuium eo deducta, & ius ab his restitutum post annos circiter CLII, quam bello Punico ab Romanis Capua in formam præfecturæ redacta erat.* Copia & amœnitas loci ciuitatem magistram voluptatis fecit. Liuius lib. VII cap. XXXVIII *Iam tum minime salubris militari disciplinæ Capua, instrumento omnium voluptatum delinitos militum animos auertit a memoria patriæ.* Addc lib. XXIII cap. IV. Gentile contendit Cluuerius veteribus

Cam-

Campanum fuisse, ex Liuii VII cap. XXIX, qui, *Samnites*, inquit, *omissis Sidicinis, ipsam arcem finitimorum Campanos adorti - - - Tifata, imminentes Capuæ colles, quum præsidio firmo occupassent, descendunt inde quadrato agmine in planiciem, quæ Capuam Tifataque interiacet.* Et cap. XXX legatorum oratione: *Campani, non vrbis amplitudine, non agri vbertate vlli populo, præterquam vobis cedentes.* Adde quæ paullo ante in Falerno agro & Stellate campo diximus. Græce Καπυανός, *Capuanus*, formant. Sic Stephani epitomator; & in nummis Golzii ΚΑΠΥΑΝΩΝ. Posterioris æui inscriptione, quam Sponius pag. 161 Valentiniani temporibus tribuit, (exstat etiam apud Gruterum pag. 459 num. 1) legitur ORDO CAPVENSIS.

Casilinum, ad vtramque Vulturni ripam fuit, vbi nunc Capua noua. Liuius lib. XXII cap. XV *Calliculam montem & Casilinum occupat modicis præsidiis.* Cicero Philipp. II cap. XL *Deduxisti coloniam Casilinum, quo Cæsar ante deduxerat:* puta in primo consulatu suo. Decreuit postea. Plinius lib. III cap. V *Sunt & morientis Casilini reliquiæ.* Incolæ *Casilinenses* Ciceroni dicti lib. II de Inuent. cap. VII: & *Casilinates* Val. Maximo lib. VII cap. VI exemplo 2.

Tifata, plurale nomen, mons Capuæ qui imminet. Liuius lib. VII cap. XXIX *Tifata, imminentes Capuæ colles.* Et lib. XXVI cap. V de Hannibale: *In valle occulta post Tifata, montem imminentem Capuæ, consedit.* Et lib. XXXII cap. VII *sub Tifatis Capuæ agrum* [censores] *vendiderunt.* Silius lib. XII vers. 48 de Hannibale

- - - - arduus ipse
Tifata inuadit propior, qua mœnibus instat
Collis, & e tumulis subiectam despicit vrbem. id est Capuam.

Sacer montanus is tractus fuit, & in Tabula Augustana duæ ædes in collibus supra Capuam conspiciuntur: alteri, quæ ad occasum vergit, adscriptum est *Ad Dianam:* alteri, orientem respicienti, *Iouis Tifatinus.*

Supra Calliculam *Cales* erant, oppidum & colonia. In veteri Tabula itineraria ponuntur inter Teanum Sidicinum & Casilinum, ab hoc VII millibus, vnde de situ iudicandum. Cicero

ad Attic. lib. VIII cap. XV *Capuam Calibus proficifcens, has litteras dedi.* Et lib. XVI epist. XI ad eumdem: *iter faciens* [Cæsar puer] *in Samnium, venit Cales, mansit Teani.* Et Philipp. XII cap. XI *Sulla cum Scipione inter Cales & Teanum leges inter se, conditiones, contulerunt.* Tacitus lib. VI cap. XV *Vinicio oppidanum genus, Calibus ortus.* Silius lib. VIII vers. 513 *non paruam vrbem* vocat: Strabo lib. V pag. 164 πόλιν ἀξιόλογον, *vrbem memorabilem:* Cicero Agrar. II cap. XXXI *Calenum municipium.* At antiqua colonia etiam fuerat. Liuius lib. VIII cap. XVI *Capti cum vrbe Ausones sunt, præsidioque imposito Calibus, reducta Romam legiones.* Et interiectis paucis: *Consules de colonia deducenda Cales retulerunt, factoque SC. vt duo millia quingenti homines eo scriberentur, triumuiros coloniæ deducendæ agroque diuidundo creauerunt.* Paterculus lib. I cap. XIV *Eodem anno* [quo Campanis data ciuitas] *Cales deducta colonia.* Sic semper pluratiuo numero nominant: semel Silius lib. XII vers. 525 *Threiciamque Calen* dixit, quum & ipse antea lib. VIII vers. 513 dixerit, *quem genuere Cales:* & magister eius Aeneid. VII vers. 728 *quique Cales linquunt.* Oppidani *Caleni.* Fragm. Capitolin. in M. Valerii Corui triumpho DE CALENEIS IDIBVS MART. CDXIIX. Grut. pag. 297. Diuites vini melioris prouentu. Horatius lib. I oda XX

Cæcubum, & prælo domitam Caleno
Tu bibes vuam.

Et oda XXXI *Premant Calena falce, quibus dedit*
Fortuna, vitem.

Inde ad occasum, *Teanum Sidicinum* est, nunc vulgo *Tiano.* Plinius lib. III cap. V *Intus coloniæ: Capua - - - - Teanum Sidicinum cognomine, Nola.* Indiget gentis cognomine, vt a Teano Apulo discernatur. Paullinus Nolanus III Natal. Felicis vers. 75

Quique vrbem liquere Cales, geminumque Teanum,

geminum, hoc est, & Sidicinum & Apulum. Cicero ad Pompeium epistola, quæ libro VIII ad Atticum inest: *Capuam veni eo ipso die, quo tu Teano Sidicino es profectus.* Et Liuius lib. XXII cap. LVII *legione Teanum Sidicinum præmissa.* Strabo sub finem lib. V vocat Τέανον Σιδικηνόν: addit καὶ αὐτὴ ἀξιόλογος, *& hæc ex vrbibus* no-

nobilibus est. Frontinus de Colon. *Teanum Sidicinum colonia Cæsaris Augusti. - - - Ager eius militibus est adsignatus.* Interdum sine cognomine *Teanum* vocatur, Sidicinum autem intelligitur, tamquam nobilius altero, non indigeat discriminis nota. Cicero VII Attic. ep. XIII *Pompeius a Teano Larinum versus profectus est a. d.* VIII *kal. Eo die mansit Venafri.* Et Ptolemæus in Campania Τέανον simpliciter. Populus, *Sidicini*, tam in oppido, quam circa illud. Cicero Philipp. II cap. XLI *Quid ego illas istius minas contumeliasque commemorem, quibus inuectus est in Sidicinos?* Sunt tamen in lapidibus etiam TEANENSES. Vide Grut. p. 381 n. 1. & 389 n. 2.

Hanc inter Sidicinorum vrbem & Minturnas fere media est *Suessa Aurunca*, cognomine ab Suessa Pometia diuersa, Auruncorum vrbs altera, quam, *Aurunca* metu deserta, communiuerunt. Liuius lib. VIII cap. XV *Fama adfertur, Auruncos metu oppidum deseruisse, profugosque cum coniugibus & liberis, Suessam communisse, quæ nunc Aurunca adpellata; mœnia antiqua eorum, vrbemque ab Sidicinis deletam.* Breui post facta colonia. Idem lib. IX cap. XXVIII *Suessa & Pontia eodem anno coloniæ deductæ sunt. Suessa Auruncorum fuerat.* Et Velleius lib. I cap. XIV *Suessa Aurunca deducta colonia.* Ciceronis tempore municipium fuit. Philipp. XIII cap. VIII *lautissimum oppidum, nunc municipium, honestissimorum quondam colonorum, Suessam fortissimorum militum sanguine* [Antonius] *impleuit.* Abest hinc cognomen, vt in illo Silii lib. VIII vers. 498 *detritaque bellis Suessa.* Iterum colonia facta sub Augusto. Inscript. Grut. pag. 1093 n. 8 AEDILIS COLONIA IVLIA FELICI CLASSICA SVESSA. Qui colebant, *Suessani.* Alia inscriptione sub Hadriano facta, apud Holsten. p. 257 QVI VIAM SVESSANIS MVNICIPIIS SVA PEC. FECIT. Cato R. R. cap. XXII *trapetus emtus in Suessano.*

Supra Teanum, in ortum hibernum sunt *Rufræ*, Virgilio lib. VII vers. 739 in Campanis oppidis numeratæ:

Qui Rufras, Batulumque tenent, atque arua Celennæ.

Obscura nomina, Campaniæ tamen cum ceteris quæ præcedunt, quæ sequuntur, vindicanda. Seruius ibi: *Rufras Batulumque: Castella Campaniæ a Samnitibus condita.* Holste-

nius auctor eſt, Præſenziani in Teanenſi diœceſi lapidem repertum, cui inſcriptum eſt:

M. AGRIPPAE L. F. PATRONO
RVFRANI COLONI.

& ager adiacens vulgo *la Coſta Rufaria* dicitur. Silius lib. VIII verſ. 567

Et quos aut Rufre, aut quos Aeſernia, ſupple, *miſit.*

Rufre, ſecunda vocali, libri, quaſi Ῥȣ́φρη; niſi *Rufræ* legendum, vt Virgilius habet; quia antiqui codices ſæpe E pro biuocali exhibent. In hoc tractu etiam *Batulum* & *Celennas* fuiſſe, videtur admodum probabile.

Venafrum, extremum Campaniæ in ſeptemtriones oppidum, in Vulturni ripa, quod nomen retinet *Venafro*. Colonia aliquando fuit. Plinius lib. III cap. V *Intus coloniæ: Capua a campo dicta, Aquinum, Sueſſa, Venafrum.* Cato R. R. cap. CXXXV *palas* ac *tegulas Venafro* vult adferri. Cicero VII Attic. ep. XIII *Pompeius a Teano Larinum verſus profectus eſt a. d.* VIII *kal. Eo die manſit Venafri.* Præſtantis olei prouentu nobile eſt. Inde Straboni dicto loco εὐέλαιος ille tractus, *olei feraciſſimus:* & p. 164 ὅθεν τὸ κάλλιςον ἔλαιον, *vnde optimum oleum eſt.* Horatius lib. II oda VI de Tarentina mellis & olei copia:

. . . *vbi non Hymetto*
Mella decedunt: viridiſque certat
Bacca Venafro.

Plinius lib. XV cap. II de oleo: *principatum in hoc quoque bono obtinuit Italia toto orbe, maxime agro Venafrano.* Vnde *Venafranum* abſolute pro oleo præſtantiſſimo. Iuuenalis ſatyra V verſ. 86

Ipſe Venafrano piſcem perfundit.

In citeriore Campania, ſed auſtrali magis, videtur etiam *Forum Popilii* fuiſſe, Ptolemæi Φόρος Ποπλίȣ, quod inter Capuam ponit atque Trebulam. Holſtenius ex Campaniæ lapide, quem ipſe Capuæ vidit, deſcripſit FORO POPILIENSIVM. Locus certus adſignari nequit.

In ortum æſtiuum a Calibus Vulturnum verſus *Calatia* recedit, vetus oppidum, iam inde ex Samnitium bello cum Romanis

nis notum. Liuius lib. IX cap. II *ad Calatiam* consules dicit castra habuisse: & cap. XXVIII *Qui captæ Nolæ decus ad* COS. *trahunt, adiiciunt, Atinam & Calatiam ab eodem captas.* Hannibalis bello post Capuam, vt Liuius lib. XXVI cap. XVI prodit, *Atella & Calatia in deditionem acceptæ.* Silius lib. VIII vers. 543

- - - *nec paruis aberat Calatia muris.*

Sociali bello *Calatia Capuensi coloniæ a Sulla adiudicata ob hosticam pugnam*, Frontino de Colon. referente. Cæsar, qui multa in Campanis reformauit, eo veteranos in coloniam misit. nam, quod Velleius lib. II cap. LXI tradit, Octauianus Cæsar *primum a Calatia, mox a Casilino veteranos exciuit paternos.* Populus, *Calatini.* Liuius lib. XXII extremo: *Defecere ad Pœnos hi populi: Atellani, Calatini, Hirpini*, reliqui. Eodem libro cap. XIII *per Allifanum, Calatinumque & Calenum agrum in campum Stellatem descendit.* Hæc fere cis Vulturnum, aut prope illum.

Nunc ad ea transimus, quæ trans Vulturnum amnem & Capuam, & Tifata sunt: in quibus prima occurrit *Suessula* inter Tifata montem & Glanium amnem, nunc quoque *Castel di Sessola.* Tabula Pentingeriana hic ordo seruatus:

Capua IX *Suessula* IX *Nola.*

Et Straboni Σούεσσουλα est. Hinc *Suessulani* dicti qui incolebant. Liuius lib. VIII cap. XIV *Cumanos Suessulanosque eiusdem iuris conditionisque, cuius Capuam esse placuit.* Sulla coloniam eo deduxit. Frontinus: *Suessula oppidum muro ductum: colonia lege Sullana est deducta.*

Ad Clanium amnem *Acerræ* sunt, hodieque Acerra: Straboni Ἀχέρραι. Virgilius Georg. II vers. 225

- - - *vacuis Glanius non æquus Acerris.*

quippe qui damna oppido crebra exundatione inferat. Nec aggeribus facile coerceri ab Acerranis potuit, ideoque Silio lib. VIII vers. 536 dictæ

- - - *Clanio contemtæ semper Acerræ.*

Vide de fluuio plus in litorali expositione supra. Liuius lib. XXIII cap. XVII *Pœnus Acerras primum ad voluntariam deditionem conatus perlicere:* & breui post: *Acerris direptis atque incensis.*

Inco-

Incolæ *Acerrani.* Idem lib. VIII cap. XVII *Romani facti Acerrani lege ab L. Papirio prætore lata*, qua ciuitas sine suffragio data. Et dicto iam lib. XXIII cap. XVII *Acerranis plus animi, quam virium erat.* Tamdem coloni eo missi. Frontinus principio libelli de Coloniis : *Acerræ muro ducta colonia : diuus Augustus deduci iussit.*

Ad idem flumen sed infra Acerras, Cluuerius oppidum *Trebulam* ponit, quæ sit Ptolemæi Τρέβουλα in Campanis oppidis, vnde *Trebulanos* Plinius lib. III cap. V, *cognomine Balinienses* ducat. Liuius lib. XXIII cap. XIV *Ipse* [Marcellus] *a Casilino Calatiam petit : atque inde, Vulturno amne traiecto, perque agrum Saticulanum Trebianumque super Suessulam per montes Nolam peruenit.* Cluverius *Trebulanum* legi vult, quod Gronouiorum editione receptum est, sed nulla nota emendationis adposita. Holstenius autem pag. 260 *Trebbiam* locum illum hodieque dici adfirmat, eoque Polybii lib. III cap. XCII Τρεβιανὸν λόφον (sic emendat ex Ἐρ-βιανὸν) *Tribianum collem* referendum censet.

Trans Clanium, in austrum magis si progredimur, inter Capuam & Neapolim, *Atella* fuit, cuius rudera II millibus ab Adversa visuntur. Tabula vtrimque IX millibus passuum amotam habet. Cicero Agr. II cap. XXXI *Atellam, Cumas, Neapolin -- suis præsidiis deuincient.* Strabo Ἄτελλα, Ptolemæus Ἀτέλλα. Liuius lib. XXVI cap. XVI *Atella & Calatia in deditionem acceptæ:* postquam ad Hannibalem defecerant. Silius lib. XI vers. 14

Iamque Atella suas, iamque & Calatia abegit,
Fas superante metu, Pœnorum in castra cohortes.

Municipium fuit : dein colonia facta. Cicero lib. XIII epist. VII *locutus sum tecum de agro vectigali municipii Atellani.* Frontinus de Colon. *Atella muro ducta colonia : deducta ab Augusto.* Incolæ *Atellani.* Liuius XXVII cap. III *Nucerini Atellam (Atellanis Calatiam migrare iussis) traducti.* De fabulis Atellanis, quod genus ab Oscis est, Liuium consulas lib. VII cap. II.

Ab Atella progressi, traiecto Sebetho amne, ad *Vescrim* sub Vesuuio monte venimus, incertum qui locus sit, oppidumne, an vicus, an flumen, an aliud. Aurelius Victor de Vir. illustr. dicit

dicit fluuium esse. In Decio patre : *positis apud Veserim fluuium castris.* Et in Torquato : *Latinos apud Veserim fluuium Decii collegæ deuotione superauit.* Nemo præter hunc aperte flumen nominauit. Quamobrem oppidum Cluuerius interpretatur, quia ceteri tantum dicant *ad Veserim, apud Veserim.* Cicero III Offic. cap. XXXI *cuius* [Manlii Torquati] *tertio consulatu Latini ad Veserim fusi & fugati.* Liuius lib. X cap. XXXVIII *pater P. Decius ad Veserim bello Latino se iusserat deuoueri* : Et Valerius Maximus lib. VI cap. IV *Manlius Torquatus, filius eius, qui Latinos apud Veserim inclyta pugna fuderat.* Accedit, quod nullum memorabile flumen in illo tractu, præter nominata, *Sebethum* atque *Sarnum*, est, &, quod Vibius in Sarnum deriuat, *Vestinum.* Nihilominus apud Liuium est, quod de oppido etiam dubites. Libro VIII enim cap. VIII *Pugnatum est,* inquit, *haud procul radicibus Vesuuii montis, qua via ad Veserim ferebat.* Si oppidum esset, dixisset, *qua via Veserim ferebat:* quod quamquam vsitatius est, rem tamen, quæ disceptatur, nondum explanat. Dixit enim Cicero quoque lib. III epist. VI *ad Sidam nauigassem:* & lib. IX epist. II *Te vero nolo ad Baias venire.* Quapropter in obscuris hunc locum relinquimus, hæsitantes oppidumne fuerit, an aliud.

Ab Vesuuio, in cuius radicibus Veseris erat, recta ad vrbem *Nolam* descendimus, quæ in campo iacet, perantiqua, & quondam frequens ac munita, a Chalcidensibus, vt fertur, condita. Hodie remisit splendor, seruato tamen nomine. Silius Italicus lib. XII vers. 161

Hinc ad Chalcidicam transfert citus agmina Nolam.
Campo Nola sedet, crebris circumdata in orbem
Turribus, & celso facilem tutatur adiri
Planiciem vallo.

De Chalcidensi origine consentit Iustinus ex Trogo, lib. XX cap. I *Nolanos* dicens *Chalcidensium colonos.* Velleius autem lib. I cap. VII *Quidam aiunt* (in quibus Catonem numerat) *a Tuscis Capuam Nolamque conditam.* Samnitico bello Romani sibi vindicauerunt. Liuius IX cap. XXVIII *In Campaniam reditum, maxime ad Nolam armis repetendam.* Et mox : *Nola est capta.* Item : *qui captæ decus Nolæ ad consulem trahunt.* Ad hanc vrbem primum Hanniba-

lis impetus, duce Marcello, fractus est: quod Liuius lib. XXIII cap. XVI descripsit. Qui habitabant & contra Hannibalem defenderant, non dubium, quin amplissimis præmiis ornati ab Romanis fuerint. Vespasianus nomen *Augustæ coloniæ* adiecit. Frontinus: *Nola muro ducta, colonia Augusta. Vespasianus Augustus deduxit.* Incolæ *Nolani:* & *ager Nolanus:* vtrumque apud Liuium lib. XXIII cap. XIV: & *plebs Nolana,* cap XVI.

Inde septemtrionem versus, vltra Clanis fontes, *Abella* est, nunc Abella Vecchia, prope Nouam sita. Strabo & Ptolemæus Ἀβέλλα scripserunt. Virgilius lib. VII vers. 740

Et quos malifera despectant mœnia Abellæ.

Sic enim legendum esse, non *Bellæ;* nec Seruio, vetusto interpreti, ignotum fuit. Silius lib. VIII vers. 544

- - - pauper sulci Cerealis Abella:

vbi quidam libri *Auella* habent, quemadmodum sæpe B & V in codicibus medii æui permutari cernimus. Frontinus de Coloniis: *Abella municipium. coloni vel familia imperatoris Vespasiani iussu eius acceperunt. Postea ager in iugeribus militi est adsignatus.* Hinc coloni vel municipes *Abellani* dicti. Iustinus lib. XX cap. I *Nolani, Abellani nonne Chalcidensium coloni sunt?*

Vltra Pompeios, prope Sarnum fluuium, in Picentinorum limite, *Nuceria* est Campaniæ, vulgo nunc Nocera, quæ cognomen *Alphaterna* habuit, siue *Alfaterna.* Diodorus Siculus lib. XIX cap. LXV οἱ τὴν Νουκερίαν τὴν Ἀλφατέρναν καλουμένην οἰκοῦντες, *qui Nuceriam Alphaternam inhabitant.* Liuius lib. IX cap. XLI *Fabius profectus ad Nuceriam Alfaternam.* Cognomen additum, vt ab Vmbriæ Nuceria, quæ *Camellana,* alia *Fauoniensis* secundum Plinium adpellantur, discerni possit facilius. *Nucerini* oppidani. Liuius XXVII cap. III *Nucerinos & Acerranos querentes, vbi habitarent, non esse, Acerris ex parte incensis, Nuceria deleta; Romam Fulvius ad senatum misit. Acerranis permissum, vt ædificarent quæ incensa erant: Nucerini Atellam, quia id maluerant (Atellanis Calatiam migrare iussis) traducti.* Et lib. IX cap. XXXVIII *ad depopulandum agrum Nucerinum profecti.*

Tandem

Tandem de Cluuerii *Tegliano* oppido aliquid adiungimus, quod ille putat in veteri inſcriptione [Grut. pag. 484 n. 6] CVR. REIP. TEGIANENSIVM, inueniſſe, quia cum Tabulæ *Ad teglanum*, ſito inter Nolam & Nuceriam, comparata, etiam locum eidem deſignari poſſe perſuaſum habet. Holſtenius autem in marmore redundare credit opificis lapſu ſyllabam GI, vt TEANENSIVM legatur: in Tabula vero non oppidum ſignari, (neque id pati præpoſitum AD) ſed forte *tegularium* legendum eſſe, locum ubi tegulæ coquantur. Certe ædificium, in Tabula adpictum, non oppidi eſt, ſed in publicum, aut principis vſum exſtructi. Vide Holſt. p. 261 ſeq.

PICENTINI.

Picentini continuantur in litore Campanis a *Mineruæ promontorio*, termino Campaniæ litorali, ad vſque *Silarum* amnem, terminum inter Picentinos Lucanosque. Intus ad Samnites vsque & Hirpinos proferebantur, licet ignota aut nulla in limite illo ſint Picentinorum oppida. Tractum hunc quondam Campani tenuere, ideoque Strabo lib. v extremo: οἱ Πικέντες μέχρι τοῦ Σιλάριδος ποταμοῦ, τοῦ ὁρίζοντος ἀπὸ ταύτης τῆς χώρας τὴν ἀρχαίαν Καμπανίαν. *Veterem* Campaniam dum memorat, ampliorem noua haud dubie vult intellectam, quam Silarus amnis finierit. *Picentes* autem vocat, quos ante paullo *Picentinos* magis proprio vocabulo adpellauerat. *Poſt Campaniam*, inquit, *& Samnitin, vſque ad Frentanos ſuper Tyrrhenum mare*, τὸ τῶν Πικεντινῶν ἔθνος οἰκεῖ, μικρὸν ἀπόσπασμα τῶν ἐν τῷ Ἀδρίᾳ Πικεντίνων, ὑπὸ Ρωμαίων μετῳκισμένον εἰς τὸν Ποσειδωνιάτην κόλπον, ὃς νῦν Παιςάνος καλεῖται, *Picentinorum gens habitat, auulſa a Picentinis* (Picentibus) *qui ad Hadriaticum mare habitant, ab Romanis tranſducta ad Poſidonium ſinum, qui nunc Pæſtanus nominatur.* Plinius vero vocabula curatius diſtinxit, *Picentes* vocans, qui Picenum ad ſuperum mare incolebant: *Picentinos*, ex illis deductos ad mare inferum inter Campanos Lucanosque medios. Lib. III cap. V ineunte: *Roma*, inquit, *terrarum caput: Volſcorum poſtea litus & Campaniæ: Picentinum inde ac Lucanum Bruttiumque.* Et ſub finem capitis: *A Surrento ad Silarum amnem*, XXX *millia paſ-*

suum, ager Picentinus fuit Tuscorum, templo Iunonis Argiuæ, ab Iasone condito, insignis. Tuscorum dicit, quia ante Oscos, Ausones & Campanos vniuersum id litus Etrusci feruntur tenuisse. Eiusdem libri cap. XIII *Quinta regio Piceni est: CCCLX millia Picentium in fidem populo Romano venere.* Et mox: *Finitur Prætutiana regio, & Picentium incipit.* Scilicet sicut libertini a libertis erant vocabulo distincti; ita *Picentium* illud ἀπόσπασμα *Picentini* sunt adpellati. Ptolemæus etiam *Picentinos* a Picenis (sic Picentes vocat) seiunxit tamquam infernates a supernatibus: sed in eo aberrat, quod Nolam illis & Nuceriam cum Sarni ostiis & Surrento attribuit, quæ omnium consensu Campanorum sunt. Longius Pomponius Mela ab eo quod verum est, declinat, qui inde a Pæstano sinu & oppido progressus ad Mineruæ promontorium, neque hoc excepto, *omnia Lucaniæ loca* dixit.

Quam exigua autem illa Picentinorum regio est, vt vix plura quam duo oppida nominari possint, *Salernum* & *Picentia*: tam multis illa controuersiis de situ oppidorum est implicata. Strabo extremo lib. V ἐπετείχισαν αὐτοῖς Σάλερνον Ῥωμαῖοι φρουρᾶς χάριν, μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάττης, *præsidii caussa Romani Salernum muniuerunt, paullo supra mare situm.* Plinius lib. III cap. V *Intus oppidum Salerni, Picentia.* Vnum an duo oppida designet, propter ambiguum gignendi casum *Salerni*, non est satis certum. Sane & Strabo dixit, φρουρᾶς χάριν Salernum communitum fuisse: oppidum, an vicus, & qualis locus ante munitionem fuerit, non dicit. Et Liuius lib. XXXII cap. XXIX *castrum Salerni* dixit. Io. Harduinus ad Plinium: *In mediterraneo, procul a mari, fuisse tum Picentiam innuit, Picentini agri metropolim. Salernum autem, quod in ora, vti nunc est, non oppidi tum nomen habuisse, sed præsidii tantum, a Romanis ibi constituti.* Postea vero oppidum *Salernum* factum, non dubitatur, quia colonia eo deducta fuit. Liuius lib. XXXIV cap. XLV *Salernum Buxentumque, coloniæ ciuium Romanorum deductæ sunt.* Adde Velleii lib. I cap. XV. Et Ptolemæus Σάλερνον in oppidis recenset, & Tabula Augustana vrbis signum adscriptum habet.

Idem oppidum *Salernum* vtrum mare attigerit, vti nunc attingit, itidem dubitatur. Cluuerius ita sentit: *Clara nunc vrbs*

vrbs Salerno in ipso litore posita, quum olim remota esset a mari, in montibus, qui hodiernæ vrbi imminent. Ad hæc quærit Holstenius: *quo auctore? nam adhuc bona ciuitatis pars in accliui collis latere habitatur.* Ptolemæus quoque in maritimis numerauit. At μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάττης, *paullum supra mare posuit* Strabo. Ille vero φρουρὰν, *castrum* tantummodo, idque ante coloniam deductam, memorauit. Si ergo castrum in monte fuit; num etiam postea totum oppidum & colonia? Sed in monte multæ ruinæ dicuntur superesse. Si sunt, dubium, vrbisne, an castri, an villæ suburbanæ fuerint. Nihil ergo certi definimus, proniores tamen in Holstenii quam Cluuerii sententiam. Ab vrbe denominatur *Salernitanus.* Plinius lib. XIII cap. III *L. Plotium, proscriptum a triumuiris, in Salernitana latebra vnguenti odore proditum constat.*

Nec facilior inuentu est vrbs *Picentia*, μητρόπολις, *caput* Picentinorum, vt Strabo extremo libro V vocitauit. Quam vero Plinius intus statuit Picentiam, Cluuerius, Harduinus, alii, a mari longius reducunt. Contra Holstenius pag. 263 *Inter Salernum & Ebolos transitur locus Bicenza dictus (quem adlabitur fluuius vulgo dictus il Bicentino)* VII *m. p. a Salerno, &* XIII *m. p. a Silaro distans. Vnde nullo modo dubitandum, quin hæc ipsissima sit Picentia, quæ in Picentino, non meditullio sita, nomen genti dedit. Et adpareret hinc, cur Mela eam in ora maritima recenseat.* Melæ de hoc verba sunt ex lib. II cap. IV *Pæstanus sinus, Pæstum oppidum, Silerus amnis, Picentia, Petræ quas Sirenes habitauere, Mineruæ promontorium.*

Fuit quoque oppidum inter Sirenusas & Posidoniam, Μαρκίνα, *Marcina* Straboni dictum, conditum, vt idem ait, a Tyrrhenis; habitatum a Samnitibus: sed situs ratione ad Picentinos, postea in illam regionem traductos, pertinuit, qui etiam haud dubie possederunt. ἐντεῦθεν, *hinc*, siue a Marcina, per Nuceriam Pompeios, isthmum esse dicit stadiorum CXX. Ex qua descriptione coniicit Cluuerius, fuisse forsan *Marcinam*, vbi nunc est oppidum *Veteri*, ipso nomine præ se ferens suam antiquitatem. Plura de Picentinis oppida non habemus, nec fuerunt forte multa, quia, vt idem Strabo obseruat, κωμηδὸν, *vicatim* habitauerunt. Vide libri V extrema.

SAMNIVM.

Samnites, notus Romanis bellis populus, a Sabinis orti, vnde etiam *Sabelli* adpellantur. Plinius lib. III cap. XII *Samnitium, quos Sabellos, & Graeci Saunitas dixere, colonia Bouianum.* Varro de Lat. ling. lib. VI cap. III *a Sabinis orti Samnites.* Idem (apud Philargyrium, veterem interpretem illius Georgicωn II verſ. 167 *pubemque Sabellam*) in Agemodo ſic ſcripſiſſe dicitur: *Terra culturae cauſſa attributa olim particulatim hominibus, vt Etruria Tuſcis, Samnium Sabellis.* Nec vero ſemper Sabelli ſunt Samnites, ſed ſæpe etiam proprie dicti Sabini *Sabelli*, præſertim a poetis, adpellantur. Singulare nomen *Samnis* eſt. Tacitus Hiſt. lib. III cap. LIX *Erectus Samnis Pelignusque.* Silius lib. IV verſ. 560

- - - - *Samnitis pellibus vrſa.*

Græcum nomen *Saunites*, quod Plinius tribuit, eſt ita apud Polybium & Dionyſium Halicarnaſſenſem, Σαυνῖται; in Strabonis autem libris Σαννῖται: Ptolemæus Romanis propius accedens Σαμνιτῶν πόλεις dixit. Regio illorum Latine *Samnium* vocatur. Liuius lib. IX cap. XLIV *ambo conſules in Samnium miſſi.* Et lib. X cap. XIV *totam belli molem in Samnium auerterunt.* Hæc Σαυνῖτις Græce. Polybius lib. III cap. XCII διελθὼν ἐκ τῆς Σαυνίτιδος τὰ στενὰ, *ex Samnio fauces transgreſſus.*

Ceterum in plura genera Samnitum gens diuiſa fuit, e quibus ſunt *Pentri* & *Caricini* ſiue *Caraceni*, nominatim cogniti: præter Hirpinos & Frentanos, qui etiam a Samnitibus ſunt. Liuius lib. IX cap. XXXI *Inde victor exercitus Bouianum ductus. caput hoc erat Pentrorum Samnitium longe ditiſſimum atque opulentiſſimum armis viriſque.* Quæ lectio, a Cluuerio ſollicitata, Excerptis Dionyſii Halicarnaſſenſis [ed. Valeſ. p. 533] confirmatur, qui etiam Σαυνιτῶν τοὺς καλουμένους Πέντρους memorauit, id eſt *Pentros Samnites.* Alios Samnites Καρακίνους, *Caracinos*, Zonaras Tom. II pag. 51 vocat, qui haud dubie ſunt Καρακηνοί, *Caraceni*, quibus Ptolemæus Aufidenam tribuit, locatis ὑπὸ τοὺς Φρεντανοὺς, *ſubter Frentanos.* Vterque populus trans Apenninum fuerunt. nam & ibi Samnites coluerunt: plures tamen, ſeu maior pars, citra montem, aut in montibus. Circum Samnites ergo fuere Aequiculi, Campani, Hirpini, Frentani, Peligni, & qui his ſunt interpoſiti.

Trans

Trans Apenninum extrema vrbs Samnitium, in finibus Pelignorum, *Aufidena* est, ad *Sagrum* flumen ſita, nunc vulgo Alfidena. Ptolemæo etiam Αὐφιδῆνα, qui caput Caracenorum Samnitium conſtituit. Liuius lib. X cap. XII *Bouianum inde adgresſus: nec ita multo poſt Aufidenam vi cepit.* Antonini iter a Mediolano ad Columnam per Picenum, licet numeris forſan parum fidei hoc loco ſit, tamen ordinem poſitionis monſtrat:

Sulmone	
Aufidenam	M. P. XXIIII
Aeſerniam	M. P. XXVIII
Bouianum	M. P. XVIII.

Oppidanos Plinius *Aufidenates* dixit lib. III cap. XII. De *Sagro* autem fluuio, cui adpoſita eſt Aufidena, Strabo lib. V pag. 167 ὁ Σάγρος ποταμὸς ὁρίζων τοὺς Φρεντανοὺς ἀπὸ τῶν Πελιγνῶν, *Sagrus fluuius dirimit Frentanos a Pelignis.* Ptolemæus vocat Σάρον, eliſa littera; ſed verior ſcriptura Strabonis; quia *il Sangro* hodieque adpellatur.

Ad Frentanorum fines accedunt *Tifernum* & *Treuentum.* De illo Liuius lib. IX cap. XLIV *Ambo* COSS. *in Samnium misſi, quum diuerſas regiones, Tifernum Poſtumius, Bouianum Minucius petiſſent; Poſtumii prius ductu ad Tifernum pugnatum.* Et lib. X cap. XIV *Profecti conſules, in Samnium legiones ducunt. Vbi in hoſtium fines ventum eſt, vterque populabundus effuſo agmine incedit: explorant tamen latius, quam populantur. Igitur non fefellere ad Tifernum hoſtes in occulta valle inſtructi, qua ingreſſos Romanos ſuperiore ex loco adoriri parabant.* Vtroque loco, vt oppidum, eſt deſcriptum: at tertio, qui eſt eodem lib. X cap. XXX, montem ita Liuius adpellat: *Volumnius in Samnio res gerit, Samnitiumque exercitum in Tifernum montem compulſum, non deterritus iniquitate loci, fundit fugatque.* Sed potuit mons, & oppidum, & fluuius eodem nomine eſſe. Fluuium certe memorauit Mela lib. II cap. IV *Ab eo,* inquit, *Frentani iam Matrini habent ac Aterni fluminis oſtia - - - Dauni autem Tifernum amnem.* Et Plinius lib. III cap. XI *Tifernus amnis. inde regio Frentana.* Hodie vulgo dicitur *il Biferno,* ad quem haud dubie hoc oppidum fuit, ſed ſuperiorem & fontibus propinquum. Vnde Cluuerii coniectura eſt, Tifernum quondam

dam eo loco fuiſſe, vbi nunc *Moliſe* eſt, caput ſuæ prouinciæ. Sed de Moliſe alia opinio eſt Holſtenii, quam poſt paullo proferemus.

Alterum ad Frentanorum fines oppidum, Samnitis ditionis, *Treuentum* fuit ſiue *Triuentium*. Frontinus de Coloniis: *Treuentum* [alii libri Tereuentum] *oppidum. Ager eius in præciſuras & ſtrigas eſt adſignatus poſt tertiam obſidionem militibus Iulianis.* Plinius lib. III cap. XII inde nominat oppidanos *Treuentinates*, ex forma *Treuentium*. Hodie dicitur *Triuento*, ad flumen *Trinium*, nunc Trigno: de quo Plinius dicto loco: *In ora, Frentanorum* [gens] *a Tiferno: flumen Trinium portuoſum.*

Tandem fuit trans montes etiam Samnitium vrbs *Bonianum*, de quo ſupra ex Liuii lib. IX cap. XXXI cognouimus, fuiſſe gentis *Pentrorum caput:* etiam in Tiferno ex cap. XLIV, *Bouianum* Minucium conſulem ad oppugnandum petiiſſe. Et lib. X cap. XII Liuius: *Conſulis clara pugna in Samnio ad Bouianum haudquaquam ambiguæ victoriæ fuit. Bouianum inde adgreſſus; nec ita multo poſt Aufidenam vi cepit.* Strabo Βοίανον, Ptolemæus Βουίανον ſcripſerunt. Colonia poſtmodum facta, eaque gemina. Plinius lib. III cap. XII *Samnitium, quos Sabellos, & Græci Saunitas dixere, colonia Bouianum vetus, & alterum cognomine Vndecumanorum.* Et Frontinus de Coloniis: *Bouianum, oppidum. lege Iulia milites deduxerunt, ſine colonis.* Rigaltium ibi interpretantem potes conſulere. Inde *Bouianius* formatur. Silius lib. VIII verſ. 565

- - - - - - *Bouiania quique*
Exercent luſtra.

Situm oppidum prope Tiferni fontes ad radices Apennini, nunc quoque ſuperſtes, *Boiano* dictum vulgariter. Et hæc Samnitium fuere trans Apenninum montem.

Cis montes prima eſt *Aeſernia*, hodie Iſernia, exiguo ſpatio a læua ripa Vulturni. Strabo Εσερνῖνα, ſed verius diphthongo ſcribitur, vti bis in fragmento marmoris Romani apud Gruter. p. 570 n. 10 inciſum eſt AESERN. In nummis gentis Claudiæ eſt aliquis AESERNINO inſcriptus, haud dubie Marcelli illius, de quo Epitoma Liuii LXXIII *Aeſernia colonia cum M. Marcello in poteſtatem Samnitium venit.* Silius lib. V verſ. 567

Et

Et quos aut Rufre, aut quos Aesernia --- misit.

Et Ptolemaeus Αἰσερνία, & emendatiores omnes codices Latini. Frontinus de Coloniis: *Aesernia colonia. Deducta lege Iulia. --- Ager eius limitibus Augusteis est adsignatus.* Sed vel additamentum hoc fuit, veteranorum forsan militum; vel renouatio coloniae veteris, aut exstinctae. nam ante quoque colonia fuerat, deducta Punico primo bello. Liuii epitoma XVI *Colonia Aesernia deducta est.* Et epitoma LXXII *Aesernia & Alba, coloniae, ab Italicis obsessae sunt.* Qui incolebant, *Aesernini*, dicti. Liuius lib. XXVII cap. X *Beneuentani & Aesernini.* Et Plinius lib. III cap. XII *Esernini*, vt Harduinus edidit: & *ager Aeserninus*, Liuii X cap. XXXI, vt in Gronouii codice est.

Longe hinc in ortum, sed aeque propinquum Apennino, *Saepinum* oppidum fuit, nunc Supino, prope fontes *Tamari* fluuii, Ptolemaeo Σαίπινον. Liuius lib. X cap. XLIV *diuersi, Papirius ad Saepinum, Caruilius ad Volanam oppugnandam legiones ducunt.* Et cap. XLV *Papirio ad Saepinum maior vis hostium restitit.* Tabula Peutingeriana sic:

Sepinum XII *Sirpium* XVIII *Benebento.*

Oppidani *Saepinates.* Inscriptio vetus p. 441 n. 4 Gruter. MVNICIPES SAEPINAT. Et pag. 513 n. 1 MAGG. SAEPINAT. At *Tamarus* fluuius, qui supra Beneuentum in Calorem, aut superiorem hoc, influit, hodieque id nomen tenet, ex Antonini itinere, a Mediolano per Picenum ad Columnam, ita est cognitus:

Bouiano
Super Tamari fluuium M. P. XVI
Ad Equotuticum M. P. XXII

Quod autem a Saepino in austrum iacet, *Sirpium*, ex sola forte Tabula, vt ostendimus modo, notum est.

Inter Venafrum & Sabati confluentem, supra laeuam Vulturni ripam, *Allifae* sunt, antiquum oppidum, quod nomen conseruat. Liuius lib. VIII cap. XXV *Tria oppida in potestatem venerunt, Allifae, Callifae, Rufrium.* Et lib. IX cap. XXXVIII *C. Marcius Rutilus Allifas de Samnitibus vi cepit.* Quod ad eumdem mo-

dum Diodorus Siculus lib. XX cap. XXXV narrauit: ὁ δὲ Μάρκιος ἐπὶ τοὺς Σαμνίτας ἀναζεύξας, Ἀλλίφας μὲν πόλιν εἷλε κατὰ κράτος. Ibidem Liuius cap. XLII *Q. Fabius proconsul ad vrbem Allifas cum Samnitium exercitu signis collatis confligit.* Frontinus de Colon. *Allife oppidum, muro ductum:* singulari forma, vt Silius lib. VIII vers. 536

Allife, & Clanio contemtæ semper Acerræ.

Et Ptolemæus Ἄλλιφα, *Allipha.* Meliores libri geminata littera L scriptum habent, quod vulgatis quibusdam est opponendum; præsertim quia lapides etiam consentiunt. Gruter. p. 417 num. 3 CVR. AQVAE DVCENDAE ALLIFIS. & pag. 460 n. 9 QVAESTOR. AVG. ALLIFIS. Hinc *Allifanus* nomen gentis & possessionum. Alia inscriptione pag. 407 n. 7 ORDO ET POPVLVS ALLIFANORVM. Et Cicero Agrar. II cap. XXV *ager Allifanus:* & pro Plancio cap. IX *totus ille tractus celeberrimus, Venafranus, Allifanus.*

Inde in ortum hibernum est *Telesia*, sita haud procul confluentibus Vulturni Sabatique, eaque etiam nunc *Telese.* Ptolemæus Τελεσία. Quamuis autem ad fines posita sit Campaniæ; tamen in Samnio etiam ab Liuio censam intelligimus. Lib. XXII cap. XIII *Hannibal ex Arpis in Samnium transit. Beneuentanum depopulatur agrum: Telesiam vrbem capit.* Et lib. XXIV cap. XX *Fabius in Samnium ad populandos agros, recipiendasque armis, quæ defecerant, vrbes processit. - - - oppida vi capta, Compulteria, Telesia, Compsa, Melæ, Fulsulæ, & Orbitanium.* Fuit etiam colonia eo deducta. Frontinus: *Telesia, muro ducta, colonia a triumuiris deducta. - - - Ager eius militibus* [al. *limitibus*] *Augusteis in nominibus est adsignatus.*

Fluuius autem *Sabatus*, qui a Beneuento delatus Vulturno miscetur, hodieque Sabato dictus, ex veteri monimento an probari possit, aut mentio eius inueniri, dubito: nisi quod Liuius in hoc tractu *Sabatinos*, populum, memorat lib. XXVI cap. XXXIII, & insequente. *Omnes Campani*, inquit, *Atellani, Calatini, Sabatini, qui se dediderunt in arbitrium ditionemque populi Romani:* vt videri possit (sicut visum est Cluuerio) oppidum flumini fuisse adpositum, forsan *Sabatia* nomine, vnde denominati sint *Sabatini:*
sed

sed vbi illud fuerit, si fuit, ignoratur. *Sabatus* autem fluuius apud Beneuentum excipit alium, qui *Calor* adpellatur. Liuius lib. XXIV cap. XIV *Ad Beneuentum, velut ex composito, parte altera Hanno ex Bruttiis cum magna peditum equitumque manu: altera Ti. Gracchus ab Luceria accessit, qui primo oppidum intrauit. deinde, vt Hannonem tria millia ferme ab vrbe ad Calorem fluuium castra posuisse, & inde agrum populari audiuit; & ipse egressus mœnibus mille ferme passus ab hoste castra locat.* Et lib. XXV cap. XVII *Sunt qui in agro Beneuentano prope Calorem fluuium ostendant - - -* [consulem Gracchum] *interfectum.* Signatus etiam est *Calor fluuius* in Tabula Peutingeriana. Et Vibius de Fluminibus: *Calor, Beneuenti oppido iunctus.* Dicitur & hodie *il Calore.*

Vrbs autem, propter quam is Sabato miscetur, *Beneuentum* vocatur, olim *Maleuentum*, a grauitate ventorum eius loci, vt Procopius lib. I Goth. cap. XV interpretatur. Vetus nomen, tamquam vsitatum illo tempore, exstat apud Liuium lib. X cap. XV. *Samnitibus*, inquit, *Apuli se ante prœlium coniunxissent, ni P. Decius* COS. *iis ad Maleuentum castra obiecisset.* Antiquum oppidum adeo, vt a Diomede Troianis temporibus conditum feratur. Solinus cap. II *Notum est, a Philocteta Petiliam constitutam; Arpos & Beneuentum a Diomede; Patauium ab Antenore.* Quum colonia fieret Romana (deducta autem est A. V. CCCCLXXXV, ante Punicum primum bellum, vt ex Velleii lib. I cap. XIV adparet) mali ominis nomen in melius commutatum fuit. Plinius lib. III cap. XI *Intus in secunda regione, Hirpinorum colonia vna, Beneuentum, auspicatius mutato nomine, quæ quondam adpellata Maleventum.* Hirpinorum dicit, quia in confinio Samnitium & Hirpinorum. Alii vero Samnio proprio adscribunt. Liuii epitoma XV *Coloniæ deductæ, Ariminum in Piceno, Beneuentum in Samnio.* Et Eutropius lib. II cap. IX *Conditæ a Romanis ciuitates, Ariminum in Gallia, & Beneuentum in Samnio.* Samnites etiam possederunt. Liuius lib. IX cap. XXVII *Tota deinde iam vincere acie Romanus, &, omisso certamine, cædi capique Samnites: nisi qui Maleuentum, cui nunc vrbi Beneuentum nomen est, perfugerunt.* Aucta colonia & renouata ab Augusto. Holstenius p. 266 ex Caudino lapide: COLONIA IVLIA CONCORDIA AVG. FELIX BENEVENTVM. Coloni dicuntur *Beneuentani* vt in lapidibus sæ-

 pe.

pe. Vide Gruteri opus. Et p. 390 n. 1 ORDO BENEVENTANVS. Liuius lib. XXIV cap. XVI *Beneuentani omnes turba effusa quum obuiam ad portam exissent.* Et lib. XXVII cap. X *Beneuentani & Aeserinini.* Et lib. XXII cap. XIII *Hannibal ex Arpis in Samnium transit : Beneuentanum depopulatur agrum.* Quod ideo diligentius notamus, vt vel Stephanus ille Byzantius, vel epitomator eius castigetur, qui scripsit, τὸ ἐθνικὸν, Βενεβεντῖνος.

Inter Calatiam & Beneuentum in Appia est *Caudium*, vt Strabo ducit & Tabula itineraria. Crebra mentio est Liuii libro IX, vt cap. II *circa Caudium* [Pontius Samnitium dux] *castra locat :* & cap. IX *Nihil ad Caudium humanis consiliis gestum est:* cap. X *ductus ad Caudium exercitus :* ac cap. XII *obsides ad Caudium dati.* Frontinus de Coloniis tantummodo *oppidum* vocat, *muro ductum*, quod *a Cæsare coloniæ Beneuentanæ cum territorio suo adiudicatum* sit. Hinc *Caudinus* denominatiuum : vt *Caudinus Samnis*, Liuii lib. XXIV cap. XX : &, *sicut quondam Caudini fecerunt*, Velleii lib. II cap. I: &, *Caudinum prœlium*, Cicero de Senect. cap. XII: *Caudina pax*, Liuius ineunte libro IX, & cap. VII: *Caudinæ legiones*, ibidem cap. XII. Maxime vero memorabiles Romanorum ignominia *Caudinæ Furculæ*, quas Liuius eiusdem libri cap. II & III, & lib. XXII cap. XIV nominat; siue *Furcæ Caudinæ*, vt epitomator lib. IX. quas idem dicto lib. IX cap. II sic descripsit : *altera via* [Luceriam] *per Furculas Caudinas breuior. Sed ita natus locus est : saltus duo alti, angusti siluosique sunt, montibus circa perpetuis inter se iuncti. Iacet inter eos satis patens clausus in medio campus herbidus aquosusque, per quem medium iter est. Sed antequam venias ad eum, intrandæ primæ angustiæ sunt, & aut eadem, qua te insinuaueris, retro via repetenda; aut, si ire porro pergas, per alium saltum arctiorem impeditioremque euadendum. In eum campum via alia per cauam rupem Romani, demisso agmine, quum ad alias angustias protinus pergerent, septas deiectu arborum saxorumque ingentium obiacente mole inuenere.*

Quæ ad hodiernam locorum faciem Holstenius p. 267 adplicuit, etiam pagum ibi *Furchie* dictum superesse testatur. Prope Caudium etiam *Taburnus* mons est, de quo Vibius Sequester in Montibus : *Taburnus Samnitum oliuifer.* Gratius autem Cyneget.

neget. verſ. 508 non amœnum & oliuiferum deſcribit, ſed tamquam horridum & vel Furculis Caudinis congruentem,

- - - - veniat Caudini ſaxa Taburni,
Garganumque trucem, aut Ligurinas deſuper Alpes.

de Parthico equo, molli greſſui adſuefacto, ſermo eſt, cui inuia ſint hæc loca aſperiora. Habet tamen & Vibius, quo ſe patrono tueatur. Virgilius Georg. II verſ. 38

- - - - iuuat Iſmara Baccho
Conſerere, atque olea magnum veſtire Taburnum.

Significat aſpera etiam & montuoſa loca tentanda ad culturam eſſe. Quod vero interpretum hic, Campaniæ; ille, Apuliæ tribuit Taburnum; errant, quia auctore Gratio *Caudinus* eſt, prope Caudium exiſtens in Samnio.

Tandem de *Saticula* aliquid dicendum eſt, quam licet Seruius in Aeneid. VII verſ. 729 in Campania locet; verius tamen in Samnio illa cenſetur, quia primum Feſtus Pompeius exſertis verbis Samnio attribuit. *Saticula*, inquit, *oppidum in Samnio captum eſt, quo poſtea coloniam deduxerunt triumuiri M. Valerius Coruus, Iunius Scæua, & Fuluius Longus ex* S. C. *kal. Ianuar. P. Papirio Curſore C. Iunio* II COSS. Congruit calculus Paterculi lib. I cap. XIV, qui etiam annum deductæ Saticulam coloniæ notauit. Deinde Liuius lib. VII cap. XXXII idem confirmat. COSS. inquit, *ambo cum duobus ab vrbe exercitibus profecti, Valerius in Campaniam, Cornelius in Samnium: ille ad montem Gaurum; hic ad Saticulam caſtra ponunt.* Ergo in Samnio Saticula. Accedit Virgilii vox lib. VII verſ. 729

- - - - pariterque Saticulus aſper;

at Campani molles conditione cæli: Samnites & Hirpini duri locorum aſperitate. Non ergo ſatis cauſſæ fuit, vt *Saticulam* Cluverius prope Capuam ſub monte Tifatis locaret. Quod etiam Holſtenio p. 260 diſplicuit, cuius ſummi viri iudicio vtique plurimum, præſertim in rebus Italiæ, eſt tribuendum. Memorat præterea *Saticulam* Liuius lib. IX cap. XXII, *dictator Saticulam oppugnare adortus:* & mox de Samnitibus: *ſpe abiecta Saticulæ tuendæ.* Gentile *Saticulani*, Liv. lib. XXVII cap. X: & *ager Saticulanus.*

lanus, lib. XXIII cap. XIV. Oppidum ipsum autem intercidit, vt nec vestigia, nec certa sedes ostendi possit. Ceterum plerisque libris Liuii, ante Gronouianam editionem *Satricula* expressum est, errore describentium, quasi cum *Satrico* oppido aliquid commune haberet: Festus autem & Velleius, vt vidimus *Saticula*; Virgilius *Saticulus*; Diodorus Siculus lib. XIX cap. LXXII & Stephanus Σατικόλα scripserunt.

Restant alia incertæ positionis loca, solis nominibus ex Liuii historiis cognita. Lib. X cap. XLV *Caruilius* [COS.] *Volanam, & Palumbinum, & Herculaneum ex Samnitibus ceperat: Volanam intra paucos dies: Palumbinum eodem quo ad muros accessit: ad Herculaneum bis etiam signis collatis ancipiti prœlio, & cum maiore sua quam hostium iactura, dimicauit. Castris deinde positis, mœnibus hostem inclusit: oppugnatum oppidum, captumque. In his tribus vrbibus capta aut cæsa decem millia hominum.* Herculaneum quidem in Tabula videtur corrupte significari, qua infra vocem *Aeras*, seu potius *Accas*, scriptum est *Hercul rani*: sed ita turbata ibi itinera sunt, vt locus certus adsignari nequeat. Addo ex lib. IX cap. XXXI *Cluuiam*, de qua æque nihil certi constat. *In Samnio*, inquit Liuius, *Cluuiam, præsidium Romanum, quia nequiuerat vi capi, obsessum fame in deditionem acceperant Samnites.* Et post paucissima interiecta: *Iunius nihil antiquius oppugnatione Cluuiana ratus, quo die adgressus est mœnia, vi cepit.*

Idem lib. XXIV cap. XX *Fabius in Samnium ad populandos agros, recipiendasque armis, quæ defecerant vrbes, processit. - - - Oppida vi capta: Compulteria, Telesia, Compsa, Melæ, Fulfulæ & Orbitanium.* E quibus *Telesia* & *Compsa* alibi explicantur: *Fulfulæ* & *Orbitanium* penitus ignota: *Compulteriam* quidem, quæ etiam lib. XXIII cap. XXXIX memoratur; vult Holstenius ostendere in loco *S. Maria de Covultere*: & *Melas* putat ad *Molise*, nobilem vrbem, referri posse. quod si est, cadit Cluuerii supra data de Molise coniectura. Sed nihil certiores reddimur, quia vtrobique etiam coniectura Holstenius ductus est. Liuius etiam lib. XXVII ineunte: *Marcellus Maroneam & Meles de Samnitibus vi cepit.* Maroneam non nouimus: Meles haud dubie *Melæ* sunt, quas modo contemplati sumus. Tandem in Samnio etiam fuit

Mur-

Murgantia. Liuius lib. x cap. XVII *P. Decius, adprobantibus cunctis, ad Murgantiam, validam vrbem, oppugnandam ducit.* Stephani epitomator, Μοργέντιον, πόλις Ιταλιας. λέγεται καὶ Μοργεντία, *Morgentium vrbs Italiæ: dicitur etiam Morgentia.* Fuisse autem in Samnio, ex P. Decii adhortatione, quæ proxime antecessit, clarum est. *Quid per agros*, inquit, *vagamur, vicatim circumferentes bellum? quin vrbes & mœnia adgredimur. nullus iam exercitus Samnio præsidet. cessere finibus, ac sibimet ipsi exsilium consciuere.* Et initio cap. XVIII *Dum ea in Samnio gererentur.* Quo autem loco in Samnio fuerit, definire non possumus. Addo æque incerta ex eodem lib. x cap. XXXIX *Duroniam & Cominium*, quæ Samnitium fuerunt, incertum autem vtrum intra proprium Samnium, an in finitima regione, armis illorum detenta. Quod vero *Cominium* tum ibi, tum præcipue cap. XLIII multum cum Aquilonia Hirpinorum coniungitur, etiam a Samnitibus possessum; vel in Hirpinis situm fuisse, vel in limite horum & Samnitium, probabile est.

HIRPINI.

Hirpini Samnitibus proximi & generis ortu, & situ locorum. nam & ipsi origine Samnites sunt. Strabo sub finem libri v Ἑξῆς εἰσὶν Ἱρπινοὶ, κἀυτοὶ Σαννῖται, *Sequuntur Hirpini, qui & ipsi Samnites sunt.* Quod vero addit de lupo, qui *Hirpus* Samnitium lingua dicatur, coloniæ illius deductore; fabulæ quam historiæ est similius. Picentinos a meridie attingunt: ab ortu Apulos: a septemtrione Apenninus obiacet & pars Samnitium, qui & cetera ab occidente cingunt. Rigantur *Sabato* & *Calore* fluminibus, supra in Beneuentano confluente explicatis. Oppida sunt

Abellinum, hodie Auellino, Ptolemæo Ἀβέλλινον, ad Sabatum fluuium fontibus propinquiorem. Frontinus principio libelli de Coloniis: *Abellinum, muro ducta colonia: lege Sempronia deducta. Ager eius veteranis est adsignatus.* Hinc Plinio sunt lib. III cap. XI *Abellinates cognomine Protropi*, & hi in Hirpinis sunt: a quibus ipse distinguit ibidem *Abellinates cognominatos Marsos*, qui ad Marsos etiam pertinent.

In or-

In ortum hinc *Aeculanum* recedit, quod Fricento Cluuerius interpretatur, Holstenius circa Mirabellam ponit. Ptolemæus Αἰκȣλανον. Appianus lib. I Ciuil. p. 643 Σύλλας ἐς ἔθνος ἕτερον Ἱρπίνȣς μετεςρατοπέδευε, καὶ προσέβαλε Αἰκȣλάνον, *Sulla inde in Hirpinos, aliam gentem, mouit, & Aeculanum oppugnare cœpit.* An etiam Cicero eius meminerit, lis est. Attico lib. XVI epist. II scripsit: V *kal. in Pompeianum cogitabam: inde Aculanum.* alii *Aeculanum.* Sic veteres libri & vulgati: ideoque multi *Aeculanum* Hirpinorum intelligunt. Coniecerat Manutius, forte *Herculanium*, quod a Pompeiis non longe abest, legendum esse, idque post multis editionibus, Bruti, Bosii, Gruteri, est receptum. Ais: quid Ciceroni cum Hirpinis? at prædixerat, *Brundisium cogito*, quo iter ex Campania per Samnium & Hirpinos vtique ferebat. Græuius & Gronouius antiquam lectionem reduxerunt. Scribitur etiam contracte *Aeclanum.* Inscript. Grut. p. 446 n. 7 R. P. AECLANENSIVM. Et Antoninus itinere a Beneuento Tarentum *Aeclanum*, vt A. Schottus; seu *Eclano*, vt Aldus & Simlerus ediderunt: quod etiam Tabula Peutingeriana ita expressum est.

Supra Aeculanum Cluuerius *Taurasinos campos*, ad Sabatum vsque fluuium, cum oppido *Taurasio*, quod falso ex Plinio probat, qui lib. III cap. XI nihil eius nominis habet. Addit Florum lib. I cap. XVIII in bello Pyrrhi dicentem: *Lucaniæ suprema pugna sub Arusinis, quos vocant, campis.* vbi vult *Taurasinis* legi, quod contra fidem codicum est omnium. Firmat veterem lectionem etiam Frontinus lib. IV Strategem. cap. I n. 13 de eodem Pyrrhi prœlio: *Romani deinde, victo eo in campis Arusinis, circa vrbem Statuentum castris eius potiti.* Quod insolens nomen *Statuentum*, quidam *Beneuentum* supposuerunt, quibus Flori *Lucaniæ* nouam difficultatem mouet. Maxime vero, quod Cluuerius contendit, videtur Liuius lib. XL cap. XXXVIII probare. *Ager*, inquit, *publicus populi Romani erat in Samnitibus, qui Taurasinorum* * * *traducere Ligures Apuanos vellent*, & reliqua. Mancum locum alii aliter supplere conati sunt: alii dubitant de *Taurasinorum*, quo innixa caussa est, vocabulo, quia vet. ed. *Tauraninorum*, quasi a *Taurania*, præ se fert, quod oppidum Stephanus habet, & Plinius in iis ponit Campaniæ, quæ olim perierunt, lib. III cap. V.

Est

Eſt quidem Ταυρασία, πόλις Κελτικὴ, *Taurasia*, *urbs Gallica* in Appiani Hannibalico p. 546, ſed vt ratio itineris oſtendit, in Transpadana: vnde Taurinorum vrbem multi ſignificari ſuſpicantur.

Ad Hirpinorum limitem aquilonalem attingit oppidum *Equus Tuticus*, id eſt *Equus magnus*, vt Hieroſolymitani itinerarii auctor interpretatur. Antoninus autem aliquot itineribus *Equum Tuticum* adpellat, quod nomen etiam in Tabula eſt, ſed bivocali ſcriptum *Aequo tutico*. Memorauit Cicero ad Attic. lib. VI ſub initium epiſtolæ I. *Scire vis*, inquit, *tuas ego quas acceperim. Omnes fere, quas commemoras, præter eas, quas ſcribis Lentuli pueris & Equotutico & Brundiſio datas*. Ptolemæus tantummodo Τουτικὸν ſcripſit, poſthabito nomine priore. Situm in via, quæ Benevento Brundiſium fert, quod Horatii itinere non minus, quam Antonini itinerario conſtat. Ille ſæpe dicta ſatyra V libri I non quidem nominat, quod vox inepta verſui; deſcribit autem & ſitum & naturam loci ſatis luculente:

Quatuor hinc rapimur viginti & millia rhedis,
Manſuri oppidulo, quod verſu dicere non eſt:
Signis perfacile eſt. Venit viliſſima rerum
Heic aqua: ſed panis longe pulcherrimus.

A villa *Triuici* egreſſus in hoc oppidulum rheda vectus peruenit, quod Ariano cenſet Cluuerius eſſe. Ipſum autem *Triuicum*, quod ſolus Horatius nominauit, cum Treuico, epiſcopali in eo tractu oppido, quis negabit conuenire?

Vlteriores *Aecæ* ſunt, nunc Troia, vt tam ex itinerariis, quam chronico veteri probat Holſtenius. In Tabula & Hieroſolymitano *Aecas* ſcriptum: in Antonini itinere ab Equotutico, *Ecas*, ab illo XVIII millibus paſſuum remotas. Gentile *Aecanus*. Plinius lib. III cap. XI *Aecani*, diuerſi ab *Aeculanis*, ibidem etiam nominatis. Vetus inſcriptio (Grut. p. 444 n. 5) CVRAT. REIP. AECANORVM.

Hinc XIX millibus, Canuſium verſus, quod ex itinere ab Equotutico Hydruntum intelligimus, eſt *Herdonia*, nunc Ardona, non Cedogna, quod Cluuerius volebat. Liuius lib. XXV cap. XXI *Circa Herdoniam Romanæ legiones & prætor Fuluius erant*. Et

lib. XXVII cap. I *nequaquam inde tantum gaudium fuit, quanta clades intra paucos dies accepta est haud procul ab Herdonia vrbe.* Appianus Hannibal. p. 587 Φούλβιος Ῥωμαίων ὕπατος Ἑρδονίαν ἐπολιόρκει, *Fuluius, Rom. consul, Herdoniam obsidebat.* O magno scribendum erat Ἑρδωνία. nam Silius Italicus lib. VIII vers. 568 produxit,

> - - - - *quosve*
> *Obscura incultis Herdonia misit ab agris.*

Itinerario Antonini & Tabula plurale est *Erdoniæ.* Itinere ab Equotutico Hydruntum:

Equotutico	
Ecas	M. P. XVIII
Erdonias	M. P. XVIIII
Canusium	M. P. XXVI.

Ad Apuliæ fines vrbs *Aquilonia*, Holstenio iudice nunc Cedogna, prope *Aufidum* amnem. Liuius lib. X cap. XXXIX *Papirius Aquiloniam, vbi summa rei Samnitium erat, peruenit.* Multa eius quoque in sequentibus mentio, cap. XLIII & XLIV. Ptolemæus in Hirpinis Ἀκυιλωνία. Oppidani Plinio lib. III cap. XI *Aquiloni*, quod Cluuerio truncatum videtur ex *Aquilonienses.* Non longissime abhinc videtur *Cominium* fuisse, quod vulgo ponunt in Samnio, malim in Hirpinis, quia Liuius dicto loco cum *Aquilonia* coniungit, sita in extremo Hirpinorum limite: quamuis vtrumque oppidum Samnites belli tempore armis tenuerunt. Liuii verba ex cap. XLIII libri X ad iudicandum proferre, fortasse non alienum videbitur. *Sic*, inquit, *ad Cominium, sic ad Aquiloniam gesta res. Inde medio inter duas vrbes spatio, vbi tertia exspectata erat pugna, hostes non inuenti, septem millia passuum quum abessent a Cominio, reuocati ab suis, neutri prœlio occurrerunt. Primis ferme tenebris, quum in conspectu iam castra, iam Aquiloniam habuissent, clamor eos vtrimque par accidens sustinuit.* Lege reliqua. Et cap. XLIV *Vterque ex alterius sententia consul captum oppidum diripiendum militi dedit: exhaustis deinde rebus, ignem iniecit, eodemque die Aquilonia & Cominium deflagrauere.*

In illo tractu forsan *Callifæ* etiam fuerunt, a Liuio lib. VIII cap. XXV memoratæ. *Tria*, inquit, *oppida in potestatem venerunt, Allifæ, Callifæ, Rufrium.* De primo supra diximus in Samnio: alte-

alterum quo ſitu fuerit, non liquet. Sunt qui in oppidulo *Cariſe* quærant, ſono forſan ducti non plane abhorrente. Quod vero tertium in Hirpinis extremis fertur eſſe; medium quoque in illis fuiſſe, vero non eſt abſimile.

In medio fere Hirpinorum lacus eſt graueolens *Amſancti* olim dictus, ſiue *Ampſancti*, nunc Mufiti, quod a *Mephiti* eſt, putore, aut dea tetri odoris, quæ culta ibidem fuit. Cicero lib. I de Diuinat. cap. XXXVI *Quid enim? non videmus quam ſint variæ terrarum genera? ex quibus & mortifera quædam pars eſt, vt & Ampſancti in Hirpinis, & in Aſia Plutonia.* Et Plinius lib. II cap. XCIII *In Hirpinis Ampſancti, ad Mephitis ædem, locus, quem qui intrauere, moriuntur.* Virgilius lib. VII verſ. 563

Eſt locus Italiæ medio ſub montibus altis
Nobilis, & fama multis memoratus in oris,
Amſancti valles. - - - -
Hic ſpecus horrendum, ſæui ſpiracula Ditis,
Monſtratur, ruptoque ingens Acheronte vorago
Peſtiferas aperit fauces.

Scilicet hanc voraginem ad inferos vſque patere, finxerunt poetæ. Idcirco Claudianus lib. II de Raptu, ſub finem, Proſerpinæ nuptiis feriatos & lætatos inferos deſcribens, dixit etiam

Tunc & peſtiferi pacatum flumen Auerni
Innocuæ tranſitis aues, flatumque repreſſit
Amſanctus: tacuit fixo torrente vorago.

Iuxta lacum, fanum fuit *Mephitis*, quod numen putori arcendo præſidere crediderunt. Plinius iam dicto loco, *ad Mephitis ædem.* Culta & alibi fuit, vt Cremonæ. Tacitus III Hiſt. cap. XXXIII *Quum omnia ſacra profanaque in igne conſiderent, ſolum Mephitis templum ſtetit ante mœnia, loco, ſeu numine defenſum.* Deinde μετωνυμικῶς ipſa exhalatio grauis atque peſtilens *Mephitis* vocata. Virgilius VII verſ. 84 de Tiburtini agri nemore & fonte Aſbunea:

- - - - *nemorum quæ maxima ſacro*
Fonte ſonat, ſæuamque exhalat opaca mephitim.

In auſtrum vergunt cetera. Ex his *Romulea* oppidum eſt, quam Li-

Liuius lib. x cap. XVII a Samnitibus possessam scribit. Decii consulis oratione: *Ad Romuleam vrbem hinc eamus, vbi vos labor haud magnus, præda maior manet.* Subdit Liuius: *Diuendita præda, vltro adhortantes imperatorem, ad Romuleam pergunt. - - - captum oppidum ac direptum est, ad duo millia* & CCC *occisi.* Stephani epitome: Ρωμυλια, τῶν ἐν Ιταλίᾳ Σαυνιτῶν πόλις, *Romulia, Samnitum in Italia oppidum.* Sæpe autem Hirpini cum Samnitibus censentur, quos & loco & origine attingunt. Itinerario & Tabula est *Subromula*, vt aliis quoque locis præpositio adiicitur: aut, vt diuersorium proximum oppido, siue *sub Romula* situm, significetur. Ex quibus simul locus & distantia intelligitur. Vtroque Antonini itinere a Beneuento, & Hydruntum & Tarentum directo,

Aeclanum	M. P. XXV
Subromulam	M. P. XXI
Pontem Aufidi	M. P. XXII
Venusiam	M. P. XVIII

Prope fontes Aufidi amnis vrbs *Compsa* est, nunc Conza. Et Ptolemæus Κομψα, sed in Lucanis ponit, quorum finibus propinqua est. Sed Hirpinorum fuisse, clare testatur Paterculus lib. II cap. LXVIII *Milo Compsam in Hirpinis oppugnans, ictusque lapide, tum P. Clodio, tum patriæ, quam armis petebat, pœnas dedit.* Et Liuius lib. XXIII ineunte: *Hannibal post Cannensem pugnam - - - - accitus in Hirpinos a Statio, pollicente se Compsam traditurum.* Qui colebant *Compsani* dicti Plinio lib. III cap. XI. Et Liuius eodem principio: *Compsanus erat Trebius, nobilis inter suos.*

Tandem in extremo Hirpinorum vltra Compsam Cluuerius *Rufrium* Liuii, quod, & *Rufræ* Virgilii, idem ipsi oppidum est, cuius ductu nescio, collocauit. Nos, Holstenium sequuti, Rufras a Rufrio supra separauimus, vt, illis Campaniæ vindicatis, sicut vindicauimus, *Rufrium* solum supersit inuestigandum. De hoc Liuius lib. VIII cap. XXV *Eodem tempore etiam in Samnio res prosperε gesta. tria oppida in potestatem venerunt, Allifæ, Callifæ, Rufrium.* Samnio attribuit, sed laxis finibus descripto, vt Hirpinos etiam, qui ortu Samnites sunt, comprehendat. An sit oppidum quod hodie Ruvo vocatur, quod credit Cluuerius; iudicent periores illarum regionum.

FREN-

FRENTANI.

Samnitum progenies altera *Frentani.* Strabo lib. v p. 166 Φρεντανοὶ, Σαυνιτικὸν ἔθνος, *Frentani, gens Samnitica.* Oram maris ſuperi incolebant ab *Aterno* fere ad *Frentonem* amnem, a quo nomen habent. Plinius autem videtur *Tiferno* amne finire lib. III cap. XI. *Flumen*, inquit, *portuoſum Frento, Teanum Apulorum; itemque Larinatum Cliternia, Tifernus amnis. Inde regio Frentana.* Et cap. XII *Sequitur regio quarta gentium vel fortisſimarum Italiæ. In ora, Frentanorum, a Tiferno.* At ipſe cap. XI *Larinates*, trans Tifernum colentes, cognominauit *Frentanos:* & Ptolemæus Larinum in Frentanis mediterraneis cenſet. Olim ergo *Frentonem* amnem *Frentanorum*, quos denominat, fuiſſe, vtique ſimillimum veri eſt, quamquam aliquando mutata res in gratiam Apulorum fuerit. Flumina ergo Frentanorum poſt *Aternum*, de quo ſupra in Veſtinis & Marrucinis actum, ſunt, *Sagrus*, & *Trinius*, & *Tifernus*, de quibus in Samnio diximus: & tandem *Frento*, terminus.

Oppidorum primum eſt ab Aterno fluuio *Ortona*, Græcis Ὄρτων, virili genere. Strabo lib. v pag. 167 Μετὰ δὲ Ἄτερνον Ὄρτων, ἐπίνειον Φρεντανῶν, *Poſt Aternum Orton eſt, nauale Frentanorum.* Atque ita etiam Ptolemæus ſcripſit, quamquam perperam Pelignis adiudicauit. Plinius lib. III cap. XII *Frentanorum*, [gens] *a Tiferno: flumen Trinium portuoſum. Oppida Hiſtonium, Buca, Ortona: Aternus amnis.* Hanc inter & Sagrum fluuium, ſed paullo intus, eſt *Anxanum* oppidum: vulgo nunc l' Anciano, ſiue Lanciano. Ptolemæus lib. III cap. I Φρεντανῶν μεσόγειοι [πόλεις] Ἄγξανον, Λάρινον, *Frentanorum mediterraneæ vrbes Anxanum, Larinum.* Incolæ *Anxani* Plinio auctore, qui lib. III cap. XII *Intus Anxani, cognomine Frentani.*

Dein *Sagrus* fluuius eſt, nunc Sangro, Straboni Σάγρος, qui vero male inter Aternum & Ortonam ponit: Ptolemæo Σάρος, qui etiam falſo Pelignis oſtia adſignat: Vibio dictus *Saron Adriæ*, ſubaudi flumen. De hoc ſupra etiam in Samnio, ex cuius montibus decurrit, diximus. Inter Sagrum & *Trinium* flumen eſt oppidum ad mare ſitum *Hiſtonium.* Mela lib. II cap. IV *Frentani tenent vrbes Bucam & Hiſtonium.* Ptolemæus in Frentanis mariti-

mis *Ἱςόνιον.* Situm Tabula vetus Auguſtana oſtendit hoc ordine:

Ortona XI *Anxano* III *Annum* IV *Pallanum* XII *Iſtonium.*

De flumine, quod ex interuallo ſequitur, *Trinio* dicto, nunc Trigno, ita Plinius lib. III cap. XII *In ora, Frentanorum* [gens] *a Tiferno: flumen Trinium portuoſum.* Poſt hoc flumen, ſeu inter illud & Tifernum, *Buca* oppidum, itidem ad mare. Strabo dicto loco: *Ὄρτων ἐπίνειον φρεντανῶν, καὶ Βῦκα, καὶ αὐτὸ φρεντανῶν, Ortona, nauale Frentanorum; & Buca, ipſa quoque Frentanorum.* Plinius de Frentanis: *oppida, Hiſtonium, Buca, Ortona.* Pomponius: *tenent vrbes Bucam & Hiſtonium.* Sed Plinius peruertit ordinem, qui eſſe debet: *Buca, Hiſtonium, Ortona.* Ptolemæus quoque inter Tiferni oſtia & Hiſtonium locauit. Strabo Bucam dicit *ὅμορον, conterminam* Teano Apulo. At duo flumina, Tifernum & Frento, interlabuntur, & inter illa non mediocre ſpatium.

Poſt Tifernum, ſeu iuxta dextram ripam illius, *Larinum* eſt, hodie Larina vulgo, intus ſitum & a Ptolemæo in *μεσογείοις, mediterraneis* Frentanorum, poſitum *Λάρινον, Larinum.* Cicero pro Cluentio cap. IX *quum alter eius filius Teani Apuli, quod abeſt a Larino decem & octo millia paſſuum, apud matrem educaretur.* Mela lib. II cap. IV *Cliterniam, Larinum, Teanum oppida* Daunis Apulis attribuit: quem Plinius ſequutus eſt, in Tiferno amne Frentanorum limitem conſtituens. Supra autem oſtendimus, quare ad Frentonem vsque Frentanorum limitem, vbi olim fuerat, malimus continuatum. Municipium Larinum fuit. Cicero dictæ orationis cap. V *A. Cluentius Auitus, pater huiuſce, homo non ſolum municipii Larinatis, ex quo erat, ſed etiam regionis illius & vicinitatis, virtute, exiſtimatione, nobilitate facile princeps.* Gentile enim *Larinas* eſt, plur. *Larinates.* Silius lib. XV verſ. 565

Quaque iacet ſuperi Larinas accola ponti.

Et Plinius lib. III cap. XI *Larinates, cognomine Frentani.* Vbi autem alterum Larinum, hoc diſcretum cognomine, ſit, nondum liquet: niſi *Larinates* Silii lib. VIII verſ. 403, cum Venafranis & Arpinatibus coniunctos, huc pertrahere velis, quos poſſis etiam *Lirinates* legere. Amplum territorium ciuitatis, vt vel ſolum cum

cum regionibus censeatur. Cæsar I Civ. cap. XXIII *per fines Marrucinorum, Frentanorum, Larinatium in Apuliam peruenit.*

De *Cliternia*, quam Plinius & Mela his adiiciunt, nihil certi habemus, & locus ei sola coniectura definitur. Melæ hic est ordo: *Dauni* [habent] *Tifernum amnem, Cliterniam, Larinum, Teanum, oppida:* Plinius autem sic cap. XII *Flumen portuosum Frento, Teanum Apulorum: itemque Larinatum Cliternia: Tifernus amnis. Inde regio Frentana.* Vnde de amne etiam *Frentone*, nunc *il Fortore* dicto, iudicatur. nec enim alius ibi *portuosus* est, vt Frentonem Plinius signauit.

APVLIA.

Ad vlteriora Italiæ, quæ Græciam propius spectant, pedetentim nunc adeundum est. Non autem vno nomine ille tractus qua totus, qua partes insignitur, sed quidam omnem vocant *Iapygiam*, poetæ præsertim & nonnulli ex historicis Græcis: ceteris *Iapygia* sola est peninsula illa, ex qua in Græciam diuersis portibus traiicitur: quæ etiam *Messapia*, & *Calabria*, & *Ager Salentinorum* adpellatur: in quibus alii denuo distinguunt, præsertim inter Calabriam & Salentinorum regionem. Quidquid autem extra peninsulam in hoc tractu est, a Frentone flumine ad Brundisium vsque & Tarentum, Romanis APVLIA Latino ore dicebatur. Sed antiquorum testimoniis hæc singula comprobemus.

Polybius lib. III cap. LXXXVIII de Hannibale: διελθὼν καὶ καταφθείρας τήν τε Πρετετιανὴν, καὶ τὴν Αδριανὴν, ἔτι δὲ τὴν Μαρρυκίνην καὶ Φρεντάνην χώραν, ὥρμησε ποιούμενος τὴν πορείαν ὡς ἐπὶ τὴν Ιαπυγίαν. ἧς διῃρημένης εἰς τρεῖς ὀνομασίας, καὶ τῶν μὲν προσαγορευομένων Δαυνίων, τῶν δὲ [Πευκετίων, καὶ τῶν] Μεσσαπίων, εἰς πρώτην ἐνέβαλε τὴν Δαυνίαν. *Pertransiens & vastans Praetutianum Hadrianumque agrum etiam Marrucinorum & Frentanorum; in Iapygiam, continuans iter, inuasit. Quæ tribus nominibus distincta est, Dauniorum, Peucetiorum & Messapiorum. Hannibal autem primam impetiit Dauniam.* Priores partes vno nomine APVLIAM Romani adpellauere. Strabo lib. VI pag. 291 οἱ ἐπιχώριοι πᾶσαν τὴν μετὰ τοὺς Καλαβροὺς Απουλίαν καλοῦσι, *Incolæ, quidquid huius regionis post Calabros est,*

Apu-

Apuliam adpellitant. Poetæ vero & has sæpe partes, perinde vt Polybius, *Iapygiam* dixerunt laxiore vsu vocabuli adsumto. Virgilius lib. XI vers. 247 de Diomede:

> *Ille vrbem Argyripam, patriæ cognomine gentis,*
> *Victor Gargani condebat Iapygis aruis.*

Garganus autem mons in Apulia citeriore siue Daunia est, & nihilominus *Iapyx* cognominatur. Silius lib. I vers. 50

> *Dum Cannas tumulum Hesperiæ, campumque cruore*
> *Ausonio mersum sublimis Iapyga cernam.*

Etiam lib. III vers. 708 Cannensem agrum *Iapyga campum* dixit: & lib. VIII vers 223

> *Celsus Iapygios qua se Garganus in agros Explicat.*

Straboni vero, principi geographorum, Iapygia eadem est quæ Messapia, peninsula videlicet a Tarento & Brundisio ad Iapygium seu Salentinum promontorium procurrens. Ait enim lib. VI pag. 191 συνεχὴς δ' ἐστὶν ἡ Ἰαπυγία· ταύτην δὲ καὶ Μεσσαπίαν καλοῦσιν οἱ Ἕλληνες, [Italiam vsque Metapontum explicatam] *continenter sequitur Iapygia, quam & Messapiam Græci dixerunt.* Sed Apulia nunc nobis curæ est, inter Frentanos contenta & Calabros: lata autem a mari Hadriatico vsque Lucanos.

Nobilissimus Apuliæ fluuius est *Aufidus*, quem supra, principio huius de Italia capitis, pag. 632 descripsimus, e quibus tantummodo pauca Horatii, ex lib. IV oda XIV, repetemus:

> *Sic tauriformis voluitur Aufidus*
> *Qui regna Dauni præfluit Appuli.*

Appuli, geminata littera, porrigendæ syllabæ caussa, quæ per se correpta est, vt ex eiusdem poetæ lib. III oda IV patet:

> *Me fabulosæ Vulture in Appulo,*
> *Altricis extra limen Apuliæ,*
> *Ludo, fatigatumque somno*
> *Fronde noua puerum palumbes Texere.*

Lapides etiam L simplici scriptum hoc nomen exhibent. Gruter. pag. 14 n. 12 EX APVLIA: & pag. 411 n. 1 CALABR. ET APVLIAE. Alter fluuius qui apud Sipontum effunditur, est *Cerbalus*, nunc Ceruaro, de quo Plinius lib. III cap. XI *amnis Cerbalus*,

balus, Dauniorum finis. Finis Dauniæ, ſed intus forſan, vbi ab Hirpinis diſtinguit, in illorum natus montibus: quum procurrit, adeo non finis eſt, vt mediam Dauniorum regionem ſecet. Limes autem Dauniæ eſt paullo vltra amnem Aufidum conſtituendus, vt *Canuſium* etiam Dauniis, & *Venuſia*, vindicentur. Inde *Peucetii* Apuli incipiunt, qui reliqua vsque Calabriam occupauerunt. Strabo dicto lib. VI pag. 191 ὑπὲρ τούτους [Καλαβροὺς] πρὸς βορρᾶν Πευκέτιοί τε εἰσὶ καὶ Δαύνιοι, *ſuper Calabros, ſeptemtrionem verſus, ſunt Peucetii: deinde Daunii.* Itaque in duas partes diuiſa fuit Apulia, *Dauniam*, Frentanis conterminam; & *Peucetiam* alteram, Calabriæ fines attingentem.

DAVNIAE Apuliæ nomen a priſco rege *Dauno* eſt, ſocero Diomedis. Horatius lib. III oda vltima:

> - - *qua violens obſtrepit Aufidus,*
> *Et qua pauper aquæ Daunus, agreſtium*
> *Regnator populorum.*

Mela, Plinius, Ptolemæus oppida illius deſignant, & hic quidem diſtincte maritima primum, *Salapiam, Sipuntem* (Σιποῦς recto caſu) *Apeneſtas, montem Garganum, Hurium,* Græce Ὕριον: & mediterranea, *Teanum, Nuceriam, Vibarnum, Arpos, Erdoniam, Canuſium.* Pomponius Mela ita: *Dauni* [habent] *Teanum oppidum, montemque Garganum. Sinus eſt continuo Apulo litore incinctus, nomine Vrias, modicus ſpatio pleraque aſper acceſſu. Extra, Sipuntum, vel, vt Graii dixere, Sipûs; & flumen, quod Canuſium attingens, Aufidum adpellant.* Et Plinius lib. III cap. XI *Hinc Apulia Dauniorum cognomine, a duce Diomedis ſocero: in qua oppidum Salapia; Sipontum, Vria: amnis Cerbalus, Dauniorum finis: portus Agaſus, promontorium montis Gargani, portus Garnæ, lacus Pantanus - - - Teanum Apulorum.* Reliqua infra in *Luceria* trademus.

Primum poſt Frentonem, quod flumen Frentanos ab Apulis ſeparat, eſt *Teanum,* quod ſimpliciter *Teanum* iam Mela dixit & Ptolemæus: cum cognomine Plinius *Teanum Apulorum:* Strabo lib. VI pag. 197 τὸ Ἄπουλον Τέανον, ὁμώνυμον τῷ Σιδικινῷ, *Teanum Apulum, eiusdem nominis, quo Sidicinum.* Addit, ἐν μεσογαίᾳ, *in mediterraneo* ſitum. Veſtigia eius adparent ad Frentonem XVI milibus ſupra oſtium, qui locus hodie *Ciuita*, vel *Ciuitate* adpel-

latur, quod medio æuo Teani nomen fuit, & *Ciuitatensis* episcopus in actis Beneuentanæ ecclesiæ, cui Teanensis subiecta fuit, adhuc legitur, Holstenio teste p. 279. Gentile *Teanenses.* Liuius lib. IX cap. XX *Ex Apulia Teanenses Canusinique, populationibus fessi, obsidibus L. Plautio* COS. *datis, in deditionem venerunt.*

Superior prope idem flumen fuit vrbs *Gerion*, vt Gruterus legit; siue *Gerunium*, vt Polybius, quod Gronouius nomen etiam Liuio reddendum censet: siue *Geronium*, vt in Tabula Peutingeriana est, idque VIII millibus a *Teneapulo*, hoc est *Teano Apulo*, diiunctum. Liuius lib. XXII cap. XVIII *Ex Pelignis Pœnus flexit iter, retroque Apuliam repetens, Geronium peruenit, vrbem metu, quia collapsa ruinis pars mœnium erat, ab suis desertam.* Et Polybius lib. III cap. C ἐν τῇ περὶ τὴν Λουκερίαν καὶ τὸ καλούμενον Γερούνιον χώρᾳ, *in agro circa Luceriam & Gerunium.* Et lib. V cap. CVIII *Hannibal* ἔμελλε περὶ τὸ Γερούνιον τῆς Δαυνίας ποιεῖσθαι τὴν παραχειμασίαν, *circa Gerunium Dauniæ hiematurus erat.* Coniiciunt eruditi viri, esse in loco, vbi nunc *Tragonora.*

Interius recedit *Luceria*, fere ad fines Hirpinorum, colonia Romana. Plinius III cap. XI *Dauniorum, præter supra dicta, coloniæ, Luceria, Venusia.* Ptolemæus autem Venusiam Peucetiis adscripsit. De *Luceria*, & eius antiquitate, præclare Strabo lib. VI pag. 196 πολλὰ δείκνυνται τῆς Διομήδους ἐν τούτοις τοῖς τόποις δυναστείας σημεῖα. Ἐν μὲν τῷ τῆς Ἀθηνᾶς ἱερῷ τῆς ἐν Λουκερίᾳ παλαιὰ ἀναθήματα· καὶ αὐτὴ δ' ὑπῆρξε πόλις ἀρχαία Δαυνίων, νῦν δὲ τεταπείνωται. *Multa exstant Diomedis imperii in ea regione vestigia, vt sunt Luceriæ in Mineruæ templo antiqua donaria. Fuit enim illa vetus vrbs Dauniorum: nunc autem tenuis facta.* Et Cicero meminit pro Plancio cap. LXIX. *Teano Apulo*, inquit, *atque Luceria equites Romanos, honestissimos homines, laudatores videtis.* Ptolemæi est Νουκερία Ἀπουλῶν, *Nuceria Apulorum*, errore litteræ, an temporis illius consuetudine, incertum est. nam in Cispadana Gallia idem *Nucceriam* scripsit, quæ adhuc vulgo *Lucera* est, vel aliorum ore *Luzzara*. Cuius forte caussa Aurelius Victor de illustribus in Postumio, nostram cognomine distinxit. *Ille*, inquit, [Pontius Telesinus] *simulatos transfugas misit, qui Romanos docerent, Luceriam Apulam a Samnitibus obsideri.* In Tabula quoque cum cognomento *Nucce-*

rie Apule scriptum exstat, littera N, vti Ptolemæus scripserat. In nummis LOVCERIA scribi, ostendit Holstenius ad Stephanum. Gentile *Lucerini* apud Liuium lib. XXVII cap. X. Nunc vrbs *Lucera* & *Nocera* vocatur.

Abhinc in ortum hibernum, prope Cerbalum amnem, Cluuerius *Ardoneas* Liuii ponit ex lib. XXIV cap. XX. Verba sunt: *Et a Q. Fabio, cui circa Luceriam prouincia erat, Accua oppidum per eos dies vi captum: statiuaque ad Ardoneas communita.* Hanc Ardonam vult esse, sed distinctam ab *Herdonea* eiusdem lib. XXVII cap. I. At eadem est Herdonea, Ardona hodierna, Ptolemæi in Apulis Ἐρδωνία, Ardoneæ Liuii, & Κερδονία Strabonis, praue scriptæ. Vide Holsten. p. 281. De Herdonia autem in Hirpinis actum, quam si quis in Apulia censeri malit, nos facile consentientes habet. Nam ibi ordinem Gruteri sequebamur.

A Luceria in ortum æstiuum siti sunt *Arpi*, nobilis vrbs, quæ & *Argos Hippium* olim, & *Argyripe* dicta. Plinius dicto loco: *coloniæ, Luceria, Venusia: oppida, Canusium, Arpi, aliquando Argos Hippium Diomede condente, mox Argippa dictum.* Virgilius lib. XI vers. 242

> *Vidimus, o ciues, Diomedem, Argiuaque castra,* &c.
> *Ille vrbem Argyripam, patriæ cognomine gentis,*
> *Victor Gargani condebat Iapygis agris.*
> *Postquam introgressi, & coram data copia fandi,*
> *Munera præferimus, nomen patriamque docemus,*
> *Qui bellum intulerint, quæ caussa attraxerit Arpos.*

Heic quam *Argyripam* vrbem dixerat, mox *Arpos* eamdem adpellat. Et Strabo lib. VI pag. 196 ἐκαλεῖτο ἐξ ἀρχῆς Ἄργος ἵππιον, εἶτ' Ἀργυρίππη, εἶτα νῦν Ἄρποι, *Vocata hæc vrbs primum Argos Hippium, deinde Argyrippa, tandem nunc Arpi.* Lycophron quoque π geminato scripsit Cassandr. vers. 592

> - - Ἀργυρίππαν Δαυνίων παγκληρίαν,

Argyrippam Dauniorum possessionem: vbi Tzetzes commentator: ἡ Ἀργυρίππα πόλις μεθερμηνευομένη Ἄργος ἵππιον: vt ita metri caussa Virgilius syllabam, elisa vna gemellarum, corripuerit. Hæc vt Diomedis traditur regia fuisse, quod Virgilius modo docuit: sic

ampla vrbs postea etiam & frequens fuit, quæ, vt Liuius lib. XXIV cap. XLVII prodidit, tria millia suorum armauit, & præterea præsidium quinque millia ferme armatorum, ab Hannibale impositorum aluit. Vicinitatem Luceriæ idem lib. XXII cap. IX monstrauit. *Hannibal*, inquit, *Marsos Marrucinosque & Pelignos deuastat, circaque Arpos & Luceriam, proximam Apuliæ regionem.* Et lib. XXIV cap. III *In Apulia ne hiems quidem quieta, inter Romanos atque Hannibalem erat. Luceriæ Sempronius consul, Hannibal haud procul Arpis hiemauit.* Gentile variat. Polybio lib. III cap. CXVIII sunt Ἀργυριππανοὶ, *Argyrippani:* Straboni dicto loco Ἀργυριππηνοὶ, *Argyrippeni:* adde de vtraque forma epitomen Stephani Byzantii. Et hæc ab Ἀργυρίππα, quod nomen Aldina Strabonis editione π simplici perscriptum est. A forma *Arpi* Liuius lib. XXIV cap. XLVII sæpius *Arpini:* Plinius autem lib. III cap. XI *Arpani;* & Frontinus in prouincia Apulia [p. 110 ed. Goes.] *Ager Canusinus, - - - Arpanus, Conlatinus, Sipontinus:* & nummo Pignorii Holstenio teste ΑΡΠΑΝΩΝ. In ruinis iacet, vt vestigia tamen adpareant, & loco nomen *Arpe* supersit, inter Luceriam & Sipontum.

In hoc tractu circa Garganum montem fuit etiam *Collatia* quædam, vnde Plinii lib. III cap. XI in Apulia sunt *Collatini:* & Frontini de Colon. *ager Collatinus*, quem cum Gargano coniungit. *Ager*, inquit, *Conlatinus, - - - & qui circa montem Garganum sunt.* Plura non constant. Ad certiora progrediendum, quæ sunt

Peninsula, cuius bonam partem mons *Garganus* implet, vulgo dictus Monte di S. Angelo. Hunc montem *Garganum* memorat Mela atque Plinius: & Ptolemæus Γάργαρον ὄρος, lapsu, credo describentis. Horatius lib. II oda IX

- - - - - Aquilonibus
Querceta Gargani laborant.

Idem lib. II epistola I vers. 202 de theatri strepitu,

Garganum mugire putes nemus.

Extremum montis in mare excurrit. Lucanus lib. V vers. 380

Appulus Hadriacas exit Garganus in vndas.

Hinc

Hinc Plinius dicto loco : *promontorium montis Gargani.* Et Strabo lib. VI pag. 196 Πρόκειται τοῦ κόλπου τούτου πελάγιον ἀκρωτήριον ἐπὶ τ' ἀνατεῖνον σαδίους πρὸς τὰς ἀνατολὰς, τὸ Γάργανον, *Ante hunc sinum est promontorium ad* CCC *stadia in mare procurrens, ortum versus, Garganum.* In litore a Frentonis ostio sunt duo lacus, qui propior flumini, *Pantanus* Plinio dictus, nunc Lago di Lesina. Post illos lacus, *portus Garnæ*, itidem a Plinio memoratus, qui in locum incidit, vbi nunc est *Rodia.* Ad extremum Gargani ciuitas est vulgo *Vieste* dicta, in ruinis antiqui & episcopalis oppidi *Merini* exstructa, vnde sunt Plinii *Merinates ex Gargano.* Oppidum quoque Ὕριον, *Hyrium* Ptolemæi, non videtur longe Garnæ portu, & quæ nunc est, Rodia, abfuisse, quod nonnullis videtur Ὑρία, *Hyria* Herodoti lib. VII cap. CLXX esse, quam alii ad Calabriam reducunt. Sed quoquo loco fuit illud Herodoti, congruit tamen Ptolemæi *Hyrium* cum *Hyrio* Periegetæ verf. 379

> φῦλα τ' Ἰηπύγων τετανυσμένα μέσφ' Ὑρίοιο
> Παῤῥαλίας,

Gentes Iapygum extentæ sunt vsque ad Hyrium maritimum. Dum maritimum dicit, videtur etiam aliud mediterraneum innuere, quod an *Vria* Plinii sit, nemo facile diiudicauerit. Quod si idem oppidum, vt credunt alii, *Vria* Plinii & *Hyrium* Ptolemæi; vter a vero situ aberrauerit, dici non potest. Ptolemæus inter Garganum & Frentanos locauit; Plinius inter Cerbalum amnem & Sipontum enumerat. Ptolemæi *Apenestæ*, si ductum illius sequamur, circa promontorium Gargani, a Strabone descriptum, fuere; ceteris omnibus ignotæ. Inter id promontorium & Cerbalum flumen, est Plinii *portus Agasus*, qui videtur ille esse, quem vulgo *Porto Greco* dicunt. Propius flumen oppidum *Sipontum* fuit, vt Plinius & Liuius vocant; siue *Sipuntum*, vt Mela & Antoninus; siue denique *Sipûs*, vt Græci, & qui ex Latinis illos imitantur. Melæ verba sæpe dicto loco : *extra, Sipuntum, vel, vt Graii dixere, Sipûs.* Stephanus & Ptolemæus Σιποῦς. Lucanus lib. V verf. 377

> *Quas recipit Salapina palus, & subdita Sipûs Montibus.*

Silius lib. VIII verf. 634, tamquam peregrinum, immobile facit,

- - - & terram & litora Sipûs,

id est Sipuntis, vt Græci flectunt. Polybius lib. x Excerpt. cap. I ἀπὸ ἄκρας Ιαπυγιας ἕως εἰς Σιποῦντα, *a promontorio Iapygio vsque ad Sipuntem.* Colonia fuit Romana. Liuius lib. XXXIV cap. XLV *Sipontum item in agrum, qui Arpinorum fuerat, coloniam ciuium Romanorum, alii triumuiri deduxerunt.* Quum decresceret, aucta fuit & integrata. Idem lib. XXXIX cap. XXIII *quia Sp. Postumius consul renuntiauerat, peragrantem se propter quæstiones vtrumque litus Italiæ, desertas colonias, Sipontum supero, Buxentum infero mari, inuenisse; triumuiri ad colonos eo scribendos ex SC. creati sunt.* Ruinæ eius sunt proxime Manfredoniam, quæ ex illis creuit. Gentile Stephano Σιπούντιος: Latinis autem *Sipontinus*, quasi a *Sipontium.* Cicero Agrar. II cap. XXVII *in Sipontina siccitate collocari.* Frontinus de Colon. in Apulia: *Ager Canusinus - - - Sipontinus.*

Iuxta est ostium amnis Cerbali, in *sinum Vriam* exeuntis. De flumine supra diximus: de sinu Mela: *Sinus est continuo Apulo litore incinctus, nomine Vrias, modicus spatio, pleraque asper accessu.* Nomen haud dubie ab *Vria* oppido, de quo paullo ante ex Plinio dictum fuit, de cuius sede non constat omnino: in litore tamen & prope sinum fuisse, nomen huius sinus non sinit dubitare. Post aliud flumen, veteribus, quantum nos scimus, non nominatum (dici nunc *Carapella* fertur) *Salapina palus*, paullo ante ex Lucani lib. v vers. 377 demonstrata, ab illo amne sub mari ad Aufidum fere protensa, nomen ab oppido *Salapia* ducens, quod Aufidum prope & illam paludem situm erat, nunc excisum, nomen tamen *Salpe* illi loco conseruans. Liuius lib. XXIV cap. XX *Salapiam vt venit Hannibal.* Et lib. XXVI cap. XXXVIII *Blasius peruicit, vt præsidium Punicum Salapiaque traderetur Marcello.* Et lib. XXVII ineunte, *Salapia per proditionem recepta.* Plinius lib. III cap. XI *In qua* [Apulia Dauniorum] *oppidum Salapia, Hannibalis meretricio amore inclutum.* Ptolemæus Σαλαπίαι pluraliter, contra vsum Romanorum: & Appianus Alexandrinus lib. I Civil. Σαλπία contracte tam Caroli Stephani editione p. 180, quam Alex. Tollii p. 644. Cosconius, inquit, Σαλπίαν τε ἐνέπρησε, καὶ Κάννας παρέλαβε, *& Salapiam incendit, & in-*

in fidem Cannas accepit. Gentilis nominis non vna forma. Cicero Agrar. II cap. XXVII *in Salapinorum pestilentiæ finibus collocari.* quod Vitruuius lib. I cap. IV interpretatur: Salapiam veterem, a Diomede conditam, propter loci insalubritatem quatuor millibus mare versus translatam fuisse. Cicero ergo veterem & desertum locum dixit pestilentem. Ibidem Vitruuius: *nunc Salapini quatuor millibus passuum progressi ab oppido veteri, habitant in salubri loco.* Sed hoc obiter. Liuius inde format *Salapitanus* secundum MSS. codices, vt Tauromenitanus, Massilitanus. Lib. XXVII cap. XXVIII *Sensere Salapitani fraudem.* item, *Salapitani, alii perfugas inuadunt: alii e turri absterrent hostem.* Frontinus contraxit dicto loco: *ager Sipontinus, Salpinus.* De lacu siue *palude Salapina*, quam supra ex Lucani Pharsalia ostendimus, ex dicto Vitruuii loco adnotamus: *M. Hostilius, qui transtulit ciuitatem, his confectis lacum aperuit in mare, & portum e lacu municipio perfecit.* Ex quo etiam municipalem Salapinorum dignitatem obseruamus. Addit Strabo lib. VI pag. 195 Σαλαπία τὸ τῶν Αργυριππηνῶν ἐπίνειον, *Salapia nauale Argyrippenorum*, siue *Arpanorum*; id quod ab illo portu in lacu est.

A quo intus magis inter duo flumina, quæ lacum includunt, regredientes, venimus ad *Asculum*, cognomine *Apulum*, diuersum ab Asculo Piceni; hodieque *Ascoli* dictum, quod in Pyrrhi bello commemoratum est pluribus. Florus lib. I cap. XVIII *In Apulia deinde apud Asculum melius dimicatum est, Curio Fabricioque consulibus.* Et Plutarchus in Pyrrho p. 396 eamdem pugnam dicit factam περὶ Ἄσκλον πόλιν, *apud oppidum Asculum*, Apulum puta, supra fines Lucaniæ. vnde & hoc prœlium Vegetius *in Lucania* dicit commissum lib. III cap. XXIV. Et Zonaras Tom. II pag. 47 ὁ Πύῤῥος εἰς τὴν Απουλίαν ἐνέβαλε, καὶ πολλὰ μὲν βίᾳ, πολλὰ δὲ ὁμολογίᾳ προσεποιήσατο, μέχρις οὗ Ρωμαῖοι πρὸς Ασκούλῳ, πόλει ὄντι, αὐτῷ ἐπελθόντες ἀντεστρατοπεδεύσαντο, *Pyrrhus, impressione in Apuliam facta, multa vi, multa deditione cepit: donec Romani ad Asculum oppidum contra eum castra opposuerunt.*

Post Asculum & Salapiam *Aufidus* fluuius decurrit, quem supra satis descripsimus. Dextræ ripæ adpositum *Canusium* oppidum, Straboni & Ptolemæo Κανύσιον, hodie Canosa, quod is amnis

præ-

præfluit, vt Plinius modo dixit: siue, vt Mela, *Canusium attingit.* Perfugium Romanis post Cannensem cladem. Liuius lib. XXII cap. L [ex minoribus castris in maiora] *ad sexcentos euaserunt, atque inde protinus, alio magno agmine adiuncto, Canusium incolumes perueniunt.* Et cap. LIV *Varro ipse Canusium copias traduxit. Et iam aliqua species consularis exercitus erat: mœnibusque se certe, si non armis, ab hoste videbantur defensuri.* Gentile *Canusinus.* Liuius lib. IX cap. XX *Ex Apulia Teanenses Canusinique.* Horatius lib. I satyr. X vers. 30 - - - *Canusini more bilinguis*, quia & græce & latine loquebantur. Silius lib. X vers. 389

Iam Latius se se Canusina in mœnia miles
Colligere - - - - cœperat.

Ex quibus propinquitas *Cannarum* vna intelligitur. Procopius lib. III Goth. cap. XVIII τούτου Κανουσίου πέντε καὶ εἴκοσι σταδίους ἀπέχουσι Κάνναι, XXV *stadiis absunt Cannæ a Canusio.* Florus lib. I cap. VI *Cannæ, ignobilis Apuliæ vicus, sed magnitudine cladis emersit.* Liuius lib. XXII cap. XLIII *ad nobilitandas clade Romana Cannas, vrgente fato, profecti sunt. Prope eum vicum Hannibal castra posuerat.* Non ergo oppidum *Cannæ*, sed tantum vicus fuerunt. Silius lib. I vers. 50 *Cannas tumulum Hesperiæ* dixit. Ad Aufidum sitæ, infra Canusium. Liuius ibidem: *Aufidus amnis vtrisque castris adfluens.* Et Silius de hoc prœlio lib. X vers. 320

Sanguineus tumidis in campos Aufidus vndis
Eiectat, redditque furens sua corpora ripis.

Inde illa pugna & clades *Cannensis* dicitur. Liuius lib. XXII cap. L *Hæc est pugna Cannensis, Alliensi cladi nobilitate par.* Et Cicero Offic. III cap. XI *Nostra respublica, Cannensi calamitate accepta, maiores animos habuit, quam vnquam rebus secundis.*

In illo infelice campo est torrens siue amniculus *Vergellus*, solo cadauerum ponte, quem Hannibal fecit, memorabilis. Valerius Maximus lib. IX cap. II *Hannibal in flumine Vergello corporibus Romanis ponte facto exercitum traduxit.* Et Florus lib. II cap. VI *Documenta cladis, cruentus aliquamdiu Aufidus: pons de cadaueribus iussu ducis factus in torrente Vergelli.* Silius lib. VIII extremo idem de ponte dixit, & proxime Aufidi meminit, non quod

quod in eo pons ille factus fuerit, vt Cluuerio interpretandum videtur, (neque enim vis fluminis tulisset) sed quod is cadavera voluerit effuderitque. Verba sunt:

> \- - - - *pons ecce cadentum*
> *Corporibus struitur; tacitusque cadauera fundit*
> *Aufidus.*

In hoc tractu circa Cannas & amnem Aufidum fuit etiam CAMPVS DIOMEDIS, qui argumento est, Dauniorum etiam hanc trans Aufidum regiunculam fuisse, distinctam a possessione propria Peucetiorum. Liuius lib. XXV cap. XII de vatis Marcii carminibus: *Priore carmine Cannensis prædicta clades in hæc ferme verba erat: Amnem Troiugena Cannam Romane fuge: ne te alienigenæ cogant in campo Diomedis conserere manus. Sed neque credes tu mihi, donec compleris sanguine campum.* Cannam flumen credit Cluuerius ipsum Aufidum esse, quia hunc Florus cruentum dixerit clade Romanorum: nisi minor quis fuit, Cannas vicum præterlabens, de quo vero nihil nobis constat. Arnobius lib. IV pag. 129 *Diomedis campi Romanis cadaueribus aggerati sunt.* Pompeius Festus: *Diomedis campi in Apulia adpellantur, qui ei in diuisione regni, quam cum Dauno fecit, cesserunt.* Silius lib. VIII vers. 242 dixit

> *Infaustum Phrygibus Diomedis nomine campum.*

Ceterum vt Canusium trans Aufidum Ptolemæus ac Plinius adscripserunt Dauniis: ita eisdem Plinius *Venusiam*, in confinio Apulorum Lucanorumque sitam dedit, quamquam dissentiat Ptolemæus. Intus enim Dauniam ad radices fere *Vulturis* pertinuisse, credibile omnino est. Plinii verba ex cap. XI sunt: *Dauniorum coloniæ, Luceria, Venusia: oppida, Canusium, Arpi.* De colonia etiam Velleius lib. I cap. XIV *Quo anno Pyrrhus regnare cœpit, Sinuessam Minturnasque missi coloni: post quadriennium Venusiam.* In via erat, qua Tarentum ibatur, & inde Hydruntem, vt itineraria ostendunt. Etiam Cicero ad Attic. V ep. V *Scito idibus Mai. nos Venusia mane proficiscentes has dedisse. - - - Nos Tarenti ad te perscribemus.* Ambiguum situm Horatius, cuius patria fuit, demonstrat lib. II Sermon. sat. I vers. 34

- - - sequor hunc, Lucanus an Appulus, anceps.
Nam Venusinus arat finem sub vtrumque colonus.

Gentile enim *Venusinus*. Et Liuius XXII cap. LIV *Venusini*. Græci nomen vt Latini scribunt, Polybius, Strabo & Ptolemæus Οὐενουσία: at Plutarchus Marcello p. 314 Βενυσία. Hodie *Venosa*.

Reliqua pars Apuliæ *Peucetiorum* fuit, & ipsa illa regio dicta PEVCETIA. Plinius lib. III cap. XI *Calabriam Græci Messapiam a duce adpellauere: & ante Peucetia, a Peucetio Oenotri fratre in Salentino agro.* ANTE, id est, ante Diomedis aduentum & Troiana tempora totus ille tractus Apuliæ & Calabriæ *Peucetia* fuit dicta, postea Peucetii in angustias redacti, illinc Dauno seu Diomede; hinc Messapio partem occupante. Dionysius Halicarnassensis lib. I pag. 9 tradit ἑπτακαίδεκα γενεαῖς τῶν ἐπὶ Τροίαν στρατευσάντων, XVII *ætatibus ante Troianum bellum*, Lycaonis filios, Oenotrum & Peucetium, propter fratrum multitudinem e Peloponneso in Italiam profectos, vtrumque cum classe, Peucetium ad Iapygium promontorium adpulisse, Oenotrum in sinum alterum maris inferi peruenisse: ab illo ταῦτα τὰ χωρία οἰκοῦντες Πευκέτιοι ἐκλήθησαν, *istorum locorum incolas Peucetios nominatos esse.* De ætate XVII generationum, quæ fabulosa videtur, non disputamus: sufficit, ante Troianum bellum id factum fuisse. Pars Peucetiorum erant *Pædiculi*, Ποιδίκλοι. Strabo lib. VI pag. 195 διὰ Πευκετίων, οὓς Ποιδίκλους καλοῦσι, *per illos Peucetios, quos Pædiculos vocant.* Appianus lib. I Ciuil. p. 644 ed. Toll. Πεδίκλους scripsit: Plinius III cap. XI sine diphthongo *Pediculos*, quorum agrum *Brundisio conterminum*; & oppida *Rudias*, *Egnatiam*, *Barium* dixit. Cluuerius etiam huc illud Valerii Maximi confert lib. VII cap. VI *ex Apulia & Fidiculis*; censens *Pediculos* siue *Pædiculos* substituendum esse.

Maritimis Peucetiis Ptolemæus tribuit *Barium* & *Egnatiam*. Illud *Barium*, nunc quoque nomen seruat *Bari*, emporium & caput regionis. Horatius lib. I satyr. V vers. 97 *Bari mœnia piscosi* dixit. Et Tabula & Antoninus *Barium*. Municipium fuit. Tacitus lib. XVI cap. IX *Silanus post municipio Apuliæ, cui nomen est Barium, clauditur.* Hoc inter & Egnatiam in Tabula est *Turris Cæsaris*, XX millibus a Bario. Antoninus itinere ab vrbe per Pi-

Picenum Anconam & Brundisium, ponit XXII M. P. a Bario *Arnestum*, aliunde vix notum, quod prope locum *Turris Cæsaris*, ex Tabula iam notatæ, incidit.

Ἐγνατία Strabonis & Ptolemæi; Plinii *Egnatia* lib. II cap. CVII; est *Gnatia* Horatii, Antonini, Tabulæ Peutingerianæ. Plinius: *In Salentino oppido Egnatia, imposito ligno in saxum quoddam ibi sacrum, protinus flammam existere.* Salentinum dicit oppidum, laxe accepto vocabulo, vt Iapygiæ quoque & Peucetiæ nomina nunc strictius significant, nunc latius diffusa notione. Ipsum miraculum ridet Horatius loco iam dicto, quando præmisit,

- - - - - - *dehinc Gnatia lymphis*
Iratis exstructa, id est, sine dulci aqua.

Antoninus dicto itinere:

Barium	- - - -
Arnestum	M. P. XXII
Gnatiam	M. P. XV
Speluncas	M. P. XXI
Brundisium	M. P. XVIII.

Superest excisæ vrbis turris aliqua, vulgo dicta *Torre d' Anazzo.* Quæ inde Brundisium versus ponuntur *Speluncæ*, iam dicto itinere; aut Hierosolymitano *Turres Iulianæ*, *Aurelianæ*, quod aliunde non illustrantur, prætermittimus cum aliis obscuris. Et hæc in litore.

In mediterraneis Peucetiorum est post Venusiam, vltimam Dauniorum, *mons Vultur*, de quo Horatius lib. III oda IV

Me fabulosæ Vulture in Appulo,
Altricis extra limen Appuliæ,
Ludo fatigatumque somno
Fronde noua puerum palumbes Texere.

Ibidem, vt proxima loca, memorat *Acherontiam, Bantiam*, & *Forentum*, quæ si cum altrice Venusia componuntur, adparet, quale iugum sit, quod Vulturis nomine poeta indicauerit. Lucanus quoque de eodem, lib. IX vers. 183

Et renouare parans hibernas Appulus herbas
Igne fouet terras, simul & Garganus, & arua
Vulturis, & calidi lucent buceta Matini.

Circa hos montes fuisse *Siluium* oppidum, ex Strabonis descriptione constat. Ait enim lib. VI pag. 195, sicut Barium sit extremum in ora maris oppidum Peucetiorum: ita τῇ μεσογαίᾳ μέχρι Σιλουΐου, *in mediterraneis ad Siluium vsque pertinere.* Oppidani dicuntur *Siluini* a Plinio lib. III cap. XI. Ex situ Holstenius interpretatur locum, qui nunc *il Gorgolione* adpelletur. Ad eosdem montes limitemque sita est *Bantia.* Plutarchus Marcello p. 314 μεταξὺ Βαντίας πόλεως καὶ Βενουσίας καθήμενος, *inter oppidum Bantiam & Venusiam castris positis.* Et Liuius lib. XXVII cap. XXVI *In Apuliam ex Bruttiis reditum, & inter Venusiam Bantiamque, minus trium millium passuum interuallo, consules binis castris consederunt.* Stephanus Byzantius scripsit Βάντεια diphthongo. Vestigia nomenque superesse tradit Holstenius, V vel VI m. p. supra Forentum: & XII circiter supra Venusiam, ad locum *S. Maria de Vanze.* Gentile est *Bantinus*, sicut Horatius lib. III oda IV *saltus Bantinos* dixit.

Propinquum ei *Forentum*, nunc Forenza, est, vt iam Holstenius narrabat. Hinc Liuius *Forentanos* in Apulia recenset. Quæ quod recenti nomenclaturæ consonat; vix dubium est, quin genuina ea sit lectio. At multi *Ferentum*, vocali secunda exscriptum, reliquerunt. Horatius loco iam indicato:

- - - - quicumque
Saltusque Bantinos, & aruum
Pingue tenent humilis Ferenti:

& Diodorus Siculus lib. XIX cap. LXV Φερέντην πόλιν τῆς Απουλίας κατὰ κράτος εἷλον, *Ferentum, vrbem Apuliæ, vi expugnarunt.* Quo etiam *Ferentanos* Liuii referunt ex lib. IX cap. XVI. An autem credibile, tot scriptores in hoc vocabulo prauatos esse? Gronouius tamen pater in Liuii IX cap. XX *Forentum* legit: & in notis ibi, etiam *Forentanos* ex cap. XVI. Altero loco Sigonius ex vet. lib. *Acherunto:* Gronouius autem vestigia sequutus est tam aliquot MSS. librorum, quam primum editorum, qui habent *Florento.* Verba sunt cap. XX: *Apulia perdomita (nam Forento quoque,*

que, valido oppido, Iunius potitus erat) in Lucanos perrectum. Sic Gronouius: vulgo *Tarento.*

Sequitur *Acherontia* Horatii, in monte sita, ideoque *nido* comparata prædicto loco; - - - *tenent*, inquit,

Quicumque celsæ nidum Acherontiæ.

Procopius lib. III B. Goth. cap. XXIII extr. Φερέντιον, *castellum* dixit, in Lucanis situm, sed ἄγχιστα τῶν Καλαβρίας ὁρίων, *prope Calabriæ fines*, ὅπερ Ἀχεροντίδα καλοῦσι Ῥωμαῖοι, *quod Romani Acherontidem vocent.* De Liuii loco & Sigonii emendatione iam diximus: quem forte iuuerit codex Vossii, *atorento* præferens. Nec inualida eius ratio, biennio ante Forentum in fidem acceptum fuisse. Paullus Diaconus lib. II Langobard. cap. XXI *Agerentiam* dixit: quæ hodie *Cirenza* est, & *Acerenza.*

Inde non breui interuallo, Tarentum versus, prope fines Calabriæ, situm est oppidum, vulgo *Genosa* dictum, cuius sunt *Genusini* lib. III Plinii cap. XI inter Apuliæ populos: & *Ager Genusinus*, extremo libello Frontini de Coloniis, in Calabria, cuius ille fines longius in Peucetios profert, Egnatiam etiam Calabris adscribens. Vnde pronum est coniicere, nomen antiquum oppidi fuisse *Genusium.* Limes hac parte Apuliæ, a Lucania dirimens, est fluuius *Bradanus*, qui inter Genusium & Metapontum in sinum ruit Tarentinum. Eius nomen, quod hodieque manet, Antonini itinere, a Mediolano per Picenum ad Columnam, occurrit, quo locus inter Opinum & Potentiam, Lucaniæ oppida, *ad fluuium Bradanum* adpellatur.

Tandem etiam ambigua pauca sunt adiicienda. Strabo vias Brundisinas p. 195 recensens, vnam monstrat, quæ regredientem ferat per *Egnatiam*, *Celiam*, *Netium*, *Canusium*, *Herdoniam.* Non quidem Κελία, *Celia* Strabonis & Ptolemæi, qui in mediterraneis Peucetiorum scribit; siue *Cælium* Plinii lib. III. cap. XI, tam dubiæ positionis est, vt nullo modo inuestigari possit, quam Holstenius p. 276 testatur nomen retinere IV aut V millibus passuum supra Barium in mediterraneis; per quam etiam hodie via publica ducat; vnde Frontinus de Colon. libro *Cælinum agrum* denominat, & Harduinus eo nummum Caracallæ refert, inscri-

ptum AEL. MVNIC. COEL. ANT. quaſi *Aelium municipium Cælium Antoninianum:* ſed Νήτιον, *Netium* eſt quod maxime locorum ſcrutatores vexat. Strabonis verba ſunt: ἐφ' ᾗ ὁδῷ Εγνατία πόλις, εἶτα Κελία, καὶ Νήτιον, καὶ Κανύσιον, καὶ Εϱδονια, *qua via eſt Egnatia, dein Celia, & Netium, & Canuſium, & Herdonia.* Iſaaco Caſaubono videntur expungendæ voces καὶ Νήτιον, tamquam ex vna Κανύσιον, bis perperam exſcripta, natæ, quod violentum conſilium eſt, merito inprobatum ab Holſtenio: qui primum quidem ad *Natiolum* Tabulæ, quaſi inde deminutum, referebat; ſed quod hoc in alia via deprehendebat, ſententiam poſtea mutauit, nec vero certiorem aliam ſubſtituit, niſi quod dicit, Νήτιον Strabonis eſſe *Ebetium* Tabulæ, quamuis ordo variet. Harduinus Plinii libro III cap. XI *Netinos* inſeruit, ex codice veteri an ingenio ſuo, non oſtendit; vbi priores *Neretinos* legerunt, qui poſt paullo repetuntur, vt alterutro loco vel vitioſum, vel prauatum vocabulum videatur. Strabonem ergo ſequutus, expunxit ſyllabam, & *Netinos* reliquit tamquam lectionem genuinam.

Denique de *Matino* monte, vel campo, aliquid in limite Apuliæ vel ideo dicemus, quod incerti ſumus, Apulorum ille, an Calabrorum fuerit. Horatius lib. I oda XXVIII *litus Matinum* dixit: ergo in ora maris fuit. Vetus interpres ibi: *Matinus mons Apuliæ: ſiue, vt quidam volunt, plana Calabriæ.* Herboſus fuit: vnde idem lib. IV oda II verſ. 27 apibus idoneum laudat. *Apis Matinæ,* inquit, *more modoque.* Et Lucanus lib. IX verſ. 185

- - - - & arua
Vulturis, & calidi lucent buceta Matini.

MESSAPIA ſiue CALABRIA.

Peninſula, qua in Ionium mare Italia procurrit, iſthmum inter Tarentum & Brundiſium habens, tamquam contermina Apuliæ, nunc ſequitur perluſtranda. Dicitur Græcis Μεσσαπία, *Meſſapia,* a Meſſapio duce, vt Plinius notauit: eadem Latinis plerumque eſt *Calabria:* nec raro Græci *Iapygiam* vocitant: & quamquam pars ſit *Salentinorum* tractus, tamen & ipſe aliquando totam peninſulam ſignificat. Strabo lib. VI p. 194 χεϱϱόνησον Μεσσαπίαν τε καὶ Ιαπυγίαν καὶ Καλαβϱίαν καὶ Σαλεντίνην κοινῶς οἱ πολλοὶ πϱοσαγοϱεύουσι.

ῥέουσι· τινὲς δὲ διαιροῦσιν, *Peninsulam illam multi communiter vocant Messapiam, & Iapygiam, & Calabriam, & Salentinam: alii vero distinguunt*, quorum sententiam se antea exposuisse dicit. Id fecerat pag. 391 hisce verbis : συνεχὴς δ' ἐστὶν Ἰαπυγία. ταύτην δὲ καὶ Μεσσαπίαν καλοῦσιν οἱ Ἕλληνες· οἱ δ' ἐπιχώριοι κατὰ μέρη, τὸ μέν τι Σαλεντίνους καλοῦσι, τὸ περὶ τὴν ἄκραν τὴν Ἰαπυγίαν· τὸ δὲ Καλαβρούς. *Contingit* [Metapontum] *Iapygia, quam & Messapiam Graci dixerunt. Incola alios Salentinos dicunt, qui circa Iapygium habitant promontorium; alios Calabros:* supra quos septemtrionem versus ponit Peucetios. Non autem credo fieri posse, vt ex monimentis, quæ superant, certi limites vtriusque partis definiri possint. Subdit ibidem Strabo : ἔστι δ' ἐπιχερρονησιάζουσα ἡ Μεσσαπία τῷ ἀπὸ Βρεντεσίου μέχρι Τάραντος ἰσθμῷ κλειομένη, σταδίων τ' καὶ τ'. *Messapia peninsula formam tenet, isthmo interclusa, qui in Brundusio Tarentum vsque porrigitur.* Angustissima autem peninsula non in hoc isthmo est, sed vltra paullo a Sasina portu ad Brundisium versus. Plinius lib. III cap. XI *Latitudo peninsula a Tarento Brundisium terreno itinere* XXXV *millia passuum, multoque breuius a portu Casina.*

Primum a fine Peucetiorum est *Brundisium*, Βρεντέσιον Græcis, Straboni & Appiano : Βρεντήσιον Polybio & Stephano Byzantio: Βρενδέσιον Ptolemæo. εὐλίμενον Strabo dicit : Plinius, *inprimis Italia portu nobile.* Plures enim portus habet, sed ἑνὶ στόματι πολλοὶ κλείονται λιμένες, *vno aditu plures clauduntur*, quod idem Strabo adnotauit. Hinc traiectus commodissimus in Græciam, longior quidem quam Hydruntinus ; sed *certior, excipiente Dyrrachio*, quod Plinius obseruat : quamquam etiam Brundisio ad montes Ceraunos traiici, sed minus frequenter, a Strabone pag. 195 est traditum. Commodior autem & frequentior cursus a Brundisio Dyrrachium, vt diximus, ferebat. Silius lib. VIII vers. 575

- - - *Brundisium, quo desinit Itala tellus,*

scilicet euntibus in Græciam, quia cum portu eius Italicam oram relinquunt : alioquin vlteriora sunt, ab illo vsque ad promontorium Iapygium. Antiquissimum oppidum : post Romana auctum ornatumque colonia. Liuii epitoma XIX *Colonia deducta sunt, Fregena; in agro Sallentino Brundusium.* Et promontorium habet. Liuius lib. X cap. II *circumuectus inde Brundusii promon-*

montorium. nam & ſic aliquando Latini per v, vocalem vltimam, ſcribunt: ſæpius autem *Brundiſium* vocali tertia. Cicero ad Attic. lib. IV epiſt. I *Brundiſina colonia:* & mox *Brundiſinorum gratulatio.* Sic enim coloni illi adpellati ſunt.

Abhinc XI millibus paſſuum, trans flumen *Paſtium*, quod *Pactium* eſt Plinii, in Tabula adparet oppidum *Balentium*; in Hieroſolymitano itinerario *Valentia:* quod haud dubie eſt Melæ *Valetium*, cum aliis lib. II cap. IV ordine hoc enumeratum: *Iam in Calabria Brunduſium, Valetium, Lupia, Hydrus.* Et Plinius III cap. XI inuerſo itinere: *Ab Hydrunte - - - Lupia, Baleſium, Cælium, Brundiſium.* Vnde coniicere poſſis, Baleſium hoc eſſe *Valetium* Melæ, quem ille in plurimis ſequi adſolet. Cluuerius ad eiusdem Pactii oſtium vrbem Valetium ponit, ſed in ripa ſiniſtra; quam Tabula habet in dextra.

Iſaacus Voſſius ad Melam contendit, idem oppidum & Melæ *Valetium* & Ptolemæi Αλήτιον, *Aletium* eſſe. At *Valetium* illud maritimum fuit: *Aletium* Ptolemæi in mediterraneis. præterea Plinius etiam *Aletinos* narrat Calabriæ, dicti libri cap. XI extremo. An vero etiam oppidum *Aletium* ſeorſum memoret, vt vulgo editum eodem eſt capite, addubitamus, quia, Holſtenio & Harduino teſtantibus, omnes manu ſcripti libri habent *Sarmadium* in loco vulgati *Aletii:* quod quidnam ſit nominis, fatemur nos ignorare. Qui a Valetio ſeparant *Aletium* mediterraneum oppidum, interpretantur *Lecce* ſiue *Leze*, quod inter Brundiſium & Hydruntem reductum quodammodo a mari eſt. Sed rurſus ad oram percurrendam nos conferimus.

Lupia eſt quæ ſequitur proxime in Plinii narratione; quam vulgo putant *militum ſtationem* a Plinio vocari: ſed in MSS legitur *ſtatio Miltopæ*, tamquam a Lupia ſeiuncta & Brundiſium verſus ſita ſtatio nauium ſit. Strabo, Mela, Ptolemæus ſcripſerunt pluratiuo numero *Lupiæ*, Λουπίαι, quamquam alieno loco Strabo: Mela autem, Plinius, Ptolemæus, quo poſuimus ordine, ac in ora, inter Brundiſium atque Hydruntem. In Tabula *Luppia*; & Frontinus de Colon. in Calabria: *ager Lyppienſis.* Sed ceteri P ſimplici omnes ſcribunt. quo veterem inſcriptionem, Hydrunte repertam, referimus ex Gruteri Opere pag. 374 num. 5

PATR.

PATR. COL. LVPIENSIVM: ex qua coloniam fuisse vna intelligimus.

Hanc inter & Hydruntem Plinius ponit *Stationem Miltopæ*, vt diximus: dein *portum Tarentinum*, vt separatum a Tarento in superi maris ora locum: & *Fratruertium* ignotum: & *Soletum desertum*, quod multi putant *Salentum* legendum esse, vt sit forte Σαλλεντία, *Sallentia* Stephani, vnde nomen *Sallentinorum* est, in marmoribus Capitolinis etiam non semel, sed iterum iterumque DE SALLENTINEIS geminata littera perscriptum. Alio autem lapide p. 199 n. 1 legitur BRVTTIEI. SALENTINEI. & Græci ceteri Σαλεντῖνοι. Plinius post *Soletum* illud, *Hydruntem* proxime in ora adposuit.

Hydrûs autem siue *Hydruntum* alterum nobilem commodumque portum habet, vnde breuior est traiectus in Græciam ad Apollinatum ciuitatem, vt Plinius obseruauit. Græcis est Ὑδροῦς, qua forma & Latini sæpenumero vsi sunt: Cicero lib. XVI epist. IX ad Tironem: *Inde* [a Cassiope] *austro lenissimo, cælo sereno, nocte illa & die postero in Italiam ad Hydruntem ludibundi peruenimus.* Lucanus lib. V vers. 375

Et cunctas reuocare rates, quas auius Hydrûs,
Antiquusque Taras, secretaque litora Leucæ,

puta, recipiunt. Altera forma, *Hydruntum*, Plinius vsus est: & Liuius lib. XXXVI cap. XXI *A Patris Corcyram vsque Aetoliæ atque Acarnaniæ litora legit, atque ita ad Hydruntum Italiæ traiecit.* Hodie nobilis in primis ille portus, cum oppido & arce, *Otranto* dicitur, & iam tum Hierosolymitano itinerario *Odronto.* Promontorium habet, quod Melæ dictum *Hydrus mons.*

In Tabula VIII millibus vltra Hydruntum est *Castrum Mineruæ* (male scriptum *Castra* plurali: credo *Castro* fuisse, sexto casu, vt pleraque eius Tabulæ) Castrum, inquam, quæ *Arx Mineruæ* aliis dicebatur. Aeneid. III vers. 531

- - - - portusque patescit
Iam propior, templumque adparet in arce Mineruæ.

Ergo in litore fuit, vt procul in mari potuerit conspici. Halicarnasseus Dionysius lib. I pag. 41 de Aeneæ classe: *pars nauium*

ad Iapygiæ promontorium adpulit: reliqua κατὰ τὸ καλέμενον Αθήναιον, ad Mineruæ templum. Latine dicitur *Mineruium*, nec templum solum aut castrum erat, sed oppidum etiam, præsertim postquam colonia eo deducta fuit. Velleius lib. I cap. XV *Cassio Longino & Sex. Caluino* COSS. *Fabrateria* [colonia] *deducta est: & post annum, Scyllacium, Mineruium, Tarentum.* Nunc *Castro* est, oppidum episcopale, sed adflictum & tenue.

Prope fuit *Basta* oppidum, quod hodie in viculo *Vaste* quærunt, sed in situ dissentiunt, aliis citra Castrum, aliis vltra illud ponentibus. Plinius lib. III cap. XI ita: *Ab eo* [promontorio Iapygio] *Basta oppidum & Hydruntum decem & nouem millia passuum.* Ambigue dictum, nisi sensus est quem Harduinus exponit, vtrumque, Bastam & propinquum ei Hydruntum, a promontorio tot millibus distare, sed illam intus paullo, hoc ad mare. Inde *Verêtum* oppidum, ante *Baris* dictum. Strabo pag. 194 καλῦσι δὲ Βάριν οἱ νῦν Οὐέρητον, *Barin nunc dicunt Veretum.* Etiam Ptolemæus Οὐέρητον scripsit, porrecta media Latine in *Veretum.* Reductum paullisper a mari, ideoque in mediterraneis scriptum a Ptolemæo. Proximum promontorio oppidulum *Leuca*, πολίχνιον τὰ Λευκά, vt Strabo dicto loco adpellat. Singulari numero Lucanus dicto ante loco:

Antiquusque Taras, secretaque litora Leucæ.

Ipsum promontorium & *Iapygium* cognominatur & *Salentinum.* Ptolemæus in Italia: Ιαπυγία ἄκρα, ἡ καὶ Σαλεντίνη. Sallustius, apud Seruium in Aeneid. III vers. 400, *Omnis Italia coacta in angustias, finditur in duo promontoria, Bruttium & Salentinum.* Et Plinius III cap. XI *Inde promontorium quod Acran Iapygian vocant, quo longissime in maria procurrit Italia.* Et Strabo lib. VI pag. 191 vocat ἄκραν Ιαπυγίαν. Mela dicto loco: *Sinus Tarentinus inter promontoria Salentinum & Lacinium.* Hodie Capo di S. Maria di Leuca. Circa hoc promontorium, ad vsque Hydruntum forsan & Callipolin, sunt proprii Salentini, vt supra ex Strabone ostendimus: & hi sunt *campi Salentini & Salentina litora*, quæ Mela sæpe dicto loco nominauit. Cum hoc tractu etiam maris nomenclatura mutatur, & quod supra Hydruntum erat Hadriaticum, post illud adpellatur *Ionium.* Plinius dicto loco: *Hydruntum, ad discrimen*

men Ionii & Hadriatici maris. Et Mela ad modo prolata verba complet, *Salentini campi & Salentina litora; & vrbs Graia Callipolis. Hucusque Hadria, hucusque Italiæ latus alterum pertinet.* quamquam & Ionium mare ad Acheloum vsque flumen & vltra, *Hadriaticum* interdum adpellent. Vide Ptolemæum lib. III cap. XIV, & Dionysium periegetam verf. 92, & Euftathium ibi. Auienus periegef. verf. 594 - - *Achelous*

Irruit Hadriaci tergum maris.

Alterum latus peninfulæ, a promontorio ad Tarentum, pauciora habet: nec quidquam memorabile in ora occurrit ab illo Iapygum promontorio vsque ad *Callipolim*, quam modo Mela *Graiam vrbem* dixerat, adhuc in Salentinis fitam. Ex Plinii lib. III cap. XI vulgatum eft: *in ora vero Senonum Gallipolis*, quafi condita ab Senonibus Gallis. at vero *Graiam vrbem* iam Pomponius dixerat: qui ergo opus Gallorum poteft effe. Sed nihil opus argumentis eft, vbi membranæ cauffam diiudicant. Ex MSS. Harduinus legit: *In ora vero, Senum, Callipolis, quæ nunc eft Anxa:* vt *Senum* quoque, fi vera lectio, nomen oppidi Salentinorum fit, quamquam nihil de eo præterea proditum a geographis fuit. Sufficit aliud quidquam, quam *Senonum*, fide ac ductu codicum legendum effe. Interiacet, fed intus, oppidum *Vgento* iam dictum, quod haud dubie Ptolemæi eft Οὔξεντον, *Vxentum:* Tabulæ *Vhintum* vitiofe defcriptum.

Inde in feptemtrionem IX circiter millibus a Callipoli eft *Neretum* Tabulæ; Νήρητον, *Neriton* Ptolemæi: vulgo nunc *Nardo*, IV millibus a mari. Infra Neriton, Callipolin verfus, Ptolemæi mediterraneum oppidum Βαυότα, *Bauota* eft, quod confonantia vocis Cluuerius ad Pacauita aut Parabita, quod hodie eft, reducit: quum vero Βαῦςα in Palatino fit codice, vereri poffis ne *Bafta* fit fupra expofita, alioquin intacta Ptolemæo. Trans montes prope Aletium, e regione ferme Lupiæ, mediterraneum fuit oppidum *Carminianum*, nomine necdum hodie obliterato; cuius mentio habetur in Notitia Imperii, vbi fub difpofitione Comitis rerum priuatarum, memoratur *Procurator rei priuatæ per Apuliam & Calabriam, fiue faltus Carminianenfes.* Vnde adparere dicit Holftenius, eum locum cum faltu fiue

agro suo olim ad priuatum imperatorum pertinuisse patrimonium.

Sed ad sinum Tarentinum reuertimur, in quo inter Callipolim & Tarentum est *Sasina portus*, vbi peninsula est angustissima. Plinius III cap. XI *Latitudo peninsulæ a Tarento Brundisium, terreno itinere* XXXV *M. pass. patet, multoque breuius a portu Sasina.* Ex qua angustia elucet esse qui hodie *Porto Cesareo* adpellatur.

Tarentum autem vrbs antiquissima, quæ cum Troianis temporibus certare possit, sita in sinu suo, Græce dicta Τάρας, virili genere. Strabo lib. VI pag. 194 εἰς τὸν Τάραντα, quam formam imitatus Lucanus est lib. V vers. 376

Antiquusque Taras, secretaque litora Leucæ.

Lacedæmonii non condiderunt, sed occuparunt auxeruntque colonia. Iustinus lib. III cap. IV de Partheniis Spartanis, Phalanto duce nouam terram inquirentibus: *diu & per varios casus iactati, tandem in Italiam deferuntur, & occupata arce Tarentinorum, expugnatis veteribus incolis, sedes ibi constituunt.* Hinc cognomina ab ipsa Lacedæmone. Ouidius Metam. XV vers. 50

- - - *Lacedæmoniumque Tarentum.*

Virgilius Georgic. IV vers. 125 Tarentum *Oebaliæ turres* dixit, id est Laconiæ, quia Oebalus rex fuit Lacedæmoniorum, pater Tyndarei, auus Helenæ. Horatius *Neptuno sacrum* dixit lib. I oda XXVIII, religiosius ibi culto. Vrbs potens olim, & probe munita, vti ex bello Romanorum Tarentino, & Punico II constat. Vide Liuium XXVII cap. XV. Colonos Romani eodem miserunt, vt supra in *Mineruio* ex Velleio ostendimus deductionem. *Tarentini* incolæ passim nominati ab Liuio aliisque: & *Sinus Tarentinus*. Mela dicto loco: *Mare* [Italia inferior] *per sinus recipit. Primus dicitur Tarentinus inter promontoria Salentinum & Lacinium.*

Præfluit Tarentum amnis *Galesus*, multis auctoribus nominatus. Virgilius Georg. IV vers. 126 *sub Oebaliæ turribus,*

Qua niger humectat flauentia culta Galesus.

Liuius lib. XXV cap. XI de Tarenti obsidione Punica: *Ipse* [Han-

[Hannibal] *profectus cum ceteris copiis ad Galesum flumen (quinque millia ab vrbe abest) posuit castra.* Horatius lib. II oda VI

> *Dulce pellitis ouibus Galesi*
> *Flumen, & regnata petam Laconi*
> *Rura Phalanto.*

Martialis lib. II epigrammate XLIII

> *Te Lacedæmonio velat toga lota Galeso.*

Iuxta est mons Aulon vitifer. Idem lib. XIII epigram. CXXV

> *Nobilis est lanis, & felix vitibus Aulon.*

Quod etiam Horatius iam dicto loco confirmat:

> *Ver vbi longum, tepidasque præbet*
> *Iuppiter brumas, & amicus Aulon,*
> *Fertilis Baccho, minimum Falernis*
> *Inuidet vuis.*

Inter Tarentum & Brundisium sunt primum *Rudiæ*, Ennii patria, quas Plinius quidem Pediculorum oppidis, citra Brundisium sitis, adnumerat, atque ita etiam Mela: sed aliorum consensione refutatur. Ptolemæus (cui Ῥωδία est) in Salentinis mediterraneis primo loco recensuit. Ouidius de Arte amandi lib. III vers. 409

> *Ennius emeruit, Calabris in montibus ortus,*
> *Contiguus poni, Scipio magne, tibi.*

Silius Italicus lib. XII vers. 397 de Ennio:

> *Miserunt Calabri, Rudiæ genuere vetustæ.*
> *Nunc Rudiæ solo memorabile nomen alumno.*

Et Horatius lib. IV oda VIII Enniana carmina *Calabras Pierides* dixit. Hieronymus Chron. Euseb. olymp. CXXXV *Quintus Ennius poeta Tarenti nascitur*, id est, Rudiis in agro Tarentino; quod vicinitatem nobilioris vrbis Tarenti arguit. Gentile *Rudius* & *Rudinus*. Cicero pro Archia cap. X de Ennio: *Rudium hominem maiores nostri in ciuitatem receperunt:* Et Horatii scholiastes ad supra dictum locum, dicit Ennium *oriundum de Rudino oppido Calabriæ.* Frontinus in Calabria: *ager Rodinus, Tarentinus.*

Hæc extra viam: in ipsa, quæ Tarento Brundisium fert, *Vria* fuit, alia ab illa in Apulia circa Garganum montem. Strabo lib. VI pag. 195 ἐν ταύτῃ πόλις Οὐρία τε, καὶ Οὐενουσία, ἡ μὲν μεταξὺ Τάραντος καὶ Βρεντεσίου· ἡ δ' ἐν μεθορίοις Σαμνιτῶν καὶ Λευκανῶν, *In illa* [Appia via continuata] *est vrbs Vria, & Venusia: illa inter Tarentum & Brundisium; hæc in confinio Samnitum & Lucanorum.* Herodotus lib. VII cap. CLXX λέγεται, ὡς κατὰ Ἰηπυγίην γενέσθαι πλώοντας, - - - - ἐνθαῦτα Ὑρίην πόλιν κτίσαντας καταμεῖναι, *Fertur, dum circa Iapygiam* [Cretenses] *nauigarent, illic subsidentes vrbem Hyriam condidisse.* Et Appianus lib. V Ciuil. pag. 1121 Antonius equites ad Cæsarem euntes oppressit περὶ πόλιν Ὑρίαν, *circa vrbem Hyriam*, & in deditionem acceptos αὐτῆς ἡμέρας ἐς τὸ Βρεντέσιον ἐπανήγαγεν, *eodem die Brundisium reduxit.* Hyria autem eadem quæ Strabonis *Vria*: &, vt videtur, Plinii *Varia*, vno elemento redundante. Sic Cluuerius. At Frontinus distincte in Calabria: *Ager Tarentinus, Varnus, Veretinus, Vritanus, Ydrontinus.* Varnus; videtur legendum *Varinus*, ex Varia: *Vritanus* ex Vria. Mendosus præterea Cluuerio est Plinii locus ille: *Varia, cui cognomen Apula, Messapia, Aletium.* A sciolo videtur *Apula* insertum, cui *Messapia* oppidi nomen visum, quum regionis sit. In Calabria enim versatur, non in Apulia, Plinius, vbi aliam commemorauit Vriam cum Siponto & amne Cerbalo. Sic ergo scriptum a Plinio videtur: *Vria, cui cognomen Messapia; Aletium.* Quod si est, de *Varno* Frontini agro dispiciant alii. Vria autem hodie *Oria* est, fere media inter Brundisium & Tarentum: in Tabula corrupte *Vrbius.*

In eadem Tabula XX millibus a Tarento, Neretum versus aut Hydruntum, est locus *Manduriis*, aut potius contracte *Manduris*, quasi a recto *Manduria*, plurali: ceteri singulari numero. Liuius lib. XXVII cap. XV *Q. Fabius* COS *oppidum in Salentinis Manduriam vi cepit. - - - - Inde Tarentum profectus.* Et Plinius lib. II cap. CIII *In Salentino iuxta oppidum Manduriam lacus*, quem describit. Stephani Byzantii epitoma: Μανδύριον πόλις Ἰαπυγίας. Plutarchus in Agide pag. 796 Μανδόνιον, prauatis duabus litteris.

LVCA-

LVCANIA.

Lucania, Græce Λευκανία; & *Lucani*, populus, Λευκανοὶ; a Samnitibus orti, fines habuere ad Tyrrhenum mare, *Silarum* & *Laum* amnes, illo a Picentinis; hoc a Bruttiis disterminati: ad sinum Tarentinum, a Bradano fluuio ad amnem Sybarim seu oppidum Thurios. Mela quidem vsque Mineruæ promontorium, siue Campaniæ limitem, dicit *omnia Lucaniæ loca:* sed includit Picentinos, quos supra cum Plinio, Strabone, ac Ptolemæo seiunximus. Ad Tarentinum sinum qui limes dictus australis est, profertur a non nullis, & quæ sunt Bruttiorum, Lucanis attribuuntur vsque ad sinum ferme Scylaceum. Nos autem Strabonem sequuti Lucaniam ad Thurios finimus, & quid reliquum est Italiæ vsque ad fretum, Bruttiorum genti adsignamus. Sic vero ille post initium libri VI pag. 176 Ἔστι ἡ μὲν Λευκανία μεταξὺ τῆς τε παραλίας τῆς Τυῤῥηνικῆς καὶ τῆς Σικελικῆς, τῆς μὲν ἀπὸ τοῦ Σιλάριδος μέχρι Λάου, τῆς δ' ἀπὸ Μεταποντίου μέχρι Θουρίων· κατὰ δὲ τὴν ἤπειρον ἀπὸ Σαυνιτῶν μέχρι τοῦ ἰσθμοῦ τοῦ ἀπὸ Θουρίων εἰς Κηρίλλους πλησίον Λάου, *Lucania est inter oram maris Tyrrheni ac Siculi, illic a Silaro vsque Laum amnem; hic a Metaponto vsque ad Thurios: in continente autem a Samnitibus vsque ad isthmum, qui a Thuriis ad Cerillos pertinet.* Consentit Plinius in parte Tyrrheni maris, lib. III cap. V. *A Silaro*, inquit, *regio tertia, & ager Lucanus Bruttiusque incipit:* & interiectis nonnullis, *Laüs amnis. fuit & oppidum eodem nomine. Ab eo Bruttium litus.*

A Tyrrheno litore incipiemus. Qui limes est *Silarus* amnis, ita vocatur a plerisque. Virgilius Georg. III vers. 146 *Est lucos Silari circa.* Silius lib. VIII vers. 581

Nunc Silarus quos nutrit aquis.

Plinius dicto loco: *a Silaro regio tertia incipit.* Et Tabula Peutingeriana, *Silarum fl.* Et Ptolemæus Σιλάρου ποταμοῦ ἐκβολαὶ, *Silari fluminis ostia.* At Pomponius Mela in castigatissimis libris *Silerus:* & Lucanus ac Vibius *Siler;* hic de Fluminibus, *Siler in Lucania:* ille lib. II vers. 426

- - - - - radensque Salerni
Culta Siler.

Strabo

Strabo autem primam vocalem retinet, casum mutat, Σίλαρις formando, oblique Σιλάριδος, fine libri v & principio vi. Recipit *Tanagrum* fluuium, nunc Negro dictum, de quo Paullinus Nolanus Natal. iii de Felice, vers. 62 - - - *quique*

Vsentem Sarnumque bibunt, qui sicca Tanagri,

subaudi, *colunt.* Antoninus itinere ab Vrbe via Appia ad Columnam:

Nola		
Nuceriam	M. P.	XVI
ad Tanagrum	M. P.	XXV
ad Calorem	M. P.	XXIIII.

Mersus Tanager sub terra labitur ad iv millia passuum; non xx, vt Plinius tradit (si salua lectio est) lib. ii cap. ciii. *In Atinate*, inquit, *campo fluuius mersus post* xx M. *passuum exit.* Qui sequitur in itinere amnis *Calor*, a Cluuerio etiam ita ponitur, quem imitamur in nostra tabula, vt infra Tanagri confluentem itidem Silaro fluuio misceatur: quod vero non sine itineris turbata ratione fit. Vnde est quod Holstenius p. 285 totum versum illum, *Ad Calorem M. P. xxiiii*, a mala manu intrusum iudicat, redundante etiam milliariorum numero.

Oppidum post Silarum, qui nunc *Selo* vocatur, est primum *Pæstum*, Græcis dictum Ποσειδωνία, *Posidonia*, quinquaginta circiter stadia ab Iunonis templo, quod prope Silari fuit ostium, vt Strabo lib. vi ineunte obseruauit. Plinius iii cap. v *Oppidum Pæstum, Græcis Posidonia adpellatum: sinus Pæstanus.* Græcum nomen Paterculus lib. i cap. xv *Neptunia* vertit. *Post annum*, inquit, [a consulatu Cassii Longini & Sexti Caluini] *Scylacium, Mineruium, Tarentum, Neptunia; Carthagoque in Africa, prima extra Italiam, colonia condita est.* Antiquiorem Liuius coloniam facit & ante Punicum i bellum deductam, epitoma xiv, qua breuiator excerpsit: *Coloniæ deductæ sunt Posidonia & Cossa. Carthaginiensium classis auxilio Mamertinis venit: quo facto ab iis fœdus violatum est.* Insignem ciuitatem fuisse, etiam nummi illius testantur reliqui, quibus inscriptum est ΠΟΣΕΙΔΩΝΕΑΤΑΝ. Gentile & possessiuum *Pæstanus.* Liuius lib. xxvii cap. x inter obsequentes colonias, quibus res Romana stetit, numerantur ab infe-

ro

ro mari *Pontiani, & Pæstani, & Cossani.* De sinu iam ex Plinio cognouimus, quem etiam ad Atticum lib. XVI epist. VI Cicero nominauit. *Duo*, inquit, *sinus fuerunt, quos tramitti oportet, Pæstanus & Vibonensis.* Inprimis *rosæ Pæstanæ* in deliciis erant, quarum magnus ibi prouentus fuit. Virgilius Georg. lib. IV vers. 119

- - - - biferique rosaria Pæsti.

Et Ouidius lib. II Pont. epist. IV vers. 28 de re ἀδυνάτῳ,

Calthaque Pæstanas vincet odore rosas.

Supra Pæstum mons *Alburnus* est, de quo Virgilius Georg. III vers. 146

Est lucos Silari circa ilicibusque virentem
Plurimus Alburnum volitans.

Vibius de Montibus: *Alburnus Lucaniæ.* vt erratum esse oporteat in Fluminibus eiusdem, quum legitur: *Siler in Lucania, oppido Alburno;* scribendum *monte Alburno.* Et Seruius ad Virgilium, Alburnum *montem* interpretatur. Fuit tamen etiam hujus nominis ibidem portus. Probus, vetus alius interpres Virgilii: *Portus Alburnus, & eiusdem nominis mons ad sextum a primis tabernis. Mentionem facit Lucilius hoc versu:*

Quatuor hinc ad Silari flumen, portumque Alburnum.

Non procul hinc *lacus* est in litore memorabilis, quem diuersis temporibus aquam dulcem & salsam habere prodiderunt. Plutarchus in Crasso pag. 1249 de Spartaci quibusdam copiis agit, quæ defecerant ab illo, & castra seorsum posuerant ἐπὶ Λευκανίδος λίμνης, ἥν φασὶ τρέπεσθαι διὰ χρόνου, γινομένην γλυκεῖαν, καὶ αὖθις ἁλμυρὰν καὶ ἄποτον, *super stagno Lucano, quod certis temporibus variari ferunt, ac modo dulce, modo salsum nec potabile fieri.*

Inde ad nobile flumen venitur, quod *Hales* siue *Heles*, nunc Halente, adpellatum est. Cicero lib. VII epist. XX ad Trebatium: *Tu has paternas possessiones tenebis, (nescio quid enim Velienses verebantur) neque Haletem nobilem amnem relinques.* Scripti quidam libri *Heletem.* Idem lib. XVI epist. VII ad Atticum: *Brutus erat cum suis nauibus apud Heletem fluuium citra Veliam millia passuum III.*

Adeo propinqua amni vrbs *Velia*, quæ Græcis eſt Ἐλέα, *Elea*, antea Ὑέλη, *Hyela*, quum condita fuit a Phocæenſibus. De illis Herodotus lib. I cap. CLXVII ἐκτήσαντο πόλιν γῆς τῆς Οἰνωτρίης ταύτην, ἥτις νῦν Ὑέλη καλέεται. Ἔκτισαν δὲ ταύτην - - - *poſſederunt illam vrbem terræ Oenotriæ, quæ nunc Hyela vocatur. Condiderunt autem illam*, &c. Strabo lib. VI ineunte: Κάμψαντι δ' ἄλλος συνεχὴς κόλπος, ἐν ᾧ πόλις, ἣν οἱ μὲν κτίσαντες Φωκαιεῖς Ὑέλην, οἱ δὲ Ἔλην ἀπὸ κρήνης τινος, οἱ δὲ νῦν Ἐλέαν ὀνομάζουσι, *Flectenti curſum* [ex Pæſtano ſinu] *alius contiguus eſt ſinus, in quo vrbs, quam conditores Phocæenſes Hyelam, alii Ellam a fonte quodam; qui noſtri temporis ſunt, Eleam nominant.* Byzantii vrbium ſcriptoris epitomator: Ἐλέα, πόλις Ἰταλίας, ὠνομάσθη ἀπὸ τοῦ παραρρέοντος ποταμοῦ, ἡ νῦν Βελέα, *Elea, vrbs Italiæ, nominatur a præfluente amne: nunc dicitur Velia.* Fluuius ille eſt *Heles*, vnde *Helea* ſiue *Elea*, oppidi nomen, quod poſtea, vt alibi, adſpirationem in V mutauit, vt dicatur *Velia*. Plinius lib. III cap. V *Sinus Pæſtanus: oppidum Helia, quæ nunc Velia.* Cicero lib. VII epiſt. XIX *Vt primum Velia nauigare cœpi.* Et Philippica I cap. IV *Ego celeriter Veliam deuectus, Brutum vidi.* Velleius Paterculus lib. II cap. LXXIX *circa Veliam Palinurique promontorium.* Ptolemæus Romano more, ſed plurali, Οὐέλιαι, quod eſt *Veliæ*. Alibi Cicero, Græca forma vſus, dixit lib. III Nat. deor. cap. XXXIII *Zenonem Eleæ in tormentis necatum.* Vt nomen oppidi, ſic oppidanorum etiam variat. A Græca forma *Eleates* eſt, vt *Zeno Eleates*, de quo iam diximus. Cicero Tuſcul. II cap. XXII *Zeno Eleates perpeſſus eſt omnia potius, quam conſcios delendæ tyrannidis indicaret.* Ab altero formatur *Velienſis*, vt ſupra ex lib. VII epiſt. XX perſpeximus. Eſt & alio caſu *Velinus*. Virgilius lib. VI verſ. 366

- - - - *portusque require Velinos.*

Ad extremum ſinum portus & promontorium *Palinuri* eſt, nomen ab Aeneæ nauclero trahens, ibidem, quum mari periiſſet, ſepulto. Sine oppido eſt. Pomponius Mela II cap. IV *Buxentum, Velia, Palinurus, olim Phrygii gubernatoris, nunc loci nomen.* Et Plinius lib. III cap. V *oppidum Helia, quæ nunc Velia: promontorium Palinurum.* quod nunc quoque nomen ſeruat. Dionyſius Halicarn. lib. I pag. 42 κατὰ τὸν λιμένα Παλίνουρον, *juxta portum Palinu-*

linurum. Velleius ante dicto loco : *circa Veliam Palinurique promontorium.* Virgilius VI verſ. 380

Et ſtatuent tumulum, & tumulo ſolemnia mittent,
Aeternumque locus Palinuri nomen habebit.

Flumen hinc *Melpes* ſequitur, a Plinio III cap. V memoratum. *Proximum,* inquit, *huic* [Palinuro] *flumen Melpes, oppidum Buxentum.* Hodie quoque Melpa vel Melfa. Oppidum autem *Buxentum,* Græcis eſt Πυξοῦς, *Pyxûs.* Strabo lib. VI ſub initium : Μετὰ δὲ Παλινοῦρον Πυξοῦς, ἄκρα, καὶ λιμὴν, καὶ ποταμός· ἓν γὰρ τῶν τριῶν ὄνομα, *Poſt Palinurum eſt Pyxûs, promontorium, portus & flumen: tria vno nomine.* Addit Meſſanenſes Siciliæ ibi oppidum condidiſſe, ſed, paucis exceptis, deſeruiſſe. Plinius dicto loco : *oppidum Buxentum, Græce Pyxûs.* Mela *Buxentum* : & Ptolemæus Latino, vt ſolet, more Βούξεντον. Romani coloniam eo deduxerunt. Liuius lib. XXXIV cap. XLV *Salernum Buxentumque coloniæ ciuium Romanorum deductæ ſunt.* Velleius lib. I cap. XV *Puteolos, Salernumque & Buxentum miſſi coloni.* Quum rurſus deſertam & infrequentem Romani inueniſſent, noui coloni ex S. C. ſcripti ſunt in ſupplementum. Vide Liuium lib. XXXIX cap. XXIII. Decem millibus a Buxento *Blanda* oppidum fuit, quod vltra Laum Plinius in Bruttios traiecit. Memorat Mela : exſtat in Tabula Peutingeriana. Liuius lib. XXIV cap. XX *Oppida vi capta: - - - ex Lucanis Blanda.*

Tandem ad finem Lucaniæ litoralis accedimus, qui *Laüs* amnis eſt cum eiusdem nominis oppido. Strabo dicto loco : Μετὰ δὲ Πυξοῦντα Λᾶος κόλπος, καὶ ποταμὸς Λᾶος, καὶ πόλις ἐσχάτη τῶν Λευκανίδων, μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάττης, ἄποικος Συβαριτῶν, *Poſt Pyxuntem eſt ſinus Laüs, & fluuius Laüs, & oppidum extremum Lucanorum, paullo ſupra mare, colonia Sybaritarum.* Plinius lib. III cap. V *Oppidum Buxentum, Græce Pyxûs : Laüs amnis. fuit & oppidum eodem nomine. Ab eo Bruttium litus.* Stephani epitoma : Λᾶος πόλις Λευκανίας· ἀπὸ Λάου ποταμοῦ, *Laüs oppidum Lucaniæ, dictum a Lao flumine.* Et hæc in ora Tyrrheni maris.

Mediterranea Lucanorum ſunt, miſſis ignotis aut alienis, quæ Plinius lib. III cap. XI admiſcet ; ſunt primum *Atinum,* hodie Ateno, correpta media, ad ripam Tanagri amnis : vnde ſunt

Plinii *Atinates* dicto loco. Idem lib. II cap. CIII *in Atinate campo fluuius mersus*, qui ipse Tanager est, de quo supra diximus. Deinde ad Silarum amnem est *Aternum*, hodie vt Cluuerius refert, Aterni dictum, quo ipse Atranos Plinii refert, quos alii ad Trani, vrbem Apuliæ non ignobilem, reducunt. Ad eumdem amnem est oppidum *Bucino*, siue *Bulcino*: quod *Vulci* olim siue *Vulceia* fuisse Holstenio videtur pag. 290. vnde in lapidibus sint *Vulceiani* siue *Volceiani*. Gruterus p. 209 n. 2 VVLCEIANAE CIVITATIS. Et in alio itidem Bucini reperto VOLCEAN. Idem Holstenius huc *Volcentanos* Plinii refert ex lib. III cap. XI: Harduinus *Volcentes* Liuii lib. XXVII cap. XV. sic enim legit; non *Volscentes*, vt editum est. Οὔλκοι, *Vlci*, quod forte *Volci* scribendum, oppidum primum Lucanorum in mediterraneis Ptolemæo est. Frontinus in Lucania: *Præfectura Vlciane*, id est Vlcianensis.

Est non procul inde oppidum, quod vulgo *Marsico* adpellatur. Id videtur ad *Abellinates* Plinii, cognomine *Marsos*, lib. III cap. XI pertinere, distinctos ibi ab Abellinatibus Hirpinorum. *Sontia*, vnde *Sontini* sunt a Plinio memorati, conuenit cum Sanza oppido, inter Policastro & flumen Tanagrum situm. In septemtrionali parte *Potentia* est, nunc Potenza, cuius oppidanos Plinius *Potentinos* vocat: & supra illam in Apuliæ limite ad Bradanum amnem *Opinum* Antonini, itinere a Mediolano ad Columnam; ex Cluuerii dispositione: sed quia insequenti itinere alii numeri, alia distantia adparet, nihil certi de illo constituimus. Inde iter dirigitur *Cælianum*, Cæliano Heracleam.

Quæ vero ad sinum versus Tarentinum iacent Lucanorum oppida, sunt *Grumentum*, *Cælianum* & alia. *Grumenti* situs ex Tabula & dicto Antonini itinere patet. Et Ptolemæus Γρέμεντον scripsit in Lucanis μεσογείοις. Liuius lib. XXIII cap. XXXVII *Iisdem diebus in Lucanis ad Grumentum T. Sempronius cum Hannone Pœno prospere pugnat.* Et lib. XXVII cap. XLI *Hannibal in Lucanos ad Grumentum venit.* Inde in austrum itineris Antoniniani ductu *Nerulum* est, & *Summuranum*, XVI millibus disiuncta. Illud, *Nerulos* plurali forma Tabula refert, & Liuius lib. IX cap. XX vt munitum oppidum describit. *Apulia*, inquit, *perdomita in*

in Lucanos perrectum. Inde repentino aduentu Aemilii consulis Nerulum vi captum. Alterum, quod in itinere sequitur, cadit in locum, qui hodieque *Murano* dicitur, quo probabile prorsus sit, *Submuranum* seu locum *sub Murano* oppido, intelligendum esse: cuius antiquitatem vetus inscriptio commendat, qua MVRANVM in via ab Capua Rhegium vsque tempore seruilis belli facta memoratur, apud Gruter. p. 150 n. 7.

Lagaria quoque eius tractus est, Λαγαρία Stephani, Λαγγαρία Lycophronis verſ. 930. quam Strabo *φρȣ́ριον, castellum* vocat, conditum, vt fama erat, ab Epeo, equi Troiani fabricatore. Et *Aprustum,* siue *Abrystum,* quod Plinius in Bruttiis censet, secundum Ptolemæum huc reducendum est, paullum super Thurios, vltimam Lucanorum; illud vero in mediterraneis statuendum. Minus enim dubitant eruditi, esse Ptolemæi Ἄβυστρον, *Abystrum,* vnde oppidanos Plinius lib. III cap. XI dixerit transposita littera *Aprustanos.* Sed coniectura est: certo demonstrari posse non temere crediderim.

Hinc ad ipsum sinum Tarentinum, & veterum *Magnam Græciam* vt Ptolemæus definiuit, venimus, quamquam minima illius pars ad hunc sinum Lucanorum fuerit. Post Bradanum amnem, qui finis est Lucaniæ, *Metapontum* ad mare est, prima vrbs a Tarento. Pomponius Mela II cap. IV *In eodem* [sinu] *sunt Tarentus, Metapontum, Heraclea.* Plinius inuerso itinere lib. III cap. XI *Inter Sirin & Acirin Heraclia, aliquando Siris vocitata. Flumina, Acalandrum, Casuentum: oppidum Metapontum, quo tertia Italiæ regio finitur.* Sedes aliquando fuit Pythagoræ. Liuius lib. I cap. XVIII *Samium Pythagoram Seruio Tullio regnante in vltima Italiæ ora circa Metapontum Heracleamque & Crotonem iuuenum æmulantium studia cœtus habuisse constat.* Idem lib. XXVII cap. XLII *Pœnus, ne locum pugnandi daret, Metapontum petiit.* Qui incoluerunt, *Metapontini* dicebantur ex Græca forma, quæ est Μεταποντίων, Scylaci, Straboni, Ptolemæo, Laertio in Pythagora, Plutarcho in Q. Fabio vsurpata. Iustinus lib. XX cap. II *Metapontini in templo Mineruæ ferramenta, quibus Epeus, a quo conditi sunt, equum Troianum fabricauit, ostentant:* propter quod omnis illa pars Italiæ Maior Græcia adpellata est.

Est deinde ostium Casuenti, a Plinio paullo ante nominati: & post illud aliud flumen, nomine *Acalandrum*, eiusdem Plinii: inter quem amnem & insequentem *Acirin* Cluuerius *Celianum*, (de quo supra) sed intus, & longe a mari, posuit. Prope os Aciris fluuii, in ripa dextera fuit *Heraclea*, secundum Strabonem a Tarentinis condita, *ciuitas aequissimo iure ac foedere*, vt Cicero pro Archia laudat cap. IV. Liuius lib. VIII cap. XXIV *Heraclea Tarentinorum colonia*. Graece Ἡράκλεια, vnde porrecta penultima: quamlibet Plinius, si fides est libris, *Heraclia* quoque scripserit. Scylax Ἡράκλειον adpellauit. Oppidani *Heracleenses*, in praedicta Ciceronis oratione. In eo vero Plinius aberrat, quod, verbis modo productis, *Heracleam aliquando Sirin vocitatam* dixit. *Siris* quidem oppidum Troianum fuit, vt Strabo tradidit ex fama: sed posteaquam Tarentini tribus inde millibus Heracleam constituerunt; facta illa ἐπίνειον, *nauale* Heracleotarum, & vtraque inter Acirin & Sirin amnes sita, haec ad os illius cognominis; illa ad Acirin, reducta paullo a mari.

Inter Sirin atque Sybarin medius locus *ad Vicesimum* dictus in Itinerario, situs in ora sinus Tarentini: & tum demum, interuallo pari, est ostium *Sybaridis* fluminis, cui vrbs *Sybaris*, potens olim, adposita erat. Plinius dicto loco: *Oppidum Thurii inter duos amnes Crathin & Sybarin, vbi fuit vrbs eodem nomine*, Sybaris videlicet vocitata. Plenius Strabo lib. VI pag. 182 ἡ Σύβαρις Ἀχαιῶν κτίσμα δυοῖν ποταμῶν μεταξὺ, Κράθιδος καὶ Συβάριδος, *vrbs Sybaris ab Achiuis condita inter duos fluuios Crathin & Sybarin.* Sic etiam Lycophron vers. 1079 ex illis amnibus alterius nomen obliquo casu flectit Κράθιδος: at Diodorus Siculus lib. XII cap. IX τοῦ τε Κράθιος καὶ τοῦ Συβάριος. Rectus autem casus est Σύβαρις & Κρᾶθις, amnium nomina. Vrbem vero Sybarim, luxu perditam, Crotonienses euerterunt. Athenienses aliique Graeci restituturi εἰς ἕτερον τόπον μετέθηκαν πλησίον, *in alium propinquum locum transposuerunt*, & a fonte ibidem reperto, cui nomen Θουρία erat (Diodorus Sicul. XII cap. X) *Thurios* vel *Thurium* adpellauerunt. Vicinitas sedis veteris & nouae fecit, vt *Sybaris* & *Thurii* vrbs eadem viderentur. Stephani epitome: Θούριοι, πόλις Ἰταλίας, ἡ πρότερον Σύβαρις, *Thurii, vrbs Italiae, prius Sybaris dicta.* Post Romani coloni-

loniam eodem deduxerunt, vt Liuius refert lib. XXXIV cap. LIII, nouo nomine *Copiarum* impoſito. Stephanus: ὕστερον δὲ Κωπίαι, *poſtremum Copiæ adpellata.* Et Strabo ibidem: *a Tarentinis adflicti, ad Romanos confugerunt*, οἱ δὲ πέμψαντες συνοίκους ὀλιγανδροῦσι, μετωνόμασαν Κωπιὰς τὴν πόλιν, *qui ad paucitatem redactis colonos ſubmittentes, vrbem Copias transnominauerunt.* Vetus tamen nomen *Thuriorum* præualuit, etiam per ſæcula poſteriora, vti ex Ptolemæo & Itinerariis liquet. Variant genus vocabuli, *Thurii, Thuriæ, Thurium* nominandi caſu dicentes. Cicero IX Attic. ep. XIX *Si Puteolis erit difficile, Crotonem petemus, aut Thurios.* Cæſar III Civ. cap. XXII *Cælius peruenit Thurios.* Ibidem *municipium* vocat. Velleius II cap. LXVIII *Milo circa Thurios oppreſſus eſt.* Liuius autem lib. X cap. II *Thurias cepit*: item, *Thuriæ reddita veteri cultori.* Mela II cap. IV *Heraclea, Croto, Thurium.* Et Ptolemæus Θούριον: Strabo autem Θούριοι. Gentile veteris nominis *Sybaritæ*; & Iuſtini lib. XX cap. II *Sybaritani*: alterius, *Thurii*, ὁμωνύμως, vt Stephanus ait: & *Thuriatæ*, Græco more. Tacitus XIV cap. XXI *A Tuſcis accitos hiſtriones, a Thuriis equorum certamina.* Vetus inſcriptio (Grut. pag. 199 num. I) LOCREN. . . . THVRIAT. . . . id eſt Locrenſes & Thuriatæ. Κτητικὸν *Thurinus.* Liuius iam indicato loco: *in Thurinum agrum.* Ouidius Metam. lib. XV verſ. 52 *Thurinosque ſinus.* Et hæc de ora Lucanorum ad ſinum Tarentinum.

BRVTTII.

Altera Italiæ peninſula, quæ in auſtrum vergit & ad Siciliam, a *Bruttiorum* gente habitata fuit, cuius limites mare vndique finit, præter iſthmum inter Laum atque Thurios, in quo communes terminos cum Lucania habet. Regio ipſa antiquis Latinis ſingulari nomine haud ſignificata fuit, ſed vel gentis communi vocabulo expreſſa, vel circumſcripta eodem, aut ſine illo, eſt varie. Gens illa ſunt BRVTTII Latinis, Græcis plerisque Βρέττιοι; Appiano in Hannib. Βρύττιοι: quod nomen Latini veteres T geminato ſcripſerunt. Capitolinis fragmentis pag. 196 Grut. col. 2 DE LVCANEIS BRVTTIEIS TARENTIN... Et pag. 199 num. I BRVTT. . . SALENTIN. Et Reineſii claſſe

classe VI inscript. 12 CORRECTORI LVCANIAE ET BRVTTIORVM. Incerta ergo est ratio, qua non nulli a *brutus* hoc gentile vocabulum deriuant. Eodem vero, vt diximus, vtuntur in regione describenda, quæ proprio nomine apud Latinos videtur caruisse. Liuius lib. XXVII cap. XXV *Locros in Bruttiis Crispinus oppugnare conatus.* & mox: *in Apuliam ex Bruttiis reditum.* Idem extremo illo libro: *Hannibal, vt omnia auxilia, quæ diffusa latius tueri non poterat, in extremum Italiæ angulum Bruttios, contraheret; & Metapontinos, ciuitatem vniuersam, excitos sedibus suis, & Lucanorum, qui suæ ditionis erant, in Bruttium agrum traduxit.* Et Pomponius Mela lib. II cap. VII *agrum Bruttium* illam regionem dixit. *Sicilia*, inquit, *vt ferunt, aliquando continens, & agro Bruttio adnexa.* Græci autem veteres Βρεττίαν illum tractum seu peninsulam dixerunt. Polybius lib. IX cap. VII ποιησάμενος τὴν πορείαν διὰ τῆς Δαυνίας καὶ τῆς Βρεττίας. Et Strabo lib. VI pag. 176 Ἀπὸ δὲ Λάου πρώτη πόλις ἐστὶ τῆς Βρεττίας Τεμέση. Quod Latini posteriores aliquando imitati sunt: Paullus Diac. lib. II Langob. cap. XVII *Lucania cum Bruttia.* Diuiditur in duo litora Apennino monte, Tyrrhenum, & Ionii maris cum sinu Tarentino. Vtrumque nunc breuiter adgredimur enarrandum.

Tyrrheni maris litore post Lucaniam *Cerilli*, siue *Carillæ* sunt, oppidum, quod in Tabula *Cerelis* sexto casu, id est Cerillis, scribitur. Strabo prædicto loco: *Isthmus* Bruttiorum peninsulæ vniuersæ est ἀπὸ Θουρίων εἰς Κηρίλλους πλησίον Λάου, *a Thuriis ad Cerillos prope Laum.* Et Silius lib. VIII vers. 580

- - - *exhaustæ mox Pœno Marte Carillæ.*

Videtur exiguus locus Strabonis temporibus fuisse, quia πρώτην, *primam* a Lao vrbem non in Cerillis ille, sed in Temesa, vt modo vidimus, numerauit: seruatus tamen vtcumque, quod vetus itineraria tabula ostendit. Ordo Plinii lib. III cap. V, si iustus est, *Portum Parthenium*, Phocensium opus, proxime ponit, quem etiam Solinus cum auctoribus, qui Phocenses erant, memorauit. Deinde est fluuius *Acheron* siue *Acheros*, quo Alexander Epirensis rex, oraculo deceptus, periit. *Pandosiam* illud & Acherontem cauere iusserat, quæ quod nota in Epiro nomina erant, in Italia rex lubentius bellum cum Romanis gerebat, ignarus & ibi eius-

dem

dem adpellationis loca vel flumina esse. Recto casu Straboni dictus is amnis est *Acheron*, Ἀχέρων; Liuio lib. VIII cap. XXIV *Acheros*. Ille ait, regem oraculo iussum φυλάττεσθαι τὸν Ἀχέροντα, *Acherontem cauere*; & mox de Pandosia, παραῤῥεῖ ποταμὸς Ἀχέρων, *praterfluit amnis Acheron*. Liuio vox oraculi est, *caueret Acherusiam aquam*: sensit rex se forte captum, quum miles metu, ac labore fessus, transiens incerto vado, abominandum nomen ita increpauit: *Iure Acheros vocaris*. quod regem fati admonuit, vrgente hoste, nequaquam euitandi. Plinius de eo: *fluuius Acheron, a quo oppidani Acherontini*. Nimis breuiter. non obscure tamen ostendit, & oppidum flumini adpositum fuisse, cuius nomen fuerit *Acherontia*. Exstant nummi, qui huc referuntur, inscripti ΑΧΕΡΟΝΤΑΝ, nec vero locus vrbis vel vestigia monstrari possunt.

Nondum ad primam Strabonis vrbem venimus: interiacebant aliæ, *Clampetia*, & *Terina*. Mela II cap. IV ab austro adscendens: *Vibon*, *Temesa*, *Clampetia*, *Blanda*, *Buxentum*. At quum Plinius dixit, *locus Clampetiæ*, deletam suo tempore fuisse indicat, quæ forte caussa Straboni fuit, vt nullam rationem eius oppidi haberet. Liuius lib. XXX cap. XIX in Bruttiis ciuitatibus, quæ ab Hannibale defecerant, *Clampetiam* quoque numerauit. In Tabula *Clampeia*, demta errore vel casu vna littera; argumento est, ab excidio resurrexisse. Græci vetustiores sine K scripserunt Λαμπετια siue Λαμπέτεια. Sic Polybius lib. XIII auctore Stephano. Hodie illum locum Amantia tenet, siue Mantia.

Huic proxima *Terina* fuit, Straboni, Scylaci, & Stephano Τερίνα; Lycophroni Τέρεινα. Plinius III cap. V *Crotoniensium Terina, sinusque ingens Terinæus*. Temsam quidem inter hanc & Clampetiam ponit: sed veriorem situm Strabo, in his curatior, monstrauit. De Temesa loquutus, ταύτης, inquit, συνεχὴς Τερίνα. εἶτα κωνσεντία. Quod Consentia in septemtrionem magis quam Clampetia recedit; & Terina, inter Consentiam Temesamque sita dicitur, vtique illa citra Temesam statuenda, hoc est inter hanc atque Clampetiam. Maritimum situm denominatio *Terinæi sinus*, quem Plinius *ingentem* dixit, demonstrat. At sic non prima

ab Lao Temesa, vt Strabo dixit. Erat prima inter superstites vrbes & memorabiles; Terinam autem Hannibal καθεῖλε, *deleuerat*, quod idem Strabo adnotauit. Sunt qui insulam paruam *Terinam* esse referant, in quam Ligea, Sirenum vna, eiecta sit. Lycophron in Cassandra vers. 726

Λίγεια δ' εἰς Τέρειναν ἐκναυσθλώσεται,

Ligea in Terinam exponetur. Et Solinus cap. II de Italia in Bruttiis : *Insula Ligea adpellata, abiecto ibi corpore Sirenis ita nominata.* Sed fabulosum illud de insula & Sirenis sepulcro videtur, etiamsi de scopulo interpreteris. Ad fidem pronius, a continentis oppido *sinum Terinaum* cognominatum esse, de quo ante, auctore Plinio, prædictum a nobis est. Nunc idem Golfo di S. Eufemia adpellatur.

Iuxta Terinam fluuius *Ocinarus* est. Lycophron vers. 729 Terinam dixit, quæ Ligeæ sepulcrum habeat,

Ὠκινάρου δίναισιν ἀγχιτέρμονα,

Ocinari vorticibus conterminam. Idem vers. 1008

Οἱ δ' αὖ Τέρειναν, ἔνθα μυδαίνει ποτοῖς
Ὠκίναρος γῆν, φοῖβον ἐκβρά(ζ)ων ὕδωρ,

Alii rursus Terinam, vbi humectat terram Ocinarus, puram aquam euomens. Hic videtur *Sabatus* Antonini esse, nunc *Savato* dictus, XVIII millibus a Consentia in austrum. Vide iter ab vrbe via Appia ad Columnam.

Nunc demum *Temesa*, quæ & *Temsa* dicitur, succedit, πρώτη, *prima* vrbium Bruttiarum post Laum a Strabone dicta, scilicet, digna memoratu & superstes. Plinius III cap. V *oppidum Temsa, a Græcis Temese dictum.* In Tabula etiam *Temsa.* Strabo lib. VI p. 176 Ἀπὸ Λάου πρώτη πόλις ἐστὶ τῆς Βρεττίας Τεμέση. Τέμψαν δ' οἱ νῦν καλοῦσι, Αὐσόνων κτίσμα. *A Lao prima vrbs Bruttiorum Temesa, quam nunc Tempsam vocant, ab Ausonibus condita.* Et Ptolemæus Τέμψα. Colonia Romana fuit. Liuius lib. XXXIV cap. XLV *Temsam item, & Crotonem ciuium Romanorum coloniæ deductæ: Temsanus ager de Bruttiis captus erat: Bruttii Græcos expulerant.* Inde enim *Temsanus* deriuatur, vti etiam Cicero *Temsanum*

num incommodum Verrina vlt. cap. XV dixit. Excisa vrbs Temsa est, vt vix rudera supersint.

Cluuerius heic in ora post Temsam ponit *Lametiam*, & inde sinum cognominat *Lametinum :* eamdemque putat *Lampetiam* a Stephano ex Polybii XIII libro adpellari. Sed ipse Stephanus distinxit *Lampetiam*, quæ ipsa Clampetia est, a *Lametinis*, quorum oppidum non in litore, sed prope fontes *Lameti* fluuii intus est, quod in mediterraneis ostendemus. In ora autem est *Lampetes*, Λαμπέτης, mons seu promontorium, quod Lycophron vers. 1068 Ἱππωνίω πρηῶνος κέρας, *Vibonensis iugi cornu* vocat, hoc est promontorium, quia & Tzetzes ibi, κέρας τὸ ἀκρωτήριον. Vltra id, VIII millibus supra Vibonem, in medium sinum flumen *Angitula* decurrit, vt ex Antonini itineribus ad Columnam a Mediolano & Vrbe intelligitur.

Vibo autem, vt Antoninus dicto itinere vocat, in Tabula *Vibona* est cognomine *Balentia*, hoc est *Valentia*. Mela II cap. IV *Hippo, nunc Vibon.* Et Plinius III cap. V *Hippo, quod nunc Vibonem Valentiam adpellamus.* Hippo, antiquum Græcorum nomen, sed truncatum. nam Ἱππώνιον Scylax & Strabo : & Ἱππωνιάτης κόλπος Ptolemæo est *Sinus Vibonensis :* & inscriptio vetus Grut. p. 199 n. I HIPPONIATEIS. Strabo Λοκρῶν κτίσμα, *a Locrensibus conditam*, ab Romanis Οὐιβῶναν Οὐαλεντίαν, *Vibonam Valentiam* adpellari refert. Ciceroni est *Vibo*, sine cognomine. Pro Plancio cap. XL *Iter a Vibone Brundisium terra petere contendi.* Et ad Attic. III epist. III *Te oro, vt ad me Vibonem statim venias.* Raro *Valentia* simpliciter vocatur. Inscriptione milliaria apud Gruter. p. 150 n. 7 MVRANVM - - COSENTIAM - - VALENTIAM. Coloniam Romanam eo missam esse Liuius narrat lib. XXXV cap. XL. *Eodem*, inquit, *hoc anno* [IↃLXI] *Vibonem colonia deducta est senatusconsulto plebisque scito.* Deriuatum nomen Vibonensis, vt *Sinus Vibonensis*, Cic. Attico XVI ep. VI: & *ager Vibonensis* Liv. lib. XXI cap. LI.

Vbi recedit sinus, *Portus* est *Herculis*, Plinio post Vibonem, vt proximus, nominatus : Straboni p. 177 Ἡρακλέους λιμήν. Propinquus huic locus πρὸς τρόπαια, *Ad Tropæa*, Stephano dictus, cui quidem πόλις Σικελίας, *Siciliæ oppidum* est, sed etiam Bruttios id

temporis auctores Siciliæ nomine comprehendebant. In actis conciliorum simpliciter *Tropæa* scribitur, vt hodieque oppidum illud adpellatur. Vide sis Holstenii in Cluv. adnotationes, qui ex Sex. Pompeii victoria id nomen putat superesse. Post Herculis portum Plinius *Metaurum amnem* narrat: Melæ etiam *Metaurum* in oppidis numeratum. Amnis nunc corrupto nomine Marro dictus. Sed si Melæ ordo recte habet, *Medama* ante Metaurum est: si Plinii, post illum. Etiam Strabo Μέδαμα scripsit: Plinius contracte *Medma*; Marcianus Heracleota p. 13 Μέδνα prave: prauius Scylax Μέσα. Strabo addit πλησίον ἐπίνειον καλούμενον Ἐμπόριον, *prope Medamam nauale, quod Emporium dicatur.* Pomponii *Taurianum*, est Plinii *Tauroentum*, cui is *portum Orestis* coniungit. Sed turbata hæc interpretibus videntur. Pluribus *Medma* est Antonini *Nicotera*, cuius antiquior memoria non reperitur: & Portus Medmæ, siue *Emporium* non nullis est *Portus Orestis*: Holstenio *Orestis Portus* in ostio *Metauri* videtur fuisse, qui ideo ὕφορμος ὁμώνυμος, *eiusdem nominis subiunctum portum habeat*, Strabone auctore p. 177.

Post recensita flumina & portus, *Scyllæum* Plinius, & *Cratain* fluuium enarrat. Oppidum an petra *Scyllæum*, seu promontorium, ambigitur. Plinius ita: *Medma: oppidum Scyllæum, Cratais fluuius.* Strabo: Ἐκδέχεται ἐντεῦθεν τὸ Σκύλλαιον, πέτρα χερρονησίζουσα ὑψηλή, *Hinc sequitur Scyllæum, petra peninsulæ speciem præbens, excelsa.* Pomponius Mela: *in Bruttio sunt, Columna regia, Rhegium, Scylla, Taurianum, Metaurum.* Ptolemæus, Σκύλαιον ἄκρον, *Scylæum promontorium.* Itaque solus Plinius cum Solino, illum vnice sequuto, oppidum dixit: ceteri promontorium, petram, qualis & Scylla Melæ est, non oppidum. nisi dicas montem & petram esse *Scyllæum*, cui adsideat eodem nomine oppidulum. *Scyllæum* autem mons, & petra fabulosa *Scylla* videntur idem esse. Vnde qui vnum enarrat, de altero silet. Quod ad fabulam attinet, Virgilius Aen. III, 432

Scyllam, & cæruleis canibus resonantia saxa,

descripsit, & ante paullo vers. 425 illam

Ora exsertantem, & naues in saxa trahentem.

Vnde

Vnde nata fabula sit, Iustinus ostendit lib. IV cap. I, *dum nauigantes magnis vorticibus pelagi dissidentis exterriti, latrare putant vndas, quas sorbentis æstus vorago conlidit.*

Scyllæum excipit *Cænys*, aliud promontorium, Καινὺς Straboni dictum, de quo sic Plinius commemorat: *Siculum fretum, ac duo ex aduerso promontoria: ex Italia Cænys; ex Sicilia Pelorum,* XII *stadiorum interuallo.* Hoc inter & Columnam est *Cratæis* seu *Cratais* fluuius, de quo sæpe dicto loco Plinius: *Oppidum Scyllæum, Cratais fluuius, mater, vt dixere, Scyllæ.* Atque ita in membranis esse, *Cratais*, non Cratæis, Harduinus oculatus testis est. Solinus de Italia: *Scyllacea regio cum Scyllæo oppido, & Crataide, flumine Scyllæ matre, vt vetustas fabulata est.*

Ipsa *Columna*, ad quam itinera Antoninus a Mediolano & ab vrbe direxit, in Melæ libris male cognominatur *regia;* verius a Plinio *Rhegia;* optime ex Strabonis descriptione *Rhegina.* Etenim a vicina vrbe *Rhegio*, a qua centum stadiis secundum Strabonem abest, habet, quod diximus, cognomentum. Plinius sic de illa: *Cratais fluuius, mater, vt dixere Scyllæ. Dein Columna Rhegia: Siculum fretum, ac duo ex aduerso promontoria; ex Italia Cænys, ex Sicilia Pelorum,* XII *stadiorum interuallo. Vnde Rhegium duodecim* CIↃ IↃ *pass.* Vides, inter vrbem & Columnam promontorium *Cænyn* interponi. At Strabo *Cænyn* ante Columnam posuit, seu Columnam inter Cænyn & Rhegium. Sic enim: ἀπὸ Καίνυος μέχρι τοῦ Ποσειδωνίου τῆς Ῥηγίνων στηλίδος τοῦ πορθμοῦ, διήκει στενωτὸς ὅσον ἑξαστάδιος, - - - ἀπὸ δὲ στηλίδος ἑκατὸν εἰς Ῥήγιον, *a Cæny ad Posidonium columnæ Rheginorum iuxta fretum angustus meatus circiter* LX *stadiorum: a columna Rhegium vsque sunt centum stadia.* Alii per adpositionis figuram interpretantur, *a Cæny ad Posidonium, columnam Rheginorum*, quasi Posidonium sit ipsa columna: quod secus mihi aliisque videtur. Posidonium enim, si non oppidum iuxta columnam fuit, at Neptuni fanum iuxta eamdem fuit, per columnæ Rheginæ mentionem distinctum a Posidonio Lucaniæ & gentium aliarum: columna autem videtur milliaria fuisse, & simul signum siue nota traiectus commodioris. Supra laudata vetustissima inscriptione, qua via facta AB REGIO AD CAPVAM explicatur per milliaria, AD FRETVM AD STA-

STATVAM sic coniungitur. *Statua* autem est στηλὶς siue *columna*. Vide Grut. p. 150 n. 7.

Rhegium vrbs peruetusta adeo, vt nomen ab ῥήγνυσθαι, quasi ab *abrupta* vi maris Sicilia ab Italia credatur accepisse. Nota enim illa fama vel fabula, quæ Siciliam quondam Italiæ adnexam tradidit. Hinc est quod qui memorant, VT FERVNT, adiiciant, incertum opinionis aut famæ arguentes. Mela II cap. VII *Sicilia, vt ferunt, aliquando continens, & agro Bruttio adnexa.* Virgilius Aen. III vers. 414

Hæc loca vi quondam, & vasta conuulsa ruina
Dissiluisse ferunt, quum protinus vtraque tellus
Vna foret. Venit medio vi pontus, & vndis
Hesperium Siculo latus abscidit.

Sed ad vrbem *Rhegium* reuertamur. Hanc Χαλκιδέων κτίσμα, *a Chalcidensibus conditam* Strabo refert: semperque fuisse ait ἐπιτείχισμα τῇ νήσῳ, *propugnaculum Siciliæ oppositum.* A plurimis memoratur, etiam apostolico itinere Act. XXVIII, 13 κατηντήσαμεν εἰς Ῥήγιον, *venimus Rhegium.* Ptolemæo est Ῥήγιον Ἰούλιον, *Rhegium Iulium*, quod haud dubie cognomen inde est, quia Octauianus Cæsar, eiecto Sicilia Sex. Pompeio, vt Strabo pag. 178 refert, ὁρῶν λειπανδροῦσαν τὴν πόλιν, συνοίκους ἔδωκεν αὐτῇ τῶν ἐκ τοῦ στόλου τινάς, *videns viris defectam ciuitatem, supplementum ex classe addidit.* Colonia sic ex parte, seruato tamen iure municipii. Inscriptio pag. 174 Grut. n. 7 MVNICIPIB. RHEGINIS IVLI. *Rhegini* enim oppidani, quos laudat Cicero pro Archia oratione. Veteri lapide p. 199 n. 1 RHEGINEI.

Vltra Rhegium plura sunt promontoria, quæ vltimum angulum Italiæ vt sepimentum circumdant. Quod Rheginæ ciuitati proximum, etiam *Rhegium*, communi cum vrbe nomine adpellatum fuisse, Thucydides docet lib. VI pag. 441 ἕως ἀφίκοντο ἐς Ῥήγιον, τῆς Ἰταλίας ἀκρωτήριον, *donec ventum est ad Rhegium, Italiæ promontorium:* quod etiam lib. IV pag. 268 memorauit. Quidam intelligunt Leucopetram; Cluuerius medium inter vrbem Rheginam & Leucopetram, quod etiam ὁμωνυμία videtur suadere, quæ argumentum est propinquitatis. Nobilius Ciceronis supremo itinere promontorium est *Leucopetra*, Λευκοπέτρα, di-

ctum,

ctum, vt Strabo ait, *ἀπὸ τῆς χρόας, a colore*, qui candidus est. Cicero Philipp. I cap. III *Quum me ex Sicilia ad Leucopetram, quod est promontorium agri Rhegini, venti detulissent, ab eo loco conscendi, vt transmitterem.* Et lib. XVI ad Attic. epist. VII de eodem cursu: VIII *idus Sext. quum a Leucopetra profectus stadia circiter* CCC *processissem, reiectus sum austro vehementi ad eamdem Leucopetram.* Hoc videtur illud esse, quod Sallustius, apud Seruium in Aeneid. III vers. 400 dixit *Bruttium promontorium*, in quod, & Salentinum, Italia, in angustias coacta, scindatur. quod nulli verius conuenit, quam Leucopetræ, *εἰς ἣν τελευτᾶν φασὶ τὸ Ἀπέννινον ὄρος, in quam desinere montem Apenninum aiunt;* quod Strabo refert p. 179 lib. VI. Inde in ortum paullo hibernum est *Herculis*, quod dicitur, *promontorium.* Strabo ibidem: *Ἐντεῦθεν δὲ Ἡράκλειον, ὃ δὴ τελευταῖον ἀκρωτήριον νεύει πρὸς μεσημβρίαν, Inde* [a Leucopetra] *est Herculis promontorium, quod vltimum vergit in meridiem.* Nusquam enim Italia magis in meridiem recedit, quam circa hoc promontorium, nunc dictum Capo di Spartiuento: Leucopetra vero, Capo del Armi.

Hinc flexo litore in sinus maris Ionii venitur, & primo ad *promontorium Zephyrium*, prope vrbem Locros. Strabo ibidem: *Μετὰ τὸ Ἡράκλειον ἄκρα τῆς Λοκρίδος, ἣ καλεῖται Ζεφύριον, Post Herculis, succedit Locrensis agri promontorium Zephyrium*, sic dictum, quod portum habet ventis ab occasu flantibus expositum. Ptolemæus post Leucopetram, inflexo litore, *Ζεφύριον ἄκρον*; Plinius lib. III cap. V *Locri cognominati a promontorio Zephyrio.* nam dicti ab eo *Locri Epizephyrii*, vt Græci, *Ozoles*, vel *Epicnemidii.* Id vero non tam gentis quam vrbis ipsius nomen est. Strabo dicto loco: *ἡ πόλις οἱ Λοκροὶ οἱ Ἐπιζεφύριοι, vrbs Locri Epizephyrii.* Sæpius sine cognomine, tamen pluraliter. Liuius lib. XXIX cap. VII *Classis Romana a Messana Locros multa die accessit.* Et paullo ante: *haud procul ab vrbe Locris abest.* Ab Ozolis Locris conditam censet Strabo: malim ab Epicnemidiis, quorum *Naryx* vel *Narycum* fuit oppidum. nam Virgilius Aen. III vers. 399 de nostris Italiæ Locris:

Heic & Narycii posuerunt mœnia Locri:

& ipsam vrbem Locros Ouidius XV Metam. vers. 705 Naryciam dixit:

Lame-

Lametumque legit, Caulonaque, Naryciamque,
Euincitque fretum.

Gentile duplex, *Locri*, & *Locrenses*. Liuius lib. XXII extremo: *Metapontini, Crotonienses, Locrique*. Et lib. XXIII cap. XXX *Locrenses desciuere ad Pœnos*. Ager & regio Græce Λοκρὶς, ίδος. Strabo supra in Zephyrio: ἄκρα τῆς Λοκρίδος, *promontorium Locridis*.

Plura eius memorantur flumina. Liuius lib. XXIX cap. VII *Hannibal a Butroto amni (haud procul is ab vrbe Locris abest) nuntio præmisso - - - luce cœptam inuenit pugnam*. Gronovio suspectum nomen est, necdum consonis inter se membranis; & *Halecem*, certiorem fluuium, in locum deriuat. De eo autem Strabo lib. VI pag. 180 tradit διορίζειν τὴν Ῥηγίνην ἀπὸ Λοκρίδος, *agrum Rheginum a Locrensi separare*. Et Thucydides lib. III pag. 240 *nauigantes* ἐς Λοκρίδα, oppidum *Peripolium* capiunt, ὃ ἦν ἐπὶ τῷ Ἄληκι ποταμῷ, *situm ad fluuium Halecem*. Inter Locros & Cauloniam fluuius *Sagras* est. Strabo dicto loco: μετὰ Λοκροὺς, Σάγρας, *post Locros Sagras est*. Et Cicero II Nat. deor. cap. II *quum ad fluuium Sagram Crotoniatas Locri maximo prœlio deuicissent*. Plinius III cap. X *A Locris Sagra*. Addit Strabo, θηλυκῶς *femineo more* nominari, præter fluuiorum consuetudinem. Est & Καϊκινὸς, *Caicinus*, Locrorum fluuius. Iterum Thucydides lib. III pag. 242 narrat, Athenienses ex Sicilia ἐς τὴν Λοκρίδα egressos, κατὰ τὸν Καϊκινὸν ποταμὸν, *iuxta flumen Caicinum* Locros, ad arcendam vim occurrentes, superasse.

Sequitur *Caulon* siue *Caulonia*. Mela III cap. IV *Tertius* [sinus] *inter Zephyrium & Bruttium, Consilinum, Cauloniam, Locrosque circumdat*. Et hac forma, Καυλωνία, vtuntur plerique Græci in oppido hoc designando. Strabo supra dicto loco: Μετὰ τὴν Σάγραν, Ἀχαιῶν κτίσμα, Καυλωνία, πρότερον δ᾽ Αὐλωνία λεγομένη. Idem Stephani breuiator: Καυλωνία, πόλις Ἰταλίας, ἣν Αὐλωνίαν Ἑκαταῖος καλεῖ, *Caulonia, vrbs Italiæ, quam Auloniam Hecatæus vocat*. Et Diodorus Siculus lib. XVI cap. XI Διονύσιος διατρίβων περὶ Καυλωνίαν τῆς Ἰταλίας, *Dionysius commorans circa Cauloniam Italiæ*. Altera forma est Plinii, qui *vestigia oppidi Caulonis* lib. III cap. X dixit: & Virgilii Aen. III vers. 553, cuius sunt *arces Caulonis*:

&

& Ouidii, qui, quod ſupra etiam indicauimus, Metam. XV verſ. 705 dixit,

- - - *legit Caulonaque Naryciamque.*

Strabo dicit, ἔστι δ' ἔρημος, *deſerta eſt*: & Pauſanias Eliac. II cap. III Pyrrhi bello ἐρημωθῆναι Καυλωνίαν, ἁλοῦσαν ὑπὸ Καμπανῶν, *vaſtatam eſſe Cauloniam, captam a Campanis*, Romanorum ſociis. Ideoque Plinius *veſtigia oppidi Caulonis* dixit, & Ptolemæus, vt deſertum locum, præteriit.

Pomponius Mela cum Caulonia *Conſilinum* vulgatis libris coniunctum habet. Tertium enim ſinum, promontoriis Zephyrio Bruttioque (hoc ipſi Cocintum eſt) interceptum, oppida circumdare dicit *Conſilinum, Cauloniam, Lucroſque.* Plinius III cap. X *veſtigia oppidi Caulonis, Myſtia, Conſilinum caſtrum, Cocintum.* Aiunt ſcriptos Pomponii libros loco Conſilini habere *Coſſentiam* ſiue *Conſentiam.* Quid vero hæc ad ſinum maris Ionii, a quo longe nimis abeſt, nec ad alium ſinum poſita, ſed in mediterraneis? nihilominus *Conſilinum* Frontinus de Coloniis, & Caſſiodorus lib. VIII epiſt. vlt. in Lucania cenſent. Fateor hoc fortius ad perſuadendum eſſe, licet quo loco Campaniæ ponendum ſit, non adpareat. Quid vero de Mela ſentiendum & Plinio? nec *Coſſentia* membranarum Holſtenio adprobatur, qui potius ex *Cocintia* ſuſpicatur ortam eſſe, quæ oppidum fuerit prope eiusdem nominis promontorium, *Cocintum* etiam ab Antonino, itinere ab Equotutico Rhegium ferente, adpellatum, XXII millibus a Scylacio in auſtrum, fere in loco, vbi nunc eſt oppidum *Stilo*, a quo obiacens promontorium Cocintum vulgo *Capo di Stilo* nominatur. Promontorium autem *Cocintum* eſt illud, quod Plinius III cap. X *longiſſimum Italiæ promontorium exiſtimari* tradit. Id Ouidio Holſtenius & Iſ. Voſſius reſtituerunt Metam. XV verſ. 704

- - - *dextra prærupta Cocintia parte,*

vbi inepte *Ceraunia* vulgatum fuerat, quæ in diuerſam illius itineris, ſeu ſiniſtram partem incidunt.

Cluuerio *Cocintum, Carcinum, Cæcinum* idem ſunt: nobis aliter videtur, quia ſecundum Melam *Carcinus* ad ſuperiorem ſi-

num pertinet, secundum siue Scylaceum : *Cocintum* autem est in tertio. *Secundus*, inquit, *Scylaceus, in quo est Petilia, Carcinus, Scylacium, Mystia.* Ordo oppidorum an rectus sit, non est nostrum disputare. *Mystia* nobis primum, tamquam in limine, quia Plinius inter Caulonem & Consilinum (quod Cocintum malumus) interposuit. Stephani epitome : Μυςία, πόλις Σαυνιτῶν, *Mystia oppidum Samnitum.* Samnites autem intelligit Bruttios, a Samnitibus profectos. *Carcinum* oppidum cum Plinii amne *Carcine* componendum, non est quod dubitetur. Vbi enim de sinu Scylaceo egit, hoc addidit : *Amnes ibi nauigabiles : Carcines, Crotalus, Semirus.* An etiam *Cæcinus*, & oppidum *Cæcinum*, dicatur, vt in quibusdam libris fertur esse ; non habemus dicere, valdeque veremur, ne *Cæcini* nomen, si quod est, ex Thucydidis Καϊκίνῳ huc detractum in peregrinum locum sit.

Scylacium succedit, siue, vt in Melæ libris expressum est, *Scylaceum* ; Ptolemæi Σκυλάκιον. Strabo duplicem nuncupationis formam habet p. 180 Μετὰ δὲ ταύτην [Καυλωνίαν] Σκυλλήτιον, ἄποικος Ἀθηναίων - - νῦν δὲ Σκυλάκιον καλεῖται. Plinius interpretatur lib. III cap. X *Dein sinus Scylaceus : & Scylacium, Scylletium Atheniensibus, quum conderent, dictum.* Nunc Squillace, in medio sinu oppidum. Promontorium habet aut scopulum. Virgilius lib. III Aen. vers. 553 *nauifragum Scylaceum.* Ouidius de Aesculapiô Romam aduecto lib. XV Metam. vers. 701

> - - - - *præterque Lacinia templa*
> *Nobilitata deæ ; Scylaceaque litora fertur.*

Post Scylacium Straboni est Κροτωνιᾶτις χώρα, *Crotoniensis ager*, in quo vero multa occurrunt ante, quam ad Crotonem vrbem venitur. Primum est oppidum cum portu, quæ *Castra Hannibalis* vocantur. Plinius lib. III cap. X *In ea* [peninsula aut isthmo potius] *portus, qui vocatur Castra Hannibalis, numquam angustiore Italia : XX M. passuum latitudo est.* In Tabula Augustana signum vrbis adpictum est, vnde oppidum quoque, non solum portum, huius nominis fuisse probatur. Inde flumina in sinum Scylaceum funduntur, hoc ordine a Plinio enumerata : *Crotalus, Semirus, Arocha, Targines.* E quibus *Crotalus*, hodie Corace dictus, iudice Holstenio : *Semirus* nomen retinet, eodem teste : *Arocha*

cha est Crocha : *Targines*, Tacina, interpretante Harduino. quamquam antiquius nomen *Tacina* vel fluminis vel oppidi, dicto Antonini itinere XXII m. p. distantis a Scylacio Thurios versus. Tum sequuntur, vt Strabo vocat, τῶν Ιαπύγων ἄκραι τρεῖς, *Tria Iapygum promontoria.* Plura de iis non memorantur.

Pergit Strabo : Μετὰ δὲ ταῦτα τὸ Λακίνιον, Ἥρας ἱερὸν, *Post hæc* [tria Iapygia] *Lacinium*, in quo *Iunonis templum.* Nobilissimum *Lacinium* promontorium, & a pluribus memoratum, Mela, Plinio, Ptolemæo, præter Strabonem. Plinius lib. III cap. XI *A Lacinio promontorio secundus Europæ sinus incipit, magno ambitu flexus*, id est, & Tarentinum & Hadriaticum complectens. Quod enim infra illud promontorium est, ad Ionium mare pertinet. Et Pomponius Mela : *Sinus Tarentinus dicitur inter promontoria Salentinum & Lacinium.* Iunonis Laciniæ templum, quod Strabo refert, πλούσιόν ποτε καὶ πολλῶν ἀναθημάτων, *multis quondam opulentum donariis.* Liuius lib. XXVIII extremo : *In Bruttiis propter Iunonis Laciniæ templum æstatem Hannibal egit.* Cicero Diuinat. lib. I cap. XXIV refert, *columnam auream solidam in fano Iunonis Laciniæ* quum Hannibal tollere statuisset, somnio monitum abstinuisse. Liuius autem lib. XLII cap. XXVIII Fuluium Flaccum refert, *Iunoni Laciniæ, ob spoliatum templum*, fœda morte pœnas dedisse. Adde Valerium Max. lib. I cap. I exempl. 20.

Supra Lacinium nobilis vrbs *Croton*, vel *Croto.* Mela turbat ordinem, *Crotonem* recensens inter Heracleam & Thurium : quem diligentius ita Plinius seruat : *A Lacinio promontorio sinus secundus, - - - - oppidum Croto, amnis Neæthus, oppidum Thurii.* Strabo pag. 181 Κρότων ἐν ἑκατὸν καὶ ν' σταδίοις ἀπὸ τοῦ Λακινίου, *Croton* CL *stadiis abest a Lacinio.* Liuius lib. XXIV cap. III situm vrbis, magnitudinem, deminutionem sic descripsit : *Croto murum in circuitu patentem* XII *millia passuum habuit ante Pyrrhi in Italiam aduentum : post vastitatem eo bello factam vix pars dimidia habitabatur. - - - Arx Crotonis vna parte imminet mari, altera, vergente in agrum, situ tantum naturali quondam munita, postea & muro cincta, qua per auersas rupes ab Dionysio, Siciliæ tyranno, per dolum fuerat capta.* Cicero lib. IX Attic. ep. vlt. *Crotonem petemus, aut Thurios.* Gentile Græco Latinoque modo ex-

ſtat. *Crotoniatæ*, Cicer. I de Inuent. cap. I; & *Crotonienſes*, Iuſtin. XX cap. II & ſeq. Regio & ager, ἡ Κροτωνιᾶτις, Thucyd. VII pag. 509.

Amnis *Aeſarus* olim vrbem Crotonem perluebat: poſt Pyrrhi bellum procul a parte habitata fluebat. Strabo: ποταμὸς Αἴσαρος καὶ λιμὴν, *Aeſarus fluuius & portus*. Liuius dicto lib. XXIV cap. III de vaſtata Pyrrhi bello vrbe: *flumen, quod medio oppido fluxerat, extra frequentia tectis loca præterfluebat muros, procul iis, quæ inhabitantur*. Id flumen autem *Aeſarus* erat. Ad Theocriti illud idyll. IV verſ. 17 ἐπ' Αἰσάροιο νομεύω, ſcholiaſtes notauit: Αἴσαρος ποταμὸς διὰ μέσης τῆς πόλεως τῶν Κροτωνιατῶν ῥέων εἰς τὴν θάλασσαν. Montes apud Crotonem, *Latymnus* & *Phyſcus* eodem idyllio memorantur verſ. 19 & 23. Vide ſcholia. Nec longe inde *Neæthus* amnis eſt, licet Ouidius Metamorph. XV verſ. 51

- - - - *Salentinumque Neæthum*

dixerit. Laxior enim poetis aliquando geographia eſt, neque finium circumſcriptorum vbique rationem habent. Strabo coniungit cum Aeſaro. *Aeſarus*, inquit, *fluuius & portus*, καὶ ἄλλος ποταμὸς Νέαιθος, *& alius fluuius Neæthus*. Hi corripiunt primam: producunt alii. Theocritus dicto idyll. IV verſ. 24

Καὶ ποτὶ τὸν Νήαιθον, ὅπα καλὰ πάντα φύοντι.

Et Lycophron, Alexandra verſ. 921, Ναύαιθος.

Macalla, plurale, τὰ Μάκαλλα, oppidum Stephano & Lycophroni memoratum. Ille tantum oppidum Italiæ dixit: hic verſ. 927 ἐν Μακέλλοις: vide etiam ſcholia vetuſta eius loci. Sed & heic Μάκαλλα Holſtenius ex MSS. legit. Ariſtoteles libro de Auditis mirabilibus diſtantiam eius a Crotone, CXX ſtadiorum prodidit. Supra Macalla eſt *Crimiſa* promontorium. Strabo pag. 175 Κρίμισα ἄκρα: etiam oppidum ſub promontorio eiusdem nominis. Stephanus: Κρίμισα, πόλις Ἰταλίας, πλησίον Κρότωνος καὶ Θουρίου, *Crimiſa, oppidum Italiæ, prope Crotonem & Thurium*, Lycophron verſ. 911

Τὸν δ' Αἰσάρου τε ῥεῖθρα, καὶ βραχύπτολις
Οἰνωτρίας γῆς κεγχρίνη βεβρωμένον

Κρί-

Κρίμισα φιτρὸς δέξεται μιαιφόνον.

De Philoctete intellige, quem ex Troia reuersum Aesarus & ad Crimisam regio excepit, quam ipse, & Macalla, condidisse dicitur. Apollodorus apud Strabonem post initium libri VI tradit, Philoctetem Χώνην πόλιν ὑπὲρ Κρίμισης ἄκρας οἰκῆσαι, ἀφ' ἧς οἱ ταύτη Χῶνες ἐκλήθησαν, *Chonen oppidum super promontorium Crimisam habitasse, a quo Chones in illa regione adpellati sint.* Regionem Lycophron Χωνίαν dixit vers. 983. Adde Stephani epitomen in Χώνη.

Deinde sunt flumina, *Hylia*, finis agri Crotoniensis: & *Traeis*, Τράεις, obliquo Τράεντος, nunc Triunti. De illo Thucydides lib. VII pag. 509 *Athenienses*, lustrato exercitu apud Sybarin fluuium, ἦγον διὰ τῆς Θουριάτιδος γῆς, *duxerunt per agrum Thuriorum.* καὶ ὡς ἐγένοντο ἐπὶ τῷ Ὑλίᾳ ποταμῷ, *quum ad Hyliam flumen venissent,* Crotonienses miserunt, qui transitum per suos fines negarent; ideoque ἐπικαταβάντες ηὐλίσαντο πρὸς τὴν θάλασσαν καὶ τὴν ἐκβολὴν τοῦ Ὑλίου, *descendentes ad mare iuxta ostia Hyliæ castrametati sunt,* vbi classis quoque præsto fuit. De *Traënte* Diodorus Siculus lib. XII cap. XXII: Sybaritæ, qui seditionis periculum euaserant, περὶ τὸν Τράεντα ποταμὸν κατῴκησαν, *ad fluuium Traentem consederunt,* & aliquamdiu commorati ibidem, ὑπὸ Βρεττίων ἐκβληθέντες ἀνῃρέθησαν, *a Bruttiis eiecti deletique sunt.*

Denique in finibus Bruttiorum, quamuis in Thuriorum potestate, fuit *Ruscia* siue *Ruscianum*, seu *Roscianum*, (nunc Rossano) nauale Thuriorum, XII millibus vltra Thurios remotum. Procopius lib. III Goth. cap. XXVIII παρὰ τὴν ἀκτὴν Ῥουσκία ἐστὶ, τὸ Θουρίων ἐπίνειον, *Est in eo litore Ruscia, Thuriorum nauale.* Antoninus, itinere ab Equotutico Rhegium:

Heraclea		
ad Vicesimum	M. P.	XXIIII
Thurios	M. P.	XX
Roscianum	M. P.	XII.

MEDITERRANEA BRVTTIORVM.

Besidiæ, ad dextram Crathidis ripam situm oppidum *Bisigna-*

gnano dicuntur esse. Liuius id nominis habet in Bruttiorum oppidis lib. XXX cap. XIX *Ad Cn. Seruilium* COS. *qui in Bruttiis erat, Consentia, Vffugum, Vergæ, Besidiæ defecere.* Sed creditur Bisignano id oppidum esse: probari certo non videmus.

Caprasia oppidum Tabulæ, VIII millibus supra Crathin, qui praue *Crater* in Tabula vocatur. Pluraliter Antoninus itinere ab Vrbe via Appia, *Caprasis* sexto casu, Aldina: *Caprasas* quarto, Schottana editione. Situs sic notatur:

Summurano		
Caprasas	M. P.	XXI
Consentiam	M. P.	XXVIII

Post Laum nunc oppidum *Orso* est, quod videtur olim *Vrsa* & *Vrsentum* dictum esse: vnde sunt *Vrsentini*, Plin. III cap. XI. Ad Acherontem fluuium *Pandosia* oppidum, vt supra in flumine demonstratum. Liuius lib. VIII cap. XXIV *haud procul Pandosia vrbe imminentes Lucanis ac Bruttiis finibus tres tumulos, aliquantum inter se distantes,* [Alexander rex Epiri] *insedit.* Strabo lib. VI Pandosiam φρούριον ἐρυμνὸν vocat, quod παραῤῥεῖ ποταμὸς Ἀχέρων, hoc est, munimentum iuxta Acherontem fluuium. Plinius lib. III cap. XI *Et Pandosiam Lucanorum vrbem fuisse, Theopompus* [auctor est] *in qua Alexander Epirotes occubuerit.* Verum in MSS omnibus & impressis ante Hermolaum est *Mardonia*, quam Lucaniæ vrbem Theopompus, vt *Thebas Lucanas* Cato, dixit *fuisse*, quod est interiisse. Conciliare studet Harduinus, quem vide in Emendat. LXIV. Prostant nummi huius vrbis inscripti ΠΑΝΔΟΣΙΕΩΝ, quos Harduinus mauult ad Thesprotiæ Pandosiam referri, Holstenius autem ad Italicam seu Magnæ Græciæ. Hodie in illo loco dicitur *Mendocino* esse, quod probabilius Holstenio videtur, quam in *Castro Franco* cum aliis quæsiisse.

Consentia prope abest a Pandosiæ loco, in austrum inde modico interuallo recedens. Straboni μητρόπολις τῶν Βρεττίων, *caput Bruttiorum*: Ptolemæo etiam in Bruttiis Κονσεντία: & hodieque *Cosenza.* Liuius lib. VIII cap. XXIV in Lucanis censuit. *Quum Heracleam,* inquit, *Tarentinorum coloniam, Consentiam ex Lucanis, - - - cepisset,* puta, Epirensis Alexander. Sed quum supra

ſupra Lucaniæ fines cum Plinio & Strabone conſtituimus, non negauimus eſſe, qui vltra illos, præſertim in mediterraneis, Lucanorum limitem proferrent. Habet etiam alibi illius mentionem. Lib. XXIII cap. XXX *Recepta Petelia Pœnus ad Conſentiam copias traducit.* Petelia vero, vt ibidem dicitur, *in Bruttiis* erat. Et lib. XXIX extremo: *Eadem æſtate in Bruttiis Clampetia a conſule vi capta: Conſentia & Pandoſia, & ignobiles aliæ ciuitates, voluntate in ditionem venerunt.* Gentile nomen, *Conſentini.* Cicero de Finib. I cap. III *Perſius Tarentinis ait ſe, & Conſentinis, & Siculis ſcribere.* Et Liuius lib. XXVIII cap. XI *in Conſentinum agrum* COSS. *exercitum duxerunt.*

In ortum hinc eſt *mons Clibanus*, de quo Plinius lib. III cap. X *Oppidum intus Petilia, mons Clibanus, promontorium Lacinium.* Etſi enim promontorium non intus eſt: tamen ab interiore monte, tamquam pars, procurrit in mare. Ipſa vrbs *Petilia*, ſiue *Petelia*, etiam Philoctetæ Troiani credebatur opus eſſe. Virgilius Aen. III verſ. 402

Parua Philoctetæ ſubnixa Petilia muro.

Non autem parua manſit, ſed metropolis facta, ſaltem in præcipuis Bruttiarum poſtea numerata. Strabo poſt initium libri VI Πετηλία μητρόπολις νομίζεται τῶν Λευκανῶν, καὶ συνοικεῖται μέχρι νῦν ἱκανῶς. *Petelia Lucanorum vrbs primaria cenſetur, & hodieque eſt ſatis frequens.* Suſpecta vox Λευκανῶν, *Lucanorum*, & ipſi Straboni in conſtitutis finibus Lucaniæ aduerſa. *Bruttiorum* vel ſcripſit, vel voluit ſcribere. Liuius lib. XXIII cap. XXX *Petelia in Bruttiis aliquot poſt menſibus expugnata.* Natura & arte munita fuit, ἐρυμνή, Strabone auctore: & vicina Crotoni, quod ex Tabula itineraria adparet, in qua etiam *Petelia*, ſecunda vocali ſcriptum eſt, & Ptolemæus Πετηλία in Magna Græcia, quæ cum Crotone, maiori ex parte Bruttiorum fuit, vt Ptolemæus eam definiuit. Ex quibus, hoc eſt, ex ſitu naturaque loci, & ex vetere illa Tabula probat Holſtenius p. 307, *Petiliam* fuiſſe quæ hodie eſt *Strongoli*, vbi multæ inſcriptiones exſtant, & quod Sponius addit Miſcell. E. A. pag. 196, tubi plumbei detecti, quibus inſcriptum PETILIA. Et eodem loco inſcriptio vetus (Gruter. pag. 215 num. 2) REIP. PETILINORVM. Fide ſingulari in

Ro-

Romanos fuit, vt Saguntus, Hannibalis bello. Silius lib. XII verſ. 431

Fumabat verſis incenſa Petilia tectis,
Infelix fidei, miſeraque ſecunda Sagunto.

Municipium fuiſſe, inſcriptiones Strongolenſes teſtantur, in quibus hodieque MVNICIPII nomen legitur. Gentile *Petelini*, non ſemel apud Liuium lib. XXIII cap. XX. Et nummus Theſauri Brandenburg. ΠΕΤΗΛΙΝΩΝ.

Siberena, Σιβερηνὴ epitomes Stephani, quam antiquum ſit, probari facile non poteſt. Nominis conſonantia ſuadet, vt *S. Seuerina* oppidum, inter Clibanum montem amnemque Neæthum, credatur eſſe: quod iam tum Porphyrogennetæ temporibus ita adpellatum fuit, vti ex lib. II them. X adparet, vbi πολισμάτιον τῆς ἁγίας Σευηρίνης καὶ ὁ Κρότων iunctim legitur, hoc eſt, *oppidulum S. Seuerinæ & Croton.* Cluuerius *Siberinæ* nomen etiam Liuio reſtitutum it, lib. XXVI cap. XXXIX dicenti, vt vulgatum eſt; *Velis tum forte Romanus veniebat: ſed circa Crotonem Sibarimque ſuppleuerat remigio naues.* Legi poſtulat, *circa Crotonem Siberinamque:* ſed æquis, an inuitis criticorum filiis id fiat, non habeo pro certo quod vel negem vel adfirmem.

Inde in occaſum, & Tyrrhenum mare verſus, *Numiſtro* erat, antiquum oppidum. Liuius lib. XXVII cap. II *Conſul ex Samnio in Lucanos transgreſſus, ad Numiſtronem in conſpectu Hannibalis poſuit caſtra.* In Lucanos, inquit, quia hic auctor ſæpe ſuperiorem Bruttiorum partem Lucanis tribuit. Plutarchus Marcello p. 312 fatetur nominatim, ſe *Liuium* ſequi: ταῦτα μὲν ὁ Λίβιός φησιν. Ergo nouum nihil eſt, quum Marcellum εἰς Λευκανίαν, *in Lucaniam* Hannibalem perſequutum, καὶ περὶ πόλιν Νομίστρωνα καθήμενον, *ad Numiſtronem caſtra habentem*, adgreſſum eſſe ſcripſit. Ptolemæus autem *Numiſtronem* (Νυμίστρων in recto) in Bruttiis mediterraneis ſcripſit. Plinius lib. III cap. XI Lucanos populos recenſens (quibus vero peregrinos immiſcet) tandem dicit, *quibus Numeſtrani iunguntur.* nam & *Numeſtro* ſecunda vocali dixiſſe, ex hoc loco, ſi ſe recte habet, probari poteſt. Quod ſi vero *iunguntur* Lucanis Numeſtrani, non in ipſis Lucanis finibus ſunt ſiti, ſed ipſis tantum aliunde contribuuntur. Meminit etiam Fron-

Frontinus lib. II Strateg. cap. II n. 6, ſed ſine gentis aut regionis nomine. *Hannibal*, inquit, *apud Numiſtronem contra Marcellum pugnaturus.* Baudrandus interpretatur *Clocento*, XV millibus a Conſentia in meridiem: VIII a mari Tyrrheno.

Longius hinc in meridiem, e regione Locrorum ferme, *Mamertum* vel *Mamertium* fuit. Strabo lib. VI pag. 180 τὴν δὲ ὑπὲρ τῶν πόλεων τούτων μεσόγαιαν, Βρέττιοι κατέχουσι, καὶ πόλις ἐνταῦθα Μαμέρτιον, καὶ ὁ δρυμὸς ὁ φέρων τὴν ἀρίστην πίτταν, ἣν Βρέττιον Σίλαν καλοῦσι. *Super has vrbes* (Rhegium & Locros) *mediterranea Bruttii tenent, & oppidum ibi Mamertium, & ſilua optimam picem ferens, quam Bruttiam Silam adpellant.* Vergit in auſtrum ſilua Rhegium verſus, eſtque pars Apennini. Plinius lib. III cap. V ſub finem: *Cænys - - Rhegium - - Inde Apennini ſilua Sila, promontorium Leucopetra: ab ea Locri.* Vibius Sequeſter in Nemoribus: *Syla Bruttiorum.* ſcribe *Sila*, vt Strabo & Plinius. Inde *pix Bruttia* laudata. Plinius lib. XVI cap. XI *Sequens liquor, craſſior iam, picem fundit. Hæc rurſus in cortinas æreas coniecta, aceto ſpiſſatur: & coagulata Bruttiæ cognomen accepit, doliis duntaxat, vaſisque ceteris vtilis, lentore ab alia pice differens.*

Antonini itinere ab Equotutico inter Scylacium & Rhegium ponuntur obſcura & ignota oppida, in quibus *Altanum* & *Hipporum* ſunt: & tandem XX millibus ab Rhegio *Decaſtadium*, quod incidit in locum, qui iam vocatur Caſtidio. Aeque ignoti ſitus ſunt, quæ Liuius lib. XX cap. XIX enumerat, *Vſſugum, Vergæ, Sipheum, Argentanum, Hetriculum*, in Bruttiis ſita, ipſo docente, quæ nihilominus ex coniectura Holſtenius conatur interpretari, cui videlicet *Vſſugum* Fognano eſt: *Vergæ*, Rogiano: *Sipheum*, Montalto: *Argentanum*, Argentina prope Montalto: *Hetriculum*, Lattarico: quibus vero inniti non poſſumus, licet multum iudicio tanti viri tribuamus.

De *Græcia Magna* ſupra in Italiæ diuiſione diximus. Nec tantum in Bruttiis erat illa, & in Calabria, ſed in Campaniam vsque patebat: & Cicero pro Archia cap. V nobiliores Italiæ ciuitates Græcanicas enumerans, *Rheginos, Locrenſes, Neapolitanos, Heracleenſes*, & *Tarentinos* nominat. Ptolemæus arctiores fines conſtituit, ac tantum illud latus Italiæ, quod ad Tarentinum ſinum

 num


num est & ad mare Ionium, *Graeciam Magnam*, *μεγάλην Ἑλλάδα*, vocat, a Tarento vsque Locros; diremto ab illa Bruttiorum altero latere, in quo Rhegium, & Vibo sunt, quem tractum proprie Bruttios adpellat. Ex mediterraneis Magnæ Græciæ duo oppida adsignat, *Peteliam* & *Abystrum*.

REGIONES ITALIAE.

Dictum supra sub initium huius Capitis est de diuisione Italiæ in Galliam Cisalpinam, Italiam propriam, & Magnam Græciam. Vltima pars adpellationem suam citius amisit, nomine retracto in angustias sinus Tarentini & Ionii, vt Ptolemæus modo docuit; aut ne in his quidem constantius seruato. Superior pars, quæ Gallicanos colonos habebat, *Galliæ* nomen vsque ad Augusti Cæsaris imperium conseruauit, qui demum, peregrinis nominibus abrogatis, *Italiæ* commune nomen inde ab Illyrico, Histriæ contermino, & ab Alpibus in circuitu, vsque ad Iapygum & Bruttiorum promontoria induxit vel restituit, & nouam vniuersæ Italiæ diuisionem in *vndecim Regiones* inuenit. Plinius lib. III cap. V *Qua in re præfari necessarium est, auctorem nos diuum Augustum sequuturos, descriptionemque ab eo factam Italiæ totius in regiones XI.*

PRIMA REGIO ex Plinii delineatione, (neque enim alius descriptionem Augusti prodidit,) a Tiberi vsque ad Silarum amnem pertinuit. Postquam enim Campaniam enarrauerat a Sauone fluuio vsque Mineruæ promontorium, *Regio*, inquit, *ea a Tiberi prima Italiæ seruatur ex descriptione Augusti.* Et recensitis interioribus tam Latii vtriusque quam Campaniæ, addit: *In prima regione præterea fuere: in Latio clara oppida*, quæ more suo, alphabeti ordine recenset, pleraque antiquata tum nomina, olim autem sub regibus, aut antea etiam, non obscura. nempe Romam *Saturniam* nominat: Ianiculum, *Antipolin*, quæ repetere nihil attinet. Satis est ex hisce intellexisse, vtrumque Latium & Campaniam fuisse *regionem primam.* Campaniæ autem finis Silarus amnis est, à quo tertiam regionem incipit.

SECVNDA REGIO lib. III Plinii cap. XI designatur ita: *Connectitur secunda regio, amplexa Hirpinos, Calabriam, Apuliam,*


Septentrio
Meridies
Occidens
Regiones Italiae
ex
Augusti Caesaris
Divisione.
Mare Ligusticum
Mare Inferum
sive
Tyrrhenum
Mare Superum sive Adriaticum
Mare Siculum
Pannoniae
Illyrici Pars
Dalmatia
Regio Decima
Regio Undecima
Regio Quarta
Latium Regio
Corsica
Aeoliae Insulae
Roma
Ancona
Genua
Tergeste
Alpes Cottiae
Alpes Maritimae
Vercella
Mediolanum
Ravenna
Ariminum
Pisae
Florentia
Perusia
Clusium
Tibur
Capreae
Salernum
Neapolis
Vulcania

liam, *Salentinos*. Et interiectis non nullis : *Cetero intus in secunda regione Hirpinorum colonia vna Beneuentum.* Deinde magno numero populos huius regionis recenset, e quibus notiores tantummodo, missis obscurioribus aut deletis, referemus: *Aquilonienses*, *Abellinates* vtrosque, *Compsanos*, *Caudinos*, *Aeculanos*, *Aecanos*, *Cannenses*, *Genusinos*, *Herdonienses*, *Larinates cognomine Frentanos*, *Netinos*, *Venusinos* ; & ex mediterraneis Salentinorum *Aletinos*.

TERTIA REGIO. De hac Plinius lib. III cap. V *A Silaro regio tertia, & ager Lucanus Bruttiusque incipit.* Vrbium quas enarrat, potiores sunt *Pæstum*, *Velia*, *Buxentum*, *Clampetia*, *Temsa*, *Terina*, *Vibo*, *Rhegium*, *Locri*. Cetera non enumerat *regionis* nomine, sed *Magnæ Græciæ* cap. X, per sinum Ionium & Tarentinum: at cap. XI terminum definit manifeste. *Oppidum*, inquit, *Metapontum, quo tertia Italiæ regio finitur.*

QVARTA REGIO. Plinius lib. III cap. XII *Sequitur regio quarta gentium vel fortissimarum Italiæ. In ora Frentanorum, a Tiferno, Histonium, Ortonia, Aternus amnis. Intus, Anxani cognomine Frentani : - - - Marrucinorum, Teatini : Pelignorum, Corfinienses, Superequani, Sulmonenses : Marsorum, Anxantini, Atinates, Fucentes, Lucenses, Maruuii : Albensium, Alba & Fucinum lacum : Aequiculanorum, Cliternini, Carseolani : Vestinorum, Pinnenses : - - - Samnitium, Bouianum, Aufidenates, Aeserni - - - Treuentinates : Sabinorum, Amiterni, Curenses, Forum Nouum, Fidenates, Interamnates, Nursini, Nomentani, Reatini, Trebulani, Tiburtes.*

QVINTA REGIO lib. III cap. XIII ab eodem Plinio ita est descripta : *Quinta regio Piceni est, quondam vberrimæ multitudinis. Tenuere ab Aterno amne, vbi nunc ager Hadrianus, & Hadria colonia : flumen Vomanum : ager Prætutianus, - - - Truentum, - - Cupra oppidum, Castellum Firmanorum : colonia Asculum, intus. Potentia, Numana, Ancona. Intus Auximates, Ricinenses, Tollentinates.*

SEXTA REGIO, quæ Vmbriæ est, sequitur cap. XIV. *Iungitur*, inquit, *his sexta regio, Vmbriam complexa, agrumque Gallicum circa Ariminum. In ora flumen Aesis, Senogallia, Metaurus fluvius;*

vius ; coloniæ, Fanum Fortunæ, Pisaurum cum amne: & intus Hispellum, Tuder. Cetera populorum nominibus significat, in quibus nobiliores sunt *Amerini, Aesinates, Camertes, Carsulani, Fulginates, Foroflaminienses, Forosempronienses, Iguuini, Interamnates cognomine Nartes ; Meuanates, Narnienses, Nucerini, Ocriculani, Sarsinates, Spoletini, Suasani, Tusicani, Tifernates Tiberini,* & alii *Metaurenses : Vrbinates* cognomine *Metaurenses* , & alii *Hortenses.*

SEPTIMA REGIO Etrusca. Plinius lib. III cap. V *Adnectitur septima* [regio] *in qua Etruria est, ab amne Macra.* Oppida huius regionis nobiliora, prætermissis ceteris, *Luca, Pisæ, Volaterra, Cossa, Cære, Sena, Sutrium, Arretium, Clusium, Florentia, Fesulæ, Hortanum, Nepet, Pistorium, Perusia.*

OCTAVA REGIO traditur eodem libro, cap. XV, ab Arimino ad Padum & Apenninum, ita : *Octaua regio determinatur Arimino, Pado, Apennino.* Oppida & flumina excerpta : *Ariminum, fluuius Rubico, & Sapis : Rauenna, Bononia, Mutina, Parma, Placentia : Cæsena, Claterna ; Forum Clodii, Liuii, Popilii, Cornelii : Fauentia, Fidentia, Regium Lepidi.*

NONA REGIO itidem lib. III cap. V descripta Plinio est. Postquam enim Liguriæ oppida enarrauerat, *Albium Intemelium* & *Ingaunum, Vada Sabatia, Genuam, Segestam :* & a tergo *Dertonam, Pollentiam, Augustam Vagiennorum, Albam Pompeiam, Astam, Aquas Statyellorum ;* subdit Plinius: *Hæc regio ex descriptione Augusti nona est.*

DECIMA REGIO Transpadana maritima est, & quæ huic vicina in mediterraneis. Plinius lib. III cap. XVIII *Sequitur decima regio Italiæ, Hadriatico mari adposita, cuius Venetia, fluuius Silis ex montibus Taruisanis, oppidum Altinum ,* & interiectis pluribus fluminibus, *Aquileia, Carnorum regio, amnis Timauus colonia Tergeste, Formio amnis , antiquus aucta Italiæ terminus.* Et ex cap. XIX *Histria peninsula - - - & nunc finis Italiæ fluuius Arsia. In mediterraneo regionis decimæ, coloniæ , Cremona, Brixia, Ateste : oppida Patauium, Opitergium, Belunum, Vicetia, Mantua - - - Verona, Iulienses Carnorum, Foroiulienses, - - - Noreia.* Et lacus , *Larius, Verbanus, Benacus, Eupilis.*

VNDE-

VNDECIMA REGIO, Transpadana est Subalpina. Plinius lib. II. cap. XVII *Transpadana adpellatur ab eo* [Pado] *regio vndecima, tota in mediterraneo. Oppida Vibi Forum, Segusio: coloniæ ab Alpium radicibus, Augusta Taurinorum, dein Salassorum Augusta Pratoria, - - - Oppidum Eporedia, - - Vercellæ, Nouaria, Ticinum, Laus Pompeia, Mediolanum, Comum, Bergomum.*

Sic operosius Augustus Italiam diuisit quam vtilius, quia posteri non secundum has regiones descriptas nominarunt eius partes, sed priscis nominibus regionum & populorum contenti, nullam descriptionis Augusteæ rationem habuere: nisi quod *Gallorum* nomen, Augusto auctore, in Circumpadana expunxerunt, *Italiæ* vbique restituto.

VIAE STRATAE
PER ITALIAM.

In admirandis Italiæ etiam *Viæ stratæ* erant, commoditati itinerum per varias productæ regiones. Vetus institutum, inde a Samnitico bello, quo Appius Claudius *Appiam* strauit, per tot sæcula ornandæ iuuandæque Italiæ continuatum. Quod enim Liuius lib. XLI cap. XXVII scribit, censores Fuluium Flaccum & Postumium Albinum, quorum annus fuit IↃ LXXIX, *vias glarea extra vrbem substernendas marginandasque primos omnium locauisse*, id vel de glarea inducta, vel de marginatione intelligendum est, quia ipse Liuius longo ante tempore viam Appiam Flaminiamque munitam fuisse ostenderat. *Appia* ergo vt antiquissima erat, ita fuit nobilissima tum præstantia operis & longitudine, tum frequentia illorum, qui iter in illa faciebant, quoties in vlteriorem Italiam, & Græciam Asiamque Romanis eundum erat, aut inde redeundum.

APPIA ergo VIA prima nobis explicanda est. Auctor eius Appius Claudius, Cæcus postea cognominatus, tum censor. Liuius lib. IX cap. XXIX *Et censura clara eo anno Appii Claudii & C. Plautii fuit: memoriæ tamen felicioris ad posteros nomen Appii, quod viam muniuit, & aquam in vrbem duxit: eaque vnus perfecit.*

Annus autem erat vrbis CCCCXLI. Et Eutropius lib. II cap. IV *Eo tempore Appius Claudius censor aquam Claudiam induxit, & viam Appiam strauit.* Longitudo erat ἀπὸ Ῥώμης μέχρι Καπύης, *ab Roma Capuam*, quod Diodorus Siculus lib. XX cap. XXXVI refert. Et Procopius lib. I Bell. Goth. cap. XIV ἐκ Ῥώμης ἐς Καπύην διήκει, *ab Roma Capuam pertinet.* Et Frontinus principio de Aquæductibus: *Ap. Claudius censor viam Appiam a porta Capena vsque ad vrbem Capuam muniendam curauit.* Falsus ergo auctor libelli de Viris illustr. in hoc Appio dicens: *Viam vsque Brundisium lapide strauit.* Neque enim Appii temporibus eo vsque Romanis Italia patebat: neque tantum opus vnius hominis est aut ætatis vnius. Nihilominus ad Brundisium producta fuit, sed a quo & quando continuatio facta, incertum. Strabo lib. V p. 161 Ἐνταῦθα συνάπτει τῇ θαλάττῃ πρῶτον ἡ Ἀππία ὁδὸς, ἐστρωμένη μὲν ἀπὸ τῆς Ῥώμης μέχρι Βρεντησίου, πλεῖστον δ' ὁδευομένη, *Heic* [ad Tarracinam] *primum ad mare via Appia accedit, ab Roma vsque Brundisium strata, quæ plurimum frequentatur.* Sic Tacitus II annal. cap. XXX in vanis Libonis Drusi consultationibus refert, *viam Appiam Brundisium vsque pecunia operire.* Strata autem fuit λίθοις στερεοῖς, *durissimo lapide*, vt Diodorus ait; quem φύσει σκληρὸν Procopius dixit, neque hoc obuio & ad manum vbique, sed, quod idem addit, ἐκ χώρας ἄλλης μακρὰν οὔσης, *ex longinqua regione* aduecto, grandiore & ad normam cæso, quod magnitudinem operis & admirationem auget, in tanta præsertim latitudine, vt ἅμαξαι ἐναντίαι ἀλλήλαις, *aduersa plaustra inter se* libere commeare possent. Vt adeo vere Papinius Statius lib. II silv. II vers. 12 dixerit,

Appia longarum teritur regina viarum.

Ductum huius viæ Horatius lib. I satyr. V, & diuersis locis Strabo; & Antoninus itinerario prodidit. Præcipuæ vrbes & mansiones inter Romam & Brundisium in Appia erant *Aricia, Forum Appii, Tarracina, Fundi, Minturnæ, Sinuessa, Capua:* inde *Caudium, Beneventum, Equotuticum, Herdonia, Canusium, Barium, Egnatia, Brundisium.* Iuxta Appiam, inter Forum Appii & Tarracinam, *fossa* fuit per palustria, lembo a mula tracto nauigabilis, quam Strabo lib. V pag. 161, & Horatius lib. I Satyr. V descripserunt.

VIA

VIA FLAMINIA fuit a Roma per Ocriculos vsque Ariminum. Liuius epitoma XX *C. Flaminius cenſor viam Flaminiam muniuit.* Cenſor autem fuit cum L. Aemilio Pappo, anno ante bellum Punicum II, qui annus vrbis DXXXIII. Strabo autem lib. V pag. 150 non cenſori, ſed conſuli Flaminio tribuit, poſteriori quam cenſor, ex longo interuallo: *συνυπάτευσαν ἀλλήλοις Μάρκος Λέπιδος καὶ Γάϊος Φλαμίνιος· καθελόντες δὲ Λίγυας, ὁ μὲν τὴν Φλαμινίαν ἔστρωσεν ἐκ Ῥώμης διὰ Τυῤῥηνῶν καὶ τῆς Ομβρικῆς μέχρι τῶν περὶ Ἀρίμινον τόπων· ὁ δὲ τὴν ἑξῆς μέχρι Βονωνίας, κἀκεῖθεν εἰς Ἀκυληΐαν, Collegæ in conſulatu fuerunt M. Lepidus & C. Flaminius: Liguribus autem deuictis, hic viam Flaminiam ſtrauit ab Roma per Etruriam & Vmbriam vsque ad Ariminum: ille deinceps ad Bononiam vsque, & inde vsque ad Aquileiam.* At hi conſules fuere anno DLXVI, de quibus Liuius lib. XXXVIII cap. XLII *Comitia conſulibus rogandis fuerunt ante diem* XII *calend. Martias. Creati M. Aemilius Lepidus, C. Flaminius.* Valde vereor, ne cenſores prope cognomines cum his Strabo conſulibus confuderit. Clare enim Liuius *cenſorem Flaminium* auctorem viæ Flaminiæ dixit. Continuatio autem illa Aemilii per Bononiam vsque Aquileiam, etiam interdum *Flaminiæ* nomine exprimitur. Lipſius de Magn. Rom. III cap. X *Quid? Flaminia via an breuior* [quam Appia?] *qua Roma Ariminum vsque, & inde porro Aquileiam ducebat.* Sed de illa parte pluribus in Aemilia. Propria Flaminia Arimino finiebatur. Suetonius Aug. cap. XXX *Quo facilius vndique vrbs adiretur, deſumta ſibi Flaminia via Arimino tenus munienda, reliquas triumphalibus viris, ex manubiali pecunia ſternendas, diſtribuit.* Non nouus aut primus muniuit, ſed reparauit, vbi perierant, priores munitiones. Dio Caſſius lib. LIII pag. 511 *ἰδὼν τὰς ἔξω τοῦ τείχους δυσπορεύτους ὑπ' ἀμελείας ὁδοὺς οὔσας, - - - τῆς δὴ Φλαμινίας αὐτὸς, ἐπειδήπερ ἐκστρατεύσειν δι' αὐτῆς ἔμελλεν, ἐπεμελήθη, Videns vias extra vrbem difficiles itineribus fieri; - - - ipſe Flaminiæ curam reparandæ ſuſcepit, quia per viam illam exercitum ducturus erat.* Per montes ad Metaurum fluuium faciliorem tranſitum, interciſis ſaxis, fecit, quem Tabula *Ad interciſa*, intellige, ſaxa; Hieroſolymitani itineris auctor ſimpliciter *Interciſa:* Victoris epitome & Procopius IV Goth. cap. XXVIII *Petram Pertuſam* vocant.

Locum

Locum enim illum in Flaminia esse, vterque Victor significauerunt. Vide supra in Vmbria trans Apenninum.

Oppida in Flaminia via secundùm Strabonem lib. v pag. 157, & itineraria Antonini & Hierosolymitanum, nec non vestigia Holstenio p. 100 reperta sunt ab Roma *Ocriculi, Narnia Carsulæ, Meuania, Fulginium, Forum Flaminii,* [*Nuceria*] *Heluillum, Calle, Intercisa* siue *Petra Pertusa; Forum Sempronii, Fanum Fortunæ, Pisaurum, Ariminum.* Itineraria per diuerticula ducunt ad Interamnam & Spoletium. At Strabo diserte, ἐν δεξιᾷ τῆς ὁδῦ, *in dextra huius via* Spoletium relinqui profecturo Roma Ariminum. Et Tacitus Hist. III cap. LXIV *vitata Flaminiæ viæ celebritate, diuertere Interamnam iussit.* Etiam Nuceria extra viam erat, quem nec Antoninus attigit: Strabo tamen Νȣκερίαν διὰ τῆς ὁδῦ πληθυνομένην μᾶλλον, ἢ διὰ πολιτικὸν σύστημα, *commoditatis caussa frequentatam* scripsit: Ob eamdem rationem itinera per Fanestrem coloniam & Pisaurum hanc viam ducunt.

VIA AEMILIA non vna est: alia ab Aemilio Scauro fuit munita, quam Strabo p. 150 ita descripsit: ὗτος ὁ Σκαῦρός ἐστιν, ὁ καὶ τὴν Αἰμιλίαν ὁδὸν στρώσας, τὴν διὰ Πισῶν καὶ Λȣ́νης μέχρι Σαββάτων· κἀντεῦθεν διὰ Δέρθωνος, *Hic ille Scaurus est, qui Aemiliam viam strauit, quæ per Pisas, Lunam, vsque Sabata fert: indeque Dertonam perducta est.* Auctor libri de Viris illust. cap. LXXII in Scauro: *Censor viam Aemiliam strauit.*

Altera nobilior est, quæ prouinciam circumiacentem posteriori æuo denominauit, opus Aemilii Lepidi, consulis cum C. Flaminio. Sed hanc aliter Strabo, aliter Liuius delineauit. Ille Lepidum ab Arimino, vbi desinebat Flaminia, viam ad Bononiam vsque; indeque prorsus Aquileiam scribit protulisse: Liuius lib. XXXIX cap. II *Aemilius, pacatis Liguribus, viam ab Placentia, vt Flaminiæ committeret, Ariminum perduxit.* Ab Arimino Bononiam fuisse deductam, Plinius quoque testis est, quum lib. XIX cap. I *Fauentiam,* quæ fere media inter Ariminum & Bononiam est, dicit *in Aemilia via* esse: & lib. II cap. LXXXIII portentum agri Mutinensis, concurrentes montes, & inter hos erumpentem ignem, *in via Aemilia* interdiu visum esse. Et *Forum* *Cor-*

Cornelii in illa via fuit, quod Martialis, epigrammate IV libri III ad librum suum, docet:

> *Romam vade, liber. Si, veneris vnde, requiret,*
> *Aemiliæ dices de regione viæ.*
> *Si, quibus in terris, qua simus in vrbe rogabit,*
> *Corneli referas me, licet, esse foro.*

VIA AVRELIA per maritima Etruriæ ducebat Pisas versus, vel ad illas. Peutingeriana Tabula eius tractum ostendit, ab vrbe per *Lorium, Alsium, Pyrgos, Castrum nouum, &* *Centum cellas:* quod etiam Antoninus, itinere per hanc viam in Galliam suscepto, confirmat. Num vlterius processerit, propter *Aurelii Forum,* quod vltra Martham flumen est, & eiusdem haud dubie auctoris, non licet dubitare. At *Grauiscæ* inter Forum illud & Centum cellas sitæ, videntur extra viam fuisse. Sic enim Celsus lege XXX Dig. de legat. & fideic. II *Quidam in testamento ita scripsit: Reipublicæ Grauiscanorum lego in tutelam viæ reficiendæ, quæ est in colonia eorum, vsque ad viam Aureliam.* Sed eadem Tabulæ via, quamquam abrupta Centumcellis, fert a Minione per Grauiscas Forum Aurelii, vt diuerticulum agri Grauiscani, quod incidat in Aureliam, intelligendum sit. Cicero de Catilina, oratione II cap. IV, *Demonstrabo iter: Aurelia via profectus est.* Idem Philipp. XII cap. IX *Tres viæ sunt ad Mutinam: a supero mari, Flaminia: ab infero, Aurelia: media, Cassia.* De ætate non plane constat: plurimi tamen ad Aurelium Cottam, consularem virum, qui censor anno DXII fuit, vt in tabulis Capitolinis est, referunt. Duplex autem fuit, vetus & noua. Inscriptio Tiburtina, Grut. p. 457 n. 7,

CVRATORI. VIAR. AVRELIAE. VETERIS. ET
NOVAE. CORNELIAE. ET TRIUMPHALIS.

Quæ illa *noua* fuerit, incertum est silente historia. Raph. Fabrettus vt *veterem* a Sublicio ponte, per Ianiculum, qui tunc solus transitus patuerit, in oram maris ducit: ita paullo supra, seu septemtrionem versus, *nouam* ponit, vt tamen in *veterem* ab interuallo incidat; putatque ab Aurelio Antonino imperatore nomen habere.

VIA CASSIA, quam Cicero modo, vt mediam inter Fla-

miniam Aureliamque, memorabat, per mediam Etruriam ferebat. Veſtigia eius vir diligentiſſimus L. Holſtenius pag. 65, 69 monſtrauit, quæ a Baccanis Sutrium, inde Vetrallam, deinde ad Aquas Paſſeris tendunt: & vltra hæc per Vulſinios ad Cluſium.

Illuſtrat hanc viam inſcriptio vetus Hadriani apud Gruterum pag. 156 num. 2

VIAM CASSIAM
VETVSTATE COLLABSAM
A CLVSINOR. FINIBVS
FLORENTIAM PERDVXIT
MILLIA PASSVVM
XXCI.

Feſtus ait, *a Caſſio ſtratam*; a quonam, & quando, non addit. Num a Caſſio Longino, qui cum Valerio Meſſala anno DC aut ſuperiore cenſor fuit? de quibus præter Faſtos Capitolinos, etiam Plinius lib. XVII cap. XXV conſulatur.

VIA CLODIA ſiue CLAVDIA itidem in Etruria eſt, ex Caſſia deducta, & per *Arretium*, *Florentiam* ac *Piſtorium* ferebat *Lucam*, vt Antoninus tradit: quæ vero cis Cluſium ibidem narrantur, ſunt ipſa oppida Caſſiæ, iam demonſtrata. Ex illa enim deducta eſt, non Caſſia ex Claudia.

Ad auſtrale latus Sabatini lacus via Clodia ducebat, & ſupra Braccianum ingentes eius reliquiæ viſuntur. Vide Holſten. ad Cluv. p. 44, 45. Prope Flaminiam fuit, in quam videtur tandem incidiſſe. Ouidius Pont. lib. I epiſt. VIII

Nec quos piniferis poſitos in collibus hortos
Spectat Flaminiæ Clodia iuncta via.

VIA POSTVMIA ſemel memorata Tacito in prælio Bedriacenſi, lib. III Hiſt. cap. XXI. *Siſtere*, inquit, *tertiam legionem in ipſo viæ Poſtumiæ aggere* [dux Antonius] *iubet, cui iuncta a læuo ſeptima Galbiana, patenti campo ſtetit.* Et ante cap XVII *Iuuit locus, arctiore illic via, & fracto interfluentis riui ponte, qui incerto alueo, & præcipitibus ripis fugam impediebat.* Ex his, & quæ interiecta ſunt, intelligitur, *viam Poſtumiam* a Cremona Mantuam Veronamque, & forte in vlteriora, perduxiſſe. Vbi initium eius fuerit, non liquet. Aut enim in Ciſpadana & in ipſa Liguria

nata;

nata; aut ibi alia fuit *via Postumia*. Nam in tabula ænea de finibus Genuensium & Veituriorum (Gruter. p. 204) legitur: IBI TERMINI DVO STANT CIRCVM VIAM POSTVMIAM, adde reliqua. Sed quia de agro ibi Genuensi eiusque finibus agitur, forte diuersa a Transpadana illa *Postumia* fuit, vt duæ sunt Aemiliæ, de quibus supra dictum est.

Sunt præterea aliæ viæ in Etruria, aut circa Flaminiam, solis inscriptionibus, & indiculo Victoris de Vrbis regionibus, proditæ, ANNIA, AVGVSTA, CORNELIA, CIMINIA, quæ difficilius explicantur. Gruterus pag. 399 num. 6 CVRATORI. VIAE. CLODIAE. ANNIAE. CASSIAE. CIMINIAE. E quibus *Ciminia* perspectior est, ex Cassia ad Sutrium in oppidum & montem *Ciminum* ferens, & ad Aquas Passeris rursus recidens in Cassiam, vt sollertissimus Holstenius ex vestigiis pag. 67 demonstrauit. *Anniam* autem Onuphrius vel Flaminiæ conjunctam, vel ab ea incepisse ex marmore in Faliscis exstante comprobari putat, cuius hæc inscriptio ex Augusti sæculo est:

VIAM AVGVSTAM AB VIA
ANNIA EXTRA PORTAM AD
CERERIS SILICE STERNENDAM
CVRARVNT PECVNIA SVA.

Augustam autem *viam* non procul a Flaminia in Faliscis fuisse, & in Anniam incidisse, simul ex hac inscriptione Onuphrius ostendit. Plus de Augusta Italiæ compertum non habemus.

Corneliam inscriptio, paullo ante producta in *Aurelia*, commendat. Qui enim Aureliæ vtriusque curam habebat, dicitur etiam curator fuisse VIAR. CORNELIAE ET TRIVMPHALIS. Quod ergo heic & alia inscriptione Romana, qua C. Sallius curator dicitur VIARVM AVRELIAE. CORNELIAE. TRIVMPHALIS; *Cornelia* cum Aurelia & triumphali iungitur; coniicit inde Onuphrius, mediam inter Aureliam & Triumphalem fuisse *viam Corneliam*, de cuius auctore nihil certi cognitum est. *Triumphalem* autem initium extra vrbem a ponte Tiberino, cuius rudera quædam non minus, quam Portæ triumphalis, in ripa, superesse dicuntur, habuisse, siue inter Flaminiam & Aureliam nouam;

Barthol. Marlianus Topograph. Rom. lib. I cap. VIII extr. & Fabrettus in Tabula, auctores sunt. Longe in exteriora id nominis patuisse, probabile non est, quia pompæ via illa destinata fuit, quæ intra Tiberim & Capitolium fere omnis ostentabatur. S. Hieronymus de Scriptor. eccles. in *Petro* apostolo: *Sepultus Romæ in Vaticano, iuxta viam Triumphalem.* Alexander ergo Donatus de Vrbe Roma lib. I cap. XXII viam Triumphalem per vtrumque campum, Flaminium & Martium, tendisse in Vaticanum existimat.

Egregius lapis exstat Auximi, descriptus a Grut. p. 446 n. 4, quo plures adhuc expositæ viæ memorantur, & cum iis etiam AMERINA, quæ ex Flaminia, vt Onuphrius putat, Ameriam diuertit. Verba inscriptionis hæc sunt ex æuo Hadriani:

CVR. VIAR
CLODIAE. ANNIAE. CASSIAE
CIMINAE. TRIVM. TRAIANARVM
ET. AMERINAE.

Vbi autem hæ *Traianæ* fuerint & in qua regione, nemo facile explicauerit. Xiphilinus ex Dione scripsit in hoc principe: *πλῆστα ἀναγκαιότατα καὶ ἐν ὁδοῖς καὶ ἐν λιμέσι κατασκευάσαι, plurima necessaria tam in viis quam portubus instaurasse:* sed qua regione aut prouincia, non exponit. Appiam instaurasse aut similem, quæ ad Calabros Bruttiosque pertineret; *Traianamque* vocitasse, videtur inscriptio Romana, mutila quamuis, (Grut. pag. 199 num. 1) probare,

VIAM TRAIAN. . . . . BRVTT..
SALENTIN. . . . . . . PVBL. . . . .

Quo nummus Traiani referri solet, sedentem mulierem ostentans, quæ alteram manum rotæ imponit, altera arundines tenet, cum subscriptione VIA TRAIANA, cujus hæc femina simulacrum sit, per Pomtinas (arun[illegible] significatas) communitæ & reparatæ. *Tres* autem *Traianæ* superiori inscriptione videntur extra hanc fuisse, quia cum quibus iunguntur, Clodia, Annia, Cassia, Cimina, Amerina, omnes sunt Transtiberinæ: vnde pronum ad coniecturam fit, tres illas etiam trans Tiberim in Etruria aut Vmbriæ finibus exstitisse.

In

In Transtiberina regione, ſed propius flumen, reſtant duæ viæ, *Portuenſis* & *Vitellia*. PORTVENSIS ſic P. Victori dicta, libello de Regionibus Vrbis, ſub finem. Ad Portum Romanum ferebat, ſiue dextrum oſtium Tiberinum, vnde nomen eſt. Ab hac recedit paulliſper, etiam a fluuio, VIA VITELLIA, cuius originem Suetonius cap. 1 Vitellii oſtendit, ipſamque viam definit *ab Ianiculo ad mare vſque*. Ab hac diſtinxit IANICVLENSEM P. Victor, ſed quo duxerit, & quam longa fuerit, incertum eſt.

VIA VALERIA ex iis, quæ cis Tiberim erant, poſt Appiam in præcipuis fuit, per Sabinos, Aequos & Marſos in Pelignos aut vltra producta. Strabo lib. v pag. 164 ἡ Οὐαλεϱία ἄϱχεται ἀπὸ Τιβȣ́ϱων, ἄγει δ' ἐπὶ Μάϱσȣς καὶ Κοϱφίνιον τὴν τῶν Πελιγνῶν μητϱόπολιν. *Valeria via incipit a Tibure, & fert per Marſos ad Corfinium, Pelignorum metropolim.* Addit in ea eſſe oppida *Carſeolos* & *Albam*: prope, *Cuculum*. Quum vero dubius *Carſeolorum* locus ſit, & doctiſſimi viri Lucas Holſtenius ac Raphael Gabrettus, hic Italus, ille in Italia plurimum verſatus, de eo litigent, & Holſtenius veſtigia huius coloniæ diu perquiſita tandem inueniſſe dicat & perſpexiſſe, omnesque partes eius diligentiſſime (p. 164) deſcribat; hic autem Holſtenium non leuiter notet & caſtiget: noſtrum non eſt, inter tantos viros has geographicas lites componere: minus Gruteri poſitionem, inter Laminas & Sublaqueum ad Anienem, tueri. Quum ergo per Carſeolos hæc via ferat, vt Strabo dixit; pro illorum diuerſo ſitu aliter aliterque Valeriam duci & delineari oportet. De ceteris ſupra actum, quos partim etiam ſequuti ſumus: Fabrettus Carſeolorum ruinas inter Rio Freddo & Celli de Carſoli poſuit, libro de Aquis & Aquæductibus. Quoquo autem loco colonia Carſeolana fuit, & propter illam vel altius vel preſſius ſit in Aequicolis hæc via perducenda; tamen a Tibure ad Albam Fucentem illa duxit, inde Cerfenniam, Corfinium, Interbromium, Teate Marrucinum ad vſque Hadriam. Id quod ex Antonini itinere per Valeriam inſtituto, clarum eſt & apertum.

VIA LATINA inter Appiam & Valeriam media, tandem incidit in Appiam. Strabo lib. v pag. 163 γνωϱιμώταται, *celeberrima viarum* per Latium *ſunt Appia, Latina & Valeria*: μέση δ' αὐ-

τῶν ἡ Λατίνη, ἡ συμπίπτουσα τῇ Ἀππίᾳ κατὰ Κάσινον πόλιν, *media illarum Latina est, quæ in Appiam apud oppidum Casinum incidit.* Scribe *Casilinum*, quod prope Capuam est: Casinum autem longe reductum ab Appia. Oritur Latina prope Romam ex Appia, & post Cales ad Casilinum in eamdem recidit. Oppida in ea Strabo numerauit, postquam inter montes Tusculanum & Albanum traducta fuit, *Algidum ad Pictas*, diuersorium, vbi Lauicanam excipit: deinde *Ferentinum*, *Frusinum*, *Fabrateriam*, *Aquinum*, *Interamnam*, Latinorum vltimum: & in Campania *Teanum Sidicinum*, *Calenum*, & *Casilinum*, iuxta quod viæ Appiæ Latina se insinuat. Crebro memoratur. Liuius lib. II cap. XXXIX de Coriolano: *inde* [a Circeiis] *in Latinam viam transuersis tramitibus transgressus.* Suetonius Domit. cap. XVII *per vespillones exportatum Phyllis nutrix in suburbano suo Latina via funerauit.* Et Paullinus Nolanus Natalitio III S. Felicis vers. 72

Aspera montosæ carpuntur strata Latinæ.

In Latinam a sinistra cadit VIA ASINARIA, haud procul vrbe, cuius Festus meminit in *Retricibus*. Verba in *Ardeatina* proferemus. Breuis ergo & ignobilis via prætereatur.

VIA SALARIA in Sabinos tendebat, a sale per eam deuecto dicta. A Collina porta per pontem Anienis ferebatur. Tacitus lib. III Hist. cap. LXXXII *tertium agmen per Salariam Collinæ portæ propinquabat.* Et Liuius lib. VII cap. IX *Galli ad tertium lapidem Salaria via trans pontem Anienis castra babuere.* Strabo lib. V p. 158 Ἔστρωται δὲ αὐτῶν ἥ τε Σαλαρία ὁδὸς οὐ πολλὴ οὖσα, εἰς ἣν καὶ ἡ Νωμεντάνη συμπίπτει κατὰ Ἤρητον τῆς Σαβίνης κώμην, ὑπὲρ τοῦ Τιβέρεως κειμένην, ὑπὲρ τῆς αὐτῆς πύλης ἀρχομένη τῆς Κολλίνης. *Strata est per illos* [Sabinos] *via Salaria, non longa, in quam Nomentana incidit apud Eretum, Sabinorum vicum, supra Tiberim positum; incipiens ab ipsa porta Collina.* De nomine Paullus ex Festo: *Salaria via Romæ est adpellata, quia per eam Sabini sal a mari deferebant.* Congrunt vestigia Festi reliqua.

VIA CAMPANA quo duxerit, & vnde nominata sit, incertum est. Memorat Suetonius Aug. cap. XCIV *Ad quartum lapidem Campanæ viæ in nemore prandenti, ex improuiso aquila panem ei e manu rapuit.* Romæ in veteri lapide, exhibente Grutero pag. 611 num. 13 HVIC MONVMENTO ITER ADITVS AMBITVS DEBETVR --- A VIA CAMPANA PVBLICA. Torrentius *Appiam* inter-

interpretatur, quæ in Campaniam ferebat: ſed nobilius nomen *Appia* frequentiusque, quam ut regionis nomen ſubſtitui patiatur. Raph. Fabrettus, inuento veteri ductu inter Laurentinam & Ardeatinam, dubitanter adſcripſit: *forſan* CAMPANA. Vide Tabulas ipſius ad Diſſertat. III.

Ceteræ viæ ab oppidis, quo ferebant, ſunt denominatæ, ex quorum ſitu cognoſcuntur facillime. Vt a ſeptemtrione incipiamus, poſt Salariam fuit NOMENTANA ducens *Nomentum*, Sabinorum oppidum. Hæc vel incidit in Salariam, vt modo a Strabone accepimus; vel Salaria cadit in ipſam. Liuius lib. III cap. LII *Via Nomentana, cui tum Ficulnenſi nomen fuit, profecti, caſtra in monte Sacro locauere.* Suetonius Nerone cap. XLVIII *ſuburbanum inter Salariam & Nomentanam viam.* Vetus inſcriptio Grut. p. 439 n. 4 CVRATOR VIAE NOMENTANAE.

Huic TIBVRTINA proxima, quam ab ipſo oppido, a quo nomen habet, Valeria excepit, vt ſupra, Strabone auctore, oſtendimus. Inſcriptio p. 446 n. 9 CVRAT. VIAE TIBVRTIN. Vitruuius lib. VIII cap. III *in Tiburtina via flumen Albula.* Poſt hanc eſt VIA COLLATINA, quæ Collatiam ferebat. Frontinus de Aquæduct. lib. I *Concipitur* [aqua Virgo] *via Collatina ad milliarium* VIII, *paluſtribus locis.*

Proxima Collatinæ in auſtrum eſt VIA PRAENESTINA, ducens per Gabios in oppidum *Præneſte.* Frontinus de Aquæduct. ſub initium: *Concipitur Appia* [aqua] *in agro Lucullano, via Præneſtina.* Strabo lib. V pag. 164 Γάβιοι ἐν τῇ πραινεςίνῃ ὁδῷ κειμένη [πόλις] *Gabii, in Præneſtina via ſitum oppidum.* Vnde prior pars viæ vocata etiam *Gabina.* Lapis vetus Romæ, Grut. p. 150 n. 8

P. SCAPTIVS, P. F. GABINAM
VIAM ORNARI AC REFICI
SVA IMPENSA CVRAVIT.

Non procul aberat VIA LABICANA, ſiue LAVICANA, ducens in oppidum *Labicum*, quod prope Gabios fuit. Liuius lib. IV cap. XLI *Iam conſul via Labicana ad fanum Quietis erat.* Inſcriptio vetus claſſe II Reineſ. n. 27 VIAE LABIC. CVR. Spartianus in Iuliano extr. *Corpus eius in proaui monimenta translatum, milliario quinto, via Lauicana.* Fuit hæc inter Præneſtinam, & Latinam, ſupra cum

cum Appia in nobilioribus viis explicatam. Ergo solæ supersunt, quæ recta ab vrbe in meridiem tendebant.

ARDEATINA VIA ex Appia haud procul ab vrbe, circa Almonem fluuium in dextram digreditur, & *Ardeam* vsque profertur. Pompeius Festus in voce *Retricibus* eius mentionem fecit: *Cato*, inquit, *significat aquam eo nomine, quæ est supra viam Ardeatinam inter lapidem secundum & tertium, qua irrigantur horti infra viam Ardeatinam & Asinariam, vsque ad Latinam.*

VIA LAVRENTINA a *Laurento* oppido, quo tendebat, nomen habuit, ex Ostiensi inter secundum & tertium lapidem sinistrorsus deriuata. Plinius lib. II epist. XVII de villa sua: *Aditur non vna via. nam & Laurentina & Ostiensis eodem ferunt: sed Laurentina a quartodecimo lapide; Ostiensis ab vndecimo relinquenda est.* Et Gellius lib. X cap. II de femina quinque pueros vno partu enixa: *monimentum ei factum, iussu Augusti, in via Laurentina:* quia in agro Laurente pepererat.

Tandem OSTIENSIS VIA fuit, prope Tiberim ad Ostiam coloniam deducta. Præter Plinii testimonium iam prolatum, Tacitus lib. XI cap. XXXII *Messalina spatium vrbis pedibus emensa, vehiculo, quo purgamenta hortorum eripiuntur, Ostiensem viam intrat.* Prudentius passione Petri & Pauli, vers. 45, de huius sepulcro:

Parte alia titulum Pauli via seruat Ostiensis,
Qua stringit amnis cæspitem sinistrum.

Quod autem colonia & *Hostia* & *Ostia* scripta fuit; *via* quoque *Hostiensis* in antiquis monimentis est. Gruter. pag. 752 n. 2 HAEC VEHICVLO EVERSO VIA HOSTIENSI III KAL. FEBR. OBIIT.

CAPVT X
DE
INSVLIS MINORIBVS
CIRCA ITALIAM.

MAribus inclusa est Italia tamquam peninsula, supero siue Hadriatico, & infero siue Tyrrheno, quæ vbi connectuntur illud Ionii nomen induit; hoc Siculi, quia ad Siciliam insulam, quæ proxima Italiæ, deuergit. Superi maris, in

ora

ora Italica, perpaucæ insulæ sunt: inferi plures & numerosæ. De vtrisque nunc agendum est ita, vt a supero mari initium faciamus.

Ad Histriam, ante Polam, Strabo refert lib. V pag. 149 *νησίδια. εὔορμα καὶ εὔκαρπα*, *paruas insulas portu instructas & fructiferas* esse: nec vero nomina illarum, quæ hodieque obscuriora sunt, prodidit. Deinde sub Aquileia, in lacu mari præiacente & connexo, est insula *Gradus*, Paullo Diacono & Iornandi memorata, quæ illorum æuo oppidum non incelebre habuit, de quo in medii æui geographia agemus, sicut de ipsa insula prædiximus supra in *Aquileia*. Venetorum paruæ insulæ, quibus posteriori æuo vrbs maxima imposita fuit, nescio an ab antiquis descriptæ fuerint, nisi sub falso nomine *Electridum* insularum latuerunt. Strabo dicto loco reiicit quidem *τὰς Ἠλεκτρίδας νήσους, τὰς πρὸ τοῦ Πάδου, καὶ Μελεαγρίδας ἐν αὐταῖς*, *Electrides insulas, ante Padum sitas, & in iis Meleagrides*, quod *τούτων οὐδέν ἐστιν ἐν τοῖς τόποις*, *nihil harum in iis locis sit*; at vero nomen *Electridum*, & prouentum electri, in his oris bene negauit, non autem ipsas insulas ante Padi ostia tam facile omnes sit licitum pernegare. Etiam Pomponius Mela lib. II cap. VII *Electridas* insulas, imitatus Græcos, in Hadriatico posuit. Erroris fontem in Germania Transmarina indicauimus, quod Græci *Venedos*, Aestiorum accolas, quorum Electrides insulæ in sinu Codano sunt, cum *Venetis* Italicis haud dubie confuderunt.

Certiores in Hadria *Diomedeæ* sunt insulæ ex aduerso Apuliæ, quamquam illis quoque adfictæ sint fabulæ, neque de numero scriptores veteres conueniant. Aristoteles de mirandis aud. libello: *ἐν τῇ Διομηδείᾳ νήσῳ, ἣ κεῖται ἐν τῷ Ἀδρίᾳ*, *in Diomedea insula, quæ sita est in Hadria*, tamquam de vna loquutus est. Et vnius tantum *Diomediæ* insulæ Mela dicto loco mentionem fecit. At Strabo lib. VI pag. 196 *Ἐν τῇ πλησίον θαλάττῃ δύο νῆσοι Διομήδειοι προσαγορευόμεναι, ὧν ἡ μὲν οἰκεῖται, τὴν δὲ ἔρημην φασὶν εἶναι*, *In vicino* [Dauniæ] *mari duæ sunt insulæ, Diomedeæ adpellatæ, quarum colitur altera, alteram aiunt esse desertam.* Addit ibidem, *πρὸ τῆς ἄκρας*, *ante promontorium* Gargani sitas. Totidem numerauit Plinius lib. III cap. XXVI. *Contra Apulum litus*, inquit, *Diomedea, conspicua monimento Diomedis: & altera eodem nomine, a quibusdam Teutria*

adpellata. Ptolemæus lib. III cap. I extremo Diomedeas insulas *quinque* numerat, in quibus maxima est *Trimetus*, Aristoteli, & Melæ, & Solino, & si qui alii vnam tantummodo memorarunt, κατ' ἐξοχὴν *Diomedea* adpellata. Tacitus annal. IV cap. LXXI *Per idem tempus Iulia mortem obiit, quam neptem Augustus conuictam adulterii damnauerat, proieceratque in insulam Trimetum, haud procul Apulis litoribus.* Hodie est veteri nomine *Tremiti*, a tribus, vt aiunt, montibus dicta: a qua vniuersæ *l' Isole di Tremiti* dicuntur.

Brundisio obiecta parua insula, quæ *Pharos* olim dicta, quia noctu lucerna viam nauigantibus monstrauit. Mela lib. II cap. VII *Vt Alexandria, ita Brundisio adiacens Pharus.* In Tarentino sinu haud procul Tarento, parua insula est, cui nomen *Electris* siue *Febra* fuisse dicitur. Seruius in Aeneid. XI vers. 271 *Habitant in insula Electride siue Febra, quæ est haud longe a Calabria in conspectu Tarentinæ ciuitatis.* In Scylaceo sinu plures paruæ. Plinius lib. III cap. X extremo: *Promontorium Lacinium; cuius ante oram insula X M. passuum a terra Dioscuron: altera Calypsus, quam Ogygiam adpellasse Homerus existimatur: præterea Tiris, Eranusa, Meloessa.* Pleræque nunc opertæ dicuntur, vel parum adparentes, aut ita exiguæ vt vix amplius memorentur. De *Ogygia* Calypsûs Homerus Odyss. H vers. 244

Ωγυγίη τις νῆσος ἀπόπροθεν εἰν ἁλὶ κεῖται
Ἔνθα μὲν Ἄτλαντος θυγάτηρ, δολόεσσα Καλυψὼ
Ναίει ἐυπλόκαμος, δεινὴ θεός.

Et Hesychius in hoc vocabulo: Ωγυγίη, ὄνομα τῆς νήσου Καλύψους, *Ogygia, nomen insulæ Calypsus.* Hæ in supero mari, & attinente Ionio, ad Italiam insulæ.

In mari *Ligustico*, quæ pars est inferi, prima a Gallici litoris confinio est *insula Gallinaria*, ex aduerso Albii Ingauni. Varro lib. III de Re Rust. cap. IX *Gallinæ rusticæ similes facie non his villaticis gallinis nostris, sed Africanis adspectu, ac facie incontaminata - - - Nec fere in villis oua & pullos faciunt, sed in siluis. Ab his gallinis dicitur insula, Gallinaria adpellata, quæ est in mari Tusco, secundum Italiam, contra montes Ligusticos, Intimelium Albium & Ingaunum.* Et Columella lib. VIII cap. II *Rustica gallina, quæ non dissimilis villaticæ, per aucupem decipitur: eaque plurima est in insula, quam nautæ, in Ligustico mari sitam, producto nomine alitis Gallina-*

linariam vocitauerunt. In hanc fugit Martinus, Turonensis postea episcopus, sanctitate commendatus, pulsus Mediolano ab Auxentio, Arianorum antistite. Sulpicius Seuerus Vita eius cap. VI *Cedendum itaque tempori arbitratus, ad insulam Gallinariam nomine secessit. - - - Hic aliquamdiu radicibus vixit herbarum.* nam deserta erat, quod in eadem Martini historia Sozomenus lib. III cap. XIV notauit: *μικρὰ δὲ ἄυτη καὶ ἀοίκητος, parua,* inquit, *illa, nec habitata.*

In Pisano sinu, seu contra Liburnum portum, est intus, Corsicam versus, insula *Vrgo*, vt Mela nominat & Plinius. Ille, *Vltra aliquot sunt parua, Dianium, Igilium, Carbania, Vrgo:* hic, lib. III cap. VI post Planariam: *amplior Vrgo, & Capraria.* Posteriore ævo *Gorgon* fuit dicta. Rutilius lib. I vers. 516

Adsurgit ponti medio circumflua Gorgon,
Inter Pisanum Cyrniacumque latus.

Inde est quod hodieque illa insula *Gorgona* vocitatur. In ora, siue inter Vrgonem & portum Liburnum insula Mallora nunc est siue Meloria, quæ videtur Plinii *Menaria* esse. Propior Corsicæ est insula *Capraria*, quæ etiam *Caprasia* vocatur: nunc Capraia. Plinius dicto loco: *Vrgo, & Capraria.* Mela II cap. VII *Vrgo, Ilua, Capraria.* Etiam Ptolemæus Καπραρία νῆσος. Rutilius vers. 439

Processu pelagi iam se Capraria tollit,
Squallet lucifugis insula plena viris.

Varro, qui *Caprasia* scripsit, lib. II cap. III R. R. a capris feris nomen ducit. *Capræ,* inquit, *quas alimus, a capris feris sunt ortæ: a queis propter Italiam Caprasia insula est nominata.* Græci Αἴγιλον dixerunt. Plinius ibidem: *Capraria, quam Græci Aegilon dixere.* quod repetit Solinus cap. III *Capraria, quam Græci* Αἴγιλον *dicunt.*

In Etruriæ ora *Ilua* est, Græcis *Aethalia.* Male enim Ptolemæus Αἰθάλην & Ἰλϐαν separauit. Nobilior ceteris est, etiam maior, hodie *Elba* dicta, quod vetus nomen *Ilua* redolet. Plinius dicto loco: *Ilua cum ferri metallis, circuitu centum millia, a Populonio decem; a Græcis Aethalia dicta.* Solinus dixit *Iluam ferri feracem*, vt adhuc Elba est. Virgilius lib. X vers. 173

- - - - - - ast Ilua trecentos [dederat]
Insula inexhaustis chalybum generosa metallis.

Et Silius Italicus lib. VIII verf. 616

Non totidem Ilua viros, fed lectos cingere ferrum
Armarat patrio, quo nutrit bella, metallo.

Et Rutilius Numatianus lib. I Itinerar. verf. 351

Occurrit chalybum memorabilis Ilua metallis,
Qua nihil vberius Norica gleba tulit.

Liuius lib. XXX cap. XXXIX *Populonios quum peruenisset, Iluam insulam, & ab Ilua Corsicam traiecit.* Græci, vt dictum, Αἰθαλίαν vocant, Aristoteles in Mirandis; Diodorus Siculus lib. V cap. XIII; Strabo lib. V; & Αἰθάλη ac Αἰθαλία ex diuersis Stephanus.

Adiacet Iluæ insula minor, nunc dicta *Pianosa*, quæ haud dubie est veterum *Planasia*. Varro R. R. III cap. VI *Pauonum greges agrestes esse dicuntur in Planasia insula M. Pisonis.* Tacitus lib. I annal. cap. III [Liuia] *senem Augustum deuinxerat adeo, vti nepotem vnicum Agrippam postumum in insulam Planasiam proiiceret.* Addit in eadem Agrippæ huius historia Dio Cassius sub finem libri LV de situ huius insulæ : *αὐτὸς ἐς Πλανασίαν, τὴν πρὸς Κύρνῳ νῆσον, ἐνεβλήθη, ipse in Planasiam, Corsicæ propinquam insulam, est relegatus.* Videtur eadem quæ Plinii *Planaria* lib. III cap. VI, *a specie dicta, æqualis freto, ideoque nauigiis fallax:* sicut, quam paullo ante vidimus, vna erat Capraria & Caprasia. Salmasius ad Solini cap. III conciliat nomina, vt *Planaria* Latinum sit, a specie, id est planitie, dicta. vt enim a plenus plenarius; ita a planus planarius. *Planasia* autem ipsi est nomen Græcum a πλανᾶσθαι, *ab erroribus Vlyssis*, vt Solinus ait, vocata. Plinius distinxit Planasiam a Planaria, nimioque spatio ab Aethalia siue Ilua diiunxit, id quod errore factum non dubitamus.

Abhinc longius a litore in austrum recedit insula, a multo tempore *Monte Christo*, a celso monte, totam pæne insulam complectente, vocitata. Hanc *Oglasam* Plinii esse, ex distantia, ab ipso signata, non difficulter probatur. *Citra* [Corsicam] inquit cap. VI, *est Oglasa; intra vero sexaginta millia passuum a Corsica, Planaria.* Argumentum geminum : & *citra* Corsicam est Oglasa, & vicina eadem insulæ Planariæ, quæ Pianosa est, vt ita alia non sit, quam quæ *Monte Christo* vocitatur.

Contra Cosam, Etruriæ vrbem, est *Igilium*, quibusdam *Ae-*

gilium,

gilium, diuersum autem ab Aegilo, Græco nomine Caprariæ. Mela lib. II cap. VII *Vltra* [Tiberina ostia] *aliquot sunt parua, Dianium, Igilium, Carbania, Vrgo, Ilua, Capraria.* A Tiberi Liguriam versus progreditur enumerando. Cæsar lib. I B. Civ. cap. XXXIV *Cognoscit profectum Domitium ad occupandam Massiliam nauibus actuariis* VII, *quas Igili & in Cosano a priuatis coactas seruis, libertis, colonis suis, compleuerat.* Rutilius lib. I vers. 325

Eminus Igilii siluosa cacumina miror.

Hi omnes *Igilium* scripserunt. At Plinius dicto loco *Aegilium* diphthongo. *Capraria*, inquit, *quam Græci Aegilon dixere. Item Aegilium: & Dianium.* Est vero quod dubites de Plinii scriptura. nam Mela, quem sequitur plerumque, *Igilium:* &, qui Plinium exscripsit, Martianus Capella VI, sic verba Plinii sublegit: *Capraria, quam Aegilon Græci dixerunt: Item Igilium, Dianium.* At etiam Antoninus itinerario insularum: *Insula Aegilium a Cosa stadia* XC. Hodie est Giglio.

Inde *Dianium* proxima insula est, nunc Gianuto, Græce Ἀρτεμισία & Ἀρτέμιτα. Plinius ante dicto loco: *Item Aegilium: & Dianium, quam Artemisiam*, supple, Græci dixere. Mela inuerso itinere: *Dianium, Igilium.* Stephanus: Ἀρτέμιτα, νῆσος Τυῤῥηνική, παρὰ τὴν Αἰθάλειαν, *Artemita, insula Tyrrheni maris, iuxta insulam Aethaliam.* Coniungit Plinius *Barpanam*; Pomponius Mela *Carbaniam*, in quibus nominibus, saltem alterutro, aliquid vitii inesse, non leuis coniectura est. Sic tamen etiam in MSS. libris est: vulgatis Plinii *Harpona.* Insulam Cerboli vel Corboli esse, multorum est sententia. Aeque vel magis incertæ sunt Plinii *Columbaria* & *Venaria.* Solinus cap. III de insulis Tyrrheni: *Columbaria, auium hoc nominis mater.* Alteram Martianus Capella scripsit *Veneriam.* Vtramque non nulli inter Iluam & Populonium locant: quo argumento inducti, mihi non adparet.

Hæ Etruriæ insulæ: ad Latii nunc succedimus, de quibus Plinius lib. III cap. VI *Vltra Tiberina ostia in Antiano Astura, mox Palmaria, Sinonia, & aduersum Formias Pontiæ.* De *Astura* sub eiusdem nominis ostio, idem Plinius cap. V *Antium colonia: Astura flumen & insula.* De ea supra dictum in Latio. *Palmaria* autem hodie Palmeruola: *Sinonia*, Sanone, Caietam versus. Maior

 con-

controuerſia in *Pontiis*, tam de numero earum, quam de ſitu ac poſitione.

Plinius dicto loco : *aduerſum Formias Pontiæ*, plurali. Pomponius Mela : *Caprea*, *Prochyta*, *Pontiæ*, *Pandateria*, *Phitonia*, *Palmaria*. Strabo lib. II pag. 84 πολὺ δὲ τύτων λιπόμεναι, πελάγιαι μὲν Πανδαταρία μὲν καὶ Ποντία· πρόσγειοι δὲ, Αἰθαλία τε καὶ Πλανασία, καὶ Πιθήκυσαι, καὶ Προχύτη, καὶ Καπρέαι, *Multo minores* [quam Sicilia, Sardinia, Corſica] *in mari quidem ſunt Pandataria & Pontia : in ora vero Aethalia*, *& Planaſia*, *& Pithecuſa*, *& Prochyta*, *& Caprea*. Et Ptolemæus ſingulari numero Ποντία, *Pontia*, cui ſubdit proxime Πανδαταρίαν, *Pandatoriam* inſulam. Plinius etiam aliam *Pontiam* nominauit in Velienſi ſinu, vnam Oenotridum, ſed minorem obſcurioremque, quam quæ in ſinu Formiano ſeu Caietano, colonia Romana olim & exſilio illuſtrium nobilitata eſt. De colonia Liuius lib. IX cap. XXVIII *Sueſſa & Pontiæ eodem anno coloniæ deducta ſunt. Sueſſa Auruncorum fuerat : Volſci Pontias inſulam ſitam in conſpectu litoris ſui incoluerant*. Diodorus Siculus lib. XIX cap. CXI ὁ δῆμος ἀποικίαν ἀπέστειλεν εἰς τὴν νῆσον τὴν Ποντίαν καλυμένην, *populus* [Romanus] *coloniam miſit in inſulam, quæ Pontia vocitatur*. De exſiliis Suetonius Tib. cap. LIV *Germanici filios, iudicatos hoſtes, fame necauit, Neronem in inſula Pontia ; Druſum in ima parte palatii*. Et in Caligula cap. XV *Tiberio funerato ampliſſime, confeſtim Pandatariam & Pontias, ad transferendos matris fratrisque cineres feſtinauit*. Et Dio Caſſius lib. LIX pag. 657 τάς τε ἀδελφὰς ἐς τὰς Ποντίας νήσυς κατέθετο, *ſorores in Pontias inſulas relegavit*. Et Hieronymus Epitaphio Paullæ cap. III *Delata ad inſulam Pontiam, quam clariſſima quondam feminarum ſub Domitiano principe pro confeſſione nominis Chriſtiani, Flauia Domitillæ, nobilitauit exſilium, videnſque cellulas, in quibus illa longum martyrium duxerat*.

Vides quam varie id nominis habeatur. Strabo, Ptolemæus, Diodorus ſingulariter Ποντία, *Pontia* : Mela, Plinius, Liuius pluratiuo *Pontiæ* : nec de multis id Liuius, ſed de vna inſula intellectum vult, *Pontias inſulam* dicens : Dio autem τὰς νήσυς, vere vt plures. Sic ergo eſt : a præcipua & maxima, quæ *Pontia* eſt, adiacentes etiam inſulæ interdum *Pontiæ* adpellantur, vt tamen proprie id nomen vnius fuerit, ſed nobilioris, quæ hodie Ponza vocitatur, vt de ſitu primariæ Pontiarum non liceat dubitare.

Quod

Quod si plures sunt, de numero Pontiarum in Antonini Itinerario insularum variat diuersis editionibus. Aldus & Simlerus ediderunt : *Insula numero* III *Pontia* , *a Terracina stadia* CCC. Schottus autem & Bertius *numero* IIII.

Pandataria autem, vt Suetonius & Plinius vocant, & Strabo Πανδαταρία ; siue *Pandateria*, vt Mela atque Tacitus (nam Ptolemæi Πανδατωρία corruptionem redolet) ex Holstenii coniectura est insula S. Mariæ, sita inter Pontiam & Ischiam, seu Aenariam, & huic vicinam, quæ vulgo dicitur Vento tiene. Vide ipsius in Cluuer. adnotat. p. 214. Hæc quoque exsilio illustrium destinata erat. Tacitus annal. I cap. LIII *Eodem anno Iulia supremum diem obiit, ob impudicitiam olim a patre Augusto Pandateria insula, mox oppido Rheginorum, qui Siculum fretum accolunt, clausa*. Et Suetonius Tiber. cap. LIII *Nurum Agrippinam - - - Pandatariam relegauit*. Iterum Tacitus annal. XIV cap. LXIII *Insula Pandateria Octauiam claudit. Non alia exsul visentium oculos maiore misericordia adfecit*.

Insula *Aenaria*, etiam *Inarime* dicta, in Cumano sinu posita, siue Cumis obiecta. Plinius lib. III cap. VI *Aenaria a statione nauium Aenea, Homero Inarime dicta, Græcis Pithecusa*. Mela autem dicto cap. VII diiungit Pithecusam ab Aenaria. *Pithecusa*, inquit, *Leucothea, Aenaria, Sinonia, Caprea, Prochyta*. Et Liuius separauit, lib. VIII cap. XXII *in insulas Aenariam & Pithecusas egressi*, multitudinis numero de vna, vt Capreæ. Sunt tamen qui Plinio suffragantur. Appianus lib. V Ciuil. pag. 1130 ed. Toll. ὁ Λίβων ἐς νῆσον ὡρμίσθη τὰς Πιθηκούσας, ἣ νῦν ἐστὶν Αἰναρία, *Libo ad insulam Pithecusas adpulit, quæ nunc est Aenaria*. Et Strabo lib. V pag. 171 insulam, quam Augustus Neapolitanis dedit, vt Capreas ab illis acciperet, vocat Πιθηκούσας, *Pithecusas* ; Suetonius cap. XCII *Aenariam*. Ergo eadem Pithecusæ & Aenaria. Accedit quod Strabo, qui Pithecusas sæpe nominat, & Ptolemæus, cui itidem pluraliter Πιθηκοῦσαι sunt, non habent Aenariam, nec Inarimes nomen ; nec vero credibile, tam amplam tamque vicinam continenti insulam ab iis prætermitti potuisse : contra Antoninus Aenariam habet in insulis inter Italiam & Siciliam XLV *stadiis*, vt ait, *a Cumis* reductam : Pithecusarum nulla apud eum ratio. Nomen *Pithecusarum* a simiis deducunt, quod quia Plinius negatum

tum iuit, notatur a Sam. Bocharto lib. I Chan. cap. XXXIII, quem consulas.

Nec vero Homerus *Inarime* dixit, vt Plinius refert, sed divisis vocibus εἰν Ἀρίμοις, Catalogo vrbium vers. 290: vnde Latini poetæ *Inarimes* nomen composuerunt. Virgilius Aen. IX, 716

- - - - - - - durumque cubile
Inarime Iouis imperiis imposta Typhoëo.

Et Ouidius Metamorph. lib. XIV vers. 88

- - - - orbataque præside pinus
Inarimen, Prochytenque legit, sterilique locatas
Colle Pithecusas, habitantum nomine dictas.

Et Silius Italicus lib. VIII vers. 541

Non Prochyte, non ardentem sortita Typhoea Inarime.

Esse autem Inarimen ipsam Aenariam, etiam Seruius in Aeneid. IX vers. 716 tradidit. *Inarime*, inquit, *nunc Enaria dicitur.* Hodie Ischia vocatur.

Ab hac abrupta credebatur *Prochyte* siue *Prochyta*, quasi ἀπὸ τοῦ προχύναι, vt Seruius tradit: siue vt Plinius, *quia profusa ab Aenaria erat*, id est motu terræ auulsa. Præter Ouidium, Siliumque & Melam, supra memoratos, Virgilius dicto loco:

Tum sonitu Prochyta alta tremit.

Statius lib. II satyr. II vers. 76 de fenestris cubiculi in villa:

Hæc videt Inarimen, illi Prochyta aspera paret.

trabo, Ptolemæus, Dionysius Halicarnasseus, Stephanus προχύτη. Hodie Procita vel Prochita.

In sinu Neapolitano sunt plures paruæ insulæ, quarum præcipua Græcum nomen insulæ, νησὶς, etiam Latine *Nesis* seruat. Cicero XVI Attic. epist. I ineunte: *Nonis Quint. veni in Puteolanum. postridie iens ad Brutum hæc scripsi.* Et epist. II *Bruto tuæ litteræ gratæ erant. fui enim apud illum multas horas in Neside.* Et Seneca epist. LIII *Putaui, tam pauca millia a Parthenope tua vsque Puteolos surripi posse, quamuis dubio & impendente cælo. Itaque quo celerius euaderem, protinus per altum ad Nesida direxi, præcisurus omnes sinus.* E quibus non obscure intelligitur, inter Neapolim & Puteolos sitam in alto, ab illa VI, ab his III millibus, quam petunt,

tunt, qui vitabundi sinus compendio nauigant. Hodie *Nisita* vocatur. Poetæ quoque memorarunt. Lucanus lib. VI vers. 90

- - - - - tali spiramine Nesis
Emittit Stygium nebulosis aera saxis.

Et Papinius Statius lib. II Siluar. carm. II vers. 77, 78

- - - - - - inde malignum
Aera respirat pelago circumflua Nesis.

Proxime sequitur apud Papinium iam dicto loco, versu 79, 80

Inde vagis omen felix Euplœa carinis,
Quaque ferit curuos exserta Megalia fluctus.

Et idem lib. III Siluarum carmine I versu 149

Et placidus Limon, numenque Euplœa carinis.

Euplœa autem parua insula in Puteolano sinu, habens bonam stationem, quæ nauigantibus felix omen, & instar numinis διασώζοντος est. *Megalia* autem Neapoli proxima: quæ fortasse *Megaria* scribenda est, nisi liquidarum permutatio propter euphoniam in hoc nomine inualuit. Nam Plinius lib. III cap. VI *Inter Pausilipum & Neapolim Megaris.* Parua insula, ponte iuncta Neapoli, nunc ab eo quod habet, dict[illegible] Castello dell' Ouo. *Pausilipum* autem promontorium est amœnissimum, etiam nunc Posilypo dictum. *Limon,* insula an portus sit, an quod commentatores, vnde, nescio, coniiciunt, villa litoralis, incertum est. Nec certior *Parthenope* Ptolemæi.

Vbi desinit sinus, ex aduerso Surrenti, sunt *Capreæ,* insula maior superioribus, Neapolitanorum antea: post Pithecusæ permutatione Augusti κτῆμα, qui splendide ædificauit, vt Strabo refert lib. V pag. 171. Deinde secessus Tiberii multis annis. Tacitus annal. IV cap. LXVII *Cæsar dedicatis per Campaniam templis - - - perosus municipia & colonias, omniaque in continenti sita, Capreas se in insulam abdidit, trium millium freto ab extremis Surrentini promontorii diiunctam.* Et Suetonius Tib. cap. XL *Peragrata Campania, quum Capuæ Capitolium, Nolæ templum Augusti, quam caussam pr[illegible]ectionis prætenderat, dedicasset, Capreas se contulit, præcipue delectatus insula, quod vno paruoque litore adiretur, septa vndique præruptis immensæ altitudinis rupibus & profundo maris.* Plutarchus de Exsilio pag. 534 Τιβέριος Καῖσαρ ἐν Καπρέαις ἑπτὰ ἔτη διητήθη μέχρι τῆς τελευτῆς, *Tiberius Cæsar Capreis vixit septem annos*

vsque ad vitæ finem. Inde dicitur Tiberii *Capreensis secessus*, Sueton. cap. XLIII. Si Straboni fides habenda, duo quondam oppida habuit: postea vnum, deleto altero. Fuit ibi *Villa Iouis* & *Arx* Tiberii. Suetonius cap. LXV *Oppressa coniuratione Seiani nihilo securior aut constantior, per nouem proximos menses non egressus est villa, quæ vocatur Iouis.* Et Plinius lib. III cap. VI *A Surrento octo millibus passuum distantes Tiberii principis arce nobiles Capreæ, circuitu quadraginta millia passuum.* Antiquissimi incolæ *Teleboæ.* Tacitus ann. IV cap. LXVII *Capreas Telebois habitatas, fama tradit.* Virgilius lib. VII vers. 735

- - Teleboûm Capreas quum regna teneret.

Inde in ortum sub Mineruæ promontorio sunt tres *Sirenusæ*, parvæ insulæ. Strabo libro I pag. 15 Ἄγκων τις ἔγκειται μακρὸς καὶ στενὸς ἀπὸ τῶν κατὰ Σύῤῥεντον χωρίων ἐπὶ τὸν κατὰ Καπρέας πορθμὸν, ἐπὶ θάτερα μὲν τῆς ὀρεινῆς, τὸ τῶν Σειρήνων ἱερὸν ἔχων, ἐπὶ θάτερα δὲ, πρὸς τῷ ποσειδωνιάτῃ κόλπῳ, νησίδια τρία προκείμενα, ἔρημα πετρώδη, ἃ καλοῦσι Σειρηνούσας, *A vicinis Surrento locis vsque ad fretum Capreense, terra instar cubiti flexa, ab altero montano latere Sirenum fanum habet; ab altero, ad Pæstanum sinum tres exiguæ insulæ desertæ & saxosæ praiacent, quæ vocantur Sirenusæ.* Idem lib. VI pag. 178 Σειρῆνας, *Sirenes* in insulis numerauit, vt sint eædem quæ Sirenusæ. αἱ Καπρέαι, inquit, καὶ ἡ Λευκωσία, καὶ Σειρῆνες, *Capreæ, Leucosia, Sirenes.* Mela II cap. IV *petras* memorat, *quas Sirenes habitauerint:* sed in continenti posuit, vt rupes sint in litore. *Sirenusæ* autem sunt insulæ, vt Strabo dixit: & Ptolemæus lib. III cap. I extremo, Σειρηνοῦσαι νῆσοι, *Sirenusæ insulæ.*

Mela & Plinius quamdam insulam *Leucotheam* memorauerunt, ignotam ceteris. Ille lib. II cap. VII *Pithecusa, Leucothea, Aenaria:* hic lib. III cap. VI post Caprearum descriptionem: *Mox Leucothea.* Putares, *Leucosiam* in Pæstano sinu, quæ & *Leucasia* dicta est, intelligi, nisi ipse Plinius insequente cap. VII dixisset: *Contra Pæstanum sinum Leucasia est, ab Sirene, ibi sepulta, adpellata.* Sed non insolens Plinio, rem vnam duplicare, & potest a Mela, qui nullam Leucasiam habet, *Leucotheam* accepisse: ab aliis addidisse *Leucasiam.* Scribunt *Leucosia* & *Leucasia:* situ autem conueniunt. Strabo ambiguus, aut eius exscriptores. Lib. II pag. 84 Προχύτη, καὶ Καπρέαι, καὶ Λευκασία, *Prochyta, & Capreæ,*

preæ, & Leucaſia. At lib. VI pag. 178 αἱ Καπρέαι, καὶ ἡ Λευκωσία, *Capreæ & Leucoſia.* Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. I pag. 43 tradit, Aeneam & Troianos a Palinuri promontorio inſulæ adplicuiſſe, ἣ τοὔνομα ἔθεντο Λευκασίαν, ἀπὸ γυναικὸς ἀνεψιᾶς Αἰνείου, περὶ τένδε τὸν τόπον ἀποθανούσης, *cui nomen impoſuere Leucaſia, ab Aenea conſobrina, ibidem exſtincta.* Lycophron in Alexandra verſ. 723

> Λευκωσία ῥιφῆσα τὴν ἐπώνυμον
> Πέτραν ὀχήσει δαρόν.

Eiecta Leucoſia cognominem diu occupabit inſulam. Ibidem ſcholiaſta Iſaatius Tzetzes: πέτραν τὴν νῆσον λέγει. Λευκωσία δὲ ἡ νῆσος ἀπὸ ταύτης τῆς Σειρῆνος Λευκωσίας ἐκλήθη, *petram vocat inſulam. Leucoſia vero inſula ab hac Sirene Leucoſia nomen trahit.* Ouidius etiam *Leucoſia,* ſed O correpto ſeu μικρῷ, Metamorph. XV verſ. 708

> *Leucoſiamque petit, tepidique roſaria Pæſti.*
> *Inde legit Capreas, promontoriumque Mineruæ.*

Hodie illa inſula vel petra *Licoſa* adpellatur, quod nomen ex veteri *Leucoſia* conſeruatum eſt.

Oenotrides inſulæ in Velienſi ſinu ſitæ ſuccedunt. Strabo lib. VI ſub initium: πρὸ τῆς Ἐλεάτιδος αἱ Οἰνωτρίδες νῆσοι δύο ὑφόρμους ἔχουσαι, *ante Velienſem regionem ſitæ ſunt duæ Oenotrides inſulæ, nauium ſtationi opportunæ.* Plinius etiam duas numerat, easque nominatim recenſet lib. III cap. VIII. *Contra Veliam,* inquit, *Pontia & Iſcia, vtraque vno nomine Oenotrides, argumentum poſſeſſæ ab Oenotris Italiæ.*

Sequuntur Bruttiorum in Tyrrheno inſulæ. Solinus cap. de Italia: *Mox in Bruttiis ab Vlyſſe exſtructum templum Mineruæ. Inſula Ligea adpellata, ab eiecto ibi corpore Sirenis ita nominatæ.* Si Mineruæ templum intelligit quod Strabo lib. V Ἀθήναιον, ἵδρυμα Ὀδυσσέως, male in Bruttiis illud ponit, quod in confinio Campanorum Lucanorumque prope Surrentum fuit. Attamen Lycophron verſ. 726 *Ligeam* in Bruttiis locat, qui cum Terina Bruttiorum vel coniungit vel confundit. Ait enim Ligeam Sirenem ſepultam in Terina:

> Λίγεια δ' εἰς Τέρειναν ἐκναυσθλώσεται.

Præterea Solinus cap. III *Ithaceſiam* inſulam memorat, quam interpretatur *Vlyſſis ſpeculam.* At plures facit huius nominis Plinius lib. III cap. VII. *Contra Vibonem,* inquit, *paruæ, quæ vocan-*

tur Ithacesia, ab Vlyssis specula. Tres ibidem exiſtunt, nunc Braces, Praca, Torricella, vt ferunt, nominatæ.

Tandem Pomponius Mela lib. II cap. VII in Siculo freto inſulam *Aeaen* ponit, Calypſûs olim ſedem. *Circa Siciliam*, inquit, *in Siculo freto eſt Aeae, quam Calypſo habitaſſe dicitur.* Sed error etiam in fabula. Calypſo, ſecundum Homerum Odyſſ. H verſ. 244 ſeq. *Ogygiam* inſulam coluit, quam Plinius lib. III cap. X non in freto, ſed contra Lacinium promontorium locauit. Alii Circes inſulam, quæ ante ſiccatas paludes fuerit, vbi promontorium Circeium eſt, *Aeaam* dictam referunt. Apollonius lib. IV Argonaut. verſ. 661

Ἷξον Αἰαίης λιμένα κλυτὸν - - -
- - - - ἔνθα δὲ Κίρκην εὗρον,

Venerunt in celebrem portum Aeaa, - - vbi Circen inuenerunt. Et ipſam Circen Virgilius *Aeaam* lib. III Aen. verſ. 386 dixit,

Infernique lacus, Aeaaque inſula Circes:

Vbi Seruius: *qui nunc Circeius mons a Circe dicitur, aliquando, vt Varro dicit, inſula fuit nondum ſiccatis paludibus, quæ eam diuidebant a continenti.* Siue ergo Calypſûs ſedem, ſiue Circes, ſecundum poſitionem fabularum intelligamus, vtraque procul a freto abeſt, vt ita nihil præſidii in fabulis ſit, quo Melæ poſſit de Aeæa inſula opinio defendi.

CAPVT XI

DE
INSVLIS MAIORIBVS
CORSICA ET SARDINIA.

IN Liguſtico mari duæ maiores ſunt inſulæ, Corſica atque Sardinia: hæc Africum pelagus attingens; illa propior litori Italiæ. Pomponius Mela lib. II cap. VII de Inſulis: *Duæ grandes fretoque diuiſæ Corſica & Sardinia, quarum Corſica Etruſco litori propior: - - - Sardinia Africum pelagus attingens, niſi quod in occidentem quam in orientem anguſtius ſpectat.* Primum agemus de Corſica ſeparatim: deinde de Sardinia.

COR-

CORSICA.

Corsica Latino ore est, quæ Græcis est Κύρνος. Strabo lib. v pag. 155 ἡ δὲ Κύρνος ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων καλεῖται Κόρσικα, *Corsicam Romani nominant, quæ Cyrnus est Græcis.* Plinius lib. III cap. VI *In Ligustico mari est Corsica, quam Græci Cyrnon appellauere, sed Tusco propior: a septemtrione in meridiem proiecta, longa passuum* CL *millia: lata maiore ex parte quinquaginta.* Stephanus geminam formam protulit, Κύρνος, & Κορσὶς, ίδος; vtramque etiam imitatus est Eustathius ad illud Dionysii versu 458

- - - - - - καὶ ἀπείριτος εἰν ἀλὶ Κύρνος.

Antiqui cultores dicuntur Phocenses fuisse. Herodot. lib. I cap. CLXV auctore: at Isidorus Orig. lib. XIV cap. VI, & Eustathius ad Dionysii dictum versum (quod etiam Byzantius chorographus in Κορσὶς attingit,) a Liguribus primo incultam referunt, postquam taurum ex grege transnatare & per interualla corpore aucto reuerti Ligus femina, Corsa nomine, obseruasset. Sed hoc fabulosum est. Verius Seneca ad Heluiam de diuersis insulæ habitatoribus cap. VIII ad Heluiam: *Hæc ipsa insula* [Corsica] *sæpe iam cultores mutauit. Vt antiquiora, quæ vetustas obduxit, transeam, Phocide relicta, Graii, qui nunc Massiliam colunt, prius in hac insula consederunt. Ex qua quid eos fugauerit, incertum est: vtrum cæli grauitas, an præpotentis Italiæ conspectus, an natura importuosi maris. - - - Transierunt deinde Ligures in eam, transierunt & Hispani, quod ex similitudine ritus adparet. - - - Deductæ deinde sunt duæ ciuium Romanorum coloniæ, altera a Mario, altera a Sylla. Toties huius aridi & spinosi saxi mutatus est populus.* Incolæ dicuntur *Corsi.* Liuius lib. XLII cap. VII *Cicereius prætor in Corsica signis collatis pugnauit: septem millia Corsorum cæsa.* Et Capitolinis tabulis in Papirii Masonis triumpho DE CORSEIS, antique, id est *Corsis.*

Plinius XXXIII *ciuitates* habuisse lib. III cap. VI tradit; si oppida intelligas, suspectus est numerus, quia maiori longe insulæ Sardiniæ idem cap. VII tantum XVIII oppida, vt in MSS. est, tribuit, vt in vulgatis, XIV: sin populos & societates, quod Latinis vox *ciuitas* sonabat; oportet paruas & exiguas fuisse, propter eamdem insulæ paruitatem. Plerique tantum duas vrbes, easdemque Romanorum colonias memorant, *Marianam* & *Ale-*

riam: tot Diodorus Siculus lib. v cap. XIII, tot Mela, Plinius, Seneca dictis locis. Cetera a Ptolemæo adduntur & Antonino.

Mariana colonia a C. Mario deducta, vt nomen fert, & Plinius diserte dixit, ac Seneca. Situm Ptolemæus & Antoninus ostendunt in latere orientali supra medietatem, septemtrionem versus, in maris ora. Etruscos condidisse, Diodorus auctor est; etiam nominis prisci *Nicææ.* Quod enim duas solum in insula vrbes fuisse dicit *Aleriam* & *Nicæam;* in hanc Marium colonos misisse vt in præcipuam & insignem vrbem; omnino est probabile, præsertim quod etiam Stephanus in vocabulo Νικαία, quintam huius nominis ἐν Κύρνῳ τῇ νήσῳ, *in insula Cyrno*, siue Corsica, posuit: quam eximiam vrbem omnes alii, nisi Mariana est, silentio, quod non credibile est, præteriisse oportet.

Aleria, altera vrbs nobilior, ita scripta Plinio, & Melæ, & Antonino: etiam Ptolemæo Ἀλερία κολώνια. Et ne dubites de nominis sinceritate, vetusto lapide, quem Sirmondus exposuit, & Græuius ad Flori II cap. II repetiit, de L. Scipione legitur

HIC CEPIT CORSICA ALERIAQVE VRBE,

Sic scriptum exstat, legendumque *Corsicam Aleriamque vrbem.* Idem nomen Floro ex veteri libro Salmasius restituit, vt Punico I bello nunc legamus de eodem L. Scipione: *Sardiniam, adnexamque Corsicam transit: Olbiæ hic, ibi Aleriæ vrbis excidio incolas terruit.* Græcorum aliis corruptum nomen est: Herodoto Ἀλαλία lib. I cap. CLXVI: Diodoro Siculo lib. v cap. XIII Κάλαρις: Zonaræ Tom. II p. 57 Οὐαλερία, qui κρατίστην Κύρνου πόλιν, *præstantissimam vrbem Corsicæ* laudauit. Sita prope medio latere orientali insulæ, prope ostium amnis *Rotani*, a Ptolemæo memorati, XL millibus, vt Antonini itinerario est, a Mariana in meridiem. Conditam a Phocensibus fuisse, Diodorus adnotauit: post Sulla in eam colonos duxit, vti ex Plinii Senecæque testimoniis constat. huius verba supra attulimus: illius sunt lib. III cap. VI *Corsica ciuitates habet* XXXIII, *& colonias Marianam, a C. Mario deductam: Aleriam, a dictatore Sulla.*

Inter Aleriam & Marianam Ptolemæus posuit post flumen Rotanum, Ἀρτέμιδος λιμένα, *Dianæ portum:* dein Τουτήλας βωμόν, *Aram Tutelæ:* Τουόλα ποταμοῦ ἐκβολάς, *Touolæ fluminis ostia*, in cuius sinistra fuit Mariana. Supra quam in septemtrionem

nem ex eiusdem diſpoſitione eſt *Mantinorum* oppidum, πόλις Μαντίνων; in loco fere quo nunc eſt Baſtia: deinde *Clunium*, vbi nunc S. Catharinæ fanum. * Sed nihil horum eſt hiſtoriis, ac ne quidem itinerariis antiquis, illuſtratum: neque *Canelata*, in loco S. Florentiæ.

Infra Aleriam, in auſtrum verſus, eſt Antonini itinere a XXX millibus *Præſidium*, atque iterum poſt XXX millia *portus Fauonii*, qui videtur Ptolemæi Φιλωνίου λιμὴν, *Philonii portus* eſſe: tum demum eſt *Palla*, Πάλλα Ptolemæi, quo iter Antonini ferebatur, XXV millibus diiuncta a portu Fauonii, in loco, vt videtur, S. Bonifacii: & hæc eſt extrema in auſtralibus inſulæ. Inter Pallam & portum Fauonii Ptolemæus locauit *Aliſtam* oppidum, portum verſus, quem Philonii dixit, Antoninus Fauonii: & propinquiorem Pallæ *Portum Syracuſanum*, Συρακουσάνων λιμένα, de quo etiam Diodorus dicto loco: ἀυτη ἡ νήση εὐπροσόρμιστος οὖσα, κάλλιστον ἔχει λιμένα τὸν ὀνομαζόμενον Συρακούσιον, *Hæc inſula* [Corſica] *aditur facile, optimum portum habens, qui dicitur Syracuſanus.*

Quæ deinceps a meridie & occaſu ſequuntur vsque in ſeptemtrionem, a ſolo Ptolemæo ſunt prodita. Poſt Pallam in auſtro eſt *Marianum*, ἄκρον καὶ πόλις, *promontorium & oppidum.* Deinde Παῦκα πόλις, *oppidum Pauca* in occidentali latere, quo loco nunc Pola eſt: vnde ſuſpicio non pœnitenda Cluuerii eſt, Ptolemæum quoque ſcripſiſſe Παῦλα. Supra Paulam *Vrcinium* eſt oppidum eo ſitu fere, quo nunc vrbs Adiazzo eſt: & in occaſum inde, *Rhium* promontorium. Inde alia promontoria *Viriballum, Attium, Tilox.* Mediterranea obſcuriora ſunt: a ſeptemtrione *Palanta:* & χρυσοῦν ὄρος, *Aureus mons*, ſuo iugo protractus in ortum & auſtrum verſus: ex aduerſo Vrcinii *Aluca:* prope Aleriam Ὄπινον, *Opinum* oppidum: & alia. Strabonis oppida *Bleſino, Charax, Eniconiæ, Vapanes* inaudita & ignota ſunt.

SARDINIA.

Quæ *Sardinia* inſula Latinis eſt, Græcis dicitur Σαρδώ, & antiquiſſimis a ſpecie plantæ pedis, quam præbet, Ἰχνοῦσα, & Σανδαλιῶτις. Plinius lib. III cap. VII *Sardiniam ipſam Timæus Sandaliotin adpellauit ab effigie ſoleæ: Myrſilus Ichnuſam a ſimilitudine veſtigii.*

ſtigii. Pauſanias in Phoc. cap. XVII ὄνομα τὸ ἀρχαῖον, ὅτι μὲν ὑπὸ τῶν ἐπιχωρίων ἐγένετο, οὐκ οἶδα. Ἑλλήνων δὲ οἱ κατ' ἐμπορίαν ἐσπλέοντες Ἰχνοῦσαν ἐκάλεσαν, ὅτι τὸ σχῆμα τῇ νήσῳ κατ' ἴχνος μάλιστά ἐστιν ἀνθρώπου, *Antiquum nomen, quod ab indigenis fuit, non noui. Qui a Grecis commercii cauſſa adnauigarunt, Ichnuſam vocauere, quod formam humani veſtigii haberet.* Nomen autem Σαρδὼ a duce Afrorum eſt, qui primi in inſulam transmigraſſe feruntur. Ibidem Pauſanias: πρῶτοι διαβῆναι λέγονται ναυσὶν ἐς τὴν νῆσον Λίβυες. ἡγεμὼν δὲ τοῖς Λίβυσιν ἦν Σάρδος, - - - καὶ τὸ ὄνομα ἀπὸ τοῦ Σάρδου τούτου μετέβαλεν ἡ νῆσος, *Primi in hanc inſulam Afri dicuntur immigraſſe, quorum dux Sardus erat: - - a quo inſula nomen ſortita eſt.* Vtrumque nomen Italicus Silius lib. XII verſ. 355 ſeq. eleganter ita expoſuit:

Inſula fluctiſono circumuallata profundo
Caſtigatur aquis, compreſſaque gurgite, terras
Enormes cobibet nudæ ſub imagine plantæ.
Inde Ichnuſa prius Grais memorata colonis:
Mox Libyci Sardus, generoſo ſanguine fidens
Herculis ex ſeſe mutauit nomina terræ.

Sed tum rudi ſæculo, ſine oppidis dicitur habitata, quæ deinceps a Græcis & Hiſpanis, qui ſuperuenerint, fuiſſe condita, idem tradit Pauſanias. Latini *Sardiniam dixere*, vt notum eſt: incolas *Sardos*. Liuius lib. XXI cap. XVI *Sardos Corſoſque laceſſiſſe magis, quam exercuiſſe Romana arma.* quos Eutropius lib. III cap. I *Sardinienſes* Latina conſuetudine adpellauit. Adiectum nomen, *Sardous* Græca forma, vt Plinii lib. III cap. V ſub finem, *Sardoum mare:* & Latine Nepos Catone cap. I *Sardinienſis triumphus.*

Fertilitas inſulæ, quamuis inſalubri cælo, magnopere laudatur. Mela lib. II cap. VII *Sardinia fertilis, & ſoli quam cæli melioris: atque vt fecunda, ita pæne peſtilens.* Polybius lib. I cap. LXXIX Σαρδὼ, οὖσα νῆσος καὶ τῷ μεγέθει, καὶ τῇ πολυανθρωπίᾳ, καὶ τοῖς γεννήμασι διαφέρουσα, *Sardinia eſt inſula & magnitudine, & frequentia hominum, & fructuum prouentu præſtans.* Silius Italicus lib. XII verſ. 375 de hac inſula:

- - - *propenſa Cereris nutrita fauore.*

Quæ

Quæ cauſſa fuit, vt in horreis vrbis Romanæ & Italiæ etiam Sardinia numeraretur. Cicero pro lege Manil. cap. XII *Pompeius nondum tempeſtiuo ad nauigandum mari Siciliam adiit, Africam explorauit: inde Sardiniam cum claſſe venit: atque hæc tria frumentaria ſubſidia reipublicæ firmiſſimis præſidiis claſſibusque muniuit.* Et Valerius Maximus lib. VII cap. VI n. I *Siciliam & Sardiniam, benigniſſimas vrbis nutrices* vocitauit.

Oppida Plinius lib. III cap. VII in inſula XVIII fuiſſe tradit: ipſe ſex ſolum nominauit, *Sulcitanos, Valentinos, Neapolitanos, Boſenſes, Caralitanos ciuium Romanorum, & Norenſes:* coloniam vnam, quæ vocatur *ad turrim Libyſonis.* Mela dicta loco: *Vrbium antiquiſſimæ, Calaris & Sulci.* Nec Strabo lib. V pag. 155 πόλεις εἰσὶ μὲν πλείους, ἀξιόλογοι δὲ Κάραλις καὶ Σουλχοί, *Plures quidem* [Sardiniæ] *vrbes ſunt, duæ autem præcipuæ, Caralis & Sulchi.* Pauſanias dicto loco *Olbiam* & *Noram* in antiquiſſimis numerat. Hæ ſunt huius inſulæ vrbes & oppida nobiliora, quæ ſingulatim nunc, in quantum cognita ſunt, cum aliis quibusdam obſcuris perluſtrabimus.

Sardinia freto diremta eſt a Corſica, cui in auſtrum obiecta, in Africum mare protenditur. Plinius lib. III cap. VI *Pelagus Africum attingens Sardinia, minus octo millibus paſſuum a Corſicæ extremis, etiamnum anguſtias eas arctantibus inſulis paruis, quæ Cuniculariæ adpellantur: itemque Phintonis & Foſſæ: a quibus fretum ipſum Taphros nominatur.* Fretum ipſum ergo *Foſſa* dictum, Græce Τάφρος, ab inſula huius nominis in freto, vel prope, ſita.

Poſt fretum pars inſulæ, quæ Italiam ſpectat, montoſa & aſpera: inculta & inperuia. Pauſanias Phoc. cap. XVII τῆς νήσου τὰ πρὸς τῆς ἄρκτου καὶ ἠπείρου τῆς κατὰ Ἰταλίαν, ἐστιν ὄρη δύσβατα, τὰ πέρατα συνάπτοντα ἀλλήλοις, *ora inſulæ ad aquilonem & Italiæ litora conuerſa, in montes conſurgit inuios, coeuntibus prope verticibus.* Silius Italicus lib. XII verſ. 372

Qua videt Italiam, ſaxoſo torrida dorſo
Exercet ſcopulis late freta.

Hoc tractu ſunt illi *Inſani montes*, vt proprio nomine adpellabantur. Liuius lib. XXX cap. XXXIX *a Corſica in Sardiniam*

[consul Claudius] *traiecit. Ibi superantem Insanos montes multo & sauior & infestioribus locis tempestas adorta, disiecit classem.* Et Florus lib. II cap. VI *Sardiniam Gracchus arripuit. nihil illi gentium feritas, Insanorumque (nam sic vocantur) immanitas montium profuere.* Et Ptolemæus lib. III cap. III eodem sensu τὰ Μαινόμενα ὄρη illos montes in Sardinia nominauit. Claudianus B. Gild. v. 511 seqq. de Sardiniæ situ:

> \- - - - *qua respicit Arcton,*
> *Immitis, scopulosa, procax, subitisque sonora*
> *Flatibus. Insanos infamat nauita montes.*
> *Hinc hominum pecudumque lues, hinc pestifer aer*
> *Sauit, & exclusis regnant aquilonibus austri.*

Promontoria ibi sunt *Erebantium* ad fretum; *Columbarium*, ex montibus dictis procurrens. Vtrumque Ptolemæo auctore notum, qui alterum vocauit Κολυμβάριον ἄκρον, Latina littera *u* in *v* mutata. Inter vtrumque habet Ἄρκτου ἄκραν, *Vrsi promontorium*, prope insulam Fossam.

Vbi planior insula sese aperit, sequitur *Portus Olbianus* Ptolemæi in orientali latere: & ex interuallo vrbs *Olbia*, antiquissima, a Græcis, vt Pausanias refert, condita. Cicero ad fratrem, præsidem illius prouinciæ, lib. II epist. VIII *Has scito litteras me solas accepisse post illas, quas tuus nauta attulit, Olbia datas.* Ptolemæus Ὀλβία πόλις. Florus lib. II cap. II de L. Scipione: *Sardiniam adnexamque Corsicam transit. Olbia hic, ibi Aleria vrbis excidio incolas terruit.* De eodêm Zonaras pag. 57 ἐπὶ πόλιν Ὀλβίαν ἦλθεν, *Olbiam vrbem adgressus est.* Sita ad mare fuit. Claudianus B. Gild. vers. 519

> *Partem litoreo complectitur Olbia muro.*

Inde *Olbienses* dicti. Orosius lib. I cap. II *Sardinia habet a meridie Caralitanos: septemtrionem versus Vlbienses.* nam & *Vlbia* scriptum fuit. Cicero ad Quintum lib. II epist. III *Olbiensem epistolam* dixit Olbia datas litteras. Quod vero supra portum *Olbianum* diximus, id Græca factum imitatione, quia Ptolemæi Ὀλβιανὸς λιμὴν est.

A XXVII millibus in Antonini itinerario *portus Luguidonis* est, haud dubie cum oppido, aut non longe ab illo, quia in

populis

populis insulæ Ptolemæus *Λουκουιδωνήσιοι*, *Luguidonenses* quoque numerauit. Hinc post XV millia, Caralim versus, *Fanum Carisii*; nec Ptolemæi procul abest *Φηρωνία πόλις*, *oppidum Feroniæ*: & ex modico interuallo *Συπίκιος λιμήν*, *Supicius portus*, siue, vt in Vaticano est, *Σολπίκιος*, *Sulpicius*: Antoninus eo tractu *Porticenses* habet. Sed carent hæc lumine historiarum: ad clariora properamus.

Caralis, & pluraliter *Carales*, in nobilissimis vrbium Sardiniæ: immo caput eius: hodie Cagliari, item Calari. Florus lib. II cap. VI *Sardiniam Gracchus arripuit. - - - Sæuitum in vrbes, vrbemque vrbium Caralim.* Strabonis & Melæ verba supra percepimus. vterque singulari numero *Κάραλις*, *Caralis*. Ptolemæus: *Κάραλις πόλις καὶ ἄκρα*, *Caralis vrbs & promontorium.* Et Plinii Caralitanum promontorium dicto loco seu cap. VII est: Ptolemæi etiam *Καραλιτανὸς κόλπος*, *Caralitanus sinus.* Pausanias Phoc. cap. XVII & Procopius Goth. IV cap. XXIV & Vand. B. lib. I cap. XXIV *Κάρναλις*, addita littera scripserunt. Multitudinis numero *Carales* Liuius constanter. Lib. XXIII cap. XL *nauibus longis ad Carales subductis.* Et mox: *Manlius Carales se recepit*: & cap. XLI *Carales exercitum reduxit.* Et Hirtius Afric. extremo: *post diem* III *Carales in Sardiniam peruenit.* Et mox: *a Caralibus secundum terram prouectus.* A Pœnis conditam Pausanias refert: ab Romanis ius ciuitatis accepisse Plinius auctor est, qui *Caralitanos ciuium Romanorum* dixit.

In australi latere, vrbs itidem præclara, *Sulci* erant. Mela dicto loco: *vrbium antiquissimæ*, *Caralis & Sulci.* nam vna cum Carali, vt Pausanias tradit, & hæc vrbs a Carthaginiensibus condita. Male is quidem *Σύλλους* in vulgatis habet, quod credo ab exscribentibus esse, & *Σύλκους* legendum. Sic enim Stephani breviator: *Σύλκοι, πόλις ἐν Σαρδοῖ, Καρχηδονίων κτίσμα*, *Sylci vrbs Sardiniæ, Carthaginiensium opus.* Ptolemæus *Σόλκοι*: forsan *Σούλκοι* scripsit, vt Latini *Sulci.* Strabo *Σουλχοὶ*, *Sulchi*, quod minus placet, quia Stephanus & Ptolemæus *κ*, Latini C constantius seruant. Mela *Sulci*, vt dictum: Plinius, *Sulcitani*, qui incolunt: & Hirtius Afric. extremo: *Cæsar Sulcitanos* H-S C *millibus multat.* Itidem Plinius eodem loco, *Sulcense promontorium.* Claudianus B. Gild. sub finem:

Pars adit antiqua ductos Carthagine Sulcos.

Vrbs nunc diruta iacet, nomen in proxima insula seruari fertur, quæ videtur Plinii *Enosis* esse.

Per flexum insulæ in occidentale latus venimus, in quo *Bosa* & *Neapolis* prisca nomina conseruant: vnde Antonini ductu, itinere a Tibulis Sulcos, de ceteris oppidis iudicamus. Ordo in notioribus talis est:

Tibulis		
ad Herculem	M. P.	LVIII
ad Turrem	M. P.	XVIII
Noram	M. P.	XVII
Bosam	M. P.	XLI
Cornos	M. P.	XVIII
Tharros	M. P.	XVIII
Neapolim	M. P.	XXX
Metalla	M. P.	XXX
Sulcos	M. P.	XXX

Vt ergo ab austro in septemtrionem progrediamur, prima post Sulcos sunt *Metalla*, a fodinis haud dubie nominata. Deinde est *Neapolis*, quæ nomen retinet, ad sinum, paullo supra Oristanum, vrbem archiepiscopalem. Inde Caralim versus, ex interuallo sunt *Aquæ Neapolitanæ*, calidæ & salubres a Ptolemæo æque & Antonino laudatæ. Haud procul Neapoli, si recta positio Ptolemæi est, Οὔσελλις, *Vsellis* fuit, πόλις κολώνια, *oppidum, colonia*, quam post Vespasiani tempora deductam esse oportet, quia Plinius sua ætate *vnam coloniam*, Turrim Libysonis fuisse, lib. III cap. VI testis est. Supra Vsellim Τάῤῥαι πόλις, *oppidum Tarræ*: Antoninus *Tharpos* vel *Tharphos*, illud Aldi, hoc Simleri editione dixit, quod in *Tharros* recentiores, Ptolemæo duce, mutauerunt.

Nobilior vrbs *Cornus* est, Ptolemæi Κόρνος, Antonini plurativo numero *Corni*. Liuius lib. XXIII cap. XL *Alius exercitus primo per agros siluasque fuga palatus: dein quo ducem fugisse fama erat, ad vrbem, nomine Cornum, caput eius regionis, confugit, debellatumque eo prœlio in Sardinia esset, ni classis Punica - - - in tempore ad spem rebellandi aduenisset.* Et cap. XLI *Ceteris vrbs Cornus eadem, quæ ante, fugæ receptaculum fuit. quam Manlius, victore exercitu adgressus, intra paucos dies recepit.* Ptolemæus in mediterraneis

scripsit:.

scripsit: sed haud procul a mari fuisse, iter ostendit Antonini. *Bosam* quoque, quam & ipse Βῶσαν vocat, vnde Plinii *Bosenses* sunt, in μεσογείοις, *mediterraneis* scripsit, quæ vero in ora sita superest vrbs eadem, vt nomen probat & iter Antonini.

Interiacet Ptolemæi *Coracodes portus*, Κορακώδης λιμήν, cuius oppidum videtur *Corax* fuisse: & Antonini *Carbia*: & alius portus ac oppidum Νύμφαιον, *Nymphæum* nomine, eiusdem Ptolemæi; antequam ad *Noram* veniatur, intus paullo, recedente inter duos sinus mari, positam, quod itineris etiam rationes demonstrant. Hæc Ptolemæi Νῶρα πόλις, sed itidem loco mota in meridianam regionem. Ductus autem itineris Antonini nobis certior est, quam dispositio Ptolemæi. Pausanias sæpe dicto cap. XVII Phoc. Ἴβηρες ἐς τὴν Σαρδῶ διαβαίνουσιν ὑπὸ ἡγεμόνι τοῦ στόλου Νώρακι, καὶ ᾠκίσθη Νῶρα πόλις ὑπὸ αὐτῶν, *Hispani, in Sardiniam duce Norace transuecti, vrbem Noram condiderunt.* Oppidanos Plinius *Norenses* adpellauit.

Ad mare, supra Nymphæum, Τίλλιον πόλις, *oppidum Tillium*, siue *Tilium*: & ad sinum excurrentem locus *ad Turrem*, Itinerario monstrante, quæ Plinii haud dubie *Turris Libysonis*, Ptolemæi πύργος Λιβίσσωνος, vt in MS est, vulgo Βίσσωνος; nunc, excisa vrbe, nudus portus *Porto Torre* vocitatur. Inde locus *ad Herculem*; & tandem, minore interuallo, quam itinerario est, sunt *Tibula*, vnde aliquot itinera ducuntur; Ptolemæi Τίβουλα πόλις, *vrbs Tibula*: supra quam *Iuliola* eiusdem Ptolemæi, prope fretum posita.

Supersunt quædam interiora ad perlustrandum, quibus vero certum locum adsignare difficile est. Itinere a Tibulis Caralim ponit Antoninus *Forum Traiani* inter oppidum Luguidonem & Aquas Neapolitanas, munitum ab Iustiniano. Procopius lib. VI de Aedific. cap. VII πόλις ἐστὶν ἐν τῇ νήσῳ Σαρδοῖ, ἣ νῦν Σαρδινία καλεῖται, Τραιανοῦ φόρον αὐτὴν καλοῦσι Ῥωμαῖοι. Ταύτην τειχήρη πεποίηται Ἰουστινιανὸς, οὐ πρότερον οὖσαν, *Oppidum est in insula Sardinia, Forum Traiani. Hoc mœnibus cinxit Iustinianus, quum esset nudum antea.*

Tredecim millibus supra Caralim, eodem indice Antonino, itinere a portu Tibulis Caralim, *Ferraria* est, a fodinis haud dubie & officinis ita dicta. nam & ferri ferax hæc insula, & Ru-

tilius Itinerar. lib. I chalybem insulæ Ilvæ laudans, nec potiorem Noricum esse dicit, neque Bituricensem Galliæ,

Nec quæ Sardoo cespite massa fluit.

Ptolemæus in mediterraneis etiam *Valeriæ* meminit, (editum est Οὐαλερία πόλις) quod nomen ipse suspectum reddidit, dum in populis insulæ Οὐαλεντῖνοι recenset, & Plinius *Valentinos* lib. III cap. VII. Vnde pronum est coniicere, nomen oppidi non Valeriam, sed *Valentia* fuisse, & ita quoque scripsisse Ptolemæum. Eiusdem est Λῆσα, *Lesa*, vnde *Aquas* nominat *Lesitanas*. Alia Ptolemæi & Antonini tam in litore, quam media terra, præterimus, quod nihil habemus de iis dicere; minus in historiis, vnde illustremus.

De populis Sardiniæ lib. III cap. VII Plinius: *Celeberrimi in ea* [insula] *populorum Ilienses, Balari, Corsi.* Pomponius Mela de eadem insula: *In ea antiquissimi populorum sunt Ilienses.* Sed antiquiores in insula, si Pausaniæ credimus, Hispani, Libyes, Græci fuerunt. Post demum, inquit, Troianorum, qui cum Aenea erant, μοῖρα ἀπενεχθεῖσα ὑπὸ ἀνέμων ἐς Σαρδῶ, ἀνεμίχθησαν τοῖς προενοικοῦσιν Ἕλλησι, *pars tempestatibus in Sardiniam abrepta, Græcis, qui ante illic consederant, permisti sunt.* Hi sunt *Ilienses* Sardi, a Mela, Plinio, Liuio memorati, qui postea, quum maior Afrorum manus superueniens exstingueret Græcos, ἐς τῆς νήσου τὰ ὑψηλὰ, *in montana insulæ* confugientes, ibi *Iliensium* nomen etiam ad Pausaniæ ætatem vsque (ἐς ἐμὲ ἔτι, inquit) conseruarunt. *Corsorum* origo, & ex vicina insula aduentus, per se intelliguntur. *Balarorum* nomen Φυγάδας, *fugitiuos* Pausanias κατὰ γλῶσσαν τὴν Κυρνίων, *secundum Corsorum linguam*, interpretatur, quia fuerint Hispani genere, antea socii Pœnorum in insula, post separati ab illis defectione, in alios montes confugerint. Aeque ergo, vt Ilienses, confisi montibus quos incolebant, planiores partes, vt liberi prædatores, infestarunt. Liuius lib. XLI cap. VI *In Sardinia magnum tumultum esse, litteris prætoris cognitum est. Ilienses, adiunctis Balarorum auxiliis, pacatam prouinciam inuaserant: nec eis inualido exercitu, & magna parte pestilentia absumto, resisti poterat.* Est & genus hominum in insula, quos *Pellitos Sardos* Liuius dixit lib. XXIII cap. XL, qui etiam in montanis haud dubie habitarunt: ideoque mastrucis & pellibus ad frigus arcendum vsi.

vſi. Dux Sardorum, inquit, *Hampſicora tum forte profectus erat in Pellitos Sardos ad iuuentutem armandam, qua copias augeret.* Hos Cicero de Prov. conſul. cap. VII *maſtrucatos latrunculos* vocat. *Res*, inquit, *in Sardinia cum maſtrucatis latrunculis a propratore vna cohorte auxiliaria geſta.* Ptolemæus plures populos enumerat, ſed pleroſque ab vrbibus denominatos, vt *Tibulatios*, *Coracenſes*, *Canuſitanos*, quos a Fano Canuſii Cluuerius (ſic legit in itinerario, non *Cariſii*) ducit: geminos *Solcitanos*, auſtrales, & alios; quemadmodum etiam Antoninus alios *Sulcos* in orientali latere, alios in auſtrali habet: *Cornenſes*, *Scapitanos*, *Neapolitas*, & ceteros.

Fluminum inſulæ vix vnum & alterum nominatim memoratur, *Thyrſus*, Θύρσος Ptolemæi & Antonini; ille oſtia ſupra Vſellim ponit: hic, caput in via ab Olbia Caralim: lapſus, διὰ μέσου τῆς χώρας, *per mediam inſulam*, vt Pauſanias, cui Θέρσος eſt, prauate fortaſſis, loco perſæpe dicto adnotat. Proximus eſt Τέρμος, *Termus*, inter Nymphæum & Caracodem portum in mare decurrens. Cetera minora & indigna memoratu ſunt.

Inſulæ circa Sardiniam plures ſunt minores. Plinius lib. III cap. VII *Habet ea* [Sardinia] *a Gorditano promontorio duas inſulas, quæ vocantur Herculis: a Sulcenſi, Enoſin: a Caralitano, Ficariam.* Habet & Ptolemæus in Sardinia Γορδίτανον ἄκρον, *Gorditanum promontorium* in latere occidentali ſupra Tillium, ſeptemtrionem verſus, vbi duæ inſulæ, altera mediocris, altera parua admodum. Ptolemæus autem vnam Ἡρακλέους νῆσον proponit, maiorem intelligens, quæ hodie Zavara dicitur: minorem, nunc Iſola Piana, propter exiguitatem poſthabuit. Promontorium autem Gorditanum, eſt Capo di Argentera. *Enoſis*, hodie S. Antioco: Caralitano promontorio obiectæ Cortelazo & Serpentera: alterutra Plinii & Ptolemæi *Ficaria*. Præterea Ptolemæus narrat *Phintonis* (Φίντωνος) inſulam, *Nymphæam*, *Diabaten*, *Hieracum*, ἱεράκων, id eſt accipitrum; *Plumbariam*, & *Hermæam* ſiue Mercurii. In Agathodæmonis tabula *Hermæa* eſt ſupra Olbianum ſinum, contra Inſanos montes: *Diabate* contra portum Nymphæum: *Hieracum* ſiue *Accipitrum* inſula ab occaſu ſinus Sulcitani. *Phintonis* inſulam, quam & Plinius habet, in ſeptemtrionem Cluuerius ad Erebantium promontorium reiecit. *Cunicularia* Plinii ex Tabulæ


bulæ Peutingerianæ *Cunicularia* vna, ad ſinum Caralitanum ſita, cognoſcuntur. *Bertula* in eadem Tabula ad medium lateris occidentalis: Boaris & Bouenna, vtcumque ſcriptas, ad auſtrale viſuntur, quæ il Toro (Taurus) & la Vacca hodie vocantur. *Plumbaria*, Μολυβώδης, incerto loco eſt.

CAPVT XII
DE
SICILIA.

Sicilia inſula tam propinqua eſt Italiæ, vt plures veterum continentem olim fuiſſe, poſtea vel terræ motu vel maris impetu vtriusque abſciſſam, crediderint, de quo in Italia, quum *Rhegii*, vrbis ad fretum ſitæ, nomen explicaremus, prædictum fuit, ſuſpectam illam hiſtoriam, & fabulæ ſimiliorem permultis videri adeo, vt antiquorum etiam modeſtiores, Virgilius atque Mela, ad famæ incertum & vulgi opinionem id reiiciant, dicantque, ille *diſſiluiſſe FERVNT;* hic, *Sicilia, vt FERVNT, aliquando continens.* Sæuit hodieque mare, fiunt tremores terræ atque motus, nec vero tanta auulſio partium deprehenditur. Accedunt rupes & promontoria, quibus vtrumque latus freti præmunitur, vt disruptio ne credibilis quidem videatur. Nihilominus non deſunt, qui id adſeueranter enuntient, Silius Italicus lib. XIV verſ. II

Auſoniæ pars magna iacet Trinacria tellus;
Vt ſemel expugnante Noto, & vaſtantibus vndis,
Accepit freta cæruleo propulſa tridente.
Namque per occultum cæca vi turbinis olim
Impactum pelagus lacerata viſcera terræ
Diſcidit, & medio perrumpens arua profundo
Cum populis pariter conuulſas tranſtulit vrbes.

Plinius quoque lib. III cap. VIII non dubitabundus dixit, *Sicilia, quondam Bruttio agro cohærens, mox interfuſo mari auulſa.* Quod tam certum Tanaquillo Fabro, viro clariſſimo, adparet, vt tempus etiam auulſionis in Euſtathii ad Periegetæ verſ. 475 commentariis ſe inueniſſe lib. I epiſt. XIV glorietur: quam is auctor (ſi



SICILIA ANTIQVA.
MARE TYRRHENVM
Occidens
Oriens
Meridies
Aegates Insulae
Phorbantia
Hiera
Aegusa
Lilybaeum Promont.
Melite I.
Cossyra
Carthago
Africae littus
Didyme
Phoenicusa
Ericusa
Aeoliae
Insulae
Pelorum Promont.
Scylla
Charybdis
Messana olim Zancle
Rhegium
Cephaledium
Himera
Alaesa
Calacta
Apollonia
Amastra
Capytium
Aetna Mons
Aetna
Tissa
Galaria
Centuripae
Inessa
Adranum
Imachara
Symaethus Flu.
Agyrium
Assorus
Enna
Engyum
Petra
Gemelli colles
Leontini campi
Palica
Morgantia
Eryx
Drepanum
Cetaria
Hyccara
Parthenicum
Segesta
Schera
Entella
Aegithallus
Inycum
Motyum
Petiliana
Carcinum
Camicus
Acragas sive Agrigentum
Daedalium
Phalarium
Gela
Camarina
Syracusae
Olympium
Cacyparis Flu.
Elorum
Nautathmus
Acrae
Chrysas Flu.
Pachynum Promont.
Selinus
Mazara
Heraclea Minoa
Thermae Selinuntiae
Xiphonia
Hybla
Catana sive Catine
Tauromenium
Naxus

(si modo antiquior ipse esset, fideque dignior) Acasto, Aeoli filio, Siculis imperitante, factam esse memorat. Aeolum autem Tanaquillus circa ea tempora vixisse refert, quibus Israelitæ duram illam seruitutem, quam sub Pharaonibus seruierant, exuerunt. Vnde id confirmetur, non addidit, quod in medio, aut dubio potius, relinquemus.

Siue autem vera fuit abruptio illa, siue, quod probabilius videtur, vt multæ antiquitatis traditiones, conficta; tam vicina tamen Sicilia Italiæ est, vt *suburbanam* illam *prouinciam* Romani dixerint. Florus lib. II cap. II *quum iam Sicilia suburbana esset populi Romani prouincia:* & lib. III cap. XIX de seruili bello: *Terra frugum ferax, & quodammodo suburbana prouincia.* Quid? quod tanta illarum propinquitas est, vt in altera alterius gallicinia & latratus canum exaudiri iam olim obseruatum fuerit. Silius dicto loco vers. 20

Sed spatium, quod dissociat consortia terræ,
Latratus fama est (sic arcta interuenit vnda)
Et matutinos volucrum transmittere cantus.

Plinius latitudinem freti MD passuum refert: Straboni autem lib. VI pag. 177 a Cæny promontorio ad Posidonium στενωπὸς ὅσον ἑξαστάδιος, μικρῷ δὲ πλέον τὸ ἐλάχιστον διαπέραμα, *angustia freti sex stadiorum, & paullo longior traiectus breuissimus.* At Agathemerus lib. I cap. V δίαρμα ἔχει ἀπὸ Πελώρου ἄκρου εἰς Ἰταλίαν σταδίων ια΄ πορθμὸν, *traiectus a Peloro promontorio in Italiam, habet vndecim stadiorum fretum:* id quod propius ad numeros Plinii, si recte sese habent, accedit.

Varia sunt insulæ huius nomina, eaque vel a situ, vel a populis eorumque ducibus imposita, *Trinacria*, *Triquetra*, *Sicania*, *Sicilia*, vt periphrastica nomina alia taceamus. Plinius lib. III cap. VIII *Ante omnes* [insulas est] *claritate Sicilia, Sicania Thucydidi dicta, Trinacria pluribus, aut Triquetra, a triangula specie.* Primum nomen *Trinacria* a tribus ἄκροις seu *promontoriis* vocatur, quorum primum, *Pelorum*, Πέλωρον, aduersus Scyllam in Italiam vergit: alterum, *Pachynum*, in Græciam: tertium, *Lilybæum*, in Africam. *Trinacriæ* nomen poetis vsurpatum magis est quam ceteris scriptoribus. Virgilius Aeneid. III vers. 440

Trinacria fines Italos mittère relicta.

Et ibidem versu 581 - - - - *intremere omnem*

Murmure Trinacriam, & cælum subtexere fumo.

Et per modum adiectionis versu 384

- - - *Trinacria lentandus remus in vnda:*

& Silius lib. XIV vers. 11 *Trinacria tellus*, quem versum paullo ante produximus. Est etiam *Trinacris*, trisyllabum eiusdem compositionis nomen. Ouidius Fast. IV vers. 419

Terra tribus scopulis vastum procurrit in æquor

Trinacris, a positu nomen adepta loci.

Et Metamorphos. lib. V vers. 346

Vasta giganteis ingesta est insula membris

Trinacris.

Ac elisa littera Τρινακία, *Trinacia:* & Τρινακὶς, *Trinacis*. Dionysius Perieges. vers. 467

Τρινακίη δ' ἐπὶ τῇσιν, ὑπὲρ πέδον Αὐσονιήων

Ἐκτέταται.

Trinacia autem post has super solum Ausoniorum extenta est. Id quod nonnulli etiam ab ἄκρον, quamquam eiecta littera est, deriuant. Eustathius ad Dionysium: Ἔστιν οἷον ἐτυμολογία τοῦτο τῆς Τρινακίας οἱονεὶ τριακρίας, ἥ ἐστι τρία ἐχούσης ἄκρα. Et Strabo lib. VI pag. 183 euphoniæ dat expulsionem litteræ. Τρινακρία, inquit, πρότερον, Τρινακὶς δ' ὕστερον προσηγορεύθη, μετονομασθεῖσα εὐφωνότερον, *Trinacria primum, Trinacis deinde adpellata sono vocis concinniore.* Alii vocabulum a τρίναξ, κος, id est *tridens* deducunt, quod quia ambigue per τ & θ scribitur, Homeri quoque scriptura Θρινακίη Odyss. Λ vers. 106, & Μ vers. 127, 135 simul intelligitur. Byzantius Stephanus: Τρινακρία ἐκλήθη οὕτως, ἢ ὅτι τρεῖς ἄκρας ἔχει, ἢ ὅτι θρινακί ἐστιν ὁμοία, *Trinacria ita vel a tribus promontoriis dicta, vel quod* θρίνακι, id est tridenti, *similis est.*

Vocabulum *Triquetra* præter Plinium supra productum, est Horatii lib. II satyr. VI vers. 55, Vbi *prædia Triquetra militibus promissa*, in Sicilia sunt: & Silius lib. V vers. 490

Huc Aetnæa cohors, Triquetris quam miserat oris

Rex, Arethusa, tuus.

Nomen *Sicaniæ* a *Sicanis*, populo, est, quos Dionysius Halicarnassensis lib. I pag. 17 γένος Ἰβηρικὸν, *Hispanam gentem* vocat: *Siculi* autem,

tem, vnde nomen *Siciliæ* eſt, ex Italia feruntur in inſulam veniſſe. Silius lib. XIV verſ. 33 de vtriſque

- - - - - - - - Cyclopia regna
Vomere verterunt primum noua rura Sicani.
Pyrene miſit populos. - - - - & verſ. 37
Mox Ligurum pubes, Siculo ductore nouauit
Poſſeſſis bello mutata vocabula regnis.

Etiam *Læſtrygones*, quæ gens perinde fuit Italica, in antiquiſſimis Siciliæ habitatoribus numerantur, de quibus Silius dicto libro verſ. 127

Prima Leontinos vaſtarunt prœlia campos,
Regnatam duro quondam Læſtrygone terram.

Additæ coloniæ Græcorum, Naxos, Chalcidenſium, Syracuſæ Corinthiorum, aliæque aliorum: & Carthaginienſes magnam partem occuparunt. Hos colonos numeraſſe ſatis ſit: plures tradunt Strabo in Sicilia, & Thucydides lib. VI ſub initium. Ex qua commiſtione factum, vt *trilingues* Siculi apud Apuleium lib. XI cenſerentur, id eſt Græce, Punice, Italice loquentes.

Ingens fertilitas inſulæ, laudataque a pluribus. Vt de Græcis taceam, tota Ciceronis oratio Frumentaria eſt teſtis huius rei: & Florus ſeruili bello, *Terra frugum fenax*: ac Silius Italicus lib. XIV verſ. 23

Multa ſolo virtus: iam reddere fœnus aratris,
Iam montes vmbrare olea, dare nomina Baccho;
Nectare Cecropias Hyblæo accendere ceras.

Inde eſt, quod horreum Romanæ reipublicæ hæc inſula habita quondam fuerit. Cicero pro Lege Manil. cap. XII Pompeius *nondum tempeſtiuo ad nauigandum mari Siciliam adiit, Africam explorauit; inde in Sardiniam cum claſſe venit: atque hæc tria frumentaria ſubſidia reipublicæ firmiſſimis præſidiis nauibusque muniuit.* Et Liuius lib. XXVI cap. XL de conſule Læuino refert, *coegiſſe Siculos, poſitis tandem armis ad agrum colendum animos conuertere: vt eſſet non incolarum modo alimentis frugifera inſula, ſed vrbis Romæ atque Italiæ (id quod multis ſæpe tempeſtatibus fecerat) annonam leuaret.* Et lib. XXVII cap. V *omnes* [Siculos] *in vrbes agrosque ſuos reductos, arare, ſerere: deſertam recoli tandem terram frugiſe-*

ram ipsis cultoribus, populoque Romano pace ac bello fidissimum annonæ subsidium.

Limes inter Italiam Siciliamque *fretum* est, inde *Siculum* cognominatum, de cuius latitudine supra dictum fuit: longitudo XV millia passuum secundum Plinium lib. III cap. VIII. Florus lib. IV cap. VIII de Sexto Pompeio: *Tanta mole belli penitus in Siculo freto iuuenis oppressus est.* Græce πορθμὸς Σικελικὸς, vt Marcianus Heracleota pag. 12 adpellauit. Fertur illud inter Scyllam & Charybdim: illam in Italico litore, de qua etiam in Italia actum fuit; hanc in mari propiorem insulæ litoribus. Mela lib. II cap. VII *Scylla saxum est: Charybdis mare; vtrumque noxium adpulsis.* Plinius dicto loco: *Charybdis mare verticosum.* Seneca epist. LXXIX ineunte: *Exspecto epistolas tuas, quibus mihi indices, circuitus Siciliæ totius quid tibi noui ostenderit, & omnia de ipsa Charybdi certiora. Nam Scyllam saxum esse, & quidem non terribile nauigantibus, optime scio: Charybdis an respondeat fabulis, perscribi mihi desidero. Et si forte obseruaueris, (dignum est autem vt obserues) fac nos certiores, vtrum vno tantum vento agatur in vortices, an omnis tempestas æque mare illud contorqueat: & an verum sit, quidquid illo freti turbine adreptum est, per multa millia trahi conditum, & circa Tauromenitarum litus emergere.* Virgilius Aeneid. III vers. 420

Dextrum Scylla latus, læuum implicata Charybdis
Obsidet, atque imo barathri ter gurgite vastos
Sorbet in abruptum fluctus, rursusque sub auras
Erigit alternos, & sidera verberat vnda.

E quibus facile adparet, quid rei subsit in Charybdi, & quid fabulis imputandum sit. Quo id cumprimis pertinet, quod de trina eructatione a poetis, etiam Hygino fab. CXXV est proditum. Esse autem propiorem Siciliæ litori, quam Italiæ, illud *læuum* Maronis, *dextro* Scyllæ oppositum ostendit; etiam cognomentum a Siciliæ vrbe petitum, Ouidii Fast. lib. IV vers. 499

Effugit & Syrtes, & te, Zanclæa Charybdi.

Primum in insula iuxta fretum est promontorium *Pelorum*, quod vario genere nominatur *Pelorus* & *Pelorum*, prout vel mons vel promontorium subauditur: etiam muliebri forma *Peloris* & *Pelorias*,

lorias, vtrumque imitatione Græcorum, quibus est Πελωρὶς, ίδος, & Πελωριὰς, άδος. Dionysius Perieg. vers. 472

Ηνεμόεσσα Πελωρὶς, ἐς Αὐσονίην ὁρόωσα,

Ventosa Peloris in Ausoniam spectans. Polybius lib. I cap. XLII ἀκρωτήριον, τὸ εἰς τὰς ἄρκτους κεκλιμένον, προσαγορεύεται Πελωριὰς, *promontorium* [insulæ] *septemtrionale vocatur Pelorias.* Et antea cap. XI περὶ Πελωριάδα. Latina exempla sunt: Silius Italicus lib. XIV vers. 79

Celsus arenoso tollit se mole Pelorus.

Et Ouidius Metamorph. XIII vers. 726 - - - *at Arcton*

Aequoris expertem spectat Boreanque Peloros.

Mela lib. II cap. VII de promontoriis Siciliæ: *Pachynum vocatur, quod Graciam spectat: Lilybaum, quod in Africam: Peloris, quod in Italiam vergens Scylla aduersum.* Et paucis interiectis: *inter Lilybæum & Pelorida Panormus & Himera.* Et Cicero Verrina vltima cap. III *facilius fuerit ad Oceanum peruenire, quam ad Peloridem accedere.* Ouidius Fast. IV vers. 479

Iamque Peloriadem, Lilybaaque, iamque Pachynum
Lustrarat.

Et Solinus cap. V *Pelorias aduersa vespero Italiam videt.* Verius *septemtrioni*, quam *vespero*, dixisset, etiam Salmasii τοῦ πάνυ iudicio. Aliquando *Pelorias* est nomen regionis, distinctum a promontorio. Diodorus Siculus lib. IV extremo fabulam ex Hesiodo adfert, Ὠρίωνα προσχῶσαι τὸ κατὰ τὴν Πελωριάδα κείμενον ἀκρωτήριον, καὶ τὸ τέμενος τοῦ Ποσειδῶνος κατασκευάσαι, *Orionem aggeribus construxisse promontorium iuxta Peloriadem; & templum in eo Neptuni ædificasse.* Illa regio *Peloritana ora* dicta est Solino cap. V.

Messana prima vrbs Siciliæ, ex Italia si traiicitur, ad fretum posita, olim dicta *Zancle.* Silius lib. XIV vers. 195

Incumbens Messana freto.

Diodorus lib. IV cap. vlt. ἡ τότε Ζάγκλη, νῦν δὲ Μεσσήνη, ὀνομαζομένη, *qua olim Zancle erat, nunc Messane nuncupatur.* Idem, nomen *Zancle* a Zanclo rege deductum refert: alii a falce, quam vox ζάγκλον Siculis sonet, id est a curuitate loci. Thucydides lib. VI pag. 413 Ὄνομα τὸ μὲν πρῶτον Ζάγκλη ἦν, ὑπὸ τῶν Σικελῶν κληθεῖσα, ὅτι δρεπανοειδὲς τὸ χωρίον τὴν ἰδέαν ἐστὶ, τὸ δὲ δρέπανον οἱ Σικελοὶ Ζάγκλον

κλον καλῦσι, *Nomen antiquum* [vrbis] *Zancle erat, a Siculis impositum, quia locus* [curuitate sua] *speciem falcis prabet. Falx enim Siculis* ζάγκλον *dicitur.* Alterum nomen a Messeniis Peloponnesi est. Strabo lib. VI pag. 185 κτίσμα ἐςὶ Μεσσηνίων, τῶν ἐν Πελοποννήσῳ, παρ' ὧν τὔνομα μετήλλαξε, Ζάγκλη πρότερον καλεμένη διὰ τὴν σκολιότητα τῶν τόπων, *Condita est a Messeniis Peloponnesiacis, a quibus & nomen accepit, Zancle antea ab obliquitate locorum dicta.* Thucydides id soli Anaxilæ Messenio, Rheginorum tyranno, tribuit, qui, promiscuis colonis immissis, vrbem a patria sua denominauerit. Vocabulum *Zancle* poetis reliquum. Silius lib. I vers. 662

Vos etiam Zanclen Siculi contra arma tyranni
Iuuisse egregium:

qui & *Zanclaa mœnia* eamdem vrbem lib. XIV vers. 49 vocitauit. Alterum nomen Græcis idem plane est, quum Siciliæ & Peloponnesi vrbes significat. Vtramque enim Μεσσήνην Strabo, Ptolemæus, Scylax, Thucydides, Diodorus vocant: in nummis autem Siculorum est ΜΕΣΣΑΝΙΩΝ, quam formam Latini imitantur, Siciliensem vrbem *Messanam*; Peloponnesiacam *Messenen* constanter nominantes. Mela dicto loco: *Ora, Ionium mare attingens, hac fert illustria: Messanam, Tauromínium, Catinam, Megarida, Syracusas.* Et Liuius lib. XXI cap. XLIX *Ad eas* [naues Carthaginiensium] *conspectas, a Messana duodecim naues ab Hierone rege Syracusanorum missa, qui tum forte Messana erat.* Et Suetonius Calig. cap. LI *repente a Messana noctu profugit, Aetnai verticis fumo ac murmure pauefactus.* Oppidani Μεσσανιεῖς, vti ex nummis adparet, in quorum vno est ΜΕΣΣΑΝΙΩΝ: facie obuersa ΠΕΛΩΡΙΑΣ. Latine *Messanenses*: postquam autem Mamertinos receperunt, nominis illorum societatem inire non sunt dedignati. Pompeius Festus in MAMERTINI: *Quum in parte ea Sicilia* [Mamertini] *consedissent, qua nunc Tauricana dicitur, forte parantibus bello cernere Messanensibus auxilio venerunt vltro - - - quod ob meritum eorum vt gratiam referrent, & in suum corpus communionemque agrorum inuitarunt eos, & nomen acceperunt vnum, vt dicerentur Mamertini.* Et Plinius lib. III cap. VIII *A Peloro, mare Ionium ora spectante, oppidum Messana ciuium Romanorum, qui Mamertini vocantur.* Ab his Messana Ciceroni dicta *Mamertina ciuitas*, orat. in Verr. Frument. cap. VI

Sequi-

Sequitur *Drepanum* promontorium Ptolemæi atque Plinii: dein, quod Plinius addit, *colonia Tauromenium, quæ antea Naxos.* Et nummus, COL. AVG. TAVROMEN. Et Græci Ταυρομένιον, quod vtique præferendum vulgato Latinis libris *Taurominio:* quamuis nec hoc, quod in multis codicibus constanter legitur, damnatum velim. Cicero fœderatam ciuitatem dixit, orat. Frumentar. cap. VI. *Fœderatæ,* inquit, *ciuitates duæ sunt, Mamertina & Tauromenitana.* Ciues ergo seu coloni *Taurominitani* siue *Tauromenitani.* Silius lib. XIV vers. 257

Taurominitana cernunt de sede Charybdim.

Nummus Harduini, TAYPOMENITAN. Ceterum huius vrbis meminit Cicero lib. XVI epist. XI ad Atticum: *Epistolas Catinam, Tauromenium, Syracusas commodius mittere potero.* Hodie Taormina. Quod vero Plinius Tauromenium dixit antea *Naxum* fuisse adpellatum; in eo dissentit Strabo, dicto loco: sed facile conciliatur Plinio. Nam Tauromenium conditum est in monte *Tauro,* vt Diodorus describit lib. XIV cap. LX, & lib. XVI cap. VII. Naxus autem ad latus montis australe fuerat, quam Dionysius euertit, vt idem lib. XIV cap. XVI prodidit. Ex ruinis ergo huius surrexit in proximo, aut creuit Tauromenium, vt visa eadem vrbs fuerit, quæ olim Naxos, post Tauromenium adpellabatur. Litus Tauromenitanum dicebatur Κοπρία, *Copria,* ab eiectis ibi nauium fragminibus, quæ Charybdis vortice perierant. Strabo prædicto loco de Charybdi: τὰ ναυάγια παρασύρεται πρὸς ἠϊόνα τῆς Ταυρομενίας, ἣν καλοῦσιν ἀπὸ τοῦ συμπτώματος τούτου Κοπρίαν, *absorptorum nauium fragmenta ad litus Tauromenitanum deuoluuntur, quod ab hoc euentu* COPRIA, quasi *sterquilinium, vocatur.* Et Pacatus Panegyr. Theodos. cap. XXVI *Charybdim loquor? quæ quum plena nauigia sorbuerit, dicitur tamen reiectare naufragia, & contortas fundo rates Taurominitanis litoribus exponere.*

Citra Tauromenium est Ἄργεννον ἄκρον, *Argennum promontorium* Ptolemæi: vltra coloniam *Onobala* fluuius Appiani, lib. V Ciuil. p. 1162 παρέπλει τὸν ποταμὸν Ὀνοβάλαν, *præternauigabat flumen Onobalam.* Quod vero circa Tauromenium aut Naxum defluit, non videtur amnis alius ab illo esse, qui Vibio est *Taurominius, inter Syracusas & Messenen, a quo oppidum Taurominium.*

Ho-

Hodie Cantara dictus. Proximus est *Asines* fluuius Plinii, quem Fiume Freddo, ab aqua frigidissima nunc adpellari aiunt. Harduinus Plutarchi *Asinarum* (Ἀσίναρον, in Nicia pag. 541) eumdem esse autumat, quem Cluuerius inter Syracusas & Pachynum posuit. Ab Aetna decurrit *Acis* amnis, poetis memoratus. Theocritus idyllio I vers. 69

Οὐδ' Αἴτνας σκοπιὰν, οὐδ' Ἄκιδος ἱερὸν ὕδωρ,

Neque Aetnae cacumen, neque sacram Acidis vndam. Et Ouidius lib. IV Fastor. vers. 468

Praeterit & ripas, herbifer Aci, tuas.

Et Silius lib. XIV vers. 222

Quique per Aetnaeos Acis petit aequora fines.

Nomen hodieque tenet, aut Sicula dialecto Iaci vel Chiaci vocatur. Post hunc

Catana est siue *Catina*, e regione Aetnae montis, vna ex quinque coloniis Romanis, secundum Strabonem Ναξίων κτίσμα, *a Naxiis olim condita.* Ptolemaeus, Κατάνη κολώνια: Plinius III cap. VIII *Scopuli tres Cyclopum, portus Vlyssis, colonia Catina.* Mela II cap. VII *Ora haec fert illustria, Messanam, Taurominium, Catinam, Megarida, Syracusas.* Huius nominis eadem ratio est, quae Taurominii, vt aliter Graeci scribant, Κατάνη, prima vocali: aliter Latini plerique, *Catina*, vocali tertia: sicut Graecorum erat Ταυρομένιον.; plurium Latinorum *Taurominium.* Thucydides, Scylax, Strabo, Ptolemaeus Κατάνη & Καταναῖοι, & nummi veteres ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ: Plinii & Melae scripturam modo vidimus: cum quibus poetae faciunt Silius atque Ausonius. Ille lib. XIV vers. 197

Tum Catine nimium ardenti vicina Tiphoeo:

id est Aetnae vicina; vide Notas nostras: hic, de Clar. vrbib.

Quis Catinam sileat? quis quadruplices Syracusas.

Nec Cicero aliter quam *Catina*, etiam libris castigatissimis. Libro IV in Verr. de Signis cap. XXIII *Catinam quum venisset, oppidum locuples, honestum, copiosum.* Et lib. XVI ad Attic. ep. XI *Epistolas Catinam, Tauromenium, Syracusas commodius mittere potero.* At Liuius lib. XXVII cap. VIII *Tantum ea cura frumenti prouenit, vt & Romam mitteret, & Catanam conueheret, vnde exercitui, qui ad Tarentum aestiua acturus esset, posset praeberi.*

Inter-

Interluit oppidum Catinense amnis *Amenanus*, ex Aetna ortus, paruus & breui decursione. Strabo lib. v pag. 166 καθάπερ περὶ τοῦ Ἀμενάνου συμβαίνειν φασὶ, τοῦ διὰ Κατάνης ῥέοντος, *quemadmodum flumini Amenano euenire dicunt* (deficere penitus) *per Catanam fluenti.* Ouidius Fast. IV vers. 467

Iamque Leontinos Amenanaque flumina cursu Praeterit.

Et Metamorphos. lib. XV vers. 279 restitutoribus Vrsino & Heinsio:

Nec non Sicanias voluens Amenanus arenas
Nunc fluit; interdum suppressis fontibus aret.

Idem Fulv. Vrsinus nummum produxit ab vna parte scriptum ΑΜΕΝΑΝΟΣ, ab altera, ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ. Deriuatiuum autem hoc nomen est: simplex *Amenas*, quo vsus est Pindarus Pyth. oda I antistr. IV Ἀμένα παρ' ὕδωρ, *Amenae ad aquam.*

Sequitur *Symaethus*, Σύμαιθος, fluuius, ex Cluuerii coniectura terminus inter Leontinos & Catanam, Thucydides lib. VI pag. 455 ηὐλίσαντο ἐπὶ Συμαίθῳ ποταμῷ ἐν τῇ Λεοντίνῃ, *castra posuerunt ad Symaethum flumen in agro Leontino.* Scylax in Sicilia: Σύμαιθος ποταμὸς, *Symaethus fluuius.* Virgilius lib. IX vers. 584

Eductum Martis luco, Symaethia circum
Flumina: pinguis vbi & placabilis ara Palici.

Vbi Seruius: *Symaethus fluuius est Siciliae, a rege Symaetho dictus, haud longe ab vrbe Catinensi, circa quem sunt Palici dei.* Et Vibius Sequester: *Symaethus Siciliae, vicinus Palicis.* Defert fluuios *Cyamosorum*, Κυαμόσωρον Polybii lib. I cap. IX iuxta Centuripas confluentem: & *Chrysam* Assorinorum, a Cicerone lib. IV in Verr. de Signis, cap. XLIV memoratum.

Supra ostium Symaethi, prope mare, videtur oppidum *Murgentium* fuisse, Strabonis Μοργάντιον lib. VI pag. 186. Et Diodorus lib. XIV cap. XCVI viam memorat, a Chrysa flumine ferentem εἰς Μοργαντίναν, *in Morgantinam*, vbi πόλιν, *vrbem* subaudiri verosimile est. At Cicero Frument. orat. cap. XLIII, & Plinius III cap. VIII *Murgentinos* oppidanos vocant: quod a forma *Murgentium* Latina est. Silius lib. XIV vers. 266 - - - *frondosis Morgentia campis*, genere muliebri. Liuius Graecos imitatus lib. XXIV cap. XXVII ita maritimum situm notauit: *Ad Murgan-*

gantiam tum classem nauium centum Romanus habebat, quonam eua-derent motus ex cædibus tyrannorum orti Syracusis. Vltra Symæthum est *Eryces* fluuius, ab oppido *Eryce:* quod intus est, delapsus, cuius mentio in Ἀκράγαντες apud Stephanum: deinde *Terias*, alius amnis, prope Leontinos in mare Siculum decurrens. Scylax dicto loco: εἰς τοὺς Λεοντίνους κατὰ Τηρίαν ἀνάπλους μ´ σταδίων, *Leontinos per Teriam sursum nauigatur* XL *stadia*, vt Cluuerius numerum emendauit adprobante Vossio. Thucydides lib. VI pag. 444 ἐκομίσθησαν ἐπὶ τὸν Τηρίαν ποταμὸν, *delati sunt ad Teriam flumen:* & pag. 476 per ε expressum est ἐπὶ τὸν Τηρέαν ποταμόν. Plinius de Sicilia: *Flumina Symæthum, Terias.* Excipit hic *Lissum* amnem, Leontinos præterfluentem, vt Polybius loco mox indicando tradidit.

Leontini, plurali numero vrbs prope Teriam, Scylaci XX stadiis, Cluuerio emendanti XL a mari. Mela II cap. VII *Interius Leontini, Centuripinum, & Hybla.* Et Plinius III cap. VIII *Oppida Leontini, Megaris.* Ptolemæus vocat Λεόντιον, *Leontium.* Hodie Lentini est. Situm cum cura signauit Polybius principio excerptorum libri VII, τὴν τῶν Λεοντίνων πόλιν adpellans. Populus quoque, communi cum vrbe nomine, *Leontini.* Liuius lib. XXIV cap. XXIX *profectus & ipse in Leontinos:* & cap. XXX *Marcellus cum omni exercitu profectus in Leontinos.* Ager fertilissimus. Cicero Frumentaria cap. XVIII *Aetnensis ager, qui solebat esse cultissimus; &, quod caput est rei frumentariæ, campus Leontinus.* Hi sunt *Læstrygonii campi*, vt olim dicebantur. Plinius dicto loco: *Intus Læstrygonii campi. Oppida Leontini, Megaris.* Et Silius lib. XIV vers. 126

Prima Leontinos vastarunt prœlia campos,
Regnatam duro quondam Læstrygone terram.

Olim & *Xuthiam* illum agrum, a Xutho, prisco domino, adpellatum, Diodorus auctor est lib. V cap. VIII. In agro illo etiam castellum validum, quod *Bricinnias* Thucydides nominauit lib. V pag. 344.

In sinum Leontinum *Pantagias* fluuius infunditur. Vibius in Fluminibus, addita fabula: *Pantagias Siciliæ ita dictus, quod sonitus eius decurrentis per totam insulam auditus est vsque eo, donec Ceres, quærens filiam, comprimeret eum.* Virgilius Aen. III vers. 688

... viuo

- - - viuo prateruehor ostia saxo
Pantagia, Megarosque sinus.

Et Silius lib. XIV verf. 231 - - - *qui*

- - - facilem superari gurgite parco
Pantagiam, rapidique colunt vada flaua Symathi.

Et Græca terminatione *Pantagies*, Παντωγίης. Plinius lib. III cap. VIII *Oppida, Leontini, Megaris: amnis Pantagies.* Et Ouidius lib. IV Fastor. verf. 471

Liquerat Ortygien, Megareaque, Pantagienque,
Quaque Symatheas accipit æquor aquas.

Ptolemæus corrupte Παντάχυ ποταμοῦ ἐκβολαί, pro Παντωγίυ. *Trotilum* oppidum ignobile ὑπὲρ Παντακίυ (lege Παντωγίυ, nisi vtroque modo pronuntiatum fuit) id est, *super Pantagia* situm, Thucydides post principium libri VI memorauit.

Megara, seu *Megaris*, olim *Hybla* dicta. Stephanus Byzantius: Ὕβλαι τρεῖς πόλεις Σικελίας, - -·- ἡ μικρά, ἧς οἱ πολῖται Γαλεῶται, Μεγαρεῖς, *Tres Hybla in Sicilia. - - - Parua, cuius ciues Galeota, Megarenses.* In voce Μέγαρα idem: ἕκτη ἐν Σικελίᾳ, ἡ πρότερον Ὕβλη, *Sexta* [huius nominis] *vrbs in Sicilia, qua prius dicta fuit Hybla.* Scilicet Megarenses ex Græcia coloni vetus nomen, inducto suo, abrogauerunt. Strabo lib. VI pag. 185 refert, τοὺς Δωριέας Μέγαρα κτίσαι, τὴν Ὕβλαν πρότερον καλουμένην, *Dorienses Megara condidisse, Hyblam antea vocatam.* Qui & heic & alibi multitudinis numero τὰ Μέγαρα lib. VI dixit: etiam Thucydides lib. VI pag. 476 παρέπλευσαν ἐπὶ Μεγάρων τῶν ἐν τῇ Σικελίᾳ, *nauigarunt aduersus Megara, qua in Sicilia sunt.* Illustris vir Ezech. Spanhemius p. 356 nummum profert, quo singulari numero scriptum ΜΕΓΑΡΑΣ ΥΒΛΑΑΣ, *Megara Hybla.* Sic Megara, *orum*, & Megara, *ræ*, gemina forma habemus. Liuius quoque variat: lib. XXIV cap. XXX *exercitum ducunt Megaram.* & mox: *Megaris castra mouent*, pluraliter: & iterum singulari numero cap. XXXI *Megaram, vnde profecti erant, referri signa iubent.* Tertia forma Μεγαρὶς est Scylacis, cuius lectionem V. C. Iac. Gronouius sollicitat. Certior Diodorus, qui lib. IV cap. LXXX πλησίον τῆς Μεγαρίδος, *prope Megaridem*, dixit: etiam certiores Latini geographi. Plinius, vt supra dictum, *Oppida*, inquit, *Leontini, Megaris.*

Pomponius Mela : *Ora hac fert illustria, Messanam, Taurominium, Catinam, Megarida, Syracusas.* Strabonis æuo *Megara* desierant esse (οὐκ ἔτι ἐστὶ,) τὸ δὲ τῆς Ὕβλης ὄνομα συμμένει διὰ τὴν ἀρετὴν τοῦ Ὑβλαίου μέλιτος, *nomen autem Hybla propter mellis Hyblai præstantiam manebat.* Ouidius lib. IV ex Ponto epist. XV

Quot Sicyon baccas, quot parit Hybla fauos.

Et Silius Italicus lib. XIV vers. 200

Tum qua nectareis vocat ad certamen Hymetton
Audax Hybla fauis.

Inde *apes Hyblaas* Virgilius generosissimas ecloga I dixit : & Martialis *Hyblaa mella*, omnium præstantissima.

Myla fluuius in hoc tractu memoratus Liuio est lib. XXIV cap. XXX. *Syracusanis*, inquit, *octo millium armatorum agmine profectis domo, ad Mylam flumen nuntius occurrit, captam vrbem esse.* Et in ora, *Xiphonia* promontorium : addunt alii oppidum nominis eiusdem, nec non portum. Strabo lib. VI pag. 184 τὸ τῆς Ξιφωνίας ἀκρωτήριον, *Xiphonia promontorium.* Stephani breuiator: Ξιφωνία πόλις Σικελίας, *Xiphonia, oppidum Sicilia:* & Scylax in Sicilia, λιμὴν Ξιφώνειος, *Xiphoneus portus.*

Inter Mylam & Megaram *Alabon*, siue *Alabus* fluuius est. Diodorus lib. IV cap. LXXX Dædalum Cocalo regi fecisse κολυμβήθραν, & quidem prope Megaridem, ἐξ ἧς μέγας ποταμὸς εἰς τὴν πλησίον θάλατταν ἐξερεύγεται, καλούμενος Ἀλαβὼν, *ex qua ingens fluuius, quem Alabonem nominant, in vicinum mare se profundit.* Interpres Diodori est Vibius Sequester : *Alabon* (sic scribendum) *Megarensium, cuius fontem Dadalus dilatauit, agrumque reddidit & regionem, quam idem fluuius deuastabat.* Stephanus Byzantius: Ἀλαβὼν πόλις καὶ ποταμὸς, *Alabon oppidum & flumen.* Non addit breuiator, vbinam gentium sit : sed excidisse videtur vox Σικελίας. Silio *Alabis* est lib. XIV vers. 228

Nec non qui potant Hypsamque Alabinque sonoros.

Plutarcho & Ptolemæo forma Ἄλαβος, *Alabus*, placet. Hic, Ἀλάβου ποταμοῦ ἐκβολαὶ, *Alabi fluminis ostia ;* ille in Timoleonte pag 252 inter Syracusas & Catanam τὸ ῥεῦμα τὴν Ἄβολον, riuum *Abolum* habet, quod haud dubie traiectis litteris legendum est Ἄλαβον, *Alabum*, vt Ptolemæus scripsit.

In

In intimo sinu, in peninsula *Tapsus* fuit, siue *Thapsus*. nam Græci per Θ scribunt: Latini fere T simplici omnes. Stephanus: Θάψος ἐστὶ καὶ Σικελίας χερσόνησος ἐν τῷ στενῷ ἰσθμῷ, *Thapsus est quoque Siciliæ peninsula* [& oppidum] *in angusto isthmo.* Ex Thucydidis lib. VI pag. 478 hausit, cuius hæc sunt: ταῖς τε ναυσὶν ἐς τὴν Θάψον καθορμισάμενοι. ἔστι δὲ χερσόνησος μὲν ἐν στενῷ ἰσθμῷ προύχουσα ἐς τὸ πέλαγος, τῆς δὲ Συρακουσίων πόλεως οὔτε πλοῦν, οὔτε ὁδὸν πολλὴν ἀπέχει, *cum classe Thapsum subierunt, quæ angusto terræ limite in mare prominens peninsula est, non procul Syracusis, siue terra, siue mari.* Virgilius Aeneid. III vers. 689

- - - *Megarosque sinus, Tapsumque iacentem.*

IACENTEM, id est planam fluctibusque parem, Seruio interpretante. Ouidius Fastor. lib. IV vers. 487

Hinc Camerinan adit, Tapsonque, & Heloria tempe.

Et Silius Italicus lib. XIV vers. 207

Non Tapsos, non e tumulis glacialibus Acræ
Defuerunt.

Succedunt illustrissimæ *Syracusæ*, a Corinthiis conditæ, sed quod Velleius lib. II cap. XV obseruat, conditrice factæ potentiores: vrbs multiplex, permunita, cum duobus portubus. Scylax: Συράκουσαι, καὶ λιμένες ἐν αὐτῇ δύο, *Syracusæ, in qua vrbe duo portus.* Plinius sæpe dicto loco: *colonia Syracusæ, cum fonte Arethusa.* Solinus de Sicilia: *principem vrbium Syracusas habet.* Thucydides lib. VII pag. 503 Συρακούσας ἀντιπολιορκεῖν, πόλιν οὐδὲν ἐλάσσονα αὐτήν τε καθ' αὐτὴν τῶν Ἀθηνῶν, *Syracusas vicissim obsidere, vrbem nihilo per se, quam ipsas Athenas, inferiorem.* Magnitudinem vrbis ex Romanorum expugnatione intelligere licet, per partes multis vix diebus peracta, singulas tutas munitionibus. Vide Liuii lib. XXV cap. XXIV, seq. Strabo lib. VI pag. 186 de Syracusis: πεντάπολις ἦν τὸ παλαιὸν, ἑκατὸν καὶ ὀγδοήκοντα σταδίων ἔχουσα τὸ τεῖχος, *quinque quasi vrbes complexa olim*, CLXXX *stadiorum murum habentes.* Partes illæ fuere, *Nasos*, *Achradina*, *Tyche*, *Neapolis*, *Epipolæ*; de quibus Liuius dicto loco consulatur. Quod vero *Epipolæ* minus erant habitatæ, alii quatuor tantum vrbes, siue tetrapolin in Syracusis notauerunt. Cicero Verrina de Signis, siue lib. IV cap. LIII de Syracusis: *Ea tanta est vrbs, vt ex quatuor vrbibus maximis constare dicatur: quarum vna est ea, quam dixi, In-*

sula : quæ duobus portubus cincta, in vtriusque portus ostium aditumque proiecta est, in qua domus est, quæ regis Hieronis fuit, qua prætores vti solent. - - - Altera autem est vrbs Syracusis, cui nomen Acradina est, in qua forum maximum, pulcherrima porticus, ornatissimum prytaneum, amplissima est curia, templumque Iouis Olympii. ... Tertia est vrbs, quæ quod in ea parte Fortunæ fanum antiquum fuit, Tycha nominata est, in qua & gymnasium amplissimum est, & complures ædes sacræ; coliturque ea pars & habitatur frequentissime. Quarta autem est vrbs, quæ quia postrema ædificata est, Neapolis nominatur, quam ad summam theatrum est maximum, reliqua. Et totidem partes posteriori æuo fuerunt. Ausonius de Claris vrbibus:

Quis Catinam sileat? quis quadruplices Syracusas?

De prima parte, quæ Νᾶσος, id est νῆσος, siue *Insula* vocabatur, *Ortygia* proprio nomine, ex eodem Ciceronis loco adnotamus, *mari disiunctam angusto, ponte rursum adiunctam fuisse.* Addit ibidem: *In hac insula extrema est fons aquæ dulcis, cui nomen Arethusa est, incredibili magnitudine, plenissimus piscium, qui fluctu totus operiretur, nisi munitione ac mole lapidum a mari disiunctus esset.* Mira sunt quæ de hoc fonte tradunt, *fimum redolere per Olympia.* Vnde Plinius lib. XXXI cap. V ait, *veri simile* esse, *Alpheum*, Peloponnesi fluuium, *in eam insulam sub ima maria permeare.* Clarius id Seneca scripsit, sed addidit, *opinio est*, lib. III Quæst. Nat. cap. XXVI. Et Strabo lib. VI pag. 187 μυθεύουσι, τὸν Ἀλφειὸν εἶναι τοῦτον, *fabulantur hoc de Alpheo.* Ex poetis, quorum proprium est fingere, Virgilius tamen ad *famam* refert Aen. III, vers. 692

Sicanio prætenta sinu iacet insula contra
Plemmyrium vndosum: nomen dixere priores
Ortygiam. Alpheum fama est huc, Elidis amnem,
Occultas egisse vias subter mare, qui nunc
Ore, Arethusa, tuo Siculis confunditur vndis.

Partem vrbis *Achradinam* Plutarchus in Marcello p. 308 τὸ καρτερώτατον, καὶ κάλλιστον, καὶ μέγιστον, *munitissimam, & pulcherrimam, & amplissimam* ciuitatis dixit. Græci, Plutarchus dicto loco, & Diodorus XI cap. LXVIII, & lib. XIV cap. LXIV, Ἀχραδινὴ scripserunt: Latini interdum, vt Cicero iam dictis verbis *Acradina* sine adspiratione. *Epipolæ*, Ἐπιπολαί, secundum eumdem Diodorum

dorum lib. XIV cap. XIX, *τόπος τετραμμένος ἐστὶ πρὸς ἄρκτον, ἀπόκρημνος δὲ πᾶς, καὶ διὰ τὴν τραχύτητα δυσπρόσοδος ἐκ τῶν ἔξωθεν μερῶν*, hæc, inquit, pars *tota prærupta erat, & ob asperitatem inaccessa extrinsecus, adiacens* cultioribus partibus *a septemtrione:* quam Dionysius muro circumdedit & vrbi adiunxit. *Hexapylos*, cuius Liuius & Diodorus dictis locis mentionem faciunt, vel porta fuit Neapoleos, vel pars illius nouæ vrbis, aut pars muri portis distincti in eadem. Diodorus Epipolis contiguam vel propinquam partem facit, dum murum Epipolarum *πρὸς τοῖς Ἑξαπύλοις*, *ad Hexapyla* (pluraliter Græci) ductum a Dionysio, scripsit: Plutarchus autem & Liuius, vterque in Marcelli historia, vt portam describunt, vel locum insigni porta peruium: ille pag. 308. *τὰ Ἑξάπυλα διακόψας, Hexapyla effringens:* & mox: *ἅμα φαιδείᾳ τῶν Ἑξαπύλων ὁ Μάρκελλος κατῄει, simul illuxit, Marcellus per Hexapyla ingressus vrbem est:* hic lib. XXV cap. XXIV *sub luce, Hexapylo effracto, Marcellus omnibus copiis vrbem ingressus.* Et paullo ante: *signo ab Hexapylo dato:* item, *prope Hexapylon est portula; ea magna vi refringi cœpta.*

Fontes etiam ad Syracusas celebrantur. Plinius lib. III cap. VIII *Syracusæ cum fonte Arethusa. quamquam & Temenitis, & Archidemia, & Magæa, & Cyane, & Milichie fontes in Syracusano potantur agro.* De Arethusa supra dictum: *Milichia, μειλιχίη*, a delicata aqua nomen habet: ex ceteris *Cyane* poetarum carminibus incluta. Ouidius lib. II Pont. epist. X vers. 26

Quaque suis Cyanen miscet Anapus aquis.

Fingitur ex nympha, comite Proserpines, in fontem mutata. Claudianus lib. III de Raptu vers. 245

- - - - medijs inuenimus aruis
Exanimem Cyanen. - - - - - -
Adgredimur subitæ, & casus scitamur heriles.
(Nam propior cladi steterat) quis vultus equorum,
Quis regat? Illa nihil: tacito sed læsa veneno
Soluitur in laticem. subrepit crinibus humor.
Liquitur, in roremque pedes & brachia manant,
Nostraque mox lambit vestigia perspicuus fons.

Vibius Sequester in lacubus *Cyanen* scripsit, per quam *Anapus* fluuius

fluuius transeat. Flumen illud, ex Ouidii iam versu cognitum, inter Syracusas & suburbium Olympieum in portum magnum infunditur. Memorauit etiam Liuius lib. XXIV cap. XXXVI. *Marcellus Syracusas rediit: & post paucos dies Himilco, adiuncto Hippocrate, ad flumen Anapum, octo ferme inde millia castra posuit.* Et Theocritus Idyll. I vers. 68

Οὐ γὰρ δὴ ποταμοῖο μέγαν ῥόον εἴχετ' Ἀνάπω,

neque enim [o nymphæ] *magnum flumen Anapi amnis tenuistis.* Scholiastes ibi: ὁ Ἄναπος ποταμὸς ἐν Συρακούσαις τῆς Σικελίας.

Trans Anapum oppidulum est, tamquam suburbium Syracusarum, cui nomen *Olympium*, siue *Olympiéum*, a templo Iouis Olympii, quod habebat. Liuius lib. XXIV cap. XXXIII *Romanus exercitus ad Olympium (Iouis id templum est) mille & quingentis passibus ab vrbe castra posuit.* Thucydides lib. VI pag. 454 ἐδίδασκον αὐτοὺς περὶ τοῦ πρὸς τῷ Ὀλυμπιείῳ χωρίου, *docuerunt ipsos de loco* (quem caperent) *ad Olympieum.* Et lib. VII pag. 488 ἐπὶ τῇ ἐν τῷ Ὀλυμπιείῳ πολίχνῃ, *apud oppidulum, quod est in Olympieo.* Et Diodorus lib. XIII cap. VI Athenienses silentio in magnum portum nauigantes, τοῦ τε Ὀλυμπίου κύριοι κατέστησαν, *etiam Olympio potiti sunt:* & cap. VII eosdem ait loco portui imminente potitos, τὴν καλουμένην πολίχνην, *quod dicitur, oppidulum* (Polychnam) muniuisse, inclusisseque Διὸς ἱερὸν, *Iouis templum.* Idemne Olympieum & πολίχνη fuerint, vti videtur, adfirmare argumentis non possum.

Qui inter Olympium & Plemmyrium sinus est, *Dascon* nominabatur. Diodorus lib. XIII cap. XIII πρὸς τὸν κόλπον τὸν Δάσκωνα καλούμενον, *in sinum Dasconem* compulsus est Eurymedon. Adiacebat castellum eiusdem nominis. Idem lib. XIV cap. LXXIII τὸ πρὸς τῷ Δάσκωνι χωρίον, *quod ad Dasconem sinum castellum est.* Id communi nomine cum sinu vocitatum esse, verba Stephani commonstrant, Δάσκων, Σικελίας χωρίον. Inde in austrum est *Plemmyrium* promontorium, & iuxta illud eodem nomine castellum. Virgilius Aen. III vers. 693 *Plemmyrium vndosum* dixit, contra Ortygiam insulam situm. Diodorus lib. XIV cap. LXIV ᾠκοδόμησε καὶ τρία φρούρια παρὰ θάλατταν, τὸ μὲν ἐπὶ τοῦ Πλημμυρίου, τὸ δ' ἐπὶ μέσῳ τοῦ λιμένος, τὸ δὲ κατὰ τὸν νεὼν τοῦ Διός.

Aedi-

Aedificauit [Himilco] *tria castella, vnum ad Plemmyrium, alterum supra medium portum, tertium iuxta Iouis templum.* Sed curatius descripsit & promontorium & castellum Thucydides lib. VII pag. 488 τῷ δὲ Νικίᾳ ἔδοκει τὸ Πλημμύριον καλούμενον τειχίσαι. ἔστι δὲ ἄκρα ἀντιπέρας τῆς πόλεως, ἥπερ προὔχουσα τοῦ μεγάλου λιμένος τὸ στόμα στενὸν ποιεῖ, *Niciæ placuit Plemmyrium munire. Est vero promontorium e regione vrbis, quod prominens in portum magnum fauces eius coarctat.* Stephanus, Πλημμύριον φρούριον Συρακουσῶν, *Plemmyrium castellum Syracusarum.*

Vltra Syracusas sunt flumina, Κακύπαρις, *Cacyparis*, ad quod itum est via Helorina, Thucydide prodente lib. VII pag. 545: deinde *Asinarum*, Ἀσίναρος ποταμός, Plutarcho in Nicia p. 541 monstrante: tum nobilius *Helorum*. Plinius post Syracusas: *portus Naustathmus, flumen Elorum.* Vibius Sequester: *Helorus Syracusarum, a quo ciuitas.* nam & oppidum, impositum flumini, eodem nomine fuit. Stephanus: Ἕλωρος πόλις Σικελίας, ἀπὸ Ἑλώρου ποταμοῦ τοῦ κατὰ Πάχυνον, *Helorus oppidum Siciliæ, ab Heloro fluuio, qui est ad Pachynum*, Hic Silio est lib. XIV vers. 270 *clamosus Helorus*, a strepitu. Rigauit amœnissimum campum, Diodoro lib. XIII cap. XIX τὸ Ἑλώριον πεδίον dictum: & Ouidio IV Fast. vers. 487 *Heloria tempe:* Virgilio Aen. III vers. 698 *præpingue solum stagnantis Helori.*

Plures etiam portus erant inter Syracusas & promontorium Pachynum. Plinio post vrbem est *Naustathmus portus:* Ptolemæo supra Pachynum Φοινικοῦς λιμήν, *Phœnicûs portus:* & sub ipso Pachyno promontorio portus erat. Cicero Verrina vltima cap. XXXIV *nostra classis erat in portu Pachyni.* De ipso promontorio supra in nomine *Trinacriæ* dictum. Et Virgilius Aen. III vers. 698 post *Helori* stagnantis ostia:

Hinc altas cautes proiectaque saxa Pachyni
Radimus.

Et Polybius lib. I cap. XXV ἔθεν ἀναχθέντες ἔπλεον, δεξιὰν ἔχοντες τὴν Σικελίαν, κάμψαντες δὲ τὴν Πάχυνον ὑπερῆραν, *vnde* [a Messana Romani] *nauigantes dexteram habuere Siciliam, flexoque cursu Pachynum superarunt.* Ptolemæus: Πάχυνος ἄκρα.

Post Pachynum in australi latere est Ptolemæi Ὀδύσσεια ἄκρα, *Odysseum promontorium.* Lycophron dixit vers. 1030

Τῦ Σισυφείου παιδὸς ὀχθηρὰν ἄκραν,

Sisyphei filii iugosum promontorium. Quidam enim Vlyssem παῖδα γενεαλογοῦσι τοῦ Σισύφου, *filium Sisyphi fuisse per genealogiam tradunt*, vt scholiastes vetus Lycophronis interpretatur. Idem addit, nescio vnde, Vlyssem a se id promontorium nominasse, Κάκραν καλουμένην πρὶν, ὅπερ ἐστὶν πλησίον Παχύνου, *quod antea Cacra dictum fuerit*, *propinquum Pachyno.* Huc refert Cluuerius *portum Edissa* Ciceronis Verr. vlt. cap. XXXIII, aliunde non notum, tamquam deprauatum nomen ex *Odyssea.*

Inter Vlyssis portum & Camarinam sunt fluuii *Motycanus*, a Motyce delapsus, quem Μοτυχάνον Ptolemæus scripsit: & *Hirminius* Plinii. Ille nunc Xicli; hic Maulo & Fiume di Ragusa dictus. *Camarina* autem vrbs a Syracusanis condita. Strabo lib. VI p. 187 Καμαρῖνα ἄποικος Συρακουσίων, *Camarina colonia Syracusanorum.* Plinius III cap. VIII *oppidum Camarina.* Gentile Καμαριναῖοι Thucydidi lib. VI, & in nummis ΚΑΜΑΡΙΝΑΙΩΝ: etiam Καμαρῖνοι, *Camarini*, apud Suidam. Hodieque ruinæ, quæ de amplitudine testantur, Camarana dicuntur. Adiacet *palus Camarina*, nunc Lago di Camarana, quam *Hipparis* amnis transit, cuius Pindarus Olymp. od. V, & vna *Oani*, Ὠάνου, mentionem facit, vtriusque, vt scholiastes addit, ἐν Καμαρίνῃ, *in agro Camarino.* Ab hac palude prouerbium est, μὴ κίνει Καμαρῖναν, *Camarinam ne moueas*: quod Stephanus refert Byzantius, & Seruius interpretatur ad illud Virgilii Aen. III vers. 701

Adparet Camarina procul:

& respicit Silius lib. XIV vers. 199

Et cui non licitum fatis Camarina moueri.

Inter Camarinam & Gelam sunt duo flumina, quæ, quum ceteris cunctis antiquæ adpellationis rationes constent, iisdem deficiuntur. ideoque illos putat Cluuerius esse, quos coniunctos memorauit Silius lib. XIV vers. 229

Et perlucentem splendenti gurgite Achaten.

Qui fontes Vagedrusa tuos - - - -

supple, colunt. De *Achate* Plinius lib. XXXVII cap. X & Solinus cap. V referunt, in ripis eius primum gemmam Achatem fuisse repertam, tum pretiosam, post vilescentem, quum pluribus

bus locis inueniretur. De *Vagedrusa* nihil præterea notum est.

Gela oppidum sequitur, nomine accepto a fluuio Gela, qui adluit. Stephanus: Γέλα πόλις Σικελίας· καλεῖται ἀπὸ ποταμοῦ Γέλα, *Gela oppidum Siciliæ: nomen habet a Gela fluuio.* Virgilius Aeneid. III verſ. 70

Immanisque Gela, fluuii cognomine dicta.

Et Silius lib. XIV verſ. 219

Venit ab amne trahens nomen Gela, venit Halesa.

Amnis dicitur *Gelas*, nunc Fiume di Terranoua. Plinius III cap. VIII *Oppidum Camarina, fluuius Gelas, oppidum Acragas.* Ouidius lib. IV Faſtor. verſ. 470

Et te vorticibus non adeunde Gela.

Dextræ ripæ in mare deſinenti adpoſitum oppidum Terranoua, quod haud dubie vetus *Gela* eſt, ita ordine Maronis poſtulante: quæ olim vrbs ampla fuit, ideo *immanis* poetæ cognominata. Oppidani *Geloi*, Γελῶοι, Thucyd. lib. VI ſub initium: Ciceroni Frumentar. cap. XLIII *Gelenſes*: Virgilius & agrum Græco more denominat lib. III Aen. verſ. 701

Adparet Camarina procul, campique Geloi.

Poſt hoſce campos fluuius *Himera*, Ἱμέρα, qui inſulam ſecat. Liuius lib. XXIV cap. VI *Pacto conuenit* [inter regem Hieronymum & Carthaginienſes] *vt Himera amnis, qui ferme inſulam diuidit, finis regni Syracuſani ac Punici imperii eſſet.* Et Straboni dicitur διὰ μέσης ῥέειν τῆς Σικελίας, *per mediam Siciliam defluere.* Pomponius Mela II cap. VII *Himera, in media admodum* [inſula] *ortus, in diuerſa decurrit, ſcindensque eam vtrinque, alio ore in Libycum, alio in Tuſcum mare deuenit.* Eadem Silius XIV verſ. 234. Sic in contraria geminum Himeram (nam duo huius nominis ſunt) certum eſt fluere: ex vno fonte oriri, falſum. Circa oſtia eius, qui in auſtrum decurrit, eſt *Phalarium* caſtellum, in quo taurus ille æneus fertur exſtitiſſe, vt Diodorus narrat lib. XIX cap. CXVIII. Cluuerius ſiniſtro oſtio adponit *Phintiam*, quæ Diodori ſit *Phintias*, in excerptis lib. XXIV; Ptolemæi Φθινθία, quamquam ab hoc in mediterraneis poſita. Sed dubia res *Phintia*, quam in medio relictam volumus. Itidem inter oſtia mons Ἔκνομος, *Ecnomos*, Diodoro

 ibi-

ibidem, & Polybio lib. I cap. XXV, & Plutarcho in Dione p. 969 memoratus: & in eo forsan *Dædalium* Antonini, quia Dædali plura in his oris opera, Diodoro teste lib. IV cap. LXXX.

Proximum *Agrigentum*, Græce Ἀκράγας, quam formam etiam Latini nonnunquam suam faciunt. Scylax: Καμαρίνα, Γέλα, Ἀκράγας. Plinius: *Fluuius Gelas: oppidum Acragas, quod Agrigentum nostri dixere.* Virgilius post Gelæ mentionem, dicto loco:

Arduus inde Acragas ostentat maxima longe
Mœnia, magnanimûm quondam generator equorum.

Thucydides lib. VII pag. 521 ἁμαρτὼν τοῦ Ἀκράγαντος, *excidens spe Agrigenti occupandi.* Liuius lib. XXIV cap. XXXV *Adueniens Heracleam* [Marcellus] *intra paucos dies inde Agrigentum recipit.* Gentile Græcum nomen in nummis exstat ΑΚΡΙΓΑΝΤΙΝΩΝ: Latinum *Agrigentini* Ciceronis lib. II in Verr. de iurisd. Sicil. cap. L. *Agrigentini*, inquit, *de senatu cooptando Scipionis leges antiquas habent; in quibus & eadem illa sancta sunt, & hoc amplius: Quum Agrigentinorum duo genera sint, vnum veterum, alterum colonorum, quos T. Manlius prætor ex SC. de oppidis Siculorum deduxit Agrigentum; cautum est in Scipionis legibus, ne plures essent in senatu ex colonorum numero, quam ex vetere Agrigentinorum.* Oppidum in monte fuit: ad portum Ἀκραγαντίνων ἐμπόριον, Ptolemæo notante, hoc est *Emporium Agrigentinorum*: Strabo ἐπίνειον, *nauale* vocat. Ἀκράγας, inquit, καὶ τὸ ἐπίνειον. Desertum cum vrbe fuit, vt totum pæne illud latus, iam tum Strabonis ætate, vt vix ἔχῃ τινὰ σώζουσα τῶν ἀρχαίων κατοικιῶν, *vestigia quædam antiquorum oppidorum* supereſſent.

Camicus fluuius & oppidum inter Agrigentum & Heracleam; quondam Cocali regia. Strabo lib. VI pag. 188 καὶ τῶν βαρβαρικῶν ἐξελείφθησαν πολλαὶ, καθάπερ οἱ Καμικοὶ, τὸ Κωκάλου βασίλειον, παρ' ᾧ Μίνως δολοφονηθῆναι λέγεται, *Et ex barbaricis multa oppida desierunt, quemadmodum Camici, Cocali regia, iuxta quam Minos dicitur insidiis periisse.* Alii singulari numero. Diodorus lib. IV cap. LXXX ἐν τῷ Καμικῷ, vbi tractus ille totus circa Agrigentum videtur intelligi. Stephanus: Κάμικος, πόλις Σικελίας, ἐν ᾧ Κώκαλος ἦρχεν, *Camicus, oppidum Siciliæ, in quo Cocalus regnauit.* Herodotus lib. VII cap. CLXIX οἱ μὲν οὐ συνεπρήξαντο αὐτῷ

τεν

τὸν ἐν Καμίκῳ θάνατον γενόμενον, *illi quidem* [Cretenſes] *non vlti ſunt cædem eius* [Minois] *in Camico factam.* De amne Vibius in Fluminibus: *Camicos Siciliæ, ex quo vrbs Camicos diuidit Agrigentinos.*

Inde ex non magno interuallo eſt fluuius *Ἅλυκος, Halycus,* cuius mentio fit in Dionyſii & Carthaginienſium pacificatione, *τῆς Ἀκραγαντίνης μέχρι τῶ Ἀλύκου καλουμένου ποταμοῦ, pars Agrigentini agri vsque ad flumen Halycum.* Circa oſtium eius videtur *Heraclea* fuiſſe, cognominata *Minoa.* Liuius lib. XXIV cap. XXXV *Himilco ad Heracleam, quam vocant Minoam,* XXV *millia peditum,* III *equitum expoſuit.* Et Polybius lib. I cap. XXV *πρὸς Ἡράκλειαν τὴν Μινώαν.* Mela dicto loco *Acragas, Heraclea, Thermæ.* Cicero de Iurisdict. Sicil. cap. L *Idem fecit Heraclea.* Diodorus lib. XVI cap. IX de Dione tyrannum deiecturo, *κατέπλευσε τῆς Ἀκραγαντίνης εἰς τὴν ὀνομαζομένην Μινώαν, nauigauit* [ex Zacyntho] *Minoam, quæ vocatur, Agrigentini tractus.* Etiam Plutarchus p. 969 Dionem adpuliſſe tradit *κατὰ Μινώαν, apud Minoam.* Ita nunc oppidum *Heracleam* dicunt, nunc *Minoam:* nunc coniunctis nominibus *Heracleam Minoam.* Credebatur a Minoe Cretenſi condita, quum Dædalum perſequeretur, vt dicto loco Diodorus commemorauit.

Poſt amnes aliquot, in quibus forte *Isburus* Ptolemæi eſt, & *Allaua* ſiue *Allaba* Antonini; *Thermæ* ſunt. Mela II cap. VII *Inter Pachynum & Lilybæum Acragas eſt, & Heraclea, & Thermæ.* Plinius III cap. VIII *Fluuius Gelas, oppidum Acragas, quod Agrigentum noſtri dixere: Thermæ colonia.* Antoninus itinerario *Ad aquas* dixit: in Peutingeriana Tabula: *Aquæ Labodes,* Antonini itinerario *Larodes.* Et Strabo lib. VI pag. 189 *θερμῶν ὑδάτων ἀναβολὰς κατὰ πολλοὺς ἔχει τόπους ἡ νῆσος· ὧν τὰ μὲν Σελινούντια κατὰ Ἱμέραν ἁλμυρά ἐστι, Multæ ſunt aquæ calidæ in hac inſula, e quibus Selinuntiæ apud Himeram ſalſæ ſunt.* De Himera lis eſt, quam cum thermis Himeræis Ptolemæus in latere occidentali inter Lilybæum & Pelorum ponit, quem erroris Salmaſius in Solini cap. V pag. 89 incuſauit, fretus Melæ, Plinii, Strabonis auctoritate, qui nobiles Thermas, coloniam Romanam, in auſtrali latere ac prope Selinuntem, atque ibi etiam *κατὰ Ἱμέραν, iuxta Himeram,* veterem vrbem locauerint: de quibus plura in latere occidentali dicturi ſumus.

Proxime in hoc litore, a* sinistra amnis *Hypsa*, Ptolemæi *Pintiam*, Πιντίαν, quam ille inter *Mazara* & *Sossii* ostia constituit, Cluuerius putat reponendam esse, cui vel idem oppidum *Inycum*, Ἴνυκον Stephani esse & Pausaniæ Achaic. cap. IV; Herodoti Ἴνυξ, *Inyx* lib. VI cap. XXIV: quod quidam regiam Cocali fuisse a[illegible] tumant, quia Pausanias scripsit, *Dædalus* ἐς Ἴνυκον, Σικελῶν πόλιν, ἀφικνεῖται παρὰ Κώκαλον, *Inycum, quæ Siciliæ vrbs est, ad Cocalum* [regem] *venit*. Herodotus dicto loco, ἐκ τῆς Ἴνυκος: at cap. XXIII ἐς Ἴνυκον, quæ suspecta in vno auctore variatio est. Quo pacto autem cum Pintia Ptolemæi hoc Inycum cohæreat, non videmus: nec vero dubitamus in australi latere fuisse, quia in eo regnum Cocali fuit, & hospitium tam Dædali, quam Minois. Cur vero non ad *Camicum* reducitur, quod Strabo fecit τὸ Κωκάλου βασίλειον, *regiam sedem Cocali?* Vide quæ paullo ante de illo diximus.

Hypsa amnis, maximus in eo tractu, e montibus Panormitanis ortus, & *Crimisso* siue *Crimiso* auctus, prope Selinuntem in mare defluit, quod inter insulam & Africam intercedit. Plinius III cap. VIII *Hypsam* in fluminibus australis lateris numerauit. Selinuntem oppidum vel adluisse, vel proxime præterfluxisse, nummus antiquus probat inscriptus ΣΕΛΙΝΟΝΤΙΩΝ; ex altera parte ΥΨΑΣ, tamquam flumen illorum proprium. Quem defert fluuium, per dexteram ripam infusum, *Crimisus*, siue *Crimissus* est, iuxta quem Carthaginienses Timoleon vicit. Scribitur non vno modo. Holstenius ad Stephanum notationibus probavit formam *Crimissus*, quæ Lycophronis est versu 961. Cluuerius *Crimisus*, simplici littera, sequutus Dionysium Halicarnassensem, cuius lib. I pag. 41 est Κριμισὸς ἐν γῇ Σικανῶν. Ceteros scribendi modos adduximus Notis ad Nepotis Timoleontem. Vt vero Plutarchus Timoleontis expeditionem & ad Crimissum victoriam descripsit, inter Agrigentum & Lilybæum illæ res gestæ sunt, rapto exercitu ab Syracusis ὁδὸν ἡμερῶν ὀκτὼ, id est, ferme *octo dierum via*, vt refragantes Timoleonti obiiciebant. Quod si est, non alium fluuium, quam antea delineatum, *Crimissum*, Plutarchi Κρίμησον, *Crimesum*, fuisse cum Cluuerio censemus, nec cum iis conuenire possumus, qui Crimissum in Segestanum sinum deriuant. Idem videtur esse qui *Crinisus* dictus Virgilio lib. V vers. 38

Troia

Troïa Crimiso conceptum flumine mater
Quem genuit.

Plinius post Hypsæ mentionem subiungit proxime: *Selinus oppidum.* Stephani breuiator: Σελινοῦς, πόλις Σικελίας, ἀρσενικῶς καὶ θηλυκῶς λεγομένη, *Selinûs, vrbs Siciliæ, masculine & feminine dicta.* Sita vltra Mazaram a Lilybæo. Diodorus lib. XIII cap. LIV Αννίβας ἀνέζευξεν ἀπὸ τοῦ Λιλυβαίου τὴν πορείαν ποιούμενος ἐπὶ Σελινοῦντος. ὡς δ' ἐπὶ τὸν Μαζάραν ποταμὸν παρεγενήθη, τὸ μὲν παρ' αὐτὸν ἐμπόριον κείμενον εἷλεν ἐξ ἐφόδου, *Hannibal castra ex Lilybæo mouens aduersus Selinuntem proficiscitur. Quum ad Mazaram fluuium venit, situm ibi emporium in transitu cepit.* Condita ab Syracusanis est, qui Πάμμιλον πέμψαντες ἐς Σελινοῦντα κτίζουσι, vt Thucydides lib. VI pag. 412 tradidit. Magnitudinem vrbis reliqua vestigia ostendunt a Thoma Fazello Dec. I lib. VI cap. IV descripta. Virgilio Aen. III vers. 705 a prouentu palmarum cognominata,

Teque datis linquo ventis, palmosa Selinûs.

Et Silius Italicus lib. XIV vers. 200

- - - *nectareis vocat ad certamen Hymetton*
Audax Hybla fauis, palmæque arbusta Selinûs.

Oppidani Σελινούντιοι, *Selinuntii*, Thucydides lib. VII pag. 526, Diodorus lib. XIII cap. LIV: addit Stephanus etiam Σελινούσιοι.

Ab occasu adluit fluuius eiusdem nominis, cuius vrbs est. Vibius Sequester: *Selinus Messaniorum, a quo ciuitas Selinus dicta, quod apium ibi plurimum nascitur.* Corrupta vox *Messaniorum*, vt Simlerus; vel *Messaliorum*, vt Aldus edidit. Fortasse *Sicanorum* genuina scriptura est. Stephanus in Ακράγας ex veteri scriptore adfert, plerasque vrbes Siciliæ a fluminibus præterlabentibus nuncupari, in quarum numero etiam Σελινοῦντα, *Selinuntem* posuit. Ptolemæus: Σελινοῦντος ποταμοῦ ἐκβολαί, *Selinuntis fluuii ostia.* Videtur Antonini *Lanarium* flumen esse, quod mauult Cluuerius *Apiarium* legi, ab copia σελίνου, *apii*, in illo loco.

Mazara Ptolemæo & Plinio fluuius: etiam Diodoro lib. XIII cap. LIV, verbis paullo ante adlatis, qui *emporium* eidem adpositum fuisse dicit. Addit Byzantius castellum. Μαζάρη, inquit, φρούριον Σελινουντίων, *Mazara, castellum Selinuntiorum.* Hodie vrbs clara in illo loco, sed, quod Fazellus obseruauit, sine vllo mo-

monimento antiquitatis : vetus tamen loci nomen & ipſa conſeruat ac tuetur. Et hæc in latere Africam verſus ſito, a Pachyno ad Lilybæum.

Supereſt ora tertii lateris, quod δυτικὴν πλευρὰν, *occidentale latus* Ptolemæus vocat. A Lilybæo decurrit ad vsque Pelorum promontorium. Lilybæum promontorium eſt cum oppido & portu eiusdem adpellationis. Iterum Ptolemæus lib. III cap. IV Λιλύβαιον πόλις καὶ ἄκρα, *Lilybæum, vrbs & promontorium.* Vtrumque Polybius lib. I cap. XLII deſcripſit. Illud, inquit, ἐπίκειται τοῖς Καρχηδόνος ἀκρωτηρίοις εὐκαίρως διέχον ὡς χιλίους σταδίους, *commode ſitum aduerſus promontoria, quæ apud Carthaginem ſunt, mille ſtadiis ab iis diſtans.* De vrbe autem & portu ita : ἐπὶ τούτῳ πόλις ὁμώνυμος κεῖται τῷ τόπῳ, τείχεσι δὲ διαφερόντως ἠσφαλισμένη, καὶ πέριξ τάφρῳ βαθείᾳ καὶ τενάγεσιν ἐκ θαλάττης, δι' ὧν ἐστὶν εἰς τοὺς λιμένας εἴσπλους, *In eo loco vrbs eiusdem nominis poſita, muris & præalta foſſa, & aquis e mari refluis munita, per quas in portus nauigari poteſt.* Adde Liuium lib. XXI cap. XLIX. Amplitudo vrbis probatur numero præſidiariorum militum, præter ciuium multitudinem, εἰς μυρίους, *ad decem millia.* Qui incolebant, dicti *Lilybætani.* Aſconius Pedianus in Diuinat. Verrinam : *A duobus quæſtoribus Sicilia regi ſolet, vno Lilybætano, altero Syracuſano : ipſe vero* [Cicero] *Lilybætanus quæſtor fuit Sex. Peduceo prætore.* Quos Sponius exſcripſit lapides, *Lilybitanus* referunt. Pag. 184 Miſc. Er. Antiq. ita legitur IMAGINEM GENII MVNICIPI LILYBITANOR. EX ARG. P. Et alio : POPVLVS LILYBITANVS. Itidem alio : DEC. SPL. COL. AVG. LILYB. nam colonia etiam ab Auguſto Lilybæum fuit deducta.

A Lilybæo proximum oppidum eſt *Motye*, Phœnicum κτίσμα. Thucydides lib. VI poſt initium de Phœnicibus dicit, habitaſſe per totam ferme Siciliam : Græcis vero aduenientibus plurima deſeruiſſe, Μοτύην καὶ Σολόεντα καὶ Πάνορμον συνοικίσαντες ἐνέμοντο, *Motyam, Soloëntem & Panormum condidiſſe.* Et Diodorus lib. XIII cap. LXXXVIII ἐκ Πανόρμου καὶ Μοτύης. Et Pauſanias Eliac. I cap. XXV Ἔστι κατὰ τὴν ἄκραν ἐν Σικελίᾳ τὴν τετραμμένην ἐπὶ Λιβύης καὶ νότου, καλουμένην δὲ Πάχυνον, Μοτύη πόλις. οἰκοῦσι δὲ Λίβυες ἐπ' αὐτῇ καὶ Φοίνικες. *Eſt prope promontorium Siciliæ, in auſtrum & Africam conuerſum, quod Pachynum vocant* (Lilybæum voluit ſcribere) *Motye*

tye oppidum: id Afri & Phœnices inhabitant. Oppidani Μοτυηνοὶ, *Motyeni*, apud Diodorum XIII cap. LXIII. Et alia forma Polyænus lib. V Strateg. cap. II n. 6 τὸ στόμα τοῦ λιμένος τοῦ Μοτυαίων, *ostium portus Motyaorum:* quibus proxime additum ἀπὸ τῆς Μοτύης, *a Motya;* ne dubites cuius oppidi illud gentile sit, quod etiam Dionysii & Himilconis bellum, ibidem descriptum, probat.

Inde venitur ad Ptolemæi ἄκραν Αἰγίθαρσον, *promontorium Aegitharsum*, quod Αἰγίθαλλον Diodoro est eclog. lib. XXIII, Zonaræ Tom. II p. 63 Αἰγίθαλον litera simplici. Ex quo loco adparet, castellum habuisse eiusdem nominis. Ab hoc prope abest oppidum *Drepanum*, Ptolemæi Δρέπανον, & Polybii lib. I cap. XLVI Δρέπανον: at cap. XLI & LV τὰ Δρέπανα pluratiuo numero. Et Tabula *Drepanis*, eadem forma numeri. Anchises heic exstinctus est, ideo Aen. III vers. 707 sub Aeneæ persona Virgilius:

Hinc Drepani me portus, & illætabilis ora Accipit.

Gentile *Drepanitani.* Cic. in Verr. de iurisd. Sicil. cap. LVII *pupillus Drepanitanus.*

Eryx, ὁ Ἔρυξ, mons & oppidum munitum cum Veneris templo, quæ inde *Erycina* cognominatur. Solinus: *Eminet* [Sicilia] *montibus Aetna & Eryce. Vulcano Aetna sacer est: Eryx Veneri.* Polybius lib. I cap. LV ὁ Ἔρυξ ἐστὶ μὲν ὄρος παρὰ θάλατταν τῆς Σικελίας ἐν τῇ παρὰ τὴν Ἰταλίαν κειμένῃ πλευρᾷ, μεταξὺ Δρεπάνων καὶ Πανόρμου, *Eryx est mons ad mare Siciliæ, quod Italiam spectat, inter Drepana & Panormum.* Addit esse altissimum Siciliæ, Aetna excepto: in vertice (ἐπὶ τῆς κορυφῆς) templum Veneris existere, siue cum cognomine inde petito, τὸ τῆς Ἀφροδίτης τῆς Ἐρυκίνης ἱερόν. Vrbs Eryx sub ipsum verticem (ὑπ' αὐτὴν τὴν κορυφὴν) posita erat, ad quam difficili vndique via adscendebatur. Strabonis æuo & vrbis frequentia, & cultus templi illius defecerat, postquam Romani, vt ipse lib. VI p. 188 refert, ædem Veneris Erycinæ, bello Punico II votam, extra Collinam portam dedicauerant. Adde Liuium lib. XXII cap. IX. Vt breuius dicam, montem Virgilius XII vers. 701 cum Atho & Apennino comparat: *Quantus Athos, aut quantus Eryx*, reliqua; de templo Aeneid. V. vers. 759

Tum vicina astris Erycino in vertice sedes
Fundatur Veneri Idalia,

ſcilicet ab Aenea: de oppido & munimentis Liuius lib. XXVIII cap. XLI Fabii oratione aduerſus Scipionem: *Ab Drepano atque Eryce detraxiſſe Hamilcarem, quam Italia expuliſſe Pœnos atque Hannibalem malis?*

Ad ſinum qui ſequitur, obſcuriora ſunt *Cetaria* Ptolemæi, *Aquæ Perticianenſes* Antonini, quæ numeris differunt ab *Aquis Segeſtanis*, alio itinere nominatis, vicinis tamen, quia vtræque, ſi diuerſæ ſunt, inter Drepanum ſunt & Parthenicum: clarius eſt *Segeſtanorum emporium*, ἐμπόριον Σεγεστάνων, vt Ptolemæus vocat; ſiue vt Strabo, Αἰγεστέων ἐμπορεῖον, lib. VI pag. 184. Ipſa autem vrbs *Aegeſta* ſiue *Segeſta*, quamuis paullo intus ſita, tamen ad oram refertur, quia etiam Thucydides & Diodorus, quorum verba poſt paullo in *Hyccaris* proferemus, ad eam nauigatum eſſe tradiderunt. Antiquum nomen *Aegeſta*, ab Aegeſto Troiano inditum, qui inter conditores creditur fuiſſe. Strabo lib. VI poſt initium ex Apollodoro: σταλέντες εἰς Σικελίαν περὶ Ἔρυκα μετὰ Αἰγέστου τοῦ Τρωὸς, Αἰγέσταν τειχίσαι, *miſſi* [a Philoctета] *in Siciliam ad Erycem cum Aegeſto Troiano, Aegeſtam muniiſſe.* Eodem libro VI pag. 188 Αἰγέσταν κτισθῆναί φασιν ὑπὸ τῶν μετὰ Φιλοκτήτου, - - - παρ' αὐτοῦ σταλέντων εἰς τὴν Σικελίαν μετὰ Αἰγέστου τοῦ Τρωός. *Aegeſtam conditam ferunt ab iis, qui ab Philoctета* [ex Italia] *in Siciliam miſſi ſunt cum Aegeſto Troiano.* Thucydides ſine diphthongo ſcripſit lib. VI ſub initium: πόλεις αὐτῶν Ἔρυξ καὶ Ἔγεστα, *vrbes illorum Eryx & Egeſta:* & pag. 414 eodem libro, ἐς τὴν Ἔγεσταν. vnde ibidem oppidani ſunt οἱ Ἐγεσταῖοι. Eadem vrbs poſtea, præſertim ab Romanis, dicta *Segeſta.* Pompeius Feſtus in SEGESTA: *Segeſta quæ nunc adpellatur, oppidum in Sicilia eſt, quod videtur Aeneas condidiſſe, prapoſito ibi Egeſto, qui eam Egeſtam nominauit. Sed prapoſita eſt ei littera, ne obſceno nomine adpellaretur, vt factum eſt in Maleuento, quod Beneuentum dictum eſt, & in Epidamno, quod vſurparunt Dyrrachium.* Cicero Verrina IV de Signis cap. XXXIII *Segeſta eſt oppidum peruetus in Sicilia, quod ab Aenea fugiente a Troia, atque in hæc loca veniente, conditum eſſe demonſtrant. Itaque Segeſtani non ſolum perpetua ſocietate atque amicitia, verum etiam cognatione ſe cum populo Romano coniunctos eſſe arbitrantur.* Etiam

Pto-

Ptolemæus Σεγέςα. Eadem est Virgilii *Acesta* Aen. v. vers. 718

Vrbem adpellabunt permisso nomine Acestam.

Seruius ibi: PERMISSO NOMINE: *ab Aceste scilicet. Dicta autem Acesta, Segesta.*

Eam præterfluit amnis, qui supra vrbem alium excepit, & coniuncti in sinum effunduntur. Troiana nomina *Scamandri* & *Simoëntis* Aeneas illis imposuisse fertur. Strabo lib. XIII pag. 418 de Aenea: οἱ δ' εἰς Αἰγέςαν καταρᾶραι τῆς Σικελίας σὺν Ἐλύμνῳ Τρωὶ, καὶ Ἔρυκα, καὶ Λιλύβαιον καταχεῖν, καὶ ποταμὺς περὶ Αἰγέςαν προσαγορεῦσαι Σκάμανδρον καὶ Σιμόεντα, *Quidam tradunt illum ad Aegestam Siciliæ cum Elymno Troe traiecisse, & occupasse Erycem ac Lilybaeum: fluviosque circa Aegestam denominasse Scamandrum & Simoentem.* Illorum dexter, & dextræ alterius ripæ adlabens, Σιμόεις, *Simois* est: alter Σκάμανδρος, *Scamander.* Hæsisse nomina, ex Diodori lib. XX cap. LXXII constat, vbi Agathocles Aegestanos vrbe eductos παρὰ τὸν Σκάμανδρον ποταμὸν ἀπέσφαξε, *iuxta Scamandrum fluuium mactauit.* Aelianus Var. Hist. lib. II cap. XXXIII de fluuiorum imaginibus: Αἰγεςαῖοι τὸν Πόρπακα, καὶ τὸν Κριμισσὸν, καὶ τὸν Τελμισσὸν ἀνδρῶν εἴδει τιμῶσιν, *Aegestani Porpacem, & Crimissum, & Telmissum virili specie colunt.* De Crimisso supra diximus, non parum ab Aegesta remoto. *Porpacem* ignoramus: de *Telmisso* longum foret Cluuerii coniecturam repetere.

Vltra Scamandri ostia in eumdem sinum inlabitur *Bathys* fluvius, Βαθέος ποταμῦ ἐκβολαὶ Ptolemæi: & post hunc & alium, in ora *Parthenicum* Antonini, oppidum: & post hoc *Hyccara*, plurale, siue *Hyccaron*, oppidulum. Breuiator Stephani: Ὕκκαρον πόλις Σικελίας, *Hyccarum, oppidum Siciliæ*, ex Philisto: at ex Apollodoro idem τὰ Ὕκκαρα, quæ forma etiam Thucydidis & Diodori est. Ille lib. VI pag. 453 ἐν τῷ παράπλῳ αἱρῦσιν Ὕκκαρα, πόλισμα Σικανικὸν, *praeternavigantes capiunt Hyccara, Sicanorum oppidum.* Et mox: ἐξ Ὑκκάρων ἐπὶ Ἐγέςης παραπλεύσας, *ex Hyccaris Egestam delatus:* hic (Diodorus) lib. XIII cap. VI παραπλεύσαντες ἐς Αἰγέςαν, Ὕκκαρα, Σικελικὸν πολισμάτιον ἑλόντες, *nauigantes Aegestam, Hyccara, Siculorum oppidulum, capiunt.* Plutarchus quoque in Nicia & Alcibiade pluraliter id oppidum nominauit.

Ex interuallo, prope Panormum, est mons *Ercta*, & in eo eiusdem nominis castellum. Diodorus ecloga libri XXII τῶν

Ερκτῶν ὀχύρωμα, *Erctorum munimentum*: & lib. XXIII πολιορκήσαντες Ρωμαῖοι Ερκτὴν φρούριον - - - ἑλεῖν οὐκ ἴσχυσαν, *Romani, castellum Ercttam obsidentes, capere non potuerunt.* Polybius Εἱρκτὴν vocat diphthongo. Lib. I cap. LVI Αποπλέων ἐντεῦθεν κατῆρε παντὶ τῷ στόλῳ πρὸς τὴν Πανορμῖτιν, καὶ καταλαμβάνει τὸν ἐπὶ τῆς Εἱρκτῆς λεγόμενον τόπον, ὃς κεῖται μὲν Ερυκος καὶ Πανόρμου μεταξὺ πρὸς θαλάττῃ, *Inde nauigans in Panormitanos fines cum tota classe venit, ibique locum occupauit dictum Super Eirctam, situm inter Erycem atque Panormum.*

Panormus autem, nunc Palermo, a portus commoditate nomen habet. Antiqua vrbs, quam Phœnices dicuntur *condidisse*, vt supra ex Thucydidis lib. VI in *Motya* prædictum fuit. Polybius lib. I cap. XXXVIII Consules καταίραντες εἰς Πάνορμον τῆς Σικελίας τριακοσίαις ναυσὶν, ἥπερ ἦν βαρυτάτη πόλις τῆς τῶν Καρχηδονίων ἐπαρχίας, classe nauium CCC Panormum in Sicilia adpellunt, *quæ erat præcipua ex illis, quas Carthaginienses* [in Sicilia] *possidebant.* Mela II cap. VII *Inter Lilybæum & Pelorida Panormus & Himera.* Cicero de Iurisd. Sicil. cap. XXVI *alia iudicia Panormi restituta sunt.* Et Liuius lib. XXIV cap. XXXVI *triginta quinqueremes Legionem primam Panormi exposuere.* Silius lib. XIV vers. 262

Tergemino venit numero fecunda Panormos.

Colonia Romana facta. Strabo lib. VI pag. 188 Πάνορμος Ρωμαίων ἔχει κατοικίαν, *Panormus habet Romanam coloniam.* Et vetusto lapide, quem Sponius p. 176 exscripsit, COL. AVG. PANHORM. & alio PATRONO COL. PANHORMIT. qui lapides quatuor adiecit, quibus est RESP. PANHORM. & RESP. PANHORMITANORVM. Nam sæpe veteres, etiam Plinius, *Panhormus* cum adspiratione scripserunt, vt spiritus in ὅρμος exprimeretur. At nummi Parutæ & Vaillantii, Latine inscripti, PANORMITANORVM: alii Græce ΠΑΝΟΡΜΙΤΑΝ.

Orethus fluuius ab ortu vrbis Panormi. Vibius Sequester de Fluminibus: *Orethus Panhormi Siciliæ.* Polybius lib. I cap. XL τὸν πρὸ τῆς πόλεως ποταμὸν, *flumen quod ante vrbem est*, dixit. Post Orethum breui interuallo decurrit amnis *Eleutherus*, Ἐλεύθερος Ptolemæi: deinde in peninsula *Solois*, Σολόεις; siue *Solûs*, Σο-

Σολῦς Græce; siue *Soluntum*, Latina formatione. Thucydides lib. VI sub initium: Μοτύην, καὶ Σολόεντα, καὶ Πάνορμον συνοικίσαντες, *Motyen, & Soloentem, & Panormum* [Phœnices] *condiderunt*; quod ab recto Σολόεις est: altera forma est Plinii III cap. VIII *Oppida, Panhormum, Solûs, Himera cum fluuio.* vnde obliquum formauit Diodorus lib. XIV cap. LXXIX παρέλαβον διὰ προδοσίας Κεφαλοίδιον, καὶ Σολοῦντα, καὶ τὴν Ἔνναν, *proditione Cephalœdium ceperunt, & Soluntem, & Ennam.* Tertia forma *Soluntum*, est Tabulæ itinerariæ & Antonini: quæ hodieque in vulgari *Solanto*, vna prauata littera, tenetur. Nummus Parutæ ΣΟΛΟΝΤΙΝΩΝ: Ciceroni autem cap. XLIII Frumentariæ, oppidani sunt *Solentini*, quod ex *Soloëntini* vel prauatum est, vel veteri more contractum.

Himera, Ἱμέρα, ad sinistram fluuii *Himeræ*, vrbs quondam insignis, a Pœnis postea deleta. Exscidium descripsit Diodorus lib. XIII cap. LXII, quam hanc Himeram septemtrionalem esse, ex cap. LXI clarum est, quia triremes inde Syracusas ituræ, præter Messanam vehi necesse habuerunt. Opus Zanclæorum fuit: ideo obsidionem timentes Zanclam suos asportarunt, vt Diodorus XIII cap. LXI narrauit. Thucydides lib. VI pag. 413 Ἱμέρα ἀπὸ Ζάγκλης ᾠκίσθη, *Himera est a Zanclæis condita.* Scylax autem Ἑλληνίδα, *Græcam ciuitatem* dixit. Ἀπὸ δὲ Λιλυβαίου πόλις ἐστὶν Ἑλληνὶς Ἱμέρα, *A Lilybæo* [ad Pelorum versus] *Græca vrbs est Himera.* Scilicet multis locis cum Sicanis vel Siculis Græci aduenæ permisti fuerunt: quin & ipsa Zancle, postquam Messenios recepit, Græca facta vrbs est. Mela dicto loco: *Inter Lilybæum & Pelorida Panormus & Himera:* tamquam solæ vrbes clariores. Et Plinius lib. III cap. VIII *Oppida, Panhormum, Solûs, Himera cum fluuio.* Cicero in Verr. lib. II de Iurisdictione: *Oppidum Himeram Carthaginienses quondam ceperant; quod fuerat in primis Siciliæ clarum.* Adde reliqua, quæ mox in *Thermis* proferemus. Plinius & Mela, si de suo æuo loquuntur, restitutam trans flumen vrbem apud Thermas intelligunt.

Thermæ Himerenses trans flumen erant Himeram. Ptolemæus Θερμαὶ Ἱμεραῖαι, πόλις, *Thermæ Himeræ, oppidum.* quamquam is perperam citra flumen posuit, quum etiamnum sint vltra illum. Pindarus Olymp. XII sub finem, θερμὰ νυμφᾶν λουτρὰ, *calida nympharum balnea:* addit scholiastes, ἐν Ἱμέρᾳ, quia Ergo-

teli Himeræo illa oda dicata est. Nummus Parutæ ΘΕΡΜΙΤΑΝ, quem australi Himeræ Harduinus tribuit; nihil obstat autem, quo minus de nostra intelligamus. Vrbis originem Cicero dicta Verrina de Iurisdict. cap. XXXV prodidit: *Himera deleta, quos ciues belli calamitas reliquos fecerat, ii se se Thermis collocarunt in eiusdem agri finibus, neque longe ab oppido antiquo.* A Pœnis autem deleta fuerat, vt supra in Himera vetere, auctore Diodoro, notauimus. Tabula & Antoninus absolute *Therma*: vti nunc quoque vrbs *Termini* vocitatur. Colonia Romana sub Augusto facta. Inscriptio apud Grut. p. 433 n. 6 ORDO ET POPVLVS SPLENDIDISSIMAE COL. AVG. HIMERAEORVM THERMIT. Ex Cl. Marii Aretii Chorographia Siciliæ sumsit, qui in vrbe Termini, a thermis, quas habet, dicta, Tyrrhenoque mari adposita, inscriptionem hanc exstare ipse cum Siculus, tum αὐτόπτης testatur. Non ergo dubitandum est, Thermas superas ad Tyrrhenum mare coloniam fuisse Romanam.

Cephalœdis, siue *Cephalœdium*, nunc Cefalu, subsequitur, Ptolemæi Κεφαλοιδὶς, Plinii *Cephalœdis*: Strabonis Κεφαλοίδιον, quam formam & Diodorus lib. XIV cap. LXXIX adhibuit. Παρέλαβον, inquit, διὰ προδοσίας Κεφαλοίδιον καὶ Σολοῦντα, *Ceperunt proditione Cephalœdium & Soluntem.* Cicero, si libri recte habent, sine diphthongo scripsit, Actionis in Verrem lib. II cap. LII *Cephaledi*, inquit, *mensis est certus, quo mense sacerdotem maximum creari oporteat.* Et post paullo ciues vocat *Cephaleditanos*. Hinc Græcum nomen, quod denominet, ductum Silio lib. XIV. vers. 253

- - *procelloso Cephalœdias ora profundo.*

Interiecto *Monalo* fluuio (Μονάλου ἐκβολαὶ Ptolemæo sunt) sequitur *Halesa*, siue *Alæsa*, oppidum. Straboni & Ptolemæo est Ἄλαισα, *Alæsa*. Cicero sine diphthongo, dicto loco cap. VII *statim Messana litteras Halesam mittit.* Diodorus ibidem cap. XVII Ἄλεσα, medio correpta. At produxit Silius lib. XIV vers. 219

Venit ab amne trahens nomen Gela: venit Halesa.

Gentile *Halesinus*. Cicero Frumentaria cap. LXXIII *ciuitas Halesina*; item, *in senatu Halesino*. Adluitur flumine *Alæso* siue *Haleso*. Tabula Messanensi apud Gruter. pag. 212 ΤΟΙΣ ΠΑΡΑ ΤΟΝ ἍΛΑΙΣΟΝ: & mox, ΑΠΟ ΤΟΥ ΡΟΟΥ ΤΟΥ ΑΛΑΙΣΟΥ. Et Columella lib. X vers. 268

Et

Et quæ Sicanii flores legiſtis Haleſi.

Fons Haleſini agri admirandus, de quo Solinus cap. V *In Haleſina regione fons, alias quietus & tranquillus quum ſiletur; ſi inſonent tibiæ, exſultabundus ad cantus eleuatur, & quaſi miretur vocis dulcedinem, vltra margines intumeſcit.* Silent veteres de hoc fonte; idcirco dubitando. Solus Priſcianus in Periegeſi repetiit verſ.500

Hic & Haleſinus fons eſt mitiſſimus vndis
Tibi quem extollit cantu ſaltare putatur
Muſicus & ripis lætans excurrere plenis.

Poſt Haleſam eſt *Calacta* ſiue *Calacte.* Cicero Frumentar. cap. XLIII *Calactinis quamobrem imperaſti anno tertio, vt decumas agri ſui, quas Calactæ dare conſueuerant, Ameſtrati M. Cæſio decumano darent.* Meminit & Antoninus itinere a Lilybæo Tyndaridem hoc ordine: *Cephalœdim, Aleſam, Calactam.* Silius ad originem vocis reſpiciens lib. XIV verſ. 252

- - - *litus piſcoſa Calacte.*

nam eſt καλὴ ἀκτὴ, *bonum litus,* vt Græci diuiſe ſcribunt. Herodotus lib. VI cap. XXIII Καλὴν μὲν ἀκτὴν ἐᾶν χαίρειν, τὴν δὲ Ζάγκλην ἔχειν, *Pulchro litore valere iuſſo, Zanclen occupent.* Et Diodorus Siculus lib. XII cap. VIII κτίσαι τὴν Καλὴν ἀκτὴν ἐν Σικελίᾳ, *condere Calen Acten in Sicilia:* & mox, ἦτος περὶ τὸν οἰκισμὸν τῆς Καλῆς ἀκτῆς ἐγίνετο, *is coloniæ in Pulchro litore intentus erat.* Gentile, *Calactinus,* vt ſupra Ciceronis Verrina vidimus.

Aluntium inde proximum eſt in litore, Ptolemæi Ἀλόντιον. Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. I pag. 41 ἐν Ἀλοντίῳ τῆς Σικελίας. Plinius lib. III cap. VIII *Himera cum fluuio: Cephalœdis, Aluntium, Agathyrnum.* Scribitur etiam *Haluntium* cum adſpiratione. Cicero Verr. de Signis cap. XXIII *Quum ad Haluntium veniſſet prætor laborioſus & diligens, ipſe in oppidum accedere noluit, quod erat difficili adſcenſu atque arduo: Archagathum Haluntinum, hominem non ſolum domi ſuæ, ſed tota Sicilia in primis nobilem, vocari iuſſit.* Ex quo ſitum oppidi montanum ſimul intelligimus. Præfluit *Chydas* fluuius. Ptolemæus, Χύδα ποταμοῦ ἐκβολαί, *Chydæ fluuii oſtia.*

Poſt aliud flumen, eſt oppidum *Agathyrna* ſiue *Agathyrnum.* Plinius dicto loco *Agathyrnum:* corrupte Græci, Ptolemæus Ἀγαθύ-

θύριον, Strabo p. 184 Ἀγάθυρσον. At Stephanus Ἀγάθυρνα, quæ forma, *Agathyrna*, Latinis ceteris placuit. Liuius lib. XXVI cap. XL *ab Agathyrna incondit am multitudinem secum in Italiam transuexit.* Silius Italicus lib. XIV vers. 260

Mille Agathyrna dedit, perflataque Strongylos austris.

Flumen deinde *Timethum*, Τίμηθον Ptolemæus posuit: & ex interuallo *Tyndarium*, Τυνδάριον, oppidum, quod amnis *Helicon* adluit. Idem, Ἑλίκωνος ποταμοῦ ἐκβολαί, *Heliconis fluminis ostia*. Ptolemæus, vt dixi, *Tyndarium*: ceteri *Tyndarin* siue *Tyndaridem* oppidum nominauerunt. Plinius III cap. VIII *Tyndaris colonia.* Strabo lib. VI pag. 188 Ἄλαισα καὶ Τυνδαρίς, *Alæsa & Tyndaris.* Diodorus lib. XIV cap. LXXIX de Messanensibus, quibus hunc locum Dionysius tribuerat: ὠνόμασαν Τυνδαρίδα, *nominarunt Tyndaridem.* Antonius ab Agathyrna XXVIIII millibus reduxit.

Inter Tyndaridem & Mylas *Longanus* amnis. Polybius lib. I cap. IX ἐν τῷ Μυλαίῳ πεδίῳ περὶ τὸν Λογγανὸν καλούμενον ποταμόν, *in Mylæo agro, propter amnem, quem Longanum dicunt.* Deinde oppidum est *Mylæ*, hodie Milazzo. Plinius lib. III cap. VIII *Tyndaris colonia: oppidum Mylæ, &, vnde cœpimus, Pelorus.* Strabo lib. VI p. 184 ἐκ Πελωριάδος εἰς Μύλας κε΄. *a Peloro ad Mylas millia passuum* XXV. Scylax Periplo: πόλις Ἑλληνὶς Μύλαι, καὶ λιμήν, *Mylæ, oppidum Græcum & portus.* Et Ptolemæus Μύλαι. Memoratur ciuili Sex. Pompeii bello. Velleius lib. II cap. LXXIX *apud Mylas ductu Agrippæ pugnatum prospere.* Et Suetonius Aug. cap. XVI de eodem prœlio: *Pompeium inter Mylas & Naulochum superauit.* Solus Silius singulari numero, nisi describentium error est, lib. XIV vers. 203

Subsidium infidum fugientibus æquora, Myle.

Antequam inde Naulochum veniebatur, *Fanum Dianæ Fascelinæ* erat, siue *Facelinæ.* Silius lib. XIV vers. 261

Mille Thoanteæ sedes Fascelina diuæ.

Seruius ad Aeneid. II vers. 116 ad verba, *Sanguine placastis ventos*, interpretatur ita, vt a *fasce* lignorum deducat, quo Dianæ Tauricæ simulacrum absconditum Ariciam, quæ in Italia est, Orestes portasset. Pomponius Sabinus ad eumdem locum, extrita

S. lit-

S littera, a *face* nomen ducit, Lucilii ad id versu vsus, quo & quantitas penultimæ mutata:

- - - - *Facelina templa Dianæ.*

nisi legendum *Fascelina templa.* Nec vero ignorat, secundum alios a *fascibus* esse, indeque Dianam *Fascelitim* cognominari. Locum Appianus Ciuil. lib. V pag. 1167 Ἀρτεμίσιον, πολίχνην βραχυτάτην, *Artemisium*, *perexiguum oppidulum.* Præterfluit *Melas* fluuius, qui & *Phacelinus* siue *Facilinus* inde dictus est. Vibius Sequester de Fluminibus: *Phacelinus* (vel *Phascelinus*: nam prave *Phathelinus* editum est) *Siciliæ iuxta Peloridem*, *confinis templo Dianæ.* Alterum nomen est ex Ouidii Fastorum lib. IV verf. 486

Sacrorumque Melan pascua læta boum.

quia Solis boues ibi stabulari fingebantur. Appianus dicto loco de oppidulo Dianæ: ἐν ᾗ (πολίχνῃ) φασὶ τὰς ἡλίȣ βοῦς γενέσθαι, *in quo aiunt Solis boues fuisse.* Plinius lib. II cap. XCVIII *Circa Messanam & Mylas fimo similia exspuuntur in litus purgamenta: vnde fabula, Solis boues ibi stabulari.*

Inde Pelorum versus est *Naulochus*, statio nauium cum oppidulo. Suetonius Aug. cap. XVI *inter Mylas & Naulochum.* Vide supra *Mylas.* Multitudinis numero Appianus dicto loco: Μύλας δ' ἔτι, καὶ τὰ ἐκ Μυλῶν ἐπί τε Ναυλόχȣς καὶ Πελωριάδα, καὶ τὰ παράλια ἅπαντα φρȣρὰι Πομπηΐȣ κατεῖχον, *Mylas, & inde ad Naulochos & Pelorum omnem oram Pompeius præsidiis tenebat.* Sic enim legendum, non ναυάρχους, eruditorum est sententia. Etiam Silius pluraliter, sed alio genere, lib. XIV verf. 265

Non Herbesos iners, non Naulocha pigra pericli
Sederunt.

MEDITERRANEA SICILIAE.

Supra fontes amnis Facelini siue Μέλανος, *Noæ* fuerunt Phil. Cluuerii coniectura, quia ibi oppidum cognati nominis *Noara* superest. Stephanus: Νέαι. τὸ ἐθνικὸν Νοαῖος. ἔστι δὲ πόλις Σικελίας. Inde Plinius lib. III cap. VIII denominauit *Noænos.* Suidas quoque: Νόαι, πόλις Σικελίας, ἧς ὁ πολίτης Νοαῖος, *Noa, oppidum Siciliæ, cuius ciuis Noæus dicitur.* Diodorus Siculus lib. XI cap. LXXXVII Νέας corrupte dixit: lege Νόας emendante Palmerio p. 110. De Ducetio rege ait: τὰς μὲν Νόας, ἥτις ἦν αὐτȣ̃

πατρὶς, μετῴκισεν εἰς τὸ πεδίον, *oppidum Noas, patriam suam, transtulit in campum.*

Inde in austrum recedit mons *Aetna*, incendiis suis notissimus. Pomp. Mela lib. II cap. VII *Præcipui montium Eryx - - & Aetna, quæ Cyclopas olim tulit, nunc assiduis ignibus flagrat.* nam & femineo genere hoc montis nomen effertur. Virgilius lib. III Aen. verſ. 579

- - - ingentemque insuper Aetnam
Inpositam, ruptis flammam exspirare caminis.

Plinius lib. III cap. VIII *Mons Aetna nocturnis mirus incendiis. Crater eius patet ambitu stadia* XX. Iterum Virgilius dicto libro, verſ. 571

- - horrificis iuxta tonat Aetna ruinis.

Altissimus insulæ, adeo, vt niues & glaciem in vertice fere semper teneat, etiam quum maxime furit & ardet. Silius lib. XIV verſ. 67

Summo cana iugo cohibet (mirabile dictu)
Vicinam flammis glaciem, æternoque rigore
Ardentes horrent scopuli: stat vertice celsi
Collis hiems, calidaque niuem tegit atra fauilla.

Circumcolitur in radicibus lateribusque propter eximiam fertilitatem. Oppida adiacent, a septemtrione *Tissa*, iuxta Onobalam amnem. Situs eius ex Ptolemæi est numeris, alioquin incertus. Is autem Τίσσα scripsit: Stephanus Τίσσαι plurali numero. Τίσσαι, inquit, χωρίον Σικελίας. Silius ex Ionico Τίσση formauit *Tisse*, lib. XIV verſ. 268

- - - & paruo nomine Tisse.

Creditur Randazzo esse. Gentile *Tissenses*, non Tissinenses, vt apud Plinium syllaba redundante est. Cicero Orat. Frumentar. cap. XXXVIII *A Tissensibus, perparua & tenui ciuitate, nonne plus lucri nomine eripitur, quam quantum frumenti omnino exarauit?* Ex altera parte, siue australi latere oppidum *Aetna*, eodem, quo mons, nomine fuit: olim *Inessa* dicta. Strabo lib. VI pag. 185 οἱ Αἰτναῖοι παραχωρήσαντες, τὴν Ἴννησαν καλουμένην, τῆς Αἴτνης ὀρεινὴν ᾤκησαν, καὶ προσηγόρευσαν τὸ χωρίον Αἴτνην, διέχον τῆς Κατάνης σταδίους ὀγδοήκοντα, *Aetnenses* [Catana] *regressi, Innesam, vt montana Aetnæ vocantur, habitarunt, locoque imposuerunt nomen Aetnæ.* Et postea

postea p. 189 dicit πλησίον τῶν Κεντορίπων, *propinquam oppido Centuripæ* esse, & montem conscendentes excipere ac deducere. Adde Diodori librum XI cap. XLIX & LXXVI, vbi hæc clarius enarrantur: & Antonium ac Tabulam.

Inde ab occasu *Centuripæ*, plurale, Κεντόριπαι Ptolemæi: aliis Græcis τὰ Κεντόριπα. Thucydides lib. VI pag. 476 ἐχώρουν ἐπὶ Κεντόριπα, Σικελῶν πόλισμα. Et Polybius lib. I cap. IX περὶ Κεντόριπα. Silius lib. XIV verſ. 205 ſingulariter *Centuripe*. Gentile hinc *Centuripini*. Cicero Frumentar. cap. XLV *Centuripini, qui agri Aetnenſis multo maximam partem poſſident*. Et mox: *ciues Centuripini; populus Centuripinus; aratores Centuripini*. Horum amnis *Cyamosorus* fuit, Κυαμόσωρος. Polybius dicto loco: ἀντιστρατοπεδεύσας περὶ Κεντόριπα, καὶ παραταξάμενος περὶ Κυαμόσωρον ποταμὸν, *caſtra metatus prope Centuripen, aciem ad Cyamoſorum flumen inſtruxit*. Inter Centuripam & Aetnenſe oppidum in meridiem inclinat *Adranum* ſiue *Hadranum* oppidum. Stephanus: Ἄδρανον πόλις Σικελίας ἐν τῇ Αἴτνῃ, ποταμὸν ὁμώνυμον ἔχουσα, *Adranum oppidum eſt Siciliæ apud Aetnam, quod fluuium cognominem habet*. Auctorem & ſitum ſic Diodorus lib. XIV cap. XXXVIII deſcripſit: Διονύσιος ἐν τῇ Σικελίᾳ πόλιν ἔκτισεν ὑπ' αὐτὸν τῆς Αἴτνης λόφον, καὶ ἀπό τινος ἐπιφανοῦς ἱεροῦ προσηγόρευσεν αὐτὴν Ἄδρανον, *Dionyſius in Sicilia oppidum ſub ipſum Aetnæ montem condidit, quod ab illuſtri quodam fano Adranum vocauit*. Silius lib. XIV verſ. 251

Hadranum, Hergentumque ſimul - - -

Hinc apud Plinium *Hadranitani*: & in nummis ΑΔΡΑΝΙΤΑΝ.

Proxima *Hybla Maior*. Stephanus, Ὕβλαι τρεῖς πόλεις Σικελίας· ἡ Μείζων, ἧς οἱ πολῖται Ὑβλαῖοι, *Tres Hyblæ vrbes Siciliæ: Maior, cuius ciues Hyblæi*. Pauſanias Eliac. I cap. XXIII duas Hyblas numerat, in iisque τὴν, ὥσπερ ἐκάλουν, Μείζονα, *vnam, quam vocarunt Maiorem*. Nummus Ph. Parutæ ΥΒΛΑΣ ΜΕΓΑΛΑΣ. Hæc Hybla prope Aetnam fuit. Thucydides lib. VI pag. 477 ἐμπρήσαντες ἅμα τὸν σῖτον τῶν τε Ἰνησσαίων καὶ τῶν Ὑβλαίων, *ſegetem Ineſſenſium & Hyblenſium incendentes*. Plinius lib. III cap. VIII *Hyblenſes*. Adde ſupra in maritimis dicta de *Megara*, quæ prius *Hybla Minor* fuit.

In occaſum poſt Aetnam recedit *Galaria* ſiue *Galeria*. Stephano Γαλαρία eſt χώρα, *regio*: Γαλάρινα, πόλις Σικελίας, *Galarina*

vrbs Siciliæ. At Diodorus lib. XVI cap. LXVIII *Galeriam* oppidum dixit; incolas, *Galerinos.* οἱ τὴν Γαλερίαν πόλιν οἰκοῦντες, *qui,* inquit, *Galeriam oppidum inhabitant:* & mox: τὴν τῶν Γαλερινῶν συμφορὰν ἀκούσαντες, *cladem Galerinorum audientes.* Videtur oppidum esse quod vulgo nunc *Gagliano* vocitatur: ex quo situm eius iudicant.

Inde Herbitam versus *Imachara* oppidum. Ptolemæus Palatino codice Ἰμιχάρα, *Imichara:* vulgaribus, ἡμιχάρα. Ciceroni Frument. cap. XVIII Vrsinus, Victorius, alii *agrum Imacharensem* vindicant: vulgatis libris *Macharensis.* Et cap. XLII Victorius & Gronouius, *Imacharenses tributum facere coegisti.* Et Verrina vltima cap. VII Cluuerius: *in Leonida Imacharensi;* vbi libris plerisque est, *in Leonte Megarensi.*

Vlterior ad *Heræos* montes fuit oppidum *Herbita,* Ptolemæi Ἕρβιτα. Cicero Frum. cap. XXXII *Quum Apronius Herbitam cum illa prædonum copia manuque venisset.* Oppidani *Herbitenses,* ibidem & apud Plinium, qui cum adspiratione in ordine alphabetico scripsit. Cicero eodem loco, *Herbitensis ciuitas.* Græce iidem Diodoro lib. XIV cap. LXXIX Ἐρβιταῖοι. *Heræi* autem montes, quibus hoc oppidum adiacet, eidem Diodoro lib. IV cap. LXXXVI sunt Ἡραῖα ὄρη, quorum salubritatem æstiuam cum amœnitate laudat. Ad illos montes paullo inferius est castellum *Taui* vulgari nomine, quod Cluuerio videtur *Tabas* Silii esse lib. XIV vers. 273

Et bellare Tabas docilis.

Symæthum flumen iuxta se oppidum *Symæthum* eodem nomine habuit, vnde *Symæthii* ciues dicti Plinio III cap. VIII. Prope idem flumen ad dexteram ripam nunc est oppidum S. Filippo d'Argirone, quod doctis viris videtur *Agyrium* oppidum esse, Ptolemæi Ἀγύριον, Antonini *Agurium.* At Cicero Frum. cap. XXVII *Apronius Agyrium venit.* Ibidem, *Agyrinensis populus:* item, *Agyrinensis est in primis honesta ciuitas Siciliæ.* Stephanus Ἀγύρηνα, qui forte scripserat Ἀγύρινα. In nummis ΑΓΥΡΙΝΑΙΩΝ. Patria fuit Diodori Siculi, qui lib. I cap. IV ait, ἡμεῖς ἐξ Ἀργυρίου τὸ γένος τῆς Σικελίας ὄντες, *nos orti Argyrio Siciliæ sumus.* Cluuerius secundam litteram otiosam putat: tuetur Holstenius,

quia

quia hodieque *Argirone* dicatur, quasi veteres vrbem & *Argyrivm* & *Agyrium* adpellauerint.

Inter hoc & Ennam *Assorus*, Ἀσσωρὸς Apollodoro apud Stephanum, qui & aliam formam Ἀσσώριον, *Assorium* produxit. Cicero Verrinæ actionis lib. IV de Signis cap. XLIV *Chrysas est amnis, qui per Assorinorum agros fluit. Is apud illos habetur deus, & religione maxima colitur. fanum eius est in agro propter ipsam viam, qua Assoro itur Ennam.* Fluit deinde *Chrysas* per agrum Agyrinensium, saltem in limite eius. Diodorus lib. XIV cap. XCVI ἐν τῇ τῶν Ἀγυριναίων χώρᾳ, παρὰ τὸν Χρύσαν ποταμὸν, ἐγγὺς ὁδοῦ τῆς φερούσης εἰς Μοργαντῖναν, *in Agyrinensium agro, iuxta Chrysam amnem, prope viam quæ Morgantinam fert.* Trans flumen est oppidum Ἑργέτιον Philisto apud Stephanum; *Hergetium* Latine: Silio *Hergentum* dicto libro verf. 251

Hadranum, Hergentumque simul:

Ptolemæo Σεργέντιον, *Sergentium*, vt in aliis aliquando Σ pro adspiratione inuenitur.

Ab Assoro in austrum sita proxime est *Enna* siue *Henna*, vrbs antiqua & percelebris propter raptum Proserpinæ, qui huic loco adfingitur. Diodorus Siculus lib. V cap. III γενέσθαι δὲ μυθολογοῦσιν τῆς κόρης τὴν ἁρπαγὴν ἐν τοῖς λειμῶσι τοῖς κατὰ τὴν Ἔνναν. ἔστι δὲ ὁ τόπος οὗτος πλησίον μὲν τῆς πόλεως, ἴοις δὲ καὶ τοῖς ἄλλοις ἄνθεσι παντοδαποῖς εὐπρεπὴς καὶ θέας ἄξιος, *Fingunt raptum puellæ* [Proserpinæ] *factum esse in pratis iuxta Ennam. Est autem locus ille prope vrbem, violis aliisque floribus amœnissimus & contemplatione dignus.* Cicero Verr. de Signis cap. XLVIII *Vetus est hæc opinio, - - - raptam esse Liberam, quam eamdem Proserpinam vocant, ex Ennensium nemore: qui locus quod in media est insula situs, vmbilicus Siciliæ nominatur. - - - Enna autem, est loco præcelso atque edito, quo in summo est æquata agri planities, & aquæ perennes: tota vero ab omni aditu circumcisa atque diremta est. quam circa lacus sunt plurimi, & lætissimi flores omni tempore anni: locus vt ipse raptum illum virginis, quem iam a pueris accepimus, declarare videatur. Etenim propter est spelunca quædam, conuersa ad aquilonem, infinita altitudine, qua Ditem patrem ferunt repente cum curru exstitisse, abreptamque ex eo loco virginem secum asportasse, & subito, non longe a Syracusis penetrasse sub terras, lacumque in eo loco*

repente exstitisse. Eadem Diodorus dicto loco: etiam quæ de vmbilico insulæ dicebantur in Ennensi nemore vel prato, quod Σικελίας ὀμφαλὸς ὑπό τινων ὀνομάζεται, *Siciliæ vmbilicus a quibusdam nominetur.* Idem quoque Callimachus dixit hymno in Cererem vers. 15

Τρὶς δ' ἐπὶ καλλίστης νήσου δράμες ὀμφαλὸν Ἔνναν,

Ter ad pulcherrimæ vmbilicum insulæ Ennam accurristi.

Cereris heic viguit religio. Mela II cap. VII *Famam habet ob Cereris templum Enna.* Vnde Ceres, *Ennaa numina diua*, Silio lib. I vers. 93 dicta: & Ciceroni loco antea indicato, *religio Cereris Ennensis,* Scribitur etiam cum adspiratione. In veteri nummo, quem illustris vir Ezech. Spanhemius laudat p. 906 MVN. HENNAE. Municipes *Hennenses* scripsit Plinius lib. III cap. VIII Adiacet oppido *lacus Pergus*, distans ab eo V millibus passuum. Ouidius Metamorph. lib. V vers. 385

Haud procul Hennæis lacus est a mœnibus altæ,

Nomine Pergus, aquæ.

Et Claudianus de Raptu Proserpinæ lib. II vers. 112

Haud procul inde lacus (Pergum dixere Sicani)

Panditur, & nemorum frondoso margine cinctus

Vicinis pallescit aquis.

Prope hunc lacum, ex altera parte, oppidum *Magella* a Cluuerio ponitur, vnde *Magellini* sunt Plinio: sed locus incertior est quam vt designari distincte possit. Inde orientem versus sunt *Capitoniana* Antonini, inter Catinam & Agrigentum itinere, circa flumen Erycen: infra quas est *Palica* oppidum cum fano, ad fontem & lacum *Palicorum.* Diodorus lib. XI cap. LXXXVII de Deucetio rege: πλησίον τοῦ τεμένους τῶν ὀνομαζομένων Παλίκων ἔκτισε πόλιν ἀξιόλογον, ἣν ἀπὸ τῶν προειρημένων θεῶν ὠνόμαζε Παλίκην, *prope Palicorum fanum vrbem insignem posuit, quam ab his ipsis diis Palicam nominauit.* Religiosus locus & periuris formidabilis, qui aqua illa mergebantur, seruatis qui bene iurauerant. Vide caput insequens Diodori; & Macrobium lib. V cap. XIX, & quæ nos commentati sumus ad illa Silii verba lib. XIV vers. 220

Et qui præsenti domitant periuria Palici

Pectora supplicio.

Prope abest oppidum *Eryce*, ad fontem fluuii cognominis *Eryces,* de

de quo Stephanus: Ερύκη, Σικελικὴ πόλις, *Eryce vrbs Sicula.* Et Callias in septima historia de rebus Siculis apud Macrobium lib. v cap. XIX ἡ Ερύκη τῆς Γελώας ὅσον ἐννενήκοντα σάδια διέστηκεν, *Eryce a Gelensium finibus* XC *circiter stadia absuit.* Longe autem Geloi fines in septemtrionem prolati fuerant.

Eidem lacui Palicorum subiacebant *Menæ*, Μεναὶ Ptolemæi, quod etiam Stephano Bochartus & Cluuerius pro corrupto Μενδαὶ, restituerunt, vt legatur, Μεναὶ πόλις Σικελίας, ἐγγὺς Παλίκων, *Menæ, oppidum Siciliæ prope Palicos.* Cicero Frument. cap. XLIII *pactiones Meneniorum*, quasi a Μένηνα deductum possessiuum nomen. Plinius III cap. VIII *Menanini:* sicut a Tissa *Tissinini* formauerat. •Nummus Parutæ MENANINΩN. Diodorus Siculus lib. XI cap. LXXVIII Μέναινον hoc oppidum dixit. De Deucetio rege ait, Μέναινον μὲν πόλιν ἔκτισε, *Menænum oppidum condidit.* Vltra Menas in meridiem vergebat *Echetla* oppidum. Stephanus: Εχέτλα, πόλις Σικελίας. Polybius lib. I cap. XV ἐπολιόρκουν οἱ Ρωμαῖοι καὶ τὴν Εχέτλαν, ἐν μέσῃ κειμένην τῇ τῶν Συρακουσίων καὶ Καρχηδονίων ἐπαρχίᾳ, *Et Echetlam obsederunt Romani, in confinio sitam Syracusanorum & Carthaginiensium prouinciæ.* Et Diodorus lib. XX cap. XXXII καταλαβόμενοι τὴν Εχέτλαν, ἐπόρθουν, τήν τε Λεοντίνην καὶ Καμαριναίαν, *Echetlam occupantes vastarunt & Leontinam & Camarinam regionem.* Ergo sita erat in medio illarum. Plinius, *Echetlienses*, dicto loco.

In agro Syracusano erant oppida, *Cacyrum*, Κάκυρον, Ptolemæi, quod hodie credunt *Cassaro* esse: de quo plura non constant, nisi Plinii *Cetarinos* cum nonnullis in *Cacyrinos* mutare velis: deinde *Bidis*, de quo Cicero in Verr. lib. II de Iurisdict. Sicil. cap. XXII *Bidis oppidum est, tenue sane, non longe a Syracusis.* Stephanus: Βίδος φρούριον ἐν Σικελίᾳ, οὐδετέρως, *Bidos castellum Siciliæ, neutro genere.* Vnde *Bidini* sunt, quos Plinius III cap. VIII recensuit. Aiunt superesse ædem sacram eo loco, *S. Giovanni di Bidini* adpellatam. *Talaria* quoque huc referenda. Stephanus: Ταλαρία πόλις Συρακουσίων, *Talaria vrbs Syracusanorum:* ex qua sunt Plinii *Talarenses.* Quo situ fuerit, incertum prorsus est.

Inter Oanum & Hirminium fluuios *Hybla Minor* fuit, a Maiore mediterranea, & Megarensi maritima, distincta. Stephano τρεῖς πόλεις Σικελίας Ὕβλαι. ἡ μείζων, *Maior* - - - ἡ μικρὰ, *Parua*, cuius ciues

ciues Μεγαρεῖς, *Megarenses:* ἡ δὲ ἐλάττων Ἥρα καλεῖται, *Minor autem Hera vocatur*, vel *Heraa* cognominatur. Prauatum heic Itinerarium, quo editum ab Aldo & Simlero *Plagereo siue Cymba:* a Schotto, *Plagia Hereo.* Forte *Heraa* legendum est, quia Ἥρα nomen est a Stephani epitomatore proditum. Si hoc est, de situ quodammodo constare potest: etiam ex alio eiusdem itinere a Lilybæo Messanam, quo *Hyblam* inter Agrigentum & Acras posuit.

Prope mare Ionium & Pachynum promontorium, siue inter Syracusas & Camarinam ac Pachynum sunt primum *Acra*, a Syracusanis conditæ, haud longe a mari. Stephanus in Ἄκρα decem huius nominis vrbes numerat. τρίτη, inquit, ἐστι Συρακουσίων κτίσμα, *Tertia est opus Syracusanorum.* Plenius Thucydides lib. VI pag. 413 Ἄκραι καὶ Κάσμεναι ὑπὸ Συρακουσίων ᾠκίσθησαν· Ἄκραι μὲν ἑβδομήκοντα ἔτεσι μετὰ Συρακούσας, Κάσμεναι δὲ ἐγγὺς εἴκοσι μετὰ Ἄκρας, *Acra & Casmena a Syracusanis sunt condita: Acra quidem* LXX *annis post Syracusas, Casmena vero circiter* XX *annis post Acras.* Liuius lib. XXIV cap. XXXVI *eques leui certamine inito, cum Hippocrate Acras perfugit.* Etiam Antoninus *Acras* dixit itinere a Lilybæo Messanam: Ptolemæi autem Ἀκρεῖαι haud dubie sunt prauatæ, syllaba redundante: Plinius *Acrenses* dixit oppidanos. Situm editiorem monstrauit Silius lib. XIV vers. 207

Non Tapsos, non e tumulis glacialibus Acra
Defuerunt.

Ab his diuersæ sunt *Acrilla*, siue *Acrilla*, eodem tractu. Stephanus: Ἀκρίλλα πόλις Σικελίας οὐ πόῤῥω Συρακουσῶν, *Acrilla urbs Sicilia non procul a Syracusis.* Sitæ inter Acras & Agrigentum, quod ex Liuii lib. XXIV cap. XXXV adparet, vbi Marcellus, ab Agrigento in Syracusana castra rediturus, in via hostes offendit ad Acrillas, quos victor in Acras refugere compellit.. *Hippocrates*, inquit, [dux Syracusanus] *cum decem millibus peditum, quingentis equitibus nocte per intermissa custodiis loca profectus, castra circa Acrillas vrbem ponebat. Munientibus superuenit Marcellus ab Agrigento iam occupato, - - - - incompositos ac dispersos nactus eos, & plerosque inermes, quod peditum fuit, circumuenit: eques, leui certamine inito, cum Hippocrate Acras perfugit.*

Inter Acrillas & Elorum, quod ad mare est, in edito colle *Neetum,*

Neetum, codice Palatino Ptolemæi Νέητον; & sæpius *Netum* contracte; nunc Noto est, vnde vallis, pars tertia insulæ nominatur. Cicero Verr. act. lib. IV de Signis cap. XXVI *Attalus homo pecuniosus Neti; Lyso Lilybæi; Critolaus Ennæ.* Silius lib. XIV vers. 269

Et Netum, & Mutyce, pubesque liquentis Acheti.

Hinc *Netinenses*, quos Cicero dixit Act. in Verr. lib. II cap. LXV: & *Netini*, orat. vlt. in Verr. cap. XXII. Etiam Plinius *Netini Latinæ conditionis.*

Illud Silii *Achetum* in ignotis latet: *Mutyce* autem, siue *Motyca*, nota, hodieque *Modica* dicta. Ptolemæi Μότουκα quia Romano more *υ* in *ου* persæpe commutatur. Eidem amnis, qui præfluit, Μοτυχανὸς, *Motychanus*, si salua scriptura est. Sita prope Pachynum ita, vt latus spectet australe. Plinio hinc *Mutycenses:* Ciceroni Frum. c. XLIII & LI *ager Mutyensis*, nisi forsan littera C excidit. Inde mare versus, forte ad idem flumen superius, fuit *Casmena* siue *Casmenæ*, Κασμένη & Κάσμεναι. Herodotus, quem Stephanus adlegat, lib. VII cap. CLV ὁ Γέλων καταγαγὼν τούτους ἐκ Κασμένης πόλιος ἐς τὰς Συρακούσας. Stephanus: Κασμένη πόλις Σικελίας. Ἡρόδοτος ζ. Thucydides lib. VI pag. 413 plurali numero Κάσμεναι, *Casmenæ*, cuius verba paullo ante in Ἄκραι, *Acræ*, adscripsimus.

Propius promontorium Pachynum oppidum fuit *Ichana.* Stephanus: Ἴχανα πολίχνιον τῆς Σικελίας, *Ichana*, *oppidulum Siciliæ.* Vnde Plinii *Ichanenses.* Ptolemæi libris est Ἴνα, quod videtur ex Ἴχανα esse. Et Apollinis Libystini fanum, de quo Macrobius Saturn. I cap. XVII. Antonino *Refugium Apolline.*

Supra Geloos *Mactorium.* Stephanus, Μακτώριον, πόλις Σικελίας, *Mactorium oppidum Siciliæ.* Herodotus lib. VII cap. CLIII ἐς Μακτώριον, πόλιν ὑπὲρ Γέλης οἰκημένην, ἔφυγον ἄνδρες Γελώων, *Mactorium*, *oppidum supra Gelam habitatum*, *fugerunt Gelenses.* Inde in septemtrionem sunt minus certa, *Caulonia*, Καυλωνία Stephani, hoc tractu posita ab iis, quibus eadem *Calloniana* videntur Antonini: & Νώνυμνα, *Nonymna*, eiusdem Stephani. Coniiciunt fuisse, vbi oppidum *Nauni* iam existit. Antonini *Philosophiana*, in Aldino *Gelasium Philosophianis*, quod alii *Gela siue Ph.* legunt; Cluuerius *Gelensium Philosophiana*, refertque ad fontem

Gelæ amnis, quousque territorium Gelensium pertinuisse non dubitat. Neque notiora sunt *Petiliana*, & *Corconiana* eiusdem itinerarii oppida, quorum illud ab Agrigento XVIII; hoc XII millibus passuum narratur afuisse.

Nobilior *Erbessus* siue *Herbessus*. Cluuerius duas huius nominis vrbes, alteram supra Agrigentum ponit, alteram ad fontes Anapi, qui in portum magnum Syracusanorum effluit. Illam probat ex Polybii lib. I cap. XVIII, quo Bochartus Οὐέσσαν, *Vessam* Polyæni lib. V cap. I n. 4 refert, demta parte compositionis, quia ab הר & בצע deducit: ideo nunc la Grotte esse credunt, a subfossione. Non dubitanda hæc *Erbessus*, quia horreum Romanorum fuit quum Agrigentum obsiderent. Commeatum enim socii εἰς Ἐρβησσὸν, *in Erbessum* contulerunt. Alteram, vicinam Syracusis, ex Liuii lib. XXIV cap. XXX probat, quamquam plus ille non dixit, quam prætores Syracusanos exercitum Megaram duxisse: ipsos cum paucis equitibus Herbessum profectos, quam quum nequissent ad deditionem perpellere, castra Megaris mouisse, vt Herbessum omnibus copiis oppugnarent. Ptolemæus, Plinius, Stephanus vnam Herbessum memorarunt, vt de sede gemina dubitare possimus, & mediam inter Syracusas & Agrigentum circumspicere. Nec Bocharti originibus inniti tuto possumus, cujus præcipua ratio est, quod *Herbenses* cum adspiratione Plinius, non *Erbenses*, scripserit.

Inter amnes Himeram australem & Crimissum ponuntur *Motyum* castellum. Diodorus Siculus lib. XI cap. XC Μότυον φρουρούμενον ὑπὸ τῶν Ἀκραγαντίνων, *Motyum præsidio munitum ab Agrigentinis*. Et mox: τὸ Μότυον φρούριον, *Motyum castellum*. Alia autem est *Motya*, vrbs prope Lilybæum. Deinde *Ancyra*, oppidum in hoc tractu. Diodorus lib. XIV cap. XLIX plurali numero Ἀγκύραι, *Ancyræ* scripsit, quum quinque ciuitates numerauit, quæ in fide erga Carthaginienses manserint. αὗται δὲ ἦσαν, Ἀγκύραι, Σόλοι, Αἴγεστα, Πάνορμος, Ἔντελλα, Ἦσαν inquit, *erant, Ancyræ, Solus, Aegesta, Panormus, Entella*. Cluuerius huc opinatur referri posse Ἄγκρινα, *Ancrina* Ptolemæi, & Ciceronis *Acherinos*, ex Frumentaria cap. XLIII, quasi prauata vocabula ex illo sint. Tandem *Triocala* sunt, Ptolemæi Τρίοκλα, *Triocla*, Stephani Τρι-

καλα,

καλα, *Tricala*: ceteri quatuor syllabis *Triocala*, vt Plinius oppidanos dixit Triocalinos: & Silius lib. XIV verſ. 271

- - - *ſeruili vaſtata Triocala bello.*

Abhinc in ſeptemtrionem, inter Hypſam & Crimiſſum flumina, ſunt *Schera*, Ptolemæi Σχῆρα; cuius oppidi ciues *Scherini* ſunt a Plinio III cap. VIII memorati: & *Macella*, Ptolemæi Μάκελλα. Polybius lib. I cap. XXIV Μάκελλαν πόλιν κατὰ κράτος εἷλον, *Macellam vrbem vi expugnarunt*. Liuius lib. XXVI cap. XXI *ſequuta defectionem eorum Hybla & Macella.* Legitur etiam inter nobiliores Duillii expeditiones in fragmento Columnæ roſtratæ MACEL...... VGNANDO CEPIT, id eſt *Macellam* [oppidum] pugnando cepit.

Trans Crimiſſum *Entella*, Ptolem. Ἔντελλα, cuius rudera ad idem flumen dicuntur ſupereſſe. Stephanus, Ἔντελλα πόλις Σικελίας. Adde Diodorum ex lib. XIV cap. XLIX modo adlegatum in *Ancyra*. Silius lib. XIV verſ. 205

Centuripe, largoque virens Entella Lyæo.

Oppidani Plinio *Entellini*, quos Cicero laudat Frumentar. orat. cap. XLIII. *Cognoſcetis*, inquit, *judices, Entellinorum, ſummi laboris ſummæque induſtriæ, dolorem & iniurias.*

Ad idem flumen, ſed ſuperius, *Ieta*, oppidum, nunc Iato. Stephanus, Ἰεταὶ, φρούριον Σικελίας, *Ietæ*, *caſtellum Siciliæ.* At longam eſſe mediam, docet Silii verſus 272 lib. XIV

- - - *Arabela ferox, & celſus Ietas,*

Ietas mons, in quo ſitum oppidum: & nummus Parutæ diphthongo referens ΙΑΕΤΙΝΩΝ. Cluuerius dubitanter coniicit, Ciceronis *Letinos*, omnibus ignotos, ex Frumentar. cap. XLIII legendos forſan *Ietinos*, qui Plinio ſunt *Ietenſes.*

Lilybæum verſus *Halicyæ.* Stephanus: Ἁλικύαι, πόλις Σικελίας μεταξὺ κειμένη Ἐντέλλης καὶ Λιλυβαίου, *Halicyæ oppidum Siciliæ, ſitum inter Entellam & Lilybæum.* Incolæ Ἁλικυαῖοι, Diodori lib. XIV cap. LV; Plinii III cap. VIII *Halycienſes.* Cicero Frum. cap. VI *Quinque ſine fœdere immunes ciuitates* & liberæ, *Centuripina, Haleſina, Segeſtana, Halicyenſis, Panormitana.* Et inde in auſtrum verſus, *Legum*, Λῆγον; & *Elcethium*, Ἐλκέθιον, vtrumque ex Ptolemæi poſitione. Nihil ſic notum in occidente mediterraneo ſupereſt. *Aegeſtam* enim ſiue *Segeſtam*, quod propinqua

mari & nauigationes admittit, supra exposuimus in ora. Obscura loca, *Ad oliuam*, & *Locaricum*, siue *Longaricum*, vt variat scriptura, ex Antonini itinerario cum distantiis suis, quas inter Lilybæum & Hyccara seruant, repetantur. Trans montes hinc eundum est.

Montosa Sicilia, præter Aetnam & Erycem, altissimos montes, multis iugis eminet, siue montium continuatione. Talis est *Cratas*, ὁ Κράτας Ptolemæi: *Maro* Plinii III cap. VIII, cuius & *Gemelli colles* sunt: *Nebrodes* Solini cap. V. quibus Silius lib. XIV vers. 237 fontes vtriusque Himeræ attribuit:

> *Nebrodes gemini nutrit diuortia fontis,*
> *Quo mons Sicania non surgit ditior vmbra.*

Gemini fontis diuortia, id est Himeræ, de quo supra dictum est. Et *Heræi* montes Diodori lib. IV cap. LXXXVI, Ἥραια ὄρη, quasi Iunonii. Vibius de Fluminibus: *Chrysas, Syracusis ex monte Heræo.* Hos vero discernere & limitibus finire difficillimum, neque plus quam coniecturas, adferri adhuc videmus. Ad montes sunt *Pirina* Antonini, Schottana editione *Pyrama*, medio itinere inter Panormum & Petrinas siue Petram: & quum intus magis ad Himeram amnem arx hodie Margana dicta exsistat, eo Stephani Μόργυναν, *Morgynam* Cluuerius interpretatur: quam certo, adparet cuilibet; præsertim quum Polybius lib. I cap. VIII Μεργάνην *Merganam* memoret, sed propiorem Syracusis. Nec Stephanus de sua plus attulit, quam πόλιν Σικελῶν, *oppidum esse Siculorum*.

Ad mare accedit propius post Himerenses Thermas *Paropus*, Πάρωπος, oppidum. Polybius lib. I cap. XXIV μεταξὺ τοῦ Παρώπου καὶ τῶν Θερμῶν τῶν Ἱμεραίων ἐπιπεσὼν αὐτοῖς, *inter Paropum & Thermas Himeræas illis superueniens.* Plinio hinc sunt *Paropini* lib III cap. VIII, Vsticæ insulæ obiecti. *Petra* autem, Πέτρα Ptolemæi, *Petrinæ* Antonini, non dubie videtur oppidum Petraglia esse, quo etiam itinerarium ducebat. Silio est *Petræa*, vt *vrbs* subaudiatur, quod Latine *Petrina* est. Lib. XIV enim vers. 249

> *Romanos Petræa duces, Romana petiuit*
> *Fædera Callipolis, lapidosique Engyon arui.*

Oppi-

Oppidani *Petrini* Plinio. Et Cicero Frum. orat. cap. XXXIX *Petrinis pecuniam ereptam gloriatur.*

Quod coniungit Silius oppidum *Engyon*, non procul a Petrina vrbe fuit. Ptolemæus & Diodorus lib. XVI cap. LXXIII dixere Ἔγγυον, *Engyon*, *Engyum*, vt Silius; & ex hac forma Ciceroni Frum. cap. XLIII *ciuitas Eggyna* est: at insequenti de Signis oratione cap. XLIV *Enguinos* scripsit, vt in libris castigatis est. *Matris*, inquit, *magna fanum apud Enguinos est:* quod respondet vocabulo Ἐγγύϊον, *Enguium* quo Plutarchus in Marcello vsus pag. 309. & inde Diodorus dicto loco gentile Ἐγγυηνοὶ, quod prauatum est ex Ἐγγυΐνοὶ vel Ἐγγυινοὶ, vt libri ferunt, formauit. Ruinas tradunt inter montes Nebrodem, Maronem & Heræum conspici.

Supra hos montes mare versus, quod Aeolias tenet, videntur Silii *Noma* & *Amastra*, quæ Stephani *Amestratus*, Ἀμήστρατος est, fuisse. Ait ille lib. XIV verſ. 267

> - - - - *comitata Nomæis*
> *Venit Amastra viris.*

Sic enim legendum esse, non *Nemæis*, quales nulli in Sicilia, ex Diodori lib. XI cap. XC elucet, qui στρατοπεδεύοντα περὶ τὰς Νομὰς scripsit, id est, *circa Nomas castra metantem.* Vicina autem *Amastra* est Stephani Ἀμήστρατος, *Amestratus*; Polybii Μυτίστρατος, *Mutistratus*, hodie *Mistretta*, vocabulo corrupto. Hic vero lib. I cap. XXIV de Romanis consulibus scripsit, Panormum versus exercitum duxisse, quod Carthaginienses ibidem hiemarent. Quum vero nemo hostium prodiisset, inde ἐπὶ πόλιν Ἱππάναν, aduersus Hippanam impetu facto, eam vi cepisse. εἷλον δὲ καὶ Μυτίστρατον, πολλοὺς χρόνους ὑπομεμενηκὸς τὴν πολιορκίαν, διὰ ὀχυρότητα τοῦ τόπου. *Ceperunt etiam Mutistratum, natura munitum oppidum, quod ideo obsidionem diu tolerauit.* Zonaras Tom. II p. 57 Μυτίστρατον πόλιν, *vrbem Mutistratum* in Sicilia dixit. Hinc Plinio *Mutustratini* lib. III cap. VIII. *Hippanam* vero inter Panormum & Mytistratum fuisse, ex Polybii iam data narratione adparet. Stephanus, qui etiam ad hunc Polybii locum prouocat, ad historiam non attendit, quum oscitanter scripsit Ἵππανα πόλις περὶ Καρχηδόνα, *Hippana vrbs circa Carthaginem:* verius Panormum, aut aliam eius tractus in Sicilia, nominasset.

Apollonia quoque in Sicilia fuit, quam septimam eius nominis vrbem πλησίον Ἀλοντίνων καὶ Καλῆς Ἀκτῆς, *prope Haluntinos & Calacten* posuit idem chorographus Byzantinus. Sic legendum, non Λεοντίνων, qui longius absunt a Calacta. Diodorus lib. XVI cap. LXXIII Timoleon παραλαβὼν τὴν Ἀπολλωνίαν, *Apolloniam in fidem accepit.* Cicero Frum. cap. XLIII *ciuitas Apolloniensis.* Intus magis ad montes ponunt Καπύτιον, *Capytium* Ptolemæi: & vltra, *Galatam*, vnde Plinii sint *Galatini.* Prope Tyndarium, *Abacænum* oppidum. Suidas: Ἀβακαῖνον πόλις Σικελίας, *Abacænum vrbs Siciliæ.* Diodorus lib. XIV cap. XCI de rege Dionysio: πρὸς Ἀβακαίνῳ πόλει συμμαχίδι κατεστρατοπέδευσε, *iuxta Abacænum, vrbem sociam, castra posuit.* Vicinitatem Tyndaritanam idem eodem libro, cap. LXXIX luculente ostendit, quum Tyndaridem a Messeniis conditam ad mare dicit in loco τῆς Ἀβακηνῆς χώρας, *Abacænæ regionis.*

Sunt & alia, quibus certus locus non potest adsignari, *Callipolis*, *Arabela*, *Eubœa*, & alia. *Callipolis* a Marciano Heracleensi pag. 12 cum oppidis coniungitur, quæ prope fretum sunt: quibus & *Eubœam* admiscet. Verba sunt

Ζάγκλη, Κατάνη, Καλλίπολις ἔσχον ἀποικίας.
Πάλιν δ᾽ ἀπὸ τούτων δύο πόλεις, Εὔβοια
Καὶ Μύλαι κατῳκίσθησαν ἐπικαλούμεναι.

Zancle, Catana, & Callipolis accepere [ab Rheginis] *colonias. Rursus vero bis duæ vrbes, Eubœa & Mylæ dictæ, conditæ fuerunt.* Callipolin Stephanus quoque memorauit: & Silius lib. XIV vers. 250

- - - - - - *Romana petiuit*
Fœdera Callipolis.

Herodotus lib. VII cap. CLV πολιορκέοντος Ἱπποκράτεος Καλλιπολίτας τε καὶ Ναξίους, καὶ Ζαγκλαίους τε καὶ Λεοντίνους, *obsidente Hippocrate Callipolitanos, & Naxios, & Zanclæos, & Leontinos:* quarum ciuitatum quod tres in orientali latere sunt, probabile fit, & *Callipolim* ibidem exstitisse. Minus constat de *Eubœa* vrbe, nisi quod cum Mylis Heracleota coniunxit: & Strabo inter dirutas vna cum Callipoli numerauit. Nec insolens Siceliotis, insularum nomina oppidis suis imponere, vt Naxi exemplum ostendit, vel ob primos colonos, vel ob additos ex illa insula. *Arbela* autem situs prioribus est ignotior. Stephanus, Ἄρβελη, πόλις Σικελίας: & Sui-

& Suidas in hac voce: πόλισμα Σικελικὸν ἡ Αρβέλη, *Arbela Siciliæ oppidum.* Silius XIV verſ. 272 prauato verbo *Arabeia* videtur *Arabelam* innuiſſe, quæ & Cluuerii coniectura eſt. At ſi vere hoc coniiceretur, non Αρβέλη, ſed Αρβήλη ſcribendum nomen eſſet, quod produxit ſyllabam poeta,

Sidonios Arabeia ferox - - - -

Hæc oppida Siciliæ, in quibus quinque, ſecundum Plinium, coloniæ Romanæ, Tauromomenium, Catina, Syracuſæ, Thermæ, & Tyndaris: duæ ſecundum Ciceronem (Frument. orat. cap. VI) ciuitates fœderatæ, quarum decumæ venire non ſoleant, Mamertina & Tauromenitana: quinque præterea ſine fœdere immunes ac liberæ, Centuripina, Haleſina, Segeſtana, Halicyenſis, Panormitana. Præter has omnis ager Siciliæ ciuitatum decumanus erat, etiam ante populi Rom. imperium, ipſorum Siculorum voluntate & inſtitutis. Hæc dictante Tullio prædicta oratione.

Vnum reſtat, vt de *Valeria via*, qua ab Meſſana Lilybæum itur, aliquid adiiciamus. Illam nobis Strabo monſtrauit lib. VI pag. 184, Latera inſulæ millibus paſſuum dimenſus. ἐκ Μεσσήνης, inquit, εἰς Λιλύβαιον, Οὐαλερία ὁδῷ λε, *A Meſſana Lilybæum via Valeria* XXXV, qui numerus prauatus poſcit Σ præmitti, vt fiant CCXXXV. Hanc autem viam per maris oram duxiſſe, quia latera metitur, hoc eſt, per Mylas, Tyndaridem, Cephalœdim, Thermas, Panormum & Drepanum ad Lilybæum vſque per tot millia plus minus, vero prorſus eſt ſimile.

INSVLAE MINORES
CIRCA SICILIAM.

Inſulæ inter Siciliam & Italiam medio mari poſitæ dicuntur vulgo *Aeoliæ*, quia Aeolus in iis regnaſſe traditur. Dicuntur etiam *Vulcaniæ* ab ignibus eructatis: item *Liparæorum inſulæ*, αἱ Λιπαραίων νῆσοι (Strab. VI pag. 190) a principe illarum, Lipara. Plinius lib. III cap. IX *Citra Siciliam* [reſpectu Italiæ] VII *Aeoliæ adpellatæ. Eædem Liparæorum & Hephæſtiades a Græcis, a noſtris Vulcaniæ: Aeoliæ, quod Aeolus Iliacis temporibus ibi regnauit.* Et interiectis paucis: *Strongyle, in qua regnauit Aeolus, quæ a Lipara liquidiore flamma tantum differt, e cuius fumo, quinam flaturi*

ſint

ſint venti, in triduum prædicere incolæ traduntur: vnde ventos Aeolo paruiſſe exiſtimatum.

Sunt autem ſeptem numero, in quo Strabo, Diodorus, Mela, Plinius conſentiunt. Non autem eodem ordine aut iisdem nominibus enumerantur. Mela lib. II cap. VII *Illæ ſeptem, quas Aeoli adpellant, Oſteodes, Lipara, Heraclea, Didyme, Phœnicuſa, ac, ſicut Aetna, perpetuo flagrantes igne, Hiera & Strongyle.* Plinius hoc ordine: *Lipara; altera Hiera: tertia Strongyle: quarta Didyme: quinta Ericuſa: ſexta Phœnicuſa: nouiſſima, Euonymos.* Quæ prope conueniunt cum Diodori enarratione lib. V cap. VII, Αὗται δ᾽ εἰσὶ μὲν ἀριθμὸν ζ, προσηγορίας δ᾽ ἔχουσι ταύτας. Στρογγύλη, καὶ Εὐώνυμος, ἔτι δ᾽ Διδύμη, καὶ Φοινικώδης, καὶ Ερικώδης· πρὸς δὲ τούτοις Ἱερὰ Ηφαίστου, καὶ Λιπάρα, *Septem ſunt numero, hæc nomina ſortitæ: Strongyle, Euonymos, & Didyme, & Phœnicuſa, & Ericuſa: adhæc Hiera Vulcani, & Lipara.* Etiam Strabo pag. 190 εἰσὶ δὲ ἑπτὰ μὲν τὸν ἀριθμὸν, *ſunt numero ſeptem:* vt adeo prauatum Appianum eſſe oporteat, quum lib. V Civ. Belli pag. 1158 de Strongyle ſcriptum legitur, ἡ τῶν πέντε νησῶν ἐςὶ τῶν Αἰόλου, *quæ vna eſt ex quinque inſulis Aeoliis.* Contra ſi nomina numeres, addasque Hiceſiam Ptolemæi, excreſcet numerus, & Oſteodem ac Heracleam Melæ cum Hiceſia reſiduas habebis, niſi decem aut plures velis in Aeoliis inſulis cenſeri. Sed *Oſteodes* eſt longe ab Aeoliis remota, vt poſtea moſtrabimus: *Heraclea* Melæ, quæ in Peutingeriana quoque Tabula *Inſ. Herculis*, & inſulari itinerario *Heracleotes* vocatur; & *Hiceſia* Ptolemæi, Aeoliis quidem vicinæ ſunt, adiacentes proxime; in cenſum vero illarum minime venerunt, quod vel minores erant, aut incultæ, aut Liparæis non ſubiectæ. Ceterarum nomina ſunt ſingularia, præter *Hiera*, quæ etiam Virgilio *Vulcania*, Straboni Θέρμισσα, *Thermiſſa* eſt adpellata: & *Lipara*, quæ olim *Meligunis* erat, Strabone & Plinio referentibus.

Princeps illarum eſt *Lipara*, quæ vrbem eodem nomine tenuit, tantæque fuit potentiæ, vt claſſem haberet, ceterisque Aeoliis imperaret. Strabo dicto loco: Μεγίστη ἡ Λιπάρα, Κνιδίων ἄποικος, - - - ἡγήσατο δὲ καὶ στόλῳ, ὑπηκόους ἔχουσα τὰς νῦν λεγομένας Λιπαρέων νήσους, ἃς Αἰόλου τινὲς προσαγορεύουσι, *Maxima eſt Lipara, Cnidiorum colonia: hæc & claſſem duxit, ſub ſe habens reliquas Liparæorum, vt nunc dicuntur, quas Aeoli quidam adpellant inſulas.*

insulas. Nomen habet a Liparo rege, quem Diodorus tradit Ausonis filium, a fratribus pulsum in hac insula consedisse, cuius filiam successor Aeolus duxerit. Contra Plinius dicit Liparum Aeolo successisse. His posteriorem Cnidiorum coloniam fuisse oportet, quam Strabo memorauit, lib. VI pag. 184. Incrementa habuit a bonitate portuum & aquarum salubritate. Diodorus lib. V. c. [illegible] αὕτη λιμέσι τε καλοῖς ὑπὸ τῆς φύσεως κεκόσμηται, καὶ θερμοῖς [illegible] τοῖς διαβεβοημένοις, *Hæc* [insula] *bonis portubus natura beneficio ornata est, & thermis celebratissimis.*

Inter Liparam & Siciliam est *Hiera*, Diodori Ἱερὰ Ἡφαίστου, id est *Vulcano sacra*, ἣν νῦν ἱερὸν Ἡφαίστου καλοῦσι, *quam nunc*, vt Strabo dicit, *Templum Vulcani vocitant.* Vnde etiam *Vulcania* nominatur. Virgilius Aen. VIII vers. 416

Insula Sicanium iuxta latus, Aeoliamque
Erigitur Liparen, fumantibus ardua saxis:
Vulcani domus, & Vulcania nomine tellus.

Eadem Thermissa dicta. Strabo ibidem: ἡ Λιπάρα ἐγγυτάτω τῆς Σικελίας κειμένη, μετά γε τὴν Θέρμισσαν, *Lipara proxima Siciliæ post Thermissam*, hoc est, Thermissa excepta, quæ propinquior. Paucis interiectis dicit, ταύτης [Λιπάρας] μεταξύ πως ἐστὶ καὶ τῆς Σικελίας, ἣν νῦν ἱερὸν Ἡφαίστου καλοῦσιν, *Inter hanc* [Liparam] *& Siciliam est insula, quam nunc Vulcani Templum adpellant.* Ergo Thermissa eadem & Vulcani Templum siue Hiera Vulcani. Thermissa dicta ab ignibus quos eructat, tamquam ex Vulcani caminis & officina.

Post hanc *Strongyle*, Στρογγύλη, inter nobiliores est, quæ ita ἀπὸ τοῦ σχήματος, *a figura* nominatur, vt Strabo dixit: seu, vt Cornelius Seuerus in Aetna vers. 433

Insula, cui nomen facies dedit ipsa rotunda.

Silio Italico est Strongylos, alia forma, lib. XIV vers. 260

* *Mille Agathyrna dedit, perflataque Strongylos austris.*

Strongylos, συνεκδοχικῶς, omnes Aeoliæ. neque enim hæc sola millenos milites potuisset præbere. Eadem forma vsus est auctor insularis itinerarii: *Insula Strongylos a Messana stadia* CCCXX. Solinus cap. VI *Strongyle, Aeoli domus, vergit ad exortus solis:* nisi potius Lipara fuit regia. Octauianus Cæsar bello Siculo, vt Appianus auctor Civ. lib. V pag. 1158, a Vibone ἐς

Στρογγύλην, *in Strongylem* traiecit: Agrippa ἀπὸ Στρογγύλης εἰς Ἱερὰν, *a Strongyle in Hieram*. Reliquæ minoris momenti sunt, & *Phœnicusa* ac *Ericusa* id nominis ἀπὸ τῶν φυτῶν, *a stirpibus*, ericea & palma nominantur, quæ copiose ibi proueniunt. Idcirco de Phœnicusa Plinius: *pabulo proximarum relicta:* de vtraque Strabo, ἀνεῖνται εἰς νομὰς, *pascuis permittuntur*. Εὐώνυμος dicta, quia ex Lipara in Siciliam nauigantibus a læua est, vt Strabo adnotauit. Sinistra vero melioris quondam ominis, quod nomen significat, quam ipsa dexteriora. Hæc Plinio est *minima* omnium Aeoliarum: Straboni ἔρημος, *deserta*. Tandem Διδύμη, *Didyme* alia, quæ gemella intuentibus adparet, itidem ἀπὸ τοῦ σχήματος, *a figura*, seu, quam præbet, specie ita nominata.

In eodem mari, occasum versus, sunt *Vstica* & *Osteodes*. Plinius lib. III cap. VIII extremo: *a Solunte* LXXV M. *Osteodes: contraque Paropinos Vstica*. Ptolemæus post Aeolias: Οὐστίκα νῆσος καὶ πόλις· Ὀστεώδης νῆσος, *Vstica insula & oppidum: Osteodes insula*. Paropus autem, cui obiectam Plinius insulam Vsticam dicit, inter Himerenses Thermas & Cephalœdim est. Paruam traditur esse, & nomen antiquum retinere. Altera *Osteodes*, vt Plinius & Ptolemæus locauerunt, magis in occidentem recedit, quam Vstica: vt Mela non habuerit, cur Aeoliis illam, a quibus longius abest, adnumeraret. Diodorus Siculus lib. V cap. XI ambigue: Μετὰ τὴν Λιπάραν, εἰς τὸ πρὸς δυσμὰς μέρος, νῆσός ἐστι πελαγία, μικρὰ μὲν τὸ μέγεθος, ἔρημος δ' καὶ διά τινα περιπέτειαν Ὀστεώδης ὀνομαζομένη, *Post Liparam, occasum versus, in alto mari insula parua est & deserta, quam ab euentu quodam Osteodem*, id est Ossuariam, *nominant*. Euentum ita descripsit ibidem: Syracusano bello Carthaginienses VI millia mercenariorum militum, quod sæpius rebellassent, in eam insulam deportauisse, quibus fame ibi consumtis, συνέβη τὸν τόπον ὀλίγον ὄντα πληρωθῆναι τῶν ὀστῶν, *factum, vt paruus ille locus ossibus compleretur*. Ptolemæi *Paconiam*, Πακωνίαν, Agathodæmon in Tabula ante ostium Bathis locauit, quem Cluuerius sequitur: sed ordo Ptolemæi post Aegates locum postulat. Sunt qui Aponianam Hirtii B. Afr. cap. II Paconiam Ptolemæi esse, alterutro vocabulo corrupto, contendunt.

Drepano obiecta insula parua, instar scopuli, Πελιὰς Græce,

hoc

hoc est *Columbaria* dicta. Zonaras Tom. II pag. 64 de consule Numerio Fabio : τῷ Δρεπάνῳ προσήδρευε καὶ ἐπεβούλευσε τῇ νησίδι τῇ Πελιάδι καλουμένῃ προκατειλημμένῃ παρὰ Καρχηδονίων, στρατιώτας πέμψας νυκτὸς, οἳ τοὺς φρουροὺς κτείναντες, τὴν νῆσον εἷλον, *Drepanum obsedit, & insulæ Columbariæ, a Carthaginiensibus praeoccupatæ insidiatus est, noctu missis militibus, qui, occiso præsidio, insulam ceperunt.* Sic Latinus interpres, ad πελειάδα, columbam, id nomen reducens.

Nobiliores sunt *Aegates* insulæ, Lilybæo promontorio oppositæ, ad quas Romanorum victoria finis impositus est bello Punico primo. Male quidam *Aegades* scribunt repugnante syllabæ ipsius quantitate, & melioribus libris omnibus. Varro de Vita pop. Rom. lib. III apud Nonium in CATAPVLTA, *postea C. Lutatio consuli apud Aegates insulas, quum ipse catapulta ictus esset.* Corn. Nepos Hamilcare cap. I *Carthaginienses classe apud insulas Aegates a C. Lutatio consule Rom. superati.* Liuius lib. XXI cap. X oratione Hannonis in senatu Carthaginiensi : *Aegates insulas Erycemque ante oculos proponite.* Et cap. XLI *qui ad Aegates pugnauere insulas.* Et Pomponius Mela lib. II cap. VII *Contra Carthaginis sinum Tarichia & Aegates, Romana clade memorabiles :* id est quam dedere Pœnis Romani. Adi interpretes. Et Florus lib. II cap. II *Lutatio Catulo consule tandem bello finis impositus apud insulas, quibus nomen Aegates.* Syllabæ mediæ quantitatem docet Silius lib. I vers. 61 de Hannibale:

- - - auet Aegates abolere, parentum Dedecus.

Et lib. IV vers. 79 de Carthagine,

- - - - - quæ mersa sub æquor
Aegates inter vasto iacet obruta ponto.

Et lib. VI vers. 684 in pictura templi Liternensis:

Addiderant geminas medio consurgere fluctu
Aegates, laceræ circum fragmenta videres Classis.

Quas *geminas* dixit poeta, tres reuera numerantur, eiusdem prope magnitudinis, nec longius remotæ a Lilybæo. Polybius lib. I cap. XLIV *Aegusas* vocat, ab vna earum, quæ *Aegusa*, Αἰγοῦσα νῆσος Ptolemæo. Missum ait Carthagine trierarchum, qui Lilybæum obsidione liberaret. Hic καθορμισθεὶς ἐν ταῖς καλουμέναις Αἰγούσαις, μεταξὺ δὲ κειμέναις Λιλυβαίου καὶ Καρχηδόνος, ἐπετήρει τὸν πλοῦν,

πλοῦν, *ad Aegusas, vt vocant, insulas adpulsus commodam adnauigandi tempestatem praestolatur.* Et cap. LX de prœlio vltimo belli Punici primi: ἐπλευσε πρὸς τὴν Αἰγοῦσαν νῆσον, τὴν πρὸ τοῦ Λιλυβαίου κειμένην, *nauigauit* [Lutatius] *ad insulam Aegusam, quæ ante Lilybaum sita est.* Cluuerius eamdem putat Hirtii *Aponianam* esse, B. Afr. cap. II. Ceterarum nomina videtur Ptolemæus prodidisse, dum post Vsticam & Osteodem tres insulas memorat, *Phorbantiam, Aegusam* & *Hieram*, quæ tres Aegates putantur esse, vt Phorbantia septemtrionem spectet tamquam proxime post Osteodem posita; ceteræ sic ordine subiiciantur.

In Africo mari sunt *Melite*, nunc Malta: & huic adiacens *Gaulos*, nunc Gozo: & inde occasum versus *Cossyra*, Scylax & Ptolemæus illas ad Africam reiecerunt: sed propiores sunt Siciliæ, eique ab Romanis contributæ. Prima *Melite*, ambiguo accentu mediæ, sed verius correpto. Ouidius Fastor. lib. III vers. 567

Fertilis est Melite, sterili vicina Cossyræ.

At Arator in Act. Apost. cap. XXVIII

Mensibus hibernis tribus in regione Melite
Multiplicem dat Paulus opem.

Plinius lib. III cap. VIII *Insulæ in Africam versæ: Gaulos, Melita, a Camerina* LXXXIV *M. passuum; a Lilybæo* CXIII; *Cossyra.* Mela lib. II cap. VII *Africam versus, Gaulos, Melita, Cossura.* Diodorus Siculus lib. V cap. XII Melitæ insulæ portus bonos laudat & vrbem bene ædificatam, nec non omnis generis artifices, & in his maxime linteaminum subtilissimorum textores: id quod a Phœnicibus habuerint, primis eius insulæ colonis. Quum in Romanam ditionem venit, quamuis πρῶτον, *principem* aut *præfectum* habuerit, qualis ille in Actibus sacris est cap. XXVIII comm. 7, & veteri inscriptione ΠΡΩΤΟΣ ΜΕΛΙΤΑΙΩΝ; prætori tamen Siciliæ subiecta fuit. Cicero Verrina de Signis cap. XLVI *Insula est Melita satis lato ab Sicilia mari, periculosoque disiuncta: in qua est eodem nomine oppidum, quo iste* [Verres] *nunquam accessit: quod tamen isti textrinum per triennium ad muliebrem vestem conficiendam fuit.* Addit religiosum Iunonis fanum haud longe ab oppido positum, quod Verres per seruos spoliauerat.

Silius

Silius lib. XIV. verſ. 251 *lanigeram* cognominat, vnde copia eſt textrinæ: etiam mediam, vt Ouidius, corripuit,

Lanigera Melite, & litus piſcoſa Calacte.

De *Gaulo* & *Coſyra* in ipſa Melite iam diximus, Plinium, Melam, Ouidium laudantes: addimus quæ reſtant aliorum. Diodorus dicto loco, Γαῦλος πελαγία καὶ λιμέσιν εὐκαίρως κεκοσμένη, φοινίκων ἄποικος, *Gaulos* inſula *in alto ſita, portuum commoditate præſtans, a Phœnicibus primum frequentata.* Et antea dixerat æque vt Melitam, πόλιν, *oppidum* habere. Scylax Periplo pag. 118 Μελίτη πόλις καὶ λιμὴν, Γαῦλος πόλις, *Melite oppidum & portus: Gaulos oppidum.* Antiqua inſcriptio Melitenſis apud Sponium Miſc. Erud. Antiq. p. 190

CHRESTION AVG. L. PROC
INSVLARVM MELIT. ET GAVL.

Et Silius Italicus lib. XIV verſ. 275

- - - *ſtrato, Gaulos, ſpectabile ponto.*

Incolæ *Gaulonitæ.* In lapide Melitenſi apud eumdem Spon. p. 192 PLEBS GAVLITANA. Municipium fuit. Ibidem ex lapide ipſius Gauli inſulæ: MVNICIPIVM GAV.... & ſub ſtatua: PATRONO MVNICIPII. Itidem alio: R. P. GAVL. CVRANTE.

De *Coſyra* Ptolemæus lib. IV cap. III extr. Κόσυρα νῆσος καὶ πόλις, *Coſſyra inſula & oppidum.* Scylax: ἀπὸ Κοσύρε ἐπὶ Λιλύβαιον ἀκρωτήριον Σικελίας, πλοῦς ἡμέρας μιᾶς, *a Coſyro ad Lilybæum, Siciliæ promontorium, nauigatio vnius diei.* Scribitur enim Coſyra, Coſura, Coſſyra, & auctoribus Scylace ac Stephano Κόσυρος, *Coſyrus.* Silius XIV verſ. 273

Et bellare Tabas docilis, Coſſyraque parua.

quæ duplicatio non tam propter metrum eſt, quia Ouidius ſupra prolato verſu corripuerat primam; quam quia vſus veterum geminum Σ in hoc vocabulo poſtulabat. Strabo lib. VI pag. 191 Κόσσουρα πρὸ τῦ Λιλυβαίε, καὶ πρὸ τῆς Ἀσπίδος Καρχηδονιακῆς πόλεως, ἣν Κλυπέαν καλῦσι, μέση ἀμφοῖν κειμένη, *Coſſura ante Lilybæum & ante Aſpidem ſiue Clupeam, Africæ vrbem, in medio ſita.* Et quinque nummi apud Philippum Parutam, & Holſtenium ad Stephanum Notis geminato ſibilo COSSVRA. Potius ergo Ouidius corripuit metri cauſſa ſyllabam, quæ longa erat, ex-

trusa littera altera gemellarum. Ex Strabonis verbis etiam elucet, falli Byzantium illum Stephanum seu eius breuiatorem, qui Κόσυρον, *Cosyrum*, Siciliæ insulam, a Κοσύρα, *Cosyra* insula Africæ distinxit.

CAPVT XIII


DE

GRAECIA.

GRæciæ vocabulum nunc vniuersas illas terras, quæ Illyrico, Dardania, Thracia & tam Hadriatico Ionioque, quam Aegæo mari continentur, significat: nunc, exclusis Macedoniæ ac Epiri regnis, solius partis nota est, quam ipsi Græci Ἑλλάδα vocant, id est liberam Græciam & proprio nomine ita dictam. Innumeræ gentes fuerunt, quæ colebant: regionesque in maiores, minores partes quam plurimas diuisæ. Et hæ ipsæ cum temporibus mutatæ, nunc liberæ & sui iuris, nunc alienæ ditionis; modo coniunctissimæ fœderibus; modo odiis in bella erumpentibus laceratæ ac distractæ. In propria Græcia dudum regna cessauerant, libertate introducta, quum Macedonia & Epirus suos reges haberent, illa autem, quam hæc, diutius, quia Epirenses tandem in Macedonum potestatem venerunt, quos Romani, deuictis Macedonibus, liberos iusserunt esse, mox prouinciæ Achaiæ post Corinthium bellum contribuendos. Romani enim vniuersam Græciam in duas prouincias distribuerunt *Macedoniam* & *Achaiam*, vtraque præsidem separatim indepta vel prætorium vel consularem. Sed de prouinciis illis dicemus postmodum; nunc antiquum statum Græcorum, & qui cum his coniuncti vicinitate fuerunt, exponemus, incipientes ab occasu, per oram in ortum pedetentim progressuri.

ORA ILLYRICIANA.

Illyricum supra perlustrauimus, antequam in Italiam veniremus: restant gentes quædam Illyricæ Græcis colonis permixtæ, quorum consociatione barbariem exuerunt Græcis & ipsæ deinceps


GRAECIAE
ANTIQVAE
ET INSVLARVM
CONSPECTVS.
ADRIATICI
MARIS PARS
IONIVM
MARE
MACE-
DONIA
THESSALIA
MARE
AEGAEVM
MARE CRETICVM
CRETA
Mare Myrtoum
Meridies
Taulantii
Lyncestis
Orestis
Pieria
Olympus
Athamanes
Molossi
Phocis
Achaia Propria
Argolis
Arcadia
Laconia
Strophades
Leucadia
Sinus
Tarentinus
Thessalonica
Pella
Larissa
Delphi
Thebae
Athenae
Corinthus
Mycenae
Argos
Nauplia
Olympia
Sparta
Rhodus
Smyrna
Ephesus
Miletus
Scyros
Lemnus
Tenedos
Alexandria
Chryse
Abydus
Neapolis
Amphipolis
Philippi
Stagira
Dyrrachium
Apollonia
Aulon
Amantia
Brundisium
Tarentum
Sinus Laconicus
Claude

deinceps adnumeratae. Vtique ergo discernenda est Illyris barbara, quae in Lisso desinit, ab *Illyride Graeca*, quae ab illa vrbe ad Epiri fines iuxta tergum maris Hadriatici, & intus aliquantum procurrit. Strabo id nos perdocuit lib. VII pag. 220 dicens: τὴν Ἰλλυρικὴν παραλίαν ἐπιόντες μέχρι τῶν Κεραυνίων ὀρῶν, προὔβημεν ἔξω τῆς Ἰλλυρικῆς πιπτόντων ὀρεινῆς, ἐχόντων δέ τι οἰκεῖον πέρας, *Illyrici oram describentes vsque ad Ceraunios montes progressi sumus, qui extra Illyrici montana siti, suum proprium terminum habent.* Scylax Periplo: ἔστιν τὸ Ἰλλυρικὸν ἔθνος, ἐν ᾧ ἡ Ἐπίδαμνός ἐστι, *Gens est Illyriorum, in qua Epidamnus sita est.* Et paullo post: οἱ Ὠρικιοὶ κατοικοῦσιν τὴν Ἀμαντίας χώραν, οἱ δὲ Ἀμαντιεῖς εἰσὶν μέχρι ἐνταῦθα Ἰλλύριοι ἀπὸ Βουλινῶν, *Oricii inhabitant Amantiae regionem. Amantini vero sunt Illyrii: a Bullinis hucusque extenduntur Illyrii.* Et mox: μετὰ Ἰλλυρίους Χάονες, *post Illyrios sunt Chaones.* Tota vero haec regio postea Macedoniae fuit contributa. Dio Cassius lib. XLI pag. 176 τὸ Δυρράχιον ἐν τῇ γῇ τῇ πρότερον μὲν Ἰλλυριῶν τῶν Παρθινῶν, νῦν δὲ, καὶ τότε γε ἤδη, Μακεδονίᾳ νενομισμένῃ, κεῖται, *Dyrrachium quondam in Parthinis Illyriis sita, iam vero, etiam tunc* [ciuilis belli temporibus] *Macedoniae adnumerata.* Et Cicero pro Ligario cap. IX *in Macedoniam ad Cn. Pompeii castra venit,* quae iuxta Dyrrachinam vrbem posita erant. Et Plinius lib. III cap. XXIII *A Lisso Macedonia prouincia.* Lissus autem ipsa Illyrici proprii, siue barbarici, semper fuit tamquam vrbs vltima aduersus Macedonas atque Romanos, & ab his Demetrio Phario, Illyriorum regi, pacificatione confirmata: de quo Polybius lib. III cap. XVI πορθεῖν μὲν καὶ καταστρέφεσθαι τὰς κατὰ τὴν Ἰλλυρίδα πόλεις τὰς ὑπὸ Ῥωμαίους ταττομένας· πεπλευκέναι δ' ἔξω τοῦ Λισσοῦ παρὰ τὰς συνθήκας, *vastare* [adgressus] *& in suam ditionem redigere Illyricas Romanorum vrbes: & vltra Lissum contra leges pacis nauigare.* Etiam Gentio mansit Lissus. Liuius lib. XLIII cap. XX *Lissi rex Gentius erat: eo acciti legati, mandata exponentes benigne auditi sunt.* Contra, de eodem Gentio fragmentum Appiani in Excerptis Valesianis pag. 562 ἐσέβαλεν ἐς τὴν ὑπὸ Ῥωμαίοις Ἰλλυρίδα, *in Illyridem Romanam irrupit:* quam Liuius lib. XLIV cap. XXX in eadem historia ita descripsit: *missi a Gentio ad Dyrrachinorum & Apolloniatium agros populandos.*

Lisso igitur in barbarico relicta, ad *Illyridem Graecam* illu-

ſtrandam accedimus, in qua vrbs prima *Epidamnus* fuit, vt Strabo ait, Κερκυραίων κτίσμα, *a Corcyrais condita*, quæ vel ipſa poſt, mutato nomine, *Dyrrachium* eſt adpellata ὁμωνύμως τῇ χερῤῥονήσῳ, ἐφ᾽ ἧς ἵδρυται, vt Strabo addit, id eſt, *a peninſula, cui impoſita eſt*: vel, quod Pauſanias Eliac. lib. II cap. X tradit, Ἐπιδάμνιοι χώραν μὲν, ἥνπερ καὶ ἐξαρχῆς, πόλιν δὲ οὐ τὴν ἀρχαίαν ἐπὶ ἡμῶν ἔχουσιν, ἐκείνης ἀφεστηκυῖαν ὀλίγον, ὄνομα δὲ τῇ πόλει τῇ νῦν Δυῤῥάχιον, ἀπὸ τοῦ οἰκιστοῦ. *Agrum Epidamnii noſtra ætate tenent, quem iam ante ab initio: oppidum vero non idem, quod priſcis temporibus, ſed quod a vetere vrbe paululum abeſt, & a conditore Dyrrachium adpellatur.* Diſſentit a Strabone & in re & in origine vocabuli, quod ille a peninſula, hic a conditore ducit, quæ inter ſe conciliari forſan poſſunt, ſi per *conditorem* intelligas, qui nouam eo coloniam deduxit, nouumque ei a peninſula, in qua ſita eſt, nomen, vt Strabo ait, impoſuit. Ioſephus Scaliger in Euſebianis p. 84 Dyrrachium nauale, Epidamnum vrbem interpretatur, qui quod Græcorum conſenſione deſtitutus eſt, dicam ei Iſaacus Voſſius, ad Melam adnotationibus, ſcripſit. Potuit Romana colonia ad latus ædificare, quo factum, vt vetus vrbs intercideret, noua in dies incrementum caperet, vt nihilominus vrbs eadem cenſeretur. Pomponius lib. II cap. III *Dyrrachium, Epidamnos ante erat.* Ab Romanis autem & nomen nouum & coloniam nouam fuiſſe, clariſſime Plinius lib. III cap. XXIII exponit. *In ora*, inquit, *ciuium Romanorum Epidamnum colonia, propter inauſpicatum nomen a Romanis Dyrrachium adpellata.* Celebris inde in hiſtoria vrbs. Cicero exſul lib. XIV epiſt. I extrema: *Dyrrachium veni, quod & libera ciuitas eſt, & in me officioſa, & proxima Italiæ.* Et epiſt. III *Ego eo nomine ſum Dyrrachii hoc tempore, vt quam celerrime, quid agatur, audiam: & ſum tuto.* Portus enim huius vrbis Brundiſino reſpondebat, interque illos facillimus traiectus. Emporium quoque clariſſimum fuit populorum Hadriaticum ſinum accolentium. Cui ingens incrementum adferebat, quod, referente Aeliano Var. Hiſt. lib. XIII cap. XVI, Ἐπιδάμνιοι ἐπιδημεῖν καὶ μετοικεῖν παρεῖχον τῷ βουλομένῳ, *Epidamnii poteſtatem omnibus in ſuam vrbem migrandi & incolendi faciebant*, contra quam vicini Apollonienſes, Spartanos imitati, peregrinos expulerunt. Catullus carmine XXXVII dixit

Durra-

Durrachium Hadriæ tabernam,

quod illuc diuertere ſolebant qui per Hadriaticum nauigaſſent. Incolæ *Dyrrachini* Ciceroni, Liuio, aliis perſæpe.

Prope Dyrrachium *Panyaſus* fluuius, vt Ptolemæus vocat, in mare decurrit: a cuius oſtiis non longe abeſt locus, vt Cæſar notat lib. III Ciuil. cap. XLII, qui adpellatur *Petra*, aditumque habet nauibus mediocrem, vbi caſtra Pompeius, Dyrrachio interclusus communiuit. Nobilior *Apſus* fluuius Straboni, Ptolemæo, Lucano & Cæſari memoratus. Cæſar dicti libri cap. XIII de ſeipſo: *caſtra ad flumen Apſum ponit in finibus Apolloniatium:* & cap. XIX *Inter bina caſtra Pompeii atque Cæſaris vnum flumen tantum intererat, Apſus.* Inter rupes anguſte ruens euoluitur. Plutarchus Flaminio p. 370 τὰς περὶ τὸν Ἄψον ποταμὸν ἐμβολὰς καὶ τὰ στενὰ φυλάττων, *oſtia Apſi illasque fauces cuſtodiens* rex Philippus. Deinde *Genuſus* amnis inter Apſum & Apolloniam delabitur. Cæſar lib. III cap. LXXV de feſtinato ſuo itinere ab Apſo Apolloniam: *quum ventum eſſet ad flumen Genuſum, quod ripis erat impeditis.* Et cap. LXXVI *Cæſar, transducto exercitu flumen Genuſum, veteribus ſuis in caſtris contra Aſparagium conſedit.* Lucanus lib. V verſ. 461

Prima duces vidit iunctis conſiſtere caſtris
Tellus, quam volucer Genuſus, quam mollior Apſus
Circumeunt ripis. . . .

Apud Liuium lib. XLIV cap. XXX praue *Genuſuus amnis:* qui haud dubie cum Cæſare & Lucano *Genuſus* ſcripſit tribus ſyllabis. Sic ergo legendum: *Ap. Claudius, adſumtis ad eum exercitum, quem habebat, Bulinorum & Apolloniatium & Dyrrachinorum auxiliis, profectus ex hibernis circa Genuſum amnem caſtra habebat.* A ſiniſtra ripa Genuſi, ſiue Apolloniam verſus, fuit vel vicus vel caſtellum *Aſparagium*, quod modo ex Cæſaris deſcriptione cognouimus.

Apollonia, vrbs nobiliſſima, inde in auſtrum verſus ſita eſt, LX ſtadiis a mari, X ab *Aoo* flumine, vt Strabo tradit lib. VII p. 219: ſiue ſtadia L, vt Scylax habet in Periplo. Addit Strabo, a Corinthiis & Corcyræis conditam. Cicero Philipp. XI cap. XI *M. Brutum retinet etiam nunc C. Antonius, qui tenet Apolloniam, magnam vrbem & grauem: tenet, opinor, Byllidem: tenet*

Amantiam: instat Epiro, vrget Illyricum. Idem lib. XIII epist. XXIX de Macedoniæ quæstore: *quum signaretur argentum Apolloniæ, non possum dicere eum præfuisse, neque possum negare adfuisse.* Studia litterarum ibi floruisse, Octauiani Cæsaris exemplo constat, quem Iulius, auunculus maior, vt Velleius lib. II cap. LIX prodidit, *Apolloniam in studia miserat,* quum ipse Romæ interficeretur: & Suetonius de eodem cap. VIII *præmissus Apolloniam studiis vacauit.* Incolæ *Apolloniatæ*, Græca forma; & *Apolloniates*, Latina. Cicero in Pison. cap. XXXV *quum* CC *talenta tibi Apolloniatæ, dedissent.* Liuius lib. XXIV cap. XL *Castris direptis Apolloniatæ catapultas balistas tormentaque alia, quæ oppugnandæ vrbi comparatæ erant, Apolloniam deuexere. - - Hæc quum Oricum essent nuntiata*, reliqua: quæ addo, vt videas, cuius Apolloniæ ciues intelligantur: eius videlicet, quæ vicina Orico, ad mare sita est in Græcia. Cæsar autem lib. III Civ. cap. XII, *obsides ab Apolloniatibus exigere cœpit.* Et mox: *Apolloniates ad Cæsarem legatos mittunt.* Et ipse Liuius lib. XLII cap. XXXVI *in agro Apollinati castra habebat.*

Proxime ab austro flumen *Aoum* siue *Aeas* præterfluit. Scylax: ὁ Αἴας ποταμὸς παρὰ τοῦ Πίνδου ὄρους παρὰ τὴν Ἀπολλωνίαν παραῤῥεῖ, *Aeas fluuius, a Pindo monte delapsus Apolloniam præterfluit.* Strabo lib. VII p. 219 de flumine quod decem stadiis ab Apollonia decurrit, τὸν Ἄωον Αἴαντα καλεῖ Ἑκαταῖος, *Hecatæus ait, Aoum & Aeantem idem flumen esse.* Plinius lib. III cap. XXIII *Flumen Aous a quibusdam Aeas nominatum: Apollonia, quondam Corinthiorum colonia,* IV *M. passuum a mari recedens.* Et Mela lib. III cap. II extremo: *Aeas secundum Apolloniam emittitur.* Liuius lib. XXXII cap. V *præter amnem Aoum. is inter montes, quorum alterum Aeropum, alterum Asnaum incolæ vocant, angusta valle fluit, iter exiguum super ripam præbens.* Et cap. X *consulem & regem, vbi in arctissimas ripas Aous cogitur amnis, in colloquium adduxerunt.*

Sequitur in litore *Aulon*, Ptolemæi Αὐλὼν, πόλις καὶ ἐπίνειον, *Aulon, oppidum & nauale:* qui solus ex antiquis memorauit, certo argumento, ante ipsum non longo tempore fuisse vrbem, sed fortassis nauium stationem. Meminit etiam Antoninus itinere ab Hydrunte Aulonem & inde per Macedoniam. Hodie

Valona

Valona nominatur. Deinde eſt *Bullis* ſiue *Byllis*, Ptolemæi Βουλλίς. Stephanus: Βυλλὶς, πόλις Ἰλλυρίδος παραθαλασσία, *Byllis oppidum Illyridis maritimum.* Cæſar Civ. III cap. XL *commeatus Bullide atque Amantia importari in oppidum prohibebat.* Cicero Phil. XI cap. XI *C. Antonius tenet, opinor, Byllidem, tenet Amantiam.* Vnde Liuius lib. XXXVI cap. VII *Byllinum agrum* dixit: & lib. XLIV cap. XXX *Bullinorum & Apolloniatium auxilia.* Plinius lib. IV cap. X *coloniæ, Bullidenſis, & Dienſis.* Quæ a Cæſare & Cicerone coniungitur *Amantia*, vt in Byllide iam oſtendimus, Ptolemæi eſt Ἀμαντία in maritimis: nam etiam mediterraneam *Amantiam* habet, de qua vero, tacentibus ceteris, dubitatur. Situm demonſtrat Scylax, CCCXX ſtadiis ab Apollonia; LX ab Orico, prima vrbe Epiri, abeſſe.

Hæc de Græcorum Illyride maritima: difficilius limes in mediterraneis inuenitur. Dyrrachini agri videtur oppidum *Parthus* fuiſſe, vnde *Parthini*, populus, ſiue *Partheni.* Stephanus: Πάρθος, πόλις Ἰλλυρική, *Parthus vrbs Illyrica.* Situs quodammodo ex gente inde denominata cognoſcitur. Plinius III cap. XXIII *A Liſſo Macedoniæ prouinciæ: gentes Partheni, & a tergo eorum Daſſaretæ.* Mela II cap. III *Parthini & Daſſaretæ prima eius* [maris] *tenent: ſequentia Taulantii.* Ex quibus elucet, non longe a Dyrrachio fuiſſe *Parthum* oppidum. *Albanopolis* a ſolo Ptolemæo narratur cum gente *Albanorum* in Macedoniæ finibus: quam anguſtiori limite contentam fuiſſe oportet, quam nunc eſt ibi Albania. Daſſaretas etiam ad originem Illyricam referunt. Stephanus: Δασσαρῆται ἔθνος Ἰλλυρίας, *Daſſaretæ gens Illyrica*, quorum vrbs *Lychnidus* fuit, lacui adpoſita, quamquam longius remota eſt a mari. Liuius lib. XLIII cap. IX *ad Lychnidum Daſſaretiorum conſedit.* Stephanus: Λυχνιδός, πόλις Ἰλλυρίας, *Lychnidus, Illyridis oppidum.* Et Ptolemæus in Daſſaretiis poſuit: interque id & Albanopolim *Aeſtræum*, in gente *Aeſtræorum;* cuius ſitus ſi verus eſt, aliud id eſt ab *Aſterio*, quod in Pæonia Liuius lib. XL cap. XXIV; in Theſſalia Stephani breuiator collocauit. Inter Lychnidum & mare Ptolemæus Σκαμπεῖς, *Scampes*, plurale, quæ *Scampis* Antonini eſt itinere a Dyrrachio Byzantium, locauit.

Inter Albanos & Daſſaretas videntur etiam *Peneſtæ* fuiſſe,

a Liuio lib. XLIII cap. XVIII ſeq. diligentius deſcripti. Perſeus, inquit, *tertio die* [a Stubera] *ad Vſcanam (Peneſtianæ terræ ea maxima vrbs eſt) poſuit caſtra. - - erat autem ibidem cum iuuentute Illyriorum Romanum præſidium.* Et cap. XIX *Vſcanienſes ſe vrbemque dediderunt. Perſeus præſidio Vſcanæ impoſito multitudinem omnem deditorum Stuberam abducit. Ibi Romanis in cuſtodiam ciuitatum diuiſis, Vſcanienſibus Illyriisque venditis, in Peneſtiam exercitum reducit ad Oæneum oppidum in poteſtatem redigendum, & alioqui opportune ſitum; & tranſitus ea eſt in Labeates, vbi Gentius regnabat.* Et cap. XXI *Peneſtarum obſides Apolloniam, Parthinorum Dyrrachium* [ab Romanis] *miſſi.* Ex his *Peneſtiæ* ſitus, & vrbes *Vſcana* & *Oæneum*, quodammodo intelliguntur, vt non ſit quod Stephano accedamus, cui Peneſtæ ἔθνος Θεσσαλικὸν, *gens* ſunt *Theſſalica*.

Ad Aoum etiam Ptolemæi Δαυλία, *Daulia* fuit, quam ille in gente Εορδετῶν, *Eordetarum* ponit, quorum regio an *Eeordæa* Liuii eſt lib. XXXI cap. XL, Polybii excerptis lib. XVII cap. XIX Εορδαία? negant nonnulli: mihi vero non videtur ab illa longius declinare. Deinde eſt Ἔλυμα Ptolemæi in Ελυμιωτῶν, *Elymiotarum* populo. Regio *Elimea* Liuio dicto loco, & *Elimiotis* lib. XLV cap. XXX dicta. Vir clariſſimus Iacobus Palmerius ad interiora Macedoniæ trahit, inductus Perſei itinere quod Liuius lib. XLIII cap. XXI ita deſcripſit: *Et Perſeus in Elimeam profectus, & circa eam exercitu luſtrato, ad Stratum, vocantibus Epirotis, ducit.* Mihi vero minus ex hoc id loco perſuadetur, vt longe Ptolemæum aberraſſe credam: alibi autem idem Liuius habet, quod maximopere me dubium relinquat. Libro XLII cap. LIII ait: *Profectus inde* [Perſeus] *toto exercitu Eordæam petens, ad Begorritem quem vocant lacum, poſitis caſtris; poſtero die in Elimeam ad Haliacmona fluuium proceſſit.* Longe Haliacmon abeſt, mediam percurrens Macedoniam, quum Ptolemæi poſitio *Aoum* potius fluuium poſcat, qui Elimeorum regionem, vel finiat tangendo, vel penitus etiam interluat. Aut ergo Liuius in nomine errauit fluminis, aut omnia Ptolemæi in hac ora ſunt immutanda. Nec crediderim facile, Elimeam ſeu Elimiotin in propria Macedonia fuiſſe. In diuiſione enim regni lib. XLV cap. XXX tradit Liuius: *Quartam regionem Eordæi & Lynceſtæ & Pelagones*

gones incolunt: iuncta his Atintania, & Stymphalis, & Elimiotis. IVNCTA autem aliquid adiectum & contributum Macedoniæ notat, quod per se illius non fuerat.

Est etiam circa Aoum in Apolloniati agro *Nymphæum* dictus locus, de quo Plutarchus in Sulla pag. 468 ἡ δὲ Ἀπολλωνία πλησίον ἐςὶ, καὶ πρὸς αὐτῇ τὸ Νύμφαιον, ἱερὸς τόπος, ἐκ χλοερᾶς νάπης καὶ λειμώνων ἀναδιδοὺς πυρὸς πηγὰς σποράδας ἐνδελεχῶς ῥέοντος, *Prope* [Dyrrachium] *est Apollonia, & in vicino Nymphæum, sacer locus, qui ex virenti valle & pratis perpetuo manantis ignis venas dispersas eructat.* Dio Cassius lib. XLI pag. 174 locum plenius descripsit, ignem illum neque terram, ex qua exsultet, ἐκπυροῦν, *inflammare*, neque ξηροτέραν ποιεῖν, *aridiorem facere*, sed herbas arboresque prope illum gigni, quæ imbribus adolescant vigeantque, καὶ διὰ τοῦτο αὐτό τε Νυμφαῖον ὀνομάζεται, *ideoque illum locum Nymphæum adpellari.* Addit ibidem μαντεῖον, *oraculum* existere huius indolis, vt, si ratum votum sit, thus, ad ignem coniectum, consumatur; sin irritum, thus non accipiatur ab igne, sed ab illo refugiat. Liuius quoque meminit huius loci lib. XLII cap. XXXVI, *ad Nymphæum*, inquit, *in agro Apolloniati castra habebat.*

Tandem *Orestidis* regionis, Ὀρεςίδος, vt in ora sunt *Amantia* & *Celydni* fluminis ostia, ita intus alia *Amantia* eidem a Ptolemæo datur, de qua supra dubitauimus: minus de Liuii *Celetro*, in lacus sito peninsula, de quo ita scripsit lib. XXXI cap. XL *Peruastatis passim agris, in Elimœam se recepit. Inde impetum in Orestidem fecit, & oppidum Celetrum est adgressus, in peninsula situm. Lacus mœnia cingit. - - - Ab Celetro in Dassaretios processit, vrbemque Pelium vi cepit.* Omnis autem hæc Illyris Græca postmodum Macedoniæ, vt supra demonstraui, est adnumerata.

Populi huius partis erant varii, plerique supra iam commemorati. A septemtrione in ora *Parthini* siue *Partheni* (nam Παρθενοὶ Polybio lib. II cap. XI, quæ diphthongus ambigue Latinis scribitur) de quibus supra in vrbe *Partho* actum fuit. Deinde sunt *Taulantii*, de quibus Thucydides lib. I pag. 17 προσοικοῦσι αὐτὴν [Ἐπίδαμνον] Ταυλάντιοι βάρβαροι, Ἰλλυρικὸν ἔθνος, *Epidamno finitimi sunt Taulantii barbari, gens Illyrica.* Iac. Palmerius Antiq. Græc. lib. I cap. XXXIV ita censet: *Taulantiorum olim*

vicini, & postea successores Parthini fuerunt. Id ex Polybii libro II colligit, qui bello contra Illyrios circa Dyrrachium gesto de Parthinis non vno loco meminerit, Taulantiorum ne semel quidem mentionem habeat. At Liuius illorum æque vt Parthinorum antea (lib. XLIII cap. XX) mentionem facit lib. XLV cap. XXVI; Mela quoque & Plinius vtriusque gentis rationem habent: & Ptolemæus Taulantios longe per oram illam extendit, iisque & Dyrrachium, & Apolloniam & Aulonem attribuit, nulla mentione Parthinorum facta, vt vel huius auctoritate, si Palmerii argumentum valeat, probare e contrario possis, Taulantios Parthinis successisse. Distinctos ergo hos populos non minus, quam coniunctos & finitimos, mansisse vtique censemus, præsertim illo tempore, de quo agit Polybius; ita tamen vt nunc hic, nunc ille præualuerit. Hinc mentionis inæqualitas: nec iidem semper fines; quos Pomponius lib. II cap. III videtur optime, si omnino discerni potuerunt, designasse. *Parthini*, inquit, *& Dassaretæ prima eius* [maris] *tenent: sequentia Taulantii.* Ad latus habitabant *Albani:* in austrum versus *Eordæi* siue *Eordetæ*, quorum tam illos Palmerius, vt Macedonas, ab his, tanquam Illyriis, non tantum ortu, sed sede etiam distinctos vult esse, neque vero probauit: & *Elymæi* siue *Elimei:* & tandem *Orestæ*, qui Orestidem incolebant, iudicio Stephani, Μολοσσικὸν ἔθνος, *gens Molossica*, fortasse eo censu habiti, quia Epirum, cuius Molossi sunt, attingebant. De regione supra diximus in Celetro & Amantia: Strabo autem Orestiadem cuius populus Ὀρέσται, *Orestæ* sunt, ad Epirum lib. VII pag. 225, in cuius limite sunt, adnumerauit.

MACEDONIA.

Quam exposuimus Græcorum partem Illyricam, postea in ipsa censa fuit, vt prædiximus, Macedonia. Ordo ergo postulat, vt Macedoniam propriam nunc ingrediamur, cuius breuiores fines sub antiquis regibus fuerunt, laxiores sub posterioribus. Ab occasu Illyris Græca secundum plurimos, vt diximus, accessit, quam vero Cæsar quoque a Macedonia, more veterum, lib. III Ciuil. Belli distinxit: manente Boreæ & Orientis limite, Hæmo monte & Aegæo mari, inter vtrumque terminus, qui


Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens
MACEDONIA, THESSALIA, EPIRVS.
DALMATIAE PARS
ADRIATICI MARIS PARS
IONIVM MARE
MARE AEGAEVM
MACEDONIA ADIECTA
THRACIAE PARS
BISALTICA
MACEDONIA
PAEONIA
THESSALIA
EPIRVS
CHAONIA
THESPROTIA
MOLOSSIS
MAGNESIA
PHTHIOTIS
PARS EVBOEAE
SINVS THERMAICVS
Sinus Singiticus
Pagasaeus Sinus
Sinus Ambracius
Sinus Maliacus
Pelagonia
Mygdonia
Emathia
Elimiotis
Orestis
Atintanes
Aestraei
Albani
Almopi
Edones
Pallene
DORIS
Amphilochi
Acroceraunii montes
Thessalonica
Larissa
Pella
Dodona
Apollonia
Scodra
Lissus
Aulon
Oricum
Buthrotum
Actium
Lamia
Hypata
Heraclea
Thermopylae
Demetrias
Iolcos
Pharsalus
Cranon
Gomphi
Tricca
Phaestus
Heracleum
Dium
Pydna
Methone
Aloros
Beroea
Cyrrhus
Europus
Idomene
Amphipolis
Philippi
Neapolis
Berga
Stagira
Acanthus
Olynthus
Potidaea
Torone
Thasus
Peparethus

qui Strymon flumen antea erat, ad vſque Neſtum fluuium & vltra, ab ortu æſtiuo fuit prorogatus: a meridie acceſſit Theſſalia, & ipſa quoque Epirus in hibernum occaſum Macedoniæ regno oppoſita. Iam primum agemus de veteri proprieque dicta Macedonia.

Limes ab occaſu eſt incertior, vbi Illyricas gentes attingebat. Hinc diſſenſus auctorum de Elymæis ſiue Elimeis; de Eordæis ſiue Eordetis Ptolemæi eſt, quos alii ſeparant vt diuerſas gentes, alii coniungunt vt vnam, quamuis ſedes, ſi Ptolemæo non licet fidere, difficulter ex hiſtoriis adſignatur. Ipſi quoque Daſſaretæ, ſecundum plurimos gens Illyrica, ſi recte intuemur, in mediam pæne excurrit Macedoniam. Quod Plinius & Ptolemæus de Macedonia, vt ipſorum temporibus erat, iudicarunt; ſequemur, in veteri deſignanda, Aemilii Paulli diuiſionem, a Liuio lib. XLV cap. XXIX deſcriptam, inuerſo tamen ordine, quia is ab ortu in occaſum progreditur; nos ab occaſu in ortum, vt ſolemne eſt geographis, progrediemur: & quam ille trans Strymonem adiecit partem, ſeparatim exponemus vt ἐπίκτητον ſiue adiectam.

Iuuat Liuii verba tantum ex repetitione cap. XXX cognoſcere. *Pars prima*, inquit, *Biſaltas habet, fortiſſimos viros: trans Neſſum amnem incolunt, & circa Strymonem: & multas frugum proprietates, & metalla, & opportunitatem Amphipolis, quæ obiecta claudit omnes ab oriente ſole in Macedoniam aditus. Secunda pars celeberrimas vrbes Theſſalonicen & Caſſandriam habet: ad hoc Pallenen fertilem ac frugiferam terram: maritimas quoque opportunitates ei præbent portus ad Toronem ac montem Atho, alii ad inſulam Euboeam, alii ad Helleſpontum opportune verſi. Tertia regio nobiles vrbes Edeſſam & Beroeam, & Pellam & Vettiorum bellicoſam gentem: incolas quoque permultos Gallos & Illyrios impigros cultores. Quartam regionem Eordæi, & Lynceſtæ, & Pelagones incolunt. Iuncta his Atintania, & Stymphalis, & Elimiotis.* Ordinem, dixi, ex geographiæ rationibus inuertemus, vt quarta Liuii fiat pars prima expoſitionis noſtræ: de qua idem cap. XXIX prædixerat: *Quarta regio trans Boram montem vna parte confinis Illyrico, altera Epiro.*

Primum ſunt ALMOPII, vbi Hæmus & Scardus montes ſe con-

contingunt; quibus Ptolemæus *Hormam* & *Europum* dat: gens obscura, dicti *Almopii* Plin. IV cap. X: Ἀλμοποὶ Ptolemæo Pal. cod. & verius Ἀλμῶπες, ac regio Ἀλμωπία, Thucyd. lib. II pag. 170. *Bora* mons solius est Liuii dicto loco: diuersus positione a Vibii *Borea*, quem ad Dyrrachium locauit. Vlterior in septemtrione est PELAGONIA, incolentes *Pelagones*, Πελαγόνες. Strabo VII p. 225 ἡ τριπολῖτις Πελαγονία, *trium vrbium Pelagonia*. Ptolemæo quidem tantum duæ vrbes memoratæ, *Adaristus*, vt in Tabula & versione est, Græce Ἀδάτηστος, ignota ceteris; & *Stobi*: quibus addenda *Pelagonia* Liuii, vrbs suæ regionis primaria. Ille enim dicto cap. XXIX *capita regionum, vbi concilia fierent, primæ regionis Amphipolim, secundæ Thessalonicen, tertiæ Pellam, quartæ Pelagoniam* [Aemilius Paullus] *fecit*. Ergo præcipua illius gentis fuit: nec vero Stobi forsan binomines fuere. nam ibidem subsequitur, *vt Stobos Pæoniæ deueherent*. Pæoniæ, id est Pelagoniæ, vti etiam lib. XXXIII cap. XIX idem dixerat *circa Stobos Pæoniæ*: vbi *Pelagoniæ* Glareanus ex Ptolemæo substituit sine caussa. Nam, vt Strabo in excerptis libri VII ait, οἱ Παίονες πελαγόνες ἐκαλοῦντο, *Pæones vocabantur Pelagones*. Et Plinius lib. IV cap. X *Pelagones* in *Pæoniæ gentibus* numerauit. Pæonia autem propria ibidem, paullo ante, a Pelagonia distinguitur. *Partem*, inquit, *septemtrionalem* [Macedoniæ] *Pæonia ac Pelagonia protegunt a Triballis*. Sed hæc obiter ad Liuii lectionem tuendam explicandamque. Olim interiisse *Pelagoniam* metropolim, ex eo verisimile est, quia post Liuium, Macedonici belli scriptorem, nemo postea memorauit. *Stobi* autem incrementa ceperunt & illustriores facti sunt. Plinius dicto loco: *oppidum Stobi ciuium Romanorum*. Et Lege vlt. Dig. de Censibus: *In prouincia Macedonia Dyrracheni; Cassandrenses, Philippenses, Dienses, Stobenses iuris Italici sunt*. In nummo Vespasiani MVNIC. STOBENS. apud Vaillantium: & alio: MVNICIP. STOBENS. Et Traiani: MVNICIP. STOBENSIVM. De Ptolemæi *Pæonia* mox dicturi sumus.

Sequuntur huius partis LYNCESTAE, & regio eorum LYNCESTIS, Λυγκηστὶς Ptolemæi. Ab oppido *Lynco* nomen habet, quod perperam Stephanus in Epiro scripsit, falso ad Strabonem prouocans; quum & Thucydides lib. IV p. 333 in media Maco-

Macedonia ponat: & lib. III p. 169 τῶν Μακεδόνων εἰσὶ καὶ Λυγκησταὶ, *Lynceſtæ ſunt in Macedonia.* Straboni Λυγκισταὶ, *Lyncistæ* dicti. Ptolemæus huic genti ſolam *Heracleam* adſcripſit, quæ ipſius ætate caput fuit, deleta Lynco fortaſſis vel diminuta. Hæc videtur eſſe, quam Malchus rhetor in Excerpt. Legat. in Pelagonia poſuit. Supra hos Ptolemæi eſt *Pæonia* in occaſum vna vergens, ceterum in boream a Lynceſtide reducta. Duæ vrbes in ea recenſentur, Δήβορος, *Deborus*, & Ἄλωρος, *Alorus.* Prior Thucydidi lib. III pag. 169 eſt Δόβηρος ἡ Παιονικὴ, *Doberus in Pæonia*, vt in alterutro vocales tranſpoſitas eſſe oporteat. Sed videtur in ortum magis Thucydides reduxiſſe. Quum vero nihil certi poſſit conſtitui, in tabula noſtra Ptolemæum, quamquam non magis certum, ſequuti ſumus.

Ad hanc partem Liuius etiam *Eordeos* refert, de quibus Thucydides lib. II pag. 170 ἀνέστησαν καὶ ἐκ τῆς νῦν Εορδίας καλουμένης Εορδοὺς, ὧν οἱ μὲν πολλοὶ διεφθάρησαν, βραχὺ δέ τι αὐτῶν περὶ Φύσκαν κατῴκηται, *Eiecerunt etiam ex Eordia, vt nunc vocatur, Eordos: quorum permulti deleti ſunt, aliquantulum vero ex iis circa Phyſcam ſedem habet.* Si Phyſca illa Φύσκαι Ptolemæi ſunt, quas in Mygdonia ipſe repoſuit; deletos Eordos citeriorem locum incoluiſſe neceſſe eſt, ſi cum Liuii *Eordeis* debent conuenire. Phyſcæ enim Ptolemæi extra Liuii illam regionem ſunt, videlicet occidentalem Macedoniæ, vbi etiam *Eordetas* ſuos (Εορδέτας) Ptolemæus collocauit; ſaltem non longe ab Liuii Eordeorum, quos vocat, ſede. Plinio ſunt *Eordenſes*: Herodoto lib. VII cap. CLXXXV Εορδοί. Oppida Ptolemæi ſupra vidimus: vlteriora, vbi fere Thucydidis fuere *Eordi*, & fortaſſe etiam, ſaltem ex parte, Liuii, ignorantur. Strabo lib. VII p. 223 ait, viam Egnatiam ferre per Heracleam, Lynceſtas, Eordos ad Edeſſam, Pellam, Theſſalonicam: qui ordo ſi ſe recte habet, ægre Liuius Straboni conciliatur, quod quæ vltra Lynceſtas in ortum ſunt, extra quartam Liuii (noſtram primam) regionem cadunt, *vna parte confinem Illyrico, altera Epiro*, vt ipſe definit cap. XXIX.

Huius tractus eſt etiam *Candauia*, aut in ora eius ad Illyricas gentes, quam Strabo lib. VII pag. 227 ὄρος Ἰλλυρικὸν, *montem Illyricum* vocat. Aſper locus & montoſus tractus, non mons vnus; per quem a Dyrrachio & Apollonia in interiorem Macedoniam

per Lychnidum, Heracleam, Lynceſtas, Edeſſam, & Pellam ad mare ducebatur, vt dicto loco deſcriptum a Strabone eſt. Abeſt a Dyrrachio LXXVIII millibus paſſuum, quod Plinius obſeruauit lib. III cap. XXIII. Cicero lib. III Attic. ep. VII *aut accedemus in Epirum, aut tarde per Candauiam ibimus.* Cæſar lib. III Civ. cap. LXXIX *Pompeius per Candauium iter in Macedoniam expeditum habebat.* Seneca epiſt. XXXI *Hoc eſt ſummum bonum : - - - Quomodo,* inquis, *iſto peruenitur ?* non *per Peninum Graiumve montem, nec per deſerta Candauiæ.* De via poſtmodum ſub finem Macedoniæ agemus.

Addit Liuius de eadem parte ſiue regione : *Iuncta his Atintania, & Stymphalis, & Elimiotis.* Dum IVNCTA dicit, aliunde hanc acceſſionem factam & contributam eſſe ſignificat. Strabo enim lib. VII pag. 225 *Atintanes* & *Tymphæos* (qui Stymphalii ſunt, vt poſtea probabimus) inter Epiri gentes cenſuit. Ἠπειρῶται δ' εἰσὶ καὶ Ἀμφίλοχοι, καὶ οἱ ὑπερκείμενοι καὶ συνάπτοντες τοῖς Ἰλλυρικοῖς ὄρεσι, τραχεῖαν οἰκοῦντες χώραν, Μόλοττοί τε καὶ Ἀθαμᾶνες, καὶ Αἴθικες, καὶ Τυμφαῖοι, καὶ Ὀρέσται, Παρωραῖοί τε καὶ Ἀτιντᾶνες, *Epirotæ,* inquit, *ſunt etiam Amphilochi, & qui Illyrios montes attingunt, aſpera incolentes loca, Moloſſi, Athamanes, Aethices, Tymphæi, Oreſtæ, Paroræi, Atintanes.* Memorauit ATINTANES etiam Polybius lib. II cap. V extr. Epirotas ab Illyriis ad extremam ſuam vrbem Antigoneam victos διαφυγεῖν ὡς ἐπὶ Ἀτιντάνων, *ad Atintanes verſus confugiſſe :* memorauit quoque Thucydides lib. II pag. 154, eoſdemque cum Moloſſis coniunxit. Μολοσσοὺς, inquit, ἦγε καὶ Ἀτιντᾶνας Σαβύλινθος, Moloſſorum & Atintanum dux erat Sabylinthus. Regionem Stephanus perinde ac Liuius dixit Ἀτιντανίαν, quam μοῖραν Μακεδονίας, *Macedoniæ partem* interpretatur.

Stymphalis Liuii conſonat Ptolemæi *Stymphaliæ*, cui Gyrtonem oppidum tribuit : ſed vtrumque nomen ſuſpectum eſt Palmerio, in Arcadiam potius, quam Epiri oram, inferendum. Legi vult *Stymphæis* & *Stymphæa*, Στυμφαία, extruſo λ ; cuius ſint Στυμφαῖοι, *Stymphæi* cultores : qui alia dialecto Τυμφαῖοι a Strabone adpellantur. Id quod ex Arriani loco lib. I Exped. Alex. pag. 19 clarius elucet : ἄγων δὴ παρὰ τὴν Ἐορδαίαν τε καὶ τὴν Ἐλυμιῶτιν, καὶ παρὰ τὰ τῆς Στυμφαίας καὶ Παρυαίας ἄκρα, ἑβδομαῖος ἀφικνεῖται ἐς Πελλήνην τῆς Θετταλίας, *Eordæam itaque & Elymiotin,*

rupes-

rupesque Stymphaas & Paryaas cum exercitu pratergressus, septimo die Pellenen Thessalia urbem peruenit. Nomen a monte Στυμφη, *Stympha* est. Strabo dicto loco de Arachto fluuio: ἀρχόμενος ἐκ Στύμφης ὄρους, *profluit ex monte Stympha:* de quo eodem Stephanus: Τύμφη ὄρος Θεσπρωτικόν, *Tympha mons Thesprotia.* Thesprotia autem heic laxe dicta, vt Molossidem quoque contineat, ad cuius fines mons Tympha procurrit & regio Tymphæa. Βόες Τυμφαΐδες, *Tymphaica boues* laudantur Callimachi hymno in Dianam verſ. 178, quo paſcuorum copia Tymphææ regionis indicatur.

De *Elimiotide* ſupra dictum, quæ in gentes Illyricas vſque extenſa fuit, quam modo Arrianum Ελυμιῶτιν ſcripſiſſe intelleximus. Thucydides lib. II pag. 169 ſcripſit Ελειμιώτας, quos cum Lynceſtis coniungit. Vt autem ſcriptura variat, ita non eamdem illis ſedem adſignant: ex Liuii tamen, quam explicamus, loco cognouimus, ad occaſum & Epirum verſus ſpectaſſe, vt pars in Illyricis gentibus ſita eſſet, pars in Macedoniam ipſam produceretur. *Parorai*, Παρωραῖοι, Tymphæis fuere finitimi, vti ex Strabonis loco ſupra oſtenſo perſpicitur. Alia ergo Strabonis hoc loco *Parorea* eſt: alia *Paroreia Thracia*, quam Liuius memorauit lib. XXXIX cap. XXVII extr.

Tertia pars Liuii (noſtra ſecunda) inter Axium & Penêum amnes contenta, nobiliſſimas vrbes Edeſſam, Berœam, Pellam cum parte Pœoniæ habuit. Bellicoſam *Vettiorum* gentem attribuit Liuius: ſed ignota illa & ſuſpecti nominis. Cap. XXIX ita definit idem: *Tertia pars facta, quam Axius oriente Penêus amnis ab occaſu, cingunt: ad ſeptemtrionem mons Bora obiicitur. Adiecta huic parti regio Pœonia, qua ab occaſu præter Axium amnem porrigitur: Edeſſa quoque & Beroea* (cap. XXX additur Pella) *eodem conceſſerunt.* Quod vero Penêus Theſſaliam ſecat, quam ſeparatim, vt diſtinctam a Macedonia regionem, illuſtraturi ſumus, partem illam Theſſaliæ in præſenti nos præterituros eſſe, & ſuo loco reſeruaturos, præſignificamus.

In ſeptemtrione huius regionis inter Axium & Erigonem amnes eſt DEVRIOPVS, pars Pæoniæ magnæ, Straboni lib. VII pag. 225 ἡ Δευρίοπος, cuius flumina poſt paullo dicit in Erigonem delabi, & cum illo in Axium: Oppida eius tractus nominat,

 tam-

tamquam Δευριοπῶν πόλεις, *Deuriopοrum vrbes*, *Bryanium*, *Alalcomenas*, & *Stymbaram*: quibus addenda videtur, nisi eadem, quæ *Stymbara* est, Liuii *Stubera* lib. XLIII cap. XVIII & XX; Polybii Legat. LXXVI Στυβέῤῥα vnde Illyricam expeditionem per Penestas rex Perseus iniuit, ibidemque captiuos vendidit, legatos Gentii audiuit, atque ita non breue tempus in vrbe illa moratus fuit. Liuius lib. XXXIX cap. LIII de Deuriopo: *Oppidum in Deuriopo condere* [ex Thracia reuertens rex Philippus] *instituit. Pæonia ea regio est prope Erigonum fluuium, qui ex Illyrico per Pæoniam fluens, in Axium amnem editur. Haud procul Stobis, vetere vrbe, nouam vrbem Perseida, vt is filio maiori haberetur honos, adpellari iussit.* Quod si, vt συναφεία videtur comprobari, vrbs noua illa, haud procul Stobis sita, in Deuriopo fuit a Philippo condita; ipsi Stobi, a Ptolemæo trans Axium locati, ad Erigonum versus reducendi magis videntur. Etenim plures vrbes Deuriopi Straboni sunt ἐπὶ τῷ Ἐρίγωνι, *supra Erigonem* fluuium, qui recto casu huic Ἐρίγων, Liuio *Erigonus* est. Esse autem maiorem illum, qui ab occasu adlabitur Axium; Strabo ibidem adseuerat, dum flumina, quæ recipit, non minus ex Illyricis montibus & Lyncestide, quam ex Deuriopo oriri testatus est: quæ δεξάμενος εἰς τὸν Ἄξιον ἐκδίδωσι, *accipit, & in Axium effundit.*

Ad cetera Pæoniæ, cis Axium sitæ, adgredimur. Thucydides lib. IV pag. 337 de Brasida refert, quum a Lyncestis se reciperet, & Toronam cogitaret, *Arnissam* adiisse, πρώτην τῆς Περδίκκου ἀρχῆς, *primam vrbem regni Perdiccæ*, id est propriæ Macedoniæ. Vltra ergo Lyncestas fuit in ortum & in septemtrionem simul reducta: quam perperam Ptolemæus in Taulantiis, maritima gente, reposuit. Liuius lib. XL cap. III *Emathiam* tum dictam ait, *quæ quondam adpellata fuerat Pæonia.* EMATHIA præstantissima pars Macedoniæ & nobilissimis prædita vrbibus, quas Ptolemæus recenset, ab occasu pro lege geographiæ incipiens. Primum ponit obscuriora oppida, quæ Lyncestidis fines & Dassaretiæ prope contingunt, *Tyrissam*, vnde *Tyrissei* sunt Plinio: deinde *Scydram*, & Μύεζαν, *Myezam*, supra flumen *Haliacmona* sita oppida. *Haliacmon* siue *Aliacmon* amnis ex Penestis procurrens Lyncestidem & Emathiam ab austro prætercurrit, & a Thessalia Macedoniam proprie dictam separat. Cæsar lib. III

Civ.

Civ. cap. XXXVI *M. Fauonium ad flumen Haliacmonem, quod Macedoniam a Thessalia diuidit, cum cohortibus* VIII *præsidio impedimentis legionum reliquit.* Liuius quidem lib. XLII cap. LIII scripsit, *in Elimeam ad Haliacmona fluuium processit:* sed supra indicauimus, quam dubia Elimeorum sit positio, quos Ptolemæi dispensatione Aous potius, quam Haliacmon, perfluit. Et Claudianus B. Getic. vers. 179

Et frustra rapidum damnant Aliacmona Bessi.

Interiora Emathiæ tenent *Cyrrhestæ*, quos Plinius in Macedonia lib. IV cap. X memorauit: quorum vrbs *Cyrrhus* est, praue in Ptolemæi libris Κυῤῥος scripta; & regio *Cyrrhestis*. Thucydides lib. II pag. 170 ἐς τὴν ἄλλην Μακεδονίαν προὐχώρει τὴν ἐν ἀριστερᾷ Πέλλης καὶ Κύῤῥου, *in reliquam progressus est Macedoniam, quæ ad sinistram Pellæ iacet & Cyrrhi.* Supra eam *Idomene* & *Gortynia* oppida. Thucydides dicto loco: εἷλεν Εἰδομένην μὲν κατὰ κράτος. Γορτυνίαν δὲ ὁμολογίᾳ, *Idomenen vi cepit: Gortyniam deditione.* Ptolemæus Ἰδομένη scripsit sine diphthongo: etiam lib. III Thucydides pag. 249 sine illa, casu autem plurali τῶν ἐν Ἰδομέναις, *eorum qui Idomenis erant.* Stephanus vtrumque exemplum diversis locis, quasi diuersa oppida, exposuit, sed vnum idemque est, nec rara illa diphthongi & vocalis simplicis, præsertim in nummis, permutatio. *Gortynia* autem Thucydidis, est Plinii *Gordynia*, qui cum Scydra & Mieza, antea dictis oppidis, coniunxit: etiam Stephanus; Γορδυνία, πόλις Μακεδονίας, *Gordynia, vrbs Macedoniæ:* Ptolemæus autem Γορδηνία, *Gordenia*, qui fortassis lapsus est describentium.

Prope Gordyniam fuit *Edessa*, quam Ptolemæus Αἴδεσσαν, *Aedessam* biuocali nominat: ceteri simplici littera. Antiqua regia fuit Macedonum ante Pellam; quæ quum capta esset caprarum gregis ductu, quem inter pluuias nebulasque hostes sequebantur; ab euentu nomen induit, & Aege, Aegæ, Aegia, ac Aegæa, Græce Αἰγὴ, Αἰγαὶ, Αἴγεια, Αἰγαία fuit adpellata. Iustinus lib. VII cap. I de Carano: *Quum in Emathiam venisset, vrbem Edessam, non sentientibus oppidanis propter imbrium & nebulæ magnitudinem, gregem caprarum, imbrem fugientium sequutus, occupauit. Vrbem Edessam ob memoriam muneris Aegeas, populum Aegeadas, vocauit.* Male ergo Ptolemæus Aedessam & Aegæam distinxit vt duas vr-

bes Emathiæ. Philippus Amyntæ hinc regiam ſedem transtulit, & *Pellæ* conſtituit, vt tamen ſepulcra regum in vrbe veteri religionis cauſſa etiam in poſterum manerent. Plinius lib. IV cap. X *Oppida, Aegæ, in quo mos ſepeliri reges.* Et Diodorus lib. XIX cap. LII de Caſſandro: Εὐρυδίκην καὶ Φίλιππον, τοὺς βασιλεῖς, ἔθαψεν ἐν Αἰγαῖς, καθάπερ ἔθος ἦν τοῖς βασιλεῦσι, *Eurydicen & Philippum reges ſepeliuit Aegis, vt mos fuit regibus.* Etiam aliæ ſolemnitates non numquam, ſede iam regum mutata, ibidem celebratæ ſunt, quod nuptiis Alexandri Epirotæ & Philippi filiæ Cleopatræ, ἐν Αἰγαῖς τῆς Μακεδονίας peractis, vt Diodorus lib. XVI cap. XCIII tradit, luculenter manifeſtat. In qua vrbe etiam inter ipſas nuptias rex Philippus interfectus fuit. Corn. Nepos in Regibus: *Philippus Aegis a Pauſania, quum ſpectatum ludos iret, iuxta theatrum occiſus eſt.* Polybius veteri nomine adpellat Ἔδεσαν, quod Σ Iuſtinus, Ptolemæus & Antoninus duplicarunt. Ille vero lib. V cap. XCVII ἧκεν εἰς Ἔδεσαν, *Edeſam venit.* quam regiam olim fuiſſe idem Diodorus in Excerptis Valeſ. p. 266 teſtatur: τὰς Αἰγέας διαρπάσας ὁ Πύῤῥος, ἥτις ἦν ἑστία τῆς Μακεδονικῆς βασιλείας, *Aegeas Pyrrhus diripuit, quæ ſedes Macedonum regia fuit.* Gentile Liuius lib. XLII cap. LI habet, *Antiphilus Edeſſæus.*

Nobilis vrbs quoque *Berœa* fuit ab Edeſſa in auſtrum, a Cyrrho in ortum hiemalem vergens, ſita ad radices montis *Bermii.* Strabo excerptis libri VII ἡ Βέῤῥοια πόλις ἐν ταῖς ὑπωρείαις κεῖται τοῦ Βερμίου ὄρους, *Berœa ad radices montis Bermii ſita eſt.* Sic etiam diuinus ſcriptor Act. Apoſt. XVII, & Stephani breuiator, vterque Βέῤῥοια, & Plinius *Berœa* hoc nomen tradiderunt: Ptolemæus Βέῤῥοια, littera geminata, quæ etiam Thucydidis ſcriptura eſt lib. I pag. 40, ἀφικόμενοι ἐς Βέῤῥοιαν, *venientes*, inquit, *Berrhœam.* Atque ita etiam Philoſtorgius lib. IX cap. VIII μετάγεται Δημόφιλος ἀπὸ Βεῤῥοίας ἐν Κωνσταντινουπόλει, *transfertur Demophilus a Berrhœa Conſtantinopolim.* Epiſcopum enim habuit quum Chriſtiani rerum potirentur. Gentile duplex reperitur: Polybii Legat. LXIX Μήδων Βεῤῥοιεὺς, *Medo Berœenſis:* & apud Stephanum Βεῤῥοιαῖος: atque ita etiam in nummis Traiani & Antonini Pii ΒΕΡΟΙΑΙΩΝ, niſi ad Syriacam Berœam referre nummos malueris.

Tandem regiam alteram, eamque ſplendidiorem accedimus,

mus, *Pellam*, quæ propior mari eſt in limite ſita Emathiæ, ideoque Herodotus *Bottiaæ*, maritimæ regioni, attribuit. Lib. VII cap. CXXIII Βοττιαιίδος, inquit, ἔχουσι τὸ παρὰ θάλασσαν στεινὸν χωρίον πόλις Ἴχναι τε καὶ Πέλλα, *Bottiaidis anguſtum ad mare ſpatium vrbes Ichna & Pella occupant:* ſed quia inter eam & mare aliquantum ſpatium intercedit, malumus in Emathia cum Ptolemæo cenſere, quam cum iſto in Bottæide. Situm deſcripſit Liuius lib. XLIV extremo: *Conſul a Pydna profectus cum toto exercitu die altero Pellam peruenit, - - - quam non ſine cauſſa delectam eſſe regiam advertit. Sita eſt in tumulo vergente in occidentem hibernum. cingunt paludes inexſuperabilis altitudinis æſtate & hieme; quas reſtagnantes faciunt lacus. In ipſa palude, qua proxima vrbi eſt, velut inſula, arx eminet, aggeri operis ingentis impoſita, qui & murum ſuſtineat, & humore circumfuſæ paludis nihil lædatur. Muro vrbis coniuncta procul videtur. diuiſa eſt intermurali amni, & eadem ponte iuncta; vt nec, oppugnante externo, aditum ab vlla parte habeat, nec, ſi quem ibi rex includat, vllum, niſi per facillimæ cuſtodiæ pontem, effugium.* Flumen quod adluit, arcemque ab vrbe disiungit, *Ludias* eſt ſiue *Lydias*. Strabo ſub finem libri VII in excerptis: εἶτα Ἐρίγων καὶ Λουδίας ποταμοί· ἀπὸ δὲ Λουδίου εἰς Πέλλαν πόλιν ἀνάπλους, στάδια ρκ, *Dein Erigon & Ludias amnes: a Ludiæ autem oſtio ad Pellam aduerſo amne nauigatur per* CXX *ſtadia.* Tanto interuallo vrbs abeſt a mari. Ptolemæus habet Λυδίου ποταμοῦ ἐκβολὰς, *oſtia amnis Lydiæ*, ſine diphthongo; atque ita etiam Herodotus lib. VII cap. CXXVII. Labitur ex lacu, quem Axii ἀπόσπασμα auget, vt ibidem Strabo adnotauit. Vrbs Pomponio *Pelle* dicta, tamquam a Πέλλη, quamquam plerique Græcorum Thucydides, Strabo, Ptolemæus, Herodotus, quorum verba paullo ante attulimus: etiam Byzantius vrbium & populorum ſcriptor Πέλλα vocali prima exprimunt. Verba Pomponii lib. II cap. III ineunte ſunt: *Tum Macedonum populi, qua vrbes habitant, quarum Pelle & maxima & illuſtris. Alumni efficiunt, Philippus Græciæ domitor, Alexander etiam Aſiæ.* Alumnus Philippus, quia ſecundum Strabonem τραφεὶς ἐν αὐτῇ, *in ea educatus fuerat*, cuius gratia μικρὰν πρότερον οὖσαν ηὔξησε, *paruam antea ornauit & amplificauit.* Manſit abhinc ſedes etiam poſteriorum regum, vt Philippi alterius, Liv. lib. XXXVII cap. VII: ideoque lib. XLII

cap.

cap. LI dixit idem: *Pella, in veteri regia Macedonum*, quia inde a Philippo Amyntæ ad Perſen vſque longo tempore regia Macedonum fuerat. Plinio dicta *Pella colonia:* quo nummum vir ſummus Ezech. Spanhemius refert inſcriptum, COL. IVL. AVG. PELL. cuius ectypon vir clariſſimus Car. Patinus in nummis Hadriani p. 195 expreſſit. Decreuit poſtea, & Luciani temporibus ταπεινὰς καὶ ὀλίγους οἰκήτορας, *obſcuros & paucos incolas* habuit, vt ipſe in Pſeudomante eſt teſtatus. Hodie τὰ παλατίσια, id eſt *parua palatia* illum locum vocari, Lucas Holſtenius, a Critopulo edoctus, ad Ortel. adnotauit. Inde *Pellæus* gentile. Iuuenalis ſatyr. X verſ. 168 de Alexandro Macedone:

Vnus Pellæo iuueni non ſufficit orbis.

Hæc de Emathia. In oram ſinus Thermaici progredimur. Inter Axii & Ludiæ oſtia, parua regio BOTTIAEA, ſiue Βοττιαιὶς, *Bottiæis*, cui Herodotus lib. VII cap. LXXIII & *Ichnas* & *Pellam* adſignat. Credo, ipſius æuo in Bottiæide & *Pellam* fuiſſe cenſam: poſtea amplificatam a Philippo, Emathiæ, nobiliori regioni, in cuius limite ſita erat, contributam: cui Ptolemæus dat, Bottiææ, vt obſcuræ regiunculæ nullam faciens mentionem. Meminit eiuſdem etiam Liuius lib. XXVI cap. XXV *per Pelagoniam, & Lyncum, & Bottiæam in Theſſaliam deſcendit:* vt ex MSS reſtituit Gronouius. Plinius *Bottiæos* in Thracia lib. IV cap. XI memorauit, qui iidem videntur quos Thucydides lib. I pap. 38 & lib. II pag. 152 τοῖς ἐπὶ Θρᾴκης Χαλκιδεῦσι, *Chalcidicis ad Thraciam* coniungit: eodem tamen libro II pag. 170 noſtrorum quoque rationem habet, ἐς τὴν Βοττιαίαν καὶ Πιερίαν οὐκ ἀφίκοντο, *in Bottiæam & Pieriam* [tamquam contiguas regiones] *non venerunt:* Sed facile conciliantur quæ Thucydidis ſunt, quia Chalcidice illa cis Strymonem fuit, & ad ſinum Thermaicum pertinuit: difficilius autem huic Plinius conciliatur, quia in Thracibus trans Strymonem Bottiæos ſuos numerauit, qui vtique reducendi in citeriora erant. *Ichnæ* Herodoti etiam a Plinio memorantur. *Mox*, inquit, *in ora Ichnæ: fluuius Axius.*

Sequitur PIERIA, Ptolemæo Ludiæ & Penei oſtiis contenta, Straboni vltra Ludiam prolata, ἕως τοῦ Ἀξίου ποταμοῦ, *usque ad Axium flumen*, Bottiæa quoque comprehenſa: qui ab auſtro non ad Peneum fluuium deducit, ſed ad Haliacmonem. Verba

ſunt:

sunt: μετὰ τὸ Δίον πόλιν ὁ Ἀλιάκμων ποταμός ἐστιν, ἐκβάλλων εἰς τὸν Θερμαῖον κόλπον· καὶ τὸ ἀπὸ τούτου, ἡ πρὸς Βορρᾶν που κόλπου παραλία, Πιερία καλεῖται, ἕως τοῦ Ἀξίου ποταμοῦ. ἐν ᾗ καὶ πόλις Πύδνα, ἡ νῦν Κίτρον καλεῖται· εἶτα Μεθώνη καὶ Ἄλωρος πόλις· εἶτα Ἐρίγων καὶ Λουδίας ποταμοί. *Post Dium vrbem Haliacmon fluuius est, in sinum Thermaeum se effundens: & ab hoc septemtrionem versus vsque ad Axium in litore Pieria, in qua vrbs Pydna, quae nunc Citrum vocatur: deinde Methone & Alorus oppida: vltra quae Erigon & Ludias fluuii.* In quo dissentit ab Liuio, qui Erigonem in Axium exire supra scripserat, quem etiam in tabula nostra sequuti sumus. Habemus sic oppida Pieriae, *Alorum*, *Methonen*, *Pydnam:* nec plura in ora Ptolemaeus addit praeter *Dium*, quod trans flumen est Haliacmonem, ab illo etiam Pieriae adscriptum. Inde si ad Penei ostia cum Ptolemaeo deducimus, *Phila* addenda est, paululum remota a mari; & *Heracleum*, in ipso litore. In mediterraneis Pieriae duo oppida Ptolemaeus scripsit *Phylacas* & *Vallas*. De singulis nunc, quae reperire licet, adferemus.

Alorus, Ἄλωρος, ex Strabonis positione supremo loco fuit, ad fines fere Bottiaeae, cui ipse Strabo in Excerptis videtur addixisse. ἡ Ἄλωρος, inquit, Βοτταϊκή, *Alorus Bottaica* siue *Bottiaea vrbs est.* Plinius lib. IV cap. X *Intus Aloritae;* falso, quia in ora *Alorus* fuit, ἐν παραλίᾳ, secundum Strabonem. Confirmat Stephanus: Ἄλωρος πόλις Μακεδονίας. ἔστι δὲ τὸ μυχαίτατον τοῦ Θερμαίου κόλπου. τὸ ἐθνικὸν Ἀλωρίτης, *Alorus vrbs Macedoniae in intimo recessu Thermaei sinus. Gentile Alorita.*

Deinde est *Methone*, Μεθώνη, itidem ex Strabonis dispositione. Quum plures huius nominis sint, Stephanus hanc quoque distincte adnotauit. ἔστι δὲ, inquit, καὶ Μακεδονίας. In huius obsidione Philippus Amyntae oculum amisit, καταβελτικῷ βέλει, *machinali telo* excussum, quod itidem Strabo prodidit, & Diodorus lib. XVI cap. XXXIV, qui addit regem captam vrbem solo aequauisse. Oppidani eidem sunt Μεθωναῖοι, *Methonaei.*

• Succedit *Pydna*, vrbs memorabilior, etiam ἐν παραλίᾳ, *ad mare*, vt Strabo tradit, iuxta quam Romani, proelio cum Perse commisso, Macedonico regno finem attulerunt. Iterum Strabo Excerpt. libri VII ἐν τῷ περὶ τῆς Πύδνης πεδίῳ Ῥωμαῖοι Περσέα καταπολε-

πολεμήσαντες καθεῖλον τὴν τῶν Μακεδόνων βασιλείαν. Interpretis loco ſit Paterculus lib. I cap. IX *Is* [Aemilius Paullus] *Perſeum ingenti prælio apud vrbem nomine Pydnam in Macedonia fuſum fugatumque caſtris exuit.* Liuius lib. XLIV cap. XLII *Princeps fugæ rex ipſe erat. iam a Pydna cum ſacris alis equitum Pellam petebat.* Et paucis interiectis: *qui Pydnam ex acie profugerant, viui in poteſtatem peruenerunt.* Et Caſſander Olympiadem Pydnæ concluſam tenuit, captamque interfecit, quod Diodorus lib. XIX cap. XLIX, Iuſtinus lib. XIV cap. VI pluribus tradiderunt. Oppidani, Πυδναῖοι Stephano: etiam Latine *Pydnæi.* Liuius lib. XLIV cap. XLV *Pydnæi, qui proximi erant, nondum miſerant legatos.*

Nec minus clara vrbs *Dium* erat, & ipſa Ptolemæo in Pieria: aliis extra illam. Liuius lib. XLIV cap. IX *Conſul, capto iam Heracleo, caſtra eo promouit, tamquam Dium; atque inde, ſubmoto rege, in Pieriam etiam progreſſurus.* Strabo enim dicto loco: *μετὰ τὸ Δῖον πόλιν ὁ Αλιάκμων ποταμός ἐστιν, ἐκβάλλων εἰς τὸν Θερμαῖον κόλπον· καὶ τὸ ἀπὸ τούτου, ἡ πρὸς βοῤῥᾶν τοῦ κόλπου παραλία Πιερία καλεῖται, Poſt vrbem Dium Haliacmon amnis eſt, in ſinum Thermæum ſe effundens: & ab hoc aquilonem verſus ora eius ſinus Pieria vocitatur.* Straboni ergo & Liuio *Dium* eſt extra Pieriam: quia vero fines eius attingit, & Ptolemæus in ipſa cenſet Pieria; heic illud quoque oppidum enarramus, præſertim quod dubie etiam ad Theſſaliam refertur. Thucydides lib. IV pag. 305 *οἱ Περαιβοὶ, αὐτῶν ὑπήκοοι ὄντες Θεσσαλῶν, κατέστησαν αὐτὸν ἐς Δῖον τῆς Περδίκκου ἀρχῆς, ὃ ὑπὸ τῷ Ὀλύμπῳ Μακεδονίας πρὸς Θεσσαλοὺς πόλισμα κεῖται, Illi Perrœbi, qui Theſſalis ſubiecti erant, deduxerunt eum* [Braſidam] *in Dium ditionis Perdiccæ, quod oppidum ſub monte Olympo Macedoniæ, Theſſalos verſus, ſitum eſt.* Macedoniæ ergo fuit, quamquam per ſe neque ad Pierios neque ad Theſſalos pertineret. In ora maris fuiſſe ſitum ex Strabone & Ptolemæo clarum eſt, qui in maritimis recenſent. Splendidam vrbem fuiſſe, ex Polybii lib. IV cap. LXII, qui *γυμνάσιον, gymnaſium* eius cum muris ab Aetolis euerſum commemorat: ex quo tamen exſcidio ſurrexit, nouumque ſplendorem rex Alexander adiecit ſtatuis æneis interfectorum ad Granicum prœlio, ab Lyſippo conflatis, in vrbe illa poſitis, vt Arrianus lib. I pag. 47 memoriæ pro-

prodidit: quod decus vsque ad Romanorum tempora conserua-vit. Liuius lib. XLIV cap. VII *Consul secundis castris peruenit ad Dium, metarique sub ipso templo iussit. Ipse vrbem ingressus, sicut non magnam, ita exornatam publicis locis & multitudine statuarum, munitamque egregie vix satis credere, in tantis rebus sine caussa relictis non aliquem subesse dolum.* Et coloniam Romani in id oppidum deduxerunt. Plinius IV cap. X *coloniæ, Bullidensis & Diensis.* Et nummo Antonini Pii apud Vaillantium: COL. IVL. AVG. DIENSIS.

Haud longe infra *Dium* in mare exit amnis *Enipeus*, ex valle Olympi montis decurrens. Liuius lib. XLIV cap. VIII *Regressus Dium* [Perseus] *quæ disiecta ac vastata ab Romanis erant, reficit, pinnas mœnium decussas reponit, ab omni parte muros firmat: deinde quinque millia passuum ab vrbe citra ripam Enipei amnis castra ponit, amnem ipsum transitu perdifficilem pro munimento habiturus. Fluit ex valle Olympi montis, æstate exiguus, hibernis idem incitatus pluuiis - - - facit præaltas voragines, cauatoque medio alueo ripas vtrimque præcipites.*

Prope flumen illud videtur *Phila* oppidum fuisse, vt Stephanus auctor est, opus Demetrii Gonatæ; & vlterius, Tempe versus *Heracleum.* Liuius lib. XLIV cap. II *Ipse* [rex] *circa Dium statiua habuit. deinde adeo, vt obtorpuisse inops consilii videretur, cum equitibus expeditis, litore nunc Heracleum, nunc Philam percurrebat, eodem inde cursu Dium repetens.* Et cap. VIII *Inter hæc consul a Phila Popillium cum duobus millibus armatorum Heracleum mittit. abest a Phila quinque millia ferme passuum, media regione inter Dium Tempeque, in rupe amni imminente positum.* Et cap. IX *Consul, capto iam Heracleo, castra eo promouit tamquam Dium progressurus.* Dicta Plinio *Heraclea* lib. IV cap. X. *In ora,* inquit, *Heraclea, flumen Apilas* [Enipeus.] *Oppida, Pydna, Alioros, amnis Haliacmon.*

In mediterraneis Pieriæ Ptolemæus posuit & *Phylacas* & *Vallas*, vtrumque oppidum aliunde parum notum, nisi quod Plinius lib. IV cap. X *Vallæos* & *Phylacæos* memorauit. *Oppida,* inquit, *Pydna, Alorus: amnis Haliacmon. Intus Aloritæ, Vallæi, Phylacæi.*

Regio secunda Macedoniæ ex Aemilii Paulli distributione,

quæ nobis tertia eſt ab occaſu progreſſis, continetur inter Axiym & Strymonem amnes: de qua parte Liuius lib. XLV cap. XXX *celeberrimas vrbes Theſſalonicen & Caſſandream habet: ad hoc Pallenen fertilem ac frugiferam terram: maritimas quoque opportunitates ei præbent portus ad Toronem ac montem Atho.* Sinticen autem & Biſalticam ſuæ primæ parti (noſtræ vltimæ) Aemilius adſcripſerat: nos vero in Strymone conſtituentes limitem, vt antiquus fuit, illas quoque partes reuocabimus.

AMPHAXITIS prima portio huius regionis eſt, ab Axio flumine in ora Thermaici ſinus incipiens. Mentio eius apud Polybium lib. V cap. XCVII παραλαβὼν τοὺς ἐκ τῆς Βοττίας καὶ Ἀμφαξίτιδος ἧκεν ἔχων εἰς Ἔδεσαν, *ipſe cum ea manu, quam ex Bottia & Amphaxitide coegerat, Edeſſam venit.* Ptolemæus ei tribuit & *Axii* & *Echedori* fluuii oſtia: & deinde vrbem *Theſſalonicen.* De Axio ſupra dictum; *Echedorus*, Ἐχέδωρος Ptolemæi, eſt idem qui Herodoti *Chidorus*, Χείδωρος, lib. VII cap. CXXVII, qui οὐκ ἀντέχρησε τῇ στρατιῇ πινόμενος, ἀλλ' ἐπέλιπε, *Xerxis exercitui non ſuffecit, ſed defecit.* Vterque enim deſcripſit vt proximum Thermæ ſiue Theſſalonicæ. nam *Theſſalonica* olim Θέρμη, *Therma* vocata, vnde ſinui, cui adiacet, nomen *Thermæo* eſt ſiue *Thermaico.* Herodotus dicto loco: ὡς δὲ ἐς τὴν Θέρμην ἀπίκετο ὁ Ξέρξης, ἵδρυσε αὐτοῦ τὴν στρατιήν. ἐπέσχε δὲ ὁ στρατὸς αὐτοῦ στρατοπεδευόμενος τὴν παραθαλασσαν χώρην, τοσόνδε· ἀρξάμενος ἀπὸ Θέρμης πόλιος, reliqua. hoc eſt: *Poſtquam Thermam Xerxes venit, ibi ſubſtitit, tantum ſpatii caſtris eius complectentibus, quantum eſt a Therma & Mygdonia ad confluentem Lydei & Haliacmonis.* Et Thucydides lib. I pag. 40 *profecti in Macedoniam*, καταλαμβάνουσι τοὺς προτέρους χιλίους, Θέρμην ἄρτι ᾑρηκότας, *offendunt mille priores, qui iam Therma potiti erant.* Et Scylax in Macedonia: Ἄξιος ποταμός, Δώρος ποταμός, Θέρμη πόλις, *Axius fluuius, Echedorus* (ſic legendum) *fluvius, Therma vrbs.* Huic poſtmodum amplificatæ nomen *Theſſalonicæ* inditum eſſe Strabo, Tzetza & ſcholiaſtes Thucydidis conſentiunt. Hic ſubnotauit: ἡ νῦν Θεσσαλονίκη πόλις, πάλαι Θέρμη ἐκαλεῖτο. Strabonis epitome lib. VII, μετὰ τὸν Ἄξιον ποταμὸν ἡ Θεσσαλονίκη ἐστὶ πόλις, ἡ πρότερον Θέρμη ἐκαλεῖτο, *Vltra flumen Axium vrbs eſt Theſſalonica, quæ quondam Therma vocitata fuit.* Tzetzes Chiliad. cap. CCCXVI vicum quondam fuiſſe adſeuerat:

Ἡ νῦν.

Ἡ νῦν Θεσσαλονίκη μὲν, πόλις ἡ λαμπροτάτη,
Ὑπῆρχε κώμη, Θέρμη δὲ τὴν κλῆσιν ἐκαλεῖτο,

Quæ nunc est Thessalonica, vrbs præclarissima, vicus olim fuit, Therma dictus. Auctor auctæ vrbis & noui nominis est pluribus Cassander, qui in gratiam vxoris Thessalonicæ, Philippi filiæ, ita nominauerit. Sic Strabo, Tzetzes, & Zonaras in Claudio Gothico. Byzantius autem Stephanus etiam aliam rationem & originem addit, ὅτι Φίλιππος τοῦ Ἀμύντου ἐκεῖ Θετταλοὺς νικήσας οὕτως ἐκάλεσε, *quod Philippus Amyntæ filius, ibi Thessalos vincens ita nominauerit.* Sub Romanis facile princeps vrbs erat Macedoniæ, sedes præsidis & quæstoris. Cicero pro Plancio cap. XLI *Thessalonicam me, in quæstorium perduxit:* nec ex diuinis epistolis, ad hanc ciuitatem ab apostolo scriptis, nihil splendoris ad laudem illius accedit. Plinius: *Thessalonica liberæ conditionis.* Et hodieque vrbs frequens, *Salonichi* mutilato vocabulo adpellata.

Aliam vrbem Amphaxitidis Ptolemæus nullam memorauit. Fuere autem intus *Chalestra* siue *Chalastra.* Plinius lib. IV cap. X *In ora sinus Macedonici oppida Chalastra: & intus Phileros, Lete.* Et Strabo libri VII excerptis: μετῴκισεν τὰ περὶξ πολίχνια εἰς αὐτήν· οἷον Χαλάστραν, Αἰνείαν, Κισσὸν, καί τινα καὶ ἄλλα, Cassander *transtulit in ipsam* [Thessalonicam] *circumiecta oppida, vt sunt Chalastra, Aenea, Cissus, & alia non nulla.* Herodotus lib. VII cap. CXXIII ἀπίκετο ἔς τε τὴν προειρημένην Θέρμην, καὶ Σινδόν τε πόλιν καὶ Χαλέστρην, ἐπὶ τὸν Ἄξιον ποταμὸν, ὃς οὐρίζει χώρην τὴν Μυγδονίην τε καὶ Βοττιαιίδα, *ad Thermam, quam prædiximus, ventum est, & ad vrbem Sindum, & ad Chalestram super Axium amnem, qui Mygdoniam & Bottiæidem disterminat.* E quibus *Sindus* paullo recedit a mari: quam Stephanus per θ, eodem vsus Herodoto, scripsit, Σίνθος πόλις παρὰ τῷ Θερμαίῳ κόλπῳ. Ἡρόδοτος ἑβδόμῃ. *Sinthus,* inquit, *vrbs iuxta Thermæum sinum. Herodotus septimo.* Longius recedit *Lete* Plinii: *Phileros, Cissus* ignoto situ, nisi forte in Mygdoniæ finibus fuerunt, quod etiam de *Lete* sentiendum, quam Λητὴν Ptolemæus dixit, vltimamque Mygdoniæ constituit.

Cetera MYGDONIAE ex eiusdem dispositione sunt *Antigonea,* Ἀντιγόνεια; quam & Plinius eodem loco posuit. *Oppidum Stobi,* inquit, *ciuium Romanorum: mox Antigonea.* Sequuntur

Physca, quas singulari numero Thucydides lib. II pag. 170 adpellat, περὶ φύσκαν, *circa Physcam* dicens Eordos quosdam, patria sua expulsos, sedes constituisse. Deinde est *Terpillus*, & *Assorus*, Ἄσσωρος; & *Xylopolis*, vnde Plinio *Xylopolitæ*, quos dicit liberos fuisse: & Ἀπολλωνία Μυγδονίας, *Apollonia Mygdoniæ*, quæ Antonini itinere a Dyrrachio Byzantium, est XXX millibus ab Amphipoli, XXXVII a Thessalonica, quam etiam diuinus scriptor in sanctis actibus cap XVII ineunte eodem, quo Itinerarii auctor, inter Amphipolim & Thessalonicam loco memorauit. Διοδεύσαντες, inquit, Ἀμφίπολιν καὶ Ἀπολλωνίαν, ἦλθον εἰς Θεσσαλονίκην. Plinius sæpe dicto loco eamdem non quidem in Mygdonia, eidem vero subiecta regiuncula ponit. *Regio*, inquit, *Mygdoniæ subiacens, in qua recedentes a mari Apollonia, Arethusa.* Vtramque etiam Scylax in hoc tractu commendat: Ἀρέθουσα ἑλληνίς, Βόλβη λίμνη, Ἀπολλωνία ἑλληνίς, *Arethusa vrbs Græca, Bolbe lacus, Apollonia vrbs Græca.* Addimus *Euporiam*, inter Physcas & Apolloniam sitam, quam Ptolemæus quidem Bisaltis adscribit, verius tamen, etiam ipsius positu, in Mygdoniam cadit: & *Europum* ad Axium in Mygdoniæ & Pelagoniæ confinio. Plinius IV cap. X *Oppidum Stobi ciuium Romanorum: mox Antigonea: Europus ad Axium amnem.*

Thucydides lib. II pag. 170 cum Mygdonia coniungit *Grestoniam* & *Anthemuntem*: τήν τε Μυγδονίαν καὶ Γρηστωνίαν καὶ Ἀνθεμοῦντα ἐδῄουν, *Mygdoniam & Grestoniam & Anthemuntem populati sunt.* Et paullo ante easdem cum Bisaltia: ἐκράτησαν δὲ καὶ τῶν ἄλλων ἐθνῶν οἱ Μακεδόνες οὗτοι, ἃ καὶ νῦν ἔτι ἔχουσι, τόν τε Ἀνθεμοῦντα καὶ Γρηστωνίαν καὶ Βισαλτίαν, *Et alias gentes in potestatem Macedones hi redegerunt, quas adhuc tenent, Anthemuntem & Grestoniam & Bisaltiam.* Ἐθνῶν, *gentium* hæc nomina Thucydidi sunt, inter regionum vocabula Mygdoniam & Bisaltiam media. Nec vero dubium, *Anthemuntem* & vrbem esse, a qua ager denominetur. Herodotus sane lib. V cap. XCIV videtur vrbis loco habere: nec non Plinius IV cap. X *Cassandria colonia: Anthemus, Olophyxos.* Et clarior Stephanus: Ἀνθεμοῦς πόλις Μακεδονίας, *Anthemûs, vrbs Macedoniæ.* Grestoniam Herodotus lib. VII cap. CXXIV per K scripsit: Χείδωρος ἐκ Κρηστωναίων ἀρξάμενος ῥέει διὰ Μυγδονίης χώρης, *Echedorus oritur ex Crestonæis & fluit per Mygdoniam.* Ibidem Κρηστωνικὴ est *ager Crestonicus.* Supra

Supra hos *Sintice* ac *Bisaltia*, vltima Macedoniæ cis Strymonem sitæ. *Sinticen* regionem memorauit Liuius lib. XLIV cap. vlt. *Paullus Nasicam Amphipolim misit cum modica peditum equitumque manu: simul vt Sinticen euastaret.* Huius vrbs *Heraclea* erat *Sintica* cognominata. Plinius dicto loco: *Xylopolitæ, Scotussæi liberi, Heraclea Sintica, Tymphæi, Toronæi.* Et Liuius lib. XLV cap. XXIX in adiectis primæ regioni inter Strymonem & Nestum sitæ: *trans Strymonem vergentia ad occasum Bisalticam omnem cum Heraclea, quam Sinticen adpellant.* Cæsaris lib. III Ciuil. cap. LXXIX scriptum secunda vocali *Heraclea Sentica.* Populus Σίντοι, *Sinti* sunt Thucydidi lib. II pag. 169, ἐν δεξιᾷ μὲν εἶχον Παίονας, ἐν ἀριστερᾷ δὲ Σίντους καὶ Μαίδους, *ad dextram habebant Pæones, ad sinistram Sintos & Mædos.* Addit τῇ Σιντικῇ, *Sinticæ* regioni Παροικόπολιν, *Parœcopolim,* & Τρίστολον, *Tristolum,* quæ in obscuris relinquimus.

Tandem *Bisaltæ* non vno modo describuntur. Aliis in Macedonia fuerunt, aliis trans Strymonem in Thracia. Conon, vetus scriptor, in excerptis Photii cod. CLXXXVI cap. XX οἱ Βισάλται, Θρακικὸν ἔθνος, ἀντιπέρα Παλλήνης οἰκοῦντες, *Bisaltæ, Thracica gens, ex aduerso* [*peninsulæ*] *Pallenæ habitant.* At interiacet gens Chalcidica, aut ita extendenda Pallene est, vt illam quoque contineat. Liuius lib. XXXV cap. XXIX *Bisalticam* gentem cum Heraclea Sintica scribit *ad occasum vergere trans Strymonem:* & cap. XXX *Pars prima Bisaltas habet, fortissimos viros: trans Nessum amnem incolunt, & circa Strymonem.* E quibus adparet, & cis Strymonem Bisaltas fuisse, & vltra illum amnem. Magis tamen cis amnem, quam vltra illum censentur. Plinius IV cap. X *Amphipolis liberum oppidum, gens Bisaltæ.* Stephanus: Βισαλτία πόλις καὶ χώρα Μακεδονίας, *Bisaltia vrbs & regio Macedoniæ.* De vrbe nihil constat, vt errasse videatur chorographus vel breuiator. Regio dicta *Bisaltia* etiam Thucydidi lib. II pag. 170, verbis paullo ante productis: sed Ptolemæo praue Βησαλτία, *Besaltia*, cui oppida plura tribuit, sed omnia ignobilia, *Arolum* (Ἄρωλος) *Euporiam,* de qua supra: *Calliteras,* (Καλλιτέραι Græce) *Ossam* & *Bertam.* Populus, *Bisaltæ*, Græcis & Latinis. Virgilius Georg. III vers. 461

Bisaltæ quo more solent, acerque Gelonus.

Sed

Sed ex ſeptemtrione ad *Theſſalonicen* eiusque ſinum reuertamur. Sinus ille vocatur ab antiquo vrbis nomine *ſinus Thermaicus* Pomponio Melæ II cap. III & Plinio IV cap. X; etiam huic ibidem *ſinus Macedonicus:* & alia nominis Græci forma *ſinus Thermæus.* Tacitus annal. V cap. X *Toronæum Thermæumque ſinum præfeſtinans.* Quæ ſinum ab ortu adiaceant inter Pallenen peninſulam & Thermam ſiue Theſſalonicam, Herodotus lib. VII pag. CXXIII enumerauit: *Lipaxus, Combrea, Liſa, Gigonus* (Γίγωνος,) *Campſa, Smila, Aenea,* Græce Αἴνεια. Obſcura omnia præter vltimum *Aeniam* oppidum, quod ab Aenea conditum antiquitus credebatur, vt Dionyſius Halicarnaſſeus lib. I pag. 39, & Liuius lib. XL cap. IV, & Stephani breuiator prodiderunt: Situs Aeneæ ab Liuio lib. XLIV cap. X ita deſcriptus eſt: *omiſſa Theſſalonicæ oppugnatione Aeniam inde petunt. quindecim millia paſſuum ea vrbs abeſt, aduerſus Pydnam poſita fertili agro.* Vt Pydna vulgo conſtituitur prope Aliacmonem, laxe oppoſitio Aeniæ interpretanda eſt. Quod vero Dionyſius refert, quum in Pellene hibernaret Aeneas, oppidum ſui nominis condidiſſe; ſunt qui putent in ipſa peninſula ſeu prope illam Aeniam exſtitiſſe. Sed eſt certior Liuius: etiam Strabo in iis numerat quæ πέριξ *circa* Thermam ſeu Theſſalonicam fuerint: nec tam locum Dionyſius, quam tempus vrbis conditæ ſignificauit. Theſſalonicenſes etiam quotannis ſacrificium in Aenia oppido faciebant, vt Liuius tradit lib. XL cap. IV, quod propinquiorem locum arguit quam Pallene eſt peninſula. Oppidani *Aeneates* Liuio ibidem dicti: Stephano Αἰνεάτης ſingulari numero.

Inter Aeneam & Pallenen peninſulam *Antigonea* fuit. Liuius lib. XLIV cap. X *omiſſa Theſſalonicæ oppugnatione, Aeneam inde petunt. - - - - Peruaſtatis finibus eius, legentes oram, Antigoneam perueniunt. - - - - Ab Antigonea claſſis profecta ad agrum Pallenenſem, exſcenſionem ad populandum fecit. Finium is ager Caſſandrenſium erat.* Ager Pallenenſis non eſt hoc loco vnius vrbis, ſed totius peninſulæ, quippe mox ſequitur cap. XI *Caſſandrea condita eſt a Caſſandro rege in ipſis faucibus, quæ Pallenenſem agrum ceteræ Macedoniæ iungunt; hinc Toronaico, hinc Macedonico ſepta mari.* Nec vero negandum eſt & oppidum *Pallenen* in peninſula huius nominis fuiſſe. Plinius: *Oppida, Pallene, Phlegra.* fortaſſe

tasse scripsit, *qua & Phlegra*, siue *olim Phlegra*. Stephanus: Παλλήνη, πόλις Θρᾴκης, *Pallene oppidum Thracia*: nam & hæc pars propter Thraces colonos Græcis immixtos est Thracia quondam adpellata. Scylaci autem Παλλήνη non vrbs est, sed ἄκρα μακρὰ εἰς τὸ πέλαγος ἀνατείνουσα, *promontorium longe in mare procurrens*. Sed potest vtrumque & oppidum huius nominis & promontorium fuisse, vt ab alterutro, nisi vtroque, peninsula nominetur.

Chersonesus hinc PALLENE est, Dionysio Halicarnassensi lib I pag. 39 χερρόνησος ἣ καλεῖται Παλλήνη, *peninsula qua vocatur Pallene*: Stephano τρίγωνος figura. Καὶ Παλλήνη, inquit, ἐστὶ χερρόνησος τρίγωνος, *Etiam Pallene peninsula est triquetra*: cui Scylax quinque vrbes Græcas imponit, quarum prima est Ποτίδαια, *Potidaa*, ἐν τῷ μέσῳ τὸν ἰσθμὸν ἐμφράττουσα, *isthmum in medio obstruens*, vrbs etiam olim clara, antequam ornaretur a Cassandro. nam & ausa cum Atheniensibus congredi, & Thucydides memorauit Ποτιδαιατικὰ, *Potidaensia gesta* lib I pag. 41 & 77. Vel auxit vel instaurauit Cassander, a quo *Cassandrea* postmodum dicta. Liuius lib. XLIV cap. XI *Hac virium accessione animus creuit pratori, vt Cassandream oppugnaret. Condita est a Cassandro rege in ipsis faucibus, qua Pallenensem agrum cetera Macedonia iungunt.* Strabo excerptis lib. VII ἡ Παλλήνη χερρόνησος, ἧς ἐν τῷ ἰσθμῷ κεῖται ἡ πρὶν μὲν Ποτίδαια, νῦν δὲ Κασσάνδρεια, *Pallene est peninsula, in cuius isthmo sita qua olim Potidaa, nunc Cassandrea vocitatur.* Plinius dicto loco: *Potidaa, nunc Cassandria colonia.* De colonia confirmant nummi Neronis, Vespasiani, Neruæ, inscripti COL. IVL. AVG. CASSANDRENS. Paullus lege vlt. de Censibus: *In prouincia Macedonia Cassandrenses iuris Italici sunt.* Reliqua oppida huius chersonesi sunt *Mende*, *Aphytis*, *Thrambus*, *Scione*: addit *Sanen* Strabo, etiam Herodotus VII cap. CXXIII. Accedit promontorium *Canastraum* Herodoto, Scylaci, Straboni, Ptolemæo memoratum. Ceterum Pallene chersonesus quondam Φλέγρα, *Phlegra* dicta fuerat, vt Herodotus obseruauit. Quo fabulam Strabo atque Stephanus de deorum cum gigantibus pugna, in campis *Phlegrais* commissa, referunt. Propertius lib. III eleg. IX verf. 47 ad Mæcenatem:

Te duce vel Iouis arma canam, caloque minantem
Caum, & Phlegrais Oromedonta iugis.

Extra isthmum ad Sinum Toronæum Scylaci & Herodoto sunt *Olynthus*, *Mecyberna*, *Torone*, *Sermyla* & *Galepsus*. Ex his *Olynthus* isthmo proxima, a Potidæa, in isthmo intus sita, ἑξήκοντα μάλιστα σαδίους ἀπέχουσα, LX *ferme stadiis remota*, quam Diodorus lib. XVI cap. LIV vrbium in eo tractu μεγίστην, *maximam* dixit, quæ antequam Philippi obsidionem ferret, bis cum eo acie conflixit, libera antea; aliquando Atheniensibus subiecta. Hanc inter & Toronen fuit *Mecyberna* Herodoti & Scylacis positione, vnde *sinus Mecybernæus* Plinio dictus, qui aliis *Toronæus* est siue *Toronaicus*. Meminit vrbis, a Philippo proditione captæ, Diodorus lib. XVI cap. LIV. Et Mela II cap. III *In litore flexus Mecybernæus inter promontoria Derrim & Canastræum, & portum qui κωφὸς dicitur: vrbes Toronen & Physcellam, atque vnde ipsi nomen est, Mecybernam incingit.* Etiam Plinius *Physcellæ* meminit: nescio an alius præterea. *Torone* postea incrementum cepit, laudata Scylaci, Diodoro, Thucydidi, Pomponio, Plinio, Ptolemæo, vt non immerito sinus qui adluit, ab illa nomen *Toronaici*, vt Liuius dicto lib. XLIV cap. XI, vel *Toronæi*, vt Tacitus annal. V cap. X adpellat, acceperit. Thucydides lib. IV pag. 325 vocat Τορώνην χαλκιδικὴν, *Toronen Chalcidicen*, quia in finibus Chalcidicæ sita est: quam regiunculam supra sinum Toronaicum, cuius Olynthus, Mecyberna & Torone sunt, Herodotus VII cap. CXXII Σιθωνίην, *Sithoniam*, νῦν, *nunc*, id est suo tempore, vocitari narrat.

Os sinus Toronaici duo promontoria premunt, intus in cherſoneſo *Canastræum*: extra, quod vocatur *Derris*. Ptolemæus vtrumque posuit, etiam prius Herodotus, qui diuisis vocibus Κάνα σραίην ἄκρην nominat: Thucydides autem lib. IV pag. 325 Καναςραῖον coniuncte: de vtroque etiam Pomponius lib. II cap. III *In litore flexus Mecybernæus inter promontoria Derrim & Canastræum, & portum qui* Κωφὸς *dicitur.*

Supra Derrim est promontorium *Ampelon*, Ptolemæo Ἄμπελος ἄκρα in *Paraxia* regione, cui *Toronen* vrbem etiam attribuit. Ideo Herodotus lib. VII cap. CXXII κάμπτων δὲ Ἄμπελον τὴν Τορωναίην ἄκρην, *circumuectus Ampelum, Toronæum promontorium*; quia ex aduerso vrbis Torones est. Post quod *sinus* est *Singiticus*, ab altero latere promontorio Ptolemæi *Nymphæo* finitus.

tus. Supra quod & Singiticum ſinum eſt mons *Athos*, & ad Strymonicum ſinum tandem *Acrathum* promontorium. Ab Atho autem vſque ad Pallenen cherſoneſum, vt Eudoxus apud Stephanum definit, regio eſt CHALCIDICE, Χαλκιδικὴ Ptolemæo, qui vero nimis anguſtam facit, quum ampla regio fuerit, olim Thraciæ tributa, poſt Philippi autem inuaſionem, quem Χαλκιδικὰς πόλεις δύο καὶ τριάκοντα, XXXII *oppida Chalcidica* cepiſſe Suidas in voce Κάρανος refert, pars Macedoniæ. Dicta ab vrbe *Chalcis*, propinqua Olyntho in mediterraneis. Ariſtoteles in Mirandis p. 732 Ἐν τῇ Χαλκίδι τῇ ἐπὶ Θρᾴκης πλησίον Ὀλύνθου, *in Chalcide, quæ ſupra Thraciam prope Olynthum eſt.*

Vrbes Chalcidicæ in ora, præter illas Toronæo ſinui adpoſitas, quas *Sithoniæ* regiunculæ Herodotus tribuebat, ſunt eiusdem diſpoſitione *Sarga*, *Singus*, *Pidorus*, *Aſſa*, omnes ad Singiticum ſinum ſitæ: Ptolemæus autem præter Σίγγον, *Singum*, a quo nomen eſt ſinui, *Stratonicen* habet, de qua dubitat ad Solinum Salmaſius, ratus, eodem errore impulſum Ptolemæum, Stratonicen Cariæ, quæ Macedonum colonia ſecundum Strabonem erat, in Macedonia quoque collocaſſe, quo Stephanus ineptiſſime ſcripſit Στρατονίκεια πόλις Μακεδονίας, πλησίον Καρίας, quaſi vero Caria, Aſiæ regio, Macedoniæ ſit vicina. Inde ad Strymonicum ſinum *Acanthus*; quia ex Acantho, vbi ſtatiua Xerxes habuit, dimiſſi duces claſſi præfecti, qui per foſſam, in Atho monte depreſſam, in ſinum nauigarent Singiticum, quod Herodotus lib. VII cap. CXXI ſeq. enarrauit. Plinius quoque dicto loco *Acanthum* ſupra *fauces alteras iſthmi*, in cuius peninſula Athos eſt, conſtituit. Scymnus ſiue Marcianus Heracleota pag. 27 de poſitu perſpicue:

> Τὸν Ἄθω δὲ παραπλεύσαντι παράλιος πόλις
> Ἄκανθός ἐστιν, Ἀνδρίων ἀποικία,
> Παρ᾽ ἣν διῶρυξ δείκνυται τετμημένη
> Ἑπτὰ σταδίοις, Ξέρξην λέγετ᾽ αὐτὴν τεμεῖν.
> Εἶτ᾽ Ἀμφίπολις.

hoc eſt: *Præteruecto montem Atho vrbs maritima Acanthus occurrit, Andriorum colonia, iuxta quam foſſa oſtenditur ſeptem ſtadiorum, quam Xerxes feciſſe dicitur. Dein Amphipolis.* Inter Amphipolim & Acanthum vrbs eſt *Stagira*, vel *Stagirus*, Ariſtotelis patria,

tria, qui inde Σταγειρίτης, *Stagirita* cognominatur. Stephanus: Στάγειρα πόλις, οὐδετέρως, πληθυντικῶς. ὁ πολίτης Σταγειρίτης. Αριστοτέλης Σταγειρίτης. *Stagira vrbs, neutrum plurale. Ciuis, Stagirita. Aristoteles est Stagirita.* Herodotus lib. VII cap. CXV in Xerxis itinere ita definiuit: ὡς δὲ ἀπὸ τοῦ Στρύμονος ἐπορεύετο ὁ στρατὸς - - - - Στάγειρον πόλιν Ἑλλάδα παραμειβόμενος, ἀπίκετο ἐς Ἄκανθον, *Postquam a Strymone profectus est exercitus, Stagirum Græcam vrbem præteriens, peruenit Acanthum.* Thucydides lib. IV pag. 311 καὶ Στάγειρος Ἀνδρίων ἀποικία, ξυνέστη, *etiam Stagirus, colonia Andriorum*, [ab Atheniensibus vna cum Acanthiis] *defecit*. Ptolemæus etiam in maritimis posuit inter Strymonem & Atho montem, sed perperam in libris ipsius in Στάντειρα nomen prauatum est. Plinio est *Stagira*. Inter hanc vrbem & Strymonem etiam oppidum fuit *Argilus*, Ἄργιλος, ab Herodoto dicto loco descriptum, quod eodem ordine in tributariis aliquando Atheniensium enumerat Thucydides lib. V pag. 356 Ἄργιλος, Στάγειρος, Ἄκανθος.

Mediterranea Chalcidices incipiunt a monte *Atho*, in quo, & circa illum sunt quædam oppida, quæ Herodotus vna cum monte lib. VII cap. XXII delineauit, quod Athos mons peninsulam impleat, in cuius isthmo XII stadiorum sit oppidum Σάνη, *Sana*: intus Δῖον, Ὀλόφυξος, Ἀκρόθοον, Θύσσος, Κλεωναί, *Dium*, *Olophyxus*, *Acrothoum*, *Thyssus*, *Cleonæ*. Et *Fossa* Xerxis ibidem est descripta. Plinius lib. IV cap. X *Athon Xerxes rex Persarum continenti abscidit - - - Oppidum in cacumine fuit Acrothon: nunc sunt Vranopolis, Palæorium, Thyssus, Cleonæ, Apollonia, cuius incolæ Macrobii cognominantur.* Successisse hanc *Apolloniam* in locum euersi *Acrothoi*, ex Melæ lib. II cap. II extremo liquet. *In summo*, inquit, *fuit oppidum Acroathon, in quo, vt ferunt, dimidio longior, quam in aliis terris, ætas habitantium erat.* Thucydides lib. IV pag. 324 de oppidis ad Athon: πόλεις ἔχει Σάνην μέν, Ἀνδρίων ἀποικίαν παρ' αὐτὴν τὴν διώρυχα, - - καὶ ἄλλας, Θύσσον, καὶ Κλεωνάς, καὶ Ἀκροθώους, καὶ Ὀλόφυξον, καὶ Δῖον, *vrbes habet Sanam Andriorum coloniam, iuxta ipsam fossam: & alias, Thyssum, & Cleonas, & Acrothoos, & Olophyxum, & Dion.* interiora Chalcidicæ sunt pauciora nobis nota, *Augæa* Ptolemæi, & *Moryllus* eiusdem. De *Chalcide* supra dictum est ex Aristotelis Mirandis.

Inde.

Inde nomen regioni *Chalcidica*, quam ab occasu flumen *Chabrium* Ptolemæi præfluit, quod in Thermæum sinum effunditur.

Supra Chalcidicen sunt etiam lacus quidam in mare exeuntes, *Bolbe* Thucydidis lib. IV pag. 320, cui is *Bromiscum* & *Aulonem* adponit: & *Cercinitis* palus Arriani lib. I Exped. Alex. p. 31, per quam Alexander, in Asiam moturus, Amphipolim versus & ad Strymonis ostia classem egit. Pomponius Mela inter Strymona & Athon montem ponit lib. II cap. II Κάπρυ λιμένα, *Capri portum*, & *Turrim Calarniam*, loca aliunde vix vmquam intellecta. Sunt præterea etiam a Liuio quædam memorata, quæ certo loco adsignari nequeunt.

MACEDONIA ADIECTA.

Strymon fluuius olim limes inter Macedoniam erat & Thraciam. Scylax: Μετὰ Μακεδονίαν Στρυμὼν ποταμός. ὗτος ὁρίζει Μακεδονίαν καὶ Θρᾴκην, *Post Macedoniam Strymon fluuius est: hic Macedoniam & Thraciam disterminat.* Et Plinius IV cap. X *Amphipolis liberum* [oppidum,] *gens Bisaltæ. Dein Macedoniæ terminus amnis Strymon, ortus in Hæmo.* Stephanus: Στρυμὼν ποταμὸς Ἀμφιπόλεως. οἱ οἰκοῦντες Στρυμόνιι, *Strymon fluuius circa Amphipolim: accolæ Strymonii.* In sinum exit qui Straboni excerpt. lib. VII dictus est Στρυμονικὸς, *Strymonicus sinus.*

Adiacet clara vrbs *Amphipolis*, Atheniensium colonia: sed in qua ripa, citeriore, vlteriore, non omnibus æque certum. Plinius, vt modo percepimus, in Macedonia posuit, cis Strymonem: at Scylax in Thracia trans flumen. Conciliantur ipso nomine vrbis, quæ *Amphipolis* ab Atheniensibus vocitata, vt Thucydides lib. IV pag. 320 obseruauit, ἐπ᾽ ἀμφότερα περιῤῥέοντος τῦ Στρυμόνος, διὰ τὸ περιέχειν αὐτὴν, *quod vtrimque circumfluenti Strymone, a fluuio contineatur.* Scissus enim amnis ante ostia, & in medio vtriusque aluei est interposita, a latere, quod mare respicit, præducto τείχει μακρῷ ἐκ ποταμῦ ἐς ποταμὸν, *longo muro ab uno alueo ad alterum.* Vetus nomen erat Ἐννέα ὁδοὶ, *Nouem Viæ*, vt Thucydides ibidem, & Herodotus lib. VII cap. CXIV testantur, hic etiam nomine illo, vt tum solo & proprio, adpellat: nouum *Amphipolis* est a colonia Atheniensium. Idem

Thucydides lib. I pag. 66 perſpicue : οἰκιοῦντες τὰς τότε καλουμένας Ἐννέα ὁδοὺς, νῦν δὲ Ἀμφίπολιν, *habitare volentes Nouem vias, quæ nunc Amphipolis ſunt.* Ciues *Amphipolitani* Liuii XLIV cap. XLV. Prope afuit Ἠιὼν, *Eion*, nauale & emporium Amphipolitanorum. Thucydides dicto loco : ὁρμῶντα ἐκ τῆς Ἠιόνος, ἣν αὐτοὶ εἶχον ἐμπόριον ἐπὶ τῷ στόματι τοῦ ποταμοῦ ἐπιθαλάσσιον, *Profecti fuerant ex Eione, quam ipſi maritimum emporium in oſtio fluuii habebant.* Plutarchus Cimone p. 482 Ἠιόνα πόλιν ἐπὶ τῷ Στρυμόνι κειμένην ποταμῷ κατέχοντες, *Eionem oppidum, ſitum ſuper amne Strymone, tenentes.*

Supra Amphipolim ad idem flumen erat *Berga*, Βέργη, vnde Antiphanes Bergæus fuit, ſcriptor ἀπίστων, *incredilium*, vt Heracleota p. 27 & Stephanus hac voce adnotarunt, a quo prouerbium βεργαΐζειν, ἀντὶ τοῦ μηδὲν ἀληθὲς λέγειν, *Bergaizare, id eſt nihil veri dicere* : quamquam hic male in Cherſoneſo : recte Ptolemæus & Marcianus ille ad Strymonem oppidum poſuerunt. Supra Bergam *Scotuſa*, Ptolemæo, quam cis Strymonem videtur Plinius IV cap. X conſtituiſſe, *Scotuſſæos* cum Heraclea Sintica coniungens, quos *liberos* eſſe ſub Romanis commemorat. Ptolemæus autem ſcripſit in *Edonide*, cuius populi ſunt Ἠδῶνες ſiue Ἠδωνοὶ, *Edones* ſiue *Edoni.* vtroque modo ſcribitur, etiam ab vno Thucydide, Ἠδωνοὶ lib. I p. 66 ; Ἠδῶνες lib. IV p. 320. Herodotus tantum Ἠδωνοὶ, lib. VII cap. CX & CXIV. Plinius *Edoni* lib. IV cap. XI. His Ptolemæus tribuit oppida *Scotuſam*, *Bergam*, *Gaſorum* (Γάσωρος Græce) *Amphipolim*, *Philippos*, quod de Amphipoli ſeu Nouem viis Thucydides & Herodotus confirmant, Athenienſes *Edonos*, qui poſſederant, eieciſſe.

Philippi multis nominibus clara vrbs, non modo auctore, rege Philippo, cui opportunus locus viſus eſt aduerſus Thracas gerendo bello ; verum etiam prœlio in campis Philippicis, quo Caſſius & Brutus occubuerunt : & diuina epiſtola πρὸς Φιλιππησίους, *ad Philippenſes.* Situm Appianus deſcripſit Ciuil. IV occaſione prœlii : diſtantiam ab aliis, Antoninus itinere a Dyrrachio Byzantium ; quæ talis eſt ;

Amphi-

Amphipoli		
Philippos	M. P.	XXXIII
Neapolim	M. P.	XII
Acontisma	M. P.	VIIII
Topirim	M. P.	XVII

Eadem fere Hierosolymitano itinere distantia seruatur. Coloniam *Philippos* Romani deduxerunt. Sanctus scriptor Act. XVI, 12 *Venimus* εἰς φιλίππους, ἥτις ἐςὶ πρώτη τῆς μερίδος τῆς Μακεδονίας πόλις, κολώνια. Plinius IV cap. XI *Intus Philippi colonia.* Nummus Claudii apud Patinum pag. 99 COL. AVG. IVL. PHILIP. & subtus, DIVVS AVG. Et veteri lapide apud Spon. Misc. erud. Antiq. p. 173 COL. IVL. PHILIPPENSIS.

Inter Philippos & Amphipolim Itinerarium habet *Domeros:* Ptolemæus eodem tractu, sed boream versus, *Gasorum*, quæ videtur Stephani Γάζωρος, *Gazorus* esse: nisi hanc per Ἄζωρος, *Azorus*, quia Macedoniæ vrbem vocat, malis cum Berkelio interpretari. Inter Strymona & Nestum Plinius & Ptolemæus in ora *Oesima* & *Neapolim:* adduntur Itinerario *Acontisma* & *Topiris.* Sic etiam Plinius alterius hoc ordine mentionem fecit: *Scotussa, Topiris, Nesti amnis ostium.* De oppido *Neapoli* Dio Cassius lib. XLVII p. 348, quod sit πρὸς τῇ θαλάσσῃ κατ' ἀντιπέρας Θάσου, *ad mare aduersus Thasum insulam.* Sed laxe hoc intelligendum est, quia non vltra XII millia passuum a Philippis abest, quo nondum completur illud spatium, quod e regione est Thasi insulæ. Apostolorum actis cap. XVI, 12 ἀπὸ τῆς Τρωάδος εὐθυδρομήσαμεν εἰς Σαμοθράκην, τῇ δὲ ἐπιούσῃ εἰς Νεάπολιν· ἐκεῖθέν τε εἰς φιλίππους. id est: *a Troade profecti sumus in Samothracen, sequenti die Neapolin, inde Philippos.*

In Edonis etiam *Drabescus* fuit, ideo Δράβησκος Ἠδωνική, *Drabescus Edonica* dicta Thucydidi lib. I pag. 66. Fuit χωρίον, secundum Stephanum, id est *locus* vel *campus*, non oppidum, quod etiam non obscure ex Thucydidis verbis coniicitur: προελθόντες, inquit, τῆς Θράκης ἐς μεσόγειαν, διεφθάρησαν ἐν Δραβήσκῳ τῇ Ἠδωνικῇ ὑπὸ τῶν Θρακῶν, *Progressi in mediterranea Thracia, ab ipsis Thracibus in Drabesco interfecti sunt.* Quæ repetuntur lib. IV pag. 320. Fuit ἐκ τῆς δύσεως, *ab occasu* Philipporum, ad Strymonem versus, vt Appianus lib. IV Ciuil. p. 1041 obseruauit in illius

lius vrbis & ad eam commissi prœlii descriptione. Supra Edonidem in Ptolemæi tabula est *Odomantice*, regio, etiam Liuio lib. XLV cap. IV memorata. *Paullus*, inquit, *Aemilius consul quum castra ad Siras terra Odomantica haberet.* Gens, Ὀδόμαντοι, *Odomanti*, apud Thucydidem lib. II pag. 171. Distincti ergo ab Edonis sunt; quod etiam ex Herodoti lib. VII, cap. CXII seq. patet, vbi ab Odomantis in Edonos iter factum traditur. Male ergo in Ptolemæi lib. III pro eadem regione Odomantice & Edonis sunt propositæ, quod ex confusione videtur ortum.

Macedoniam adiectam hunc tractum inter Strymonem & Nestum nominamus, quia quondam fuit Thraciæ, quam Strymon a Macedonia disterminabat. Rex Philippus autem quum suam fecisset, Macedoniæ regno contribuit, in quo & censa fuit postmodum. Aristoteles seu quisquis auctor de Mirandis p. 718 περὶ φιλίππους τῆς Μακεδονίας. Et Act. XVI, 12 eadem vrbs Philippi dicitur πρώτη τῆς μερίδος τῆς Μακεδονίας πόλις. Notanter μερίδος, id est partis illius trans Strymonem adiectæ ad veterem Macedoniam; non totius, quæ tum erat, prouinciæ Romanorum Macedonicæ.

Nouus terminus amnis *Nestus* sic scribitur ab Herodoto, Scylace, Plinio, Mela: a Liuio *Nessus*: a Ptolemæo Νέσος. Salmasius in Solinum auctor est in MSS eiusdem Solini & Plinii & Marciani legi *Mestus*: & Holstenius in Ortel. nummum Caracallæ profert, quo Vlpia Nicopolis dicitur ΠΡΟϹ ΜΕϹΤΟ sita, quæ ad Nestum vel Nessum est.

Tandem de Via Egnatia, quæ per Macedoniam & Thraciam ad Hebrum flumen ferebat, lapidibus strata & milliariis distincta, aliquid dicendum ante est, quam ex Macedonia decedamus. Vt Strabo lib. VII pag. 223 delineauit, geminum caput eius erat, a Dyrrachio & ab Apollonia, prout traiectus diuersus fuit vel Brundisio, qui Dyrrachium tendebat; vel Hydrunte, qui ducebat Aulonem vel Apolloniam. Ad *Clodianas*, quæ XLIII m. p. a Dyrrachio; XLIX ab Apollonia sunt, conueniebatur, indeque via per Lychnidum Dassaretiorum, per Heracleam Lyncestarum, per Edessam, Pellam, Thessalonicam, & inde per Apolloniam, Amphipolim, Philippos, Neapolim & reliqua Thraciæ ferebat μέχρι Κυψέλων καὶ Ἕβρου ποταμοῦ, *ad Cypselum vsque & He-*

& Hebrum fluuium. Hæc eadem eſt illa via, quam Antoninus, ſeu quisquis auctor itinerarii eſt, aliquot itineribus ſequutus ad Conſtantinopolim vsque proſequitur, quia pars, quam Strabo per Macedoniam ad Theſſalonicam deduxit, non differt ab Antoniniana, veroque plane eſt ſimile, neque in ceteris Antonini iter ab Egnatia via declinaſſe. De auctore nihil conſtat: neque nominis apud alium, quod ſciam, occurrit mentio. Romanum haud dubie opus fuit, Romano more, vt viæ per Italiam, munitum, diſtinctum milliariis, & longiſſime per ıɔxxxv paſſuum millia ad Hebrum vsque productum.

THESSALIA.

Theſſalia, nunc vniuerſam regionem ſignificat, nunc partem eius, quæ *Theſſalia propria*, Straboni Θεσσαλιῶτις, *Theſſaliotis* adpellata. Vniuerſæ limites Strabo lib. IX pag. 296 curatius ceteris definiuit, ab oriente a Thermopylis ad oſtia *Penêi* (Πηνειῦ) fluminis: a meridie, iuga ab Oeta monte ad Pindum protenſa: ab occidente Aetolos, Acarnanes & Amphilochios habet: in ſeptemtrione limites obſcuriores ſunt: attamen ſi parallela ex oſtiis Penei ducatur ſecundum prædicta iuga, videtur etiam borealis terminus deſignari. Non enim Penêus fluuius eſt limes, qui Macedoniam a Theſſalia ſecludat, quamuis oſtio limitem conſtituit: ſed, quod Strabo dicto loco dixit, ὁ Πενειὸς διὰ μέσης ῥέων, *Peneus per mediam fluit* Theſſaliam. Pomponius lib. II cap. III diuiſit Theſſaliam a Phthiotide: Ptolemæus etiam a Pelaſgiotide; ſed hi partem tantummodo, ſiue Theſſaliam propriam intelligunt, quæ Θεσσαλιῶτις Strabonis eſt: ipſe vero Strabo εἰς τέσσαρα μέρη, *in quatuor partes* vniuerſam diuiſit, quæ propriis nominibus ſunt ipſius ordine Φθιῶτις, Εστιαιῶτις, Θετταλιῶτις, Πελασγιῶτις, *Phthiotis, Eſtiæotis, Theſſaliotis, Pelasgiotis:* quibus Μαγνήτων, *Magnetum* terram ab oriente obiectam, adnumerare velis, habebimus Theſſaliam in partes quinque diſtributam. Singulis partibus ſua oppida adſignare, perdifficile videtur: tentabimus tamen, quantum fieri poteſt, initium facientes ab occaſu ſolis, vt moris eſt geographis, hoc eſt ab *Eſtiæotide.*

ESTIAEOTIS, Εστιαιῶτις, Herodoto lib. I cap. LVI Ἱστιαιῶτις,

τις, eſt prima & occidentalis regio Straboni & Ptolemæo: non autem Herodoto, cui eſt ὑπὸ τὴν Ὄσσην καὶ τὸν Οὔλυμπον χώρη, *ſub Oſſa & Olympo regio*, qui montes in orientali parte Theſſaliæ ſunt: quod ita etiam Dionyſius Halicarnaſſenſis transſcripſit lib. I pag. 14. Ipſe autem Herodotus ibidem fatetur, Pelasgos, qui Theſſali ſunt, ἔθνος πολυπλάνητον κάρτα, *valde vagabundam gentem* alias atque alias ſedes ſucceſſu temporum occupauiſſe, quo factum videtur, vt etiam regionum nomina cum gentibus transponerentur. Certum enim eſt, Theſſaliæ partem, ad occaſum ſolis ſitam, poſtea *Eſtiæotidem* eſſe adpellatam, quia Strabo Eſtiæotis τὰ ἑσπέρια, *occidentalia* Theſſaliæ tribuit: Ptolemæus inter prima oppida Εστιωτῶν, *Eſtiotarum*, (ſic ſcripſit) numerat *Phæſtum* & *Gomphos*. de Gomphis autem Cæſar lib. III Civ. cap. LXXX *Gomphos peruenit; quod eſt oppidum primum Theſſaliæ venientibus ab Epiro.* Primum ergo oppidum *Gomphi* in Eſtiæotide, quod ait *altisſimis mœnibus* fuiſſe. Liuius lib. XXXI cap. XLI *Ex Perrhæbia Gomphos petendi Aminander auctor erat.* Et lib. XXXII cap. XIV *Hæc deditio Gomphorum ingentem terrorem Theſſalis intulit.* Incolas Cæſar ibidem *Gomphenſes* dixit.

Cum Gomphis Ptolemæus coniungit *Phæſtum*, quæ Φαιστὸς, *Phæſtus* recto caſu eſt. Liuius lib. XXXVI cap. XIII *Bæbius Phæcium eſt adgreſſus. quo primo prope impetu capto, Phæſtum eadem celeritate capit.* In quo tractu etiam fuit *Phaleria* Liuii lib. XXXII cap. XV. *Primam*, inquit, *vrbium Theſſaliæ Phaleriam eſt adgreſſus. duo millia Macedonum in præſidio habebat.* Idem lib. XXXVI cap. XIII *Tricca, Melibœa, Phaloria*, quarta vocali: quam ſcripturam Stephanus tuetur, cui Φαλώρη & Φαλωρία πόλις Θετταλίας, *Phalore ſiue Phaloria vrbs Theſſaliæ eſt.* Iterum Liuius lib. XXXIX cap. XXV *Tricca, Phaloria & Eurymene & cetera circa eas oppida.* Vrbs *Tricca* etiam memorata eſt Plinio & Ptolemæo: cuius ſitum quodammodo Strabo oſtendit lib. IX pag. 301 ὁ Πηνειὸς ἄρχεται ἐκ Πίνδου; ἐν ἀριστερᾷ δ' ἀφεὶς Τρίκκην τε καὶ Πελινναῖον, *Peneus oritur ex Pindo & ad læuam relinquit Triccam & Pellinæum.*

Cæſar a Gomphis expugnatis proxime *Metropolim* venit, quod Ptolemæo eſt vltimum oppidum Eſtiotarum. In ortum ergo a Gomphis ſitum fuit, quod etiam iter Cæſaris euincit. Liuius lib. XXXII cap. XIII *Transgreſſi inde in Theſſaliam, Cymenes*

&

& Angeas primo impetu potiti sunt. a Metropoli, dum vastant agros, concursu oppidanorum ad tuenda mœnia facto, repulsi sunt. Et cap. XV *Capta Phaleria legati a Metropoli & a Piera, dedentes vrbes, venerunt.* Et lib. XXXVI cap. X de rege Antiocho : *Cranonem profectus cum toto exercitu primo aduentu cepit : inde Cyparam & Metropolim, & iis circumiecta castella recepit.* Oppidanos Cæsar *Metropolitas* dixit.

Ante Metropolim Ptolemæus Χυρετίας posuit, *Chyretias:* quæ haud dubie sunt *Cyretiæ* Liuii in Perræborum finibus atque ita austrum versus, sitæ. Lib. XXXI cap. XLI *Aetoli in Perræbiam ire pergunt. Cyretias ibi vi capiunt, fœdeque diripiunt.* Et lib. XLII cap. LIV post *Cyretiarum* deditionem : *Mylæ proximum oppidum, ita munitum, vt inexsuperabilis munimenti spes incolas ferociores faceret.* Sed de situ nihil certum est, nisi quod *proximum* Cyretiis dixit Liuius. Vtrumque forte oppidum ad fines Perrhæborum pertinet.

Alia Estiæotidis oppida Ptolemæo sunt *Atinium* & *Ctemena*, quorum nihil notior situs est, nisi ex Ptolemæi numeris, qui sæpe fallaces sunt, tueamur. Strabo addit *Ithomen*, Ἰθώμην, quam ait Metropoli vicinam esse lib. IX pag. 301, τῆς Μητροπολιτῶν ἐςὶ χώρας ἡ Ἰθώμη. Homerus quoque meminit Catalogo vrbium vers. 236

Οἳ δ' εἶχον Τρίκκην, καὶ Ἰθώμην κλωμακόεσσαν,
Qui habitabant Triccam, & Ithomen cliuosam.

Et *Pelinna* siue *Pelinnæum* Strabonis, aut *Pellinæum* Liuii lib. XXXVI cap X & XIII, eius loci fuit, quod Strabo dicto loco cum *Tricca* coniunxerat. *Fanum* sub altero audiri Scylax auctor est in Thessalia, Ἱερὸν Πελληναῖον scribens, siue, vt Vossius emendat, Πελινναῖον : aut littera simplici, quia in nummo veteri, ab illustri Spanhemio p. 902 laudato, est ΠΕΛΙΝΑΙΕΩΝ. Oppidi nomen *Pelinna* siue *Pelina.* Stephanus : Πέλιννα, πόλις Θεσσαλίας ἐν τῇ Φθιώτιδι. Κέκληται ἀπὸ Πελίνου τοῦ Οἰχαλιέως, *Pelinna vrbs Thessaliæ in Phthiotide. Vocatur sic a Pelino, Oechaliei filio.* Qui quod conditoris nomen simplici littera scripsit, pronum ad fidem est, & oppidi nomen ita scriptum antiquitus fuisse. Quod vero in *Phthiotide* ponit, in eo dissentimus, quia Strabo, vt supra in *Tricca* diximus, ait Peneum amnem eumque recentem a sinistra &

Triccam & Pelinnæum fanum relinquere: quæ prope Triccam fuisse arguunt. Huius partis forte *Limnaa* Liuii fuit, lib. XXXVI cap. XIII & XIV, *Ab Limnaa Pellinaum consul proficiscitur.*

Etiam *Aeginium* Strabonis adiiciendum est, quod dicit Τυμφαίων ὅμορον, *vicinum Tymphais* esse, siue Stymphæis, de quibus supra actum est. Plinius autem lib. IV cap. X In regione, quæ Pieria adpellatur a nemore, *Aeginium.* Aut duo ergo *Aeginia* fuerunt; nec vero Stephanus nisi vnum Strabonis nouit: aut alteruter a loco aberrauit. Liuius lib. XXXII cap. XV circa Phaleriam & Gomphos posuit. *Capta*, inquit, *Phaleria*, *incensa ac direpta est. Inde Aeginium petit. quem locum quum vel modico præsidio tutum ac prope inexpugnabilem vidisset, paucis in stationem proximam telis coniectis ad Gomphorum regionem agmen vertit: digressusque in campos Thessalia;* reliqua. Et lib. XXXVI cap. XIII *ad ea recipienda oppida, qua Athamanes occupauerant, vno agmine ierunt. Erant autem hac, Aeginium, Ericinum, Gomphi, Silana, Tricca Meliboea, Phaloria.*

Erat tandem etiam *Pharycadon* oppidum Estiæotidos. Strabo lib. IX pag. 301 Ἔστι δὲ καὶ Φαρυκάδων ἐν τῇ Ἑστιαιώτιδι. Et quia ῥεῖ δι' αὐτῶν ὁ Πηνειὸς, *Peneus per Estiotas fluit*, relinquit ille a sinistra *Triccam, Pelinnaum,* καὶ Φαρυκάδονα, *Pharycadonem.* E quibus de situ iudicatur, vltra Pelinnam in orientem fuisse positam. Addit pag. 303 Perræbos partem Estiotidis occupauisse, diuersos ab iis, qui ὀρεινότερα χωρία πρὸς τῷ Ὀλύμπῳ καὶ τοῖς Τέμπεσι, *montana iuxta Olympum & Tempe* insederint. In diuersa enim a Lapithis pulsos abiisse, τοὺς πλείους *plerosque* in montana περὶ Πίνδον, καὶ Ἀθαμᾶνας καὶ Δόλοπας, *ad Pindum, Athamanes & Dolopes.*

Media pars est in Thessalis THESSALIA PROPRIA, Strabonis Θεσσαλιῶτις, *Thessaliotis*, multis simpliciter *Thessalia* dicta, quemadmodum etiam Mela *Thessaliam* adpellat, & a Phthiotide distinguit. A Ptolemæo in hac parte scribuntur *Hypata, Sosthenis, Homila, Cypara, Phalachthia.* Prima illarum *Hypata*, Ptolemæi Ὕπατα, aliquando sub Aetolis, quum illi potentes essent, censa fuit. Polybius Legat. XIII τοῦ Λευκίου συνελθόντος εἰς τὴν Ὑπάταν, *Lucio* [Valerio Flacco cum Aetolorum legatis] *veniente Hypatam,* vt in fidem illos reciperet. Liuius lib. XXXVI cap. XXVI *Aetoli concilio Hypatam coacto, legatos ad Antiochum miserunt.* Oppidani

ni *Hypatæi* sunt. Liuius lib. XXXVI cap. XIV *A Thaumacis altero die consul ad Sperchium amnem peruenit : inde Hypatæorum agros vastauit.* Prope Sperchîum amnem ergo fuit, & quidem ad occasum solis reducta, quia Ptolemæus primam facit ab occidente. Nec ignobile oppidum fuit, sed in quo Aetolorum concilia coacta, & cuius octoginta exsules lib. XLI cap. XXV Liuius *illustres homines* cognominat.

Quæ post Hypatam Ptolemæo est *Sosthenis*, Σωσθενὶς, vix aliis est memorata : neque *Homilæ* celebriores : nobilior forsan Κύπαιρα, *Cyparæ* Ptolemæi, de qua etiam Liuius lib. XXXVI cap. X *Antiochus Cranonem profectus cum toto exercitu, primo aduentu cepit. inde Cyparam & Metropolim, & eis circumiecta castella recepit.* Inde *Phalachthia*, Φαλαχθία, Ptolemæi, quam ad *Sperchium* amnem locauit. Sic pleraque Ptolemæi in Thessalis ipsius sunt obscura : nec vero dubium & clariora, saltem ex aliorum diuisione habuisse. Adnumeramus huic parti *Phacium* circa *Apidanum* amnem. Stephanus : Φάκιον, πόλισμα Θεσσαλίας. Θουκυδίδης δ'. *Phacium, oppidulum Thessaliæ : Thucydides* IV *libro.* Thucydidis verba sunt p. 305, Brasidas ἐς Φάρσαλόν τε ἐτέλεσε, καὶ ἐστρατοπεδεύσατο ἐπὶ τῷ Απιδανῷ ποταμῷ. ἐκεῖθεν δὲ ἐς Φάκιον, καὶ ἐξ αὐτοῦ, ἐς Περαιβίαν, *Pharsalum peruenit, & ad flumen Apidanum castra posuit. atque inde in Phacium, & inde in Peræbiam.* Ergo vltra *Apidanum* amnem, qui in Peneum exit, occasum versus situm fuit. Liuius lib. XXXVI cap. XIII *Bæbius Phacium est adgressus : quo primo prope impetu capto, Phæstum eadem celeritate capit. Inde Atracem quum se recepisset, Cyretias hinc & Phricium occupat.* Ad *Aenianes* vsque, qui in montibus sunt, hæc regio Thessaliæ extensa fuit. inde est quod Hypatam πόλιν Αἰνιάνων *vrbem Aenianum* dixit.

PELASGIOTIS, tertia pars Thessaliæ secundum Strabonem, ab antiquissima Pelasgorum gente, Thessaliam quondam cum Aeolibus, & præterea multas alias partes Græciæ tenente, habet nomen. Vide Strabonem lib. V. Ptolemæo *Pelasgiotarum*, Πελασγιωτῶν, & plura sunt oppida, & clariora : *Dolicha, Azorium, Pythium, Gonnus, Atrax, Scotusa, Larissa, Phera.* Olim ad mare vsque patuisse, quæ ora post Magnesiæ accesserit, Strabo auctor est lib. IX pag. 300. Inter oppida Ptolemæi *Doliche* & *Azorium* & *Pythium* primo loco sunt, tamquam in parte huius regionis

occidentali. Hæc *Tripolis* Liuii, ſeu *Tripolitis* regio Strabonis, qui inde Ἀζωεον τῆς Τριπολίτιδος, *Azorum Tripolitidis*, diſcriminis cauſſa (quia & Pelagoniæ *Azorus* Straboni ibidem eſt, forte *Aſſorus* Ptolemæi) diſtincte cognominauit. Liuius lib. XLII cap. LIII *Deinde ſaltu anguſto ſuperatis montibus, quos Cambunios vocant, deſcendit ad (Tripolim vocant) Azorum, Pythium & Dolichen incolentes. Hæc tria oppida paulliſper cunctata, quia obſides Lariſſæis dederant: victa tamen præſenti metu, in deditionem conceſſerunt.* Et lib. XLIV cap. II *quam potiſſimum* [viam] *peteret, retulit* [conſul] *ad conſilium. Aliis per Pythium placebat via: aliis per Cambunios montes, qua priore anno duxerat Hoſtilius conſul: aliis præter Aſcuridem paludem. Reſtabat aliquantum via communis: itaque in id tempus, quo prope diuortium itinerum caſtra poſituri erant, deliberatio eius rei differtur. In Perrhæbiam inde ducit, & Azorum & Dolichen ſtatiua habuit, ad conſulendum rurſus quam potiſſimum capeſſeret viam.* Sed quænam illa Perrhæbia? ad Pindum montem, an ſub Olympo, vt ſupra ſedes Perrhæborum cum Strabone ex libro IX diuiſimus? Ptolemæus hanc tripolim, *Azorum, Dolichen*, *Pythium* ad citeriora refert, Epirum verſus, ſupra Gomphos, qui locus Pindi Perrhæbis eſt propinquior. At Plutarchus in Aemilio pag. 263 de Pythio ita: Naſica ἐξώρμησε τῇ πρὸς θάλασσαν ὁδῷ καὶ κατεστρατοπέδευσε παρὰ τῷ Ἡρακλείου, *mare verſus intendit iter, & iuxta Heracleum caſtra metatus eſt:* quaſi claſſe vellet caſtra hoſtium circumnauigare. Tenebris autem obortis, ἦγε διὰ νυκτὸς τὴν ἐναντίαν ἀπὸ θαλάσσης, καὶ καταλύσας ἀνέπαυε τὴν στρατιὰν ὑπὸ τὸ Πύθιον. ἐν ταῦθα τοῦ Ὀλύμπου τὸ ὕψος ἀνατείνει πλέον ἢ δέκα σταδίους, *nocte duxit per contrariam a mari viam, & exercitum ſub Pythio conſtituit. Ibi Olympus mons ſupra decem ſtadia adſurgit.* Quis vero aliud *Pythium* heic quam Liuii, quam Tripolitidis intelligat, præſertim quum & ſub Olympo aut prope illum, vt Strabo monſtrauit, Perrhæbi ſedem habuerint? Plutarcho autem in hac hiſtoria plus fidei, quam Ptolemæo eſt habendum. Ceterum Ptolemæus Ἀζώριον ſcripſit quatuor ſyllabis; Liuius & Strabo *Azorus*, tribus: item Πύθεον Ptolemæus vocali ſecunda; Plutarchus & Stephanus, quos Liuii emendatores ſequuti ſunt, Πύθιον, tertia.

An vero etiam vrbs ſingularis in illo tractu præter Tripoliti-

litidem Perrhæbæorum, nomine *Tripolis* exstiterit, non facillimum est explicare. Stephanus sane aliam *Tripolim* Macedoniæ ait esse; aliam Perrhæbiæ, ἔστι καὶ ἑτέρα [Τρίπολις] Μακεδονίας, καὶ ἄλλη Περραιβίας. Hanc Macedoniæ videtur Liuius lib. XLII cap. LV cognominasse. *Consul*, inquit, *quum audiret vagari Macedonas effusos per Thessaliam, vastarique sociorum agros; satis iam refectum militem ad Larissam ducit. Inde quum tria millia ferme abesset a Tripoli* [*Sceam vocant*] *super Peneum amnem posuit castra.* De Perrhæbia autem extremo hoc libro siue cap. LXVII *In Perrhæbiam flexis itineribus, Mallœa primo impetu capta ac direpta, Tripoli, aliaque Perrhæbia recepta, Larissam rediit.*

Proxima *Gonnus*, siue pluraliter *Gonni.* Ptolemæus & Strabo Γόννος, *Gonnos:* & simplici littera Γόνος Lycophron vers. 906. nam eamdem esse, epitheton Περραιβικὴ, *Perrhæbica*, confirmat. nam ita etiam Strabo lib. IX pag. 303 Ὀλοοσσὼν καὶ ἡ Ἠλώνη, Περραιβικαὶ πόλεις, καὶ Γόννος, *Olooſſon, & Elone sunt Perrhæbicæ vrbes: etiam Gonnus.* Plurali numero Liuius, qui & situm describit lib. XXXVI cap. X *Ap. Claudius* [ex Dassaretiis] *per Macedoniam magnis itineribus in iugum montium, quod super Gonnos est, peruenit. Oppidum Gonni viginti millia ab Larissa abest, in ipsis faucibus saltus, quæ Tempe adpellantur, situm.* Alibi & ipse *Gonnus*, lib. XLII cap. LIV, singulari numero. A Dassaretia autem Larissam tendebat, vt vrbi præsidio esset. Videtur ex Polybii libro XVII hausisse, cuius in excerptis cap. XXIII legitur: παρελθὼν εἰς Γόννους ἐπὶ τὴν εἰσβολὴν τῶν Τεμπῶν, *Gonnos peruenit, qui in ipso aditu sunt Tempium.* Etiam Stephanus Γόννοι πόλις Περραιβίας, *Gonni oppidum Perrhæbiæ.*

Propius a Larissa abest *Atrax*, super Peneum fluuium. Liuius lib. XXXII *Inde Atracem est profectus. decem ferme millia ab Larissa abest: ex Perrhæbia oriundi sunt: sita est vrbs super Peneum amnem.* Strabo lib. IX pag. 301 de Peneo flumine: Φέρεται παρά τε Ἄτρακα καὶ Λάρισαν, *præterfluit & Atracem & Larissam.* Iterum Liuius lib. XXXVI cap. X *Omnia iam regionis eius, præter Atracem & Gyrtonem, in* [Antiochi] *potestate erant:* & cap. XIII *Bæbius inde* [a Phæsto] *Atracem quum se recepisset.* Recto casu *Atrax.* Stephanus: Ἄτραξ, καὶ Ἀτρακία, πόλις Θεσσαλίας τῆς Πελασγιώτιδος μοίρας, *Atrax, & Atracia, vrbs Thessaliæ in tractu Pelas-*

lasgiotidos. Et Strabo lib. IX p. 303 ὑπέρκειται αὐτῆς Ἄτραξ, *Supra eam* [Argissam] *iacet Atrax.*

Vrbs *Scotusa*, siue *Scotussa* bello Macedonico celebrata. Simplici sibilo Σκότουσα Ptolemæus, Scylax, & Plutarchus scripserunt: at Polybius, Strabo, & Liuius geminato, Σκότουσσα, *Scotussa*: & eodem nomine vrbis ad Strymonem sitæ nummus habet ΣΚΟΤΟΥΣΣΑΙΩΝ, itidem Σ geminato. De nostra autem Thessalica Polybius lib. VIII cap. XXXIX ποιούμενος τὴν πορείαν εἰς Σκότουσσαν, *iter Scotussam faciens.* Liuius lib. XXVIII cap. V *ipse* [rex] *Scotussam est profectus, eodemque ab Larissa Macedonum copias traduci iussit:* & cap. VII *Philippus quum ab Demetriade Scotussam, inde de tertia vigilia profectus, trepidos hostes Heracleam compulisset.* Et lib. XXXVI cap. XIV *Venienti* [consuli] *Pharsalus, Scotussa, & Pheræ, quæque in eis præsidia Antiochi erant, deduntur.* Dum tractus eius oppida Strabo lib. IX sub finem recenset, Λάρισσαν, Σκότουσσαν, Μόψιον, Ἄτρακα, *Larissam, Scotussam, Mopsium, Atracem* coniungit.

Ad Scotussam locus est *Kynos kephalæ*, id est Canis capita dictus, vbi Romani T. Quintio Flaminino duce Philippum regem magno prœlio vicerunt. Strabo dicto loco Ἔστι ἐν τῇ Σκοτούσσῃ χωρίον τι, Κυνὸς κεφαλαὶ καλούμενον, περὶ ὃ Ῥωμαῖοι μετ' Αἰτωλῶν καὶ Τίτος Κοΐντος ἐνίκων μάχῃ μεγάλῃ Φίλιππον τὸν Δημητρίου, Μακεδόνων βασιλέα. Liuius de eodem prœlio lib. XXXIII cap. VII *Supergressi tumulos, qui Cynos cephalæ vocantur,* [Macedones] *posuerunt castra.* Et Plutarchus in Flamin. p. 372 ἐμάχοντο περὶ τὰς καλουμένας Κυνὸς κεφαλάς, αἳ λόφων οὖσαι πυκνῶν καὶ παραλλήλων ἄκραι λεπταὶ, δι' ὁμοιότητα τοῦ σχήματος οὕτως ὠνομάσθησαν, *Pugnatum est circa Cynos cephalas, quas vocant, quæ sunt frequentium æqualiumque inter se collium vertices tenues,* & a figuræ similitudine ita adpellantur. Ipse ibidem Plutarchus, & in Aem. Paullo p. 258 dicit id prœlium commissum περὶ Σκοτοῦσαν, *ad Scotusam,* quod prope ab vrbe istos colles fuisse argumento est.

Ad *Larissam*, nobilissimam huius partis vrbium iam venimus. Sita ad Peneum amnem X millibus infra Atracem, vt ex Liuio & Strabone supra demonstratum est. Liuius lib. XXXI cap. XLVI *illam in Thessalia nobilem vrbem* vocat: Solinus cap. VIII de Thessalia in *egregiis oppidis Larissam Thessalam* numerat. Cæsar

ſar III Civ. cap. XCVI *Pompeius protinus equo citato Lariſſam contendit.* Lucanus lib. VI verſ. 355

Atque olim Lariſſa potens. - - -

Gentile Græcum *Lariſſæus.* Cæſar ibi cap. LXXXI *Nulla Theſſaliæ fuit ciuitas præter Lariſſæos, qui magnis exercitibus Scipionis tenebantur, quin Cæſari pareret.* Et nummi veteres apud Golzium, item Palatini, Medicei, aliique ΛΑΡΙΣΑΙΩΝ, vno Σ, conſtanter. Adi illuſtr. Spanhem. p. 906. quamquam etiam duplici Σ percuſſos Harduinus referat. Liuius lib. XXXI cap. XXXI *Lariſſenſes*, forma Latina.

Pheræ quoque a Ptolemæo Pelasgiotarum regioni adſcribuntur. Liuius lib. XXXIII cap. VI *Circa Lariſſam erat rex, qui certior iam factus, Romanum ab Thebis Pheras mouiſſe, defungi quam primum certamine cupiens, ducere ad hoſtem pergit, & quatuor millia fere a Pheris poſuit caſtra.* Eadem Polybius in Excerptis libri XVII cap. XV ſic tandem narrationem claudens, προῆγε ποιέμενος τὴν πορείαν ὡς ἐπὶ τὰς Φερὰς, id eſt, *Pheras verſus* [exercitum] *duxit.* Cicero lib. I de Diuinat. cap. XXV de Eudemo, Ariſtotelis amico, *iter in Macedoniam venientem Pheras veniſſe; quæ erat vrbs in Theſſalia tum admodum nobilis, ab Alexandro autem tyranno crudeli dominatu tenebatur.* Hic eſt ille ab Nepote in Pelopida cap. V memoratus *tyrannus Alexander Pheræus*: nam ita gentile etiam in nummis formatum videmus, ΦΕΡΑΙΩΝ. Stephanus: Φεραὶ, πόλις Θεσσαλίας· ὁ πολίτης Φεραῖος. Prope aberant a mari, vtpote XC ſtadiis a *Pagaſis*, nauali ſuo. Strabo IX pag. 300 Φεραὶ μὲν οὖν εἰσὶ πέρας τῶν Πελασγικῶν πεδίων πρὸς τὴν Μαγνησίαν, ἐπίνειον δὲ τῶν Φερῶν, Παγασαὶ, διέχον ἐννενήκοντα ςαδίους αὐτῶν, *Pheræ ſunt finis Pelasgiotidis aduerſus Magneſiam: nauale autem Pherarum Pagaſæ, diſtans ab illis ſtadia nonaginta.*

Hæc a Ptolemæo Pelasgis tributa oppida: quibus nonnulla, nec illa ignobilia, ſed in hiſtoriis laudata, adiungemus. *Cranon* ex illis eſt, memoratum Plinio in Theſſalia cum Campis Pharſalicis; & Stephano, ex quo Strabo in excerptis libri VII eſt corrigendus. Κράνων, inquit, πόλις τῆς Θεσσαλίας τῆς Πελασγιώτιδος ἐν τοῖς Τέμπεσι, ὡς Ἑκαταῖος Εὐρώπῃ. - - - ἀπέχει δὲ ςαδίους ἑκατὸν τῆς Γυρτῶνος ἡ Κράνων πόλις, ὥς φησι Στράβων. *Cranon, vrbs Theſſaliæ Pelasgiotidis, in locis quæ Tempe adpellantur, ſita, auctore*

Hecatao in Europa. Distat vrbs Cranon centum stadiis a Gyrtone, vt Strabo perhibet. Liuius lib. XXXVI cap. X *Intra decimum diem, quam Pheras venerat, his perfectis, Cranonem profectus* [rex Antiochus] *cum toto exercitu, primo aduentu cepit. Inde Cyparam & Metropolim recepit.* Hinc illa ἐν Κρανῶνι παράταξις, vt Plutarchus Phocione p. 753; siue, vt idem Demosthene p. 859 vocat, ἡ περὶ Κρανῶνα μάχη, *Cranonia pugna*, qua victi Græci ab Antipatro sunt & Cratero, nominatur. Gentile *Cranonius.* Liuius lib. XLII cap. LXIV *Romani ad Cranonium intactum agrum castra mouent*, quo loco libri gemino N scriptum exhibent; etiam mox: *via qua inter Sycurium & Crannona est*: & cap. LXV *demessis Crannonis segetibus.* At Plinius, Plutarchus, Stephanus littera simplici scripserunt: & si libris fides, ipse Liuius priore loco.

Deinde *Elatia* siue *Elatea* (Ελάτεια) est prope Gonnum & fauces, quibus Tempe adeuntur. Liuius lib. XLII cap. LIV *Elatiam & Gonnum, perculsis inopinato aduentu oppidanis*, [Perses] *recepit. Vtraque oppida in faucibus sunt, qua Tempe adeuntur; magis Gonnus.* Sic legendum Sigonius probauit, adprobauit Gronouius. Stephanus enim in Ελάτεια, quum Phocidis magnam descripsisset, addidit: ἔστι καὶ Θετταλίας, *est quoque in Thessalia huius nominis oppidum.* Plura de illa non constant.

Gyrton autem, paullo ante ex Strabone & Stephano notata, etiam huius tractus fuit, quia ab Cranone centum stadiis abesse dicebatur. Strabo lib. IX extremo ex Hieronymo: εἶναι τὸ νῦν καλούμενον Πελασγικὸν πεδίον ἐν Λαρίσση, καὶ Γυρτώνη, καὶ Φεραῖς, *qui nunc vocatur Pelasgicus campus, Larissam habet, Gyrtonem & Pheras.* Et ante paullo pag. 304 περὶ τὸν Πηνειὸν καὶ τὸ Πήλιον οἰκοῦσι καὶ οἱ τὴν Γύρτωνα ἔχοντες, *circa amnem Peneum & Pelium montem colunt etiam Gyrtonii.* Liuius XXXVI cap. X *Omnia iam regionis eius, præter Atracem & Gyrtonem, in potestate erant.* Et lib. XLII cap. LIV *profectus ad Phalannam castra mouit: inde postero die Gyrtonem peruenit.* Adde Stephanum, qui Thessaliæ & Perrhæbiæ, id est ei parti Thessaliæ, quæ Perrhæbo habebat, attribuit. Ibidem etiam *Phalanna* fuit. Idem: Φάλαννα, πόλις Περραιβίας. Memoratur etiam in Lycophronis Cassandra vers. 906. Ceterum ex eodem Strabonis loco notamus, quia ἀναμὶξ, *promiscue*

siue ibi Perrhæbi & Lapithæ habitarint, *Πελασγιώτας ἅπαντας, omnes Pelasgiotas* adpellatos esse.

PHTHIOTIS, Φθιῶτις, Thessaliæ pars in austrum deuergens, & mare contingens ab ortu. Strabo IX p. 296 Ἔχει ἡ μὲν Φθιῶτις τὰ νότια τὰ παρὰ τὴν Οἴτην, ἀπὸ τοῦ Μαλιακοῦ κόλπου καὶ Πυλαϊκοῦ μέχρι τῆς Δολοπίας καὶ τῆς Πίνδου διατείνοντα, πλατυνόμενα δὲ μέχρι Φαρσαλίου καὶ τῶν πεδίων τῶν Θετταλικῶν, *Phthiotis austrina habet iuxta Oetam, a Maliaco sinu & Pyliaco vsque ad Dolopiam & Pindum pertinentia, dilatata autem vsque Pharsalium & campos Thessalicos.* Nomen habet a *Phthia*, quam Plinius lib. IV cap. VII extremo in *celebribus oppidis* numerauit. Et talem fuisse *Phthiam*, Achillis patriam, Virgilius lib. I Aeneid. vers. 284, in Græciæ claris vrbibus ponens, ostendit:

> - - - *Veniet lustris labentibus ætas,*
> *Quum domus Assaraci Phthiam clarasque Mycenas*
> *Seruitio premet, ac victis dominabitur Argis.*

Procopius de Aedificiis lib. IV cap. III cum Larissa & Peneo memorauit, sed tamquam olim deletæ: τῆς Φθίας ἐνταῦθα οὐκέτι οὔσης, *Phthia ibi iam non exstante.* Oppidani *Phthii.* Horatius lib. IV oda VI *Phthius Achilles.* Hæc de *Phthia*, vnde nomen *Phthiotidis.*

Ptolemæus in mediterraneis primum ponit *Narthacium*, quod prope Pharsalum fuisse, ex Plutarchi Apophthegm. Laconicis patet, quibus de Agesilao traditur: Φαρσαλίων προσκειμένων καὶ κακουργούντων αὐτοῦ τὸ στράτευμα, πεντακοσίοις ἱππεῦσι τρεψάμενος αὐτοὺς, τρόπαιον ἔστησεν ὑπὸ τῶν Ναρθακίων, *Pharsaliis vexantibus exercitum ipsius, in fugam eos vertit quingentis equitibus, & tropæum constituit sub Narthaciis.*

Altera vrbs Ptolemæi est *Coronea*, Κορώνεια, alia ab illa nobiliore Bœotiæ. Strabo lib. IX pag. 298 Phthioticas vrbes recensens: Ἐρινεὸν πρὸς τούτοις, Κορώνειαν ὁμώνυμον τῇ Βοιωτικῇ, Μελιταιαν, Θαυμακοὺς, *adhæc* [post alias] *Erineum, Coroneam cognominem Bœoticæ, Melitæam, Thaumacos.* Stephanus in hoc nomine: τρίτη τῆς Φθιώτιδος, *tertia* [Coronea] *Phthiotidis est.* De situ quod aliunde non constat, credemus Ptolemæo, qui Narthacio in ortum; Lamiæ, prope Sperchium sitæ, ad septemtriones opposuit. Deinde Μελιτάρα est, vt videtur, praue scripta, quia Μελιταια

Straboni, vti iam vidimus; Plinio lib. IV cap. IX *Melitaa* est: Thucydidi lib. IV pag. 305 Μελιτία.

Sequuntur apud Ptolemæum Ἐρετρίαι, plurali numero, *Eretriæ*, quæ aliis *Eretria* singulariter est cum *Phthiotidis* cognomine. Liuius lib. XXXIII cap. VI Romani *ad Eretriam Phthiotici agri; Philippus super amnem Onchestum posuit castra.* Polybius excerpt. lib. XVII cap. XVI in eadem historia mancus est, ἐπὶ τὴν προσαγορευομένην Ἐρετρίαν τῆς Φ......ς, quod nemo non videt, supplendum ex Liuio esse Φθιώτιδος; *Phthiotidis*, non, vt visum est Latino interpreti, Φεραίας, *Pheraa.* Propinqua Pheris *Bœbëis*, palus, ab *Bœbi* oppidulo dicta. Strabo p. 300. ἡ Βοιβηὶς λίμνη πλησιάζει ταῖς Φεραῖς.

Succedit *Lamia*, bello Lamiaco, quod Græci post Alexandri mortem cum Macedonibus gesserunt, nobilior facta. Strabo IX pag. 298 Ἀπέχει δὲ Λαμίας ὁ Σπερχειὸς περὶ τριάκοντα σαδίες, *Sperchêus amnis triginta stadiis abest a Lamia.* Et paucis interiectis: *Enumerant oppida Phthiotica ditionis Achilli subiecta*, in iisque Θήβας τὰς Φθιώτιδας, Ἐχῖνον, Λαμίαν, περὶ ἣν ὁ Λαμιακὸς συνέςη πόλεμος Μακεδόσι καὶ Ἀντιπάτρῳ πρὸς Ἀθηναίες, *Thebas Phthiotidas, Echinum, Lamiam, ad quam vrbem bellum Lamiacum a Macedonibus & Antipatro aduersus Athenienses gestum fuit.* Et Diodorus lib. XVII cap. CXI ἐξ ὧν ὁ Λαμιακὸς πόλεμος κληθεὶς ἔλαβε τὴν ἀρχὴν, *ex quibus* [motibus] *bellum Lamiacum, quod dicitur, initium cepit.* Ipsum autem bellum lib. XVIII cap. IX seq. persequutus est: & cap. XII rationem adpellationis dat, quia victus Antipater κατέφυγεν εἰς πόλιν Λαμίαν, *in vrbem Lamiam confugit*, quam Athenienses obsederunt. Liuius de eadem vrbe lib. XXXIX cap. XXIII *Antiocho rege bello superato ad Thermopylas, diuisis partibus, quum per eosdem dies consul Acilius Heracleam, Philippus Lamiam oppugnasset; capta Heraclea, quia iussus abscedere a mœnibus Lamia erat, Romanisque oppidum deditum est, ægre eam rem tulerat.*

Vltima Ptolemæi extra oram est Ἡράκλεια Φθιώτιδος, *Heraclea Phthiotidis.* Prope sinum Maliacum fuit & Thermopylas. Liuius lib. XXXVI cap. XXII *Sita est Heraclea in radicibus Oeta montis: ipsa in campo, arcem imminentem loco alto & vndique præcipiti habet. - - - quatuor simul locis* [consul] *adgredi vrbem constituit: a flumine Asopo: - - - sinus Maliaco, qua aditum haud facilem*

cilem pars habebat : ab altero amniculo, quem Melana vocant. Et reliqua. Cognominatur etiam *Heraclea Trachinia*, siue *Trachin.* Cognomen tractui & Heracleæ vrbs vetus dedit, *Trachin* dicta sex stadiis supra locum Heracleæ. Strabo IX pag. 295 Διέχει τῆς ἀρχαίας Τραχῖνος περὶ ἓξ σαδίους ἡ Ηράκλεια, *abest Heraclea sex fere stadiis a vetere Trachine.* Ibidem vocat Spartanorum opus: Ηράκλεια, ἡ Τραχὶν καλουμένη πρότερον, Λακεδαιμονίων κτίσμα, *Heraclea, quæ prius Trachin dicta fuit, a Lacedæmoniis condita est.* Thucydides lib. III pag. 235 Peloponnesiaco bello coloniam deductam adnotauit: ὑπὸ τὸν χρόνον τοῦτον Λακεδαιμόνιοι Ηράκλειαν τὴν ἐν Τραχινίαις ἀποικίαν καθίσαντο, *Sub idem tempus Lacedæmonii Heracleam in Trachiniis coloniam deduxerunt.* Eodem libro p. 240 ἦσαν ἐξ Ηρακλείας τῆς ἐν Τραχῖνι πόλεως, τότε νεοκτίστου οὔσης, *erant ex vrbe Heraclea Trachinia, tum recens condita.* Eodem vrbis cognomine Diodorus vsus est lib. XIV cap. LXXXIII, οἱ Βοιωτοὶ μετ' Αργείων Ηράκλειαν τὴν ἐν Τραχῖνι κατελάβοντο, *Bœoti cum Argiuis Heracleam, quæ in Trachine est, occupabant.* Ergo & regionis nomen ἡ Τραχὶν, *Trachin*, & oppidi : populum ibidem Diodorus dixit τοὺς Τραχινίους, *Trachinios.*

Addenda sunt a Ptolemæo prætermissa. Strabo lib. IX pag. 298 Phthioticas vrbes recenset, Thebas, Echinum, Lamiam, Erineum, Coroneam, Melitæam, Thaumacos, quibus addit Πρόερναν, Φάρσαλον, Ἐρετρίαν, *Proernam, Pharsalum, Eretriam.* e quibus intactæ Ptolemæo mediterraneæ, Thaumaci, Proerna, Pharsalus. *Thaumaci*, Θαύμακοι Strabonis, ita describuntur ab Liuio lib. XXXII cap. IV, *Thaumaci a Pylis sinuque Maliaco per Lamiam eunti, loco alti siti sunt, ipsis faucibus imminentes, quam Cœlen vocant : Thessaliæque transeunti confragosa loca, implicatasque flexibus vallium vias, vbi ventum ad hanc vrbem est, repente velut maris vasti, sic immensa panditur planities, vt subiectos campos terminare oculis haud facile queas. Ab eo miraculo Thaumaci adpellati.* Stephanus autem a Thaumaco conditore nomen ducit. Iterum Liuius lib. XXXVI cap. XIV *Ducere tum porro in sinum Maliacum cœpit. Adpropinquante faucibus, super quas siti Thaumaci sunt, deserta vrbe iuuentus omnis armata siluas & itinera insedit.* Dicitur etiam vrbs eadem Plinio IV cap. IX *Thaumacie*, siue *Thaumacia.* Et Homerus Catalogo vers. 223

Οἱ δ' ἄρα Μηθώνην καὶ Θαυμακίην ἐνέμοντο,

Qui vero Methonen & Thaumaciam habitabant.

Apud Strabonem dicto loco Thaumacos sequebatur Πρόερνα, *Proërna*, tamquam vicina & propinqua. Liuius iam dicto cap. XIV *Venienti* [consuli] *Pharsalus, Scotussa & Pheræ deduntur. - - - Proërnam inde recepit, & quæ circa eam castella sunt. Ducere tum porro in sinum Maliacum cœpit. Adpropinquanti faucibus, supra quas siti Thaumaci sunt*, reliqua. Ergo citra Thaumacos sita Proërna erat, vt qui ab hac sinum Maliacum petebat, Thaumacos præterire necesse haberet. Stephanus *Proarna* scripsit vocali prima. Πρόαρνα πόλις Μηλιέων, οὐδετέρως, *Proarna, vrbs Maliensium, neutrum plurale.* Malienses autem, qui sinum accolunt Maliacum. Sed quia secunda vocali & Strabo & Liuius consentiunt, illorum scriptura vtique præferenda in nomine *Proerna* est.

Pharsalus male quorumdam Tabulis ad Estiæotidem reducta est. Strabo enim, vt supra vidimus, in Phthioticis vrbibus cum Thaumacis & Proerna exposuit: & Polybius lib. V cap. XCIX cum Pheris coniunxit & Larissa, cuius vicinitatem fuga Pompeii monstrauit, qui ex Pharsaliis campis proxime Larissam petiit, nec vero intrauit. Strabo & Liuius ante dictis locis Φάρσαλος, *Pharsalus*: & Lucanus lib. VI vers. 350

Emathis æquorei regnum Pharsalos Achillis.

Et Catullus carm. LXIV de Nuptiis Pel. & Thet. vers. 37

Pharsalum coeunt, Pharsalia tecta frequentant.

Tacitus Hist. lib. I cap. L *Pharsaliam* vocat. *Nec iam*, inquit, *recentia sæuæ pacis exempla, sed repetita bellorum ciuilium memoria, captam toties suis exercitibus vrbem, vastitatem Italiæ, direptiones prouinciarum, Pharsaliam, Philippos & Perusiam ac Mutinam, nota publicarum cladium nomina, loquebantur.* Vrbem Ἐνιπεύς, *Enipeus* fluuius præterlabitur. Strabo IX pag. 297 ὁ δ' Ἐνιπεὺς ἀπὸ τῆς Ἐρυθρᾶς παρὰ Φάρσαλον ῥυεὶς, εἰς τὸν Ἀπιδανὸν παραβάλλει, ὁ δ' εἰς τὸν Πηνειὸν, *Enipeus ab Erythra Pharsalum præterlabens, in Apidanum, & hic in Peneum influit.* - Est hic alius *Enipeus* ab illo Macedonico, qui ab Olympo monte procurrens prope Dium effunditur. De nostro, eiusque receptore, Plinius lib. IV cap. VIII *Flumina Thessaliæ Apidanus, Phœnix, Enipeus: - - - & ante cunctos claritate Peneus, ortus iuxta Gomphos.* Appianus lib. II Ciuil. pag. 778 ait,

aciem

aciem Pharsaliam Pompeii stetisse μεταξὺ Φαρσάλε τε πόλεως καὶ Ενιπέως ποταμοῦ, *inter oppidum Pharsalum & Enipeum fluuium.* Quod si est, laxe illud Strabonis παρὰ, *prater*, interpretandum, vt spatium intercesserit aciei capiendæ: nisi Pharsalum veterem a noua remoueas longius, vt altera flumini fuerit propinquior, altera reductior ab eodem. Strabo ibidem: Θετίδιόν ἐστι πλησίον τῶν Φαρσάλων ἀμφοῖν, τῆς δὲ παλαιᾶς καὶ τῆς νέας, *Thetidis sacellum vtrique Pharsalo, & veteri & noua, propinquum est.* Eutropius lib. VI cap. XVI *Deinde in Thessalia apud Palaopharsalum productis vtrimque ingentibus copiis*, [Cæsar & Pompeius] *dimicauerunt.* Itidem Strabo lib. XVII pag. 548 Πομπήιος Μάγνος ἧκε φεύγων ἐκ Παλαιοφαρσάλε πρὸς τὸ Πηλέσιον, *Pompeius Magnus venit, ex Palaopharsalo fugiens, Pelusium.* Liuius lib. XLIV cap. I *Palapharsalum* scripsit. Inter hanc ergo & amnem Enipeum, commissum illud fatale fuit prœlium.

Hæc de mediterraneis Phthiotarum: maritimis illorum Ptolemæus dat *Pagasas, Demetriadem, Larissam, Echinum, Sperchiam, Thebas Phthiotidis.* A septemtrione sic in austrum progressus est: contra Strabo ab austro in boream procedendo addit supra enumeratis, lib. IX p 300, *Antronem, Pteleum, Alon*, vltra quæ promontorium *Pyrrha*, ἐνταῦθα ἡ Φθιῶτις πᾶς τελευτᾷ, *vbi finis fere Phthiotidis est:* Ptolemæus autem supra Demetriadem & Pagasas producit, quam partem Magnetibus Strabo attribuit. Superaddenda *Phalara* in sinu Maliaco, post quam ostia Sperchêi, in quibus Ptolemæus oram Phthiotidis finiuit. Liuius lib. XXXV cap. XLIII *Iam profectus ab Demetriade rex, quia ita decreturos sciebat, Phalaram in sinum Maliacum processerat.* Et lib. XXXVI cap. XXIX *rediens Phalara in sinu Maliaco.* Polybius Legation. XIII τῦ Νικάνδρε καταπλεύσαντος ἐκ τῆς Ἀσιας εἰς τὰ Φάλαρα τῦ κόλπε Μηλιέως, *quum Nicander ex Asia rediret Phalaram in sinu Maliaco.* Et Stephanus: Φάλαρα, πόλις Θετταλίας, πλησίον Λαμίας, *Phalara oppidum Thessalia prope Lamiam.* Etiam Plinius lib. IV cap. VII *Phalara* scripsit, qua constantia probatur, mendum in libris Liuianis esse, quibus *Phalera* secunda vocali legitur.

Prope hanc (supra an infra, certum non habeo) ex Ptolemæi dispositione ponendæ *Theba* sunt, quas ipse Φθιώτιδος cognominat, id est *Thebas Phthiotidis* regionis: Strabo p. 298 Θήβας τὰς

τὰς Φθιώτιδας: Polybius Legat. VI Θήβας Φθίας: & Liuius lib. XXXII cap. XXXIII *Thebas Phthias*; & lib. XXVIII cap. VII *Thebas Phthioticas*: Plinius lib. IV cap. VIII *Thebas Thessaliae*: atque ita Ptolemæus prope *Sperchii* ostia, seu inter ipsa & *Sperchiam* oppidum locauit, in quo error vel auctoris est, vel describentium. Quis enim dubitat, *Sperchiam* a flumine, cui adiacet, nomen accepisse, quæ vero, vt vulgatum libris Ptolemæi est, retrahitur ab illo, interiectis Thebis? Aliter Strabo, qui Thebas supra Halon, in septemtrione ac prope in fine ponit Phthiotidis, lib. IX pag. 300. Vbi vbi fuerunt in ora Phthiotidis, *emporium vnum* fuerunt *maritimum, quondam quaestuosum Thessalis & frugiferum*, vt ipsi apud Liuium lib. XXXIX cap. XXV queruntur, quum inde negotiationem maritimam rex Demetriadem auerterat. Idem rex, colonia eo deducta, Φιλίππε τὴν πόλιν ἀντὶ Θηβῶν κατωνόμασεν, *Philippopolim pro Thebis adpellari iussit*, vt Polybius refert lib. V cap. C.

Sperchia autem, Σπέρχεια Ptolemæi, haud dubie ad ostium *Sperchii* fluminis fuit, nec dubitatur, quin eadem sit *Sperchios* Plinii lib. IV cap. VII, quamquam ille in Doride locauit. Addit enim post paullo: *Ex his* [Thessalis] *Phthiotae nominantur Dorida accolentes.*

Hæc in Phthiotide προσχώρῳ τοῖς Μαλιεῦσι, *contermina Maliensibus*, vt Strabo vocat lib. IX pag. 298: Liuio autem is tractus, saltem ex parte, est *ager Maliensis*, lib. XLII cap. XL. Huius partis fuit etiam *Phylace*, ἡ Φυλάκη Straboni dicto loco, nec vero certum, mari adposita, an non nihil reducta fuerit. Iuxta sunt *Sperchii* ostia siue *Sperchêi*, nam Σπερχειὸς Græcis est: ideoque Latini etiam produxerunt. Ouidius Metam. I vers. 579

Populifer Sperchêos, & irrequietus Enipeus.

Exit in sinum qui Plinio & Liuio locis antea monstratis est *sinus Maliacus*, Græce κόλπος Μαλιεὺς, seu Ionice Μηλιεὺς, vt modo ex Polybii Legat. XIII ostendebamus, quia Μαλιεῖς, *Malienses* accolebant: seu Μαλεεῖς, *Maleenses*, vt Pausanias Phoc. cap. VIII scripsit, quum Thessaliæ contributos ab Augusto fuisse prodidit. Idem sinus a vicina vrbe etiam *Lamiacus* nominatur. Pausanias Attic. cap. IV τοῦ κόλπου τοῦ Λαμιακοῦ τέλματος πρὸς ταῖς Θερμοπύλαις ὄντος, *Lamiacus sinus ad Thermopylas cœnosus est.*

Supra

Supra Phalaram ex prædictis Ptolemæi erat Ἔχινος, *Echinus*, siue Ἐχῖνος, producta media, vt Polybii excerptis lib. XVII cap. III extr. scriptum exstat. qui coniungit Ἐχῖνον καὶ Θήβας τὰς Φθίας, *Echinum & Thebas Phthias* siue *Phthioticas*: quæ ita etiam eiusdem Legatione VI pag. 1100 componuntur. Liuius lib. XXXII cap. XXXIII principis Aetolorum aduersus Philippum regem oratione: *eadem fraude habere eum Thebas Phthias, Echinum, Larissam, & Pharsalum.* Strabo, ὁ Ἐχῖνος, CL stadiis supra Phalaram, lib. IX pag. 299.

Proximam Echino Ptolemæus *Larissam* ponit, sine cognomine, quod alibi adiunctum, quasi maritimam, quamquam paullum recedit a mari. nam Strabo ibidem: τῆς ἑξῆς παραλίας ἐν μεσογαίᾳ ἐστὶν ἡ Κρεμαστὴ Λάρισσα εἴκοσι σαδίους αὐτῆς διέχουσα, *vlteriori litore, intus paullum ad* XX *stadia a mari, Larissa est, Cremaste* (id est pensilis) *cognominata.* Liuius lib. XXXI cap. XLVI *Larissam, non illam in Thessalia nobilem vrbem, sed alteram, quam Cremasten vocant, subito aduentu, præter arcem*, [legatus] *cepit.* Hanc etiam *Pelasgiam* cognominari, Strabo ibidem auctor est, quod forte condita fuit a Pelasgis, quamuis sita extra Pelasgiotidem.

Sequuntur ἐν τῷ πρὸς Εὐβοίᾳ πόρῳ, *ad fretum Euboicum* sita, Strabonis Ἄντρων, εἶτα Πτέλεον καὶ ὁ Ἅλος, *Antron, deinde Pteleum, & Halos.* Liuius lib. XLII extremo: *Consul cum exercitus parte profectus in Achaiam Phthiotim; Pteleum desertum fuga oppidanorum diruit a fundamentis: Antrona voluntate colentium recepit.* Cur autem Phthiotis *Achaia* ab Liuio cognominetur, caussam aperuit Strabo pag. 298 Ἀχαιοὶ ἐκαλοῦντο οἱ Φθιῶται πάντες, *Achæi vocabantur Phthiotæ vniuersi.* Aliis *Achaia* hæc est pars Phthiotidos. Tertia vrbs, ὁ Ἅλος ἢ ἡ Ἅλος, (communi enim genere ita Strabo censet p. 298) etiam Plinio IV cap. VII extremo *Halos* dicta cum adspiratione. Addit Strabo ex Artemidoro, *Halon* ἐν τῇ παραλίᾳ sitam a Pteleo distare ἑκατὸν καὶ δέκα σαδίους, CX *stadia.* Item paullo ante, suis verbis: ὁ Φθιωτικὸς Ἅλος ὑπὸ τῷ πέρατι κεῖται τῆς Ὄθρυος ὄρους πρὸς ἄρκτον κειμένου τῇ Φθιώτιδι, *Halos Phthioticus ad radices montis Othryis, a septemtrione claudentis Phthiotim, situs est.* Adluitur *Amphryso* siue *Amphrysso*, amne post Sperchêum maxime memorabili in Phthiotis. Strabo IX

pag. 298 ᾤκισεν ὁ Ἀθαμὰς τὴν Ἅλον. ὑπέρκειται δὲ τοῦ Κροκίου πεδίου· ῥεῖ δὲ ποταμὸς Ἄμφρυσος πρὸς τῷ τείχει, *Athamas Halon condidit, quæ ſupra Crocium campum ſita eſt: mœnia præterfluit Amphryſſus.* Hic eſt amnis, de quo Virgilius Georg. III ineunte, *Paſtor ab Amphryſo:* vbi Seruius quoque interpretatur *fluuium Theſſaliæ.* Et Callimachus hymno in Apoll. verſ. 48

> Ἐξέτ' ἐπ' Ἀμφρύσῳ ζευγήτιδας ἔτρεφεν ἵππους,
> *Ex quo iuxta Amphryſum iugales pauit equas.*

Et Apollonius lib. I verſ. 54 - - - ἐπ' Ἀμφρύσοιο ῥοῇσιν, *iuxta Amphryſſi fluenta.* Ouidius Metam. VII verſ. 228

> *Multa quoque Apidani placuerunt gramina ripis,*
> *Multa quoque Amphryſi: neque eras immunis Enipeu;*
> *Nec non Penea, nec non Sperchеïdes vndæ.*

Habes heic Theſſaliæ fluuios nobiliores. Et Lucanus VI verſ. 566

> - - - - - *ferit amne citato*
> *Maliacas Sperchios aquas: & flumine puro*
> *Irrigat Amphryſos famulantis paſcua Phœbi.*

Phthiotidis etiam fuerunt *Myrmidones*, nobilis gens apud poetas, Achilli & Patroclo ſubiecti, vt Straboni p. 298 εἰκὸς, *veroſimile* videtur.

Hæc de Theſſalia eiusque quatuor partibus, ſuis olim regibus ſubiecta, poſt Aetolis magna ex parte: dein Macedonibus paruit, quibus Romani ademerunt. Tandem prouinciæ Macedoniæ acceſſit, quemadmodum etiam in Macedonia cenſuit Ptolemæus. Sunt plura, apud Liuium præſertim, in Theſſalia, non modo oppida, quibus certum locum adſignare non poſſumus; verum etiam *Cambunii montes*, Liv. lib. XLIV cap. II, & *Aſcuris lacus*, ibidem, & alia, quæ prætermiſimus, maiori otio, aut aliorum induſtriæ reſeruanda.

Tandem amœniſſimum locum (*Tempe* dixerunt) cui regioni contribuamus, non eſt manifeſtum. In Theſſalia fuiſſe, epitheta commonſtrant. Liuius lib. XXXIII cap. XXXV *Theſſalica Tempe;* Ouidius Metam. VII verſ. 222 *Theſſala Tempe.* Sed in qua regione Theſſaliæ? Catullus carm. LXIV verſ. 35

> - - - *linquunt Phthiotica Tempe.*

Putares in Phthiotide eſſe. At Peneum, Tempe perluentem, Phthiotæ vix vnquam attigerunt, Othry monte aut ſimilibus

ſeiuncti.

seiuncti. Pelasgiotæ vicina loca Gonnum, Cranonem tenuere, at iuxta ostia nihil possederunt. Ipsa ergo *Tempe* definienda prius sunt, quam de gente aut regione illorum iudicetur.

Plinius lib. IV cap. VIII *Penéus inter Ossam & Olympum nemorosa conualle defluens quingentis stadiis, dimidio eius spatii nauigabilis. In eo cursu Tempe vocantur quinque mill. passuum longitudine, & ferme sesquiiugeri latitudine, vltra visum hominis attollentibus se dextera læuaque leniter conuexis iugis. Intus sua luce viridante adlabitur Peneus, viridis calculo, amœnus circa ripas gramine, canorus auium concentu.* Accessit naturæ fabula, quam Strabo refert, stagnasse hoc loco Penêum (ἐλιμνάζετο) cohibito exitu altioribus circa mare quæ sunt locis, donec tandem ὑπὸ σεισμῶν ῥήγματος γενομένου (τὰ νῦν καλούμενα Τέμπη) καὶ τὴν Ὄσσαν ἀποσχίζοντος ἀπὸ τοῦ Ὀλύμπου, διεξέπεσε ταύτῃ πρὸς θάλασσαν ὁ Πηνειὸς, *terræ motibus hiatu facto, & abrupto Ossa ab Olympo, inter montes illos Penêus in mare se effuderit.* Conuenit in loci situ cum Plinio & Strabone Aelianus Var. Hist. lib. III cap. I ita *Tempe Thessalica* describens: ἔστι χῶρος μεταξὺ κείμενος τοῦ τε Ὀλύμπου καὶ τῆς Ὄσσης, - - - οὗ τὸ μὲν μῆκος ἐπὶ τεσσαράκοντα διήκει σταδίους· - - διαρρεῖ δὲ μέσου ὁ καλούμενος Πηνειός. - - διατριβὰς δ᾽ ἔχει ποικίλας καὶ παντοδαπὰς ὁ τόπος οὗτος, οὐκ ἀνθρωπίνης χειρὸς ἔργα, ἀλλὰ φύσεως αὐτόματα. *Locus est inter Olympum & Ossam montes, longitudine* XL *stadiorum, quem medium Peneus perfluit: amœnitates habet miras & varias naturæ, non humanæ industriæ opera & oblectamenta.* Liuius autem horrorem potius, quam amœnitatem, in illis notauit, videlicet exercitui Romano propter angustos transitus incussum. *Sunt*, inquit, *Tempe saltus, etiamsi non bello fiat infestus, transitu difficilis. nam præter angustias per quinque millia, qua exiguum iumento onusto iter est, rupes vtrimque ita abscisæ sunt, vt despici vix sine vertigine quadam simul oculorum animique possit. terret & sonitus & altitudo per mediam vallem fluentis Penei amnis.* Ex quibus adparet, fuisse Tempe Pelasgiotidis regionis, cuius extrema Penêi quondam erant, postea, vt videtur, Magnesiæ contributa: atque ita Plinius lib. IV cap. IX *Penei ostium* non in Thessalia ipsa, sed in *Magnesia Thessaliæ adnexa* censeri voluit.

MAGNESIA extra Strabonis τέσσαρα μέρη, *quatuor partes*

Thessaliæ est, & Pelasgiotis *μέχρι Μαγνητικῆς παραλίας, vsque ad Magnetiam oram* pertinet, lib. IX pag. 296. sæpe tamen ipsi Thessaliæ attributa. Plinius IV cap. IX *Thessaliæ adnexa Magnesia est.* Tota fere *παραλία, maritima ora* est, Perrhæbis mediterranea, quæ adiacent, tenentibus. Scylax in hac gente: Ἔθνος Μαγνήτων παρὰ θάλατταν· - - - ἐν μεσογείᾳ ἐποικοῦσιν ἔθνος Περραιβὸν, Ἕλληνες, *Magnetum gens ad mare habitat: - - - in mediterraneo tractu Perrhæbi habitant, natio Græca.* Ptolemæus Magnetas separatim non exposuit, sed partem addidit Pelasgiotis: partem inferiorem Phthiotarum regioni.

In limite Phthiotidis ex Strabonis dispositione *Demetrias* est, opus Demetrii Poliorcetæ, vt ille lib. IX pag. 300 refert, qui vicina oppida in eam conduxit, *Neliam, Pagasas, Ormenium, Rhizuntem, Sepiadem, Olizonem, Bœben, Iolcon,* quæ ita exhausta, abductis Demetriadem colonis, fuerunt, vt Strabo subiunxerit dicto loco: *αἱ [πόλεις] νῦν εἰσὶ κῶμαι τῆς Δημητριάδος, hæc oppida nunc sunt pagi Demetriadis.* Liuius lib. XXXIX cap. XXIII *Demetriadem quoque, vrbem validam & ad omnia opportunam, & Magnetum gentem suæ ditionis* [rex Philippus] *fecit.* Sic vero in Magnetum finibus fuit; vt in Thessalia etiam censeretur. Idem lib. XXVII cap. XXXII *profectus ab Dymis per Achaiam Bœotiamque, & Eubœam, decimis castris Demetriadem in Thessaliam peruenit.* Heic Antiochus, quum in Europam venisset, adpulerat. Polybius lib. III cap. VII ἀρχὴ τοῦ πολέμου ὁ Αντιόχου κατάπλους εἰς Δημητριάδα, *Initium belli fuit Antiochi adpulsus in Demetriadem.* Hæc vrbs diu nauale, & regia quoque aliquando Macedonicorum regum fuit. Strabo ibidem de Demetriade: καὶ δὴ καὶ ναύσταθμον ἦν τοῦτο καὶ βασίλειον μέχρι πολλοῦ τοῖς βασιλεῦσι τῶν Μακεδόνων.

Septem stadiis supra Demetriadem *Iolcos* fuit, Strabone auctore, qui addit: ἡ Ἰωλκὸς κατέσκαπται μὲν ἐκ παλαιοῦ, *Iolcus olim deleta est.* Plinius lib. IV cap. IX *Thessaliæ adnexa Magnesia est, cuius fons Libethra: oppida, Iolcus, Hormenium, Pyrrha, Methone, Olizon.* De fonte *Libethra* Plinii sic Pomponius lib. II cap. III *heic Libethra, carminum fontes.* Propter pluralem distinguit Ortelius ab oppido fontes. nam oppidum, *Libethram* nomine, in Olympo monte, qua is in Macedoniam vergit, Pau-

sanias

sanias Bœot. cap. XXX descripsit. Hinc nymphæ aut Musæ *Libethrides.* Strabo lib. IX pag. 282 in Helicone ponit, præter Musarum templum & Hippocrenen, etiam τὸ τῶν Λειβηθρίδων νυμφῶν ἄντρον, *Libethridum Musarum antrum.* Et Virgilius eclog. VII vers. 21

Nymphæ, noster amor, Libethrides, aut mihi carmen,
Quale meo Codro, concedite. - - - -

Viginti stadiis ab Iolco sunt *Pagasæ* secundum eumdem Strabonem, nauale quondam Pherarum, a quibus stadia XC distant. Plinius confundit cum Demetriade lib. IV. cap. VIII. *Oppidum,* inquit, *Pagasæ, idem postea Demetrias dictum.* Sed distinxit Strabo, & Pagasis coloni Demetriadem deducti: & quum illæ antea nauale ac emporium fuissent, omnis negotiatio & naualis res inde Demetriadem translata fuit. Quidam *Pagasarum* nomen ex πήγνυμι, a naue Argo ibidem *compacta* deriuant: alii ex fontibus eius loci, quia Dorice παγαὶ *fontes* sunt, ceteris Græcorum πηγαί. Prior ratio gratior poetis est. Propertius lib. I eleg. XX vers. 17

Namque ferunt olim Pagasæ naualibus Argo
Egressam longe Phasidos isse viam.

Hic ergo singulari numero *Pagasa* dixit, etiam Mela II cap. III *Sinus vrbem Pagasam amplexus:* ceteri, Strabo, Scylax, Ptolemæus, & Apollonius lib. I vers. 411 Παγασαὶ, *Pagasæ*, pluraliter: etiam Plinius prædicto VIII capite Harduini editione; Frobenii & aliorum *Pagasa:* vt videri possit Latinis singularem; Græcis pluralem in hoc nomine magis placuisse, quos malumus, quam illos, in vrbis Græcæ vocabulo imitari. Hinc sinus, cui adsitæ, Scylaci & Straboni Παγασητικὸς κόλπος: Plinio, *Sinus Pagasicus* dicto loco: Melæ *Pagasæus sinus:* quæ forma etiam aliis est vsurpata. Sic Ouidius Epist. Herûs ad Leandr. vers. 175 *Pagasæus Iason:* & Lucanus lib. II vers. 715 *Pagasæa ratis*, id est Argo.

Prope aberat locus Ἀφέται, *Aphetæ*, vnde egressi in mare Argonautæ. Strabo post Pagasarum descriptionem: πλησίον δὲ καὶ Ἀφέται, ὡς ἂν ἀφετήριόν τι τῶν Ἀργοναυτῶν, *In proximo etiam Aphetæ sunt, quasi emissarium Argonautarum.* Adde Herodotum lib. VII cap. CXCIII. Et Diodorus Siculus lib XI cap. XII κατέπλευσεν εἰς Ἀφετὰς τῆς Μαγνησίας, *nauigauit in Aphetas Magnesiæ.*

Sic variat in libris accentus, qui Strabonis & Herodoti, in media; Diodori, est in postrema.

Hactenus Strabonis ordinem sequuti sumus: cetera certo loco vix possunt designari: quædam nequaquam possunt. *Methone* in hoc numero est, Græce Μεθώνη, quam Thucydides lib. VI pag. 415 Μεθώνην τὴν ὅμορον Μακεδονίᾳ, *Methonen Macedoniæ finitimam* vocitat. Scylax in Magnesia: Ἰωλκὸς, Μηθώνη, Κορακαὶ, Σπάλαθρα, Ὀλιζὼν, *Iolcus*, *Methone*, *Coracæ*, *Spalathra*, *Olizon*. Homerus quoque Catalogo nauium & vrbium vers. 223

Οἱ δ᾽ ἄρα Μηθώνην καὶ Θαυμακίην ἐνέμοντο,

Qui vero Methonem & Thaumaciam habitabant.

nam Μηθώνη & Μεθώνη scribitur. *Olizonem*, Ὀλίζωνα, quam heic Scylax memorat, etiam supra in iis oppidis, quorum incolas rex Poliorceta Demetriadem deduxerat, Strabo numerauit. Homerus iam dicto versui subiecit:

Καὶ Μελίβοιαν ἔχον καὶ Ὀλίζωνα τρηχεῖαν.

Et Melibœam tenebant & asperam Olizonem.

Stephanus Thessaliæ dat, sed late sumtæ, vt Magnesiam comprehendat. *Melibœæ* situm Liuius monstrauit lib. XLIV cap. XII, *prætervecti, ad Iolcon classem adpulerunt: inde agro vastato, Demetriadem quoque adgressuri. Inter hæc & consul, ne segnis sederet tantum in agro hostico, M. Popillium cum quinque millibus militum ad Melibœam vrbem oppugnandam mittit. Sita est in radicibus Ossæ montis, qua parte in Thessaliam vergit, opportune imminens super Demetriadem.* Strabo lib. IX extremo ἐν κόλπῳ, ad sinum ponit, qui inter Peneum & Ossam est.

Oloosson, Ὀλοοσσὼν, Straboni Περραιβικὴ πόλις, *vrbs Perrhæbica*; Stephano πόλις Μαγνησίας, *oppidum Magnesiæ*. nam Perrhæbi mediterranea Magnesiæ tenebant, vt supra, Scylace auctore, tradebamus. Homerus Catalogo vrbium vers. 246

- - - οἳ ἐνέμοντο

Ὄρθην, Ἠλώνην τε, πόλιν τ᾽ Ὀλοοσσόνα λευκὴν,

quam *albam*, λευκὴν, cognominat, vt Strabo exponit, ἀπὸ τοῦ λευκάργιλος εἶναι, quod *in solo argillæ albæ* sit imposita. Lycophron versu 906 Ὀλοοσσόνων γύας, *Oloossonensium arua* contracte dixit. *Elone* quoque Homeri etiam Straboni nota est, qui illam æque, vt Oloossonem, ὑπὸ τῷ Ὀλύμπῳ, *sub Olympo*, prope flumen

men *Eurotam*, qui Τιταρήσιος Homeri sit (*Titaresius* Lucani lib. VI vers. 376) posuit.

Sub Pelio monte etiam vrbs fuit eodem, quo regio, nomine *Magnesia*, paucis memorata. Apollonio lib. I vers. 584 est metri caussa Μάγνησα, *Magnesa*. Scholiastes ibi: Μάγνησα: τὴν Μαγνησίαν λέγει τὴν κατὰ Θεσσαλίαν. *Magnesa: Magnesiam intelligit Thessaliæ.* Item: Μάγνησα δὲ πόλις τῇ χώρᾳ ὁμώνυμος, ἄγαν ὑγιεινὴ καὶ παραθαλάσσιος, *Magnesa vrbs eiusdem nominis, quo regio, valde salubris, & maritima.* Pausanias Achaicis cap. VII in tribus vrbibus, quas Philippus Demetrii filius claues Græciæ dixerit, numerat etiam Μαγνησίαν τὴν ὑπὸ τὸ Πήλιον, *Magnesiam sub Pelio sitam:* vbi non desunt qui Demetriadem interpretantur, quæ eo modo *Magnesia* dicta sit, quo Plinius *Pagasas* Demetriadem dixerit, quia Demetrias ex Magnesia, Pagasis, & aliis circumiectis, quod Strabo exposuit, fuerit conflata. Illustrior quidem Demetrias fuit, & satis opportuna ad Thessalos cohibendos; verum longius remota a monte Peleo. De *Bœbe* oppido, & *Bœbeide* lacu supra ex Strabone diximus, quum *Pherarum* situm in extrema Pelasgiotide describeremus. Quod vero vltra limitem, quæ Pheræ sunt, videntur ad Magnesiam pertinere, heic quoque de illis aliquid addendum est. Stephano quidem Βοίβη πόλις Θεσσαλίας, *Bœbe oppidum Thessaliæ est:* & Plinius quoque lib. IV cap. VIII in Thessalia, citra Magnesiam, lacum censet *Bœbëidem;* qui Stephano est Βοιβιὰς λίμνη, *Bœbias lacus;* nec vero dubitatio cessat, qua verendum est, ne extra Pelasgiotidem, quam Pheris finiuit Strabo, illud oppidum & lacus cadant. Homerus inter Pheras & Iolcum ponit lib. B Iliad. in Catalogo vrbium vers. 218

> Οἱ δὲ Φερὰς ἐνέμοντο παραὶ Βοιβηίδα λίμνην,
> Βοίβην καὶ Γλαφυρὰς καὶ ἐϋκτίμενον Ἰαωλκόν,
> *Qui Pheras habitabant apud Bœbeidem paludem,*
> *Bœben, & Glaphyras, & bene ædificatam Iolcon.*

Thessaliæ contra Plinius dat *Pyrrham, Casthanæam*, & *Spalathram:* e quibus alterum & Herodoto lib. VII cap. CLXXXIII Κασθαναίην scripsit, & manifesto in Magnesia locauit. οἱ βάρβαροι, inquit, ἐξανύσαντες τῆς Μαγνησίης χώρης ἐπὶ Σηπιάδα τε καὶ τὸν αἰγιαλὸν τὸν μεταξὺ Κασθαναίης πόλιος ὄντα καὶ Σηπιάδος ἀκτῆς, *barbari* [totum diem nauigantes] *tenuerunt Magnesiam oram super Sepiadem,*

dem, & litus, quod est inter vrbem Casthanaeam & oram Sepiadem. Stephanus, Lycophron, & Mela scripserunt sine adspirata littera Καςαναία, *Castanaa.* Quam addit Plinius *Spalathrum*, supra quoque, auctore Scylace, attigimus. Sed his singulis sedem propriam & verum ordinem determinari posse desperamus.

Superest *Sycurium*, quod ita Liuius lib. XLII cap. LIV descripsit: *Sycurium est sub radicibus Ossa montis, qua in meridiem vergit, subiectos habet Thessaliae campos: ab tergo Macedoniam atque Magnesiam.* Polybius excerpt. Legat. LXIX extrem. Συκύριον scriptum reliquit. Promontoria Magnesiæ Ptolemæo, qui Thessaliæ adscribit, duo sunt, Μαγνησία ἄκρα, quæ in septemtrionem vergit: & Σηπιὰς ἄκρα, quæ in austrum. Alterum, *Sepias*, pluribus est memoratum, Herodoto, iam dicto loco; Apollonio lib. I Argonaut. vers. 582

- - - - ἔδυνε δὲ Σηπιὰς ἄκρη,

subiit autem ipsis promontorium Sepias. Scholiastes ibi: Σηπιάς. ἀκρωτήριον ἐν Ἰωλκῷ ὅτω καλέμενον, *Sepias: promontorium in Iolco ita nominatum.* Iolcus autem hoc loco non oppidum est, sed litus & tractus. Strabo IX pag. 300 καλεῖται καὶ ὁ συνεχὴς αἰγιαλὸς Ἰωλκὸς, *vocatur etiam continuum litus Iolcus.* Plinius quoque in Magnesia: *promontorium Sepias.* Herodotus prædicto loco etiam χῶρον, *litus & tractum* denominat *Sepiadem*: idem nomen oppidulo, promontorio subiacenti dedit Strabo, dum Σηπιάδα quoque inter illa oppida numerat, quibus exhaustis creuisset Demetrias.

Montes celebrantur *Pelios & Ossa*, e quibus Ossa Peneo est propior, qui inter hunc & *Olympum* effluit. Ambo noti sunt gigantum fabulis. Virgilius Georg. I vers. 281

Ter sunt conati imponere Pelio Ossam,
Scilicet, atque Ossa frondosum inuoluere Olympum.

Et Horatius lib. III oda IV

Fratresque tendentes opaco
Pelion imposuisse Olympo.

Seneca Agamemnone vers. 337

- - - *stetit imposita*
Pelion Ossa. pinifer ambos
Pressit Olympus.

Scilicet

Scilicet finguntur hæc gesta, antequam Peneus inter Olympum & Ossam perruperit. *Pelion* autem mons, Græca forma; Πήλιον ὄρος, fertur habitaculum gigantum & Centaurorum fuisse, qui ex gente *Lapitharum* erant: cui loco vtrum etiam *Pelethronium* addendum sit, aliud domicilium Centaurorum, an in media Thessalia ponendum, non habeo, quod pro certo dicam. Servius meminit eius oppidi ad illud Virgilii Georg. III vers. 115

Frena Pelethronii Lapithæ, gyrosque dedere.

Et Lucanus lib. VI vers. 386 Centauros ibi natos fingit. Quum vero tyranni fuerint Centauri, qui montes muniuerunt; etiam citeriorem montem Othryn iis Virgilius tribuit Aen. VII vers. 675

Descendunt Centauri, Omalen Othrynque niualem
Linquentes cursu rapido.

EPIRVS.

Epirus, Ἤπειρος, regio Græciæ, post Illyricas gentes supra Ceraunios montes incipit, & vsque ad sinum Ambracium, & quem ille recipit, Arachtum amnem patet. Veterem tantummodo Epirum in vetere Geographia definimus: Nouam, quæ multis post sæculis ex Illyricanis Macedoniæ gentibus conscripta fuit, ad medii æui Geographiam reseruamus. Illa vero *Epirus*, quæ quondam regnum Aeacidarum fuit, & sola *Epirus* a scriptoribus antiquis nominatur, in tres regiones dispescitur, *Chaoniam*, *Thesprotiam*, *Molossidem*, quibus alii addunt *Cassopiam* siue *Cassiopen*: item *Oestrinen*, & *Pindum*. quas nunc singulas perlustrabimus, inuestigaturi vrbes quotquot poterimus inuenire. Polybius enim in deperdito quodam libro apud Strabonem lib. VII pag. 223 scripsit Aemilium Paullum Ἠπειρωτῶν ἑβδομήκοντα πόλεις ἀνατρέψαι, quod Liuius lib. XLV cap. XXXIV repetitum interpretatur, *oppida circa septuaginta*, *muris dirutis*, *direpta* fuisse: quantum numerum neque ex geographis neque historicis libris colligere possumus. Ea tamen omnia memorabimus, quarum mentionem in litterarum monimentis licebit inuenire.

CHAONIA prima pars Epiri, cuius incolæ dicuntur Χάονες, *Chaones*. Liuius lib. XLIII cap. XXIII *Appius*, *dimissis Chao-*

numque, & si qui alii Epirotæ erant præsidiis, cum Italicis militibus in Illyricum regressus. Plinius lib. IV cap. I *Epiros in vniuersum adpellata Acroceraunis incipit montibus. In ea primi Chaones, a quibus Chaonia.* Stephanus: Χαονία μέση τῆς Ἠπείρου. οἱ οἰκήτορες, Χάονες, *Chaonia media est Epiri: habitatores, Chaones.* μέση dicit, *media*, quia scripsit post adiectam Epirum Nouam. Ceterum lis in limite septemtrionali est, quem Plinius in Cerauniis montibus constituit: Ptolemæus extra illos *Oricum*, primam Epiri vrbem, posuit. Sed verior Plinii, quam Ptolemæi sententia Iacobo Palmerio, viro clarissimo adparet, quia etiam Propertius lib. I eleg. VIII ad suam Cynthiam scripserit,

Vt te, felici præuecta Ceraunia remo,
Accipiat placidis Oricos æquoribus.

Si necesse, inquit, *Cynthia erat, ab Italia soluenti, præuehi Ceraunia, vt Oricum teneret; etiam necesse fuisse videtur, Oricum fuisse vltra Ceraunia in Epiro.* Recte coniicit vir doctissimus, si Brundisio Cynthia, aut Hydrunte traiectura fuisset, vt in Epirum & Achaiam proficisceretur: sed omnes rationes poetæ sunt contrariæ. Suspicatur enim, cum nescio quo viro in Illyricum ituram esse, ideo sub initium queritur:

An tibi sum gelida vilior Illyria?

Deinde non Calabriæ portu, sed Tyrrheno mari, portu Ostiensi soluturam præuidit quum dixit,

Ne Tibi Tyrrhena soluatur funis arena;

vt Siciliam præteruecta Ionio mari in Hadriaticum ingrederetur. quod si est, valent Ptolemæi rationes, vt præuecta Ceraunios montes in portum Oricium veniret. Accedit, quod Plinius lib. III cap. XXIII, & Pomponius Mela lib. II cap. III extra Epirum in Illyrico tractu *Oricum* censent. Plinius ibi: *in ora oppidum Oricum, a Colchis conditum. Inde initium Epiri, montes Acroceraunia.* Neque existimare licet, in monte forsan Oricum fuisse positam. nam Liuius lib. XXIV cap. XL *eam vrbem sitam in plano* testatur, *neque mœnibus, neque viris atque armis validam primo impetu oppressam esse.* Cetera eius vrbis nunc sunt adiicienda.

Prima ergo Epiri vrbs secundum Ptolemæum fuit Ὠρικόν, *Oricum*, neutro genere, quo etiam Mela & Plinius id nomen casu

casu recto expresserunt: at Stephanus & Marcianus Heracleota (siue Scymnus est) Ὠρικός, *Oricus*, femineo modo vrbium: ille Ὠρικός πόλις ἐν τῷ Ἰονίῳ κόλπῳ, *Oricus, vrbs in sinu Ionio*: hic pag 18

Ἑλληνὶς Ὠρικός τε παράλιος πόλις.

id est, *Graca & maritima vrbs Oricus.* Portum insignem habuit, cuius lib. III Cæsaris Civ. cap. VII, VIII, & alibi fit mentio, vt Bibulus etiam *cum classe ad Oricum* potuerit consistere, cap. XV. Inde deriuatum nomen *Oricius.* Dionysius Perieg. vers. 399 Ὠρικίην ὑπὲρ αἶαν, *Oriciam super terram.*

Post Oricum sunt montes in mare vsque procurrentes, qui, quod sæpe fulminibus impetantur, *Ceraunii* à κεραυνῷ dicuntur, & neutro genere, Græcorum more *Ceraunia*: item *Acroceraunia.* Periegetes vers. 388

- - - - - ἄχρι κολώνης
Οὐρέων δ' ἠλιβάτων, τὰ Κεραύνια κικλήσκουσι.

hoc est, *vsque ad iugum montium excelsorum: Ceraunia vocant.* Eustathius ibi: τῆς Ἰλλυρικῆς χώρας πέρας αἱ ἠλίβατοι κολῶναι, τὰ Κεραύνια ὄρη, οὕτω καλούμενα διὰ τὸ συχνοὺς ἐκεῖ πίπτειν κεραυνούς. Pomponius Mela lib. II cap. III *Deinde Ceraunii montes: ab iis flexus in Hadriam.* His enim iugis & prominente monte seu promontorio Ionium mare ab Hadriatico discernitur. Cæsar Civ. III cap. VI vocat *Cerauniorum saxa.* Et Suetonius Aug. cap. XVII *repetit Italiam, tempestate in traiectu bis conflictatus: primo inter promontoria Peloponnesi atque Aetolia; rursus circa montes Ceraunios.* Virgilius lib. III vers. 506

Prouehimur pelago vicina Ceraunia iuxta:
Vnde iter Italiam, cursusque breuissimus vndis.

Plinius ineunte lib. IV *Epiros, in vniuersum adpellata, Acrocerauniis incipit montibus.* Et Horatius lib. I oda III

Qui vidit mare turgidum, &
Infames scopulos Acroceraunia.

Prope Oricum & Ceraunios montes fuit locus *Palæste*, quo Cæsar adpulit. Dicto libro III Civ. cap. VI *Postridie terram attigit, Cerauniorum saxa inter & alia loca periculosa quietam nactus stationem: & portus omnes timens, quos teneri ab aduersariis arbitrabatur, ad eum locum, qui adpellatur Palæste, omnibus nauibus ad vnam*

incoluminibus, milites exposuit. Sic legendum, vt antiquo codice Chalcidensi Paullus Marsus inuenit: & Lucanus lib. V vers. 459 de classe illa Cæsaris:

> - - - *qua iam vento fluctuque secundo*
> *Lapsa Palastinas vncis confixit arenas.*

Ibidem putatur *Aornus* locus Plinii fuisse, cui exhalatio auibus adfingitur pestifera, lib. IV cap. I. nec procul mari *castellum Chimera* eiusdem in ipsis Cerauniis: sub quo portus *Panormus* Strabonis & Ptolemæi: de quo hic, Πάνοϱμος λιμὴν, *Panormus portus*; ille lib. VII pag. 224 Πάνοϱμος λιμὴν μέγας ἐν μέσοις τοῖς Κεϱαυνίοις ὄϱεσι, *Panormus portus magnus in mediis Cerauniis montibus.* Post quem portus alius, quem Ὄγχισμον, *Onchismum* Strabo vocat: Ptolemæus *Onchesmum*; Græce est Ὀγχησμος λιμήν. vnde Cicero lib. VII Attic. epist. II ineunte: *Brundisium venimus* VII *kalend. Decemb. vsi tua felicitate nauigandi. Ita belle nobis flauit ab Epiro lenissimus Onchesmites.* qui ventus ex hoc portu in Italiam nauigantes promouet: ideoque ab eodem nominatus est. Nomen fingitur ab *Anchisa* esse quasi *Anchisæ portus.* Dionysius Halicarnassensis lib. I pag. 41. ἐκ Βουθϱωτοῦ παϱὰ γῆν κομισθέντες ἄχϱι λιμένος, Ἀγχίσου μὲν τότε ὀνομασθέντος, νῦν δὲ ἀσαφεστέϱαν ἔχοντος ὀνομασίαν, *A Buthroto secundum oram deuecti in portum, qui tunc Anchisæ, nunc obscuriore nomine adpellatur.*

Vltimus locus Ptolemæi in ora Chaoniæ est Κασιόπη λιμήν, *Cassiope portus*, siue Κασσώπη, *Cassope*, vnde Strabo lib. VII pag. 224 Κασσωπαίους, *Cassopæos* populum nominat, & Vrsini nummo ΚΑΣΣΩΠΑΙΩΝ expressum est. Nomen ab *Ioue Cassio* habet, vt non obscure ex Suetonii Nerone cap. XXII coniicitur. *Nec profectione*, inquit, *dilata*, [in Græciam puta ex Italia] *vt primum Cassiopen traiecit, statim ad aram Iouis Cassii cantare auspicatus est.* Læuinus Torrentius hoc loco Corcyræ oppidum *Cassiopen* interpretatur, quod Plinius lib. IV cap. XII *Cassii Iouis* habuisse templum tradat: contra Iacobus Palmerius lib. II Antiq. Græc. cap. IV de vrbe in continente intelligit, quod vox *traiecit*, qua vsus Suetonius est, videtur persuadere. Cum quo etiam nos facimus, quod verosimile est, communi nomine quæ vtebantur, & hanc & illam vrbem templum Iouis Cassii habuisse. In litore continentis autem, præter Ptolemæum, etiam Strabo *Cassiopen.*

siopen portum & oppidum lib. VII pag. 224 posuit. καὶ πάλιν, inquit, ἄλλος [λιμὴν] Κασσιόπη, ἀφ' ἧς ἐπὶ Βρεντέσιον, χίλιοι καὶ τριακόσιοι στάδιοι. hoc est: *Et rursus alius* [post Onchisinum] *portus, Cassiope, a quo ad Brundisium stadia sunt* CIↃIↃCC. Idem continentis oppidum etiam Gellio in animo credo fuisse, quum lib. XIX ineunte scripsit, *Nauigabamus a Cassiopeia Brundisium*. Nam de Corcyræa Cassiope si sermo est, discriminis caussa adiicitur quod insularem situm definiat. Cicero lib. XVI epist. IX ad Tironem: *Corcyræ fuimus vsque ad* XVI *kal. Decemb. tempestatibus retenti. a. d.* XV *kal. Decemb. in portum Corcyræorum ad Cassiopen stadia* CXX *processimus.* Territorium continentis vrbs amplum habuit per Thesprotiam, ad cuius ipsa fines sita fuit. Nomen regionis Κασσωπία, *Cassopia*, Stephano: quæ quanta in ora fuerit, Strabo dicto loco prodit: καθήκει αὐτῶν [Κασσιοπαίων] ἡ χώρα μέχρι τοῦ κόλπου, *pertinet Cassiopæorum ora vsque ad sinum*. Interpres sinum Dulcem intelligit: sunt qui Ambracium: sed prius malim, quia statim mox sequitur: Μετὰ Γλυκὺν λιμένα, *post Dulcem sinum.* Etiam aliquid Thesprotis in litore, ne omnia Cassopæis cedant, relinquendum est. Intus Strabo Cassopæis *Buchætium* adsignat, *Elatriam* & *Pandosiam.* Et Plinius lib. IV cap. I hanc gentem *Cassiopæos* nominat. Quod vero Ptolemæus Cassopæorum regionem distincte in ora non expressit; intus solam vrbem Κασσιόπην, *Cassiopen* alteram nominauit; sub Thesprotis regiunculam illorum, vt partem, contentam fuisse verosimile est; præsertim antiquis temporibus, quum inualuisset nomen Thesprotiæ.

Mediterranea oppida *Chaoniæ* Ptolemæo sunt Ἀντιγόνεια, Φοινίκη, Ἑκατόμπεδον, Ὀμφάλιον, Ἐλαιοῦς, *Antigonea, Phœnice, Hecatompedum, Omphalium, Elæus.* Earum vrbium primam, quæ *Antigonea* dicitur, Ptolemæus supra Ceraunios montes, e regione Orici vrbis posuit: cui fauet, quod Polybius lib. II cap. V præsidium a Phœnice Antigoneam *per fauces* dicit transmissum esse, quales haud dubie in Cerauniis sunt montibus. Ait enim, quinque millia submissos κατὰ γῆν, *terrestri itinere*, διὰ τῶν παρ' Ἀντιγόνειαν στενῶν, *per fauces Antigonenses*, vt vrbem Antigoneam tuerentur. Plinius quidem lib. IV cap. I videtur separare a Chaonia: sed nec mirum illud est, quia Chaoniam ipsis montibus

 finie-

finiuerat. Verba sunt: *In Epiro primi Chaones, a quibus Chaonia: dein Thesproti, Antigonenses.* Putares alio loco quam ad Ceraunios illam posuisse: quod vero etiam Stephanus scripsit, Ἀντιγόνεια πόλις Χαονίας ἐν Ἠπείρῳ, *Antigonea vrbs Chaoniæ in Epiro est*; vtique in Ptolemæi positione adquiescimus, præsertim quod etiam Polybii non dissentire rationes videantur.

Phœnice altera vrbs Ptolemæi, τῆς Ἠπείρου Φοινίκη, *Epiri Phœnice* Polybii prædicto loco adpellata. Sic Liuius quoque lib. XXIX cap. XII *Phœnice vrbs est Epiri.* Strabo autem lib. VII pag. 224 locum propius definiturus, τοῦ δὲ [κόλπου] inquit, κατὰ Βουθρωτὸν ἡ Φοινίκη, supple, ὑπέρκειται, *supra sinum, qui iuxta Buthrotum est, sita est Phœnice.* At in Tabula Peutingeri vetustissima inter Phœnicen & Buthrotum est spatium LVI milliariorum, vt *Buthrotum* pro *Panormo* irrepsisse videatur. id quod etiam Ptolemæi numeri confirmant. Atque ita *Phœnice* in Chaoniam cadit, in qua Ptolemæus posuit: quum secundum Strabonem, qui cum Buthroto coniungit, foret in Thesprotia. Quod sequitur ad Atintanum fines, *Hecatompedum*, ignotum ceteris & obscurum est. *Omphalion*, Stephanus quidem in Thessalia ponit, sed idem in Παραυαῖοι ex Rhiani Thessalicis versum profert, quo Omphalienses cum Thesprotis Parauæis coniunguntur,

Σὺν δὲ Θεσπρωτοῖς Παραυαίοις καὶ ἀμύνονας Ὀμφαλιῆες.

Parauæi enim eidem sunt ἔθνος Θεσπρωτικὸν, *gens Thesprotiæ.* An vero etiam id nominis oppidum in Thessalia fuerit, nostrum non est in præsenti inuestigare. Neque notior *Elæus* Ptolemæi, nusquam ab aliis memorata. Addi potest, de quo supra diximus, Plinii *castellum Chimæra, in Acroceraunis* situm, sub quo *aqua regia fons*, thermæ forsan, dictæ ὕδατα βασιλικά: vide lib. IV cap. I. sed verus situs & a mari distantia ignoratur.

THESPROTIA, Θεσπρωτία, Stephano; Θεσπρωτὶς & Θεσπρωτὶς γῆ, *Thesprotis*, Thucydidi lib. I pag. 32. Incolentes Θεσπρωτοὶ, *Thesproti.* Scylax Periplo: Μετὰ δὲ Χαονίαν Θεσπρωτοί εἰσιν ἔθνος, *Post Chaoniam Thesproti sunt.* Horum limes orientalis Ambracia & lacus Ambracius: a meridie mare. Herodotus lib. VIII cap. XLVI Θεσπρωτοί εἰσι οἱ ὁμουρέοντες Ἀμπρακιώτῃσι καὶ Λευκαδίοισι, *Thesproti sunt contermini Ambraciotis & Leucadiis.* Postea *Cassiopenses* quasi ab iis auulsi, artiores limites relique-

liquerunt. Oram prius maritimam explicare adgredimur: deinde quæ sunt in mediterraneis.

Post *Cassopen* seu *Cassiopen* in ora *Posidium* Strabonis, id est Neptunium, occurrit, quod promontorium est, quia Ptolemæus in Thesprotis, *Ποσείδιον ἄκρον*, *Posidium promontorium*. Oppidum ibidem iuxta montem fuerit, nec ne, silente historia non liquet. Inde post flexuosum sinum *Buthrotum* est, Βυθρωτὸν Græce, oppidum non ignobile, quamlibet Ptolemæus tantummodo scripserit, *Βυθρωτὸν κόλπος*, *Buthrotum sinus:* Strabo autem VII pag. 224 situm oppidum dicit *ἐπὶ τῷ στόματι τοῦ καλουμένου Πηλώδους λιμένος*, *in ingressu portus Pelodis:* quamquam Ptolemæus aliquod spatium interiicere videatur. In loco qui peninsulam refert, *Buthrotum* fuit. vnde Byzantius ille Stephanus Βουθρωτὸς, χερρόνησος περὶ Κέρκυραν, *Buthrotus peninsula circa Corcyram*. Addit: *ἔστι καὶ πόλις*, *est etiam oppidum.* Cicero lib. XVI epist. VII ad Tironem: *Septimum iam diem Corcyræ tenebamur: Quintus autem pater & filius Buthroti.* Idem Attico suo lib. II epist. VI *tu vero sapientior Buthroti domum parasti.* Plinius lib. IV cap. I *colonia Buthrotum.* Et Strabo VII p. 224 Βυθρωτὸν ἐποίκους ἔχον Ῥωμαίους, Buthrotum colonos Romanos habet. Quod etiam Augusti nummus confirmat, quo expressum est, C. A. BVT. EX D D. hoc est, *colonia Augusta Buthrotum ex decreto Decurionum.* Et alio: BVTHR. AVGVSTVS. Gentile Stephano Βυθρώτιος: & Latine *Buthrotius.* Cicero ad Plancum sub ep. XVI libri XVI ad Attic. *Verba fecimus pro Buthrotiis.* Et ibidem paullo ante: *Buthrotia tibi caussa non ignota est.* Et mox statim: *vt primum Buthrotium agrum proscriptum vidimus.*

Portus Πηλώδης, *Pelodes*, & Dorice Παλώδης, a Strabone & Ptolemæo memoratus. Vrbem habuerit, nec ne, non liquet. Ptolemæus tantummodo portum dixit, Πηλώδης λιμὴν, *Pelodes portus.* Strabo quidem coniunxit cum Buthroto; sed supra ostendimus, diuersa loca aliis Buthrotum & Pelodem; etiam vere separata esse. Plutarchus de Oraculorum defectu, vbi de magni Panis morte oraculo agit, neutro genere dixit *κατὰ τὸ Παλῶδες*, *ad Palodes.* Idem portus Appiano Civ. lib. V pag. 1118 Παλόεις est. *ἐς Παλόεντα κατέπλευσεν*, *in Paloentem nauigauit*, a Corcyra, puta. Idem enim παλόεις quod παλώδης, *cænosus*, vtrumque a πηλὸς, vel Dorice παλὸς, *cænum*, *lutum.*

Vltra

Vltra sinum est Θύαμις ἄκρα, *promontorium Thyamis:* & iuxta hoc, Θυάμιος ποταμοῦ ἐκβολαὶ, *ostium amnis Thyamis:* vtrumque ex positu Ptolemæi. Strabo dicto loco: ῥεῖ καὶ Θύαμις πλησίον, *prope fluit Thyamis.* Cicero lib. VII ad Attic. ep. II *Q. Ciceroni obsisti non potuit, quo minus Thyamim videret:* id est Pomponii Attici prædia propter hunc fluuium & circa Buthrotum. nam lib. VI epist. III, adludens ad difficultatem successionis in prouincia Cilicia, scripsit Attico: *quanto tua prouincia melior? decedes, quum voles; nisi forte iam decessisti: quem videbitur, præficies Thesprotiæ & Chaoniæ.* Meminit huius amnis etiam Thucydides lib. I pag. 32, cuius verba post paullo proferemus. Et Athenæus lib. III cap. I παρὰ τὸν Θύαμιν ποταμὸν τῆς ἐν Ἠπείρῳ Θεσπρωτίδος; *prope Thyamin Thesprotiæ in Epiro fluuium.*

Inde proximum est Χειμέριον, *Chimerium* promontorium Strabonis, quod duo flumina coarctant, hinc *Thyamis*, illinc *Acheron*, Acherusiam lacum effundens. Thucydides loco dicto, quum Acherontem & Thyamim amnes memorasset, subiicit, ὧν ἐντὸς ἡ ἄκρα ἀνέχει τὸ Χειμέριον; *inter quos Chimerium promontorium coercetur;* Et paullo ante eadem pag. 32 ὁρμίζονται ἐς Χειμέριον τῆς Θεσπρωτίδος γῆς. ἔστι δὲ λιμὴν, καὶ πόλις ὑπὲρ αὐτοῦ κεῖται ἀπὸ θαλάσσης *adpelluntur in Chimerium quod est oræ Thesprotidis. Est autem portus, & super eum vrbs a mari distans.* portus, puta, iuxta promontorium: vrbis autem adiacentis nomen quodnam fuerit, dubitatur. Interpres Latinus Thucydidis vertit: *in palustribus Thesprotidis sita, nomine Ephyre.* At Græcus liber præfert, ἐν τῇ Ἐλεάτιδι τῆς Θεσπρωτίδος Ἐφύρη, quæ genuina Thucydidis esse non frustra dubitatur. Est in hac ora prope Acherontem Ptolemæi Ἐλαίας λιμὴν, *Elææ portus*, a quo forsan *Eleatis* regiuncula nominata est: est etiam *Ephyre* ibidem nomen oppidi, quod, Strabone auctore, postea Κίχυρος, *Cichyrus* vocatum fuit: *Cichyrus* autem, vt Pausanias Atticis cap. XVII refert, est prope Acherusiam paludem & flumen Acherontem, quæ heic in mare exeunt: πρὸς τῇ Κιχύρῳ λίμνη τέ ἐστιν Ἀχερουσία καλουμένη καὶ ποταμὸς Ἀχέρων. Et Thucydides scripsit: ἔξεισι παρ' αὐτὴν [Ἐφύρην] Ἀχερουσία λίμνη ἐς τὴν θάλασσαν, *iuxta Ephyram palus Acherusia in mare exit.* Strabo igitur, quod res est, sensit, & omnino eadem vrbs Ephyra & Cichyrus fuit. Hæc illa, de qua lib. I

cap. I Velleius Paterculus: *Phidippus Ephyram in Thesprotia occupauit.*

Acherusia autem palus, per quam Acheron fluit, itidem prope mare fuit, vti ex iam prolatis verbis Thucydidis, nec non ex Scylacis in Thesprotia, clarum est. Error ergo est, quum quidam Acherontem ita ex Acherusio lacu deducunt, vt is fontes amni præbeat, decepti Strabonis verbis, ῥέων ἐκ τῆς Ἀχερουσίας λίμνης: & quia Liuius lib. VIII cap. XXIV *ex Molosside* dixit amnem Acheronta defluere, nimis quantum Acherusiam quoque in septemtrionem ab maris ora reducunt. Plinius quidem Acherontem ex Acherusia lacu deriuat, non autem in sinum Thesprotium, vt Strabo, Ptolemæus, & Thucydides; sed in Ambracium effundit, qui, nisi aliud flumen intellexit, magno errore abreptus fuit.

Ptolemæi Σύβοτα λιμὴν, *portus Sybota* vltra Acherontem ponendus est, quia hic amnis cum Thyami, auctore Thucydide, promontorium Chimerium coercent. Fuit autem desertus portus. Thucydides lib. I pag. 34 Ἔστι τὰ Σύβοτα τῆς Θεσπρωτίδος λιμὴν ἔρημος, *Sunt Sybota desertus portus Thesprotiæ.* At ex lib. III pag. 224 constat, raro fortassis vsu, non autem neglectum ab omnibus fuisse. ὁρμισάμενοι ἐς Σύβοτα λιμένα τῆς Ἠπείρου, ἅμα ἕω ἐπέπλεον τῇ Κερκύρᾳ, *ingressi*, inquit, *Sybota Epiri portum, sub exortum auroræ in Corcyram nauigarunt.* Nomen a vicinis insulis paruis habet, quæ Σύβατα dicebantur, vt Thucydides prodit lib. I pag. 32, idque propterea, vt scholia Græca interpretantur, quia σῦς ἔχουσαι πολλὰς, *multas sues alunt.* Qui his proximus portus est, Straboni Γλυκὺς λιμὴν, *Dulcis portus* dictus est, in quem tradit Acherontem fluuium exire: commemoratus eodem nomine ab Dione Cassio lib. L pag. 426, qui æque, vt Strabo, ἀπὸ τοῦ γλυκαίνεσθαι per flumina infusa, adpellationis rationem dat. Hic an idem sit, qui Ptolemæi Ἐλαίας λιμὴν, *Oliuæ portus*, non est iam pronum nobis dicere. Hunc inter & Nicopolim idem Strabo portum Κόμαρον, *Comarum* ponit, LX stadiis a Nicopoli, quem etiam prædicto loco Dio Cassius in bello Actiaco memorauit: & alium capaciorem, XII millibus a Nicopoli, cuius ipse nomen non expressit.

Ipsa *Nicopolis* opus Augusti Cæsaris est, Actiacæ victoriæ

monimentum, vrbs ſplendidiſſimis ornamentis a primo ortu au-
cta & condecorata: Plinio lib. IV cap. I *ciuitas libera Nicopolita-
na:* Tacito annali V extremo *colonia Romana*, quæ ex circum-
iectarum ruinis ſua cepit incrementa. Strabo ſæpe dicto loco:
ὁ Σεβαςὸς ὁρῶν ἐκλελειμμένας τελέως τὰς πόλεις, εἰς μίαν συνῴκισε τὴν
ὑπ' αὐτῦ κληθεῖσαν Νικόπολιν ἐν τῷ κόλπῳ τύτῳ, *Auguſtus* [illegible],
*plane deſeri has vrbes, in vnam omnes a ſe vocatam Nicopolim in ſi-
nu illo* [Ambracio] *contraxit.* E quibus Pauſanias Eliac. I cap.
XXIII Ambraciotas & Anactorios nominauit. Et Dio Caſſius
lib. LI ineunte de Auguſto: πόλιν τέ τινα ἐν τῷ ςρατοπέδου τόπῳ,
τὺς μὲν συναγείρας, τὺς δὲ ἀναςήσας τῶν πλησιοχώρων, συνῴκισε, Νι-
κόπολιν αὐτῇ ὄνομα δούς· *Vrbem eo loco, vbi caſtra habuerat, condi-
dit; partim collectis ad eum incolendam hominibus, partim eo trans-
latis finitimis.* Et quia plures Nicopoles, hæc cognomine diſ-
cernenda ab reliquis erat. Tacitus annali II cap. LIII *Achaia
Nicopolis:* Antoninus itinere Macedonico: *Actia Nicopolis*, quod
etiam anonymus Rauennas lib. IV cap. VIII imitatus eſt. Lo-
cum Notitia Epiſcopatuum Græc. deſignat: Νικόπολις, ἡ νῦν Πρέ-
βεζα, *Nicopolis nunc Preueſa.*

Mediterranea Theſprotorum obſcuriora ſunt. Caſſopæis,
qui pars illorum ſunt, tribuit Strabo *Buchatium*, πολίχνιον μικρὸν
ὑπὲρ τῆς θαλάττης ὄν, *oppidulum paullum ſupra mare*, & ἐγγὺς τῆς
Κιχύρου, *prope Cichyrum:* & X millibus a mari *Gitana.* Liuius lib.
XLII cap. XXXVIII *ad Gitanas Epiri oppidum decem millia ab ma-
ri quum adſcenderent:* & intus itidem Strabonis *Elatria*, & *Batia*,
parum notæ; niſi quod Stephanus in Ἐλατεία, etiam Ἐλάτρειαν
Θεσπρωτίας, *Elatriam Theſprotiæ* adfert: quibus *Pandoſiam* Strabo
addit, Acheronti flumini adpoſitam, vt Liuius lib. VIII cap.
XXIV prodit, ſortes Dodonæas referens, *caueret* [Alexander
Epirenſis] *Acheruſiam aquam Pandoſiamque vrbem*, quas ille vita-
turus in Italiam traiecerit, *vt quam maxime procul abeſſet vrbe
Pandoſia in Epiro, & Acheronte amni.* Ipſa vrbs *Caſſiope*, Κασσιόπη,
altera & mediterranea Ptolemæi, ſi qua fuit, huc pertinet,
quam ille *Caſſiopæis* illis, ὑπὲρ ὗς εἰσι Δόλοπες, *ſupra quos Dolopes
ſint*, adſcribit. Plinius addit *Maandriam* & *Ceſtriam*, quas vrbes
ceteri ignorant: regiunculam tamen Κεςρίνην, *Ceſtrinam* Thu-
cydides nominauit lib. I pag. 32 de Thyami fluuio dicens, ὁρί-
ζειν.

ζειν τὴν Θεσπρωτίδα καὶ Κεςρίνην, *Thesprotidem Cestrinamque disterminare.*

Fuit etiam locus *Charadra*, Χαράδρα, sinum versus Ambracium, auctore Polybio lib. IV cap. LXIII: supra sinum prope Arachthi ostium vrbs nobilis *Ambracia*, Corinthiorum colonia. P[illegible]gesios auctor, siue Scymnus est, siue Heracleota Marcianus, p. 19

> Μετὰ τὰς Μολοττὰς δ' Ἀμβρακία Κορινθίων
> Ἄποικος ἐςίν,

Post Molossos Ambracia est, Corinthiorum colonia. nam & hanc in Thesprotia censent non ignobiles geographi. Stephanus, Ἀμβρακία πόλις Θεσπρωτίας, *Ambracia vrbs Thesprotiæ:* & Pausanias Eliac. I cap. XXIII Ἀμβρακιῶται δὲ ἐξ Ἠπείρε τῆς Θεσπρωτίδος, *Ambraciotæ ex Epiri Thesprotide:* quamuis videatur trans flumen fuisse posita. Ptolemæus enim ab occasu progrediens, prius ponit Arachthi ostia, deinde Ambraciam. Liuius lib. XXXVIII cap. IV *Ambracia tumulo aspero subiecta. vrbs, qua murus vergit in campos & flumen, occidentem; arx, quæ posita in tumulo est, orientem spectat. amnis Arethon ex Athamania fluens cadit in sinum maris, ab nomine propinquæ vrbis Ambracium adpellatum.* Paullo ante cap. III hunc fluuium *Arethontem nauigabilem amnem* vocat: vti Polybius Legat. XXVII καὶ τὸν Ἀρέθοντα ποταμὸν, ῥέοντα παρὰ τὴν πόλιν, συνεργήσειν πρὸς τὰς τῦ ςρατοπέδυ χρείας, *Arethontem amnem, qui vrbem præterfluit, opportunum aduehendis necessariis ad vsum castrensem esse.* Hoc flumen Ἄραχθον, *Arachthum* Ptolemæus vocat: etiam Strabo, qui vna situm vrbis sic lib. VII pag. 225 describit: ὑπέρκειται αὐτη [Ἀμβρακία] τῦ μυχοῦ μικρὸν, παραῤῥεῖ δ' αὐτὴν ὁ Ἄραχθος ποταμὸς, ἀνάπλυν ἔχον ἐκ θαλάττης εἰς αὐτὴν, ὀλίγων ςαδίων, ἀρχόμενος ἐκ Στύμφης ὄρους, *Sita est Ambracia aliquantulum supra sinus intimum recessum: eam præterlabitur Arachthus fluuius, quo aduerso ad eam vrbem ex mari paucis stadiis nauigatur.* Olim liberam fuisse non dubitatur. Postea in potestatem Aeacidarum venit, quibus regiam sedem, Pyrrho maxime, Romanorum hosti, præbuit. Polybius excerpt. Legat. XXVIII multas tabulas statuasque ibi Romanos inuenisse ait, διὰ τὸ γεγονέναι βασίλειον Πύῤῥυ τὴν Ἀμβρακίαν, *quod regia Pyrrhi quondam Ambracia fuerat.* Pomponius Mela II cap. III

In Epiro nihil Ambracio ſinu nobilius eſt. Facit ſinus, qui anguſtis faucibus, & quæ minus mille paſſibus pateant, grande pelagus admittit. Faciunt vrbes quæ adſidunt; Actium, Argia Amphilochis, Ambracia, Aeacidarum regna Pyrrhique. Poſtea Aetoli poſſederunt, cum quibus in ditionem Romanorum venit. Florus Aetolico bello lib. II cap. IX de Fuluio Nobiliore: *Hic pr[illegible]us caput gentis Ambraciam, regiam Pyrrhi, machinis quatit.* Aetoli enim vltra fines ſuos imperium protulerant. Oppidani Latinis *Ambracienſes:* Græce Ἀμβρακιῶται; Liuius lib. XXXVIII cap. VI *Ambracienſes, quique intus Aetoli erant, velut proditi a ſuis, ſegniores ad pericula erant.* Polybius lib. IV cap. LXI παρῆν εἰς τὴν Ἀμβρακιωτῶν χώραν, *ad Ambraciotarum fines acceſſit.* Thucydides vbique ſcripſit Ἀμπρακιῶται, vſus π dura littera. Et Dio Caſſius lib. L pag. 426 ἡ θάλασσα ἡ Ἀμπρακικὴ, *Ampracium mare:* at plures B littera id nomen expreſſerunt: etiam in nummis ΑΜΒΡΑΚΙΩΤΑΝ. Etiam poſſeſſionis nomen *Ambracius* ex vſu frequentiori eſt, vt *ſinus Ambracius*, Liuii lib. XXXII cap. XIV & alibi, Plinii lib. IV cap. I. Portum quoque habuit haud dubie in ſinu ſuo, qui *Ambracius portus*, ſeu *Ambraciæ portus* dictus eſt. Lucanus plurali lib. V verſ. 651

- - - - - - *oræque malignos*
Ambraciæ portus,

ſupple, *non pauent.* An etiam in exteriori mari vltra ſinus oſtium portus aliquis huius vrbis fuerit, diſputari poteſt. Ait fuiſſe Palmerius, Scylacis verbis inductus, Ἀπέχει αὕτη ἀπὸ θαλάττης στάδια π΄. ἔστι δὲ καὶ ἐπὶ θαλάττης τεῖχος καὶ λιμὴν κάλλιστος, *Abeſt* [vrbs Ambracia] a mari ſtadia LXXX. *Habet vero ad mare munimentum & portum pulcherrimum.* At longior eſt ſinus Ambracius, quam ſtadiorum LXXX. Polybius lib. IV cap. LXIII κατὰ τὸ μῆκος ἀπὸ τοῦ πελάγους προσπίπτει περὶ τριακόσια στάδια, *in longum porrigitur* [ſinus Ambracius] *a mari* CCC *ſtadia.* Ampliorem Plinius facit lib. IV cap. I. *Maxime nobilitatus*, inquit, *Ambracius ſinus*, 10 *paſſuum faucibus ſpatioſum æquor accipiens, longitudinis* XXXIX M. P; latitudinis XV M. E quibus quæ de ſinu ipſo notari debeant, & antea dictis Melæ, etiam ceteris Polybii lib. IV cap. LXIII, abunde intelliguntur. Prope vrbem Ambraciam locus eſt in paludibus, *Ambracus*, ὁ Ἄμβρακος dictus,

dictus, quondam muro & *προτειχίσμασιν*, *antemuralibus* munitus, vnum aditum habens adgesta terra factum; vnde vrbs ipsa infestari poterat. de quo pluribus egit Polybius dicto lib. IV cap. LXI.

MOLOSSI quoque, Μολοσσοὶ, gens nobilis in Epiro, quorum regio *Molossis*, Μολοσσὶς, & Μολοσσία, siue Μολοττία alia dialecto, adpellata. Scylax Periplo: *Μετὰ δὲ Κασσωπίαν Μολοττοί εἰσιν ἔθνος. οἰκοῦσι δὲ οὗτοι κατὰ κώμας. καθήκουσι δὲ κατὰ μικρὸν ἐνταῦθα ἐπὶ τὴν θάλατταν· εἰς μεσογείαν δὲ πολλή. Post Cassopiam gens Molossorum est, qui & ipsi vicatim habitant. Pertingunt, quamvis exiguo spatio, vsque ad mare: maxima enim ex parte mediterranei sunt.* XL tantum stadia in ora ipsis adsignat: sed de tantillo etiam dubitatur, quia nec portum nec ostium vllius fluminis in gente hac memorauit. Sed potuerunt aliquando in maritimis possedisse Thesprotis ademta, quibus Molossi nonnumquam præualuisse videntur, quum reges habuerunt, qui haud dubie in aliis Epiri partibus imperium protulerunt, cuius generis rex Admetus fuit, ad quem Themistocles confugit patria pulsus, quem Thucydides τὸν Μολοσσῶν βασιλέα, Nepos *Molossorum regem* adpellat. Plerumque vero Molossis tota fuit mediterranea, etiam quod oppida & fluuii ostendunt, septemtrionalis, ad Stympham & Pindum atque his continuos montes pertingens. Plinius lib. IV cap. I *Molossorum flumina, Aphas & Arachthus.* Et Liuius lib. VIII cap. XXIV *Acherontem amnem, ex Molosside fluentem in stagna inferna, accipit Thesprotius sinus.* Oritur ergo in Molossis Acheron: Arachtus illos secat atque perfluit. Strabo quoque lib. VII pag. 225 inter illos primo loco numerat Molossos, qui Illyrios montes contingant, *τραχεῖαν οἰκοῦντες χώραν, ac asperam & montosam regionem inhabitent:* ceteros Molossis vicinos recenset, Athamanes, Aethices, Tymphæos, Atintanes, aliosque.

In Molossis *Dodona*, Δωδώνη, fuit, Iouis incluta oraculo. Stephanus Byzantius: *Δωδώνη, πόλις τῆς Μολοσσίδος ἐν Ἠπείρῳ, καθ' ἣν Δωδωναῖος Ζεύς, Dodona, oppidum Molossidis in Epiro, a quo Iuppiter Dodonæus dicitur.* Marcianus Capella lib. VI de tertio sinu Europæ: *Deinde mons Pindus, Dryopes, Molossique, Dodonæi Iouis fano incluto celebrati.* At Pausanias Attic. cap. XVII τῆς δὲ

γῆς τῆς Θεσπρωτίδος, ἔςι μὲν πoυ καὶ ἄλλα θέας ἄξια, ἱερόν τε Διὸς ἐν Δωδώνῃ, καὶ ἱερὰ τῷ θεῷ φηγός. In Thesprotide quidem & alia spectatu digna sunt, & Iouis in Dodona templum, sacraque ei fagus. Sed bene res habet, quia fines harum gentium non semper iidem exstiterunt. Strabo lib. VII pag. 227 ita conciliat: *ἡ Δωδώνη τὸ μὲν παλαιὸν ὑπὸ Θεσπρωτοῖς ἦν, - - - καὶ οἱ τραγικοί τε, καὶ Πίνδαρος Θεσπρωτίδα εἰρήκασι τὴν Δωδώνην· ὕςερον δὲ ὑπὸ Μολοττοῖς ἐλέγετο. Dodona antiquitus sub Thesprotis fuit, & tragici ac Pindarus Thesproticam dixerunt Dodonam: postea sub Molossis censebatur.* Ex quibus adparet, in vtriusque gentis confinio fuisse, vt nunc huic, nunc illi, quæ præualuerat, adiudicaretur; Verius tamen Molossis tribuitur quam Thesprotis, quia Homerus Perrhæbos, quos constat in Pindo & ad latera eius fuisse, circa Dodonam coluisse refert, ideoque ipsam Dodonam, *δυσχείμερον*, *difficili hieme laborantem* a situs asperitate adpellauit. Verba poetæ sunt in Catalogo nauium & vrb. vers. 256

- - - - *μενεπτόλεμοί τε Περαιβοὶ,*
Οἳ περὶ Δωδώνην δυσχείμερον οἰκί' ἔθεντο.

bellicosique Perrhæbi, qui circa Dodonam valde brumalem domos posuerunt. Plinius IV cap. I *Molossi, apud quos Dodonæi Iouis templum, oraculo illustre: Tomarus mons centum fontibus circa radices, Theopompo celebratus:* etiam Strabo prædicto loco, sub monte *Tomaro*, situm illud Iouis templum obseruauit. *τὸ ὄρος*, inquit, *ὁ Τόμαρος, ὑφ' ᾧ κεῖται τὸ ἱερόν.*

Cetera Molossorum oppida ex parte nominantur a Liuio lib XLV cap. XXVI. *Anicius*, inquit, *in Molossidem transgressus: cuius omnibus oppidis, præter Passaronem, & Tecmonem, & Phylacen, & Horreum, receptis, primum ad Passaronem ducit.* Ex his, quæ nominantur, *Passaron* videtur caput fuisse. Huius principes clauserunt portas Romanis aduenientibus, multitudinem, vt mortem seruituti præponerent, hortantes: qua saniora consilia anteferente, Romanis vrbs est dedita. Et cap. XXXIII eiusdem libri, [Paullus] *ipse Epirum petens, quintis decimis castris Passaronem peruenit. Haud procul inde Anicii castra aberant.* Plutarchus Pyrrho pag. 385 *εἰώθεισαν ἐν Πασσαρῶνι, χωρίῳ τῆς Μολοττίδος, Ἀρείῳ Διὶ θύσαντες ὁρκωματεῖν τοῖς Ἠπειρώταις καὶ ὁρκίζειν, αὐτοὶ μὲν ἄρξειν κατὰ τοὺς νόμους, ἐκείνους δὲ τὴν βασιλείαν διαφυλάξειν κατὰ τοὺς νόμους.*

μους. *Mos erat regibus, vt Passarone, Molossidis oppido, Ioui Martio sacrificantes, iurarent Epirotis secundum leges se imperaturos esse, & vicissim iureiurando illos obstringerent, illos ex præscripto legum regnum defensuros esse.*

Altera vrbs est *Tecmon*, Τέκμων, quam Stephanus quidem in Thesprotis scribit: in Molosside autem secundum Liuium est ponenda. Is dicto libro, cap. XXVI *Simili pertinacia Cephali principis clausum. Tecmonem, ipso interfecto per deditionem* [Anicius] *recepit.* Stephanus autem, Τέκμων, πόλις Θεσπρωτῶν. ὁ πολίτης Τεκμώνιος. Obliquo casu Τέκμωνος, *Tecmonis*, O longo.

Phylacen quoque & *Horreum* Liuius dicto cap. XXVI in Molosside posuit. Subiungit ibidem: *nec Phylace, nec Horreum oppugnationem tulerunt.* Antea dixerat in *Molosside* hæc quatuor inesse *Passaronem, & Tecmonem, & Phylacen, & Horreum.* Ab hac diuersa est *Phylace* Thessalorum in Phthiotide, de qua supra ex Stephano & Strabonis lib. IX pag. 298 actum fuit. *Horreum* subobscurum est, nec succurrit qui præterea mentionem illius habuerit. Plura oppida Molossorum fuisse Liuius ibidem adfirmat, *omnibus oppidis receptis* deditione, præter quatuor illa, quæ expugnanda vi & armis erant.

Epirotas etiam dixit Strabo plerasque gentes sub Pindo, aut in latere australi eius montis habitantes, *Athamanes, Aethices, Tymphæos, Orestas, Paroræos, Atintanes.* Et si Epiri pars fuerunt, ad Molossidem maxime, quam propius attingunt, referendi sunt. Addi his *Perrhæbi* possunt, de quibus paullo ante ex Homero disserebamus. Plinius autem lib. IV cap. II *Athamanes, Tymphæos, Perrhæbos* Aetolis attribuit; & Liuius quoque lib. XXXVIII ineunte *Athamanes* Aetolis ponit quam proximos. nam Aetoli a tergo etiam Pindum montem habuerunt, vt gentes eius nunc Aetolis, quando potentiores erant, nunc Epirotis adscriberentur. Stephanus *Athamaniam* dixit χώραν Ἰλλυρίας, *Illyriæ regionem*, quod Strabonis sententiæ est propius. Illyrios intellige Epiro & Thessaliæ conterminos, postea Macedoniæ contributos. Oppida Athamanum sunt, *Argithea*, caput gentis, vt Liuius XXXVIII cap. I vocat: & *Acanthus*: in quo nomine Stephanus: ἔστι καὶ ἡ Ἀθαμανίας, *est etiam alia* [Acanthus] *Athamaniæ.*

Aethices sunt Hesychio ἔθνος παρὰ τὴν Θεσσαλίαν, *gens iuxta Thessaliam:* Stephano, ἐν Θεσσαλίᾳ, ἐν πίνδῳ ὄρει, *in Thessalia, in monte Pindo:* sed verius apud eumdem Marsyas dixit, μέσον τῆς Τυμφαίας καὶ Ἀθαμανίας κεῖσθαι τὴν [Αἰθίκων] χώραν, *Aethicum regionem esse mediam inter Athamaniam & Tymphaeam:* atque sic in illis montibus qui Epirum spectant, non Thessaliam.

Tymphaeos, a *Tympha* siue *Stympha* monte dictos, inter Epirotas & Illyrias gentes esse, & modo his, modo illis adiudicari, supra ex Strabone dictum fuit. Plinius & hos Aetoliae adiungit, sed potentiam Aetolorum respicit, late quondam vltra fines suos per Thessaliam & Epirum imperantium. Tymphaeus certe mons, qui Arachthum fundit, Molossis, quam Aetolis, est propinquior.

Orestas Stephanus exsertis verbis dat Molossidi. Ορέσται, inquit, Μολοσσικὸν ἔθνος. Late habitarunt, & Ορεστὶς, *Orestis* regio in ora Illyricarum gentium ad occasum Stymphaliae, ad septemtrionem Chaoniae, a Ptolemaeo posita, & supra explicata. Inde vsque in Molossidem oblique per montes producebatur. Liuius quidem lib. XXXIII cap. XXXIV *Macedonum gentem Orestas* dixit, sed Macedoniam amplificatam per finitimas gentes, intelligit. Idem lib. XLII cap. XXXVIII inter Epirum & Aetoliam Orestas posuit. *Marcius & Atilius ad Gitanas, Epiri oppidum, decem millia ab mari quum adscenderent, concilio Epirotarum habito, cum magno omnium adsensu auditi sunt: & quadringentos iuuentutis eorum in Orestas, vt praesidio essent liberatis ab se Macedonibus, miserunt. Inde in Aetoliam progressi.* Stephanus etiam vrbem *Orestiam* in hac gente ponit, patriam Ptolemaei Lagi. Ορεστία, inquit, πόλις ἐν Ορέσταις, ἐν ὄρει ὑπερκειμένῳ τῆς Μακεδονικῆς γῆς, ἐξ ἧς Πτολεμαῖος ὁ Λαγοῦ πρῶτος βασιλεύσας Αἰγύπτου, *Orestia vrbs Orestarum in monte, qui Macedoniae imminet, ex qua Ptolemaeus Lagi fuit, primus rex Aegypti.*

Qui sequuntur, *Paroraei*, Παρωραῖοι, & ipsi circa Stymphaeam videntur fuisse. nam ex his quoque Arachthum fluuium deducunt, quem ἐκ Στύμφης ὄρους καὶ τῆς παρωρείας Strabo lib. VII pag. 225 dixit profluere: quod Xylandri versione, etiam a Casaubono emendata, expressum ita est: *profluens ex Stympha monte & Paroraeis.* Quod vero non legitur παρωραίας, sed παρωρείας, quae

quæ vox tractum iuxta montem, aut latus montis, & vicinos adiacentes colles significat; commode verti apud Strabonem potest, *ex Stympha & vicino tractu*, qui riuos adfundebat. Nihilominus *Parorœos*, quos breui post Strabo memorauit, haud longe a Stympha monte fuisse censemus, quia cum Tymphæis & Atintanibus ibidem coniunguntur.

Atintanes etiam circa hos montes fuere Chaoniæ & Illyricanis gentibus vicini. Stephanus quidem *Atintaniam* μοῖραν Μακεδονίας, *Macedoniæ partem* dixit, sed ampliato *Macedoniæ* vocabulo. Polybius lib. II cap. V Epirotas, ad Antigoneam Chaoniæ ab Illyriis victos, διαφυγεῖν ὡς ἐπὶ Ἀτιντάνων, *fugisse Atintanes versus* tradit. Liuius lib. XLV cap. XXX quartam & occidentalem Macedoniæ partem describens, id est Eordæos & Lyncestas, addit: *iuncta his Atintania, & Stymphalis, & Elimiotis.* Dum ergo *iuncta* fuit, accessit aliunde Macedoniæ, propria pars non fuit. Etiam vicinitas Chaonum ostendit apud Polybium, & Tymphæorum ac Orestarum apud Strabonem, ad fines Epirotarum, Stympham montem versus, in aspero loco Atintanes habitasse. Liuius enim ibidem de iis & finitimis: *Frigida hæc omnis, duraque cultu & aspera plaga est: cultorum quoque ingenia terræ similia habet. ferociores eos & accolæ barbari faciunt; nunc bello exercentes, nunc in pace miscentes ritus suos.* Ex quibus intelligimus, inter Illyricos montes & Stympham Pindumque, aut his propinquo loco in Epiri finibus, aut iuxta eos coluisse. De *Perrhæbis* Pindi supra satis dictum, quum de Thessalis Perrhæbis ageremus.

Pindus autem mons non vnus est, sed iuga montium a variis gentibus Epiri & Thessaliæ habitata, quales sunt antea laudati Athamanes, Aethices, Perrhæbi, aliique. Diuidit inter Macedoniam, Thessaliam, & Epirum. Strabo lib. IX pag. 299 ἡ δὲ Πίνδος ὄρος μέγα, πρὸς ἄρκτον μὲν τὴν Μακεδονίαν, πρὸς ἑσπέραν δὲ Περραιβοὺς μετανάστας αἰθρώπους ἔχουσα, παρὰ δὲ μεσημβρίαν Δόλοπας· αὕτη δ᾽ ἐστὶ τῆς Θετταλίας, *Pindus vero mons est magnus, qui septentrionem versus Macedoniam habet, ab occasu Perrhæbos, eo compulsos: a meridie Dolopes: ipse vero Thessaliæ est.* Plinius lib. IV cap. I *Cestrini, Perrhæbi, quorum mons Pindus; Cassiopæi, Dryopes, Selli, Hellopes, Molossi.* Ille Thessaliæ, hic Epiro magis inter

ter

ter Epiroticas gentes accenset. Sufficit vtrique sententiæ, inter Epirum & Thessaliam Pindum montem situm esse, & incolentes, illinc ad Thessalos adnumerari, hinc ad Epirotas.

Quod ad *Dolopes*, *Dryopes*, *Sellos*, & *Hellopes* attinet, DOLOPES Thessali sibi vindicabant, & Strabo lib. I pag. 19 dixit τοῖς Παίοσι τοὺς ὁμόρους Δόλοπας, *Pæonibus finitimos esse Dolopas:* & Homerus Iliad. ἰῶτα vers. 480

Ναῖον δ' ἐσχατιὴν Φθίης, Δολόπεσσιν ἀνάσσων,

Incolebam extremam oram Phthiæ, Dolopibus imperans:


Nec vero dubitandum est, etiam in Pindo iuxta fines Epiri, aut in ipsis finibus *Dolopes* quoque habitasse. Ptolemæus de Cassiopæis Epiri: ὑπὲρ οὓς εἰσι Δόλοπες, *supra quos Dolopes sunt.* Regio illorum *Dolopia* dicebatur. Polybius Legat. excerpt. XXVI ἐστράτευσαν εἰς τὴν Δολοπίαν, *in Dolopiam exercitum duxerunt.* Et Liuius lib. XXXVI cap. XXXIII *Inde Dolopiam, & Aperantiam, & Perrhæbiæ quasdam ciuitates recepit.* Non autem in Thessalia omnem Dolopiam fuisse, verum etiam cis Pindum aliquam ad Epiri fines partem, saltem supra Aetoliam & Acarnaniam Thucydides sub finem libri II clarissime demonstrat. De Achelôo flumine ait: ὁ Ἀχελῷος ποταμὸς ῥέων ἐκ Πίνδου ὄρους διὰ Δολοπίας, καὶ Ἀγραῶν, καὶ Ἀμφιλόχων, καὶ διὰ τοῦ Ἀκαρνανικοῦ πεδίου, ἄνωθεν μὲν παρὰ Στράτον πόλιν, ἐς θάλασσαν διεξιεὶς παρ' Οἰνιάδας, *Achelous fluuius ex Pindo monte decurrit per Dolopiam, Agraos, Amphilochos, perque Acarnanicum campum superne præter Stratum vrbem, apud Oeniadas in mare effluit.*

DRYOPES sunt dubiæ sedis: in Epiri tamen finibus auctoritate Plinii, qui inter Cassiopæos, Molossos, & Sellos posuit, omnes gentes Epiroticas. Strabo autem lib. IX pag. 299 in Thessalia ponit, vnde pars venerit in Peloponnesum. SELLI, Σελλοὶ, sunt Stephano οἱ Δωδωναῖοι, *Dodonæi:* & Straboni lib. I pag. 19 περὶ Δωδώνην μέχρις Ἀχελώου, *circa Dodonam vsque Acheloum.* Lucanus lib. III vers. 180 *Sellæ*, alia forma:

Thesproti, Dryopesque ruunt, quercusque silentes
Chaonio veteres liquerunt vertice Sellæ.

HELLOPES Plinii itidem circa Dodonam fuerunt, ideoque tractus ille dictus *Hellopia*, vt a Dolopibus Dolopia Strabo lib. VII pag. 227 ex Hesiodi carminibus adfert:

Ἔστ-



Septentrio
THESSALIAE PARS
EPIRI PARS
Ambracia
Sinus Ambracius
Nicopolis
DORIS
Dorica
Tetrapolis
Sinus Maliacus
PHOCIS
Delphi
Parnassus
Elatea
Orchomenus
Chaeronea
Lebadia
Tanagra
Thebae
Plataea
Megara
Eleusis
Athenae
Sunium
MARE
IONIUM
Leucadia
Echinades Insulae
Naupactus
Amphissa
Calydon
Pleuron
SINUS CORINTHIACUS
Corinthus
Sicyon
Aegira
Helice
Patrae
ACHAIA PROPRIA
Nemea
Cleone
SARONICUS
Aegina
PELOPONNESUS
Cyllene
Pheneus
Stymphalus
Argos
Mycenae
Epidaurus
Troezen
Hermione
Calauria I.
Psophis
Megalopolis
Mantinea
Tegea
Triphylia
Olympia
Lepreum
Pylus
Strophades
SINUS ARGOLICUS
Cyparissia
MESSENIA
Messena
Ithome
Sparta siue Lacedae
Amyclae
LACONICA
SINUS MESSENIUS
Leuctrum
SINUS LACONICUS
Cythera
Taenarum Prom
Chelonatas prom.
Zacynthus
Meridies
HELLAS siue GRAECIA PROPRIA

– Ἔστι τις Ἑλλοπίη, πολυλήιος ἠδ' εὐλείμων
Ενθάδε Δωδώνη τις ἐπ' ἐσχατιῇ πεπόλισται.

Supplet scholiastes Sophoclis in Trachiniis ad vers. 1174

Τήνδε Ζεὺς ἐφίλησε καὶ ὃν χρηστήριον εἶναι
Τίμιον ἀνθρώποις, ναῖον ἐν πυθμένι φηγοῦ.

Hoc est: *Hellopia quædam est, pratis agrisque locuples, cuius in extremo Dodona est ædificata: quam Iupiter amauit & suum oraculum esse voluit, hominibus venerabile, habitans in ima fago.* Sunt qui Hellopes, & Sellos eosdem volunt, quia non raro adspiratio in sibilum conuersa est, vt Helli siue Hellopes dicti sint Selli. Vide Strabonem & Sophoclis scholia locis iam prædictis.

Tandem etiam AENIANVM quædam mentio facienda est. Horum varia migratio traditur: pulsos autem a Lapithis ad Aethices venisse: inde τῆς Μολοσσίας χώραν, *Molossidis regionem* ad *Amuam* (Plinii *Apham*) flumen occupasse, Plutarchus refert Quæstion. Græcis. Strabo autem lib. IX pag. 294, de alio forsan loquens tempore : τοῖς Ἐπικνημιδίοις Αἰνιᾶνες συνεχεῖς, *Epicnemidiis* [Locris] *Aenianes continui.* Et lib. I pag. 42 Αἰνιᾶνες οἱ νῦν Αἰτωλοῖς ὅμοροι, *Aenianes Aetolis nunc finitimi.*

GRAECIA PROPRIA.

Hactenus de Græca Illyride, de Macedonia, eique adnexa Thessalia; & de Epiro, & iis in Pindo monte gentibus, quæ Epiro contributæ fuerunt, vel fines eius attigerunt. Hæ partes sub regibus, non antiquissimis tantum temporibus, quibus omnes Græci suos regulos habebant, sed postea quoque, quum ceteri liberi essent, fuerunt, quod de Macedonia nemo dubitat, cui etiam Philippus, Amyntæ filius, Thessaliam adiunxit, Pherarum tyrannis subactis, quod Diodorus lib. XVI cap. XXXVII, & de tota Thessalia Suidas in Κάρανος ex veteri scriptore referunt. Nec in Epiro ignota Aeacidarum regna, nec Admetus rex Molossorum, de quo in Molossis diximus; aut Amynander, rex Athamanum, in Polybii Legationibus excerptis. Ceteri vero Græciæ populi, qui a Thessalia & Macedonia in austrum vergebant, olim abrogato regio imperio, vsi libertate sunt, quam pactis inter se & fœderibus, aut legibus suis ciuitates sin-

gulæ ac potentia tuebantur. Hi præ ceteris Ἕλληνες genuini, seu *proprie Græci* adpellati, & terra quam colebant, *Hellas* siue *Græcia propria*. In varias autem rursus gentes siue respublicas ac ciuitates distributi erant, quas nunc singulas enarrabimus, ab Epiri limite, hoc est ab occasu solis, vt solemne est geographis, initium facientes.

ACARNANIA.

Acarnania prima regio Græciæ liberæ ab occasu solis, siue Græciæ propriæ, sinu Ambracio intercepta & Acheloo fluuio, qui ab Aetolia disterminat, vt ille sinus ab Epirotis. Regio Ἀκαρνανία, Thucydidi, Scylaci, Stephano, & Latine *Acarnania* Livio, Melæ, Plinio dicta: Straboni x pag. 311 ἡ Ἀκαρνάνων γῆ: item, ἡ Ἀκαρνάνων χώρα, Polybio lib. v cap. XCVI. Populus Ἀκαρνᾶνες, *Acarnanes*, porrecta media: singularis Ἀκαρνὰν, *Acarnan*. Curtius lib. III cap. VI *Erat inter medicos Philippus natione Acarnan*. Et Silius Italicus lib. XV vers. 588

- - - - *hosti dextras iungebat Acarnan.*

De finibus gentis clare Strabo lib. x pag. 309 Αἰτωλοὶ μὲν καὶ Ἀκαρνᾶνες ὁμορῦσιν ἀλλήλοις, μέσον ἔχοντες τὸν Ἀχελῶον ποταμὸν, ῥέοντα ἀπὸ τῶν ἄρκτων καὶ τῆς Πίνδυ πρὸς νότον διά τε Ἀγραίων Αἰτωλικῦ ἔθνους, καὶ Ἀμφιλόχων. Ἀκαρνᾶνες μὲν τὸ πρὸς ἑσπέραν μέρος ἔχοντες τῦ ποταμῦ μέχρι τοῦ Ἀμβρακικοῦ κόλπυ, τῦ κατὰ Ἀμφιλόχυς, καὶ τὸ ἱερὸν τοῦ Ἀκτίυ Ἀπόλλωνος. *Aetolos & Acarnanes inuicem conterminos medius fluuius Achelous distinguit, a septemtrionibus & Pindo in austrum fluens per Agræos, Aetolicam gentem, & Amphilochos. Acarnanes occasum versus colunt vsque ad sinum Ambracium iuxta Amphilochos & fanum Apollinis Actii.* Ptolemæus, & hunc quidam recentes sequuti, Acarnaniam in Epiro censent, & terminum Epiri Acheloum faciunt: forsan quod Ptolemæi æuo Acarnania sub Epiri præside fuit: olim autem separata ab Epiro erat, vti iam Strabonis verbis probatum fuit. Et Liuius quoque lib. XXXIII cap. XVII *Acarnania vniuersa, inter Aetoliam atque Epirum posita, solem occidentem & mare Siculum spectat.* Iterum Strabo principio libri VIII Μετὰ τὺς Ἠπειρώτας, καὶ τὺς Ἰλλυριὺς τῶν Ἑλλήνων Ἀκαρνᾶνες εἰσὶ, *post Epirotas & Illyrios in Græcia sunt Acarnanes*, quos Aeto-

Aetoli, Locri, Phocenses & reliqui ibi nominati, ordinatim excipiunt. Nunc oppida pernarramus.

Actium in ora Acarnaniæ non magnum olim oppidum: templo autem Apollinis celebratum, etiam portu tuto, & adiacente eiusdem nominis promontorio. Strabo lib. X pag. 311 πρῶτόν ἐστιν Ἀκαρνάνων χωρίον τὸ Ἄκτιον. ὁμωνύμως δὲ λέγεται τό τε ἱερὸν τοῦ Ἀκτίου Ἀπόλλωνος, καὶ ἡ ἄκρα ἡ ποιοῦσα τὸ στόμα τοῦ κόλπου, ἔχουσα καὶ λιμένα ἐντός. *Primum Acarnaniæ oppidum est Actium: idem autem nomen gerunt Apollinis Actii templum: & promontorium quo os illius sinus coarctatur.* Et Thucydides lib. I pag. 21 ἐπειδὴ δὲ ἐγένοντο ἐν Ἀκτίῳ τῆς Ἀνακτορίας γῆς, οὗ τὸ ἱερὸν Ἀπόλλωνός ἐστι, ἐπὶ τῷ στόματι τοῦ Ἀμπρακικοῦ κόλπου, *postquam in Actium venerunt terræ Anactoriæ, vbi templum Apollinis est in faucibus sinus Ambracii.* De portu Cicero lib. XVI epist. IX *Leucadem venimus a. d.* VIII *idus Nouembres: a. d.* VII *Actium. ibi propter tempestatem ad* VI *idus morati sumus.* Clarius factum & oppidum & promontorium Actiaca victoria, & colonia eo deducta. Plinius lib. IV cap. I *in ore ipso* [sinus] *colonia Augusti Actium, cum templo Apollinis nobili.* Et Suetonius Augusto cap. XVII *nauali prœlio apud Actium vicit:* & cap. XVIII *vrbem Nicopolim apud Actium condidit, ludosque illic quinquennales constituit, & ampliato vetere Apollinis templo locum castrorum, exornatum naualibus spoliis, Neptuno ac Marti consecravit.* Hi sunt Ludi Actiaci. Idem Suetonius Tib. cap. VI *Præsedit & Actiacis ludis, & Troianis Circensibus.*

A templo Actio stadiis XL Ἀνακτόριον, *Anactorium* oppidum aberat, vt Strabo dicto loco obseruauit: qui & in peninsula positum, & nouæ vrbis Nicopolis ἐμπορεῖον, *emporium* dixit. Thucydides lib. I pag. 37 Ἀνακτόριόν ἐστι ἐπὶ τῷ στόματι τοῦ Ἀμπρακιακοῦ κόλπου, *Anactorium est in ipso ore Ambracii sinus.* Stephanus: Ἀνακτόριον Ἀκαρνανίας πόλις, Κορινθίων ἄποικος, *Anactorium Acarnaniæ oppidum, colonia Corinthiorum.* Plinius IV cap. I *ciuitas Anactoria:* modo in *Actio* ex Thucydide aderat Ἀνακτορία γῆ, *ager Anactorius:* & Scylacis κόλπος Ἀνακτόριος, *sinus Anactorius* est Ambracius.

Supra Anactorium ad eumdem sinum *Limnæa* fuit. Polybius lib. V cap. V *Ambracium sinum inuectus, priusquam illucesceret,* καθορμισθεὶς πρὸς τῇ καλουμένῃ Λιμναίᾳ, *ad Limnæam portum subiit:*

ſubiit: & cap. XIV ποιέμενος τὴν πορείαν ὡς ἐπὶ τὴν Λιμναίαν καὶ τὰς ναῦς, *ad Limnæam & naues contendens.* Non oppidum, ſed vicus ſine muro fuit. Thucydides lib. II pag. 154 διὰ τῆς Αργείας ἰόντες, Λιμναίαν κώμην ἀτείχιστον ἐπόρθησαν. ἀφικνοῦνταί τε ἐπὶ Στράτον, *per Argeam* (Amphilochicum agrum) *iter facientes, Limnæam, vicum ſine muro, diripuerunt. Inde venerunt Stratum.* Videtur ibi mercatura exercita propter portum: ideo primum exercitus opimæ prædæ cauſſa eo adductus veluti ad locum non munitum, vt aduerſus munitas vrbes præda inlecti fortius poſtea pugnarent. Liuius etiam *Limnæam* memorat lib. XXXVI cap. XIII & XIV, ſed forte aliam, & Theſſaliæ.

Argos Amphilochicum nobilis vrbs, cuius ager Αμφιλοχία, *Amphilochia* Thucydidi lib. II pag. 145. Et Dicæarchus verſ. 47 poſt Amphilochos demum Acarnanes poſuit veluti gentem ſeparatam.

Εἶτ' Αμφίλοχοι. Ἄργος δ' ἐνταυθά ἐστι τὸ
Αμφιλοχικόν. μετὰ τούτους δ' Ακαρνᾶνες.

Plures vero hoc Argos in Acarnania cenſent. Scylax Periplo: Μετὰ Αμβρακίαν Ακαρνανία ἔθνος ἐστὶ, καὶ πρώτη πόλις αὐτόθι Ἄργος Αμφιλοχικὸν, *Ambraciam Acarnania regio ſequitur: cuius prima vrbs Argos Amphilochicum.* Plinius lib. IV cap. I *Deinde Acarnanum vrbes, Alyzea, Stratos, Argos Amphilochicum cognominatum.* Et Strabo lib. X pag. 310 Πόλεις δ' εἰσὶν ἐν μὲν τοῖς Ακαρνᾶσιν, Ανακτόριόν τε καὶ Στράτος - - - καὶ ἄλλαι δ' εἰσὶ, Παλαιρος τε, καὶ Αλυζία, καὶ Λευκὰς, καὶ Ἄργος τὸ Αμφιλοχικὸν, *Acarnaniæ ciuitates ſunt Anactorium & Stratus: - - - & aliæ, Palærus, & Alyzia, & Leucas, & Argos Amphilochicum.* Id quod ſitu etiam confirmatur. Poſita enim hæc vrbs *Argos* fuit ἐν τῷ Αμπρακικῷ κόλπῳ, *in Ambracio ſinu*, vt Thucydides dicto loco demonſtrauit: ſeu, vt Mela lib. II cap. III dixit, ex iis nobilibus vrbibus eſt, *quæ adſidunt ſinui Ambracio.* Diſtabat præterea ab Ambracia, ſecundum Polybium Legat. XXVIII, ἐπ' στάδια CLXXX ſtadia, id eſt, vt Liuius lib. XXXVIII cap. X Romano more dimenſus eſt, XXII paſſuum millia. *Profectus*, inquit, *ab Ambracia conſul, ad Argos Amphilochicum (viginti duo millia ab Ambracia abeſt) caſtra poſuit.* E quibus intelligimus, in ipſa Acarnania ad ſinum Ambracium ſitum fuiſſe.

Nomen

Nomen non tantum *Argos* fuit, neutro genere, τὸ Ἄργος Græce, verum etiam *Argia*, quia Pomponio Melæ dicta *Argia Amphilochis*, veluti Ἄργεια Ἀμφιλοχίς: & si Stephano est fides habenda, gentis quoque nomine, vt aliæ vrbes medio æuo, *Amphilochi* est adpellata. Ait enim: Ἀμφίλοχοι πόλις Ἀκαρνανίας, οἱ καὶ Ἀμφιλοχικὸν Ἄργος κληθέντες, vt Vossius ad Melam emendauit & suppleuit. Origo nominis ab *Amphilocho*, Amphiarai filio, conditore, qui patriæ nomine, quæ in Argolide Peloponnesi erat, hanc nouam vrbem adpellauit. Lege Thucydidem dicto loco. Hæ ad sinum Ambracium Acarnaniæ vrbes.

Mediterraneæ Acarnanum fuerunt *Stratos*, *Metropolis*, *Thyreum*, *Palærus*, & aliæ. Amplissima ciuitas *Stratos*, ad Acheloum amnem sita. Thucydides lib. II pag. 154 ἀφικνοῦνται ἐπὶ Στράτον, πόλιν μεγίστην τῆς Ἀκαρνανίας, *veniunt Stratum, maximam Acarnaniæ vrbem.* Idem sub finem huius libri, vbi Acheloum amnem a fontibus ad ostia describit, ἄνωθεν παρὰ Στράτον πόλιν *superiori Acarnania præter vrbem Stratum* dicit defluere. Liuius lib. XLIII cap. XXI *Perseus in Elimeam profectus, & circa eam exercitu lustrato ad Stratum, vocantibus Epirotis, ducit. Stratus validissima tum vrbs Aetoliæ erat. Sita est super Ambracium sinum, prope amnem Acheloum.* Aetoliæ dicit esse, quia ad fines eius, Acheloo separante: etiam aliter fuit Thucydidis tempore, aliter Philippo & Perseo regnantibus, quum iam Aetolorum creuisset potentia, & fines vtrimque prolati essent longius. Stratum nauigatur Acheloo aduerso ducentis amplius stadiis, vt Strabo docet lib. X pag. 310, ex quo verus situs huius vrbis & a mari distantia cognoscitur. Inde κτητικὸν formatur Στρατικός. Polybius lib. IV cap. LXIV ποιούμενος τὴν πορείαν εἰς τὴν Στρατικήν, *agmen in Stratensium agrum ducit.* Octoginta stadiis a Strato est *Anapus* fluuius, auctore Thucydide lib. II pag. 156.

Ab Strato non longe aberat, in austrum paullo vergens, *Metropolis*, XX stadiis reducta ab Acheloo; quæ in via erat, qua Strato itur Conopen Aetoliæ, quod ex dicti lib. IV Polybii cap. LXIV adparet. Prope mare & vrbem Leucadem fuit oppidum *Thyreum* siue *Thurium*, quod in Acarnania Polybius censet. Lib. IV cap. VI τῆς Ἀκαρνανίας Θύρειον, *Thyreum Acarnaniæ oppidum:* & Legatione LXXV idem: κατὰ τὴν Ἀκαρνανίαν συναχθείσης τῆς ἐκ-

κλησίας

κλησίας εἰς Θύριον, *Acarnanum concilio Thurii congregato.* Idem excerpt. Legat. x ἐκ Θουρίου *ex Thurio,* quod idem oppidum eſt. Varie enim ſcribitur. Liuius XXXVI cap. XI *ducentis Thyrii in præſidio poſitis.* quam ſcripturam Stephanus adprobauit. ἔστι, inquit, καὶ Ακαρνανίας Θύριον, διὰ τοῦ ἰῶτα, *Eſt quoque Acarnaniæ Thyrium, quod per I ſcribitur.* Ex quo Liuium Sigonius correxit: alibi vero, lib. XXXVIII cap. IX, manſit in libris, *adduci eos a Thyrreo iuſſit.* Haud procul a mari fuiſſe & vrbe Leucade, ex Ciceronis excurſione, quam eo a Leucade fecit, adparet. Lib. XVI epiſt. V quæ Leucade ſcripta eſt, *Duas,* inquit, *horas Thyrei fuimus. Xenomanes hoſpes tam te diligit, quam ſi vixerit tecum.* Cum Thyrio Liuius lib. XXXVI cap. XI coniungit *Medionem,* vt propinquum locum in mediterraneo Acarnaniæ, quem Stephanus πρὸς τῇ Αἰτωλίᾳ poſuit, id eſt apud Aetoliam.

Citra Leucadem a Patris, nauiganti Italiam verſus, fuit *Alyzia,* ἡ Αλυζία, XV ſtadiis a mari, vt Strabo definit lib. X pag. 316. Cicero lib. XVI epiſt. II ad Tironem Patris relictum: *Tertio die abs te Alyziam acceſſeramus. Is locus eſt citra Leucadem ſtadia* CXX. Eodem ſitu Ptolemæus poſuit. Stephanus: Αλύζεια πόλις Ακαρνανιας, *Alyzea oppidum Acarnaniæ.* Et Plinius IV cap. I *Deinde Acarnanum vrbes, Alyzea, Stratos, Argos Amphilochicum cognominatum.* Hæc de ora maris exteri in Acarnania.

Intus *Palærus,* Παλαιρὸς, Strabonis, vnde Thucydidi gentile Παλαιρεύς, lib. II pag 120 ſine diphthongo, id eſt *Palirenſis,* tamquam a Παλιρὸς, *Palirus.* Σόλιον, inquit, Κορινθίων πόλισμα αἱροῦσι, καὶ παραδιδόασι Παλαιρεῦσιν Ακαρνάνων μόνοις τὴν γῆν καὶ πόλιν νέμεσθαι. *Solion, Corinthiorum oppidum,* [Athenienſes] *poſtquam diripuerunt, id cum agro ſolis Acarnanum Palirenſibus colendum tradiderunt.* Quod autem heic *Solium* nominatur, aliunde non eſt notum, neque de ſitu eius iudicari poteſt.. In Acarnania fuiſſe, ſcholiaſtes adnotauit.

Ad Acheloum, propinquum oſtio, vrbs *Aſtacus,* Αστακὸς, ex Ptolemæi poſitione: quæ vero ſecundum Scylacem etiam portum in mari habet a dextra exeuntis Acheloi, qui terminus ita eſt Acarnaniæ, vt tamen in ſiniſtra oſtiorum oppidum *Oeniadæ* itidem Acarnanum fuerit. Sic enim Scylax enumerando procedit, vt Acheloum inter Aſtacum & Oeniadas tamquam amnem

amnem medium deducat: πόλις Ἀστακὸς καὶ λιμὴν, καὶ ποταμὸς Ἀχελῶος, καὶ Οἰνιάδαι πόλις, *vrbs Astacus & portus, & flumen Achelous, & vrbs Oeniadæ.* Vnde est quod quum Aetoli occupassent, tamquam sitas in solo suo; Romani decreto Acarnanibus restituerunt. Liuius XXXVIII cap. XI *Oeniadæ cum vrbe agrisque Acarnanum sunto.* Olim enim Acarnanum fuerant. Thucydides lib. I pag. 73 διαπλεύσαντες πέραν, τῆς Ἀκαρνανίας ἐς Οἰνιάδας ἐστράτευσαν καὶ ἐπολιόρκουν, *traiicientes* [ex Peloponneso] *Acarnaniæ Oeniadas oppugnauerunt.* Et Scylax in Acarnania posuit. Liuius lib. XXVI cap. XXIV *Læuinus Zacynthum vi cepit , & Oeniadas Nasumque Acarnanum captas Aetolis contribuit.* Stephanus quoque: Οἰνιάδαι πόλις Ἀκαρνανίας πρὸς τῷ Ἀχελώῳ, ἡ καὶ Ἐρυσίχη καλουμένη, *Oeniadæ sunt vrbs Acarnaniæ ad Acheloum, quæ etiam Erysiche adpellatur.* De situ etiam Thucydides lib. II sub finem: ἐς θάλασσαν ἐξιεὶς [ὁ Ἀχελῶος] παρ' Οἰνιάδας, καὶ τὴν πόλιν αὐτοῖς περιλιμνάζων, *in mare exit Achelous iuxta Oeniadas, ad quorum vrbem restagnat.* Et Polybius lib. IV cap. LXV τοὺς μὲν Οἰνιάδας κεῖσθαι συμβαίνει παρὰ θάλατταν, ἐπὶ τῷ πέρατι τῆς Ἀκαρνανίας τῷ πρὸς Αἰτωλοὺς συνάπτοντι περὶ τὴν ἀρχὴν τοῦ Κορινθιακοῦ κόλπου. *Oeniadarum oppidum ad mare situm est, in vltima parte Acarnaniæ, qua Aetolos contingit, circa principium sinus Corinthiaci.* Extrema verba: *circa principium sinus Corinthiaci*, suspecta sunt, quod omnis Aetolia interiecta est Oeniadas inter & initium Corinthiaci sinus. Gentile, *Oeniadæ* eodem quo vrbs nomine, vt ex Liuii XXXVIII cap. XI modo patuit, qui ex Polybii Legat. XXVIII transscripsit, cuius verba sunt, ἡ δὲ πόλις καὶ ἡ χώρα ἡ τῶν Οἰνιάδων, Ἀκαρνάνων ἔστω. Adde quæ ex Thucydidis lib. II extremo iam protulimus.

Nasum, quam velut oppidum Acarnanum cum Oeniadis coniunxit Liuius lib. XXVI cap. XXIV, vt modo ostensum est; Polybio lib. IX cap. XXXIII oratione Lycisci itidem Νῆσος dicta sic cum Oeniadis componitur. Ait ibi Acarnanum orator: ἤδη παρῄρηνται μὲν Ἀκαρνάνων Οἰνιάδας καὶ Νῆσον, *hi iam* [Aetoli] *Acarnanibus Oeniadas & Nesum ademerunt.* Quod vero νῆσος & Dorice νᾶσος Latine *insula* sonat, videtur ex iis aliqua, quæ Achelous in mari adgestionibus faciat, vt Thucydides lib. II sub finem scripsit, hoc nomine significari.

Ad peninsulam, cui *Leucadia* nomen est, & postea, perfosso isthmo, insulam factam, vt hodieque est, Sanctæ Mauræ nomen gerens, quia & ipsa pars fuit Acarnaniæ, hunc accedimus perlustrandam. Olim peninsulam fuisse, ex Homeri carminibus, qui ἀκτὴν ἠπείροιο vocat, *litus Epiri*, hoc est Acarnaniæ, probat Strabo lib. x pag. 311. Tria oppida Homeri memorat, *Nericum*, *Crocyleam*, & *Agylipem*; e quibus primum, Νήρικον Homeri Odyss. Ω vers. 376, (aliis, vt apud Stephanum est, Νήριτον, quod alias montis vocabulum est) dicit Corinthios, qui isthmum perfoderint, μετενέγκαντας, *transferentes* posuisse in loco fere, vbi isthmus fuerat, qui a perfossione illa, vt apud Polybium est lib. v cap. v, διόρυκτος, siue *Dioryctos*, vt Latine Plinius IV cap. I scripsit, adpellatur. Scylax eadem fere in Acarnania: αὕτη δ' ἐστι νῦν νῆσος τὸν ἰσθμὸν ἀποτεταφρευμένη, *ea nunc insula est*, *isthmo perfosso*. Nihil de perfossione, neque de insula Thucydides: ideoque eius ætate adhuc peninsulam fuisse Isaacus Vossius ad Scylacem censet. Plinius omnem caussam dicto loco ita enarrat: *Dein sinus & Leucadia ipsa peninsula, quondam Neritis adpellata, opere accolarum abscissa a continenti ac reddita ventorum flatu congeriem arenæ accumulantium, qui locus vocatur Dioryctus, stadiorum longitudine trium. Oppidum in ea Leucas, quondam Neritum dictum.*

Straboni peninsulæ & oppidi est idem nomen Λευκὰς, *Leucas*: Mela & Plinius vrbem *Leucadem*; insulam siue peninsulam *Leucadiam* nominarunt, quod etiam Thucydides lib. III pag. 237 fecit, Λευκάδα & Λευκαδίαν discernens. Ita etiam Liuius distinxit lib. XXXIII cap. XVII, *Leucadia nunc insula, & vadoso freto, quod perfossum manu est, ab Acarnania diuisa: tum peninsula erat, occidentis regione arctis faucibus cohærens Acarnaniæ. Quingentos ferme passus longæ fauces erant; latæ haud amplius centum & viginti. In his angustiis Leucas posita est, colli adplicata verso in orientem & Acarnaniam. Ima vrbis plana sunt, iacentia ad mare, quo Leucadia ab Acarnania diuiditur.* Florus autem lib. IV cap. XI *Leucadem insulam* dixit, quæ aliis erat *Leucadia*. Etiam Ouidius Metam. lib. XV vers. 289

Leucada continuam veteres habuere coloni,
Nunc freta circumeunt.

Ab

Ab insula & vrbe distinguendum promontorium *Λευκάτα*, *Leucata;* & alia dialecto *Λευκάτη*, *Leucate.* Liuius lib. XXVI cap. XXVI *Læuinus, superato Leucate promontorio, quum venisset Naupactum, Anticyram inde se petiturum edixit.* Florus dicto loco: *positis in Epiro castris, Leucadem insulam, montemque Leucaten, & Ambracii sinus cornua classe* [Cæsar] *succinxerat.* Virgilius Aeneid. III vers. 274

> *Mox & Leucatæ nimbosa cacumina montis,*
> *Et formidatus nautis aperitur Apollo;*

nam templum Apollinis in illo monte erat. Et lib. VIII vers. 676

> - - - *totumque instructo Marte videres*
> *Feruere Leucaten.*

Et Claudianus I consul. Stilic. lib. I vers. 174

> *Nec iuga Leucatæ feriens spumantia fluctu*
> *Deterrebat hiems.*

Est autem *πέτρα λευκή*, *saxum album*, in mare prominens Cephaleniam versus, vt Strabo p. 311 descripsit. Ipsa vrbs *Leucas maxime clara* fuit, vt Mela refert, & celebris adeo, vt caput esset Acarnaniæ. Liuius lib. XXXIII cap. XVII *Leucade hæc sunt decreta: id caput Acarnaniæ erat, eoque in concilium omnes populi conueniebant.* Et lib. XXXVI cap. XI *Is quum Leucadios, quod Acarnaniæ caput est, non facile ad defectionem posse cerneret impelli.* Situm paullo ante ex Liuii XXXIII dispeximus. Ita autem in Isthmo vrbs posita erat, vt magis intus, quam in fauces vergeret, quia Thucydidi Leucas & Apollinis templum intus in chersoneso, seu itra illius isthmum erant, lib. III pag. 237. *οἱ μὲν*, inquit, *Λευκάδιοι τῆς τε ἔξω γῆς δῃουμένης, καὶ τῆς ἐντὸς τοῦ ἰσθμοῦ* (*ἐν ᾗ καὶ Λευκάς ἐστι, καὶ τὸ ἱερὸν τοῦ Ἀπόλλωνος*) *πλήθει βιαζόμενοι ἡσύχαζον*, *Leucadii, quum ipsorum ager tam extra, quam intra isthmum* (*vbi Leucas ipsa sita est & Apollinis templum*) *vastaretur, quiescebant.* Cicero, quum ex prouincia rediret, *Leucade* biduum fere consumsit, lib. XVI epist. IV & V, & in portu Tironis litteras exspectauit, binasque indidem ad ipsum dedit, cui etiam suasit, vt Leucadem festinaret venire, atque ibi se plane confirmaret. Ita vero *Leucas* in insula erat, vt esset etiam in continenti, quia fossa, quæ dirimebat, ponte iungebatur, angustior

 adge-

adgestionibus arenæ facta, vt supra Plinius demonstrabat. Strabo lib. x pag. 311 τῆς χεῤῥονήσου διορύξαντες τὸν ἰσθμὸν, ἐποίησαν νῆσον τὴν Λευκάδα, - - - νῦν δὲ πορθμὸς γεφύρᾳ ζευκτὸς, *peninsulæ isthmum perfodientes fecerunt insulam Leucadiam: nunc vero fretum ponte iunctum est.* Oppidani Λευκάδιοι, *Leucadii*, vt iam ex Thucydide & Liuio perspectum est. Et *Leucadius* Apollo cognominatus, Straboni dicto loco, τὸ τῦ Λευκάτα Ἀπόλλωνος ἱερὸν, quia templum in monte erat. Propertius lib. III eleg. XI

Leucadius versas acies memorabit Apollo.

A E T O L I A.

Aetolia ab Acheloo flumine ad fretum sinus Corinthiaci patebat, siue ad Locros vsque Ozolas. Sed hi termini Aetoliæ vniuersæ. Duplex autem erat secundum Strabonem lib. x pag. 310, ἡ μὲν ἀρχαία, ἡ δ' ἐπίκτητος, *Aetolia antiqua*, *&* *adiecta*. Definit ἀρχαίαν ἀπὸ τῦ Ἀχελώου μέχρι Καλυδῶνος παραλίαν, ἐπὶ πολὺ καὶ τῆς μεσογαίας ἀνήκουσαν· - - - ἐπίκτητον δὲ, τὴν τοῖς Λοκροῖς συνάπτουσαν, ὡς ἐπὶ Ναύπακτόν τε καὶ Εὐπάλιον, *Antiquam*, *ab Acheloo vsque ad maritima Calydonis* [quam Euenus præfluit] *Naupactum versus & Eupalium.* Colentes Αἰτωλοὶ, *Aetoli*, omnibus historiis notissimi. Possessiuum, *Aetolicus.* Florus lib. II cap. IX *Syriatico bello successit (& debebat) Aetolicum.* Potentiores facti Aetoli multa in Thessalia, & Acarnania, & alibi occupauerunt, quæ vero huc non pertinent. Lege bella illorum aduersus Macedonas & Romanos gesta apud Liuium Polybiumque. Flumina Aetoliæ *Achelous*, qui ab Acarnania separat: & *Euenus*, ὁ Εὔηνος, qui diuidit inter Aetoliam Veterem & Epictetum: huius cursum & flexiones Strabo lib. x pag. 310 descripsit. Ouidius Metamorph. lib. IX vers. 104 de Hercule:

Venerat Eueni rapidas Ioue natus ad vndas.

Aetoliæ, quam Alexander Acarnan lib. XXXV Liuii cap. XVIII *vmbilicum Græciæ* vocat, Homerus Catalogo vers. 146 has vrbes laudauit:

Οἳ Πλευρῶν' ἐνέμοντο, καὶ Ὤλενον, ἠδὲ Πυλήνην,
Χαλκίδα τ' ἀγχίαλον, Καλυδῶνά τε πετρήεσσαν.

Qui Pleuronem habitabant, & Olenum, & Pylenen, Chalcidemque mari-

maritimam & petrosam Calydonem. Ex his *Pleuron* illa ἀρχαία, *vetus* est, vt Strabo lib. x pag. 310 distinguit, sita quondam prope Calydonem; post deserta, & νεωτέρα Πλευρὼν *noua Pleuron* iuxta *Aracynthum* montem condita, de qua Plinius IV cap. II, *in mediterraneo Pleuron, Halicyrna.* reducta enim a mari est, vt tamen non longius interiora versus recedat. Pausanias Achaic. cap. XI Αἰτωλῶν οἱ Πλευρῶνα οἰκοῦντες, id est, *Pleuronii* siue *Pleuronenses Aetoli.*

Pleuroni nouæ vicina fuit *Olenus*, Ὤλενος, Homero memorata, sed postea ab Aeolibus, vt Strabo tradit, deleta: cuius nominis alia in Achaia Peloponnesi fuit, cum nostra minime confundenda. Ptolemæus inter Pleuronem & Calydonem posuit *Olenum* mediam. Montem *Aracynthum* Plinius IV cap. II, & ex eo Solinus in Acarnania ponunt: Strabo & Dionys. Perieg. vers. 431 in Aetolia. Hic est de quo ecloga Virgilii II vers. 24

Amphion Dircæus in actæo Aracyntho.

actæo, interpretantur *saxoso & prærupto*, alii *litorali* vtrumque ab ἀκτή, quæ & litus, & saxa scopulosque significat. Inde Acheloum versus *Pæanium* erat, quod rex Philippus deleuit, sicut etiam *Ithoriam*, quod vtrumque Polybius lib. IV cap. LXV narrauit. Dirutæ vrbis Pæanii materiam (τὰ ξύλα καὶ κέραμον) per amnem Oeniadas deuexit, quod argumento est, Acheloo amni *Pæanium* adpositum fuisse.

Supra Aracynthum montem *Conope*, Κωνώπη fuit, ab Acheloo XX stadiis, vti ex Polybii lib. IV cap. LXIV adparet, remota. Idem Philippi regis iter ex Acarnania Thermum versus lib. V cap. VII describens, ait, in transitu Acheloi ad sinistram reliquisse *Stratum*, *Agrinium*, *Thestienses*: ad dextram vero *Conopen*, *Lysimachiam*, *Trichonium*, Φοιτεον, *Phœteum.* Sinisteriora, præter Stratum ad septemtrionalem Aetoliam pertinent: quæ dextrorsum cum Conope erant, *Phœteum*, Φοιτεὰς lib. IV eiusdem cap. LXIII, Stephano Φοιτίαι, qui vero male dixit vrbem Acarnaniæ, quum hoc Polybii loco altero, siue cap. LXIII libri IV de rege dicatur: διελθὼν τὴν Ακαρνανίαν, ἧκε τῆς Αἰτωλίας πρὸς τὴν καλουμένην πόλιν Φοιτείας, *transgressus per Acarnaniam, ad Aetoliæ vrbem Phœteias venit.*

Ad dextram dicto itinere Philippus relinquebat etiam *Lysimachiam*, cuius situm notat Liuius lib. XXXVI cap. XI *Ipse Delphis Naupactum processit. consilio principum Aetoliæ habito, via, quæ præter Chalcidem & Lysimachiam fert ad Stratum, suis, qui per Maliacum sinum veniebant, occurrit.* Strabo lib. X pag. 317 ἠφανισμένην, *excisam* & ipsam iacere tradit. *Trichonium* autem, Τριχώνιον, quod itidem a dextris illo itinere Philippus apud Polybium lib. V cap. VII habuit, videtur inter Lysimachiam & Phœteum fuisse: Stephano quoque πόλις Αἰτωλίας, *oppidum Aetoliæ:* quod Palmerius etiam Straboni lib. X pag. 310 restituit, apud quem in Aetolia veteri corrupte legitur Τραχίνιον. Quo autem regis iter tendebat, *Thermum*, opulentum oppidum erat, de quo Polybius lib. V præter locum ex cap. VII monstratum antea, etiam cap. VIII agit plenius. Rex, inquit, difficili via προέβαινε πρὸς τὸ Θέρμον, *progrediebatur Thermum:* item, ἧκε πολλῆς ὥρας ἐπὶ τὸ Θέρμον, *Thermum venit, quum adhuc diei multum superesset.* Hunc locum καθ' ἕκαστον ἔτος ἀγορὰς τε καὶ πανηγύρεις ἐπιφανεστάτας, καὶ τὰς ἀρχαιρεσιῶν καταστάσεις, id est, *quotannis mercatum & ludos celebres, etiam comitia Aetolorum* habuisse, ibidem testatur Polybius. Inter Thermum & Conopen fuit ad *Trichonidem* lacum, vrbs *Metapa*, LX stadiis a Thermo. Polybius lib. V cap. VII ἀφικόμενος δὲ πρὸς πόλιν τὴν καλουμένην Μετάπαν, ἣ κεῖται μὲν ἐπ' αὐτῆς τῆς Τριχωνίδος λίμνης καὶ τῶν παρὰ ταύτῃ στενῶν. ἀπέχει δὲ σχεδὸν ἑξήκοντα στάδια τοῦ προσαγορευομένου Θέρμου. *Deinde ad oppidum peruenit quod Metapa vocatur, ad Trichonidem lacum & ipsas illius fauces situm: ab eo loco, quem Thermum adpellant, stadia fere sexaginta distantem.*

Hinc ad *Calydonem* venimus, ad *Euenum* fluuium sitam, caput totius Aetoliæ. Plinius IV cap. II *Aetoliæ oppidum Calydon est septem millibus quingentis pass. a mari, iuxta Euenum amnem.* Olim ab Aeolibus habitatoribus videtur *Aeolis* dicta. Thucydides lib. III pag. 241 ἀνεχώρησαν ἐς τὴν Αἰολίδα τὴν νῦν καλουμένην Καλυδῶνα, καὶ Πλευρῶνα, καὶ ἐς ταύτῃ χωρία, *abierunt in Aeolidem, quæ nunc Calydon vocatur; & Pleuronem, & alia loca quæ circa sunt.* Sed quod etiam alibi *Calydon* pro ipsa regione, quæ *Calydonia* est, inuenitur, quemadmodum illud Lucani lib. VI vers. 366

Euenos

Euenos Calydona secat, - - -

de regione, non de vrbe Palmerius interpretatur; regio potius est *Aeolis* Thucydidis, quam oppidum regionis, interpretanda. Scylax primo loco in Aetoliæ oppidis ponit: Virgilius lib. VII vers. 306 *antiquam Calydona* vocat; & Aeneid. XI vers. 270 *pulchram Calydona:* itidem Statius Theb. VII

- - - *veterem Calydona Dianæ*
Expugnare dedi.

Vide Seruium ad prædictum versum Aeneid. VII. Cæsar Ciuil. III cap. XXXV *Caluisius, præsidiis Calydone & Naupacto reiectis, omni Aetolia potitus est.*

Cum Calydone dicto versu Homerus Χαλκίδα ἀγχίαλον, *Chalcidem litoralem* coniunxerat. Fuit autem ad os Eueni. Thucydides lib. II pag. 156 κατεῖδον τοὺς Ἀθηναίους ἀπὸ τῆς Χαλκίδος καὶ τοῦ Εὐηνοῦ ποταμοῦ παραπλέοντας, *viderunt, Athenienses a Chalcide & Eueno fluuio adnauigare.* Præponitur Chalcis Eueno in hoc cursu, velut ad dextram ostii adpositum oppidum fuerit, quod etiam Strabo, enarrans litus Aetoliæ lib. x pag. 316, videtur confirmare, ab Acarnania & Oeniadis progressus: μετὰ τὸν Εὔηνον τὸ ὄρος ἡ Χαλκίς, *post Euenum mons Chalcis,* si modo mons in eodem, quo oppidum, fuit latere, sub quo monte situm oppidum erat, ideoque a nonnullis dictum Ὑποχαλκὶς, *Hypochalcis,* vt Strabo refert dicto libro p. 310. Definiri latus certo non potest: id vero certissimum, aberrare Stephanum, quum ab Aetoliæ Chalcide Acheloum ait fluere, deceptus Periegetæ versu 496

Νήσων τ' ἀλλάων, ὅσσας τ' ἀπὸ Χαλκίδος ἕρπων
Δίνης ἀργυρέης Ἀχελώϊος ἀμφὶς ἐλίσσει.

Insularum aliarum, quotquot a Chalcide labens vorticibus argenteis Achelous circumdat. Euenum vterque cum Acheloo, vt ex Thucydide & Strabone constat, confudit.

Progredienti a Chalcide in ora ortum versus occurrit *Molycria* oppidum. Strabo lib. IX pag. 294 ἡ Μολύκρεια δ' ἐστὶ κατὰ τὸ Ἀντίῤῥιον, Αἰτωλικὸν πολίχνιον, *Molycria est iuxta Antirrhium, Aetolorum oppidulum.* Ptolemæus quoque ab occasu promontorii Antirrhii lib. III cap. XV posuit. Plinius lib. IV cap. II *Calydon iuxta Euenum amnem. Dein Macynia, Molycria: cuius a tergo Chalcis*

Chalcis mons, & Taphiassus. Ipsum itaque *Antirrhium* subsequitur, de quo ibidem Plinius lib. IV cap. II *In eo promontorium Antirrhium, vbi ostium Corinthiaci sinus, minus mille passuum latitudine influentis, Aetolosque dirimentis a Peloponneso. Promontorium quod contra procedit, adpellatur Rhium.* Ipsum fretum, quo Corinthiacus sinus ex Ionio mari effunditur, etiam *Rhium* perinde vocatur vt promontorium, quod intus est in Peloponneso. Liuius lib. XXVII cap. XXIX *Aetoli nauibus per fretum, quod Naupactum & Patras interfluit (Rhion incolæ vocant) exercitu traiecto,* [Achæos] *depopulati erant.* Idem lib. XXVIII cap. VII *veriti, ne intra Rhium (fauces eæ sunt Corinthii sinus) opprimerentur.*

Inter Antirrhium & Naupactum quæ fuerint, incertum plane est. Tria quidem memorantur prope Naupactum & in Corinthiaco sinu Aetolorum fuisse, *Erythræ, Eupalium* & *Pylene:* sed citra, vltra fuerint, aut supra eam posita, definire non possumus. De *Erythris* Liuius lib. XXVIII cap. VIII *miserat in Corinthium sinum, profectus ad Erythras Aetolorum, quæ prope Eupalium sunt, exscensionem fecit.* Portus ergo vel locus fuit in litore aptus ad exscensionem e nauibus faciendam. De *Eupalio* iam in Erythris dixit Liuius: & Strabo lib. X pag. 310 Aetoliam ἐπίκτητον siue *adiectam* dicit pertinere ὡς ἐπὶ Ναύπακτόν τε καὶ Εὐπάλιον, *ad Naupactum & Eupalium.* Thucydides qui Εὐπόλιον scripsit, Locris attribuit. Etiam Stephanus ponit in Locride, ad cuius expositionem reiectum volumus. *Pylene* non dubitatur Aetolorum fuisse, in quibus etiam Homerus posuit & Plinius. Homeri verba sub initium huius capitis de Aetolia produximus: Plinii, mox proferemus in Naupacto: & Strabo quoque in Aetolia recenset, addens translatam paullisper esse, & Πρόσχιον, *Proschium,* mutato nomine, vocitari, lib. X pag. 311. Thucydides quoque lib. III pag. 241 ἐς Πρόσχιον τῆς Αἰτωλίας, dixit, hoc est, *in Proschium Aetoliæ* abierunt. Statius Theb. IV verf. 102 *scopulosa Pylene:* & lib. VIII verf. 483 *torua Pylenes agmina.*

Naupactus, extremum Aetolorum oppidum: nunc Lepanto. De illa Strabo lib. IX pag. 294 ἡ Ναύπακτος τοῦ Ἀντιῤῥίου πλησίον. ὠνόμασται δ' ἀπὸ τῆς ναυπηγίας τῆς ἐκεῖ γενομένης, *Naupactus Antirrhio vicina, a nauibus ibi compactis nominata.* Plinius lib. IV cap. II *In Corinthiaco sinu oppida Aetoliæ, Naupactum, Pylene.*

lene. Et Liuius lib. XXXV cap. XII *Aetoli concilium Naupactum indixerunt.* Ptolemæus tam Antirrhium quam Naupactum in Locris scripsit, & illorum quondam fuisse Strabo dicto loco refert: addit vero: ἐστι δὲ νῦν Αἰτωλῶν [Νάυπακτος] Φιλίππου προσκρίναντος, *nunc vero Naupactus Aetolorum est, Philippo adiudicante.* Sic etiam Scylax atque Plinius Naupactum in Aetolia censuerunt.

Intus supra Chalcidem duo montes sunt, quos Strabo lib. X pag. 310 ὄρη ἱκανῶς ὑψηλὰ, *montes valde excelsos* vocat; alter *Chalcis*, eodem, quo subiectum oppidum nomine: alter Ταφίασσος, *Taphiassus*, super quo πολίχνιον Μακυνία, *oppidulum Macynia* fuit positum, quod Plinius etiam Aetoliæ oppidis adnumerauit, quæ vltra Calydonem & Euenum amnem sunt. *Halicyrna* quoque in hoc tractu Aetoliæ fuit Scylacis & Plinii testimonio, quo Stephanus confutatur, qui in Acarnania posuit: locus autem certus adsignari nequit. Nec sedes certa *Aegitii* (Αἰγίτιον vocat Thucydides lib. III pag. 239) quamquam distantia a mari eodem auctore non sit incerta, LXXX stadia.

Est etiam mons *Corax* Aetoliæ orientalis, in septemtrionem ad Oetam vsque excurrens. Strabo lib. IX pag. 287 τῶν δὲ πλευρῶν τοῦ Παρνασσοῦ τὸ μὲν ἑσπέριον νέμονται Λοκροί τε οἱ Ὀζόλαι, καὶ τινες τῶν Δωριέων, καὶ Αἰτωλοὶ κατὰ τὸν Κόρακα προσαγορευόμενον Αἰτωλικὸν ὄρος, *Latus Parnassi occiduum Locri Ozolæ tenent, & Dorienses quidam, atque Aetoli iuxta Coracem montem Aetolicum.* Et lib. X pag. 310 idem Strabo: ἔχει καὶ ἡ Αἰτωλία μέγιστον μὲν ὄρος τὸν Κόρακα συνάπτοντα τῇ Οἴτῃ, *Aetolia etiam maximus mons est, Oetæ conterminus.* Et Liuius lib. XXXVI cap. XXX *Vt ad Coracem est ventum (mons est altissimus inter Callipolin & Naupactum) ibi & iumenta multa ex agmine præcipitata cum ipsis oneribus sunt, & homines vexati.* Quam hic nominat Aetoliæ *Callipolin*, suspecta est Iac. Palmerio Græc. Ant. lib. IV cap. XXII; at minus nobis, quia & Stephanus in Κόραξ, ex Polybii lib. XX profert, μεταξὺ Καλλιπόλεως καὶ Ναυπάκτου, *inter Callipolim & Naupactum.* Non ergo dubium, quin Polybius ita scripserit, quia eodem modo & Liuius & Stephanus transscripserunt. Mauult laudatus vir Καλλίου πόλεως. Fac vero, ita labi potuisse Stephanum: quid vero de Liuio dicemus, cui vertendum fuisset *inter Callium vrbem?*

Id vero concedo facile, eamdem vrbem esse Καλλίπολιν Polybii, Stephani, Liuii; & Κάλλιον, *Callium* Pausaniæ Phoc. cap. XXII, quamuis verus locus & sedes ignoretur.

Dubiæ quoque positionis sunt, quæ Thucydides lib. III pag. 238 Aetolis dat mediterraneis, *Potidania*, *Crocylion*, & *Tichivm*. ἅμα τῇ ἕῳ, inquit, ἄρας ἐπορεύετο ἐς τὴν Αἰτωλίαν, καὶ αἱρεῖ τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ Ποτιδανίαν, καὶ τῇ δευτέρᾳ Κροκύλειον, καὶ τῇ τρίτῃ Τείχιον, *summo mane motis castris in Aetoliam pergit: ac primo die Potidaniam expugnat; secundo Crocylium: tertio Tichium.* Et Liuius lib. XXVIII cap. VIII *Haud fefellit Aetolos. nam hominum quod aut in agris, aut in propinquis castellis Potidaniæ ac Apolloniæ fuit, in silvas montesque refugit.* Nec illa Liuii *Apollonia* nota, nisi Stephani Ἀπολλωνία τῆς Φωκίδος, *Apollonia Phocidis* est. Alia *Crocylea*, Κροκύλεια Homeri, Catalogo vers. 140, quam Strabo in Leucadia peninsula, Palmerius in insula Ithaca quærendam censet.

Inter Acheloum & Euenum in septemtrione erant *Agrinium* & *Thestia*. Polybius lib. V cap. VII, quum rex ex Acarnania, Acheloo traiecto, Thermum proficisceretur, ait a sinistra reliquisse Στράτον, Ἀγρίνιον, Θεστιεῖς, *Stratum*, *Agrinium*, *Thestienses*.

Sub Pindo & Oeta montibus in tergo Aetoliæ, vel pars illius vel finitima, *Aperantia*, quam Polybius Legat. XXVI, & Livius XXXVI cap. XXXIII memorarunt: de qua etiam supra, quia Epirum versus recedit, aliquid diximus. Fuit etiam *Dorica tetrapolis*, id est, *Erineus*, *Boium*, *Pindus*, *Cytinium*, vt Strabo nominatim interpretatur lib. IX pag. 294, & ipsos Dores huius loci vocat Δωριεῖς τὴν τετράπολιν οἰκήσαντας, qui πόλεις εἶχον Ἐρινεὸν, Βοῖον, Πίνδον, Κυτίνιον. *Pindus*, Dorica vrbs, posita ad amnem eiusdem nominis, qui in Cephissum deinde infunditur, auctore eodem Strabone. Medio tractu populi fuerunt *Agræi*, siue *Agrai*, de quibus supra quoque dictum fuit, & *Curetes*, & *Aeoles*, & *Ophienses* siue *Ophionenses*, (Ὀφιεῖς Strabonis, Ὀφιονεῖς Thucydidis) ac Naupactum versus *Apodoti*, *Eurytanes* & alii ignobiles. Vide Thucydidem lib. III pag. 237, & Strabonem lib. X pag. 310, qui & *Perrhæbos*, *Athamanes*, & partem *Aenianum*, Aetolis ibidem addidit.

LOCRIS.

LOCRIS.

Locris, regio Locrorum, Græce Λοκρὶς. Mela II cap. III *A Macedonia prima est Thessalia, deinde Magnesia, Phthiotis, Doris, Locris, Phocis.* Et paucis interiectis: *in Doride Pindus: in Locride Cynos & Calliaros: in Phocide Delphi & mons Parnassus.* Διττὴ [ἡ Λοκρὶς] ἐστὶ, διῃρημένη ὑπὸ τοῦ Παρνασσοῦ δίχα, *Duplex Locris est*, inquit Strabo IX p. 287, *diuisa bifariam a Parnasso.* Pars citerior est Λοκρῶν Ὀζολῶν, *Locrorum Ozolarum*, contenta inter Aetoliam & Phocidem: vlterior trans Parnassum est, & Thermopylas versus procurrit, pertinetque ad Euripum Euboeæ. Vide Strabonem dicto loco, & p. 292. Et hi rursus diuiduntur in *Opuntios*, qui ad mare colunt Euboicum; & *Epicnemidios*, vtpote ad montem *Cnemidem*, Κνημῖδα, accolentes. Ozolæ etiam dicuntur ἑσπέριοι Λοκροὶ, *occidentales Locri*, Strab. p. 287, quum ceteri vergant in orientem. *Epizephyrii* autem Locri sunt Straboni p 294 ἄποικοι, *coloni* Græcorum in Italiam deducti, a quibus *Locri*, vrbs Bruttiorum, nominantur; de quibus in Italia actum. Quidam posthabent diuisionem alteram, omnesque qui trans Parnassum sunt, adpellant Epicnemidios. Scholiastes Pindari in Olymp. od. XI γένη τῶν Λοκρῶν εἰσὶ τρία, Ἐπιζεφύριοι, Ὀζόλαι, Ἐπικνημίδιοι. τούτων οἱ μὲν Ἐπιζεφύριοί εἰσι Λοκροὶ ἐν Ἰταλίᾳ· οἱ δὲ Ὀζόλαι, πρὸς τῇ Αἰτωλίᾳ· οἱ δ' Ἐπικνημίδιοι πρὸς Εὐβοίᾳ. *Locrorum tria sunt genera, Epizephyrii, Ozolæ, Epicnemidii. Ex his Epizephyrii Locri sunt in Italia: Ozolæ ad Aetoliam: Epicnemidii iuxta Euboeam.* Nos tamen Strabonem sequuti Opuntios ab Epicnemidiis propriis separamus.

OZOLAE LOCRI, qui etiam *Zephyrii* adpellantur, a Naupacto incipiunt & ad Phocensium vsque fines, angusto ad mare spatio, & vix CC stadiorum, procurrunt. Ad mare est *Oeanthia.* Pausanias sub finem Phoc. ἐπὶ θαλάσσης δὲ Οἰάνθεια καὶ ταύτῃ ὁμοροῦσά ἐστι Ναύπακτος, *mari proxima Oeanthea est; cui finitima Naupactus.* Sic & Hellanicus apud Stephanum adpellat. Ipse Stephanus Οἰάνθη πόλις Λοκρῶν, *Oeanthe vrbs Locrorum.* Et Plinius IV cap. III *Oeanthe.* Ptolemæus autem Εὐανθία, *Euanthia:* ac Scylax, Εὔανθις, *Euanthis.* Addit Plinius *Portum Apollinis Phæstii*, ignotum fere aliis. *Proximi*, inquit, *Aetolis Locri*, *qui*

qui cognominantur Ozolæ, immunes. Oppidum Oeanthe, Portus Apollinis Phæstii, sinus Crissæus. In mediterraneis Ozolarum habet *Phæstum* oppidum, vnde portus cognominatur. *Intus*, inquit, *oppida: Argyna, Eupalia, Phæstum, Calamissus.*

Prope Oeanthen fuit *Oeneon*, Οἰνεών, vel mari adpositum oppidum, vel proxime ab illo reductum. Thucydides lib. III pag. 238 ὡρμᾶτο ἐξ Οἰνεῶνος τῆς Λοκρίδος, *profectus ex Oeneone Locridis:* & pag. 240 ἐπὶ τὴν θάλασσαν καὶ τὸν Οἰνεῶνα τῆς Λοκρίδος κατέφυγον, *ad mare & Oeneonem refugerunt:* & paucis interiectis: ἐχώρει τῷ στρατῷ ἐπὶ τὴν Ναύπακτον διὰ τῶν Λοκρῶν· καὶ πορευόμενος Οἰνεῶνα αἱρεῖ αὐτῶν, καὶ Εὐπόλιον, *aduersus Naupactum* [ex Delphis] *cum exercitu per Locros contendens, in itinere Oeneonem illorum capit & Eupolium.* Stephanus quoque Οἰνεών, Λοκρίδος λιμήν, *Oeneon, portus in Locride.* E quibus situs Oeneonis quodammodo cognosci potest, vt tamen incertum maneat, cis Oeanthen, an vltra illam hic portus vel oppidum, vel vtrumque.

Vlteriora litoris Plinius dat Phocidi: *Vltra Cirrhæi Phocidis campi, oppidum Cirrha, portus Chalæon, a quo* VII *millibus passuum introrsus liberum oppidum Delphi.* Et Ptolemæus Κύῤῥαν, *Cyrrham* in Phocide scribit: Χαλεῶς autem, *Chaleos*, quod *Chalæon* Plinii est, in Locride ipsi relinquitur: quod oppidum Stephanus, vt Plinius, scribit: vt Ptolemæus, in Locride censet. Χάλαιον, inquit, πόλις Λοκρῶν. Eadem dissensio in *Anticyra* siue *Anticyrrha*, quæ Ptolemæi dispositione longius in ortum, quam Cyrrha & Chalæon, recedit, & sic ab ipso vere videtur in Phocide constitui. At Strabo lib. IX pag. 299 in Oetæa regione dicit Ἀντίκιῤῥαν esse ὁμώνυμον τῇ ἐν Λοκροῖς τοῖς Ἑσπερίοις, *Anticirrham eiusdem nominis, cuius est illa in Locris occiduis.* Et Liuius lib. XXVI cap. XXVI *Sita Anticyra est in Locride læua parte sinum Corinthiacum intrantibus.* Adeo incerti ad maris oram sunt limites Locrorum atque Phocensium: quod vel ex temporum diuersitate est, vel ex permistione turbatorum finium.

Intus in hac Locride est primum *Eupalium*, prope Aetolorum fines, quod ex Liuii lib. XXVIII cap. VIII adparet. *Profectus*, inquit, *ad Erythras Aetolorum, quæ prope Eupalium sunt, exscensionem fecit.* Strabo lib. X pag. 310 ἐπίκτητον siue *adiectam* Aetoliam dicit pertinere ὡς ἐπὶ Ναύπακτόν τε καὶ Εὐπάλιον, *ad Naupactum*

pactum & Eupalium versus: quod vicinum Naupacto Eupalium esse non obscure arguit. In Locride autem fuisse, Stephanus adfirmat, Εὐπάλια πόλις Λοκρίδος, ἣν Εὐπάλιον Ἀρτεμίδωρός φησι, *Eupalia oppidum Locridis, quod Eupalium Artemidorus dixit.* Et Thucydides, qui Εὐπόλιον vocat, lib. III pag. 238 τὴν λείαν ἐς Εὐπόλιον τῆς Λοκρίδος ἀπέπεμψε, *prædam misit Eupolium Locridis.* Situs eodem libro indicatur pag. 241, vbi Eurylochus Delphis profectus aduersus Naupactum per Ozolas, dicitur in itinere *Eupalium* siue *Eupolium* expugnasse. Ergo a Naupacto in ortum recedit, & simul in septemtrionem non nihil inclinat.

Primaria Ozolarum vrbs *Amphissa* fuit. Pausanias Phoc. cap. XXXVIII Δελφῶν δὲ ἀπωτέρω σταδίοις εἴκοσι καὶ ἑκατόν ἐστιν Ἄμφισσα μεγίστη καὶ ὀνομαστοτάτη πόλις τῶν Λοκρῶν, *Delphis* CXX *stadiorum itinere Amphissa abest, Locrorum vrbs maxima & nobilissima.* Aeschines contra Ctesiphontem pag. 449 οἱ Λοκροὶ οἱ Ἀμφισσεῖς ἑξήκοντα στάδια ἄπωθεν οἰκοῦντες Δελφῶν, *Locri Amphissenses sexaginta stadiis absunt a Delphis.* en quantus dissensus! ille CXX habet stadia: hic LX. Sed Aeschines non de vrbe loquutus est, verum de Amphissensibus, qui a finibus suis Athenienses arcebant. Ex qua parte vero Delphorum, læuane an dextra, Amphissa sita fuerit, non est omnino apertum. Plinius IV cap. III in Phocide ponit, quo fit, vt in dextrum latus, quod ortum solis spectat, aut in boream remota ab vrbe Delphis fuerit, quia hi in extremo Phocidis, prope Locrorum fines fuere positi. Contra Ptolemæus, & Scylax, & Stephanus, & Harpocration in Locride Ozolarum censent, vt Delphos a dextra & orientem versus adspexerit Amphissa. Ptolemæus quoque ab occasu opposuit Delphis, quamquam nimis ab illis remouit, vt tamen in plaga consentiat; distantiam definiat Pausanias. Oppugnauerunt Romani, vt Liuius lib. XXXVII cap. V seq. tradidit: sed soluta tandem obsidio fuit, cap. VII. Plinio *Amphissa immunis* est lib. IV cap. III. Quam longe a mari fuerit, non satis liquet. In mediterraneis scripsit Ptolemæus, & Scylax quoque, qui in maritimis videtur numerare: sed commode interpretandus, ne ceteris omnibus contradicat. Pausanias dicto loco sub finem rerum Phocicarum describit, vt mari quidem adpropinquantem, non autem ἐπὶ θαλάσσης, *adpositam mari*, seu proximam.

Sunt & aliæ Ozolarum Locrorum mediterraneæ vrbes, vt Scylax & Pausanias dicto loco referunt: sed vix alia certo cognita quam Μυωνία, *Myonia*, sita, vt ibidem Pausanias designauit, ἄνω μὲν ὑπὲρ Ἀμφίσσης, πρὸς ἤπειρον, σταδίοις ἀπωτέρω τριάκοντα Ἀμφίσσης, *superiore loco supra Amphissam, triginta stadiis ab illa in mediterranea recedens.* Stephano est Μύων, πόλις Λοκρῶν ἐν ἠπείρῳ, *Myon, oppidum Locrorum in mediterraneis.* Oppidanos Thucydides lib. III pag. 241 Μυωνεῖς, *Myonenses* vocat, ὁμόρους, *finitimos* Amphissensibus. Quæ vltra sunt & Locridem in septemtrionem continuant, a Stephano Phocensibus adiudicantur, ad quorum descriptionem etiam reseruamus. *Alopes* sedes incerta, quam alii Ozolis adscribunt, alii Epicnemidiis, ipso Strabone rem in dubio relinquente. Stephanus sextam huius nominis περὶ Λοκρίδα, *circa Locridem posuit*: Plinius IV cap. VII inter Narycium & Scarphiam, atque ita supra Cnemidem.

EPICNEMIDII LOCRI Parnasso ab Ozolis separati, ab illo monte ad sinum vsque Maliacum habitabant. Nomen est, vt Strabo IX pag. 287 tradit, ἀπὸ ὄρους Κνημῖδος, *a monte Cnemide*, quem Eustathius in Periegetæ vers. 426 ex male intellecto Strabone putat κείμενον περὶ τὸ ὄρος τὴν Οἴτην, *iuxta Oetam situm esse*: sed quia Ptolemæus oppidum Κνημῖδες, *Cnemides*, quod haud dubie a monte, cui adiacet, ad sinum Maliacum locauit, montem etiam ibidem fuisse *Cnemidem* suspicamur, nisi iuga longa velis intelligere, quæ ab Oeta ad mare producantur.

Ad sinum illum, ab Opuntiorum limite, fuerunt *Cnemides*, Κνημῖδες, Ptolemæi oppidum, quamquam is male Opuntiis, quia in limite est, adiudicauit. Mela lib. II cap. III quamuis sine ordine, *Thermopylæ, Opoes, Scarphia, Cnemides, Alope.* Strabo lib. IX pag. 293 μετὰ Δαφνοῦντα Κνημῖδες χωρίον ἐρυμνὸν, *post Daphnuntem Cnemides sunt, natura munitus locus vel oppidum.* Singulari numero Scylax Θρόνιον, Κνημὶς, *Thronium, Cnemis*, qui vero male in Phocide vtrumque recenset.

In ora sequitur *Scarphia* siue *Scarphêa*, quæ Græce Σκαρφία Straboni lib. I pag. 41, eidemque Σκαρφη, *Scarphe* lib. IX pag. 293: pluribus, Ptolemæo, Stephano, Appiano in Syriac. Σκάρφεια, *Scarphêa*: Plinius *Scarphia.* Liuius lib. XXXI cap. III *Quintius ab Elatia profectus, præter Thronium & Scarpheam, ad Ther-*

Thermopylas peruenit. Et Stephanus: Σκάρφεια, πόλις Λοκρίδος, τῶν Θερμοπυλῶν ἐγγύς, *Scarphea oppidum Locridis prope Thermopylas.* Si Σκάρφη illa Strabonis hæc Σκάρφεια est (Casaubonus enim mauult Τάρφη legi) ςαδίοις ὑπερκειμένη τῆς θαλάσσης δέκα, *decem stadiis a mari abest,* ἐφ' ὕψους, *in sublimi loco* posita.

Propior Thermopylis *Nicæa.* Strabo dicto lib. IX p. 293 ἔπειτα Νίκαια καὶ αἱ Θερμοπύλαι, *deinde* [post Scarphen] *Nicæa est, & Thermopylæ.* Ad mare fuit. Polybius excerpt. lib. XVII cap. I συνεγγίσαντες κατὰ Νίκαιαν πρὸς τὴν θάλατταν, *adpropinquantes mari iuxta Nicæam:* de sinu autem Maliaco agit. Et Liuius lib. XXXII cap. XXXII *In sinu Maliaco prope Nicæam litus elegere.*

Inter Cnemides & Scarphiam amnis *Boagrius* effunditur, ad cuius ostium portus est: intus, XX stadiis a portu, præterfluit *Thronium,* præcipuam Epicnemidiorum vrbem. Strabo lib. IX pag. 293 distantiam a mari & adluuionem *Boagrii* notauit. Plinius lib. IV cap. VII *Thronium, iuxta quod Boagrius amnis defertur in mare.* Non procul a mari fuisse, etiam Liuius commonstrat lib. XXXVI cap. XX *Decem naues regiæ ad Thronium in sinu Maliaco stabant.* Pausanias Eliac. I cap. XXII Λοκροὶ ἐκ Θρονίου τῆς ἐπὶ Βοαγρίῳ ποταμῷ, *Locri ex Thronio, quæ* [vrbs] *ad Boagrium flumen sita est.* Homerus Catalogo vers. 40

Τάρφην τε, Θρόνιόν τε, Βοαγρίου ἀμφὶ ῥέεθρα,
Tarphamque Throniumque, circa Boagrii fluenta.

Diodorus Siculus lib. XII cap. XLIV de Cleopompo, Atheniensium duce: τὴν παραθαλάττιον τῆς Λοκρίδος ἐδήωσε, καὶ πόλιν Θρόνιον ἐξεπολιόρκησε, τοῖς δὲ ἀντιταξαμένοις τῶν Λοκρῶν συνάψας μάχην ἐνίκησε περὶ πόλιν Αλόπην, *maritimam Locrorum oram vastauit, & Thronium obsidione cepit, & Locros acie vicit circa Alopen.* Nam & *Alope* in illo tractu fuit, sed intus, quam etiam Thucydides lib. II pag. 118 in eadem Cleopompi historia, ac dictis locis Mela atque Plinius memorauerunt.

Fuit ibidem etiam *Naryx,* siue *Narycum,* seu *Narycium* Aiacis patria. Stephanus: Νάρυξ πόλις Λοκρίδος. τινὲς δὲ Νάρυκον τὴν πόλιν φασὶν, ἐξ ἧς Αἴας. *Naryx vrbs Locridis. Quidam vero Narycum vrbem vocant, ex qua erat Aiax.* Plinius IV cap. VII Oppida [Epicnemidiorum] *Narycion, Alope, Scarphia.* Ex his

Lo-

Locris erant qui in Italiam migrauerunt. Virgilius Aeneid. III verſ. 399

Heic & Narycii poſuerunt mœnia Locri,

quamuis Strabo ex Ozolis voluerit deductos. *Tarpha* Homeri, iam dicto verſu; etiam *Calliarus* eiusdem & Strabonis, incertæ poſitionis ſunt. Epicnemidiorum fuiſſe, & ordo & adſociatio oppidorum apud Homerum videntur adprobare:

Οἳ Κῦνόν τ' ἐνέμοντ' Ὀπόεντά τε, Καλλίαρόν τε,
Βῆσσάν τε, Σκάρφην τε, καὶ Αὐγειὰς ἐρατεινὰς,
Τάρφην τε, Θρόνιόν τε Βοαγρίου ἀμφὶ ῥέεθρα.

Qui Cynum habitabant, & Opuntem ac Calliarum, & Beſſam, ac Scarphen & amabiles Augeas: Tarphenque Throniumque, circa Boagrii fluenta. De Cyno & Opunte mox in Opuntiis; etiam de Beſſa & Augeis: *Calliarum* autem Epicnemidiis manet; etiam *Scarpha* & *Tarpha*, ſeparata oppida.

Supereſt *Daphnûs*, olim Phocenſium, poſtea Locrorum factus ditionis. Strabo vtrumque declarat. Lib. I pag. 41 a Phocide ita cognominat, ἕως τοῦ Φωκικοῦ Δαφνοῦντος, *vſque ad Daphnuntem Phocium.* Et lib. IX pag. 286 ἡ Φωκὶς ἐστι πρὸς ἄρκτον παραβεβλημένη τῇ Βοιωτίᾳ παραπλησίως ἀπὸ θαλάσσης εἰς θάλασσαν τό γε παλαιόν. ὁ γὰρ Δαφνοῦς οὐκ ἦν τότε τῆς Λοκρίδος, σχίζων ἐφ' ἑκάτερα τὴν Λοκρίδα, καὶ μέσος ταττόμενος τοῦ τε Ὀπουντίου κόλπου, καὶ τῆς τῶν Ἐπικνημιδίων παραλίας· νῦν δὲ Λοκρῶν ἐστιν ἡ χώρα· τὸ δὲ πόλισμα κατέσκαπται, ὥστε οὐκ ἐκεῖ καθήκειν οὐκέτι μέχρι τῆς πρὸς Εὐβοίᾳ θαλάττης ἡ Φωκίς. *Phocis ſeptemtriones verſus iuxta Bœotiam porrecta a mari ad mare antiquitus. Daphnûs enim tunc non erat Locridis, ſed eam vtrimque diuidebat, medius inter ſinum Opuntium & oram Epicnemidiorum. Nunc Locrorum ea eſt regio: vrbs ſolo æquata. Itaque non iam ad Euboicum mare pertingit Phocis.* Satis hinc de Daphnunte cognoſcitur.

Tandem fuit etiam proxime Thermopylas Ἀλπηνὸς πόλις πρώτη ἐοῦσα τῶν Λοκρίδων πρὸς Μηλιέων, vt Herodotus deſcribit lib. VII cap. CCXVI, id eſt, *vrbs Alpenus prima Locricarum aduerſus Malienſes:* quam cap. CLXXVII dixerat κώμην ἀγχοτάτω τῆς ὁδοῦ, Ἀλπηνοὺς οὔνομα, *vicum, prope viam* [anguſtam Thermopylarum] *Alpenos nomine.*

Ipſæ autem *Thermopylæ* anguſtus tranſitus inter mare & prærupto*s*

ruptos montes, filuis inperuiis horrendos, ex Theſſalia in Locridem ſunt & Bœotiam : ab Herodoto lib. VII cap. CLXXVI ita deſcriptæ : τῶν Θερμοπυλέων τὸ μὲν πρὸς ἑσπέρης, ὄρος ἄβατόν τε καὶ ἀπόκρημνον, ὑψηλὸν, ἀνατεῖνον ἐς τὴν Οἴτην. τὸ δὲ πρὸς τὴν ἠῶ τῆς ὁδοῦ, θάλασσα ὑποδέκεται καὶ τενάγεα. ἔστι δὲ ἐν τῷ ἐσόδῳ ταύτῃ θερμὰ λουτρά, *Thermopylarum quod ad occidentem vergit, mons eſt inacceſſus & prealti præcipitii, procurrens vſque ad Oetam : quod autem viæ in ortum vergit, id a maris excipitur illuuie.* Et Liuius lib. XXXVI cap. XV, *intra ſaltum Thermopylarum ſe recepit. Id iugum ſicut Apennini dorſo Italia diuiditur, ita mediam Græciam dirimit* [videlicet Oetæ & Pindo continuum.] - - - - *Hoc iugum ab Leucate & mari ad occidentem verſo per Aetoliam ad alterum mare orienti obiectum tendens, ea aſpreta rupeſque interiectas habet, vt non modo exercitus, ſed ne expediti quidem facile vllos ad tranſitum calles inueniant. Extremos ad orientem Oetam vocant, quorum quod altisſimum, Callodromum adpellatur : in cuius valle ad Maliacum ſinum vergente iter eſt non latius quam ſexaginta paſſus. Hæc vna militaris via eſt, qua traduci exercitus, ſi non prohibeantur, poſſint : ideo Pylæ, & ab aliis, quia calidæ aquæ in ipſis faucibus ſunt, Thermopylæ locus adpellatur.* Aliquibus locis via tam anguſta eſt, vt vnum modo vehiculum capiat, ideoque ἁμαξιτὸς μούνη dicta Herodoto prædicto cap. CLXXVI libri ſeptimi.

OPVNTII LOCRI ab Epicnemidiis in auſtrum vergunt ad Bœotos vſque, dicti ab vrbe *Opunte*, primaria illorum. Strabo lib. IX pag. 293 Ὀποῦς ἐστὶ μητρόπολις· ἀπέχει δὲ θαλάσσης περὶ πεντεκαίδεκα σταδίους, *Opûs eſt metropolis, diſtans a mari circiter ſtadia* XV. Liuius lib. XXXII cap. XXXII *quum Quintius in Phocide ac Locride hiberna diſpoſita haberet, Opunte orta ſeditio eſt.* Patria Patrocli fuit, quod præter Homerum, etiam ex illo Ouidii adparet lib. I Pont. epiſt. III verſ. 73

Cæde puer facta Patroclus Opunta reliquit.

Contracta hæc forma eſt vocabuli : plana Ὀπόεις, & Latine *Opoes.* Mela II cap. III Thermopylæ, *Opoes, Scarpha, Cnemides.* Homerus Catalogo verſ. 38

Οἵ Κῦνόν τ' ἐνέμοντ' Ὀπόεντά τε - - -

qui Cynum colebant & Opoentem. Et Pindarus Olymp. od. IX

Κλεινᾶς ἐξ Ὀπόεντος - -

clara ex Opoente. Hinc formatur Ὀπούντιος, *Opuntius ;* vt Plin. IV cap. VII in Epicnemidiis : *Oppida, Opûs : vnde & sinus Opuntius.* Et Thucydides lib. III pag. 233 ἐπὶ Λοκροῖς Ὀπουντίοις, *contra Opuntios.*

Sexaginta stadiis supra Opuntem, Thermopylas versus, est *Cynus*, Κῦνος, Plinio *Cynos* dicto loco, nauale Opuntiorum. Strabo, postquam dixerat Opuntem XV stadiis a mari abesse, addit: ἀπέχει τοῦ δ' ἐπινείου καὶ ἑξήκοντα. Κῦνος δ' ἐστὶ τὸ ἐπίνειον, *abest vero* [Opus] *a nauali sexaginta stadia. Cynos autem est nauale illud.* Mela dicto loco: *in Locride Cynos & Calliaros.* Liuius lib. XXVIII cap. VI *classem inde ad Cynum Locridis (emporium id est Opuntiorum vrbis, mille passuum a mari sita) traiecit.* Homeri testimonium paullo ante bis productum fuit. Hic terminus erat Opuntiorum, supra quem a quinquaginta stadiis sita erat *Cnemis* vel *Cnemides*, prima vrbs Epicnemidiorum : quam distantiam itidem Straboni acceptam referimus.

Bessam quoque Homeri huc referunt, cuius ex Catalogo versum 39 supra etiam proposuimus,

Βῆσσάν τε, Σκάρφην τε, καὶ Αὐγειὰς ἐρατεινάς.

quod Seneca Troade, quum chorum quærentem introduxit,

Quæ vocat sedes habitanda captas ?

videtur imitatus esse, enumerationi aliarum subiiciens versu 848 hæc oppida:

Bessan & Scarphen ? Pylon an senilem ?

Strabo πεδίον, *campum* dixit lib. IX pag. 293. Καλλίαρος, inquit, οὐκέτι οἰκεῖται· ἑξῆς δὲ Βῆσσά τι πεδίον, *Calliarus habitari desiit : deinceps Bessa est campus.* addit : δρυμώδης τόπος ἐστὶ, *siluester locus est.* Siue ergo campus, siue etiam oppidum quondam fuit, veram eius sedem æque ac *Augearum* Homeri, ignoramus. Tandem etiam *Larymna* quondam Opuntiorum fuit : postea vltro accessit ad Bœotos. Pausanias Bœot. cap. XXIII συνετέλει ἐς Ὀποῦντα ἡ Λάρυμνα τὸ ἀρχαῖον, *cum Opunte olim censebatur Larymna.* Crescente vero Thebanorum potentia, ἑκουσίως μετετάξαντο ἐς Βοιωτοὺς, *vltro ad Bœotos se adiunxerunt.* Vnde est quod ibidem dicitur : ἔστιν ἐπὶ θαλάσσης Βοιωτῶν πόλις Λάρυμνα, *est ad mare Bœotorum vrbs Larymna.* Plinius lib. IV cap. VII *Rursus Locrorum ora, in qua Larymna, Thronium.* atque ita etiam vnam tantum Larymnam agnouit.

agnouit. Quod vero Strabo non distinxit tempora Larymnæorum, in errorem incidit, vt duas crederet *Larymnas* esse, alteram Bœotorum, alteram Locrorum, lib. IX pag. 280.

PHOCIS.

Phocis inter Bœotos & Locros continetur, olim amplior, a sinu Corinthiaco ad mare vsque Euboicum patens, vt supra in Daphnunte Locrorum demonstratum est. Si Dionysio Periegetæ credimus, ad Thermopylas protensa quondam fuit. Versu enim 438 ait:

Ἑλκομένη βορέην δὲ, κατὰ στόμα Θερμοπυλάων,

ad boream vergens & os Thermopylarum, videlicet Φωκὶς ἄρουρα, *Phocidis regio*. Sed hac parte olim exciderant Phocenses, & ad angustiores limites redacti sunt.

Vrbes Phocensium Pausanias in Phoc. cap. III recitauit, sed quarum plurimæ bello Persarum in vicos demutatæ fuerunt, quædam funditus excisæ. A litore sinus Corinthiaci incipimus, vbi quidam limitem turbarunt Locris ad Anticyram productis: plures autem *Cirrham* constituunt primam vrbem Phocensium. Pausanias Phoc. cap. XXXVIII ἡ γῆ ἡ Λοκρῶν τῶν καλουμένων Ὀζολῶν προσεχὴς τῇ Φωκίδι ἐστὶ κατὰ τὴν Κίῤῥαν, *Ager Locrorum, qui sunt Ozolæ vocati, Phocidem contingit iuxta Cirrham.* Strabo lib. IX pag. 288 ὑποπέπτωκε τῇ Κίρφει πόλις ἀρχαία Κίῤῥα ἐπὶ τῇ θαλάττῃ ἱδρυμένη, *Subiacet Cirphi* [monti apud Delphos] *vrbs antiqua Cirrha, mari adposita.* Plinius lib. IV cap. III *Vltra* [Locros] *Cirrhæi Phocidis campi, oppidum Cirrha, portus Chalæon.* Fuit nauale Delphorum, quia egregium portum habuit. Pausanias ibidem cap. XXXVII ἐς δὲ Κίῤῥαν, τὸ ἐπίνειον Δελφῶν, ὁδὸς μὲν σταδίων ἑξήκοντά ἐστιν ἐκ Δελφῶν, *via sexaginta stadiorum ducit a Delphis Cirrham, quod est nauale Delphorum.* Strabo vero dicto loco ὀγδοήκοντα που σταδίων ἀνάβασιν, *octoginta stadiorum adscensionem* a Cirrha Delphos posuit.

Quem Plinius coniungit *Chalæon* portum, quia Ptolemæus & Stephanus Locris attribuunt, supra quoque in Locride exposuimus. Supra eum *Crissa* oppidum, distincta a *Cirrha*, secus ac in Etymologico est. Homerus quidem, si Pausaniæ dicto loco recta est obseruatio, *Crissam* quæ Cirrha est, adpellauit. Diuersa

autem oppida esse Ptolemæus, Plinius, Strabo confirmant. Hic certe lib. IX pag. 288 post Cirrhæ expositionem: ἐφεξῆς ἐστὶν ἄλλη πόλις Κρίσα, ἀφ' ἧς ὁ κόλπος Κρισαῖος, *deinde est alia vrbs Crissa, a qua sinus Crissæus adpellatur.* Is idem est multis qui vulgo *Corinthiacus* vocatur: sed proprie *Crissæus* est pars illius Corinthiaci, excursus maris ad Crissam, quia Strabo lib. VIII pag. 231 dicit, ab Rhio & Antirrhio διίσταται πάλιν ἡ παραλία μετρίως ἑκατέρωθεν· προϊοῦσα δ' εἰς Κρισαῖον κόλπον, ἐνταῦθα τελευτᾷ, *rursus litora inuicem mediocriter diducuntur, & vsque Crissæum sinum procedit litus, & ibi desinit.* At Corinthiacus sinus est totus a freto Antirrhi ad isthmum Achaicum. Plinius lib. IV cap. II *In ora promontorium Antirrhium, vbi ostium Corinthiaci sinus, minus mille passuum latitudine influentis.* Et Polybius lib. IV cap. LXV Oeniadarum vrbem, quæ in extrema ora Acarnaniæ & Aetoliæ sita est, dixit κεῖσθαι περὶ τὴν ἀρχὴν τοῦ Κορινθιακοῦ κόλπου, *iacere prope initium sinus Corinthiaci.* Ipsa vrbs *Crissa* perinde ac Cirrha, Strabonis æuo deleta erat. Lib. IX pag. 288 ἡ δὲ Κίρρα καὶ ἡ Κρίσα κατεσπάσθησαν.

Anticirrha siue *Anticyra*; vtroque modo scribitur: Strabo lib. IX pag. 288 MSS. & p. 299 Ἀντίκιρρα; at Pausanias Phoc. cap. XXVI, & Stephanus, Ἀντίκυρα, & Liuius *Anticyra.* Hic lib. XXXII cap. XVIII *Anticyra in Phocide in Corinthiacum versa sinum:* quamuis antea lib. XXVI cap. XXVI dixerat, *sitam Anticyram esse in Locride, læua parte sinum Corinthiacum intrantibus.* Vltra modum enim fines Locridis heic prorogauit: nisi forte *a Locride* est legendum. Neque enim putandum est, aliam in Locride, aliam in Phocide fuisse Anticyram. Fuit quidem alia, sed in Maliaca regione, ἐν Μαλιεῦσιν, vt Stephanus ex Apollodoro refert; siue vt Strabo dicto libro p. 288, κατὰ τὸν Μαλιακὸν κόλπον καὶ τὴν Οἴτην, *iuxta Maliacum sinum & montem Oetam:* & hæc secundum vtrumque, Stephanum & Strabonem, elleborum præstantissimum fert, quod Phocicæ tribuit Pausanias cap. XXVI. Hinc adagium quo Horatius etiam vsus est lib. II satyr. III vers. 166

Nauigat Anticyram, - - - -

de homine parum sanæ mentis. Et de Arte poet. vers. 300

Si tribus Anticyris caput insanabile. - - -

De Phocica etiam Plinius lib. IV cap. III *oppidum Crissa*, & cum Bu-

Bulensibus *Anticyra.* De Bulensibus autem in mediterranea Phocide agemus. Gentile Ἀντικυρεύς, Pausaniæ dicto loco.

Vicinus Anticyræ fuit *Medeon*, Μεδεών, cognomine *Phocicus*, quo a Bœotico, altero huius nominis discernitur. Strabo lib. IX pag. 289 Μεδεὼν ὁ μὲν Φωκικὸς ἐν τῷ Κρισαίῳ κόλπῳ, διέχων Βοιωτίας σαδίων ἑκατὸν ἑξήκοντα· ὁ δὲ Βοιωτικὸς ἀπ' ἐκείνου κέκληται, *Medeon Phocicus in Crissæo sinu est, distans a Bœotia Medeone stadiis* CLX. *Bœoticus autem ab illo nomen habet.* Nominis originem inuersam mauult Palmerius, quia Homerus Bœotici meminerit: non item Phocici Medeonis. Euersus fuit haud dubie sacro bello a Philippo rege. Pausanias Phoc. cap. XXXVI κεῖται ἡ πόλις [Ἀντίκυρα] κατὰ Μεδεῶνος τὰ ἐρείπια, *Sita Anticyra iuxta Medeonis ruinas.* Ipsa autem Anticyra non vna ab rege deleta fuit, vt vir clarissimus ex κεῖται Pausaniæ probari credit; sed Strabonis ætate συμμένει, *superabat*, euersis ceteris, lib. IX pag. 288.

Extremus portus Phocensium est *Mychus*, ὁ Μυχός, e regione Heliconis & Ascræ situs. Strabo lib. IX pag. 291 ὁ λιμὴν ὕστατος, ὁ προσαγορευθεὶς Μυχὸς ἀπὸ τοῦ συμβεβηκότος ὑπὸ τῷ Ἑλικῶνι καὶ τῇ Ἄσκρῃ κείμενος, *portus Phocensium extremus, de quo supra diximus, Mychus a situs casu adpellatur.* Casus ille est, quod μυχὸς intimum recessum sinus significat, vt antea quoque pag. 288 declarauerat, vbi hoc addidit, κατὰ τοῦτον τὸν λιμένα, *iuxta hunc portum*, Heliconem sinui Crissæo ἐπικεῖσθαι, *imminere.*

In mediterraneis Phocensium fuit vrbs clarissima *Delphi*, quæ alio nomine *Pytho*, vel *Pythia* vocata fuit. Pausanias Phoc. cap. VI χρόνῳ δὲ ὕστερον καὶ Πυθὼ τὴν πόλιν, οὐ Δελφοὺς μόνον ἐκάλεσαν οἱ περιοικοῦντες, *interiecto tempore vrbem ipsam non solum Delphos, sed etiam Pytho nominarunt finitimi.* Et Didymus, Homeri scholiastes, ad Catalogi vers. 26

Οἱ Κυπάρισσον ἔχον, Πυθῶνά τε πετρήεσσαν,

sic commentatus est: Πυθῶνα. Καὶ αὕτη πόλις Φωκίδος. τὸ πρότερον δὲ ἐκαλεῖτο Παρνασσία νάπη, ὡς ἀπὸ τοῦ παρακειμένου ὄρους· ἔπειτα Πυθών· ὕστερον δὲ Δελφοί, *Python vrbs Phocidis est, quæ prius Parnassia vallis vocata fuit, deinde Pytho, tandem Delphi.* Sæpe poetis *Pytho* vrbs eadem, quæ Apollinis oraculum habebat, id est, Delphi. Homerus Odyss. Θ vers. 79

Ὡς γάρ οἱ χρείων μυθήσατο Φοῖβος Ἀπόλλων
Πυθοῖ ἐν ἠγαθέῃ,

Vt ei vaticinans Phœbus Apollo in vrbe diuina Pythone prædixerat. Pindarus Olymp. od. II verſ. 71 ἐν Πυθῶνι χρησθέν, *Pythone* ſeu *Delphis oraculum editum.* Et Apollonius lib. I Argonaut. verſ. 308

Δῆλον ἀν' ἠγαθέην, ἠὲ Κλάρον, ἢ ὅγε Πυθώ,
Per Delum ſacram, vel Clarum, vel Pythonem,

in quibus Apollinis templa ſunt & oracula. Non ergo cum Ptolemæo conſentimus, qui Pythiam & Delphos, tamquam diuerſa oppida, ſeparauit: niſi forſitan pars, quæ templum habuit, Pytho vel Pythia vocata fuit, ſed ita numeris Ptolemæi, qui longius ſeiungunt, non conuenit. Sita vrbs ſub Parnaſſo ſeu in adſcenſu illius, a Cirrhæ portu LX ſecundum Pauſaniam; LXXX ſecundum Strabonem, vt ſupra in *Cirrha* monſtratum eſt. Clariſſima vrbs Apollinis fano & oraculo fuit. Fanum editiore loco ſeu ſupra vrbem poſitum fuit, ſiue, vt Strabo refert, κατὰ κορυφήν, *iuxta verticem*, lib. IX pag. 288. Originem oraculi Diodorus ſcripſit lib. XVI cap. XXVI; etiam loci indolem, χάσμα videlicet, *voraginem* in rupe Parnaſſi, cui tripus fuit impoſitus, quod adytum templi poſtea ſuperſtructi. Acceſſum a mari ad vrbem ex inſidiis regi Eumeni paratis intelligimus, apud Liuium lib. XLII cap. XV. Vmbilicum Græciæ, immo terrarum orbis eſſe olim creditum fuit. Idem Liuius lib. XXXVIII cap. XLVII oratione Manlii: *etiam Delphos, quondam commune humani generis oraculum, vmbilicum orbis terrarum Galli ſpoliauerunt.* Strabo de Delphico fano, libro dicto p. 289 τῆς Ἑλλάδος ἐν μέσῳ, πῶς ἐστὶ τῆς συμπάσης τῆς τε ἐντὸς ἰσθμοῦ καὶ τῆς ἐκτός· ἐνομίσθη δὲ καὶ τῆς οἰκουμένης, καὶ ἐκάλεσαν τῆς γῆς ὀμφαλόν· *In medio totius Græciæ, tam eius quæ intra iſthmum, quam quæ extra eſt, ſitum: immo creditum etiam, in medio terrarum orbis: ideo vmbilicum terræ vocant.* Quod an verum ſit, lib. I cap. IV diſputatum eſt.

Non longe a Delphis in eodem Parnaſſi iugo fuit *Cypariſſus*, oppidum vel pagus. Homerus Catalogo verſ. 26

Οἳ Κυπάρισσον ἔχον, Πυθῶνά τε πετρήεσσαν,
Qui Cypariſſum habitabant, & Pythonem petroſam.

Strabo ait, eſſe qui pagum Lycoreiæ interpretentur. Aliis oppidum eſt. Stephanus: Κυπάρισσος, πόλις ἐν Παρνασσῷ κατὰ τοὺς Δελφούς, *Cypariſſus oppidum in Parnaſſo iuxta Delphos.* Et Dicæarchus verſ. 80

Εὐ

Ἐν τῇ μεσογείᾳ δ᾽ ἐςὶ Κυπάρισσος πόλις.
In mediterraneo vrbs Cyparissus est.

Et Statius lib. VII Thebaidos verſ. 344, [colunt]

- - - - *qui Panopen, qui Daulida, qui Cypariſſon.*

In ſummo Parnaſſo *Lycorea* ſiue *Lycoria*, quam primum Delphi inhabitarunt, antequam degreſſi circa fanum Apollinis ædificarent & colerent. Nomen a lupis ducibus, quos ſequuti tutiorem locum inueniſſent. Pauſanias Phoc. cap. VI refert, Deucalionis cataclyſmo ſeruatos, *ἐς τοῦ Παρνασσοῦ τὰ ἄκρα*, *in Parnaſſi iuga*, vlulatum luporum ſequutos, refugiſſe: ideo *πόλιν ἣν ἔκτισαν, ἐκάλεσαν ἐπὶ τούτῳ Λυκώρειαν*, *vrbem quam illic condiderint, vocaſſe Lycoreiam*. Alii a conditore Lycoro nomen ducunt. Et Strabo lib. IX pag. 288 *ὑπέρκειται αὐτῆς ἡ Λυκώρεια, ἐφ᾽ οὗ τόπου πρότερον ἵδρυντο οἱ Δελφοὶ ὑπὲρ τοῦ ἱεροῦ· νῦν δ᾽ ἐπ᾽ αὐτῷ οἰκοῦσι περὶ τὴν κρήνην τὴν Κασταλίαν*, *Supra eam* [vrbem quæ ad fanum eſt] *ſita Lycorea, quo in loco antiquitus Delphi ſupra templum incolebant: nunc ad ipſum degunt templum circa fontem Caſtalium.*

Fons ergo *Caſtalius* ad radices Parnaſſi eſt prope templum Apollinis, ſeu iuxta Delphos. Pauſanias Phoc. cap. VIII *ἐκ δὲ τοῦ γυμνασίου τὴν ἐς τὸ ἱερὸν ἀνιόντι, ἔστιν ἐν δεξιᾷ τῆς ὁδοῦ τὸ ὕδωρ τῆς Κασταλίας, καὶ πιεῖν ἡδύ*, *a gymnaſio ſurſum ad fanum tendenti, ad viæ dexteram Caſtaliæ aqua ſuauis potu eſt.* Pindarus Pyth. od. I verſ. 74

Λύκιε, καὶ Δάλοι᾽ ἀνάσσων
Φοῖβε, Παρνασσοῦ τε κράναν
Κασταλίαν φιλέων,

O Lycie, & Delo imperans Phœbe, Parnaſſique fontem Caſtalium amans. Virgilius Georg. lib. III verſ. 291

Sed me Parnaſſi deſerta per ardua dulcis
Raptat amor: iuuat ire iugis, qua nulla priorum
Caſtaliam molli diuertitur orbita cliuo.

Muſis ſacer fuit fons Caſtalius, quæ inde *Caſtalides* dictæ. Martialis lib. IV epigram. XIV ad Silium Italicum:

Sili, Caſtalidum decus ſororum.

Ipſe quoque mons *Parnaſſus* Muſis & Apollini ſacratus erat, excelſus & biuertex. Lucanus lib. V verſ. 72

- - - *Parnaſſus gemino petit æthera colle,*
Mons Phœbo Bromioque ſacer.

Oui-

Ouidius Metamorphoſ. lib. I verſ. 316

Mons ibi verticibus petit arduus aſtra duobus
Nomine Parnaſſus, ſuperatque cacumine nubes.

Idcirco *Parnaſſon vtrumque* dixit. Statius lib. VII Thebaid. verſ. 345.

In altero montis latere oppidum fuit *Titborea*, Τιθορέα, Pauſanias Phoc. cap. XXXII Τιθορέα δὲ ἀπωτέρω Δελφῶν ὀγδοήκοντα, ὡς εἰκάσαι, σταδίοις ἐστὶν, ἰόντι διὰ τοῦ Παρνασσοῦ, *abeſt a Delphis Tithorea ſtadia plus minus octoginta, iter per Parnaſſum facienti*, id eſt per tramitem Parnaſſi difficilem, extra quem longius iter eſt.

Ad Parnaſſum eſt *Corycium nemus & antrum.* A Corycia nympha nomen ducit, Apollini amatam, vt Pauſanias Phoc. cap. VI refert, τὸ ἄντρον ὀνομασθῆναι Κωρύκιον ἀπὸ τῆς νύμφης, *antrum nominatum Corycium a nympha eſſe.* Ibidem cap. XXXII de eodem antro: Ἀπὸ δὲ τοῦ Κωρυκίου χαλεπὸν ἤδη καὶ ἀνδρὶ εὐζώνῳ πρὸς τὰ ἄκρα ἀφίκεσθαι τοῦ Παρνασσοῦ, *A Corycio* [antro] *vel expedito homini difficile eſt ad Parnaſſi iuga peruenire.* Adde Herodotum lib. VIII cap. XXXVI. Statius Thebaid. lib. VII verſ. 46

- - - - vel quia Parnaſſon vtrumque,
Aut Cirrham tauris, Anemoriamque ſupinant,*
Coryciumque nemus.

Ceterum incerto ſitu eſt quæ hoc verſu memoratur *Anemoria*, de qua Homerus etiam Catal. verſ. 28 ſcripſit:

Οἵ τ' Ἀνεμώρειαν καὶ Ὑάμπολιν ἀμφενέμοντο,
Qui Anemoriam & Hyampolim circumhabitabant.

Et Lycophron verſ. 1073

Πάτραν Λίλαιαν, κἀνεμωρείας πέδον.
Patriam Lilæam & Anemoriæ campum.

vbi ſcholiaſtes: πόλεις εἰσὶ Φωκίδος, *ſunt Phocidis oppida.*

Ab ortu adiacent Parnaſſo *Ambryſus* ſiue *Ambryſſus*, & *Daulis*, & *Panope*. Primæ ſitum Pauſanias Phoc. cap. XXXVI ita delineavit: ἡ δὲ Ἄμβρυσος κεῖται μὲν ὑπὸ τὸ ὄρος τὸν Παρνασσὸν, τὰ ἐπέκεινα δὲ οἱ Δελφοί, *Ambryſſus ſita eſt ſub monte Parnaſſo; vltra vero* [ex altera parte] *ſunt Delphi.* Et Polybius lib. IV cap. XXV Ἐγκαλούντων δὲ Φωκέων, διότι στρατεύσαντες ἐπ' Ἄμβρυσον καὶ Δαύλιον, ἐπιβάλοιντο καταλαβέσθαι τὰς πόλεις, *a Phocenſibus* [Aetoli] *accuſabantur, quod Ambryſum & Daulium vrbes occupare adgreſſi fuerint.* Et

Liuius

Liuius lib. XXXII cap. XVIII *Anticyra haud multum in oppugnando præbuit moræ. Ambryſus inde Hyampoliſque recepta.*

Quæ ſequitur *Daulis*, ſic ab Homero, Liuio, Pauſania, Stephano vocatur, vrbibus Phocidis adnumerata: Polybio, iam prolatis verbis, Δάυλιον, *Daulium*: Plinio autem *Daulis* regio eſt lib. IV cap. III. *Tritea*, inquit, *Ambryſus, Drymæa regio, Daulis adpellata*. At vrbem fuiſſe *Daulidem*, ſatis prodidit Homerus Catalogo verſ. 27

Κρίσαν τε ζαθέην, καὶ Δαυλίδα, καὶ Πανοπῆα.

Stephanus: Δαυλὶς, πόλις Φωκίδος, *Daulis, vrbs Phocidis*: Et Livius lib. XXXII cap. XVIII *Daulis quia in tumulo excelſo ſita eſt, nec ſcalis nec operibus capi poterat.* Pauſanias ſitum etiam quodammodo deſcribit in Phoc. cap. IV, abeſſe a Panopeo VII ſtadiis: & propinquam Parnaſſo, quia διὰ τῆς Δαυλίδος, *ex Daulide* in Parnaſſum adſcendatur longiore quidem via, quam quæ ex Delphis eſt, at minus difficili. Quid? quod diſerte ibidem πόλιν *oppidum* vocat: τὸ δὲ ὄνομα τῇ πόλει τεθῆναι λέγουσιν ἀπὸ Δαυλίδος νύμφης, *nomen oppido a nympha Daulide dicunt eſſe.* Regionem Thucydides lib. II pag. 119 videtur *Dauliam* adpellaſſe. ἐν Δαυλίᾳ τῆς Φωκίδος ᾤκει, *in Daulia Phocidis* [Tereus] *habitabat.* Sed poteſt etiam oppidi vocabulum eſſe, quod *Daulis, Daulia, Daulium* vocatum fuerit. An vero *Drymæa* ſit regio, vt Plinius ſcripſit, æque dubitatur. Pauſanias ſane Phoc. cap. III in oppidis numerauit: & cap. XXXIII ἐκ Τιθρωνίου εἴκοσιν ἐς Δρυμαίαν στάδιοι, *a Tithronio viginti ſtadia interſunt ad Drymæam.* Stephanus in Pauſania Δρυμία legit: Δρυμία πόλις Φωκίδος. Παυσανίας ι. *Drymia vrbs Phocidis. Pauſanias lib. X.* Herodotus lib. VIII cap. XXXIII Δρύμον dixit: ἔκαυσαν Δρύμον πόλιν, *vrbem Drymon incenderunt.* Ne credas vero eamdem eſſe Drymæam & Daulidem vrbem. Herodotus a Drymo Δαυλίων πόλιν, *Dauliorum vrbem* diſtinguit; etiam Pauſanias Daulidem & Drymæam; & Stephanus Daulidem & Drymiam ſeparatim tamquam diuerſas vrbes expoſuit.

Prope Daulidem, ſpatio VII ſtadiorum interiecto, fuit Πανοπεὺς, *Panopeus*, oppidum. Strabo lib. IX pag. 291 Πανοπεὺς, ὁ νῦν Φανοτεὺς, ὅμορος τοῖς περὶ Λεβάδειαν τόποις, *Panopeus, qui nunc Phanoteus eſt, fines locorum, qui circa Lebadiam ſunt, attingit.* Sæpe laudatur Homero. Catalogo verſ. 27

- - - καὶ Δαυλίδα καὶ Πανοπῆα.

Et Iliad. P. verſ. 307 ἐν κλυτῷ Πανοπῆϊ, *in celebri Panopeo*. Et Odyſſeæ Λ verſ. 580

Πυθῶδ' ἐρχομένην διὰ Καλλιχόρου Πανοπῆος,

Ad Pytho euntem per choris decorum Panopeum.

Herodotus etiam ad ſitum eius cognoſcendum lib. VIII cap. XXXIV adfert, Perſas, vrbem Parapotamios prætergreſſos, veniſſe ἐς Πανοπέας, *ad Panopeos*. Ibi, diuiſis copiis, partem per Bœotos aduerſus Athenas iiſſe: ceteros, τὸν Παρνησσὸν ἐν δεξιῇ ἀπέργοντες, *Parnaſſum a dextra præſtringentes*, ad templum Delphicum contendiſſe. Dicitur etiam vrbs Πανόπη, *Panope*. Stephanus & Heſychius: Πανόπη, πόλις Φωκίδος, *Panope vrbs Phocidis*. Ouidius Metamorph. lib III verſ. 19

Iam vada Cephiſi, Panopesque euaſerat arua.

Et Papinius lib. VII Thebaid. verſ. 344

- - - *qui Panopen, qui Daulida, qui Cypariſſon.*

Quod vero ad alterum ſeu recentius nomen *Phanoteus*, cuius Strabo meminerat, attinet, illud etiam Liuio Sigonius ex vet. cod. reſtituit, lib. XXXII cap. XVIII *Phocidis primo impetu Phanoteam ſine certamine cepit*. Stephanus: Φανοτεὺς πόλις Φωκίδος. Θουκυδίδης δ'. Λέγεται καὶ Φανότη, καὶ Φανότεια. *Phanoteus oppidum Phocidis. Thucydides lib. IV. Dicitur etiam Phanote, & Phanotea.*

Supra Drymæam XX ſtadiis ſedet *Tithronium*, de quo ſupra in Daulide ex Pauſania; quod Herodoto lib. VIII cap. XXXIII eſt Τεθρώνιον, *Tethronium*: Plinio IV cap. III *Tithrone*: inde XV ſtadiis abeſt *Amphiclea*, a qua ad Lilæam ſtadia LX, ex eodem Pauſania cap. XXXIII. Αμφίκλεια, *Amphiclea*, etiam dicta fuit Ὀφίτεια, *Ophitea*, ibidem. Fuit etiam, quum Αμφικαία, *Amphicæa* diceretur, quod nomen Herodoti eſt lib. VIII cap. XXXIII. id quod genuinum vocabulum videtur Palmerio eſſe.

Lilæa ad fontes Cephiſſi eſt. Strabo lib. IX pag. 286 ὁ Κηφισσὸς ἐκ Λιλαίας Φωκικῆς πόλεως τὴν ἀρχὴν λαμβάνει, *Cephiſſus ab Lilæa, Phocica vrbe, originem habet*. quod ex Homeri verſu Catal. 30 probat

Οἵ τε Λίλαιαν ἔχον πηγῆς ἔπι Κηφισσοῖο,

Quique Lilæam tenebant ſuper fontes Cephiſſi.

Et

Et Statius lib. VII Thebaid. verſ. 348

- - - - - *propellentemque Lilæam*
Cephiſſi glaciale caput.

Hic amnis, qui & *Cephiſus* ſcribitur, Pindum defert in λίμνην Κωπαΐδα, in *lacum Copaidem.* Vrbes quæ ad ipſum aut prope ſunt, recitat Herodotus lib. VIII cap. XXXIII, ſuntque nominatim *Drymos*, *Charadra*, *Tethronium*, *Amphicæa*, Νεῶν, *Neon*; Τεϑτέαι, *Triteæ*; *Hyampolis*, *Parapotamii*, & *Abæ*; quarum pars ſupra ſunt expoſitæ. Ex reliquis *Charadra*, ſecundum Pauſaniam Phoc. cap. XXXIII abeſt εἴκοσι ςαδίοις, *viginti ſtadiis* ab Lilæa, ὑπὲρ ὑψηλῦ κειμένη κρημνῦ, *poſita in excelſo & prærupto loco*, quem flumen *Charadrum* præterfluit, breui poſt ſpatio in Cephiſſum influens. *Neon*, Parnaſſum verſus, aut, vt Pauſanias cap. XXXII ex Herodoto putat conſtare, in ipſo iugo Parnaſſi fuit, ὄνομα μὲν Νεῶνα τῇ πόλει, Τιθορέαν δὲ εἶναι τῦ Παρνασσῦ τὴν ἄκραν, *nomen vrbis Neonem eſſe, at Parnaſſi iuga Tithoream vocari.* Memorat etiam Strabo lib. IX, & Demoſthenes pro Cteſiphonte. *Tritea* eiusdem ſunt Herodoti dicto cap. XXXIII; *Tritea* Plinii lib. IV cap. III; Τϱιταια, *Tritæa* Thucydidis lib. III pag. 241; Stephani Τρίτεια, *Triteia*, μεταξὺ Φωκίδος καὶ Λοκρῶν τῶν Ὀζολῶν, *inter Phocidem & Locros Ozolas* poſita: ob quam ſitus rationem a Thucydide cum Locrorum oppidis numeratur.

Hyampolis in anguſtiis ſita, quibus aditur e Theſſalia & ex Locride Epicnemidiorum Phocis. Herodotus VIII cap. XXVIII ἐν τῇ ἐσβολῇ, ἥ ἐςι κατὰ Ὑάμπολιν, *in ingreſſu, qui eſt iuxta Hyampolim.* Statius Theb. VII verſ. 345

- - - - - *& Hyampolin acri*
Subnixam ſcopulo.

Liuius lib. XXXII cap. XVIII *Ambryſus Hyampolisque receptæ.* Pauſanias Phoc. cap. XXXV Ἐς Ἄβας δὲ ἀφικέσθαι καὶ ἐς Ὑάμπολιν, ἔςι μὲν καὶ ἐξ Ἐλατείας ὀρεινὴν ὁδὸν ἐν δεξιᾷ τῦ Ἐλατέων ἄςεως, *Abas & Hyampolim ducit montana via, quæ eſt ab Elateenſium oppido a dextera.*

Parapotamii ad fluuium Cephiſſum fuerunt, vt nomen prodit: Strabo lib. IX pag. 292 ἐπὶ τῷ Κηφισσῷ, *ſuper flumen Cephiſſum.* Et pag. 281 διὰ Παραποταμίων, *per Parapotamios* Cephiſſum dicit fluere. Adde ſupra Herodotum. *Abæ*, nobiles Apolli-

nis oraculo, cuius ἱερὸν πλούσιον, *locuples delubrum* habebant: nec suo tempore desiisse, Herodotus dicto loco tradit: antiquius ipso Delphico fuisse, Stephanus in hoc oppido obseruauit. Lycophron vers. 1074

- - - Ἀμφισσάν τε καὶ κλεινὰς Ἄβας,
Amphissam & celebres Abas.

Maxima autem in Phocensibus vrbs, & itidem Cephisso adposita, fuit *Elatia*, siue *Elatea*, Ελάτεια. Strabo lib. IX pag. 281 de illo fluuio: δι' Ελατείας ῥυεὶς, μεγίστης τῶν ἐν Φωκεῦσι πόλεων, *per Elateam fluit, maximam Phocicarum vrbium.* Et Pausanias Phoc. cap. XXXIV Ελάτεια τῶν ἐν Φωκεῦσι μεγίστη πόλεών ἐστι τῶν ἄλλων μετά γε τοὺς Δελφοὺς, *Elatea omnium, quæ in Phocide sunt, vrbium, exceptis Delphis, multo est maxima.* Idem paullo ante de eadem vrbe: κεῖται κατὰ Αμφίκλειαν, *sita est contra Amphicleam.* Liuius lib. XXVIII cap. VII *Philippus vno die* [ab Scotussa Thessaliæ] *Phocidis Elatiam millia amplius sexaginta contendit.* Et lib. XXXII cap. XVIII *Elatia clausit portas: nec nisi vi cogerentur, recepturi mœnibus videbantur aut ducem aut exercitum Romanum. Elatiam obsidenti consuli rei maioris spes adfulsit, Achaeorum gentem ab societate regia ad Romanam amicitiam auertendi.*

Plinii *Bulenses*, quos cum Crissa coniunxit, supra vidimus: oppidum Βοῦλις, *Bulis*, in finibus Bœotiæ: Ptolemæo in mediterraneis Βούλεια, *Bulia.* Pausanias Phoc. cap. XXXVII ἐς τὴν Βοῦλιν, ἐκ μὲν τῆς Βοιωτίας Θίσβης, σταδίων ἐστὶν ὁδὸς ὀγδοήκοντα, *ex Thisbe Bœotiæ ad Bulin fert via* LXXX *stadiorum.* Obliquus casus est Βούλιδος, *Bulidis.* Pausanias ibidem: δύσβατα ὄρη καὶ τραχέα τὰ μεταξὺ Αντικύρας τέ ἐστι καὶ Βούλιδος, *asperi montes sunt inter Anticyram & Bulidem.* Inde oppidani Βουλίδιοι, *Bulidii*, ibidem.

Stiris, Στίρις, oppidum LX circiter stadia ab Amphrysso, CXX a Chæronea, vt Pausanias Phoc. cap. XXXVI auctor est. Dicitur ἐν Στίριδι, & ἐκ Στίρεως, & ἐς πόλιν Στίριν, variante obliquo. Ibi Cereris fanum fuit, cognominatæ Δήμητρος τῆς Στιριτίδος, *Cereris Stiritidis.*

Addunt quidam oppidum, *Phocicum* nomine, quod ex Pausaniæ Phocicis cap. III probatum eunt. Θρακίς τε, inquit, καὶ Φωκική, καὶ Μεδεών, καὶ Φωκικός. Vt vero recte Sylburgius Θρακὶς ἡ Φωκικὴ emendat; cur non etiam scribemus Μεδεὼν ὁ Φωκικὸς, *Me-*

deon

deon Phocicus, vt a Bœotico distinguatur. Stephanus sane, Μεδεών, Βοιωτικὴ πόλις, καὶ Φωκικὴ ἑτέρα, *Medeon vrbs Bœotica, & alia Phocica.* Et clarius Strabo lib. IX pag. 283 Μεδεὼν δ' ὁ μὲν Φωκικὸς ἐν τῷ Κρισσαίῳ κόλπῳ, διέχων Βοιωτίας σταδίους ἑκατὸν ἑξήκοντα· ὁ δὲ Βοιωτικὸς ἀπ' ἐκείνου κέκληται, *Medeon Phocicus in Crissæo sinu est: a Bœotia distans stadia* CLX: *Bœoticus autem Medeon ab illo nomen trahit.* Sed vrget Sylburgius, post paullo [cap. V] Βοιωτικοῦ, vt singularis loci fieri mentionem. Ego vero hoc non moueor, quia οἰκοδόμημα ibi vocatur, *ædificium*, non oppidum; item μέγα οἴκημα, *magna domus*, in qua concilium erat Phocicarum vrbium, sita ad læuam viæ, quæ a Daulide Delphos ferebat. Φωκικὸν autem dicebatur, subaudi συνέδριον, aut simile.

Quæ de Plinii *Daphnunte Phocico* heic dicenda essent, diximus in Locride, cuius postea fuit, quum olim fuisset Phocidis ad Euripum vsque patentis. Vide Strabonem pag. 286. *Thracis* autem, Θρακὶς Pausaniæ, supra memorata, est Strabonis Τραχὶν, *Trachin* prope Lebadiam, p. 292. Inde a Pausania Φωκικὴ discriminis caussa cognominatur, quia & aliud oppidum *Trachin* in Græcia est ad *Oetam*, supra explicatum. *Erochus*, Ἔρωχος, & *Echedamia* Pausaniæ: & *Phlygonium* eiusdem, siue Plinii *Phlygone*, in obscurioribus vtique censenda, præterimus: nec Stephanus plus de *Phlygonio* habet, quam oppidum esse Phocidis.

B OE O T I A.

Bœotia inter Atticam, Locridem, Phocidemque sita, ab Ephoro apud Strabonem lib. IX pag. 276 μόνη τριθάλαττος, *sola trimaris* dicta, quia per Euripi extrema tam in superum mare, quod Macedoniam inter & Ioniam est, & in Propontidem; quam in mediterraneum ad Aegyptum vsque nauigatio Bœotis pateat: per Crissæum autem siue Corinthiacum sinum, vsque in Italiam. Ad singulas nauigationes portus habet satis idoneos. Primum maritimam oram ab Attica ad Locros perlustrabimus: deinde progrediemur in loca mediterranea.

Prima vrbium est *Oropus*, Ὠρωπὸς, in Atticæ confinio, mari vicina, a quo duobus millibus distare, Sponius, qui rudera vidit, Itinerario refert. Strabo in Bœotia lib. IX pag. 277 ἀρχὴ δ' ὁ Ὠρωπὸς, *principium* [Bœotiæ ab Attica] *est Oropus.* Stephanus

quoque Bœotiæ vrbem dixit. De agro contendit cum Atheniensibus, quem tandem Philippus rex his adiudicauit, quod Pausanias refert Attic. cap. XXXIV, qui dicit *ἐπὶ θαλάσσης, super mare* sitam, nihil habere memorabile. Nec agrum modo, sed vrbem ipsam sibi Athenienses vindicarunt. Liuius lib. XLV cap. XXVII *Inde Oropum Atticæ ventum est.* Et Ptolemæus in Attica recensuit. Duodecim stadiis abest *ἱερὸν τοῦ Ἀμφιαράου, fanum Amphiarai*, eo loco, quo ipse cum curru terra haustus credebatur: quem primi consecrarunt Oropii, quod ibidem narrauit Pausanias. Sunt qui idem accidisse dicant inter Thebas & Chalcidem, quod ibi locus *Ἅρμα, Harma*, id est *currus*, quia cum curru traditur mersus hiatu terræ. Quod etiam Straboni expositum est lib. IX pag. 278. In intimo sinu, XX stadiis ab Oropo, est *Delphinium*, portus, Straboni dicto loco *ἱερὸς λιμὴν, ὃν καλοῦσι Δελφίνιον, Sacer portus quem Delphinium vocant*, cuius e regione fuit antiqua Eboææ Eretria.

Post Oropum *Asopi* fluuii ostia, quæ Ptolemæus in Atticam deduxit, citra Oropum: sed refutatur a Strabone lib. IX pag. 282, qui *παρὰ Τάναγραν, iuxta Tanagram*, quæ supra Oropum est, exire *Asopon* tradidit. Accolas vocat *Παρασωπίους, Parasopios.* Ouidius lib. III Amor. eleg. VI

Quid referam Asopon, quem cepit Martia Thebe?

Fluit enim cum Ismeno per agrum Thebanum. Strabo ibidem: *ὁ Ἀσωπὸς καὶ ὁ Ἰσμηνὸς διὰ τοῦ πεδίου ῥέουσι τοῦ πρὸ τῶν Θηβῶν, Asopus & Ismenus per planiciem feruntur, quæ ante Thebas est.* Apollini sacer fuit, isque inde *ὁ θεὸς Ἰσμήνιος, Deus Ismenius* dictus est Pausaniæ Bœot. cap. X. Ouidius lib. II Metamorph. vers. 244

Et celer Ismenos cum Phocaico Erymantho.

Hinc Thebanæ mulieres *Ismenides* dictæ. Idem Metam. III extr.

- - - *sanctasque colunt Ismenides aras.*

Ptolemæus ei separata ostia tribuit, quia Asopon alieno loco posuit: aliis defertur ab Asopo, quod verisimile ex eo, quia vterque prope Thebas fluunt.

Aulis Chalcidi opposita ad Euripum, vbi id fretum angustissimum est & aliquando aggere iunctum. Diodorus Siculus lib. XIII cap. XLVII *τῆς μὲν Εὐβοίας κατεσκευάσθη τὸ χῶμα κατὰ τὴν Χαλκίδα, τῆς δὲ Βοιωτίας πλησίον Αὐλίδος. ἐνταῦθα γὰρ ὁ μεταξὺ*

τόπος

τόπος ἦν ςενότατος. *In Eubœa Chalcis, in Bœotia Aulis ducendi aggeris initium fuit. nam hic interstitium loci angustissimum erat.* Strabo lib. IX pag. 278 Αὐλὶς πετρῶδες χωρίον καὶ κώμη Ταναγραίων, *Aulis saxosus locus, & pagus Tanagræorum.* Liuius lib. XXXV cap. XXXVII *quum pedestres copias adpropinquare iam Aulidi & Euripo sensisset.* Idem lib. XLV cap. XXVII *A Chalcide Aulidem traiicit, trium millium spatio distantem, portum inclutum statione quondam mille nauium Agamemnoniæ classis.* Et Plinius lib. IV cap. VII *In ipsis faucibus Euripi quem facit obiectu insulæ Eubœæ, Aulis capaci nobilis portu.* De classe Græcorum Troiano bello Virgilius Aen. IV vers. 425

Non ego cum Danais Troianam exscindere gentem
Aulide iuraui, classemque ad Pergama misi.

Triginta stadiis inde est *Delium*, Apollinis templum ad formam eius, quod in Delo insula est, ædificatum. Strabo lib. IX p. 278 εἶτα Δήλιον τὸ ἱερὸν τοῦ Ἀπόλλωνος ἐκ Δήλου ἀφιδρυμένον, Ταναγραίων πολίχνιον, Αὐλίδος διέχον σταδίους τριάκοντα. Oppidulum ergo præter templum fuit, quod Ptolemæus in mediterraneis posuit: sed haud procul a mari fuisse ostendit Liuius lib. XXXV cap. vlt. *Omisso*, inquit, *ad Aulidem itinere, Delium conuertit, vt inde in Eubœam transmissurus. Templum est Apollinis Delium,* imminens mari, quinque millia passuum Tanagra abest.

Modico spatio ab hoc abest *Salganeus*, Σαλγανεύς, de quo ita Stephanus: μετὰ τὴν Χαλκίδα ἐστὶ ὁ Σαλγανεύς, συνάπτων τῷ Εὐρίπῳ. ἔστι δὲ πόλις Βοιωτίας, *Post Chalcidem est Salganeus, adhærens Euripo. Est vero vrbs Bœotiæ.* Strabo lib. IX pag. 278 πλησίον ἐστὶν ἐφ' ὕψους κείμενον χωρίον Σαλγανεύς, *prope* [Euripum] *est in edito loco Salganeus oppidum.* Et Liuius lib. XXXV cap. XXXVII *ab Athenis Thebas primum: hinc Salganea processit.* Et cap. XXXVIII *His tuenda mœnia Chalcidis oppidani quum tradidissent, ipsi omnibus copiis transgressi Euripum, ad Salganea posuerunt castra.* Et extremo illo libro: *Achæorum & Eumenis milites Salganea tenebant.* Dubium, plurali nominauerit Liuius, an singulari, Græco casu, vt solent in *eus* siue *εὺς* cadentia vocabula.

Vltima Bœotorum vrbs in Euripi litore est *Anthedon*, Ἀνθηδών, portu prædita. Strabo lib. IX p. 279 μετὰ δὲ Σαλγανέα Ἀνθη-

Ἀνθηδὼν πόλις λιμένα ἔχουσα, ἐσχάτη τῆς Βοιωτικῆς παραλίας τῆς πρὸς Εὔβοιαν· καθάπερ καὶ ὁ ποιητὴς εἴρηκεν,

- - - - Ἀνθηδόνα δ᾽ ἐσχατόωσαν.

Post Salganeum Anthedon vrbs est portum habens, vltima in Bœotico, quod Eubœæ oppositum est, litore. ideo Homerus dixit extremam Anthedonem, Catalogi versu 15. Meminit etiam Homerus in litoralibus Bœotiæ. Et Dicæarchus vers. 91

- - - εἶτ᾽ Εὔριπος. Ἀνθηδὼν δ᾽ ἔχει
Ἀνθηδόνιον τὸν λιμένα.

Dein Euripus, Anthedon autem habet Anthedonium portum. Scylax in Bœotia: Εὔριπος, τεῖχος Ἀνθηδὼν, *Euripus oppidum muro cinctum Anthedon.*

Ipse *Euripus* fretum est inter Aulim & Chalcidem, seu fauces illæ angustæ, quæ continuo motu seu reciproco, ab vtroque mari impulsæ, dicuntur agitari. Supra diximus, quondam aggerem impositum, vt Eubœa Bœotiæ cohæreret: vt tamen media pars ponte iungeretur ad naues transmittendas; non numquam longiorem: vnde pontem Strabo dicto loco dixit γέφυραν δίπλεθρον, *duorum iugerum.* Pomponius Mela lib. II cap. VII *Euripon vocant rapidum mare, & alterno cursu septies die ac septies nocte fluctibus inuicem versis, adeo immodice fluens, vt ventos etiam ac plena ventis nauigia frustretur.* Strabo IX pag. 278 παλίρροιαν τοῦ Εὐρίπου, *reciprocum fluxum Euripi* vocat, quem ἑπτάκις μεταβάλλειν φασὶ καθ᾽ ἡμέραν ἑκάστην καὶ νύκτα, *septies quouis die ac nocte cursum mutare dicunt.* De numero & ordinata reciprocatione dubitat Liuius lib. XXVIII cap. VI *Fretum ipsum*, inquit, *Euripi non septies die, sicut fama fert, temporibus statis reciprocat: sed temere in modum venti nunc huc nunc illuc verso mari, velut monte præcipiti deuolutus torrens rapitur.* Claudianus in Rufin. lib. I vers. 92

- - - *Euripi refluis incertius vndis.*

Lucanus lib. V vers 234

Arctatus rapido feruet qua gurgite pontus,
Euripusque trahit, cursum mutantibus vndis
Chalcidicas puppes ad iniquam classibus Aulim.

Plinius lib. IV cap. VII plura addit oræ maritimæ, ex Homero maxime, sed oram late capit, vt reductiora etiam a mari contineat: & in iis pagi quoque sunt, vt de Heleone & Peteone

Strabo

Strabo obseruauit. Verba Plinii hæc sunt: *In ora autem Infra Thebas, Ocalee, Hleon, Scolos, Schœnus, Peteon, Hyrie, Mycatessus, Hilesion, Pteleon, Olyros.* De primo loco *Infra Thebas* notamus, oppidum Homeri esse Catalogo vers. 12 *Hypothebas*,

οἱ θ' Ὑποθήβας εἶχον ἐϋκτίμενον πτολίεθρον.

quas Hypothebas Thebano septem regum bello euersas Homeri scholiastes tradit. *Mycalessus* Straboni pagus circa Tanagram est lib. IX pag. 278, in via, quæ Thebis fert Chalcidem. Stephano autem est πόλις μεσογεία Βοιωτίας, *vrbs Bœotiæ mediterranea.* Straboni *Schœnos* p. 281 inter Thebas & Anthedonem, L stadiis a Thebis. Cetera minus clara, saltem minus certæ positionis. Ad nobiliora ergo & certo mediterranea nos conferemus.

Ex his prima post litus est *Tanagra*, Τάναγρα, quam Dicæarchus in vrbibus ad Euripum positis enarrauit: sed Ptolemæus & Strabo reducunt paullo a mari, quamuis agrum eius ad mare pertinuisse non negemus. Minora enim oppidula & pagos multos Tanagræi, quod Strabo significauit, possederunt. Sic Pausanias Bœot. cap. XX ἐς τὴν Ταναγραίας ἐπὶ θαλάσσῃ καλούμενον Δήλιον, *in Tanagræorum finibus ad mare est Delium.* Liuius lib. XXXV cap. vlt. *Delium est Apollinis templum, imminens mari: quinque millia passuum a Tanagra abest.* Victi ad hoc oppidum Athenienses a Lacedæmoniis. Thucydides lib. I pag. 71 γενομένης μάχης ἐν Τανάγρᾳ τῆς Βοιωτίας, ἐνίκων Λακεδαιμόνιοι καὶ οἱ σύμμαχοι. Gentile Ταναγραῖος, *Tanagræus*, Straboni & Stephano. Ceterum vterque horum obseruarunt, Γραῖαν Homeri esse hanc Tanagram, Catalogi versu quinto:

Θέσπειαν, Γραῖάν τε, καὶ εὐρύχορον Μυκαλησσόν.

Deinde sunt *Thebæ*, ad Ismenum fluuium vrbs clarissima: poetis aliquando singulari numero Θήβη, & Latine *Thebe.* Plinius lib. IV cap. VII *nec cedentes Athenis claritate, quæ cognominantur Bœotiæ Thebæ, duorum numinum, Liberi atque Herculis, vt volunt, patria.* A Cadmo fertur condita: vnde arx adiacens *Cadmea*, Καδμείας, nomen seruauit, tamquam initium Thebarum. Illustrauit Epaminondas, quo duce maxime floruerunt. Solo æquauit Alexander rex: instaurauit deinde Cassander. Vide Diodori lib. XIX cap. LIII & LIV. Septem portas traduntur habuisse, ideo Græcis cognominatæ ἑπτάπυλος. Hesiodus Oper. vers. 161

- - ἐφ' ἑπταπύλῳ Θήβῃ, Καδμηΐδι γαίῃ.

Vnde ad paucitatis descriptionem, adagii modo, adhibuit Iuuenalis satyra XIII vers. 26

Rari quippe boni: numerus vix est totidem, quot
Thebarum portæ, vel diuitis ostia Nili.

Gentile notum est Græce Θηβαῖος, Latine *Thebanus*. De *Cadmea*, Καδμεία, arce modo diximus, quæ antiqua vrbs erat seu origo Thebarum. Nepos Pelopid. cap. I *Phœbidas Lacedæmonius quum iter per Thebas faceret, arcem oppidi, quæ Cadmea nominatur, occupauit.* Pausanias Bœot. cap. V Κάδμος τὴν πόλιν, τὴν καλουμένην ἔτι καὶ ἐς ἡμᾶς Καδμείαν, ᾤκισεν· αὐξηθείσης δὲ ὕστερον τῆς πόλεως, οὕτω τὴν Καδμείαν ἀκρόπολιν συνέβη τῶν κάτω γενέσθαι Θηβῶν. *Cadmus oppidum, cui & nunc idem est nomen, Cadmeam condidit. Sed aucta postea vrbe, pro arce Cadmea inferioribus Thebis fuit.*

A Thebis in austrum *Plateæ* sunt, nobiles Mardonii clade & Pausaniæ Lacedæmonii aliorumque Græcorum victoria. Sic scribitur in emendatis libris Corn. Nepotis: aliis, Plinii, Iustini, *Platææ*, sicut Græci plerique Diodorus, Strabo, Plutarchus, Ptolemæus Πλαταιαί; Thucydides autem lib. II pag. 100 singulari numero Πλάταια, *Platæa*. ἠβούλοντο, inquit, τὴν Πλάταιαν προκαταλαβεῖν, *voluerunt Platæam intercipere:* Herodotus vtroque modo, lib. VIII cap. L ἐνέπρησε Θέσπιάν τε καὶ Πλάταιαν, *incendit* [Xerxes] *Thespiam & Platæam*: at lib. IX cap. LXXV ἐν Πλαταιῆσι, *ad Plateas*. Nusquam oppidi mentio frequentior exstat quam bello Persico. Nepos Pausania cap. I *Huius illustrissimum est prælium apud Platæeas.* Iustinus lib. II cap. XII *Post hæc Thespias & Plateas & Athenas, vacuas hominibus, incendit.* Diodorus lib. XI cap. XXXIV τῇ περὶ τὰς Πλαταιὰς [μάχῃ] συντελεσθείσῃ, *pugna ad Plateas commissa.* Plutarchus Aristide pag. 329 τὴν δύναμιν ἦγε πρὸς τὰς Πλαταιὰς, *exercitum* [Pausanias] *duxit Plateas.* Oppidani *Platæenses*, Nepoti Miltiad. cap. V. Situm Strabo lib. IX pag. 283 sic descripsit: Πλαταιαί, ἃς ἑνικῶς εἶπεν ὁ ποιητὴς, ὑπὸ τῷ Κιθαιρῶνι εἰσὶ μεταξὺ αὐτοῦ καὶ Θηβῶν, κατὰ τὴν ὁδὸν τὴν εἰς Ἀθήνας καὶ Μέγαρα, ἐπὶ τῶν ὅρων τῶν τῆς Ἀττικῆς καὶ τῆς Μεγαρίδος, *Plateæ, quas singulari numero poeta* [Catal. v. II] *dixit, sub Citharone monte sunt, iuxta viam quæ Athenas & Megaram ducit*, in finibus Atticæ & Megaricæ. Interfluere inter Thebas & Plateas *Asopum*, Diodorus lib. XI cap. XXX monstrauit clarissime.

Inde

Inde in occasum *Leuctra* recedunt. Strabo lib. IX cap. 285 τὰ δὲ Λεῦκτρά ἐστιν, ὅπου Λακεδαιμονίους μεγάλῃ μάχῃ νικήσας Ἐπαμεινώνδας, ἀρχὴν εὕρετο τῆς καταλύσεως αὐτῶν. - - - Δείκνυται δὲ ὁ τόπος ἔτος κατὰ τὴν ἐκ Πλαταιῶν εἰς Θεσπιὰς ὁδόν. *Leuctra sunt, vbi Epaminondas superatis magna pugna Lacedæmoniis eneruandæ illorum potentiæ initium fecit. Ostenditur ille locus* [Leuctra] *in via qua Platæis Thespias ducit.* Pugna illa vocatur *Leuctrica*, Nepotis Epaminonda cap. VI & X, quam curatius descripsit Diodorus Siculus lib. XV cap. LV seq. Et Plutarchus vita Pelopidæ pag. 288 περὶ τὰ Λεῦκτρα τοῖς Λακεδαιμονίοις ἀντεστρατοπέδευον, *ad Leuctra* [Thebani] *Lacedæmoniis castra opposuerunt.*

Lacus dein *Copais*, in quem Cephissus influit; dictus a *Copis*, oppido adiacente. Strabo lib. IX pag. 283 Περὶ Κωπῶν εἴρηται. πρὸς ἄρκτιος δὲ ἔστιν ἐπὶ τῇ Κωπαΐδι λίμνῃ, *De Copis dictum est. Iacet* [hoc oppidum] *ad septemtrionem lacus Copaidis.* Homero etiam *Copæ* memoratæ Catalogi versu 9, qui itidem pluraliter quarto casu Κώπας, *Copas* dixit. Pergit Strabo: αἱ ἄλλαι κύκλῳ εἰσὶν αἵδε· Ἀκραιφίαι, Φοινικὶς, Ὀγχηστὸς, Ἀλίαρτος, Ὠκάλεαι, Ἀλαλκομεναὶ, Τιλφώσσιον, Κορώνεια, *ceteræ vrbes* [lacum Copaidem] *circumiacentes sunt: Acræphia, Phœnicis, Onchestus, Haliartus, Ocalea, Alalcomenæ, Tilphusium, Coronea.*

Primum oppidum casu inconstanti est. Strabo loco iam dicto pluraliter Ἀκραιφίαι, *Acræphia*, quod post paullo Ἀκραίφιον, *Acræphium* vocat: Liuio est *Acræphia* numero singulari. Libro XXXIII cap. XXIX ait: *cum parte copiarum P. Claudio Acræphiam ire iusso, cum parte Coroneam circumsedit.* Ptolemæo est Ἀκρίφια, *Acriphia:* sed haud dubie lapsu & errore, quia ceteri omnes diphthongo. Stephanus: Ἀκραιφία πόλις Βοιωτίας. οἱ δὲ Ἀκραίφιον. Παυσανίας δὲ Ἀκραίφνιον, *Acræphia vrbs Bœotiæ, quam alii Acræphium vocant: Pausanias Acræphnium.* Pausaniæ locus inter alia est in Bœot. cap. XXIII, vbi Ἀκραίφνιον πόλιν vocat, quam tradit εἶναι ἐξ ἀρχῆς μοῖραν τῆς Θηβαΐδος, *partem Thebaidis fuisse:* & cap. XXIV inter Acræphnium & lacum Copaidem *campos Athamantios*, πεδίον Ἀθαμάντιον, interiacere scribit: non proxime ad lacum vrbem esse. *Phœnicis*, quæ huic proxima apud Strabonem est, vix aliunde cognoscitur. Addit sub *Phœnicio* monte sitam, prope Onchestum.

Onchestus autem primum lucus fuit, Neptuno sacer. Homerus Catalog. vers. 13

ὀγχηστόν θ' ἱερὸν Ποσιδήϊον, ἀγλαὸν ἄλσος,

Onchestumque, sacrum Neptunium, clarum nemus.

Postea vrbem adpositam fuisse Pausanias auctor est, qui Bœot. cap. XXVI πόλεως ἐρήπια Ὀγχηστοῦ, *rudera vrbis Onchesti* memorauit. Stephanus de Homeri Onchesto: Ὀγχηστὸς, ἄλσος. κεῖται ἐν τῇ τῶν Ἁλιαρτίων χώρᾳ. - - - ἔστι καὶ πόλις Βοιωτίας. *Onchestus, lucus. Situs in Haliartiorum regione. Est & oppidum Bœotiæ,* de quo ad Pausaniam prouocat. Addit, quosdam Onchestum πόλιν μεγάλην, *magnam vrbem* dicere *inter Haliartios & Acræphios* sitam.

Supra Onchestum, aut Acræphiam, videtur *Medeon* Bœoticus fuisse, de quo supra in Phocico aliquid diximus: Strabo lib. IX pag. 283 Μεδεὼν ὁ Βοιωτικὸς ἀπ' ἐκείνου κέκληται· πλησίον δ' ἐστὶν Ὀγχηστοῦ ὑπὸ τῷ Φοινικίῳ ὄρει, ἀφ' οὗ καὶ μετωνόμασται Φοινικίς. *Medeon Bœoticus ab illo* [Phocico] *nomen ducit. Onchesto vicinus est sub Phœnicio monte. vnde & Phœnicis* [oppidum] *adpellatur.* Plinius lib. IV cap. VII in Bœotia: *Medeon, Phlygone, Acraphia, Coronea.*

Ad eumdem lacum, qua in austrum vergit, *Haliartus* fuit, non ignobile oppidum, euersum bello Romanorum Macedonico II. Strabo ibidem: Ἁλίαρτος νῦν οὐκέτι ἐστὶ, κατασκαφεῖσα ἐν τῷ πρὸς Περσέα πολέμῳ, *Haliartus non exstat hodie: deleta bello contra Perseum.* Liuius lib. XLII cap. LXIII *In Bœotia summa vi Haliartum Lucretius prætor oppugnarat: - - - vrbs diruta a fundamentis.* Corn. Nepos Lysandro cap. III *Orchomeniis missus subsidio, occisus est a Thebanis apud Haliartum.* nam, quod Pausanias Bœot. cap. XXXII tradit, προσβαλὼν τῷ Ἁλιάρτῳ πρὸς τὸ τεῖχος, στρατιᾶς ἔκ τε Θηβῶν ἐνούσης ἔνδον καὶ ἐξ Ἀθηνῶν, καὶ ἐπεξελθόντων τῶν πολεμίων ἔπεσεν ἐν τῇ μάχῃ, *quum murum Haliarti subiisset, qua Thebanorum & Atheniensium præsidium habebat: eruptione facta cecidit in pugna.* Gentile Ἁλιάρτιος, vt paullo ante ex eiusdem Pausaniæ cap. XXVI perspectum est: etiam Latine. Liuius lib. XLII cap. XLIV *turba Coronæorum Haliartiorumque conuenerat ad defendendum decretum regiæ societatis.*

Prope Haliartum fuit *Ocalea*, vel *Ocalee*, (vtroque modo in Strabonis libris legitur) Homero autem Catal. vers. 8 Ὠκαλέη,

λέη, Stephano Ὠκαλέα, Plinio *Ocalea* siue *Ocalee*, Ionico Homeri casu. Plinius, vt supra etiam diximus, *in ora* ponit, quod falsum, nisi oram lacus intelligas, cui Strabo illam adposuit: & Stephanus: αἱ Θεσπιαὶ γειτονοῦσι καὶ ὁμοροῦσιν αὐτῇ, *Thespiæ vicinæ & contermina sunt ei*, puta, Ocaleæ. Rursus Strabo dicto loco: Ὠκαλέη μέση Ἁλιάρτου καὶ Ἀλαλκομενίου, ἑκατέρου τριάκοντα σταδίους ἀπέχουσα, *Ocalee medio loco iacet inter Haliartum & Alalcomenium*, XXX *stadiis vtrimque distans*. In hoc quoque variauit idem Strabo & Ἀλαλκομένιον scribens & Ἀλαλκομεναί, vt supra in ora lacus dixerat, id est *Alalcomenium*, & *Alalcomenæ*. Variat nomen etiam aliis. Stephano est Ἀλαλκομένιον πόλις Βοιωτίας, *Alalcomenium vrbs Bœotiæ*: at Pausaniæ Bœot. cap. XXXIII Ἀλαλκομεναὶ κώμη μέν ἐστιν οὐ μεγάλη, *Alalcomenæ vicus sunt non magnus.*

Sequitur Strabonis ordine *Tilphusium*, quod a *Tilphossa* fonte ex monte *Tilphossio* fluente dici auctore Pindaro tradit, πλησίον Ἁλιάρτου καὶ Ἀλαλκομενῶν, *prope Haliartum & Alalcomenas*. Locus Pindari non exstat, etiam Casaubono notante. Pausanias cap. XXXIII τὸ ὄρος τὸ Τιλφούσιον, καὶ ἡ Τιλφοῦσα καλουμένη πηγή, σταδίους μάλιστα Ἁλιάρτου πεντήκοντα ἀπέχουσι, *mons Tilphusios, & Tilphusa item fons qui dicitur, ab Haliarto stadia absunt, vt maxime, quinquaginta.*

Tandem circa lacum oppidis a Strabone narratis, inest *Coronea*, Κορώνεια, de qua ibidem addit: ἡ Κορώνεια ἐγγὺς τοῦ Ἑλικῶνος ἐστὶν ἐφ' ὕψους ἱδρυμένη, *Coronea sita est edito loco prope Heliconem.* Recentiores tradunt ad os Cephissi sitam, nomen retinere: quod si est, aut longius aberit ab Helicone, aut huius iuga longiori tractu procurrunt. Agesilaus, Plutarcho notante in Vita pag. 605, a Thermopylis in Phocidem concessit, φίλην οὖσαν, *quæ pacata erat.* Vt primum Bœotiam attigit, castra ad Chæroneam posuit: inde profectus *Coroneam*, hostes sibi obuios habuit. Nepos eiusdem Vita cap. IV *Obsistere ei conati sunt Athenienses & Bœoti apud Coroneam: quos omnes graui prœlio vicit.* Quod prœlium Diodorus scripsit lib. XIV cap. LXXXV, Bœotos cum sociis occurrisse Agesilao *ad Coroneam*, ἀπήντησαν εἰς Κορώνειαν.

Abest a Coronea XL stadiis *Libethrius* mons, in quo Pausanias cap. XXXIV tradit ἀγάλματα Μουσῶν τε καὶ Νυμφῶν ἐπίκλησιν Λιβηθρίων, *Musarum Nympharumque Libethriarum cognomine, statuas*

tuas esse : quod etiam loco Macedoniæ tribuitur, vt supra indicauimus, cum nomine *Musarum Libethridum*, ex ecloga VII Virgilii vers. 21.

Sic, quæ circa lacum erant, explicatis oppidis, de ipso lacu eiusque nominibus adiiciendum est. Κωπαῒς, *Copais*, a plerisque dicitur : quod nomen Κῶπαι, Plinio quoque *Copæ*, oppidum prope situm, imposuerunt. Liuius lib. XXXIII cap. XXIX *Plurimi pedites circa Copaidem paludem inuenti : ibi ex limo eruta, extractaque ex stagno cadauera*. Dicitur etiam *Cephissis* palus. Pausanias Bœot. cap. XXIV Ἐξ Ἀκραιφνίου ἰόντι εὐθεῖαν ἐπὶ λίμνην τὴν Κηφισίδα, οἱ δὲ Κωπαΐδα ὀνομάζουσιν τὴν αὐτὴν, πεδίον καλούμενόν ἐστιν Ἀθαμάντιον. *Acraphnio recta ad lacum Cephissidem, quem alii Copaidem vocant, tendenti, campi Athamantii peragrandi sunt.* Nomen a Cephisso fluuio est, qui infunditur. Dictus etiam *Haliartius*, vt Strabo dicto loco obseruauit. καθ' ἑκάστην, inquit, πρὸς αὐτῇ κατοικίαν ἐκείνης ἐπώνυμος ἐλέγετο, Κωπαῒς μὲν τῶν Κωπῶν, Ἁλιάρτιος δὲ Ἁλιάρτου, καὶ οὕτως ἐπὶ τῶν ἄλλων. *Palus hæc dicta fuit Copais a Copis, Haliartia ab Haliarto, eodemque modo ab reliquis.* Dicitur etiam amnis *Melas*, quem Plutarchus in Sylla p. 465 solum a fontibus nauigabilem dicit, hanc paludem implere. Pausanias Bœot. cap. XXXVIII ὁ Μέλας ἐς λίμνην Κηφισίδα ἐκδίδωσιν. Sed Strabo de illo lib. IX pag. 280 οὗτος ἠφάνισται τελέως, *hic* [fluuius Melas] *omnino periit*, vel hiatu haustus vel lacubus absumtus. nec enim longe manasse fertur, sed ortus apud Orchomenum, breui post in stagna & lacus subiisse.

Orchomenus, ὁ Ὀρχομενὸς Plutarcho, Pelopida pag. 286, & Thucydides lib. IV pag. 303 Χαιρώνεια ἐς Ὀρχόμενον τὸν Μινύειον πρότερον καλούμενον, νῦν δὲ Βοιώτιον, ξυντελεῖ, *Charonea Orchomeno, Minyeo antea dicto, nunc Bœotico, contribuit.* Hoc est quod Plinius lib. IV cap. VIII videtur expressisse : *Orchomenus, Minyeus antea dictus :* quamuis male is in Thessalia posuit. At rursus Thucydides lib. I pag. 74 οἱ ἐκ τῆς Ὀρχομενοῦ φυγάδες, genere sequiori. Supra Copaidem paludem in Locrorum erat confinio. Plutarchus Lysandri vita pag. 449 τὴν Ὀρχομενίων πόλιν ἑκουσίως προσχωρήσασαν ἔλαβε, *Orchomeniorum vrbem vltro se dedentem cepit.* Nomen ab Orchomeno Minyæ filio, vnde & cognominatur. Pausanias Bœot. cap. XXXVI Μινύου δὲ Ὀρχομενός. ἐπὶ τούτου βασι-

λεύον-

λέγοντος ἥ τε πόλις Ορχομενὸς, καὶ οἱ ἄνδρες ἐκλήθησαν Ορχομένιοι. διέμεινε δὲ ἐδὲν ἧσσον καὶ Μινύας ἐπονομάζεσθαι σφᾶς ἐς διάκρισιν ἀπὸ Ορχομενίων τῶν ἐν Αρκαδίᾳ, Minyæ filius fuit Orchomenus. Eo regnante & vrbs Orchomenus & populi Orchomenii adpellati. Mansit tamen & Minyarum cognomen, quo ab iis, qui in Arcadia sunt, Orchomeniis distinguerentur. Orchomeni aiunt fontem Acidalium fuisse. Seruius in Aeneid. I vers. 120 ad verba, *Matris Acidaliæ: Acidalia,* inquit, *Venus dicitur a fonte Acidalio, qui est in Orchomeno, Bœotiæ ciuitate, in quo se Gratiæ abluunt, quas Veneri constat esse sacratas.*

Vicinæ Orchomeno *Chæronea* & *Lebadea.* Illa, patria Plutarchi, clade Græcorum, a Philippo rege inlata, notior. Stephanus: Χαιρώνεια, πόλις πρὸς τοῖς ὅροις Φωκίδος, *Chæronea, vrbs ad fines Phocidis.* Et Thucydides lib. IV pag. 303 ἔστι ἡ Χαιρώνεια ἔσχατον τῆς Βοιωτίας πρὸς τῇ Φανοτίδι τῆς Φωκίδος, *Chæronea in extremis est Bœotiæ, apud Phanotidem, quæ Phocidis est.* Aelianus Var. Hist. lib. VI cap. I ἐν Χαιρωνείᾳ μάχην ἐνίκησεν ὁ Φίλιππος, *Philippus vicit ad Chæroneam.* Prœlium illud scripsit Diodorus lib. XVI cap. LXXXVII. Ibidem Sulla vicit Archelaum. Plutarchus Sulla pag. 462 ὁ Αρχέλαος ὥρμησεν ἐπὶ τὴν Χαιρώνειαν, *Archelaus contendit aduersus Chæroneam.* Idem in Lucullo pag. 493 αἱ τῦ Σύλλα πρὸς Ορχομενῷ καὶ περὶ Χαιρώνειαν ὑμνέμεναι ἀριστεῖαι, *Sullæ ad Orchomenum & Chæroneam laudata facinora.* Chæroneam olim Orchomeno contributam fuisse refert Thucydides lib. IV pag. 303.

Proxima est *Lebadia,* Λεβαδία & Λεβάδεια, *Lebadea,* itidem ad Phocidis fines. Strabo lib. IX p. 291 de Panopeo Phocidis: ὅμορος τοῖς περὶ Λεβαδίαν τόποις. Pausanias Bœot. cap. XXXIX Φωκεῖς ὑπερῳκῦσιν Ορχομενίων· ἐν δὲ τῷ πεδίῳ Λεβάδεια αὐτοῖς ὅμορος, *Orchomeniis finitimi Phocenses: qua campi patent, proxima est Lebadea.* Et cap. XL Λεβαδέων ἔχονται χαιρωνεῖς, *Lebadensibus vicini sunt Chæronenses.* Et Strabo lib. IX pag. 285 Λεβαδία κεῖται μεταξὺ τῦ Ελικῶνος καὶ τῆς χαιρωνείας, Κορωνείας πλησίον, *Lebadia sita est inter Heliconem & Chæroneam, prope Coroneam.* Gellius lib. XII. cap. V describit iter Athenis Delphos per *Lebadiam, quod est oppidum antiquum in terra Bœotia.* Statius Theb. VII vers. 345

Et valles Lebadea tuas, & Hyampolin acri
Subnixam scopulo.

Habuit

Habuit Lebadia *Iouis Trophonii* oraculum. Strabo ibidem: Λεβαδία δ' ἐςὶν, ὅπȣ Διὸς Τϱοφωνίȣ μαντεῖον ἵδρυται, χάσματος ὑπονόμȣ κατάβασιν ἔχον, *Apud Lebadiam Iouis Trophonii oraculum est, quod qui consulit, in hiatum terræ descendit.* Plura de hoc oraculo eiusque ritibus tradit Pausanias Bœot. cap. XXXIX. Idem in Attic. cap. XXXIV Trophonium inter homines numerat, οἱ θεῶν Ἕλλησι τιμὰς ἔχȣσι, *quibus Græci diuinos honores habuerunt.*

In eodem Bœotorum limite ad fines Phocidis est *Helicon*, mons Musis sacer: εὐγεως καὶ δένδρων ἀνάπλεως, *præstans, terræ bonitate, & crebritate arborum*, quod Pausanias Bœot. cap. XXVIII obseruauit. Longe protrahitur, vt Strabo lib. IX pag. 283 descripsit. Phocidem enim attingit ἐκ τῶν πρὸς ἄρκτον αὐτῆς μερῶν, *a partibus eius* [Phocidis] septemtrionalibus; & partim ab occidente: nec non πρὸς τὸν ἔσχατον λιμένα Μυχὸν, *ad extremum portum* [Phocidis] *Mychum.* In Helicone erant, quod idem addit, τό, τε τῶν Μȣσῶν ἱερὸν, καὶ ἡ ἵππȣ κρήνη, *& Musarum templum & fons Hippocrene:* etiam τῶν Λειβηθρίδων νυμφῶν ἄντρον, *antrum Libethridum nympharum*, quod diuersis locis fingitur, aut non vno loco dedicatum fuit, vt supra intelleximus. Alia Heliconis monimenta quam plurima narrauit Pausanias Bœot. cap. XXX, etiam fluuium *Heliconem*, qui in terram mersus, ex interuallo se, sed alio nomine, proferat, videlicet *Baphyræ.* In hoc monte lusus & delicium poetarum est. Virgilius lib. VII vers. 641

Pandite nunc Helicona, Deæ, cantusque mouete.

Horatius lib. II epist. I vers. 217

- - - - - & vatibus addere calcar,
Vt studio maiore petant Helicona virentem.

Et Propertius lib. III elegia V vers. 19

Me iuuat in prima coluisse Helicona iuuenta,
Musarumque choris implicuisse manus.

Cum Helicone multi *Pimplam* siue *Pimpleium* montem coniungunt, itidem Musis sacrum: vnde illa Horatii adlocutio ad Musam lib. I od. XXVI est, *Pimplea dulcis:* & Catulli carm. CIII *Pimpleum scandere montem.* Sed verius forsan in Pieriam Macedoniæ reducetur, quia Strabo dicit lib. X pag. 324 a Thracibus illa loca *Pieriam, Olympum, Pimplam, Libethrum* dedicata fuisse: νῦν δὲ ἔχȣσι Μακεδόνες, *nunc vero Macedones possidere.* nisi existimes,

vt

vt *antrum Libethridum* diuerſis locis dedicatum fuit, in Macedonia & in Helicone: ſic eosdem Thraces, quos & Bœotiam tenuiſſe olim Strabo cenſet, vtroque loco *Pimplam* montem & *Pimpleium fontem*, Feſto laudatum, conſecraſſe. Præter *Libethrum* Macedoniæ etiam *Libethrius* mons in Bœotia cum Muſarum ſimulacris erat, vt ſupra in *Coronea*, prope quam ille ſitus eſt, demonſtrauimus: qui haud dubie cum Helicone eſt continuus, ſaltem eidem proximus. Mons *Citharon* Κιθαιρὼν, ex altero latere eſt, & ad Megarenſes vergit. Strabo lib. IX pag. 279 Ἀπὸ τῆς ἑσπέρας ὁ Κιθαιρὼν λοξὸς ἐμπίπτει μικρὸν ὑπὲρ τῆς Κρισαίας θαλάττης, ἔχων τὴν ἀρχὴν συνεχῆ τοῖς Μεγαρικοῖς καὶ τοῖς Ἀττικοῖς ὄρεσιν· εἶτ' ἐπιστρέφον εἰς τὰ πεδία, παυόμενος δὲ περὶ τὴν Θηβαίαν. *Ab occaſu Citharon obliquus incidit paullum ſupra Criſſæum mare, initium habens Atticis & Megaricis montibus contiguum: deinde in campos ſe ſe torquens, & ad Thebas deſinens.* Pindarus Pyth. od. I verſ. 150 πρὸ Κιθαιρῶνος μάχαν, pugnam dicit aduerſus Mardonium apud Platæas. Plinius lib. IV cap. VII *Datur & his* [Muſis] *Thebis ſaltus Citharon.* Pomponius Mela lib. II cap. III *In Bœotia Thebæ, & Citharon fabulis carminibusque celebratus.* Fabulæ illæ ſunt Actæonis, Orgiorum Bacchi, muri Thebarum Amphionis lyra ſtructi, & forſan aliæ. Seneca Trag. Phœniſſ. ſub initium, perſona Oedipi:

Ibo, ibo qua prærupta protendit iuga
Meus Citharon: qua peragrato celer
Per ſaxa monte iacuit Actæon, ſuis
Noua præda canibus.

Virgilius Aeneid. lib. IV verſ. 302

- - - audito ſtimulant trieterica Baccho
Orgia, nocturnusque vocat clamore Citharon.

Et Propertius lib. III elegia II

Saxa Citharonis Thebas agitata per artem
Sponte ſua in muri membra coiſſe ferunt.

Fontes etiam Bœotiæ circa Heliconem & Thebas ſunt laudati. Plinius dicto loco: *Præterea fontes in Bœotia: Oedipodia, Pſamathe, Dirce, Epicrane, Arethuſa, Hippocrene, Aganippe, Gargaphie.* Primi, *Oedipodii*, nomen ab Oedipo eſt, qui paternæ cædis cruorem illo abluiſſe fertur apud Pauſaniam Bœot. cap. XVIII. *Pſa-*

mathe rarioris est mentionis. *Dirce* in Thebanorum vrbe. Scholiastes ad Pindari Olymp. od. x vers. 101 Δίρκη πηγὴ ἐν Θήβαις, *Dirce fons est Thebis.* Ipse Pindarus Isthm. od. VIII vers. 43 παρὰ καλλιρόῳ Δίρκᾳ, *apud Dircen pulchre fluentem.* Vnde Horatius lib. IV oda II vers. 25 de Pindaro Thebano poeta dixit:

Multa Dircaeum leuat aura cygnum.

Dorica dialecto quae *Epicrane* dicta Plinio & Martiano Capellae; ἐπικρήνη est communi Graecismo, de cuius situ nihil praeterea notum est. *Arethusa* cum Psamathe ac Oedipodia, Thebarum fuit Solino auctore cap. VII. *Apud Thebas*, inquit, *Helicon lucus est, Cithaeron saltus, amnis Ismenius: fontes, Arethusa, Oedipodia, Psammathe, Dirce. Sed ante alios Aganippe & Hippocrene.* Hi vero in Helicone, vt de *Hippocrene* supra ex Strabone dictum: & *Aganippe* ibidem. Claudianus de Cons. Mallii Theod. vers. 271

Concinuit felix Helicon, fluxitque Aganippe
Largior.

Sunt qui eumdem fontem dicant Aganippen & Hippocrenen. Ouidius Fastor. lib. V vers. 7

Dicite, quae fontes Aganippidos Hippocrenes
Grata Medusaei signa tenetis equi.

Solinus autem verius separauit; & addidit dicto loco: *incensa est licentia poetarum, vt vtrumque pariter dissemínaretur, & quod aperta foret alitis equi vngula, & quod poti inspirationem faciant litterariam.* Prius singulari numero de solo Hippocrene dixit: alterum pluraliter de vtroque, Aganippe & Hippocrene. Consule ibidem Salmasium. *Gargaphie* superest, quam Pausanias Boeot. cap. IV in Plataearum descriptione κρήνην Γαργαφίαν, *fontem Gargaphium* vocat, cuius aquam corruperit Mardonius, quum Graecorum exercitum illa vti vidisset.

Dum de fontibus Heliconis montis egimus, nec obliuiscenda est *Ascra*, Hesiodi patria, paruus vicus, vt ipse descripsit in ἔργ. vers. 638 de patre suo dicens:

Νάσσατο δ' ἄγχι Ἑλικῶνος ὀϊζυρῇ ἐνὶ κώμῃ
Ἄσκρῃ, χεῖμα κακῇ, θέρει ἀργαλέῃ, οὐδέ ποτ' ἐσθλῇ.

Habitauit prope Heliconem misero in vico Ascra, hieme malo, aestate molesto, numquam bono. Pausanias Boeot. cap. XXIX ex Hegesinoo, veteri poeta, Ἑλικῶνος ἔχει πόδα, *radices Heliconis* [Ascra] *tenet.*

tenet. Sita Ascra ἐν τῇ τῶν Θεσπιέων, ἀπέχουσα τῶν Θεσπιῶν ὅσον τετταράκοντα σαδίους, vt Strabo lib. IX pag. 282 notauit, hoc est, *in Thespiensi regione, quadraginta circiter stadia a Thespiis.*

Ipsæ *Thespiæ*, siue *Thespia* numero singulari, (nam vtroque modo ait Strabo adpellari) Græce Θέσπεια & Θεσπιαὶ; vrbs est πρὸς τῷ Ἑλικῶνι, νοτιωτέρα αὐτοῦ, ἐπικειμένη τῷ Κρισαίῳ κόλπῳ καὶ αὐτὴ καὶ ὁ Ἑλικών: *ad Heliconem sita in austrum versus, imminens sinui Crissæo, sicut etiam ipse Helicon:* vt Strabo lib. IX pag. 282 eius situm delineauit. Et Pausanias Bœot. cap. XXVI Θέσπεια ὑπὸ τὸ ὄρος τὸν Ἑλικῶνα ᾤκισαι, *Thespia infra montem Heliconem condita est.* Ita autem sub Helicone sita est, vt quodammodo etiam Cithæronem montem adspiciat. Scylax scripsit Θεσπιαί: Herodotus VIII cap. L, & Stephanus Θέσπεια. Hic vero addit πληθυντικῶς Θεσπιαὶ ὀξυτόνως, *plurali numero accentum ad vltimam transferri.* Liuius lib. XLII cap. XLIII *Exules Thespias vniuersi concesserunt.* Id memorabile, Strabonis ætate, quod dicto loco testatur, hanc vrbem & Tanagram solas ex Bœoticis constitisse. Plinius lib. IV cap. VII *Thespiæ, liberum oppidum.* Hinc in oram conuertimur.

Ora Crissæi, siue Corinthiaci sinus, ex parte etiam Bœotiorum erat, in qua *Creusa* est, Κρέουσα, nauale Thespiensium. Strabo loco iam prædicto: ἐπίνειον δ' ἔχουσιν αἱ Θεσπιαὶ Κρέουσαν, ἣν καὶ Κρεουσίαν καλοῦσιν, *nauale habent Thespiæ Creusam: quod etiam Creusiam dicunt.* Ptolemæus quoque Κρέουσαν in maritimis Bœotiæ iuxta Phocidem adpellat. Liuius Thespiensium emporium dixit lib. XXXVI cap. XXI. *Is*, inquit, *a Creusa (Thespiensium emporium est, in intimo sinu Corinthiaco retractum) Patras Achaiæ petit.* Pausaniæ Bœot. cap. XXXII idem oppidum est Κρεῦσις, *Creusis*, duabus syllabis. τοῖς δὲ inquit, ἐν Κρεύσιδι, ἐπινείῳ τῷ Θεσπιέων οἰκοῦσιν, ἐν κοινῷ μέν ἐστιν οὐδέν. *Qui Creuside, nauali Thespiensium habitant, illi nihil publice habent memoratu dignum.* Stephanus eodem modo, sed reducto accentu: Κρεῦσις, πόλις Βοιωτίας, *Creusis, vrbs Bœotiæ.*

Inde in occasum, & propius fines Phocidis, Ptolemæo sunt Σίφαι, *Siphæ*, in maritimis. Thucydides lib. IV pag. 303 Σίφας μὲν ἔμελλόν τινες παραδώσειν. αἱ δὲ Σίφαι εἰσὶ τῆς Θεσπιακῆς γῆς ἐν τῷ Κρισαίῳ κόλπῳ ἐπιθαλάσσιδιοι, *Siphas quidam voluerunt prodere.*

Sipha autem sunt Thespiaca regione ad mare in sinu Crisæo. Dorice Τίφαι, vel singulariter Τίφα, *Tipha* est. Pausanias cap. XXXXII A Creuside præter Thisben nauiganti πόλισμά ἐστιν οὐ μέγα ἐπὶ θαλάσσῃ Τίφα, *occurrit paruum oppidum, ad mare situm, Tipha.*

Ipsa autem, *Thisbe*, Θίσβη, inter Creusidem siue Creusam est & Siphas, reductior a mari, vti ex dicto Pausaniæ loco adparet; sed haud longe. Idem in Phoc. cap. XXXVII ἐς τὴν Βοῦλιν ἐκ μὲν τῆς Βοιωτίας Θίσβης σταδίων ἐστὶν ὁδὸς ὀγδοήκοντα, *a Thisbe oppido Bœotiæ in Bulin oppidum Phocidis, sunt stadia octoginta.* Et Plinius *Thisben* in Bœotiæ oppidis numerauit.

Hæc de Bœotia, quæ certiora sunt. Plinius plura addit, sed pleraque incerto situ. Sunt autem, *Eleuthera, Phera, Aspledon, Hyle, Erythra, Clissas, Anchoa:* præter illa, quæ supra æque obscura, ab eodem prodita, significabamus. Ex his *Eleuthera*, Ἐλευθεραί, Straboni, Pausaniæ, Stephano etiam notæ fuerunt. Ex Pausaniæ Attic. cap. XXXVIII constat, Atticam olim & Bœotiam *Eleutherenses* diremisse. Postquam Eleutheræ in Atheniensium potestatem venissent, Cithæronem montem finem vtriusque regionis haberi cœpisse. Ipsius ætate pauca ἐρείπια, *rudera* & vestigia supererant ὑπὲρ πεδίου πρὸς τῷ Κιθαιρῶνι, *super campo iuxta montem Citharonem. Phera*, Φηραί, Straboni IX pag. 279 sunt vnus ex IV pagis Tanagricis. ἐστι τῆς τετρακωμίας τῆς περὶ Τανάγραν. Hyle, Ὕλη, in Homeri Catal. vers. 7 exstat,

Οἵ τ' Ἐλεῶν' εἶχον, ἠδ' Ὕλην,

qui Eleonem tenebant, aut Hylen. quo situ, non adparet, nisi quod *Hylicæ* paludis Strabo meminit, distinctæ a Copaide, cuius generis plures supra Copaidem fuerunt. *Aspledon*, ἡ Ἀσπληδών, obliquo Ἀσπληδόνος, viginti stadiis Straboni pag. 286 ab Orchomeno abest; interfluit *Melas* amnis. Stephanus quoque memorauit, sed perperam πόλιν Φωκίδος, *Phocidis vrbem* vocat, si modo illud nomen ab illius manu est. Pausanias Bœot. cap. XXXVIII desertam aquarum fuisse penuria, refert. *Erythra* prope Platæas & Cithæronem dicuntur fuisse. Pausanias Bœot. cap. II γῆς δὲ τῆς Πλαταιΐδος ἐν τῷ Κιθαιρῶνι ὀλίγον τῆς εὐθείας ἐκτραπεῖσιν ἐς δεξιά, Ὑσιῶν καὶ Ἐρυθρῶν ἐρείπιά ἐστι, *Agro Plataensi sub Citharone paululum digressis ad dexteram, sunt Hysiarum & Erythrarum rudera.* Homerus vers. 6 Catalogi:

Οἵ τ'

Οἵτ' ἀμφ' Ἅρμ' ἐνέμοντο, καὶ Εἰλέσιον καὶ Ἐρυθράς.

Gliſſas, ſiue *Gliſſa* eiusdem eſt verſu eius Catalogi II

Οἵτε Πλάταιαν ἔχον, ἠδ' οἳ Γλίσαντ' ἐνέμοντο.

qui Platæam tenebant, & qui habitabant Gliſſam. Euſtathius Γλίσας, Γλίσαντος formauit. Tandem *Anchoa*, Ἀγχόη, ſecundum Strabonem pag. 280 locus eſt, vbi Cephiſſus, aliquanto ſpatio ſub terra occultatus, prope Larymnam Locridis erumpit, & deinde in mare exit.

ATTICA.

Attica, regio Athenienſium, antiquitus *Acte*, *Actæa*, *Atthis* adpellata. Plinius lib. IV cap. VII *Attica, antiquitus Acte vocata.* Et Pauſanias Attic. cap. II ὀνομάζουσιν Ἀττικὴν τὴν χώραν, πρότερον καλουμένην Ἀκταίαν, *nominant Atticam regionem, quæ prius vocata fuit Actæa.* Pomponius Mela lib. II cap. III *Locris, Phocis, Bœotis, Atthis, Megaris: ſed omnium Atthis clariſſima.* Plinius ab iſthmo deducit, vt Megaram quoque contineat tamquam partem. *Attingit*, inquit, *iſthmum parte ſui, quæ adpellatur Megaris, a colonia Megara.* Alii Megarim, etiam Mela, ſeparatam regionem conſtituunt, quod vrbs Megara æmula ſæpe & inimica fuit Athenienſibus. Quod ſi eſt, terminos Attica ab occaſu habuit Megaridem: a ſeptemtrione Bœotiam: ab auſtro Saronicum ſinum: ab ortu Aegæum mare.

Princeps vrbs huius regionis, quod notum, *Athenæ* ſunt, Ἀθῆναι: de qua Plinius dicto loco: *Libera hæc ciuitas, nec indiga vllius præconii amplius: tanta claritas ſuperfluit.* Cicero pro Flacco cap. XXVI *Adſunt Athenienſes vnde humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortæ, atque in omnes terras diſtributæ putantur: de quorum vrbis poſſeſſione propter pulchritudinem etiam inter deos certamen fuiſſe proditum eſt: quæ vetuſtate ea eſt, vt ipſa ex ſe ſe ſuos ciues genuiſſe dicatur: & eorum eadem terra parens, altrix, patria dicatur: auctoritate autem tanta eſt, vt iam fractum prope ac debilitatum Græciæ nomen, huius vrbis laude nitatur.* Idem lib. I de Oratore cap. IV *illæ omnium doctrinarum inuentrices Athenæ, in quibus ſumma dicendi vis & inuenta eſt & perfecta.* Olim vrbs dicta *Cecropia*, quod nomen poſtea arci manſit. Plinius lib. VII cap. LVI *Oppidum Cecrops a ſe adpellauit Cecropiam, quæ nunc eſt*

arx Athenis. Ita autem arx fuit, vt omnem vrbem veterem complecteretur. Thucydides lib. II pag. LII τὸ πρὸ τούτου, ἡ ἀκρόπολις ἡ νῦν οὖσα, πόλις ἦν, καὶ τὸ ὑπ' αὐτὴν πρὸς νότον μάλιστα τετραμμένον, *Ante Theseum, quae nunc summa vrbs est (ἀκρόπολις) tunc vrbs fuit, & id praecipue, quod sub ea spectat meridiem.*

Memorabilia circa Athenas sunt primum Academia, Ἀκαδημία, de qua Pausanias Attic. cap. XXIX ἐγγυτάτω δὲ Ἀκαδημία, χωρίον ποτὲ ἀνδρὸς ἰδιώτου, γυμνάσιον δὲ ἐπ' ἐμοῦ, *Proxime vrbem est Academia, priuati olim hominis possessio, mea aetate gymnasium.* Immo & longe antea gymnasium fuerat. Ser. Sulpicius ad Cicer. lib. IV epist. XII *nos in nobilissimo orbis terrarum gymnasio Academia locum delegimus, ibique eum combussimus.* Platonis ibi schola erat, vnde sectatores ipsius *Academici* dicti. Cicero lib. I Acad. Quaest. cap. IV *Qui erant cum Aristotele, Peripatetici dicti sunt, quia disputabant inambulantes in Lyceo: illi autem qui, Platonis instituto, in Academia, quod est alterum gymnasium, coetus erant, & sermones habere soliti, e loci vocabulo nomen habuerunt.* Iac. Sponius a septemtrione vrbi adpositam habet: a qua Meursius sex stadiis abfuisse ex principio lib. V Cic. de Finibus probauit. Idem locus & *Ceramicus* Κεραμεικὸς, dicebatur, aut Academia pars erat Ceramici, sed illius, qui extra vrbem erat: fuit enim intra moenia Ceramicus alius. Hesychius: καὶ δὲ δύο Κεραμεικοὶ, ὁ μὲν ἔξω τείχους, ὁ δὲ ἐντός, *Erant duo Ceramici, alter extra vrbem, alter intus.* Idem in Ἀκαδημία: καὶ τόπος καλεῖται οὕτως ὁ Κεραμεικός. *Is locus vocatur etiam Ceramicus.* Vide singularem librum Io. Meursii de Ceramico gemino.

Alter locus, modo a Cicerone laudatus, est *Lyceum*, Λύκειον, in quo *Peripatus* fuit, Aristotelis *deambulatio*. Diogenes Laertius sub initium Vitae Aristotelis, quum is ex Macedonia legatus rediisset, ἑλέσθαι περίπατον, τὸν ἐν Λυκείῳ, *elegisse sibi peripatum, qui in Lyceo est.* Harpocration: ἓν τῶν παρ' Ἀθηναίοις γυμνασίων ἐστὶ Λύκειον, *vnum ex gymnasiis Atheniensium Lyceum est.*

Ab occasu vrbis est portus *Piraeus*, Πειραιεὺς, omnium clarissimus, quem Themistocles condidit. Nepos Vita eius cap. VI *Quum Phalereo portu neque magno neque bono Athenienses vterentur, huius consilio triplex Piraei portus constitutus est, isque moenibus circumdatus, vt ipsam vrbem dignitate aequipararet, vtilitate supe-*

superaret. TRIPLEX portus: quia Thucydides lib. I pag. 62 de Piræeo loco dicit habere τρεῖς λιμένας αὐτοφυεῖς, *tres portus natura factos.* Vicus quidem seu pagus Piræeus fuit antequam Themistocles ornaret; non autem portus. Pausanias Attic. cap. I Ο Πειραιεὺς δῆμος μὲν ἦν ἐκ παλαιοῦ· πρότερον δὲ, πρὶν ἢ Θεμιστοκλῆς Ἀθηναίοις ἦρξεν, ἐπίνειον οὐκ ἦν· Φαληρὸν δὲ, ταύτη γὰρ ἐλάχιστον ἀπέχει τῆς πόλεως ἡ θάλασσα, τοῦτο σφίσιν ἐπίνειον ἦν. *Piraeus pagus quidem erat olim; antequam Themistocles ad rempublicam accederet, nauale non fuit. Phalerum autem (nam ea parte vrbs minimum a mari distat) ipsis nauale erat.* Hoc omne commercium cum Atheniensibus erat, & quidquid Athenis petebatur, ex hoc portu accipiebatur. Cicero de Clar. Orat. cap. XIII *Vt semel e Piraeo eloquentia euecta est, omnes peragrauit insulas, atque ita peregrinata tota Asia est.* Quarto casu Statius lib. XII Thebaidos vers. 616

- - - - & trepidis stabilem Piraea nautis;

quem Græci contrahunt, τὸν Πειραιᾶ, vt Thucydides lib. II loco mox indicando. Et poetæ hoc nomen contrahunt in *Piraeus.* Catullus carm. LXIV de nupt. Pel. & Thet. vers. 74

Egressus curuis e litoribus Pirei.

Ouidius lib. VI Metamorphos. vers. 445

- - - - - veloque & remige portus
Cecropios intrat, Piraeaque litora tangit.

Et Propertius lib. III elegia XXI

Inde vbi Pirai capient me litora portus.

Quamuis autem non minimo interuallo ab vrbe distabat; tamen muris ei coniunctus erat, quæ μακρὰ τείχη, *longi muri* vocabantur: etiam μακρὰ σκέλη, *longa crura* Appiano in Mithridaticis. Thucydides lib. II pag. 110 τὰ δὲ μακρὰ τείχη πρὸς τὸν Πειραιᾶ, τεσσαράκοντα σταδίων, ὧν τὸ ἔξωθεν ἐτηρεῖτο, καὶ τοῦ Πειραιέως ξὺν Μουνυχίᾳ ἑξήκοντα μὲν σταδίων ὁ ἅπας περίβολος, *Longi muri ad Piraeum vsque, quadraginta stadia habebant, quorum exteriora custodiebantur: & Piraei cum Munychia vniuersus ambitus, sexaginta stadia.*

Inde propior vrbi portus erat *Munychius*, minor quam Piræeus, qui etiam colebatur instar oppiduli, nec minus, quam ille, munitus. Locus ille Μουνυχία, *Munychia* vocabatur, vti iam ex Thucydide est cognitum. Nepos Thrasybulo cap. II *Hinc in Piraeum transiit, Munychiamque muniuit.* Ideo Φρουρὸν etiam, *præsidium*

sidium habuit, vti ex Plutarchi Demosthene pag. 859 constat. Strabo lib. IX pag. 272 λόφος ἐστὶν ἡ Μουνυχία χερρονησίζων - - - ὑποπίπτουσι δ' αὐτῷ λιμένες τρεῖς. τὸ μὲν οὖν παλαιὸν ἐτετείχιστο καὶ συνῴκιστο ἡ Μουνυχία παραπλησίως ὥσπερ ἡ τῶν Ῥοδίων πόλις, προσειληφυῖα τῷ περιβόλῳ τὸν Πειραιᾶ καὶ τοὺς λιμένας πλήρεις νεωρίων. *Munychia, tumulus peninsulæ forma, - - & infra sunt tres portus. Antiquitus muro cincta atque habitata fuit Munychia, fere quomodo Rhodiorum vrbs, complexa mœnibus Piræeum, & portus naualium plenos.* Et Pausanias Attic. cap. I Ἔστι καὶ ἄλλος Ἀθηναίοις, ὁ μὲν ἐπὶ Μουνυχίᾳ λιμὴν, καὶ Μουνυχίας ναὸς Ἀρτέμιδος. *Est & alius portus Atheniensibus in Munychia, cum Munychiæ Dianæ templo.* Statius Theb. XII vers. 615

- - - - qui rura lacessunt
Munychia, & trepidis stabilem Piraea nautis.

Ptolemæus Munychiam vltra Ilissi ostia, & longius ab vrbe, orientem versus, remouit, quem plures tabularum auctores adhuc sequuti sunt. Sed aliud Thucydides tradit modo prolatis verbis: & Pausanias quoque cum Piræeo, vt propiorem portum, coniungit: & qui oculis hæc loca inspexit peregrinator nobilis, Iacobus Sponius, sic oram maritimam ab occasu in ortum delineauit, vt primum portum Piræeum, nunc *il Porto Liona*, posuerit, deinde Munychiam: postea Ilissi Eridanum deferentis ostium: tandem Phalereum portum.

Post Munychiam ergo commune ostium vtriusque fluminis est Athenas adluentis. nam *Eridanus* ab occidentali latere decurrit, qui infra vrbem *Ilisso*, ab ortu solis adlabente vrbem, miscetur. Pausanias Attic. cap. XIX Ποταμοὶ Ἀθηναίοις ῥέουσιν Εἰλισσός τε καὶ Ἠριδανῷ τῷ Κελτικῷ κατὰ τὰ αὐτὰ ὄνομα ἔχων, ἐκδιδοὺς ἐς τὸν Εἰλισσόν. *Amnes Atheniensibus sunt Ilissus, & in eum cadens Eridanus, eodem nomine ipse & Gallicus* cis Alpes. Et mox: Ἐθέλουσι δὲ Ἀθηναῖοι καὶ ἄλλων θεῶν ἱερὸν εἶναι τὸν Εἰλισσὸν, καὶ Μουσῶν βωμὸς ἐπ' αὐτῷ ἐστὶν Εἰλισσιάδων. *Ilissum Athenienses & aliis diis, & Musis sacrum putant, quarum in eius ripis ara est, Ilissiadum Musarum dicta.* De qua religione etiam Polyænus Strateg. lib. V cap. XVII παρὰ τὸν Ἰλισσὸν, οὗ τὸν καθαρμὸν τελοῦσι τοῖς ἐλάττοσι μυστηρίοις, *ad Ilissum, vbi lustratio fieri consueuit minoribus mysteriis.* Papinius Statius Thebaid. lib. VIII extremo:

Ilis-

Ilissos multa purgauit lumina lympha.

Deinde est *portus Phalereus*, antequam Piræeum Themistocles constitueret, vel maxime frequentatus Atheniensibus. Corn. Nepos Themist. cap. VI *Quum Phalereo portu neque magno, neque bono Athenienses vterentur, huius consilio triplex Piraei portus constitutus est.* Pausaniæ, principio Atticorum, Φαληρὸν ἐπίνειον, *Phalerum nauale* est: Plinio lib. IV cap. VII *Piraeus & Phalera, portus.* Stephanus: Φαληρὸν, δῆμος καὶ ἐπίνειον τῆς Ἀττικῆς, *Phalerum vicus & nauale Atticæ.* Et hic portus vrbi muro iunctus erat. Thucydides lib. I pag. 70 Ἤρξαντο κατὰ τοὺς χρόνους τούτους καὶ τὰ μακρὰ τείχη Ἀθηναῖοι ἐς θάλασσαν οἰκοδομεῖν, τό, τε Φαληρόνδε καὶ τὸ ἐς Πειραιᾶ. *Sub idem tempus cœperunt & Athenienses longos ad mare muros exstruere, alterum, Phalerum; alterum, Piraeum versus.*

Ad Phalerum est promontorium & litus Κωλιάς, *Colias* dictum, in quo Veneris illustre fanum erat. Stephanus: Κωλιάς, ἄκρα ἤ τοι Φαληρῷ ἀκτὴ, ὅπου καὶ Ἀφροδίτη Κωλιάς. *Colias, promontorium seu litus ad Phalerum, vbi Venus Colias colitur.* Harpocration in hac voce: ἐπιθαλασσία ἄκρα Ἀττικὴ ἐστιν ἡ Κωλιάς. ἔστι δ' αὐτόθι Ἀφροδίτης ἱερόν. *Colias maritimus mons Atticæ est. Illic Veneris fanum.* Hesychius: Κωλιὰς Ἀφροδίτης ἐπικωλιάδος ἐστὶν ἱερὸν ἐν τῇ Ἀττικῇ, *Colias Veneris Coliadis templum est in Attica.* In hoc litus reiecta ex prœlio ad Salaminem Persarum naufragia. Herodotus lib. VIII cap. XCVI τῶν ναυηγίων πολλὰ ὑπολαβὼν ὁ ἄνεμος ζέφυρος, ἔφερε τῆς Ἀττικῆς ἐπὶ τὴν ἠϊόνα τὴν καλεομένην Κωλιάδα, *naufragiorum multa ventus zephyrus in oram Atticam reiecit, dictam Coliadem.* Et Cereris ibidem sacra erant. Polyænus lib. I cap. XX Σόλων ἔπλευσεν ἐπὶ Κωλιάδος, ἔνθα αἱ γυναῖκες Δήμητρι ἑορτὴν ἐτέλουν, *Solon nauigauit in Coliadem, vbi mulieres Cereri festum celebrabant.*

Fontes etiam in Attica vel proximi Athenis, nisi in vrbe quidam, celebrantur. Plinius sæpe dicto loco: *In Attica fontes: Cephissia, Larine, Callirhoe Enneacrunos.* Primus est *Cephissia* siue *Cephisia*, intellige κρήνη: cuius rara vtique est mentio. Gellius lib. I cap. II locum quemdam, quo Herodes Atticus villam habuit, *Cephisiam* dixit, *lauacris nitidis collucentem, & aquis vndique canoris personantem.* Sed hæc ex duodecim oppidis, quibus Atticam Cecrops συνοικίσαι, *ad habitandum ornasse* dicitur vnum fuit, Straboni lib. IX pag. 274 dictum Κηφισσία, *Cephissia*: quæ sex

millibus ab Athenis fuit, nomen hodieque feruans, vnde infcriptione Κηφισιεῖς, *Cephisienses* funt apud Iac. Sponium de Pagis Atticis. *Larinam* forte folus Plinius memorauit : nec iam fuppetit nobis mentio alia. Tertius autem *Callirhoe* fiue *Enneacrunos* vtique nobilior eft ceteris. Paufanias Attic. cap. XIV Ἐς δὲ τὸ Ἀθήνησιν ἐσελθοῦσιν ᾠδεῖον, ἄλλα τε καὶ Διόνυσος κεῖται θέας ἄξιος. πλησίον δέ ἐστι κρήνη, καλοῦσι δὲ αὐτὴν Ἐννεάκρουνον, οὕτω κοσμηθεῖσαν ὑπὸ Πεισιστράτου. Φρέατα μὲν καὶ διὰ πάσης τῆς πόλεώς ἐστι· πηγὴ δὲ αὕτη μόνη. *Quum vero Athenis Odeum introieris, & alia spectatu digna, & Liberum patrem conspicies : iuxta quem fons est Enneacrunos* [a nouem fcatebris] *dictus. Pisistratus eum exornauit. Putei quidem passim in vrbe multi: hic autem vnicus fons saliens.* In vrbe ergo hic fuit : ceteri extra illam. Hunc & *Callirhoen* dictum fuiffe, præter Plinium, etiam Statius teftis eft Theb. XII verf. 629

> *Et quos Callirhoe nouies errantibus vndis*
> *Implicat.*

Ac Tzetzes Chiliad. VIII cap. CLXXXXIV, qui vero duodecim fcatebras, auctore Cratino comico, ftudet probare :

> Ἡ Καλλιρρόη τις κρηνὶς τυγχάνει ταῖς Ἀθήναις,
> Ἥπερ καὶ Ἐννεάκρουνος τὸ πρώην ἐκαλεῖτο.
> Ἐγὼ δὲ Δωδεκάκρουνον οὕτως εἴρηκεν στόμα,
> Καθὼς τοῖς πάλαι πρὸ ἡμῶν παρῳχηκόσι χρόνοις
> Περὶ αὐτοῦ που γέγραφεν ὁ κωμικὸς Κρατῖνος.

Præterea in ora Atticæ ab vrbe & Phalero portu vsque ad Aegæum mare nihil proditum eft memorabile, nifi Ὕφορμος λιμὴν, *Hypbormus portus*, quafi fubportus, Ptolemæi : & extremum promontorium *Sunium*, Ptolemæi Σούνιον ἄκρον. Strabo lib. II pag. 63 τὸ Σούνιον ἀκρωτηριάζει, *Sunium promontorium facit*, fiue procurrit in mare. Liuius lib. XXXII cap. XVII *Nauales copiæ, duabus claris vrbibus Eubœa intra paucos dies captis, circumuectæ Sunium, Atticæ terræ promontorium, Cenchreas, Corinthiorum emporium, petierunt.* Et antea, inuerfo itinere lib. XXVIII cap. VIII idem Liuius : *ipse* [Philippus] *ab Cenchreis præter terram Atticam super Sunium nauigans, inter medias prope hostium classes Chalcidem peruenit.* Statius Thebaid. XII verf. 624

> *Linquitur Eois longe speculabile proris*
> *Sunion.*

Sub

Sub promontorio fuit ἀξιόλογος δῆμος Σουνίων, *memorabilis vicus Sunium*, quem Strabo deſcribit lib. IX pag. 275.

Hæc ab ortu ſolis in ora ſunt Attica: ab occaſu vrbis vltra Piræeum portum eſt fluuius *Cephiſſus*, alius ab huius nominis Bœotico; qui inter Piræeum & Eleuſinem in ſinum Saronicum effunditur. quo loco ipſum Sponius peregrinator delineauit. De hoc Euſebius Chronico in Hadriano: *Cephiſus fluuius Eleuſinam inundauit: quem Hadrianus ponte coniungens, Athenis hiemem exegit.* Circa hunc amnem *Thriaſius campus* eſt. Herodotus lib. VIII cap. LXV ἐν τῷ Θριασίῳ πεδίῳ ἰδεῖν κονιορτὸν χωρέοντα ἀπὸ Ἐλευσῖνος, *in campo Thriaſio vidiſſe pulverem venientem ab Eleuſine.* Et Thucydides lib. II pag. 114 καθεζόμενοι ἔτεμνον πρῶτον μὲν Ἐλευσῖνα, καὶ τὸ Θριάσιον πεδίον, *caſtrametati vaſtauerunt primo Eleuſinem, & Thriaſium campum.* Meminit & Plinius: Stephanus nomen duxit a Thria, vno ex δήμοις ſiue pagis Atticis.

Ipſa *Eleuſis* ſiue *Eleuſin* iuxta dextram ripam Cephiſſi, Megaram verſus in maris ora fuit, pars Atticæ, non Megarenſis regionis. Scylax in Attica: Μετὰ Μεγαρεῖς εἰσὶν Ἀθηναίων πόλεις· καὶ πρῶτον τῆς Ἀττικῆς Ἐλευσὶς, οὗ ἱερὸν Δήμητρός ἐστι, καὶ τεῖχος, *Poſt Megarenſes ſunt Athenienſium oppida. Et primum Atticæ eſt Eleuſis, vbi fanum Cereris, & oppidum.* Pomponius lib. II cap. III *In Atthide Eleuſin Cereri conſecrata.* Plinius IV cap. VII *Geranea, Megara, Eleuſin.* Et lib. XXXV cap. XI *Athenion pinxit in templo Eleuſine.* Herodotus dicto loco: ἀδαήμων τῶν ἱρῶν τῶν ἐν Ἐλευσῖνι γινομένων, *ignarus ſacrorum, quæ Eleuſine fiunt.* Heic *initia* ſeu initiationis ritus, quæ *myſteria* vocabant, peragebantur, ſummo ſilentio celanda. Spartianus Hadriano cap. XIII *Per Aſiam & inſulas ad Achaiam nauigauit, & Eleuſinia ſacra exemplo Herculis Philippique ſuſcepit.* Ideo *ſancta* dicta eſt Eleuſin. Cicero Nat. deor. lib. I cap. XLII *Omitto Eleuſinam ſanctam illam & auguſtam,*

Vbi initiantur gentes orarum vltimæ.

Sinus, ſupra quem eſt ora Attica, *Saronicus* adpellatur, Σαρωνικὸς κόλπος. Strabo lib. VIII pag. 254 Εἶθ' ὁ Σαρωνικὸς κόλπος· οἱ δὲ πόντον λέγουσιν, οἱ δὲ πόρον, καθ' ὃ καὶ πέλαγος λέγεται Σαρωνικόν. *Deinde eſt ſinus Saronicus, quem alii pontum alii fretum vocant; vnde & mare dicitur Saronicum.* Longus eſt a Cenchreis ad Sunium: latus inde ad Epidaurum Peloponneſi, & vltra. nam Strabo ibi-

dem : τῦ δὲ Σαρωνικῦ Επιδαυρός ἐςι, *in Saronico sinu Epidaurus est.* De ipsa Trœzene agens Euripides Hippolyto vers. 1200

Πρὸς πόντον ἤδη κειμένη Σαρωνικόν,

Sita iam ad mare Saronicum.

Plinius lib. IV cap. IV *Corinthiacus hinc, illinc Saronicus adpellatur sinus : Lechea hinc ; Cenchrea illinc angustiarum termini.* Et cap. V *Sinus Saronicus olim querno nemore redimitus : vnde nomen, ita Gracia antiqua adpellante quercum.* Σαρωνίδες enim δρύες, *quercus* erant. Vide Hesychium in hac voce. Alii a Σάρων deducunt, loco apud Trœzenem. Stephanus : Σάρων τόπος Τροιζῆνος.

In ora Aegæi maris non habet Ptolemæus quod Atticæ attribuat, præter portum & duo promontoria cum Dianæ fano. Illum Πάνορμον λιμένα vocat, quod insignem aliquem & capacem portum arguit : quam vocem *Panormus* etiam Latini imitantur. Promontoria sunt, Κυνόσουρα ἄκρα, *Cynosura promontorium*, de quo etiam Hesychius : Κυνόσουρα ἄκρα τῦ Μαραθῶνος πρὸς τὴν Εὔβοιαν τετραμμένη, *Cynosura promontorium Marathonis, Eubœa obuersum :* alterum Ptolemæi est Χερσόνησος ἄκρα, *Chersonesus promontorium.* Inter Cynosuram & Panormum habet Αρτέμιδος ἱερὸν, *Dianæ templum.* Quæ addit *Asopi* ostia & vrbem *Oropum*, in iis fallus est, vt supra probatum in Bœotia fuit.

Mediterranea Atticæ, vt ab occasu incipiamus, post Megarenses fines sunt hæc : *Oenoe*, Οἰνόη, supra Eleusinem ad septemtriones in Bœotiæ finibus posita, limitaneum Atheniensium munimentum. Thucydides lib. II pag. 113 Ὁ δὲ στρατὸς τῶν Πελοποννησίων προϊὼν ἀφίκετο τῆς Αττικῆς ἐς Οἰνόην πρῶτην, ἧπερ ἔμελλεν ἐσβαλεῖν. - - - ἡ γὰρ Οἰνόη ὄσα ἐν μεθορίοις τοῖς Αττικῆς καὶ Βοιωτίας ἐτετείχιστο, καὶ αὐτῷ φρουρίῳ οἱ Αθηναῖοι ἐχρῶντο, ὁπότε πόλεμος καταλάβοι. *Peloponnensium exercitus, in Atticam tendens, peruenit primum ad Oenoen, qua* [Atticam] *ingressurus erat. - - - Nam Oenoe, in confinio Attica & Bœotia posita, munita erat, qua Athenienses, quoties bellum incidebat, pro munimento vtebantur.* Ptolemæus eodem modo scripsit Οἰνόη, & primam posuit in mediterraneis Atticæ. Ab Oenoe, quam expugnare nequierant, vt idem Thucydides narrat pag. 114, Lacedæmonii ἐσέβαλον ἐς τὴν Αττικὴν, - - - καὶ καθεζόμενοι ἔτεμνον πρῶτον μὲν Ελευσῖνα καὶ τὸ Θριάσιον πεδίον. A septemtrione ergo in austrum progressi ad maritimam oram, in qua

Eleu-

Eleusin est & campus *Thriasius*, de quibus supra actum fuit: ἔπειτα προὐχώρουν, ἐν δεξιᾷ ἔχοντες τὸ Αἰγάλεων ὄρος, διὰ Κεκροπίας ἕως ἀφίκοντο ἐς Ἀχαρνάς, χωρίον μέγιστον τῆς Ἀττικῆς τῶν δήμων καλουμένων. *Inde progressi, a dextris relicto monte Aegaleo, per Cecropiam ad Acharnas vsque venerunt, maximum omnium oppidorum, quæ Attici* δῆμοι *adpellantur.* E quibus situm quodammodo *Acharnarum* cognoscimus, quæ etiam singulari numero *Acharna* vocatur. Stephanus: Ἀχάρνα, δῆμος τῆς Οἰνηΐδος φυλῆς, *Acharna, populus* (id est vicus vel oppidum) *Oeneidis tribus.* nam in tribus & populus & regio Attica, vt infra referemus, distribuebantur. Plures tamen plurali numero enuntiant. Pausanias Attic. cap. XXXI ἔστι δὲ Ἀχαρναὶ δῆμος, *Acharnæ autem populus* seu *vicus sunt.* Pindarus Nem. od. II vers. 25

> Ἀχάρναι δὲ παλαίφατον
> Εὐάνορες.

id est, *Acharnæ secundum priscam famam fortes viros habuerunt.* Papinius Statius XII Theb. vers. 623

> *Quæque rudes thyrsos hederis vestistis Acharnæ.*

Gentile Ἀχαρνεύς Stephano, & aliter: quos plurali quarto casu Thucydides τοὺς Ἀχαρνέας dixit pag. 115. Reddiderunt hoc Senecæ nomen in Hippolyto vers. 22 Io. Meursius & Io. Fr. Gronovius:

> - - - - *qua tepidis*
> *Subditus austris frigora mollit*
> *Durus Acharneus.*

Femineum nomen ex alia forma in MSS. Cornelii Nepotis est Themistocle cap. I, *Is* [Neocles] *vxorem Acharnanam ciuem duxit, ex qua natus est Themistocles.* Inter Acharnas vero & Eleusinem atque Thriasium campum, locus medius est *Cecropia*, vti ex Thucydidis verbis, modo recitatis, adparet; alia ab illa acropoli Athenarum: qualis autem fuerit illa, aliunde nobis non constat, neque, quod miramur, in Cecropia sua doctissimus vir Io. Meursius exposuit. Non enim arcem Atheniensem a Thucydide intelligi, ex eo manifestum est, quia ab Eleusine Peloponnesii διὰ Κεκροπίας, *per Cecropiam* ad Acharnas profecti dicuntur: Acharnæ autem citra Athenas sitæ sunt, a quibus secundum Thucydidem eodem II libro pag. 115 sexaginta stadiis sunt remotæ: arx vero

Cecropia in medio Athenarum erat. Adi Meursium cap. IV ex multis monimentis id demonstrantem.

Post Phalerum supra Coliadem intus paullo, *Anaphlystus*, Ἀνάφλυστος, erat δῆμος, *pagus* Atticæ secundum Herodotum lib. IV cap. XCIX & Pausaniam Attic. cap. XXX, & quidem δῆμος τῆς Ἀντιοχίδος φυλῆς, *in tribu Antiochides*, quod Stephanus adnotauit. Situm nobis Strabo monstrauit lib. IX pag. 274 Περὶ δὲ Ἀνάφλυστον ἐστὶ καὶ τὸ Πανεῖον, καὶ τὸ τῆς Κωλιάδος Ἀφροδίτης ἱερόν, εἰς ὃν τόπον ἐκκυμανθῆναί τὰ τελευταῖα τὰ ἐκ τῆς περὶ Σαλαμῖνα ναυμαχίας τῆς Περσικῆς ναυάγια φασί. *Ad Anaphlystum est Panis fanum, & ædes Coliadis Veneris, in quem locum eiectas fluctibus aiunt naufragii tabulas ex Persarum prœlio ad Salaminem.* Non autem in ipso litore fuisse, sed intus nonnihil reductum hunc δῆμον, Ptolemæo auctore probabile fit, qui in Atticæ mediterraneis recensuit.

Ad mare Eubœum versus fuit *Decelia* siue *Decelea*, Δεκέλεια, vt Stephanus prodit, δῆμος τῆς Ἱπποθοωντίδος φυλῆς, *vicus in tribu Hippothoontide*: ab Athenis, secundum Thucydidem lib. VII pag. 496, circiter εἴκοσι καὶ ἑκατὸν, *centum & viginti* distans stadiis. Hanc Spartani, consilio Alcibiadis, munierunt. Corn. Nepos Alcib. cap. IV *Huius consilio Lacedæmonii Deceliam in Attica munierunt, præsidioque perpetuo ibi posito in obsidione Athenas tenuerunt.* Id munimentum, quod Plutarchus dicit, Alcibiade pag. 203, διεργάσατο καὶ κατοικοφθόρησε τὴν πόλιν, *maxime adflixit singulorum rem domesticam Atheniensium.* Sita enim in via erat, quæ ad Eubœam proxime ferebat ab Athenis. Munito autem loco factum, vt difficilior nauigatio sumtuosiorque (πολυτελὴς) esset περὶ Σούνιον, *circa Sunium* promontorium, vt Thucydides notauit lib. VII pag. 503, præter molestias & vexationes quæ ab Deceleensis præsidii excursionibus patiebantur Athenienses. Pausanias Lacon. cap. VIII munimentum a Decelia distinguit ita, τὸ φρούριον τὸ ἐν Δεκελείᾳ, *castellum quod in Decelea.*

Haud longe inde *Phyle* aberat, aliud castellum. Nepos Thrasybulo cap. II *Hic quum Phylen confugisset, quod est castellum in Attica munitissimum, non plus habuit secum, quam triginta de suis.* Centum circiter stadia ab Athenis aberat. Diodorus Siculus lib. XIV cap. XXXIII Θρασύβουλος ὑπὸ τῶν τριάκοντα πεφυγαδευμένος, συνεργούντων αὐτῷ λάθρα τῶν Θηβαίων, κατελάβετο χωρίον τῆς Ἀττικῆς

κῆς ὁρομαζομένων φυλήν. ἦν δὲ τὸ Φρούριον ὀχυρόντε σφόδρα, καὶ τῶν Ἀθηνῶν ἀπέχον σαδίους ἑκατόν. *Thrasybulus, a triginta tyrannis fugatus, iuuantibus clam Thebanis, occupauit locum Atticæ, quem Phylen adpellant. Castellum hoc valide munitum erat, ab Athenis distans centum stadiis.* Iustinus lib. v cap. IX *castellum Phylen Atticorum finium* [Thrasybulus] *occupat.* Stephanus: φυλὴ, δῆμος Οἰνηΐδος φυλῆς, *Phyle, pagus Oeneidis tribus.* Ex quo illud dubium oritur, an fuerit prope Deceleam in orientali tractu Atticæ. Oeneis enim tribus, cuius Acharnæ erant, in occasum magis vergebat.

Superius, ad Euboicum mare versus, vel prope illud *Probalinthus* fuit. Stephanus: Προβάλινθος, δῆμος Πανδιονίδος φυλῆς, *Probalinthus, populus* seu *vicus Pandionidis tribus.* Plinius lib. IV cap. VII *Fuere & Oenoa, Probalinthus:* quod in ruinis illo tempore iacuisse significat. Strabo quoque in tetrapoli Attica Προβάλινθον, *Probalinthum*, vt infra videbimus, enumerauit. Post illam est *Marathon*, Μαραθὼν, victoria Atheniensium, Miltiade duce, nobilitatus locus. Pomponius lib. II cap. III *Marathon magnarum multarumque virtutum testis, iam inde a Theseo, Persica maxime clade pernotus.* A THESEO, inquit, Plutarcho interprete, propter Μαραθώνιον ταῦρον, οὐκ ὀλίγα πράγματα τοῖς οἰκοῦσι τὴν τετράπολιν παρέχοντα, *Marathonium taurum, tetrapoli* [Atticæ] *multum damni inferentem*, quem cepit Theseus & Apollini Delphinio, vt Plutarchus pag. 6, aut vt Pausanias Attic. cap. XXVII extr. refert, τῇ θεῷ, *deæ*, Mineruæ puta, immolauit. Et hic locus in δήμοις, id est *populis* seu oppidis Atticorum censetur. Pausanias Attic. cap. XXXII Δῆμός ἐστι Μαραθών. Ibidem memoratur ἡ ἐν τῷ Μαραθῶνι λίμνη, τὰ πολλὰ ἐλώδης, *lacus ad Marathonem, magna ex parte cœnosus*, in quem fugientes Persæ irruerint, quum hærerent, cæsi sint a victoribus. Situm & distantiam Corn. Nepos Miltiade definit: *Inde* [ab Eubœæ Erethria] *ad Atticam accesserunt, ac suas copias in campum Marathona deduxerunt. Is abest ab oppido circiter millia passuum decem:* hoc est ab Athenis, Bœotiam versus. Propinquum autem mari esse Herodotus ostendit lib. VI cap. CVII de Hippia Pisistrati filio, καταγομένας ἐς τὸν Μαραθῶνα τὰς νέας ὥρμιζε οὗτος, *naues ad Marathonem adpulsas in stationibus locat.*

Prope Marathonem fuit *Brauron.* Pausanias cap. XXXIII Μαραθῶνος δὲ ἀπέχει τῇ μὲν Βραυρὼν, quod Rom. Amasæus vertit: *a Ma-*

a Marathone non multum abest Brauron. Pomponio Melæ II cap. III *Brauronia*, sequiori forma. *Thoricos*, inquit, *& Brauronia, olim vrbes, iam tantum nomina.* At Strabo etiam Βραυρών, & Statius XII Theb. vers. 615

Qui gelidum Braurona viri, qui rura lacessunt
Munychia.

Plures δήμους, siue vicos siue oppida dicas, Strabo lib. IX pag. 275 inter Marathonem & Sunium ponit. Κάμψαντι, inquit, τὴν κατὰ τὸ Σούνιον ἄκραν, ἀξιόλογος δῆμος Σούνιον· εἶτα Θόρικος, εἶτα ποταμὸς δῆμος οὕτω καλούμενος, ἐξ οὗ οἱ ἄνδρες Ποτάμιοι· εἶτα Πρασία, Στειρία, Βραύρων, ὅπου τῆς Βραυρωνίας Ἀρτέμιδος ἱερόν· - - - εἶτα Μυρρινοῦς, Προβάλινθος, Μαραθών. *Vbi promontorium, quod ad Sunium est, circumflexeris, offertur Sunium, memorabilis pagus: tum Thoricus: inde Potamus pagus ita nominatus, cuius incolæ Potamii. Sequuntur Brasia, Steiria, Brauron, vbi Dianæ Brauroniæ templum est: - - - tum Myrrhinûs, Probalinthus, Marathon.* De Braurone iam diximus: de Dianæ ibidem templo, & simulacro, quod Iphigenia ex Taurica adlatum dedicasse fertur, Pausanias Atticis cap. XXXIII consulatur; & in Arcad. cap. XLVI vbi Xerxem ait ἐκ Βραυρῶνος ἄγαλμα τῆς Βραυρωνίας λαβόντα Ἀρτέμιδος, *ex Braurone simulacrum Dianæ Brauroniæ abstulisse.* De ceteris breuiter dicemus.

Thoricus, etiam Melæ, modo productis verbis, memoratus pagus est. Plinio eius nominis promontorium lib. IV cap. VII *Sunium promontorium, Thoricos promontorium.* Vt ad Sunium δῆμος fuit eodem nomine: sic etiam ad promontorium Thoricum. Stephanus: Θορικός, δῆμος τῆς Ἀκαμαντίδος φυλῆς, *Thoricus, pagus Acamanthidis tribus.* Inscriptio apud Sponium: ΚΑΛΛΙΚΡΑΤΟΥ ΘΟΡΙΚΙΟΥ. Sequuntur apud Plinium post Thoricum promontorium: *Potamos, Steria, Brauron, quondam oppida.* Suidas: Ποταμοί, δῆμος τῆς Λεοντίδος, *Potami, pagus* [Atticus] *Leontidis tribus.* Atticæ *Brasia* minus nota quam Laconiæ *Brasia* siue *Brasiæ*, quas Pausanias cap. XXIV & Stephanus commendant. Plinii *Steria*, Strabonis Στειρία, est Pausaniæ δῆμος Ἀττικὸς Πανδιονίδος φυλῆς, *pagus Atticus Pandionidis tribus.* Et Hesychius: Στειριεῖς, δῆμος φυλῆς τῆς Πανδιονίδος. Eiusdem tribus, vt vicina, est Μυρρινοῦς, *Myrrhinûs*, Strabonis. Stephanus: Μυρρινοῦς δῆμος τῆς Πανδιονίδος φυλῆς. ὁ δημότης Μυρρινούσιος. *Myrrhinûs, pagus seu populus Pandionidis*

dionidis tribus: qui in populo illo est, dicitur Myrrhinusius. Inscriptio vetus in Sponii Pagis Atticis: ΙΣΙΓΕΝΟΥΣ ΜΥΡΡΙΝΟΥΣΙΟΥ ΘΥΓΑΤΗΡ. De Probalintho & Marathone dictum est.

Supra Marathonem *Tricorythus*, & deinde *Rhamnûs*. Strabo IX pag. 275 Μετὰ Μαραθῶνα Τρικόρυθος, εἶτα Ῥαμνοῦς τὸ τῆς Νεμέσεως ἱερὸν· εἶτα Ψαφὶς ἡ τῶν Ὠρωπίων. *Post Marathonem est Tricorythus: deinde Rhamnûs, templum Nemesis: post quod Psaphis Oropiorum*, in Bœotiæ finibus. *Tricorythum* Stephanus Τρικόρυνθον, addito Ν, scripsit, nisi mendum est, quia ipse alibi in Τετράπολις, ex Strabone scripsit Τρικόρυθος, *Tricorythus*.

Quòd vltimum in septemtrione, mare versus, oppidum est *Rhamnûs*: de quo Mela dicto loco: *Rhamnus parua, illustris tamen, quod in ea fanum est Amphiarai & Phidiaca Nemesis.* Plinius IV cap. VII *Rhamnus pagus: locus Marathon.* Stephanus: Ῥαμνοῦς, δῆμος τῆς Αἰαντίδος φυλῆς, *Rhamnûs, pagus Aeantidis* siue *Aiacidæ tribus.* Distat a Marathone LX stadiis in septemtrionem. Pausanias Atticis cap. XXXIII Μαραθῶνος δὲ σταδίους μάλιστα ἑξήκοντα ἀπέχει Ῥαμνοῦς τὴν παρὰ θάλασσαν ἰοῦσι ἐς Ὠρωπόν. *A Marathone stadia sexaginta Oropum versus iuxta mare progressis Rhamnûs occurrit.*

Sunt plures δῆμοι in Attica, sed vix certo loco reliquos posueris. Tales sunt, Ἄφιδνα, *Aphidna*, vbi Theseus raptam Helenam dicitur adseruasse, quam inde fratres, Castor & Pollux, liberauerint. Vide Pausaniæ Attic. cap. XVII, qui τὴν Ἄφιδναν singulari numero scripsit. Strabo eamdem historiam vel fabulam recitauit pag. 273, sed scripsit Ἀφύδνα. Certior autem prima forma *Aphidna*, quia etiam Hesychius: Ἄφιδνα δῆμος τῆς Πτολεμαΐδος φυλῆς, *Aphidna pagus Ptolemaidis tribus.* Herodotus lib. IX cap. LXXII ἐπὶ τὰς Ἀφίδνας, *aduersus Aphidnas*, plurali numero, vbi etiam illud de raptu Helenæ adiecit. Incola in Spon. Inscript. est Ἀφίδνιος, *Aphidniensis.* Fuit in pagis etiam *Erchia*, patria Xenophontis. Diogenes Laertius principio Vitæ: Ξενοφῶν, Γρύλλου μὲν ἦν υἱὸς, Ἀθηναῖος, τῶν δήμων Ἐρχιεύς, *Xenophon, Grylli filius, Atheniensis, pago Erchiensis.* Plura de eo pago Meursius Reliquis Attic. cap. V. Fuit & *Melita* Plinii, vnde ΜΕΛΙΤΕΥΣ incola vel δημότης dictus Inscript. Spon. de Pag. Atticis. Fuit quoque *Gar-*

 get-

gettus, Epicuri patria. Diog. Laertius: Ἐπίκουρος Ἀθηναῖος, τὸν δῆμον Γαργήττιος, *Epicurus Atheniensis, pago Gargetto oriundus.* Inde Epicurus *senior Gargettius* dictus est Statio lib. I silv. III vers. 94. Ipse Strabo lib. IX pag. 274 plures δήμους, *populos* seu *pagos* enarrat, *Halimusios*, *Aexonenses* (Αἰξωνεῖς,) *Lampirenses*, *Aegilienses*, (vt Meursius emendat) qui Græce sunt Λαμπτρεῖς, Αἰγιλιεῖς, ab Αἰγιλία, quæ Stephano δῆμος τῆς Ἀντιοχίδος φυλῆς, *pagus Antiochbidis tribus Aegililia:* item *Azenenses*, Ἀζηνιεῖς: vnde in veteri inscriptione in Angliam a nobili Wehlero portata ΔΗΜΗΤΡΙΟΣ ΑΖΗΝΙΕΥΣ. Sic & ΣΦΗΤΤΙΟΣ, *Sphettius* vel *Sphettensis* in alia Sponii inscriptione est, quæ illustrat, quod Pausanias Corinth. cap. XXX scripsit: Τροιζῆνος οἱ παῖδες, Ἀνάφλυστος καὶ Σφῆττος, μετοικοῦσιν ἐς τὴν Ἀττικὴν, καὶ οἱ δῆμοι τὰ ὀνόματα ἔχουσιν ἀπὸ τούτων, *Trœzenis filii Anaphlystus & Sphetus in Atticam migrarunt, a quibus pagi* (oppida Atheniensium) *nomina acceperunt.* Nomen oppidi in duodecim Cecropiis Philochoro apud Strabonem lib. IX pag. 274 est Σφῆττος, *Sphettus.* Etenim εἰς δυωκαίδεκα πόλεις συνοικίσαι τὸ πλῆθος, *in duodecim vrbes multitudinem composuisse* Cecropem regem Philochorus narrat, quæ sint *Cecropia, Tetrapolis, Epacria, Decelea, Eleusis, Aphydna, Thoricus, Brauron, Cytherus, Sphettus, Cephissia, Phalerus.* Has Theseus postea exhausisse fertur, incolarum magna parte Athenas abducta, vt vrbem suam amplificaret. Vide Stephanum in Ἀθῆναι, & Meursium de Fortuna Attica cap. III.

Ex hoc Strabonis loco etiam illud elucet, δήμους Atticos, quos *populos, pagos, vicos, curias* varie vertunt, heic *oppida*, πόλεις, adpellari, vti reuera erant, aut vici maiores, quamuis vnus alteri fuerit frequentior. Φυλαὶ, *tribus* autem in δήμους erant distributæ, quæ ab Stephano plerisque pagis (δήμοις) adnotatæ sunt. Verbi caussa, Tribus *Acamantbis*, Ἀκαμαντὶς, in Thorico: *Aeantis*, ab Aiace nominata, in Tricorytho & Rhamnunte: *Aegeis*, Αἰγηὶς, in Icaria: *Antiochis*, in Anaphlysto: *Cecropis*, Κεκροπὶς, Harpocration in Αἰξωνεῖς: *Hippothoontis* tribus, in Decelea: *Leontis*, in Marathone & Potamo: *Oeneïs*, Οἰνηὶς, in Acharnis & Phyle: *Pandionis*, in Probalintho, Myrrhinunte, ac Stiria: *Ptolemais*, in Aphidna; & ita ceteræ.

Tandem *Tetrapolis Attica* explicanda. Quatuor vrbes erant in septemtrione Atticæ, quæ diutius videntur dignitatem

oppi-

oppidorum sustinuisse: aut ita dictæ, quod antiquitus quatuor ab Xutho illius septemtrionalis partis rege fuerunt conditæ. Strabo lib. VIII pag 264 de Xutho, Ionis patre: *ᾤκισε τὴν Τετράπολιν τῆς Ἀττικῆς· Οἰνόην, Μαραθῶνα, Προβάλινθον καὶ Τρικόρυθον, condidit tetrapolin Atticæ, Oenoen, Marathonem, Probalinthum & Tricorythum.* Festus autem Pompeius, dum Attii vocem *Quadrurbem* interpretatur, videtur aliam *τετράπολιν τῆς Ἀττικῆς*, Atticæ tetrapolim constituere. *Quadrurbem*, inquit, *Athenas Attius adpellauit, quod scilicet ex quatuor vrbibus in vnam domicilia contulerunt, Braurone, Eleusine, Piræo, Sunio.* Verum, etiam doctissimo viro Io. Meursio iudice, grauiter hic Festus errauit: quippe neque ex quatuor vrbibus olim Athenæ constitere, neque Athenas denique ipsas Attius notat, sed tetrapolim potius Atticæ, iam ex Strabonis lib. VIII a nobis explicatam, quam Latino nomine efferre *quadrurbem* ita voluit.

Sic oppida, fontes, flumina Atticorum exposuimus; restant *montes* eiusdem regionis. Strabo lib. IX pag. 275 *τῶν δ' ὀρῶν, ἃ ἐν ὀνόματι μάλιστά ἐστιν, ὅ, τε Ὑμηττὸς, καὶ Βριλησσὸς, καὶ Λυκαβηττὸς, ἔτι δὲ Πάρνης, καὶ Κορυδαλλός. Nobiliores montes sunt Hymettus, & Brilessus, & Lycabettus: adhac etiam Parnes, & Corydallus.* Et Plinius lib. IV cap. VII de Attica: *Montes: Brilessus, Aegialeus, Icarius, Hymettus, Lycabettus.* Addit Strabo *Πεντελικὸν*, *Pentelicum*, post Hymettum facile fodinis optimi marmoris nobilissimum: sicut mellis prouentu Hymettus, itidemque præstantiore: vterque etiam Athenis est propinquior. Strabo dicto loco: *μάρμαρα δ' ἐστὶ τῆς τε Ὑμηττίας καὶ τῆς Πεντελικῆς κάλλιστα μέταλλα πλησίον τῆς πόλεως, Prope vrbem marmor Hymettium pulcherrimum effoditur, etiam Pentelicum: quin & optimum mel fit in Hymetto.* Pausanias Attic. cap. XXXII laudat *Pentelicum, Parnethem & Hymettum:* addit tandem Anchesmum. *Ὄρη δὲ*, inquit, *Ἀθηναίοις ἐστὶ Πεντελικὸν, ἔνθα λιθοτομίαι· καὶ Πάρνης παρεχομένη θήραν συῶν ἀγρίων καὶ ἄρκτων· καὶ Ὑμηττὸς, ὃς φύει νομὰς μελίτταις ἐπιτηδειοτάτας. Montes in Attica sunt, Pentelicus, vbi lapicidinæ: Parnes, aprorum & vrsorum venationes præbens: & Hymettus, qui pastiones apibus commodissimas profert.*

De *Hymetto* pleni sunt libri, poetarum maxime. Statius lib. XII Thebaidos vers. 622

- - - & olentis arator Hymetti.

Et Silius Italicus lib. II vers. 218

Sparsa super flores examina tollit Hymettos.

Idem lib. XIV vers. 200

Tum quæ nectareis vocat ad certamen Hymettum
Audax Hybla fauis.

Martialis lib. VII epigrammate LXXXVII

Pascat & Hybla meas, pascat Hymettos apes.

Tzetzes Chiliad. XI carm. CCCLXX

- - - ὁ Ὑμηττὸς δὲ ὄρος
ἐν ᾧ μέλι τὸ κάλλιςον ἁπάντων τῶν μελίτων.

Hymettus autem mons, in quo præstantissimum omnium mellium. Sic Horatius lib. II Satyr. II vers. 15 *Hymettia mella* laudauit tamquam optima. De marmore Hymettio antea ex Strabone. Itidem Horatius lib. II oda XVIII *trabes Hymettias* dixit marmoreas, quæ columnis transuersæ imponuntur. Vetus ibi commentator: *Hymettiæ: trabes marmoreæ, ex Hymetto monte Atticæ excisæ.* Sic quoque Turnebus, Torrentius, alii. Meursius vero Reliq. Attic. cap. X de arboribus interpretatur. *Silua,* inquit, *etiam nobilis erat* [in Hymetto monte] *e qua trabes petebantur ædificiis.* Inde Horatius lib. II oda XVIII

Non trabes Hymettiæ
Premunt recisas vltima columnas
Africa.

Mons *Pentelicus* etiam propinquus Athenis est Marathonem versus; sicut Hymettus est ab ortu. De *Pentelico* supra ex Strabone & Pausania diximus, marmoris præstantioris lapidicinas habere. Ciceronem his addo ex lib. I ad Atticum epist. VIII *Hermæ tui Pentelici cum capitibus æneis me admodum delectant.* Hermæ Pentelici, statuæ ex marmore factæ Pentelico. *Parnes* quoque cum venationibus suis ostensus ex eisdem auctoribus. Latini succedant. Seneca Hippolyti principio:

Quæ saxoso loca Parnethi
Subiecta iacent.

a Πάρνης enim obliquo casu Πάρνηθος formatur. Statius Theb. XII, 620

Di-

Diues & Aegaleos nemorum, Parnesquè benignus
Vitibus, & pingui melior Lycabeſſus oliua.

Siluoſus vertex & venationibus aptus: inferiora frugum & vini feracia. Supra Eleuſinem & Acharnas ſitus, vt prope cum Cithærone, Bœotiæ extremæ monte, cohæreat. Plato in Critia pag. 503 μέχρι τῦ Κιθαιρῶνος καὶ Πάρνηθος, *vsque ad Citharonem & Parnethem.* Qui additur in tragœdia *Aegaleos*, a Thucydide lib. II pag. 114 ſcribitur Αἰγάλεως, a dextra ſitus euntibus ab Oenoe Acharnas. Verba ſupra in *Acharnis* prolata ſunt. Idem haud dubie eſt Plinii *Aegialeus*, fortaſſis mendoſe ſcriptus, quia Papinius & Thucydides conſentiunt. *Lycabeſſus* eiusdem Statii eſt aliis libris, etiam Barthii, *Lycabettus*, Attica dialecto, qua & Plinius & Strabo vſi ſunt. Situs eſt ante arcem Athenarum, quod ex Antigono Caryſtio probat Meurſius Reliq. Att. cap. VII. Confirmat Plato in Critia veterem Athenarum vrbem dicens pertinuiſſe ad Eridanum & Iliſſum amnes, καὶ τὸν Λυκοβηττὸν ὄρος ἔχυσαν, *& montem Lycobettum complexam* fuiſſe.

Mons *Brileſſus* a Plinio IV cap. VII primo loco poſitus, etiam a Thucydide memoratur lib. II pag. 116. Peloponneſios ait ab Acharnis profectos vaſtaſſe τῶν δήμων τινὰς ἄλλυς τῶν μεταξὺ Πάρνηθος καὶ Βριλήσσυ ὄρυς, *pagorum quosdam alios, ſitos inter Parnethem & Brileſſum montem.* Mons *Icarius* Plinii haud dubie prope *Icariam* pagum fuit, ſupra ex Stephani de Vrbibus excerpto libro notatum, cuius ſitus vero in dubiis latet. Denique *Anchesmus*, Αγχεσμὸς, Pauſaniæ ὄρος ἐςὶν ὐ μέγα, καὶ Διὸς ἄγαλμα Αγχεσμίυ, *mons eſt non ſane magnus, & in eo Iouis Anchesmii ſimulacrum.* nam, vt ibidem (cap. XXXII) Pauſanias dicit, Αθηναίοις τὰ ὄρη καὶ θεῶν ἀγάλματα ἔχει· Πεντελῆσι μὲν Αθηνᾶς· ἐν Υμηττῷ δὲ ἄγαλμά ἐςιν Υμηττίυ Διός· βωμοὶ δὲ καὶ Ομβρίυ Διὸς καὶ Απόλλωνος εἰσι Προοψίυ· καὶ ἐν Πάρνηθι Παρνήθιος Ζεὺς χαλκῦς ἐςὶ καὶ βωμὸς Σημαλέυ Διός, *Horum ſigna Attica montes habent: in Pentelico Mineruæ; in Hymetto, Hymettii Iouis ſtatua eſt, Pluuii etiam Iouis & Apollinis Præſagi ara. In Parnethe Parnethius Iuppiter ex ære, & Semalei Iouis ara.*

MEGARIS.

Megaris, Μεγαρὶς, Megarenſium regio, quam Plinius lib. IV

cap. VII Atticæ partem facit, alii ab ea, vt proximam tamen & contiguam ab occidente, separant. *Attica*, inquit Plinius, *attingit isthmum parte sui, qua vocatur Megaris, a colonia Megara, e regione Pagarum.* Et Strabo fatetur esse, quibus ἡ Μεγαρὶς τῆς Ἀττικῆς μέρος ἦν, *Megaris pars Atticæ sit.* Ipse vero ibidem (est vero sub initium libri IX) distinguit, quum mare coercere dicit τὰ πρὸς τῇ Πελοποννήσῳ, τήν τε Μεγαρίδα καὶ τὴν Ἀττικὴν, *quæ supra Peloponnesum sunt, Megaridem Atticamque.* Et Pomponio Melæ distinctæ regiones sunt Græciæ *Megaris* atque *Atthis.* Separauit etiam Ptolemæus, & Scylax Caryandensis, & ipsæ historiæ quæ bella inter Athenienses & Megarenses gesta enarrant.

Incipit Megaris a finibus Corinthiorum, & primo in litore est *Cromyon* siue *Crommyon*, Κρομμυὼν, oppidum, in ipsis finibus Corinthiorum. Thucydides lib. IV pag. 283 ἔπλευσαν ἐς Κρομμυῶνα τῆς Κορινθίας, *nauigauerunt Crommyonem Corinthiaci agri.* Et Pausanias Corinth. cap. I τῆς Κορινθίας ἐστὶ γῆς ὁ καλούμενος Κρομμυὼν, *Corinthiaci agri est* [locus] *qui Cromyon vocatur.* Strabo autem lib. IX ineunte dicit, τὸν Κρομμυῶνα τῶν Μεγαρέων εἶναι, καὶ μὴ Κορινθίων, *Crommyonem Megarensium esse, non Corinthiorum.* Plutarchus Theseo pag. 4 memorat λῃστρίδα κατοικοῦσαν ἐν Κρομμυῶνι, *latrocinantem feminam, habitantem Crommyone.* Scylax Κρεμμυὼν, & Plinius *Cremmyon* scripsit. Ille, ἔστι καὶ ἔξω τοῦ ἰσθμοῦ χώρα Κορινθίοις, καὶ τεῖχος Σιδοῦς, καὶ ἕτερον τεῖχος Κρεμμυὼν, *Est & extra isthmum Corinthiis regio, & oppidum Sidûs, & aliud oppidum Cremmyon:* hic vero lib. IV cap. VII *In ora portus Schœnûs. Oppida, Sidûs, Cremmyon: Scironia saxa.* Sed alii, vt vidimus, *Crommyon.*

Addit Strabo: Μετὰ δὴ Κρομμυῶνα ὑπέρκεινται τῆς Ἀττικῆς αἱ Σκειρωνίδες πέτραι, πάροδον οὐκ ἀπολιποῦσαι πρὸς θαλάττῃ· ὑπὲρ αὐτῶν δ' ἐστὶν ἡ ὁδὸς, ἡ ἐπὶ Μεγάρων καὶ τῆς Ἀττικῆς ἀπὸ τοῦ ἰσθμοῦ. *Post Crommyonem sunt super Atticam sita Scironides petræ, præter quas mare versus non patet transitus: super illas autem via est, ab isthmo Megaram & in Atticam ducens.* Nomen habere ab Scirone, latronum duce, qui insederat, quem Theseus interfecerit, idem Strabo prodidit, & Plutarchus in Theseo pag. 4. Pomponius Mela lib. II cap. III *Scironia saxa, sæuo quondam Scironis hospitio*

etiam

etiam nunc infamia. Plinius lib. IV cap. VII *Scironia saxa*, VI *mill. longitudine.* Seneca Hippolyto verſ. 1023

Et ſcelere petra nobiles Scironides.

Poſt has petras promontorium eſt Μινώα, *Minoa*, ſub quo *portus* eſt *Niſaenſis*, & iuxta eum oppidum *Niſæa*, nauale Megarenſium. Strabo lib. IX poſt initium: Μετὰ τὰς Σκειρωνίδας πέτρας ἄκρα πρόκειται Μινώα, ποιοῦσα τὸν ἐν τῇ Νισαίᾳ λιμένα. ἡ δὲ Νισαία ἐστὶν ἐπίνειον τῶν Μεγαρέων δέκα καὶ ὀκτὼ σταδίους τῆς πόλεως διέχον, σκέλεσιν ἑκατέρωθεν συναπτόμενον πρὸς αὐτήν· *Poſt Scironides petras promontorium procurrit Minoa, quod portum in Niſæa facit. Niſæa autem eſt nauale Megarenſium decem & octo ſtadiis ab oppido* [Megara] *diſtans, cui vtrimque longo muro connexum eſt.* Et Pauſanias Attic. cap. XXXIX Νισαία ἔτι καὶ νῦν Μεγαρεῦσιν ἐπίνειον ἀπ᾽ αὐτοῦ καλεῖται, *Niſæa hodieque nauale eſt Megarenſium, nomen trahens ab illo*, puta Niſo, Pandionis filio, rege Megarenſi; qui Niſæam condidit. Scholiaſtes Theocriti ad idyll. XII verſ. 27 vocat *Niſam*, ad poetæ verba Νισαῖοι Μεγαρῆες notans: ἐπίνειον Μεγαρέων ἡ Νίσα. Habet & Niſæa ſuam ἀκρόπολιν, *arcem*, quam Pauſanias Attic. cap. XLIV deſcribit; perinde vt ipſi vrbi Megaris eſt ἄλλη ἀκρόπολις, *alia arx*, deſignata ab eodem cap. XLII.

Intus, vt viſum eſt, Strabone monſtrante, ab decem octo ſtadiis caput regionis eſt, quod antiquum nomen hodieque ſeruat, *Megara*, τὰ Μέγαρα Græcis, at Latinis vtroque numero. Pauſanias cap. XXXIX ὁδὸς πρὸς Μέγαρα ἄγει, *via ad Megara ducit.* Thucydides lib. I pag. 70 Ἀθηναίων ἐχόντων Μέγαρα καὶ Πηγάς, *Athenienſibus tum tenentibus & Megara & Pagas.* Liuius lib. XXVIII cap. VII *cum expedito agmine profectus per Bœotiam Megara, atque inde Corinthum deſcendit.* Iuſtinus lib. XIII cap. V *Demoſthenes forte Megaris exſulabat.* At ſingulari numero Plinius IV cap. VII *adpellatur Megaris a colonia Megara.* Et Velleius lib. I cap. II *Peloponneſii, digredientes finibus Atticis, Megaram, mediam Corintho Athenisque vrbem, condidere.* Colli vrbs impoſita, ex quo Νίσου λόφος, *Niſi collis* dicta Pindaro Pyth. od. IX verſ. 160

– – Αἰγίνᾳ τε γάρ
φαμὶ, Νίσου τ᾽ λόφῳ

In Aegina enim, dico, & Niſi colle: & Nem. od. V verſ. 84

Νίσου τ᾽ εὐαγκεῖ λόφῳ,

Pu-

In Nisi colle pulchras valles iuxta se habente. Scholiastes ad hunc locum τετέσιν, ἐν Μεγάροις, *hoc est, Megaris.* Ciuitas nobilis quæ cum Atheniensibus & Corinthiis multa bella gessit: etiam scholam habuit philosophorum. Strabo lib. IX pag. 271 Ἔσχε δέ ποτε καὶ φιλοσόφων διατριβὰς τῶν προσαγορευόντων Μεγαρικῶν, Εὐκλείδην διαδεξαμένων Σωκρατικὸν, ἄνδρα, Μεγαρέα τὸ γένος. *Habuit aliquando etiam scholam philosophorum qui Megarici dicebantur, successores Euclidis Socratici, patria Megarensis.* Dorica dialecto vsi Megarenses, antea Attica, ob nouos colonos quos Peloponnesii eo deduxerunt. Pausanias Attic. cap. XXXIX Μεγαρεῖς οὕτως ἔθη καὶ φωνὴν μεταβαλόντες, Δωριεῖς γεγόνασι, *sic Megarenses, lingua cum moribus mutata, Dorienses facti sunt.* Coloniam tandem Romanam factam esse, supra, tradente Plinio, accepimus. Nummi eius ciuitatis plures exstant, tam veteres quam sub Cæsaribus cusi, omnes inscripti ΜΕΓΑΡΕΩΝ.

Reliqua oppida Megarensium sunt *Pagæ* & *Aegisthena*, Pausanias Att. cap. XLIV ἡ δὲ ὀρεινὴ τῆς Μεγαρίδος τῆς Βοιωτῶν ἐστὶν ὅμορος, ἐν ᾗ Μεγαρεῦσι Πηγαὶ πόλις, ἑτέρα δὲ Αἰγίσθενα ᾤκισται, *Montana Megarici agri pars Bœotis finitima est. In ea ab Megarensibus condita oppidum Pegæ, & aliud, Aegisthena.* Plinius dicto loco: *Pagæ, & amplius Aegosthenienses contributi Megarensibus.* Stephanus: Πηγαὶ, παίροικα Μεγαρέων, *Pegæ, habitatio Megarensium.* Idem chorographus: Αἰγόσθενα πόλις Μεγαρίδος, οὐδετέρως, ὡς Παυσανίας. *Aegosthena, oppidum Megaridis, neutro genere, vt Pausanias.* Quia ad Pausaniam prouocat, haud dubie Stephani scriptura est genuina Pausaniæ, consentiens cum Pliniana: quod eo facilius in animum induco, quod in alia quoque littera Pausaniæ scriptura, vt nunc quidem editum est, vacillat. Eodem enim capite XLIV, quod vltimum Atticorum est, verbis antea productis, scriptum Αἰγίσθαινα diphthongo: mox, paucis interiectis, ἐν Αἰγισθένοις, vocali simplici. Superius oppidum, *Pagas* vel *Pegas*, Ptolemæus ponit in maritimis ad sinum Corinthiacum. nam & ibi ὀρεινὴ, *montana* regio est & finitima Bœotiæ, vt ita Ptolemæus nequaquam a Pausania dissentiat. *Aegosthena* inde in ortum & septemtrionem videntur recessisse. De *Pagis* conuenit Straboni lib. [illegible]II cum Ptolemæo. ait enim, παρεκτείνουσα ἡ ἠιὼν μέχρι Παγῶν τῆς Μεγαρίδος, *porrectum litus vsque ad Pagas Megaridis.* Cæterum *Pagæ* & *Pegæ* scribitur, quia Græce πηγαὶ,

At-

Attica, & Παγαὶ Dorica dialecto, qua Megarenses vsos esse, supra comprobatum fuit: vt adeo propius sit indoli gentis propriæ *Pagæ* Strabonis & Plinii, quam *Pegæ* Thucydidis, Stephani ac Ptolemæi. Addit Plinius *Geraneam*, quo situ, non declarat. Post Scironia saxa; *Geranea*, inquit, *Megara*, *Eleusin*. Stephano id nomen montis est. Γεράνεια, inquit, ἐστὶν ὄρος μεταξὺ Μεγάρων καὶ Κορίνθου, *Geranea mons est inter Megara & Corinthum*.

PELOPONNESVS.

Peloponnesus, magna peninsula, ab austro ceteræ Græciæ adiecta est. Dicitur quasi *Pelopis nesus* siue insula, quamuis proprie insula non sit, sed peninsula. Dionysius periegeta vers. 403

Πέλοπος δ' ἐπὶ νῆσος ἕπεται,
Εἰδομένη πλατάνοιο μυουρίζοντι πετήλῳ,

Pelopis autem insula consequitur, similis platano in acumen desinenti folio. Insulam vocat poeta, ὡς παρὰ βραχὺ τοιαύτη οὖσα, *quod talis sit prater exiguam partem*, isthmum videlicet paucorum stadiorum, vt Eustathius interpretatur. Plinius lib. IV cap. IV *Peloponnesus, Apia ante adpellata & Pelasgia, peninsula haud vlli terræ nobilitate postferenda, inter duo maria, Aegeum & Ionium, platani folio similis propter angulosos recessus.* Similitudinem folii etiam Strabo & Pomponius commendant. Priscis nominibus addit Strabo lib. VIII pag. 256 tertium Ἄργος, *Argos*, idque ex Homeri carminibus etiam comprobat. Constantinus Porphyrogennetus περὶ Θεμάτων lib. II cap. VI ex Nicolai Damasceni libro IV Historiarum singula ab origine ita interpretatur: ἐπὶ μὲν Ἀπίου ἐκαλεῖτο Ἀπία· ἐπὶ δὲ Πελάσγου τοῦ αὐτόχθονος, Πελασγία· ἐπὶ δὲ Ἄργου, καὶ αὐτὴ ὁμωνύμως ἐκαλεῖτο Ἄργος· ἐπὶ δὲ Πέλοπος, Πελοπόννησος ἔσχε τοῦτο τὸ κύριον ὄνομα. *Apio regnante, vocabatur Apia: sub Pelasgo indigena, Pelasgia: sub Argo vero, etiam similiter Argos adpellata est: tandem sub Pelope, Peloponnesus hoc proprium nomen accepit.* Diuiditur secundum populos aut nobiliores vrbes in plures vel pauciores partes, vt etiam Κορινθίαν, Σικυωνίαν quidam, & alii alias in iis numerent: sed præstat non nimium & in minutiores partes dispescere, verum sex tantummodo cum Pomponio Mela hoc ordine dispositas tenere. *In Peloponneso*, inquit lib. II cap. III, *Argolis, Laconice, Messenia, Elis, Achaia, Arcadia.*

ACHAIA.

Alia via, quam qua vſus eſt Pomponius, incedemus, iſthmi ita ratione ducente, qui Peloponneſi eſt initium, nec vero tam Argolidi, quam quæ in latus alterum excurrit, Achaiæ poteſt coniungi. *Achaiam* autem intelligimus *Propriam*, non, quæ ſub Romanis demum ita cœpta eſt dimidia pars Græciæ vniverſæ adpellari, quod Corinthiaco bello Romani, quia caput Corinthus eſt Achaiæ propriæ, in Helladis ſeu liberæ antea Græciæ poſſeſſionem peruenerant. Supra enim demonſtrauimus, omnem Græciam ab Romanis in duas prouincias, Macedoniam & Achaiam, fuiſſe diuiſam.

Incipit Achaia noſtra ab *Iſthmo*, ἰσθμῷ, qui anguſtum collum eſt, quo peninſula cohæret continenti, & Achaiæ quidem iſthmus ſecundum Strabonem lib. VIII pag. 231 latus τετταράκοντα ςαδίυς, *quadraginta ſtadios*, ideo ab Euſtathio ad Dionyſii verſ. 403 dictus ὀλιγοςάδιος αὐχὴν, *ceruix paucorum ſtadiorum*. Plinius lib. IV cap. IV *Anguſtiæ, vnde* [Peloponneſus] *procedit, Iſthmos adpellantur. In eo loco erumpentia e diuerſo maria, eius omnem ibi latitudinem vorant, donec contrario incurſu æquorum tantorum, in quinque* M. *paſſuum interuallo exeſis vtrimque lateribus, anguſta ceruice Peloponneſum contineat Hellas. Corinthiacus hinc, illinc Saronicus adpellatur ſinus: Lechea hinc, Cenchreæ illinc anguſtiarum termini, longo & ancipiti nauium ambitu, quas magnitudo plauſtris transuehi prohibet: quam ob cauſſam perfodere nauigabili alueo anguſtias eas tentauere, Demetrius rex, dictator Cæſar, Caius princeps, Domitius Nero, infauſto, vt omnium patuit exitu, incepto.* De transuectione nauium per iſthmum etiam Strabo lib. VIII pag. 231 τὰ πορθμεῖα ὑπερνεολκοῦσιν ἀπὸ τῆς ἑτέρας εἰς τὴν ἑτέραν θάλατταν, *nauigia* [per iſthmum] *ab vno mari ad alterum traducuntur.* Exemplum eſt apud Liuium lib. XLII cap. XVI *a Corintho, per Iſthmi iugum nauibus traductis, Aeginam traiiciunt.* De irrita perfoſſione Pauſanias Corinth. cap. I Ὃς δὲ ἐπεχείρησε Πελοπόννησον ἐργάσασθαι νῆσον, προαπέλιπε διορύσσων Ἰσθμόν· καὶ ὅθεν μὲν διορύσσειν ἤρξαντο, δῆλόν ἐςι, ἐς δὲ τὸ πετρῶδες οὐ προεχώρησαν ἀρχήν. Μένει δὲ ὡς ἐπεφύκει, καὶ νῦν ἤπειρος ὤν. *Quicumque Peloponneſum inſulam facere conatus eſt, morte oppreſſus, opus imperfectum reliquit. Qua ſane Iſthmus fodi*

cœptus

cœptus fuit, operis exstant vestigia: saxosa eius pars omnino tentata non fuit: ideo situs adhuc sui naturam seruat.

In austrina Isthmi parte est sita vrbs clarissima *Corinthus*, quam Cicero pro Lege Manil. cap. v *totius Græciæ lumen* vocat: a positione poetis cognominata *bimaris*, Horatio lib. I od. VII, Ouidio Metam. lib. v verſ. 407. Vrbs ampla, diues, nitida, & propria sedes excellentissimorum artificum. Strabo lib. VIII pag. 263 sic de laudibus eius: ἡ πόλις τῶν Κορινθίων μεγάλη τε καὶ πλουσία διαπαντὸς ὑπῆρξεν, ἀνδρῶν τε ηὐπόρησεν ἀγαθῶν εἴς τε τὰ πολιτικά, καὶ εἰς τὰς τέχνας δημιουργικάς· μάλιστα γὰρ καὶ ἐνταῦθα καὶ ἐν Σικυῶνι ηὐξήθη γραφική τε καὶ πλαστική, καὶ πᾶσα ἡ τοιαύτη δημιουργία. *Fuit vrbs magna Corinthus & diues semper, copiamque tulit virorum & ad res ci[illegible] tractandas & ad artificia exercenda idoneorum. maxime enim Corinthi & Sicyone pingendi ac fingendi, aliaque id genus artes aucta sunt.* Imminet vrbi mons excelsus & præruptus, *Acrocorinthus* dictus, in cuius vertice fanum Veneris: sub vertice Πειρήνη, *Pirene* fons. Strabo lib. VIII pag. 261 ἐτετείχιστο δ᾽ ὅσον τῆς πόλεως γυμνὸν ἦν τοῦ ὄρους. συμπεριείληπτο δὲ τῷ περιβόλῳ τούτῳ καὶ τὸ ὄρος ὁ Ἀκροκόρινθος, ἧ δυνατὸν ἦν τειχισμὸν δέξασθαι. *Muro munita vrbs, quantum eius mons denudauerat: mœnibus ipse etiam includebatur mons Acrocorinthus, qua muro muniri poterat.* Eodem libro pag. 249 dicit ὄρος ὑψηλὸν καὶ ἀπότομον, τείχει κοινῷ περιειλημμένον, ὥς τ᾽ ἀκροπόλει χρῆσθαι, *montem excelsum & præruptum, communi contentum muro, quo pro arce* [Corinthii] *vtuntur.* Polybius lib. II cap. XLIII πάλιν στρατηγὸς αἱρεθεὶς τὸ δεύτερον, καὶ πραξικοπήσας τὸν Ἀκροκόρινθον Ἀντιγόνου κυριεύοντος, καὶ γενόμενος ἐγκρατής, μεγάλου μὲν ἀπέλυσε φόβου τοὺς τὴν Πελοπόννησον κατοικοῦντας, *iterum prætor* [Achaiæ] *creatus, Acrocorinthum, quem præsidio Antigonus tenebat, vt proderetur, pollicitationibus corrupit; quo potitus, ingenti metu Peloponnesios liberauit.* Et Liuius lib. XXXIV cap. L *respiciunt præsidium, ab Acrocorintho descendens, protinus ad portam duci atque abire.*

Antiquum Corinthi nomen fuit *Ephyra*. Plinius lib. IV cap. IV *Medio interuallo quod Isthmon adpellauimus, adplicata colli habitatur colonia Corinthus, antea Ephyra dicta, sexagenis ab vtroque litore stadiis, e summa sua arce, qua vocatur Acrocorinthus, in qua fons Pirene, diuersa duo maria prospectans.* Apollo-

 do-

dorus lib. I cap. IX sect. 3 Σίσυφος Αἰόλȣ κτίσας Ἐφύραν τὴν νῦν λεγομένην Κόρινθον, *Sisyphus Aeöli filius condidit Ephyram, cui nunc Corintho nomen est.* Hinc Virgilio Georg. II vers. 264 *Ephyreïa æra*, sunt æs Corinthium: & Silius de Syracusis, colonia Corinthiorum, lib. XIV vers. 51

Sed decus Aetnæis haud vllum pulchrius oris
Quam quæ Sisyphio fundauit nomen ab Isthmo,
Et multum ante alias Ephyræis fulget alumnis.

Et ipso *Ephyræ* nomine, pro *Corintho*, poetæ vtuntur. Ouidius lib. II Metamorphos. vers. 239

- - - - queritur Bœotia Dircen,
Argos Amymonen, Ephyre Pirenidas vndas.

Ab Romanis Corinthus bello Achaico fuit deleta, [illegible]d a Cæsare Iulio restituta splendorem pristinum recuperauit; & colonia Romana facta, etiam Plinio teste, quam idem Cæsar dictator deduxit, vt ex nummo elucet Corinthiorum, vna parte cum Iulii imagine inscripto: LAVS. IVLI. CORINT. Sic clarissimus vir Io. Vaillantius refert sine mentione coloniæ: at illustris Spanhemius pag. 236 *Pegasus frequens in nummis Corinthiorum insigne, vel solus vel cum sessore Bellerophonte modo cum leone, modo cum chimæra depugnante, inscriptis* COL. L. IVLIA COR. Vnde plurimos nummos præsertim sub Marco & Lucio Antoninis cusos, scriptosque per notas, C. L. I. COR. eruditissimus quisque interpretatur *Colonia Laus Iulia Corinthus*, eaque ciuitatis adpellatio honorificentior ab illo tempore fuit. Et Dio Cassius lib. XLIII pag. 238 restitutionem vrbis Cæsari imputat, qui, ἀνέστησε, *instaurauit*; & mox: *Carthago & Corinthus vno tempore deleta*, τότε ἅμα ἀνεβιώσκοντο, *tunc simul reuiuiscere cœperunt.* Idem de Iulio tradit Pausanias Corinth. cap. I λέγȣσιν ἀνοικίσαι Καίσαρα, ὃς πολιτείαν πρῶτος ἐν Ῥώμῃ πρῶτος τὴν ἐφ' ἡμῶν κατεστήσατο, *restitutam aiunt a Cæsare* [Corinthum,] *eo, qui Romanam rempublicam, vt nunc est, primus constituit.* Et cap. III, vbi *Octauiæ templum*, quod Corinthi erat, describit, illam dicit sororem fuisse Αὐγȣ́στȣ βασιλεύσαντος μετὰ Καίσαρα τὸν οἰκιστὴν Κορίνθȣ τῆς νῦν, *Augusti, imperantis post Cæsarem, conditorem Corinthi quæ nunc est.*

Proxime Corinthum erat lucus Κράνειον, *Cranéum* dictus, Diogenis Cynici habitaculum. Pausanias cap. II πρὸ τῆς πόλεως κυ-

κυπαρίσσων ἐστὶν ἄλσος ὀνομαζόμενον Κράνειον. *Ante vrbem est cupressorum lucus, cui nomen est Craneum.* Huc illum adiit Alexander rex visendi & audiendi caussa. Plutarchus Alexandro pag. 671 ὡς δὲ ἐκεῖνος ἐλάχιστον Ἀλεξάνδρου λόγον ἔχων, ἐν τῷ Κρανείῳ σχολὴν ἦγεν, αὐτὸς ἐπορεύετο πρὸς αὐτόν. *Cum is* [Diogenes] *in Craneo otium agens, nihil de Alexandro laboraret, ipse ad illum profectus est.*

Corinthus quidem neutrum mare attingebat, ad vtrumque tamen portus habuit commodissimos, ad Crissæum seu occidentalem *Lechæum*, Λεχαῖον: ad Saronicum sinum *Cenchreas*, Κεγχρεάς, longius ab vrbe, quam Lechæum, recedentes. Strabo lib. VIII pag. 262 Ἀρχὴ τῆς παραλίας ἑκατέρας, τῆς μὲν τὸ Λέχαιον, τῆς δὲ Κεγχρεαὶ κώμη καὶ λιμὴν ἀπέχων τῆς πόλεως ὅσον ἑβδομήκοντα στάδια. τούτῳ μὲν οὖν χρῶνται πρὸς τοὺς ἐκ τῆς Ἀσίας· πρὸς δὲ τοὺς ἐκ τῆς Ἰταλίας τῷ Λεχαίῳ. τὸ δὲ Λέχαιον ὑποπέπτωκε τῇ πόλει, κατοικίαν ἔχον οὐ πολλήν· σκέλη δὲ καθείλκυσται σταδίων περὶ δώδεκα, ἑκατέρωθεν τῆς ὁδοῦ τῆς περὶ τὸ Λέχαιον. *Ora maritima vtriusque initia sunt, alterius Lechæum, alterius Cenchreæ, vicus & portus, ab vrbe distans ad* LXX *stadia, quo portu vtuntur ad Asiaticos, Lechæo ad Italos. Lechæum vero sub vrbe iacet, non admodum frequens domicilius. Ab vtraque parte via, qua a Corintho Lechæum pertingit, deducti sunt crurum instar muri, ad stadia circiter duodecim.* Pausanias Corinth. cap. II vtrumque ἐπίνειον, *nauale* Corinthiorum vocat, quibus nomina Neptuni filios Lechen & Cenchriam dedisse refert. Strabo & Pausanias scribunt Λέχαιον: in Ptolemæi libris est Λεχαῖον ἐπίνειον, *Lechæum nauale*, traiecto accentu: Plinius autem IV cap. IV *Lechea*, pluraliter: verba supra fuerunt producta. At Harpocration etiam & Hesychius Λέχαιον, quod vterque describit ἐπίνειον Κορινθίων, *Corinthiorum nauale*. Sic quoque Polybius lib. V cap. XVII βασιλεὺς κατῆρε μετὰ τοῦ στόλου παντὸς εἰς Κόρινθον· ὁρμίσας δὲ τὰς νῆας ἐν τῷ Λεχαίῳ, *Rex cum tota classe Corinthum tendit, adpulitque in Lechæo*: & cap. XXV ἀκούσας ὁ Φίλιππος, ἧκε μετὰ σπουδῆς ἐκ τοῦ Λεχαίου, θέων εἰς τὴν πόλιν, *quo audito Philippus celeriter ex Lechæo in vrbem adcurrit.*

Celebrior portus *Cenchreensis*, cuius nomen varie scribitur. Strabo & diuinus scriptor ad Romanos epistola cap. XVI Κεγχρεαί: & ita quoque Ptolemæus & Stephanus, nisi quod retracto accentu illorum libris Κεγχρέαι editum est. Thucy-

dides & Pausanias diphthongo vsi sunt; ille lib. VIII aliquoties Κεγχρειῶν patrio casu, & pag. 562 ἐς Κεγχρειάς: hic Corinth. cap. II ἐν Κεγχρείαις: semel Thucydides singulari numero lib. IV pag. 281 ἐν Κεγχρειᾷ. Quas vero κώμην, *vicum* Strabo dicto loco dixit, Mela lib. II cap. III & Stephanus *oppidum* vocant. Ille, *In eo* [Isthmo] inquit, *oppidum Cenchreæ, fanum Neptuni, ludis, quos Isthmicos vocant, celebre:* hic, Κεγχρέαι πόλις καὶ ἐπίνειον Κορίνθου, *Cenchreæ oppidum & nauale Corinthi.* Liuius dixit *emporium* Corinthiorum lib. XXXII cap. XVII; *Nauales copiæ, circumuectæ Sunium Atticæ terræ promontorium, Cenchreas, Corinthiorum emporium, petierunt.*

Supra Cenchreas, Megaram versus, ad sinum Saronicum est alius portus *Schœnus*, Σχοινοῦς, ad quem Isthmus angustissimus est, ibidemque naues machinis a mari in mare per Isthmum traducebantur. Strabo lib. VIII pag. 254 κατὰ τὴν Σχοινοῦντα ὁ διολκός, τὸ στενώτατον τοῦ ἰσθμοῦ, περὶ ὃν τὸ τοῦ Ἰσθμίου Ποσειδῶνος ἱερόν, *Apud Schœnuntem angustissima est Isthmi pars, qua naues per terram ex vno mari in alterum traducuntur.* Templum illud Neptuni descripsit Pausanias Corinth. cap. I, situm infra Schœnuntem, Corinthum versus. Iuxta viam quæ Corintho ferebat ad templum, ἔστι μὲν θέατρον, ἔστι δὲ στάδιον λίθου λευκοῦ, *theatrum est & albo lapide stadium,* vbi Isthmii ludi siue agon Isthmius seu certamen solemni tempore celebrabatur, vt ibidem adnotauit Pausanias. Ptolemæus in maritimis τῆς Κορινθίας, Corinthiæ regionis post Cenchreas, ab Epidauro progressus seu austro: Σχοινοῦς λιμήν. Plinius lib. IV cap. VII *In ora, portus Schœnus.* Alius est Melæ *portus Schœnitas*, in eodem sinu quidem, sed prope Trœzenem. Adi Vossium.

Inter Corinthum & Sicyonem flumen est *Nemea*, terminus agri vtriusque. Strabo lib. VIII pag. 263 ὁρίζει τὴν Σικυωνίαν καὶ τὴν Κορινθίαν ποταμὸς Νεμέα. *Sicyoniam & Corinthiam Nemea fluuius discernit.* Liuius lib. XXXIII cap. XV *Androsthenes Corintho profectus ad Nemeam (amnis est Corinthium & Sicyonium interfluens agrum) castra locat.* Ipsa vrbs *Sicyon* reducta a mari olim potens & suis regibus vsa, postea libera, deinde inter certamina ciuitatum nunc Atheniensibus adiuncta, nunc a Spartanis oppressa fuit. Iustinus lib. XIII cap. V *Demosthenes Sicyona, Argos, &*

Corinthum, ceterasque ciuitates eloquentia sua Atheniensibus iunxit. Thucydides lib. v pag. 397 Lacedæmonii τὰ ἐν Σικυῶνι ἐς ὀλίγους κατέστησαν, *statum in Sicyone ad paucos redegerunt.* Quamuis autem sita erat in Achaiæ tractu, si Corinthum quoque Achaiæ adiungimus, & vt Plinius IV cap. v Sicyonem in Achaia scripsit; tamen aliquando certa pactione in Argolide censebatur. Pausanias Arcad. cap. I Σικυώνιοι ἔσχατοι ταύτη μοίρας τῆς Ἀργολίδος, *Sicyonii hac in parte sunt extremi Argolidis populorum.* Alio tempore Achæorum fuit. Liuius lib. XXXII cap. XIX *legatis ad Achæos missis Sicyone datum est concilium.* De situ etiam Liuius lib. XXVII cap. XXXI *Sulpicius ab Naupacto profectus, classem adpulit inter Sicyonem & Corinthum, agrumque nobilissimæ fertilitatis effuse vastauit.* Ceterum ciuitas artificum ingenio nihil Corinthiis concessit, vt supra in *Corintho* ex Strabone ostendimus. Hinc adagii loco, de quo Stephanus, ὑποδήματα Σικυώνια, *Sicyonii calcei*, elegantiores, quam vt graui viro conuenirent, quod Socratis exemplo egregie demonstrauit Cicero lib. I de Orat. cap. LIV.

Propius vrbem præfluit amnis *Asopus*, Ἀσωπὸς, qui alius est a Nemea, quia vtrumque Strabo, vt diuersos, nobis tradidit. De Nemea, supra: de *Asopo* eodem loco (pag. 263) Ἀσωπὸς ὁ παραῤῥέων τὴν Σικυωνίαν, καὶ ποιῶν τὴν Ἀσωπίαν χώραν, μέρος οὖσαν τῆς Σικυωνίας. *Asopus præterfluit Sicyoniam, & facit regionem Asopiam, quæ pars est Sicyoniæ.* Ptolemæus Asopum Corinthiæ regioni adscribit, in qua ostia illius ponit: sed secundum Strabonem potius est Sicyoniæ. In Sicyonia autem Ptolemæus censet *Phliuntem* oppidum, recto casu Φλιοῦς, *Phliûs.* Strabo dicto loco: Κεῖται ὁ Φλιοῦς ἐν μέσῳ Σικυωνίας, Ἀργείας, Κλεωνῶν, καὶ Στυμφάλου, κύκλῳ περιεχόμενος. Τιμᾶται δ' ἐν Φλιοῦντι καὶ Σικυῶνι τὸ τῆς Δίας ἱερὸν, καλοῦσι δ' οὕτω τὴν Ἥβην. *Phlius iacet in medio Sicyoniæ, Argolidis, Cleonarum & Stymphali, circulo inclusa. Colitur Phliunte & Sicyone Diæ fanum, id est Hebes siue Iuuentæ.* Habet etiam Stephanus, cui Φλιοῦς est πόλις Πελοποννήσου, *oppidum Peloponnesi:* & gentile Φλιούντιος ac Φλιάσιος, euphoniæ gratia pro Φλιούσιος. Vnde *Phliasia* ager est circa Phliuntem. Pausanias Corinth. cap. XII ἡ Φλιασία τῆς Σικυωνίων ἐστὶν ὅμορος, *Phliasia Sicyoniis est finitima.*

Quibus Corinthia & Sicyonia singulares regiones sunt, hinc

hinc Achaiam propriam incipiunt, vt primum in ea castellum *Pallene* sit. Strabo lib. VIII pag. 266 ἔστι ἡ Πελλήνη σταδίοις ἑξήκοντα τῆς θαλάττης ὑπερκειμένη, φρούριον ἐρυμνόν. ἔστι δὲ καὶ κώμη Πελλήνη, - - - κεῖται μεταξὺ Αἰγῶν καὶ Πελλήνης. *Pellene stadiis* LX supra mare posita, castellum munitum. *Est & vicus Pellene situs inter Aegas &* [castellum] *Pellenen*. Ceteri vnius Pellenes meminere, vici, seu κώμης, vt Strabo vocat, quam Xenophon lib. VII de Reb. Graec. pag. 371 πόλιν Πελλήνην, *vrbem Pellenen* dixit: castellum autem eius loci adpellarunt Ὄλουρον, *Olurum*. Plinius lib. IV cap. V *Prima ibi Lechea, Corinthiorum portus: mox Oluros, Pellenaeorum castellum*. Xenophon dicto loco: καταλαμβάνουσιν αὐτῶν Ὄλουρον. - - - ἐπεὶ δ᾽ ᾔσθοντο τὰ περὶ Ὀλούρου, περιελθόντες αὖ καὶ οὗτοι, ὅποι ἐδύναντο, εἰς τὴν αὐτῶν πόλιν Πελλήνην εἰσῆλθον. *Arcades capiunt illorum* [Pellenensium] *Olurum* - - - *Postquam vero* [Pellenaei] *cognouerunt quae Oluri facta essent, circumeuntes, vtcumque poterant, in oppidum suum Pellenen reuertuntur*. Multa & alia de Pellenaeorum rebus & expeditionibus in Xenophontis libro: vt adeo vrbem potius, quam vicum fuisse, credibilius sit. Stephanus: Ὄλουρος, πολίχνιον Ἀχαΐας, οὐ πόρρω Πελλήνης, *Olurus, oppidulum* [siue castellum] *Achaia, non procul a Pellene*.

Achaiae cetera oppida illorumque situm optime descripsit Strabo lib. VIII pag. 265. Ἡ δὲ τάξις τῶν τόπων, οὓς κατῴκουν, εἰς δώδεκα μέρη διῃρημένη, τοιαύτη τίς ἐστι. Μετὰ Σικυῶνα Πελλήνη κεῖται· εἶτα Αἴγειρα δευτέρα· τρίτη Αἰγαί, Ποσειδῶνος ἱερὸν ἔχουσα· τετάρτη Βοῦρα· μετ᾽ αὐτὴν, Ἑλίκη· - - - μετὰ δὲ Ἑλίκην Αἴγιον, καὶ Ῥύπες, καὶ Πατρεῖς, καὶ Φαρεῖς· εἶτ᾽ Ὤλενος, παρ᾽ ὃν ποταμὸς μέγας Μέλας· εἶτα Δύμη καὶ Τριταιεῖς. *Ordo locorum, quos* [Achaei] *habitabant, hic est: Post Sicyonem Pallene est sita, deinde secunda Aegira, tertia Aegae, quae templum habent Neptuni; quarta Bura: post hanc est Helice; - - - post Helicen est Aegium, Rypenses, Patrenses, & Pharenses: deinde est Olenus, iuxta quem fluuius magnus Melas decurrit: post Dyme & Tritaenses*. Polybius lib. II cap. XLI de populari republica Achaeorum: τοῦτο δ᾽ ἦν ἐκ δώδεκα πόλεων, ἃς ἔτι καὶ νῦν συμβαίνει διαμένειν πλὴν Ὠλένου καὶ Ἑλίκης τῆς πρὸ τῶν Λευκτρικῶν ὑπὸ τῆς θαλάττης καταποθείσης. αὗται δ᾽ εἰσὶ, Πάτραι, Δύμη, Φαραί, Τριταία, Λεόντιον, Αἴγειρα, Πελλήνη, Αἴγιον, Βοῦρα, Κεραυνία, Ὤλενος καὶ Ἑλίκη. *Haec ex* XII *vrbibus constabat, quae nunc quoque super-*

perſunt, præter Olenum, & Helicen, quam paullo ante cladem Leuctricam mare hauſit. Sunt autem hæ: Patræ, Dyme, Pharæ, Tritæa, Leontium, Aegira, Pellene, Aegium, Bura, Ceraunia, Olenus, & Helice. Plinius lib. IV cap. V & Buram in hauſtis numerat. *Oppida*, inquit, *Helice, Bura: in quæ refugere hauſtis prioribus, Sicyon, Aegira, Aegion, Erineos.*

Ex his de pluribus Achaiæ ciuitatibus iudicari poteſt. De *Pellene* ſatis dictum. *Aegira*, porrecta media, quia Αἴγειρα Polybio eſt & Stephano, etiam Ptolemæo, qui in maritimis ſcripſit. abeſt enim a mari tantum ſeptem ſtadia. Polybius lib. IV cap. LVII ἡ τῶν Αἰγειρατῶν πόλις ἔκτισται τῆς Πελοποννήσου κατὰ τὸν Κορινθιακὸν κόλπον, μεταξὺ τῆς Αἰγιέων καὶ Σικυωνίων πόλεων. κεῖται δ' ἐπὶ λόφων ἐρυμνῶν καὶ δυσβάτων. νεύει δὲ τῇ θέσει πρὸς τὸν Παρνασὸν καὶ ταῦτα τὰ μέρη τῆς ἀντιπέρας χώρας. ἀπέχει δὲ τῆς θαλάττης ὡς ἑπτὰ σάδια. *Oppidum Aegira ſitum eſt in ea Peloponneſi parte, quam Corinthiacus ſinus adluit inter Aegium & Sicyonem, collibus impoſita præruptis & inacceſſis. Spectat eius ſitus Parnaſſum & vicina loca in regione oppoſita, diſtatque a mari ſtadia ſeptem.* Aegiratis nauale fuit eiusdem nominis, a quo ἐς τὴν ἄνω πόλιν, *in vrbem in colle ſitam* ſtadia XII eſſe, Pauſanias tradit Achaic. cap. XXVI.

Quas *Aegas* Strabo poſt Aegiram memorauit, etiam ab Homero Iliad. Θ verſ. 203 vna cum Helice laudatæ ſunt. Pauſanias autem cap. XXV refert, ἐκλειφθῆναι αὐτὴν [πόλιν] ἀνὰ χρόνον ὑπὸ ἀσθενείας, *deſertam illam vrbem fuiſſe, quum amiſſis opibus infirmior facta eſſet.* Sita fuerat πρὸς τῇ Ἀχαϊκῇ Κρᾶθιδι, *ad Achaiæ flumen Crathidem*, a quo nomen ducit Crathis amnis Italiæ. De *Bura* & *Helice* ſupra eſt abunde dictum ex Polybio, Plinio, ac Strabone. De *Helices* interitu res certa eſt: de *Bura* aliter res habet, quam non mare hauſit, ſed σεισμὸς, *terræ motus*, euertit, ſeruatis tantum, qui ἀποδημοῦντες, *peregre profecti* vel militiæ vel negotii cauſſa aberant; καὶ αὐτοὶ τῆς Βούρας ἐγένοντο οἰκισαὶ, *qui Buram reſtituerunt:* quod diligentius dicto cap. XXV Pauſanias adnotauit. Idem etiam ποταμὸν Βουραϊκὸν ὀνομαζόμενον, *Buraicum amnem*, qui præterfluit vrbem, memorauit.

Aegium, quod Strabonis ordine ſequitur, oppidum nobilius eſt. nam Achaiæ συνέδριον, *concilium* habuit. Pauſanias cap.

XXIV [illegible] Αἴγιον καὶ ἐφ᾽ ἡμῶν ἔτι συνέδριον τῶν Ἀχαιῶν ἀθροίζεται, *conuentus Achaeorum etiam adhuc nostra aetate Aegii celebratur.* Et Liuius lib. XXXVIII cap. XXX *Aegium a principio Achaici concilii semper conuentus gentis indicti sunt: seu dignitati vrbis id, seu loci opportunitati datum.* Quadraginta stadiis aberat a χωρίῳ Ἑλίκη, *a loco Helices* seu reliquo ex illa vrbe vico: quod Pausanias dicto loco obseruauit, qui etiam religiones loci, Ὁμαγυρίου Διός, *Homagyrii Iouis*, i. e. Congregatoris; & Παναχαΐας Δήμητρος, *Cereris Panachaeae*; nec non Lucinae, & Aesculapii, & aliorum descripsit: cultum vero *Achaeae Iunonis apud Aegium oppidum* meminit Tertullianus lib. I cap. VI ad Vxorem. Aegiensem agrum perlabuntur flumina, *Phoenix* & *Meganitas*, eodem Pausania prodente cap. XXIII. Nummus exstat in Cimelio serenissimi Electoris Brandenburgici inscriptus AIΓI, cum testudinis figura, quae signum Peloponnesi, vt minus dubitare liceat, quo procusus ille loco sit.

Deinde fuerunt *Rypa* siue *Rhypae*, Ῥύπαι. Stephanus: Ῥύπαι, πόλις Ἀχαϊκή, *Rypa, vrbs Achaica.* Pausanias Achaic. cap. XXIII ὀλίγον ὑπὲρ τὴν λεωφόρον, Ῥυπῶν ἐστι τὰ ἐρείπια. Σταδίους δὲ Αἴγιον περὶ τοὺς τριάκοντα ἀπέχει Ῥυπῶν, *Paululum supra militarem viam cernuntur Rhyparum ruina: ab illis distat Aegium stadia circiter* XXX. Strabo scripsit Ῥύπες, vt Aldi & Casauboni libris editis est, quod gentiliter interpres vertit *Rhypenses*. Pausanias cap. VI Ῥίπες, qui vero alibi, cap. XXIII, per υ scripsit Ῥυπῶν ἐρείπια.

Ptolemaeo inter Aegium & promontorium Rhium est Ἐρινεὸς λιμήν, *Erineus portus*; Plinio *Erineos*: in quo tractu Polybius lib. V cap. CII portum aliquem *Panormum* ita describit: περὶ Πάνορμον· ὅς ἐστι μὲν τῆς Πελοποννήσου λιμήν, κεῖται δὲ κατ᾽ ἀντικρὺ τῆς τῶν Ναυπακτίων πόλεως. *circa Panormum* [castra ponit:] *is portus est Peloponnesi, qui vrbem Naupactum habet in aduerso litore oppositam.* Sequitur *Rhium* promontorium ad fretum, cui *Antirrhium*, de quo in Aetolia dictum, obuersum est. Ptolemaeus: Ῥίον, ἄκρον, τὸ καὶ Δρέπανον, *Rhium, promontorium, quod etiam Drepanum vocatur.* Clarius Strabo lib. VIII pag. 231 Ἔστι τὸ μὲν Ῥίον τῶν Ἀχαιῶν ἀλιτενὴς ἄκρα, δρεπανοειδῆ τινὰ ἐπιστροφὴν εἰς τὸ ἐντὸς ἔχουσα, καὶ δὴ καὶ καλεῖται Δρέπανον, *Rium Achaia est promontorium in mare*

pro-

prominens, introrsum falcis in morem reflexum: vnde & Drepanum dicitur. An etiam oppidum eiusdem nominis subiectum fuerit, non plane liquet. Stephanus dubitabundus: Ῥίον πόλις Μεσσήνης ἢ Ἀχαΐας· καὶ ἄλλη Αἰτωλίας. *Rhium oppidum Messenæ vel Achaiæ: & aliud Aetoliæ.* Liuius lib. XXVII cap. XXX *De pace dilata consultatio est in concilium Achaeorum; concilioque ei & locus, & dies certa dicta. - - - -* [Rex] *Heraeis peractis, ab ipso ludicro extemplo Rhium profectus est ad indictum multo ante sociorum concilium.* Vnde oppidum ad illud promontorium fuisse Sigonius probauit.

Vltra promontorium *Patræ* proximæ, nobilis ciuitas. Cicero lib. VII epist. XXVIII ad Curium: *Erat multo domicilium huius vrbis (cum quidem hæc vrbs) aptius humanitati & suauitati tuæ, quam tota Peloponnesus, nedum Patræ.* Et lib. XIII epist. XVII *M'. Curius, qui Patris negotiatur.* Et lib. XVI epist. I ad Tironem: *si intelliges opus esse, te Patris conualescendi caussa paullum commorari.* Plinius lib. IV cap. IV & situm & dignitatem clarius descripsit. *Patræ, inquit, colonia, in longissimo promontorio Peloponnesi condita, ex aduerso Aetoliæ & fluminis Eueni.* Antiquissimum nomen eius fuit *Aroë*, Ἀρόη siue Ἀρόα: post amplificata a Patreo (Πατρεὺς recto casu) nomen *Patrarum* ab illo adsumsit, veteri non omnino abolito, sed coniuncto cum nouo in nummis. Vide Pausan. Ach. cap. XVIII. Colonia facta sub Augusto, cuius nummus habet COL. A. A. PATRENS. Et Neronis: COL. A. A. PATR. quod legunt: *Colonia Augusta Aroe Patrensis.*

Inde sunt *Pharæ*, a Strabone supra, Polybio item & Plinio ita nominatæ, Græce Φάραι: a Ptolemæo Φεραὶ, *Pheræ*, qui in mediterraneis censet, licet non longe a mari reductas fuisse, ex Strabonis narratione ac ordine oppidorum constat. Tum *Pirus* amnis, Πεῖρος, a Pausania cap. XVIII descriptus, LXXX stadiis a Patrensium ciuitate: iuxta cuius ripam fuit *Olenus*, Ὤλενος, quæ postea propter ciuium imbecillitatem defecit & deserta est. Pausanias ibidem: Ἀχαιῶν πόλις ποτὲ Ὤλενος ᾤκεῖτο παρὰ τῷ Πείρῳ. Postea dicit, eius οἰκήτορας ἐκλιπεῖν ὑπὸ ἀσθενείας. Plinius lib. IV cap. V *vltra Patras oppidum Olenum.* Iuxta Olenum fluuius *Melas.* Vide Strabonem.

Tandem *Dyme*, Δύμη, Liuio plurali numero *Dymæ*, vrbs vltima Achaicarum, quæ a fluuio *Larisso*, communi termino Achæorum Eleorumque, vt Pausanias tradit cap. XVII, σαδίους ὅσον τετρακοσίους ἀπέχει, *circiter quadringenta stadia abest*, qui numerus mihi videtur nimius: neque, CCC, vt Stephanus Niger Dialogo habet, non iusto maior mihi adparet, vt plane persuasus sim, *quadraginta* posse sufficere: nam *Araxus* promontorium, quod vltra Larissum est, LX stadiis abest a Dyme, vt mox ex Strabone probabimus. Omnes *Dymen* Achæorum vltimam ponunt, quæ sic a limitaneo fluuio longius non potuit abesse. Ptolemæus enim sic finit Achaiæ maritima: Πάτραι, Ὤλενος, Δύμη, Ἄραξος ἄκρα. Pausanias autem ὅρον, *limitem* facit flumen Larissum, quod vel terminus diuersis temporibus variauit, vel Larissus est intus, Araxus in ora terminus. Liuius, vt Pausanias, lib. XXVII cap. XXXI: *Profecti ab Dymis, coniuncto exercitu transeunt Larissum amnem, qui Eleum agrum ab Dymaeo dirimit.* Straboni sub finem libri VIII Araxus est ἀκρωτήριον τῆς Ἠλείας, *Elea promontorium*. Sed ad *Dymen* reuertimur, quam coloniam Romanam Plinius dixit, *Vltra Patras oppidum Olenum, colonia Dyme.* Vt Strabo sub finem libri VIII refert, Pompeius Magnus, καταλύσας τὰ λῃστήρια, *finito Piratico bello*, quosdam piratarum Dymæ collocauit, vt alios ἐν Σόλοις, *Solis Ciliciæ*; ἀνθρώπους μιγάδας, *homines diuersarum nationum*, vt solent in turba prædonum. Augustus autem Dymen contribuit Patrensibus. Pausanias ibidem: Αὔγουστος ὕστερον καὶ προσένειμεν αὐτὴν [Δύμην] Πατρεῦσιν.

Supersunt Achaiæ oppida, quorum sedes est incertior. Ex his est *Tritæa*, Stephano πόλις Ἀχαΐας, *oppidum Achaiæ*, quod vltra Dymen videtur Strabo pag. 265 posuisse, post Patras, Pharas & Olenum ita ordinans oppida: εἶτα Δύμη καὶ Τριταιεῖς, *deinde Dyme & Tritæenses.* At Pausanias cap. VI, ordine inuerso procedens, Δύμη πρὸς Ἤλιδος πρώτη· μετὰ δὲ αὐτὴν Ὤλενος, καὶ Φαραί, καὶ Τριταία, Ῥύπες, *Dyme est prima ab Elide venientibus: deinde Olenos, & Phara, & Tritæa, Ripes.* Turbatior est Polybii ordo, lib. II cap. XLI, *Patræ, Dyme, Phara, Tritæa, Leontium, Aegira:* in hoc tamen consentiens Pausaniæ, quod cum Pharis Tritæam coniunxit. Nec illud liquet ad mare fuerit *Tritæa*, an paullo reductior ab illo. Neque *Leontium* Polybii est certius,

quod

quod etiam lib. v cap. XCIV memorauit: neque eiusdem *Cerauniа:*, aut Κεραύνεια, *Ceryneia* Pausaniæ cap. VI. Interiora omnia sunt ignota, neque Ptolemæus alia in mediterraneis recensuit, nisi *Pharas, Helicen, Buram, Pellenen*, quæ omnia tamen in ora fuerunt, & mari satis propinqua.

ELIS SIVE ELEA.

Elis siue *Elea*, Ἠλεία, Peloponnesi regio inter Achaiam & Messeniam, ab Arcadia ad mare vsque quod occasum solis spectat. Adpellatur ab vrbe *Eli* eiusdem nominis, quo est regio, nisi quod regionis vocabulum aiunt crescere obliquis, *Elis, Elidis;* non item nomen vrbis. Strabo lib. VIII pag. 231 Νῦν δὲ πᾶσαν Ἠλείαν ὀνομάζουσι τὴν μεταξὺ Ἀχαιῶν τε καὶ Μεσσηνίων παραλίαν, ἀνέχουσαν εἰς τὴν μεσόγαιαν τὴν πρὸς Ἀρκαδίᾳ, *Hodie Eleam vocamus omnem maritimam oram inter Achæos & Messenios, contingentem in mediterraneis Arcadiam.* Ptolemæus etiam Ἠλείαν, *Eleam*, vocat hanc regionem. Scylax: Μετὰ Ἀχαιοὺς ἐστὶν ἔθνος Ἦλις, *post Achæos est Elis.* Polybius lib. V cap. XCII ἐξελθὼν ἐκ τῆς Ἤλιδος κατὰ τὴν εἰσβολὴν τὴν εἰς Μεσσηνίαν, *egressus ex Elide iuxta primum aditum in Messeniam.* Ouidius Metamorph. lib. V vers. 494

Pisa mihi patria est, & ab Elide ducimus ortum.

Terminus Achaiæ atque Elidis, etiam secundum Strabonem VIII pag. 233 promontorium *Araxus:* ἔστι ἄκρα τῆς Ἠλείας πρὸς βορρᾶν ἀπὸ ἑξήκοντα σταδίων Δύμης Ἀχαϊκῆς πόλεως Ἄραξος, *promontorium Eleæ septemtrionem versus, a Dyma distans* LX *stadiis.* De Ptolemæo supra cognouimus. Polybius lib. IV cap. LXV οἱ κατὰ τὸν Ἄραξον τόποι, *quæ iuxta Araxum iacent.*

Deinde est *Cyllene*, Κυλλήνη, nauale Eleorum. nam & ipse Strabo dicto loco, τὸ τῶν Ἠλείων ἐπίνειον ἡ Κυλλήνη, *Eleorum nauale Cyllene.* Confirmat Ptolemæus: Κυλλήνη ἐπίνειον. Thucydides lib. I pag. 22 τὴν Κυλλήνην, τὸ Ἠλείων ἐπίνειον, ἐνέπρησαν, *Cyllenen, Eleorum nauale, incenderunt.* Liuius lib. XXVII cap. XXXII *ignorabant Sulpicium cum* XV *nauibus ab Naupacto Cyllenem traiecisse.*

Post Cyllenen Ptolemæo sunt Πηνειοῦ, *Penei* amnis ostia, qui minor est quam id nominis fluuius in Thessalia. Strabo dicit pag. 233 inter Cyllenen & Chelonatam promontorium exire *Pe-*

neum & *Sellentem* fluuios: Πηνειὸς ποταμὸς καὶ ὁ Σελλήεις, ὑπὸ τοῦ ποιητοῦ λεγόμενος, *Peneus* is est, quem Tzetzes ad Lycophronis vers. 652 pag. 107 dicit ab Hercule, vna cum Alpheo, Augiæ stabulo purgando immissum fuisse: τρέψας, inquit, πρὸς τὴν βουστασίαν ποταμοὺς β', τόν τε Ἀλφειὸν καὶ Πηνειὸν, τὴν ἀμέτρον ἐκείνην τῶν βοῶν κόπρον καθαίρει βραχείᾳ ἡμέρᾳ. At Pausanias Eliac. lib. I cap. I id *Minyeio*, itidem Eleæ fluuio circa Triphyliam tribuit, de hoc Herculis labore dicens: τοῦτο ἐξειργάσατο, ἐκτρέψας τοῦ Μινυηΐου τὸ ῥεῦμα ἐς τὴν κόπρον. *Hoc perfecit immisso in stercora flumine Minyeio.* Hic quoque per se in mare exit, non delatus ab alio. Homerus Iliados Λ vers. 721

> Ἔστι δέ τις ποταμὸς Μινυήϊος εἰς ἅλα βάλλων
> Ἐγγύθεν Ἀρήνης.
> *Fluuius est aliquis Minyeius in mare exiens*
> *Prope Arenen.*

Selleis fluuius, Σελλήεις, post exit, vt supra Strabone auctore diximus. Homeri vtitur auctoritate, Catalogi vers. 166

> Τὴν ἄγετ' ἐξ Ἐφύρης ποταμοῦ ἄπο Σελλήεντος,
> *Quam duxerat ex Ephyra, à flumine Selleente.*

Intus fuit ad flumen hæc *Ephyra*, postea disparuit, vel nomine in aliud mutato, vel funditus euersa. Tum sequitur promontorium Χελωνάτας, *Chelonatas*, vt Strabo dicto loco vocat, siue *Chelonates*, vt Mela lib. II cap. III; seu, vt Ptolemæus, Χελωνίτης ἄκρα, *Chelonites promontorium*. Palatinus codex habet etiam Χελωνίτην κόλπον, *sinum Cheloniten*, iuxta promontorium huius nominis: inter quod & Alphei ostia Ptolemæo Ἰχθὺς ἄκρα, *promontorium Ichthys.* Mela lib. II cap. III promontorio *Ichthy* finit a septemtrione sinum Cyparissium. Aliud promontorium Φειὰ, *Phia*, cum oppido eiusdem nominis μετὰ τὸν Χελωνάταν, *post Chelonatam*, apud Strabonem est lib. VIII pag. 236, qui dicit, εἶτ' ἄκρα Φειὰ, *deinde* [post Chelonatam & Pisatarum litus] *promontorium Phia: ἦν δὲ καὶ πολίχνη, erat etiam oppidum huius nominis.* Thucydides lib. II pag. 118 τῆς Ἠλείας ἐς Φειὰν, *in Phiam Eleæ:* & Homerus Iliad. Η vers. 135

> Φειᾶς πὰρ τείχεσσιν, Ἰαρδάνου ἀμφὶ ῥέεθρα,
> *Apud mœnia Phia, circa Iardani fluenta,*

qui præterfluit. Vide Didymi scholion. Tum vero *Alpheus*,

Ἀλφειός, nobilissimus fluuius Peloponnesi, longo anfractu per Arcadiam delapsus, effunditur. Mira fabulantur de hoc fluuio, amore nymphæ Arethusæ subter mare deferri ad Siciliam, & in Syracusano fonte erumpere. Virgilius lib. III Aeneid. verf. 694

Alpheum fama est huc Elidis amnem
Occultas egisse vias subter mare, qui nunc
Ore, Arethusa, tuo Siculis confunditur vndis.

Ab Alpheo ad Messeniæ fines quæ superest pars Elidis, vocabatur *Tryphalia*, Τρυφαλία, Polybio lib. IV cap. LXXVII, cui vrbes dat *Samicum*, *Lepreum*, *Hypanam*, alias; definitque, quod κεῖται Πελοποννήσου παρὰ θάλατταν μεταξὺ τῆς Ἠλείων καὶ Μεσσηνίων χώρας, *iaceat in maritimis Peloponnesi inter Eleorum & Messeniorum regionem.* Quum vero *Samicum* & *Lepreum* Pausanias Eliac. lib. I cap. V in *Triphylia* regione censeat, adparet *Triphyliam* & *Tryphaliam* eamdem esse. *Triphyliam* quoque Strabo dixit lib. VIII pag. 232; & Liuius lib. XXXII cap. V *Eleis Alipheram contendentibus, nunquam eam vrbem fuisse ex Triphylia, sed sibi debere restitui.* Dionysius Perieg. verf. 409

Τῆς πρὸς μετὰ ζέφυρον Τρυφυλίδος ἤθεα γαίης,
Ab occasu eius, sedes terra Triphylidis.

Ex oppidis Triphyliæ ad mare tantum fuit *Samicum.* Pausanias dicto loco: χωρίον ἐστὶν ἐπὶ θάλασσαν καθῆκον, ὀνομάζεται μὲν Σαμικόν· *oppidum est ad mare pertinens, quod Samicum nominatur.* cetera sunt intus sita pleraque.

In mediterraneis caput regionis, quod nomen dedit, vrbs *Elis*, Ἦλις, ad Peneum sita, qui perfluit. Strabo lib. VIII pag. 232 ἡ Ἦλις ἐκ τῶν περιοικίδων συνεπολίσθη μία τούτων. ῥεῖ δὲ διὰ τῆς πόλεως ὁ Πηνειός. *Elis ex pagis circumiectis in vnam vrbem redacta est, per quam Peneus fluit.* Stephanus: Ἦλις, πόλις πρὸς τῇ Ολυμπίᾳ, *Elis, vrbs prope Olympiam.* Fuerunt qui cum Pisa & Olympia confunderent. οὐκ ὀρθῶς δὲ, *non recte vero,* vt vetus scholiastes Pindari ait ad Olymp. I verf. 28, qui a Pisa σταδίοις πεντήκοντα, *stadiis quinquaginta* abesse scribit. Pisæ autem & Olympiæ vicinitatem postea monstraturi sumus. Post Troianum bellum condita, & initio quidem sine muro, vt Strabo refert eodem libro p. 247. sed post id tempus cinctam muro fuisse, ex

Pausaniæ Messen. cap. XXVIII clarum est. Quum enim Lacedæmonii auxilia in vrbem, factionibus turbatam, missuri essent, Messenii habitu Spartano φθάνουσιν ἀφικόμενοι πρὸς τὴν Ἦλιν, *praeueniunt Elin venientes*, quos qui in vrbe erant Lacedæmoniis studentes, ἐδέχοντο ἐς τὸ τεῖχος, *intra mœnia receperunt*. Strabo de hac vrbe pag. 235 κατὰ τὴν ἐκ Δύμης εἰς Ἦλιν ὁδὸν, *iuxta viam, quæ a Dyma ducit Elin*. Liuius lib. XXXVIII cap. XXXII *Tumultus consulem in Peloponnesum adduxit; iussuque eius Elin concilio indicto, Lacedæmonii ad disceptandum acciti*. Ciues Ἠλεῖοι, *Elei*, communi nomine cum gente ac natione. Stephanus etiam Ἠλίδειος, *Elideus* habet, quod Latino ore formatum fit *Elidensis*. Gellius lib. II cap. XVIII *Phædon Elidensis ex cohorte illa Socratica fuit*. Vnde videri possit, vrbis nomen æque vt regionis, patrio casu Ἤλιδος, *Elidis* formare, quemadmodum Stephanus ille gentile, ἀπὸ τῆς Ἤλιδος γενικῆς, *a genitiuo Elidis* deduci censebat, secus ac clarissimi viri distinguunt Petrus Victorius & alii ad Ciceronis lib. XIII epist. XXVI distinguunt. Ciceronis tamen libris MSS. constanter inest: *qui Eli negotiatur, est*. Strabo autem Ἤλιδος obliquo casu de ipsa vrbe quoque dixit, v. gr. lib. VIII pag 235 ἐπὶ τῆς ὁδοῦ, τῆς ἐπὶ Δύμην ἐξ Ἤλιδος τῆς νῦν πόλεως, *in via quæ Dymen fert ab Elide vrbe, quæ nunc est*. Sic pag. 244 Olympiæ templum prope CCC stadia τῆς Ἤλιδος διέχον, *ab Elide abesse* dicitur.

Deinde est *Pylus* Eliaca, cuius situm ita Pausanias Eliac. II cap. XXII describit. Πύλου τῆς ἐν τῇ Ἠλείᾳ δῆλα τὰ ἐρείπια κατὰ τὴν ἐξ Ὀλυμπίας ἐστὶν ἐς Ἦλιν ὀρεινὴν ὁδὸν, ὀγδοήκοντα δὲ στάδια ἐς Ἦλιν ἀπὸ τῆς Πύλου, *Pyli Eliacæ rudera in conspectu sunt ab Olympia per montanam viam Elin contendentibus*. Strabo vero lib. VIII pag. 234 ita: Μεταξὺ δὲ τοῦ Πηνειοῦ καὶ τοῦ Σελλήεντος ἐκβολῆς Πύλος ᾤκεῖτο κατὰ τὸν Σκόλλιν, *Inter Penei & Selleentis ostia Pylus habitabatur iuxta Scollim montem*. Fuit alia *Pylus* in Triphylia, alia in Messenia. Ceterum ambigui generis hoc vocabulum est. Pausanias Eliac. II cap. XXII Πύλου τῆς ἐν Ἠλείᾳ, *Pyli Eliacæ*. Strabo pag. 237 ὁ Τριφυλιακὸς Πύλος, *Pylus Triphyliacus*.

Iuxta Alpheum erat *Olympia*, in Pisæo agro sita, quam Strabo VIII pag. 244 describit vt ἱερὸν, *templum* Iouis Olympii, cui πρόκειται ἄλσος ἀγριελαίων, ἐν ᾧ τὸ στάδιον· παραῤῥεῖ δ' ὁ Ἀλφειὸς ἐκ τῆς Ἀρκαδίας ῥέων, *lucus oleastris consitus praiacet, in quo stadium*

dium est : & Alpheus ex Arcadia delapsus , praeterfluit. Pomponius Mela lib. II cap. III *In Elide fanum delubrumque Olympii Iouis, certamine gymnico, & singulari sanctitate, ipso quidem simulacro, quod Phidiae opus est, maxime nobile.* Plinius lib. IV cap. V *A Pylo* XII *millia passuum intus delubrum Olympii Iouis , ludorum claritate fastos Graeciae complexum.* Stephanus : Ολυμπία, ἡ πρότερον Πίσα λεγομένη, ἔνθα Ολύμπιος Ζεύς· ἀφ᾽ ἧ τὰ Ολύμπια, ὁ ἀγών. *Olympia, quae olim Pisa dicta fuit, vbi Iuppiter Olympius colitur : vnde Olympia certamen.* Ptolemaeus : Ολυμπία Πίσαι, qui vel Πίσα scripsit aut Πίσαι, etiam eamdem putans Olympiam & Pisam. *Pisa* autem antiquius nomen quam *Olympia*, vnde populus Πισαῖοι, *Pisaei*, Pausaniae Eliac. II cap. XXI seq. & Πισᾶται, *Pisatae*, Pindari Olymp. od. IX vers. 103. & regio Πισατὶς, *Pisatis*, Strabonis lib. VIII passim, & adposito nomine, πισατίδος γῆς, *terrae Pisatidis*, apud Polybium lib. IV cap. LXXIV. Quamuis autem non nulli dubitent apud Strabonem, vtrum fuerit vmquam vrbs *Pisa*, nec potius id fontis nomen, qui & regioni & genti addiderit adpellationem : tamen de vrbe eius nominis certiores sumus, quia & Pindarus, & Pausanias & Stephanus pro vrbe habent, nec a fonte facile regiones & populi denominantur. Coniungit vtrumque Stephanus : Πίσα, πόλις καὶ κρήνη τῆς Ολυμπίας, *Pisa oppidum & fons Olympiae.* quod a Strabone forsan habet, qui lib. VIII pag. 245 dicit : τὴν Πισᾶτιν ὁμολογοῦσιν, οἱ μὲν ἀπὸ Πίσης ὁμωνύμου τῇ κρήνῃ πόλεως· - - - τινὲς δὲ πόλιν μὲν οὐδεμίαν γεγονέναι Πίσαν φασὶν, κρήνην δὲ μόνην. *Pisatidis nomen alii deducunt a Pisa vrbe, quae nomen cum fonte commune habeat : alii negant vllam vrbem Pisam exstitisse ; fontem duntaxat.* Pausanias lib. I Eliac. cap. X Πίσαν οἱ Ἠλεῖοι πολέμῳ καθεῖλον, *Pisan Elei bello deleuerunt :* & lib. II cap. XXII dicit τείχους ἢ ἄλλου κατασκευάσματος, *murorum aliorumque aedificiorum* nulla vestigia superesse, sed vites plantatas in loco, ἔνθα ἡ Πίσα ᾠκεῖτο, *vbi olim Pisa colebatur.* Pindarus Olymp. od. VIII, ἀντιστρ. I Pisam describit, sicut Strabo Olympiam:

ἀλλ᾽ ὦ Πίσας εὔδενδρον ἐπ᾽ Ἀλφεῷ ἄλσος,

sed o Pisae arboribus bene instructum nemus iuxta Alpheum. Historici Pisae nullam rationem habent, sed tantum Olympiae. Polybius lib. IV cap. X πρόσηγον ἐκ μεταβολῆς ὡς ἐπ᾽ Ολυμπίας, *Olympiam versus iter auertunt :* & cap. LXXIII ἧκε στρατιαῖος εἰς Ολυμ-

πίαν, quintis castris Olympiam peruenit. Liuius lib. XLV cap. XXVIII *per Megalopolim Olympiam adscendit.* Videtur ergo Olympia, quidquid habitationum præter templum & certaminum loca habuit, ex ruinis Pisæ succreuisse; siue oppidi speciem habuit, siue vici alicuius maioris. Alio tamen loco Pisa fuit, alio, sed vicino, & ad eumdem lucum, Olympia. Publica autem ædificia celebrantur, templum Iouis, gymnasium, porticus, αἱ τῶν ἀθλητῶν οἰκήσεις, *athletarum habitationes*, stadium, hippodromus, χῶμα quidem seu *agger*, sed superstructiones adiunctas habens, vt carceres & alias: de quibus Pausanias consulatur lib. II Eliac. cap. XX & maxime cap. XXI.

Pisatidis regiones octo vrbes dicuntur fuisse, vt Strabo refert lib. VIII pag. 245 seq. in quibus *Salmonen*, Σαλμώνην ponit, cum fonte cognomine, ex quo *Enipeus* siue *Barnichius*, vt postea dictus est, emanans, in Alpheum effunditur: & *Heracleam*, quam in octo vrbibus ponit (μία τῶν ὀκτὼ) Pausanias autem Eliac. II cap. XXII κώμην Ἠλείων, *Eleorum vicum* dixit, distantem ab Olympia ὡς πεντήκοντα σαδίους, *quinquaginta ferme stadiis*, vbi Strabo habet περὶ τεσσαράκοντα, *circiter quadraginta.* Sita est hæc *Heraclea* ad Κυθήριον, *Cytherium* flumen, vt Strabo vocat, siue tribus syllabis Κύθηρον *Cytherum*, vt Pausanias dicto loco. Iuxta Olympiam fuit etiam Ἔπινα, *Epina*, καὶ αὐτὴ τῶν ὀκτὼ, *& ipsa ex octo illis* ciuitatibus Pisatidis, per quam labitur *Parthenias* fluuius, ὁ Παρθενίας, qua itur ad Pheræam Arcadiæ vrbem. Has Strabo ex octo nominauit: ceteras, obscuriores forsan, nec pretii erit inuestigare, neque temporis iam nostri, qui ad alia properamus.

Hæc de Elide propria & Pisatide: sequitur pars tertia Eleæ late sumtæ siue maioris, quæ *Triphylia* pluribus est, Polybio *Tryphalia*, in austrum vergens, vt supra explicatum est. Ora vnum oppidum *Samicum* habebat; quod antea lustrauimus: intus triginta stadiis aut paullo pluribus, erat *Pylus Triphyliacus*, qui & *Lepreaticus* cognominatus est. Ab eo enim meridiem, XL circiter stadiis a mari, fuit *Lepreum*, τὸ Λέπρεον, vti situm vtriusque lib. VIII pag. 237 Strabo delineauit: qui duo oppida in septemtrione regionis huius ponit, *Hypanam* & *Ctypansam*. Plura Polybius addit lib. IV cap. LXXVII *Typanaam*, *Pyrgum*, *Aepyum*, *Bolacem*, *Styllagium*, *Phrixam*: de quorum situ nihil certi nobis

nobis constat. Ipse nihilominus etiam primo loco *Samicum*, *Lepreum*, *Hypanam* numerauit.

Ex hisce facile primum & nobilissimum est *Lepreum*, Pausaniæ virili genere ὁ Λέπρεος, *Lepreus*. Eliac. lib. I cap. V πόλις ἐστιν ἐν τῇ Τριφυλίᾳ Λέπρεος, *Lepreus vrbs est in Triphylia*: & lib. II cap. XV ἐκ Λεπρέου τοῦ ἐν Τριφυλίᾳ, *ex Lepreo, qui in Triphylia est, ortus*. Qui colebant *Lepreatæ* dicti. Eodem lib. I cap. V ἐθέλουσι οἱ Λεπρεᾶται μοῖρα εἶναι τῶν Ἀρκάδων· φαίνονται δὲ Ἠλείων κατοίκοοι τὸ ἐξ ἀρχῆς ὄντες, *Lepreatæ volunt inter Arcades censeri: sed clarum, antiquitus inter Eleos fuisse*. Qui enim in Olympicis ex ea ciuitate vicerunt, eos præco semper Ἠλείους ἐκ Λεπρέου, *Eleos ex Lepreo* proclamauit: vt dubitare possis, an tam propinqua mari oppida fuerint Lepreum & Pylus, quam illa Strabo posuerat. Arcadum enim ad oram maris omnino nihil erat: & Pylus ille tamen *Arcadius*, vt videtur, ab situ ad fines, cognominatus est. Idem Strabo lib. VIII pag. 232 Ἀρκαδικὸς Πύλος ἐκλήθη ὁ αὐτὸς καὶ Τριφυλιακός, *Arcadius Pylus est idem qui Triphyliacus*. Ergo in Triphylia ad fines fuit Arcadiæ. In ipsa autem Arcadia nihil huius nominis fuit. Pausanias Eliac. II cap. XXII οὐ μὲν οὐδὲ ἐν τῇ Ἀρκάδων Πύλον ποτὲ ὀνομασθεῖσαν ἴσμεν πόλιν, *nullam nouimus in Arcadia vrbem Pylum nominatam esse*. Ptolemæus vero *Lepreum* ad mare posuit: *Hypaniam* ad ortum in finibus Arcadiæ: addit *Corynen*, Κορύνην, ad Peneum fluuium, sed hanc extra Triphyliam in Elea propria. Plinius addit *Aulonam*, sed æque ignoti situs, lib. IV cap. V. *Arene* Homeri, vt ipse supra descripsit, prope ostium Minyei fuit, eiusque arx, Strabonis coniectura pag. 259, *Samicum*.

MESSENIA.

Messenia, Μεσσηνία, Peloponnesi regio in austrum vergens, maritima pleraque, inter Eleam & Laconicen sita. Strabo lib. VIII pag. 247 ἡ Μεσσηνία συνεχής ἐστι τῇ Ἠλείᾳ, περινεύουσα τὸ πλεῖον ἐπὶ τὸν νότον καὶ τὸ Λιβυκὸν πέλαγος. *Continuo post Eleam est Messenia, maiore sui parte ad austrum vergens & mare Libycum*. Olim pars Laconicæ fuit sub Menelao principe, sed regionis tum vocabulum Messene, non vrbis fuit, vtpote quæ postea est condita, quod Strabo dicto loco & Pausanias Messen. cap. I Homeri au-

ctoritate contendunt, apud quem Odyss. Φ vers. 15 Μεσσήνη, *Messene* sit regio, seu vt scholiastes interpretatur, Μεσσηνιαία χώρα.

Primum ab Elide in ora oppidum est *Cyparissa*, vt Plinius vocat lib. IV cap. V; siue Κυπάρισσαι, pluraliter, *Cyparissa*, vt Ptolemaeus: seu *Cyparissia*, Κυπαρισσία, vt Strabo; & rursus plurali numero Κυπαρίσσιαι, *Cyparissia*, vt Pausanias fine Messen. & principio Arcadiorum: Stephanus Κυπαρισσαία, *Cyparissaa*, etiam in MSS. libris. Liuius lib. XXXII cap. XXI *hospitem Cyparissia Garitenem contra ius omne & fas inter epulas prope ipsas occisum.* Ab vrbe *sinus Cyparissius* Plinio, & Κυπαρίσσιον ἄκρον, *Cyparissium promontorium* dictum Ptolemaeo est. Sunt qui oppidum hodie *l'Arcadia* dici existiment, quia locus fere congruit. Inde amnis *Sela* Ptolemaei.

Tum est *Pylus*, antiquum oppidum sub *Aegaleo* monte, *Messenia Pylus* discriminis caussa adpellata. Strabo p. 248 ἡ μὲν παλαιὰ Πύλος ἡ Μεσσηνιακὴ ὑπὸ τῷ Αἰγαλέῳ πόλις ἦν, *Antiqua Pylus Messeniaca sub Aegaleo monte sita erat*, qua diruta, incolarum multi Coryphasium concesserunt. Peloponnesiaco bello Athenienses munierunt, vt aduersus Lacedaemonios vterentur, quia opportuno loco & natura non nihil munito sita erat: de quo Thucydides sub initium lib. IV potest consuli. Tres autem in Peloponneso Pyli, Eliacus, Triphyliacus, & Messeniacus. Omnes alumno Nestore gloriabantur. Quod vero Nestoris possessiones Homerus ad vtramque ripam Alphei disposuit; Strabo inde lib. VIII pag. 341 vero simillimum censet, Pylum Nestoris fuisse Triphyliacum, qui solus fuit circa fluuium Alpheum: Pausanias cap. vlt. Messen. tradit, in *Coryphasio* promontorio Pylum situm esse. Centum stadia, inquit, a Mothona esse ἐπὶ τὴν ἄκραν τὸ Κορυφάσιον· ἐπ' αὐτῇ δὲ ἡ Πύλος κεῖται, *ad promontorium Coryphasium, in quo Pylus situs est.* Ptolemaeus etiam Κορυφάσιον ἄκρον, *Coryphasium promontorium* inter Pylum & Methonen posuit: Strabo quoque lib. VIII pag. 240 coniungit, sed *Coryphasium* aeque, vt Pylum adiacentem, castellum vocat. A Pylo, inquit, Triphyliaco & Lepreo CCCC stadiorum interuallum esse ἐπὶ τὴν Μεσσηνιακὴν Πύλον καὶ τὸ Κορυφάσιον ἐπὶ θαλάττῃ κείμενα φρούρια, *ad Messeniacam Pylum & Coryphasium, castella super mari posita:* atque ita Pylum

Pylum a Coryphasio disiungit, non autem longe separat. Thucydides lib. IV pag. 29 simpliciter ἐν τῷ Κορυφασίῳ.

Deinde est *Methone*, Μεθώνη, vt plurimi scribunt: Pausanias, Μοθώνη, *Mothone*: hodie Modon. Habet Strabo ac Ptolemæus. Et Plinius lib. IV cap. V de Messenia: *Oppida, Pylos, Methone.* Thucydides lib. II pag. 117 in Laconica scribit, ἐς Μεθώνην τῆς Λακωνικῆς: atque ita etiam Stephanus & Scylax; quod inde est, quia Messene olim, vt supra Strabone auctore monstratum, pars fuit Laconicæ. Pergit Strabo: τῇ δὲ Μεθώνῃ συνεχής ἐστιν ὁ Ἀκρίτας, ἀρχὴ τοῦ Μεσσηνιακοῦ κόλπου. *Continuus Methonæ est Acritas, initium sinus Messeniaci:* Ptolemæus autem *Colonen* interponit hoc ordine: Μεθώνη, Κολώνη, Ἀκρίτας ἄκρα, *Methone, Colone, Acritas promontorium.* Interiectum oppidum Pausanias Messen. cap. XXXIV *Colonides* plurali numero dixit: ἐκ Κολωνίδων ὁδὸς, *ex Colonidibus via:* de promontorio idem: ἀνέχει ἐς θάλασσαν ὁ Ἀκρίτας, *in mare Acritas procurrit.*

Sinus *Messeniacus*, auctore Strabone p. 248, dicitur etiam Ἀσιναῖος, *Asinæus*, ab *Asine* oppido adiacente; item Θουριάτης κόλπος, *sinus Thuriates*, a *Thuria* oppido supra sinum posito: item *Coronæus*, a *Corone*, Plinio. Prima vrbs post Acritam promontorium est Ἀσίνη, *Asine*, XL stadiis ab Acrita, vt Pausanias Messen. cap. XXXIV extr. refert. Ptolemæo etiam in Messeniaco sinu prima: vnde cognomen sinui, vt diximus. Portum habet quem Thucydides lib. IV pag. 260 descripsit. Deinde est *Corone*, Κορώνη, Ptolemæo ducente. Strabo pag. 249 πρὸς θαλάττῃ πόλις Κορώνη, *ad mare oppidum Corone.* Pausanias Messen. cap. XXXIV tradit priscum & Homericum fuisse Αἴπειαν, *Aepeiam*, quod Strabo mauult ad Thuriam relatum lib. VIII pag. 249. A Corone *sinus Coronæus* Plinio dictus, vt modo est expositum: hodie Golfo di Coron, quia nomen oppidi seruatum est.

Supra Coronam nihil, quod certum sit, occurrit vsque ad ostium *Pamisi* fluuii, qui Πάμισος Straboni est & Pausaniæ, Ptolemæo Πάνισος, *Panisus*; haud longe a Corona. Strabo lib. VIII pag. 249 πλησίον Κορώνης, κατὰ μέσον πως τὸν κόλπον, ὁ Πάμισος ποταμὸς ἐκβάλλει, ταύτην μὲν ἐν δεξιᾷ ἔχων, καὶ τὰς ἑξῆς, *Haud procul a Corona, circa medium sinum, effunditur amnis Pamisus, Coronam & sequentes vrbes a dextra habens.* Post flumen, Φηραὶ, Ptolemæi,

Φηϱαὶ Strabonis, id est *Phera* sunt, ἓξ πȣ ϛάδια, *sex fere stadia* a mari, vt Pausanias Messen. cap. XXXI obseruauit, cui Dorica dialecto αἱ Φαϱαὶ, *Phara* sunt, η in α permutato, vt solemne Doriensibus, quorum lingua Messenii vtebantur. Polybius Legat. LIII *Phara* dixit singulari numero. ἡ δὲ Ἀβία, καὶ Θȣϱία καὶ Φαϱὰ, κατὰ τὸν καιϱὸν τȣ̃τον ἀπὸ μὲν τῆς Μεσσήνης ἐχωϱίσθησαν, *Ea tempestate Abia, Thuria, Phara ab Messeniis auulsa sunt.* Apud Pheras *Nedo* fluuius, Νέδων, Strabone docente, exit in mare. Dein est oppidum *Abia*, vltimum Messeniorum in ora contra Laconicam. Pausanias cap. XXX Φαϱαὶ ἀφεστήκασιν Ἀβίας σταδίȣς ἑβδομήκοντα, *Phara distant ab Abia* LXX *stadiis.* Ptolemæo est Ἀβέα, *Abea*, etiam extrema maritimarum Messeniæ, iuxta Laconicæ fines. Hinc Plinii *Abeata* sunt lib. IV cap. VI.

In mediterraneis est caput gentis *Messena*, Μεσσήνη, quam frustra Ptolemæus in maritimis scripsit, cuius errorem plurimi tabularum auctores adhuc sequuti sunt. Pausanias sane αὐτόπτης ab ora reducit: etiam Strabo, qui Ithomen, omnium consensu mediterraneum & montem & castellum, munimentis vrbis, sub illo sitæ, communi muro includit. Quid? quod perspicue Plinius lib. IV cap. V *Amnis Pamisus. Intus autem ipsa Messene, Ithome, Oechalia.* Non fuit antiquissima, sed Epaminondas Thebanus condidit, omnesque Messenios exsules in illam reuocauit, eique nomen *Messena*, quod gentis antea fuerat, imposuit: quæ a Pausania cap. XXVII plenius sunt exposita. Valida vrbs munimentis suis. Idem cap. XXXI, quas ipse viderit, muris munitissimas vrbes nominat, Amphrysum Phocicam, Byzantium & Rhodum: tamen his ait munitiorem esse Messeniorum vrbem. Strabo situs & munitionis caussa Corintho confert lib. VIII pag. 249 Ἡ δὲ Μεσσηνίων πόλις ἔοικε Κοϱίνθῳ· ὑπέϱκειται γὰϱ τῆς πόλεως ἑκατέϱας ὄϱος ὑψηλὸν καὶ ἀπότομον, τείχει κοινῷ πεϱιειλημμένον, ὥστ' ἀκϱοπόλει χϱῆσθαι· τὸ μὲν καλȣ́μενον Ἰθώμη· τὸ δὲ Ἀκϱοκόϱινθος. *Ceterum Messena Corintho similis est. Vtrique enim vrbi mons excelsus & praruptus imminet, communi muro comprehensus, arcisque vsum prastans, Ithoma Messena, Acrocorinthus Corintho.* Itaque Demetrius Pharius Philippo, Persei patri, suasit, si Peloponnesum vellet in potestate habere, vt duas has vrbes subigeret. τῶν κεϱάτων γὰϱ ἀμφοῖν καθέξῃς τὴν βȣ̃ν, *Bouem*, inquit, *vtroque sic cornu tenebis.* quod ibidem Strabo adnotauit. Alii

Alii *Ithomen* quasi separatum oppidum aut castellum descripserunt. Plinius lib. IV cap. V *Intus ipsa Messene, Ithome, Oechalia.* Pausanias Mess. cap. IX refert Messeniorum mediterraneos, Spartano bello inferiores, desertis ceteris oppidis ἐς τὸ ὄρος ἀνοικίζεσθαι τὴν Ἰθώμην, *in montem Ithomen secessisse*, in quo tum fuerit πόλισμα ὐ μέγα, *paruum oppidulum*, cuius pomœrium ampliarint vt esset ἔρυμα πᾶσιν αὔταρκες, *munimentum omnibus sufficiens.* Post sub monte cœpta Messene ædificari, cui tandem muro iuncta Ithome fuit. Ab religione loci Ζεὺς Ἰθωμάτας, *Iuppiter Ithomata*, & ἑορτὴ Ἰθωμαῖα, *festum Ithumæum* dictum. Vide Pausan. & Stephan. & Meursium.

Oechalia autem Plinii est Stephani ἡ Μεσσηνὶς Οἰχαλία, siue vt alii legunt ἡ Μεσσήνης Οἰχαλία, *Messena Oechalia*, quæ an sit ab Homero Catal. vers. 103 nominata,

Οἰχαλίηθεν ἰόντα παρ' Εὐρύτου Οἰχαλιῆος,

ex Oechalia venientem ab Euryto Oechaliensi rege; disputat Strabo lib. VIII pag. 234. nam ad Thessaliam alii referunt. Cetera Plinii, *Arene, Pteleon Thryon, Dorion* ex eodem Homeri loco sunt a versu 98. de quibus certi nihil constat: de *Arene* supra aliquid dictum: *Thryum* Homerus cognominat Ἀλφειοῖο πόρον, *Alphæi vadum*,

Καὶ Θρύον, Ἀλφειοῖο πόρον. item

Καὶ Πτελεὸν, καὶ Ἕλος, καὶ Δώριον:

Ex quibus *Helos* etiam Plinius in Messenia scripsit: *Oppida, Pylos, Methone; locus Helos:* quod arguit dirutum fuisse ætate Plinii. Strabo lib. VIII pag. 241 Ἕλος οἱ μὲν περὶ τὸν Ἀλφειὸν, χώραν τινὰ φασὶν, οἱ δὲ καὶ πόλιν ὡς τὴν Λακωνικήν. *Helos quidam dicunt locum esse circa Alpheum: alii oppidum, vt Helos Laconicæ.* Sed hæc omnia Strabo in Elea ponit, & vere quidem, quia pars illorum ad Alpheum sita, Arcadiæ & Eleæ, non Messeniæ fluuium.

Ptolemæus tria oppida in mediterraneis recenset, e quibus primum Ἁλίαρτος, *Haliartus*, ignotum ceteris: alterum, de quo iam dictum, *Ithome:* tertium, *Trœzen* (Τροιζὴν) est, de quo etiam silent geographi ceteri. Strabo addit *Thuriam* lib. VIII pag. 249 Αἴπεια, νῦν Θουρία καλεῖται; ἣν ἔφαμεν ὅμορον Φηραῖς, *Aepea nunc Thuria vocatur, quam diximus Pheris finitimam.* Et paullo ante: Φηραὶ, ὅμορος Θουρίᾳ καὶ Γερηνίοις, *Pheræ, quæ vrbs finitima Thuriæ & Gere-*

Gerenius. Thuria intus sita, LXXX stadiis a Pheris: hæ VII a mari: quod Pausanias obseruauit Messen. cap. XXXI. In monte sita: postea in planum deducta, vt tamen nec montana vrbs desereretur. Incolæ *Thuriatæ*, Θουριᾶται, quos Augustus, Messeniis infensus, Antonii sociis, contribuit Lacedæmoniis: quod itidem a Pausania est proditum. Fuerunt apud Strabonem qui *Antheiam* Homeri interpretarentur Thuriam. Fuit autem Antheia, Ἄνθεια, vna ex septem oppidis, quæ Agamemnon Achilli dotis loco daturus fuisse dicitur Iliad. I vers. 149, quæ quod in Messenia Strabo censuit, licet interpretatione varient antiqui perinde ac recentes auctores, (vide Strabon. p. 248.) pretium fortasse erit recensuisse:

Ἑπτὰ δέ οἱ δώσω εὖ ναιόμενα πτολίεθρα,
Καρδαμύλην, Ἐνόπην δὲ καὶ Ἱρὴν ποιήεσσαν,
Φηρὰς τε ζαθέας, ἠδ' Ἄνθειαν βαθύλειμον,
Καλήν Αἴπειαν, καὶ Πήδασον ἀμπελόεσσαν.
Πᾶσαι δ' ἐγγὺς ἁλὸς νέαται Πύλου ἠμαθόεντος.

Septem autem ei dabo oppida celeberrima: Cardamylen, Enopen, Hiram herbosam, Pheras diuinas, & Antheam pratosam, pulchramque Aepeam, & Pedasum vitiferam. Omnia autem prope mare habitantur Pyli arenosi. E quibus solæ *Phera* notæ sunt: cetera dubii situs & adpellationis, quæ cum aliis successu temporis, sed incertum cum quibus, permutata creditur. De Cardamyla tamen Strabo: ἐπὶ πέτρας ἐρυμνῆς ἵδρυται Καρδαμύλη, εἶτα Φηραί, *in petra prærupta Cardamyla est posita: deinde Phera.* Fuit etiam *Erana*, Ἔρανα, media inter Cyparissiam & Pamisi fluuii, quem & *Amathum* dixere, ostia, eodem Strabone auctore pag. 249. Dubia etiam est *Aethea*, Αἴθεια Thucydidis lib. I pag. 67, Θουριᾶταί τε καὶ Αἰθεεῖς ἐς Ἰθώμην ἀπέστησαν, *Thuriatæ & Aetheenses Ithomen aufugerunt.*

LACONICA.

Post Messeniam in ortum versus sita est Λακωνική, *Laconica*, siue vt Mela scripsit *Laconice.* Liuius lib. XXXV cap. XXV *Philippus pollicitus, terrorem omnem belli in ipsam Laconicam, ducto eo extemplo exercitu, translaturum.* Velleius lib. I cap. III *Achai ex Laconica pulsi.* Semel Plinius scripsit *Laconia*, ineunte libro IV, quod suspectum est Harduino.

Præci-

Præcipua pars maritimæ oræ sita ad *sinum Laconicum*, Tænaro & Malea contento. Strabo lib. VIII pag. 250 Ἔςι δὲ μετὰ Μεσσηνιακὸν κόλπον ὁ Λακωνικὸς μεταξὺ Ταινάρου καὶ Μαλεῶν, ἐκκλίνων μικρὸν ἀπὸ μεσημβρίας πρὸς ἕω. *Post Messeniacum sinum est Laconicus inter Tænarum & Maleas, a meridie in ortum paullo declinans.* Primæ in Laconica, sed Messeniaco sinui adhærentes sunt Θυρίδες, *Thyrides*, quasi portulæ seu fenestræ. Straboni lib. VIII pag. 250 ῥοώδης κρημνὸς, *fluctibus obnoxium præcipitium*: Pausaniæ Lacon. cap. XXV ἄκρα Ταινάρου, *Tænari promontorium*, quod vero secundum Strabonem a Tænaro stadiis CXXX distat. ὀλίγον ἀπωτέρω, *prope inde*, quod Pausanias addit, fuit Μέσσα πόλις καὶ λιμὴν, *Messa oppidum & portus*. Homerus Catal. vers. 89

Φάρην τε, Σπάρτην τε, πολυτρήρωνά τε Μέσσην,

Pharen, & Spartam, & columbis abundantem Messam, dixit: sed tradit Strabo pag. 251 τὴν μὲν Μέσσην οὐδαμοῦ δείκνυσθαι φασὶ, *Messam* [Homeri] *negant vllibi posse monstrari.*

Dein *Tænarum* est, Ptolemæi Ταίναρον, a quo incipit sinus Laconum. Promontorium & oppidum dicitur. Pausanias dicto loco: ἐς θάλασσαν ἀνέχουσα ἄκρα Ταίναρον, καὶ λιμένες, ὅ τε Ἀχίλλειός ἐςι καὶ Ψαμαθοῦς, *in mare excurrit Tænarum promontorium, & sub eo portus, Achilleus & Psamathus.* Plinius lib. IV cap. V *Oppida: Tænarum, Amyclæ, Pheræ, Leuctra, & intus Sparta.* Pausanias Lacon. cap. XXV Ταινάρου δὲ τῆς ἄκρας πλοῦν ὅσον τεσσαράκοντα σταδίων ἀφέςηκε Καινήπολις· ὄνομα δὲ ἦν καὶ ταύτῃ Ταίναρον, *Promontorium Tænarum ad* XL *stadia præteruecto occurrit Cænepolis, cuius antiquum nomen erat Tænarum.* Cænepolis, quasi Neapolis, quod est instauratum Tænarum. Nouum id nomen Καινὴπολις legitur etiam in Procopii B. Vandal. lib. I cap. XIII: διαφυγόντες Ταινάρῳ προσέσχον, ἡ νῦν Καινήπολις ἐπικαλεῖται, *elapsi* [a Malea] *Tænarum adplicuerunt, quæ nunc Cænopolis vocatur.* Male ergo Ptolemæus Tænarium & Καινὴν, *Cænen*, tamquam diuersa oppida separauit. Celebrabatur Neptuni fanum in ipso promontorio vel litore. Cornelius Nepos Pausan. cap. IV *Fanum Neptuni est Tænari, quod violari nefas ducunt Græci.* Strabo lib. VIII pag. 250 τὸ μὲν Ταίναρον ἀκτὴ ἐςιν ἐκκειμένη, τὸ ἱερὸν ἔχουσα τοῦ Ποσειδῶνος, ἐν ἄλσει ἱδρυμένον, *Tænarum est litus procurrens in mare, fanum habens Neptuni in luco positum.* Pausanias ait dicto

loco : ἐπὶ τῇ ἄκρᾳ ναὸς εἰκασμένος σπηλαίῳ, καὶ πρὸ αὐτοῦ Ποσειδῶνος ἄγαλμα, *in ipso promontorio est templum speluncæ simile, & ante ipsum Neptuni simulacrum.* Strabonis ergo, ἀκτὴ, *litus*, est ipsum promontorium. De spelunca vtrque fabulam addunt, creditum fuisse, per illam Herculem ab inferis Cerberum eduxisse, quasi ibi accessus ad illos pateat. Per quam etiam Psychen Veneris iussu ad inferos measse & reuertisse, lib. VI fabulatur, *quære*, inquit, *Tænarum. inibi spiraculum Ditis : per portas hiantes monstratur iter inuium - - ad ipsam Orci regiam.* Hinc est quod Horatius lib. I od. XXXIV dixit:

Quo Styx, & inuisi horrida Tænari
Sedes.

A Tænaro ad Eurotæ ostia primum Ptolemæo & Pausaniæ oppidum est τευθρώνη, *Teuthrona*, vt alter addit, CL stadiis a Tænaro promontorio. Straboni a Tænaro ad Eurotam in ora sunt Αμαθοῦς πόλις, oppidum *Amathûs*, & post illud *Asine*, & tandem *Gythium*, Γύθιον, nauale Lacedæmoniorum, inter quod & *Acreas*, (aliis *Acriam*) Eurotam dicit in mare exire. Ptolemæus inter Teuthronam & Eurotam ponit oppidum, cui nomen Λᾶς, *Las*, quarto casu τὴν Λᾶν, *Lan*, Straboni pag. 251, qui expugnatam dicit a Dioscuris, id est Castore & Polluce, quibus cognomen inde fit Λαπέρσαι apud Sophoclem. Pausanias cap. XXIV ἐν δεξιᾷ Λᾶς ἐστι, *a dextra Gythii Las est*, X stadiis a mari, XL a Gythio. Scylax in Laconica : Λᾶς πόλις καὶ λιμὴν, *Las oppidum & portus.* Stephanus scribit Λᾶ primo casu, vocatque πόλιν Λακωνικὴν, *vrbem Laconicam.* Lycophron in Alexandra vers. 95 καὶ Λᾶν περήσεις, *& Lan transibis.* Homerus Catalog. vers. 92 vocali geminata,

οἵ τε Λάαν εἶχον

Amathûs Strabonis haud dubie est aliorum Ψαμαθοῦς, *Psamathûs.* Pausaniam supra produximus in *Tænarus :* Scylaci est Ψαμαθοῦς λιμὴν, *Psamathûs portus :* Stephano duplicata littera Ψαμμαθοῦς πόλις Λακονικὴ, *Psammathûs oppidum Laconicum.* Plinius quoque lib. IV cap. V *amnis Eurotas, sinus Aegilodes, oppidum Psammathus.* In ora fuisse, portus, quem Scylax tribuit, argumento est, si vel maxime id minus ex ordine locisque vicinis clarum esset. *Asine* Strabonis Laconica minus nota, nisi quod Polybius lib. V

cap.

cap. XIX Philippum *Asinam*, via inter Spartam & Tænarum sitam, scribit frustra oppugnasse. Habet quidem & Scylax, sed miscet alia quoque Messeniorum: certior Asine Messeniæ, & alia Argolidis.

Gythium, Γύθιον, vt plurimi; siue Γύθειον, *Gytheum*, vt alii scribunt, τῆς Σπάρτης ἐπίνειον, *nauale Spartæ*, vt Strabo dixit lib. VIII pag. 251; siue ναύσταθμος τῶν Λακεδαιμονίων, *Nauium statio Lacedæmoniorum*, vt Polybius lib. V cap. XIX. His, & Lycophroni vers. 98, & Ptolemæo, est Γύθιον, simplici vocali; etiam Liuio *Gythium* lib. XXXIV cap. XXXVIII. Stephanus diphthongo, Γύθειον πόλις Λακωνική, *Gytheum, vrbs Laconica*. Pausaniæ codex ambiguus, in Lacon. cap. XXII Γύθειον, at cap. XXIV Γύθιον præferens. Cicero lib. III Offic. cap. XI *classem Lacedæmoniorum, quæ subducta esset ad Gytheum, clam incendi posse.* Oppidani Γυθεᾶται, *Gytheatæ*, Pausaniæ cap. XXI; & ab oppido *sinus Gytheates* Plinio dictus lib. IV cap. V. Mela etiam lib. II cap. III *Gythium* fluuium in Laconica memorauit.

Inter Gythium & Eurotæ ostia Ptolemæi dispositione est Τρίνασος ἐπίνειον, *Trinasus nauale*, quasi Τρίνησος, a tribus paruis obiectis insulis. Pausanias Lacon. cap. XXII Ἐν ἀριστερᾷ δὲ Γυθείου στάδια προελθόντι ὡς τριάκοντα ἐστιν ἐν τῇ ἠπείρῳ Τρινασοῦ καλουμένης τείχη, *ad Gythei læuam XXX stadia progresso, in continenti sunt muri sic dictæ Trinasi*: e quibus coniicit, φρούριον, *castellum* potius, quam oppidum fuisse.

Deinde est *Eurotas*, Εὐρώτας nobilis fluuius, a Sparta decurrens, quam ab ortu, vt Polybius lib. V cap. XXII præterfluit. Liuius lib. XXXIV cap. XXVIII *ad Eurotam amnem sub ipsis prope fluentem mœnibus* [Spartæ] *peruenit.* Pindarus Isthm. od. V vers. 42

> Κάστορος δ' αἰχμὰ Πολυδεύ-
> κεός τ' ἐπ' Εὐρώτα ῥεέθροις,

quod Propertii verbis lib. III eleg. XIV vertas:

> *Qualis & Eurotæ Pollux & Castor arenis.*

Vltra ostia est oppidum Ptolemæi Ἄκρεια, *Acrea*, Pausaniæ cap. XXII Ἀκρεαί, *Acriæ*. ἐπὶ θαλάσσης, inquit, πόλις ἐστὶν Ἀκριαί; *iuxta mare est oppidum Acriæ.* Itidem aliter id nomen exstat in Strabonis codicibus: ὁ Εὐρώτας ἐκδίδωσι μεταξὺ Γυθίου καὶ Ἀκραίων,

Eurotas exit in Gythium Acraas. Sequuntur *Biandina* & *Asopus*, Ασωπὸς πόλις, apud Ptolemæum. Obscura illa: hæc etiam Straboni cognita. Et Pausanias cap. XXII πόλις Ασωπὸς Ακριῶν ἀπέχει ςαδίες ἑξήκοντα, *oppidum Asopus ab Acriis abest stadia sexaginta.*

Inde est Ὄνου γνᾶθος, *Oni gnathos*, vt in Palatino Ptolemæi codice additur, ἄκρα, *promontorium*. Strabo lib. VIII pag. 251 εἶτα ἡ Ὄνε γνᾶθος λιμένα ἔχεσα· εἶτα Βοία πόλις· εἶτα Μαλεαί, *deinde est Oni gnathos, portum habens: deinde Bœa oppidum: tandem Maleæ.* Addit a Maleis Oni gnathum abesse CL stadiis. *Bœa*, oppidum pluraliter scriptum Pausaniæ dicto loco: τὰ ἐπέκεινα Γυθείε πρὸς θαλάσσῃ, Ασωπὸς, Ακριαὶ, Βοιαὶ, *vltra Gytheum ad mare, Asopus, Acriæ, Bœæ:* Scylaci Βοία, *Bœa*, vt Straboni & Plinio: sed Ptolemæo, eodem situ, Βοαί, *Boæ*. Oppidani Βοιᾶται, *Bœatæ*, Pausaniæ cap. XXIII.

Tandem *Malea*, Μαλέα, promontorium nominatissimum est in angulo Peloponnesi, quo australe latus cum orientali cohæret. Plures scribunt Μαλέα, *Malea*. Polybius lib. V cap. CI περὶ Μαλέαν ποιεῖσθαι τὸν πλοῦν, *Maleam circumnauigare.* Scylax: Μαλέα ἄκρα, *Malea promontorium*. Stephanus: Μαλέα ἄκρα πρὸς Πελοποννήσῳ, *Malea promontorium ad Peloponnesum.* Ptolemæus: Μαλέα ἄκρα, etiam singulari numero. Et Plinius lib. X epist. XXVI ad Traianum: *nuntio tibi, me Ephesum cum omnibus meis* ὑπὲρ Μαλέαν *nauigasse.* Solus prope Strabo Μάλεαι, plurali numero, vt supra vidimus. Ambigue Herodotus, lib. I cap. LXXXII μέχρι Μαλεῶν, *vsque ad Maleas:* at lib. IV cap. CLXXIX κατὰ Μαλέην, *iuxta Maleam*, singulari numero: quo & Latini vsi sunt. Liuius lib. XXXIV cap. XXXII oratione Quintii, ducis Romani, ad Nabin tyrannum: *mare circa Maleam infestum nauibus piraticis fecisti.* Mela de promontoriis Peloponnesi: *ad meridiem Malea, Tænaros, Acritas:* & mox, *inter Scyllæon & Malean* [sinus] *Argolicus.* Virgilius Aeneid. V vers. 193

Ionioque mari, Maleæque sequacibus vndis.

Stephanus addit, a quibusdam diphthongo Μάλεια scribi; καὶ Μάλεια διὰ διφθόγγε. Inde est quod poetæ non numquam producant. Ouidius lib. II Amor. eleg. XI vers. 20

Quo lateant Syrtes, quove Malea sinu.

Et

Et Papinius Statius lib. VII Thebaid. vers. 16

- - - - *& rauca circumtonat ira Malea.*

Alibi vero idem Statius corripuit, Silv. lib. I carm. III vers. 97

Si Malea credenda ratis, Siculosque per aestus
Sit via.

Tempestuosum enim ad id promontorium mare est, qui *Maleus sinus* est Floro lib. III cap. VI. Aiunt a figura etiam γαμφηλὰς ὄνου, *maxillas asini* vocari, atque ita de Malea Lycophronis versum 94 Tzetzes interpretatur: sed id probabilius ad vicinum promontorium Ὄνου γνάθον, quod idem sonat, supra expositum, refertur.

Post Maleam Argolicus sinus incipit, cuius australem oram Lacones tenent, in eaque primum est *Delium*, Δήλιον, ἱερὸν Ἀπόλλωνος, ἐμώνυμον τῷ Βοιωτικῷ, *Apollinis fanum, nomen commune cum Boeotico habens*, Strabone lib. VIII pag. 254 prodente. Ptolemaeus cetera enarrat singula: & proximus Μινώα λιμήν, *Minoa portus*, quod Straboni est Μινώα φρούριον, *Minoa castellum*: Pausaniae cap. XXIII Μινώα ἄκρα ἐς τὸ πέλαγος, *Minoa promontorium in mare procurrens*, iuxta vrbem Epidaurum Limeram, quae etiam Straboni hinc sequitur, & Ptolemaeo, nisi quod hic Διὸς Σωτῆρος λιμένα, *Iouis Seruatoris portum* interiicit.

Epidaurus autem illa ἡ Λιμηρὰ, *Limera* cognominatur, quasi λειμῶνας ἔχουσα vel λιμένας, *quod multa prata habeat*, vel *a portuum commoditate.* Vide Stephani Byzantii chorographiam. Alterum tuetur Apollodorus apud Strabonem, ἐπιτετμημένως Λιμηρὰν εἰρῆσθαι ὡς ἂν Λιμενηρὰν, *contracte Limeram dici quasi Limeneram*, id est portuosam. Opus autem est cognomine, vt ab altera Argolidis in Saronico sinu discernatur. Praeter Strabonem & Pausaniam cap. XXI & XXIII, meminit cum cognomine Plinius lib. IV cap. V. *Oppida*, inquit, *Boea, Epidaurus, Limera cognomine; Zarax:* Scylax & Ptolemaeus sine cognomine, rati forsan, quia in Laconica scripserunt, regionis nomine satis distinctam esse. Historicis autem epitheto opus est. Thucydides lib. IV pag. 288 ἀπέπλευσαν ἐς Κύθηρα· ἐκ δὲ αὐτῶν περιέπλευσαν ἐς Ἐπίδαυρον τὴν Λιμηρὰν, *nauigarunt* [Athenienses] *in Cythera: inde in Epidaurum Limeram.* Idem lib. VI extremo: ἀποβάντες ἐς Ἐπίδαυρον τὴν Λιμηρὰν, καὶ Πρασιὰν,

Πρασιὰν, *abierunt in Epidaurum Limeram, & Prasiam.* Incidit fere in locum, quo nunc est Maluasia.

Zarex, Ζάρηξ, sequitur ex Ptolemæi ordine, quem paullo aliter disposuit Pausanias cap. XXI; Βοιαὶ, Ζάραξ, Ἐπίδαυρος ἡ Λιμηρὰ, Βρασιαὶ, *Bœa, Zarax, Epidaurus Limera, Brasiæ:* Ptolemæus autem Zarecem Epidauro postposuit. Scribitur *Zarex* & *Zarax:* illud Ptolemæi est & Stephani; hoc Polybii, Plinii, Pausaniæ. Stephanus: Ζάρηξ πόλις Λακωνικὴ πρὸς τῇ θαλάσσῃ, *Zarex oppidum Laconicum iuxta mare.* Polybius lib. IV cap. XXXVI Πολίχναν μὲν, καὶ Πρασιὰς, καὶ Λεύκας, καὶ Κύφαντα προσπεσὼν, ἄφνω κατέσχε. Γλυμπεῦσι δὲ καὶ Ζάρακι προσπεσὼν, ἀπέσπασε, *Polychnam, Prasias, Leucas, & Cyphanta repentino impetu cepit: Glympes quoque & Zaracem inuadens seiunxit a societate.* Plinii verba in Limera Epidauro produximus.

Succedit apud Ptolemæum, Κυφάντα λιμὴν, *Cyphanta portus;* qui modo Polybii verbis erat Κύφαντα, accentu scribarum arbitrio constituto. Plurale est. sic enim Pausanias cap. XXIV ἀπὸ Ζάρακος stadia VI secundum mare progredienti, & inde stadia X declinanti ἐς μεσόγαιαν, *in mediterranea,* Κυφάντων καλουμένων ἐρείπιά ἐστιν, *Cyphantorum ruinæ occurrunt.* Plinius dicto loco: *Cyphanta portus.*

Vltima Ptolemæi Laconica vrbs in Argolico sinu Πρασία est, *Prasia;* Scylaci Πρασία πόλις καὶ λιμὴν, *Prasia oppidum & portus.* Pausanias cap. XXIV & numerum & elementum mutavit. Βρασιαὶ, inquit, ἐσχάτη μὲν ταύτη τῶν Ἐλευθερολακώνων πρὸς θαλάσσῃ ἐστὶ, Κυφάντων δὲ ἀπέχουσι πλοῦν σταδίων διακοσίων, *Brasiæ extremum hac in parte Eleutherolaconum ad mare oppidum sunt: distant autem a Cyphantis CC stadiis.* Pausaniam sequutus est Stephanus, eumque nominatim laudauit, vt mirum non sit, eodem elemento & numero vsum esse. Historicis sunt Πρασιαὶ siue Πρασίαι, *Prasiæ,* plurali numero. Polybium paullo ante in *Zarax* cognouimus. Thucydides lib. II pag. 136 ἄραντες ἀπ' αὐτῶν, ἀφίκοντο ἐς Πρασιὰς, τῆς Λακωνικῆς πόλισμα ἐπιθαλάσσιον, *profecti hinc* [ex Trœzenide & Hermionide] *venerunt in Prasias, quod est maritimum oppidum Laconicæ.* Polyænus lib. II cap. XV *Hippodamas ab Arcadibus* ἐν Πρασίαις ἐπολιορκεῖτο, *Prasiis oppugnabatur.*

Antequam in mediterranea progrediamur, addenda sunt quæ-

quædam dubia & prætermissa. Dum colligimus, quæ illustrationi faciant, præteritus est locus *Helos*, Ἕλος, vnde *Helotæ*, serui Lacedæmoniorum, Liuio *Ilotæ* dicti libro XXXIV cap. XXVII, adpellabantur: Cornelius Nepos in Pausania cap. III *Est genus quoddam hominum, quod Helotes vocatur, quorum magna multitudo agros Lacedæmoniorum colit, seruorumque munere fungitur.* Qui fuerint, & vnde dicti, Pausanias docet Laçon. cap. XX Ἐπὶ θαλάσσῃ πόλισμα Ἕλος ἦν, *Ad mare oppidulum fuit Helos*, ex quo capto πρῶτοι ἐγένοντο οὗτοι Λακεδαιμονίων δοῦλοι τοῦ κοινοῦ, καὶ Εἵλωτες ἐκλήθησαν πρῶτοι καθάπερ γε καὶ ἦσαν, *primi publici Lacedæmoniorum serui fuerunt, qui Helotes a loco dicti, vnde erant.* Obtinuit deinde vsus, vt & alii captiui, Messeniorum præsertim, his pares facti, *Helotes* communi nomine vocarentur. Oppidum illud ad mare fuisse, testatur etiam Homerus Catal. vers. 91

Οἵ τ' ἄρ' Ἀμύκλας εἶχον, Ἕλος τ' ἔφαλον πτολίεθρον,

Quique Amyclas tenebant, & Helos, maritimum oppidum.

Quo situm loco Helos fuerit, quodammodo monstrat idem Pausanias cap. XXII, τοῦ Ἕλους τὰ ἐρείπια ὑπόλοιπα, *oppidi, quod Helos dicebatur, ruinas reliquas* videri inter Trinasum & Acrias, illinc LXXX stadiis; hinc XXX circiter distantes.

Quum supra Cyphanta & Prasias perlustraremus, *Leucas* inter illa medias ex Polybii libro IV cap. XXXVI memorari animaduertimus. Iurares forte, apud Argiuorum fines esse, vbi sita sunt quibuscum ibi componitur. At lib. V cap. XIX eædem *Leucæ* cum oppidis in sinu Laconico coniunctæ sunt. πρὸς Ἀκρέας, inquit, καὶ Λεύκας, ἔτι δὲ καὶ τὴν τῶν Βοιῶν χώραν, *ad Acrias vsque, & Leucas, & Boias.* Et Liuius lib. XXXV cap. XXVII *tertia parte copiarum ab obsidione Gythii abducta, ad Eliam posuit castra. Imminet is locus & Leucis & Acriis.* Sic ex Polybii lib. V cap. XIX legendum, qui Ἑλίαν vocat καλλίστην χώραν τῆς Λακωνικῆς, *partem Laconicæ pulcherrimam.* Ergo Leucæ ad sinum Laconicum fuere, vicinæ Acriis & Bœiis; quoquo modo locus prior Polybii vel emendandus est, vel saltem interpretandus.

In sinu Messenio Laconicæ partis seu in ortum solis vergente Strabo lib. VIII pag. 248 hæc loca posuit: Μεταξὺ δ' ἀπὸ τῶν Θυρίδων ἀρξαμένοις ὁ Τύλος ἐστί· καλεῖται δ' ὑπό τινων Οἴτυλος· εἶτα Λεῦκτρον τῶν ἐν Βοιωτίᾳ Λεύκτρων ἄποικος· εἶτ' ἐπὶ πέτρας ἐρυμένης

μνῆς ἵδρυται Καρδαμύλη· εἶτα Φηραὶ, ὅμορος Θουρία. *Interiacent a Thyridibus* [occasum versus] *Tylus, quem quidam Oetylum vocant: deinde Leuctrum est, Leuctrorum, quæ in Bœotia sunt, colonia: post Cardamyla in saxo prærupto sita: inde Pheræ, quibus Thuria confinis est. Pheræ* illæ sunt, quas supra diximus *Pharas* quoque nuncupari, ab Homero Φᾶριν, *Pharin*, Catal. vers. 89, vt olim lectum fuit, quod Pausanias testatur Messen. cap. xvi, & interpres Homerici versus, Papinius Statius Theb. iv vers. 228

Quos Pharis, volucrumque parens Cytherëia Messe.

Hæc obiter, quia vulgo nunc Φάρην legitur apud Homerum. Posteriora loca sunt Messeniorum, vt supra exposuimus: priora Laconum. *Oetylus* etiam Homero memoratus, Catalog. vers. 92

Οἵ τε Λάαν εἶχον, ἠδ᾽ Οἴτυλον ἀμφενέμοντο,

Qui Laan habitabant, aut Oetylon incolebant.

Pausanias Lacon. cap. xxi ἐπὶ Ταινάρῳ δὲ Καινήπολις, Οἴτυλός τε καὶ Λεῦκτρα, *supra Tænarum* [promontorium, occasum versus sita] *Cænepolis, & Oetylos, & Leuctra.* Alterum oppidum & Plinio *Leuctra* est: at Straboni, vt iam vidimus, & Plutarcho Λεῦκτρον, *Leuctrum.* Hic enim in Pelopida pag. 288 τῆς Λακωνικῆς πολίχνιον πρὸς τῇ θαλάσσῃ Λεῦκτρον ὀνομάζεται, *etiam Laconicæ oppidulum, mari impositum, Leuctrum vocatur.* Inter Helos & promontorium, quod a maxilla asini nomen habet, Strabo oppidum *Cyparissiam* in peninsula cum portu ponit, lib. viii pag. 251, quæ diuersa ab illa Messeniæ in Triphyliæ confinio.

Dubius locus est, qui *Cynosura*, & *Cynosuræ*, pluratiuo numero, & *Cynosuris*, Κυνόσουρις, adpellatur, fueritne ad mare, an in mediterraneis: in Laconica certe fuisse, minus est quod dubitemus. Quod enim Stephanus ait, Κυνόσουρα, ἄκρα Ἀρκαδίας, *Cynosura Arcadiæ promontorium*, vitiosum sane, quia nulla parte Arcadia contingit mare, vt promontorium limite suo contineat. Nec tutum Ἀττικῆς sufficere in locum, quia Hesychius ἄκρον τοῦ Μαραθῶνος *promontorium* Marathonis ad Eubœam conversum, hoc nomine insignitum referat. Laconicæ autem id nomen Pausanias cap. xvi; & scholiastes Callimachi, & idem etiam Hesychius, qui in Attica id nominis aliud posuerat, vindicauerunt. Pausanias enim cum Spartanis populis coniungit

hisce:

hisce: οἱ Λιμνάται Σπαρτιατῶν καὶ Κυνοσουρεῖς καὶ ἐκ Μεσόας τε καὶ Πιτάνης θύοντες τῇ Ἀρτέμιδι, *Limnatæ Spartiatarum, & Cynosurenses, & qui ex Mesoa & Pitana venerant, Dianæ sacrificantes.* Scholiastes Callimachi in hymn. Dianæ vers. 94 Κυνοσουρίς, τόπος Λακωνικῆς, *Cynosuris locus Laconicæ.* Et quod ἄκραν dixit chorographus, in regionis quamlibet adpellatione errabundus; ad mare fuisse id oppidum sub promontorio situm, verosimile est. Nec enim geographis vox ἄκρα tam quemuis montem, quam in mare procurrentem significat. Heic, quocunque loco fuit, sepultus dicitur Aesculapius. Cicero lib. III Nat. deor. cap. XXII *Aesculapius secundus, secundi Mercurii frater. is fulmine percussus, dicitur humatus esse Cynosuris.* Et Clemens Alexandrinus Protrept. pag. 18 de Aesculapio: οὗτος κεῖται κεραυνωθεὶς ἐν τοῖς Κυνοσουρίδος ὁρίοις, *hic fulmine ictus sepulcrum habet in Cynosuridis finibus.*

In mediterraneis Laconicæ est caput gentis *Lacedæmon*, quæ & *Sparta* dicitur, quæ duo nomina ita differunt, vt alterum sit proprium & antiquum vrbis, alterum regionis, quod postea vrbi etiam primariæ accesserit. Pausanias Lacon. cap. XI Σπάρτη μὲν ὀνομασθεῖσα ἐξαρχῆς, προσλαβοῦσα δὲ ἀνὰ χρόνον καὶ Λακεδαίμων ἡ αὐτὴ καλεῖσθαι. τέως δὲ τὸ ὄνομα τοῦτο ἔκειτο τῇ γῇ, *Sparta dicta prius, quæ postea etiam Lacedæmon fuit nuncupata, quum antea regionis hoc nomen esset.* Et Stephanus: Λακεδαίμων πόλις ἐνδοξοτάτη τῶν ἐν Πελοποννήσῳ, ἡ Σπάρτη πρότερον, *Lacedæmon vrbs celeberrima in Peloponneso, quæ prius Sparta adpellata fuit.* De origine vtriusque nominis, quæ varia ab diuersis proditur, Meursius in Miscell. Laconicis consulatur: ad nostrum illa institutum nihil adfert. Distinxit ita vrbem ab regione Homerus Iliad. Β, siue Catalogo vers. 88

> Οἳ δ' εἶχον κοίλην Λακεδαίμονα κητώεσσαν,
> Φάρην τε, Σπάρτην τε, πολυτρήρωνά τε Μέσσην.
> *Qui tenebant cauam Lacedæmonem, cetis abundantem,*
> *Pharamque & Spartam, & columbis plenam Messam.*

Scholiastes ibi: Λακεδαίμονα τὴν χώραν λέγουσι· τὴν δὲ πόλιν Σπάρτην. ἕτεροι δὲ καὶ αὐτῆς τῆς πόλεως τὸ μὲν τοι Λακεδαίμονα, τὸ δὲ Σπάρτην καλοῦσι. *Lacedæmonem regionem dicunt: vrbem Spartam: alii vrbem vtroque nomine Lacedæmonem & Spartam adpellant.* Κοίλη, *caua* dicitur regio, quod montibus est circum-

data, Taygeto maxime. Adi ſcholiaſten laudatum, qui etiam epitheton vrbis κητώεσσα interpretatur. Sita vrbs ad dextram Eurotæ ripam, de quo flumine ſupra in oſtiis dictum fuit. Minor erat ambitu Athenis, vtcumque par potentia, vel etiam ſuperior. Polybius lib. IX cap. XX tradit circuitum eſſe XLVIII ſtadiorum; quum Athenarum multo amplior exſtitiſſet. Quum floreret Lacedæmon, carebat muris, virtute ciuium munita & defenſa. Nepos Ageſilao cap. VI *Quum Epaminondas Spartam oppugnaret, eſſetque ſine muris oppidum, talem ſe imperatorem præbuit, ut eo tempore omnibus adpareret, niſi ille fuiſſet, Spartam futuram non fuiſſe.* Caſſandri demum temporibus, aut poſtea, quum tyranni tenerent ciuitatem, diffiſi armis & virtute, muro vrbem cinxerunt, leuiore primum & tumultuario, quem Nabis firmiſſimum perfecit. Iuſtinus lib. XIV cap. V ex Trogo: *Caſſander profectus in Græciam multis ciuitatibus bellum infert, quarum excidio, veluti vicino incendio territi Spartani, vrbem, quam ſemper armis, non muris defenderant, tum contra reſponſa fatorum & veterem maiorem gloriam, armis diffiſi, murorum præſidio includunt.* Demetrii & Pyrrhi temporibus initia murorum Pauſanias tribuit, Achaic. cap. VIII. τὰ τείχη τῆς Σπάρτης, inquit, οἰκοδομηθέντα μὲν καὶ πρότερον ἔτι αὐτοσχεδίως καὶ ἐπί τε τῆς Δημητρίου, καὶ ὕστερον τῆς Πύῤῥου καὶ Ηπειρωτῶν στρατείας· ἐπὶ δὲ τῆς τυραννίδος τῆς Νάβιδος καὶ ἐς τὸ ἀσφαλέστατον ὀχυρωθέντα. *Spartæ muri, Demetrio & Pyrrho olim oppugnantibus, tumultuario opere exſtructi fuerant: Nabis poſtea tyrannus ita perfecit, vt nihil ad firmitudinem deſideraretur.* Liuius lib. XXXIV cap. XXXVIII *Fuerat quondam ſine muro Sparta. tyranni nuper locis patentibus planisque obiecerant murum: altiora loca, & difficiliora aditu, ſtationibus armatorum pro munimento obiectis tutabantur.*

Viginti ſtadiis a Sparta, in auſtrum verſus, *Amyclæ* erant, amœniſſimum oppidulum & antiquum. Polybius lib. V cap. XIX αἱ Ἀμύκλαι καλούμεναι, τόπος ἐστὶ τῆς Λακωνικῆς χώρας καλλιδενδρότατος καὶ καλλικαρπότατος. ἀπέχει δὲ τῆς Λακεδαίμονος ὡς εἴκοσι στάδια. *Amyclæ, quæ ita vocantur, locus ſunt fructiferarum arborum prouentu amœniſſimus, diſtantque viginti circiter ſtadia a Lacedæmone.* Inde eſt quod *virides* a Statio dicuntur Thebaid. IX verſ. 769

- - *hunc virides non excipietis Amyclæ.*

Apol-

Apollinis templo claræ fuerunt. Polybius ibidem: ὑπάρχει καὶ τέμενος Ἀπόλλωνος ἐν αὐτῷ σχεδὸν ἐπιφανέστατον τῶν κατὰ τὴν Λακωνικὴν ἱερῶν, *Est in loco illo Apollinis templum, facile clarissimum omnium, quæ in Laconica regione sunt.* Ideoque *Apollineæ* Amyclæ dictæ eidem Statio Theb. verſ. 223

Huius Apollineæ currum comitantur Amyclæ.

Leda, Dioſcurorum & Helenæ mater, heic ſedem habuiſſe traditur, vnde cognomen *Ledææ* eſt. Idem Theb. VII verſ. 163

- - - - *Ledæasque ibis Amyclas.*

Et Silius Italicus lib. II verſ. 434

Ledæis veniens victor Xanthippus Amyclis.

Ab auſtro autem vrbi fuiſſe obuerſas, itidem Polybius dicto loco teſtis eſt: Κεῖται τῆς πόλεως ἐν τοῖς πρὸς θάλατταν κεκλιμένοις μέρεσι, *Sitæ ſunt Amyclæ ad eam partem vrbis, quæ vergit ad mare.* Livius lib. XXXIV cap. XXVIII *Quintius prope Amyclas poſuit caſtra. Inde, quum perpopulatus omnia circumiecta vrbi frequentis & amœni agri loca eſſet, nullo iam hoſte porta* [Lacedæmonis] *excedente; mouit caſtra ad flumen Eurotam.*

Trans flumen, in altera ripa, *Therapne* erat, ſiue *Therapnæ*, itidem vicina Spartanæ vrbi; vitioſe in vulgatis quibusdam libris *Theramne* ſcripta. Pauſanias Lacon. cap. XX Ἑτέρα ἐκ τῆς πόλεως ὁδὸς ἐς Θεράπνην ἄγει. --- πρὶν δὲ ἢ διαβῆναι τὸν Εὐρώταν, ὀλίγον ὑπὲρ τῆς ὄχθης, ἱερὸν δείκνυται Διὸς Πλουσίου. *Altera via ex vrbe ducit Therapnen. - - antequam vero Eurotam tranſieris, haud longe a ripa oſtenditur Iouis Opulenti fanum.* Erga Eurotas traiiciendus erat iis, qui Sparta exibant Therapnen. πόλιν, *oppidum* dixit idem Pauſanias cap. XIV, & Stephanus. Suidas *locum* vocat; Θεράπναι τόπος ἐστὶν ἐν τῇ Λακεδαιμονίᾳ: Scholiaſtes Pindari Iſthm. oda I verſ. 43 κώμην, *vicum*: Θεράπνα, κώμη αὐτόθι, *Therapna vicus ibidem*, id eſt apud Spartam. Caſtoris & Pollucis templum habuit. Idem ſcholiaſtes dicto loco: Ιστέον ὅτι τῆς Λακωνικῆς ἐν Θεράπναις τὸ ἱερόν ἐστι τῶν Διοσκούρων, *Sciendum quod in Laconicæ Therapnis templum ſit Dioſcurorum.* Quo Statius adluſit Siluarum lib. IV carm. VIII verſ. 52

Et vos Tyndaridæ, quos non horrenda Lycurgi
Taygeta, vmbroſæque magis coluere Therapnæ:

quos idem Thebaidos lib. VII verſ. 793 inde *Therapnæos fratres*

 dixit,

dixit. Pomponius Mela lib. II cap. III *in Laconide Therapne, Lacedæmon, Amyclæ* Plinius lib. IV cap. V vitiose, *intus Sparta, Theramne,* quod etiam in libros Stephani & Statii irrepsit, indignante Meursio Miscell. Lacon. lib. IV cap. XII.

Inter Spartam & eius nauale in via sunt *Croceæ*, Κροκέαι, Pausaniæ cap. XXI, & Stephano nominatæ: ille κώμην, *vicum* vocat; hic τῶν ἑκατὸν πόλεων μίαν, *vnum ex centum* [Laconicis] *oppidis.* Ibi lapidicinæ Spartanorum, & *Iouis Croceatæ*, Διὸς Κροκεάτα, lapideum simulacrum. Inde si pergas XXX stadia, oppidulum est *Aegiæ*, Αἰγίαι, quod credebatur Homericum esse, Αὐγειαί, *Augeæ* dictum. Vide Pausaniam.

Ptolemæus inter Spartam & mare fere media via ponit Θούριον, *Thurium*, de quo silent ceteri. Inde ad occasum habet *Bitylam*, quam Meursius Miscell. lib. IV cap. VIII putat ex *Oetylo*, maritimi oppidi nomine prauatum esse, quamuis suam Ptolemæus in mediterraneis scripserit. *Blemminam* autem Ptolemæi, Βλέμμινα, in septemtrione sitam ad Arcadiæ fines, credit Meursius ceterorum *Belbinam* esse. Stephanus: Βελβίνα πόλις Λακωνική, *Belbina, oppidum Laconicum.* Prouocat ad Pausaniæ octauum librum, siue de Arcadicis rebus, cuius cap. XXXV in nostris libris non Βελβίνα, sed Βελεμίνα, *Belemina* legitur, quod propius cum Ptolemæi *Blemina* siue *Blemmina* congruit. nec situs repugnat. Arcades enim ait narrare, olim suam fuisse; a Lacedæmoniis sibi ereptam. Si mendi suspicionem obiicias, constantia scribentis diluet, quia etiam in Lacon. cap. XXI Βελεμίνα, & eodem quidem situ legitur. Accedit quod itidem ad Arcadiæ fines Polybius memorat Βελμινᾶτιν χώραν, *Belminaticum agrum*, in confinio Megalopolitanorum. Nihilominus propter hanc ipsam situs conuenientiam concedimus facile, *Belbinam* & *Blemminam* & *Beleminam* eamdem esse, vel errante scriptura alterutra, vel gemino nomine vnius oppidi vsurpato. Liuius lib. XXXVIII cap. XXXIV *Ager Belbinites* [quidam *Belbinatis* legunt] *quem iniuria tyranni Lacedæmoniorum possederant, restitutus eidem ciuitati* [Megalopolitanæ] *ex decreto vetere Achæorum, quod factum erat Philippo Amyntæ filio regnante.* Plutarchus in Agide & Cleomene pag. 806 Πρῶτον οἱ ἔφοροι πέμπουσι καταληψόμενον τὸ περὶ τὸν Βελβίναν Ἀθήναιον. ἐμβολὴ δὲ τῆς Λακωνικῆς τὸ χωρίον ἐστί, καὶ τότε πρὸς τοὺς Μεγα-

Μεγαλοπολίτας ἦν ἐπίδικον. *Primum ephori* [Cleomenem] *mittunt ad Mineruæ templum, quod prope Belbinam est, occupandum. Is locus agri Laconici aditus erat, & tunc temporis Lacedæmoniis controuersus erat cum Megalopolitanis.*

Fuit & *Tripolis* quædam in his oris Lacedæmoniorum. Liuius lib. XXXV cap. XXVII *Ita perculsis hostibus, Philopœmen protinus ad depopulandam Tripolim Laconici agri, qui proximus finem Megalopolitanum est, duxit, & magna vi pecorum hominumque inde abrepta, priusquam a Gythio tyrannus præsidium agris mitteret, discessit.* Vnum oppidum, an tria fuerint, vt in Arcadia, non quidem definitum est: probabilius autem, regiunculam, tria oppida minora continentem, fuisse, quod abactio pecorum hominumque, & ipsa depopulatio suadet. Præter hanc nemo, quantum nobis notum est, *Tripolim* Laconicam memorauit.

Vt vero Tripolis alia Laconicæ, alia erat Arcadiæ; ita etiam *Caryæ* aliæ Arcadum, aliæ Lacedæmoniorum fuerunt. De his Pausanias Mess. cap. XVI. & Lacon. cap. X, quæ Dianæ fanum habebant, ad quod Lacænæ virgines festo diuæ die choreas ducebant. Sitæ erant inter Spartam & Messeniorum fines: vt dicto cap. XVI Messenicorum adparet. Stephanus singulari numero: Κάρυα, χωρίον τῆς Λακωνικῆς. Ab his cognomen *Dianæ Caryatidis* apud Diomedem Gramm. lib. III pag. 483. Et Hesychius: Καρυᾶτις, ἑορτὴ Ἀρτέμιδος καὶ ἱερόν. Papinius Statius Theb. IV vers. 225

Plaudentique habiles Caryæ resonare Dianæ.

In Argiuorum confinio *Glympes*, Γλυμπεῖς, plurale, fuerunt. Polybius lib. IV cap. XXXVI Γλυμπεῦσι καὶ Ζάρακι προσπεσών, *Glympes & Zaracem inuasit.* De situ idem clarius lib. V cap. XX παραγενόμενοι πρὸς Γλυμπεῖς χωρίον, ὃ κεῖται περὶ τοὺς ὅρους τῆς Ἀργείας καὶ Λακωνικῆς, *Ventum ad Glympes est castellum, situm in confinio Argeæ & Laconicæ.*

In eodem tractu, sed orientem versus æstiuum, & æque in Argiuorum quam Arcadum confinio cum Lacedæmoniis, posuit Ptolemæus *Lernam* oppidum, Λέρνην, de qua nihil nobis notum in Laconica est: nisi forsan prope paludem Lernam aut fluuium fuit, de quibus in Argolide dicemus. Addit *Thalamam*, Θαλάμην, quam pluraliter Pausanias enuntiat Θαλάμαι, *Thalamæ,* & in

oppidis Eleutherolaconum scribit cap. XXI ; quod argumento esset, haud longe ab Argolico sinu abfuisse, quia vt Pausanias ibidem tradit, ἐπὶ θαλάσσῃ ᾠκισμένον ἐστὶν ἤδη τῶν Ἐλευθερολακώνων, *maritima tenent Eleutherolacones;* nisi Polybius in Excerptis Valesianis ex lib. XVI nos aliud doceret. ὁ μὲν Εὐρώτας, inquit, καὶ τὰ περὶ Σελλασίαν κεῖται τῆς Σπάρτης ὡς πρὸς τὰς θερινὰς ἀνατολάς· τὰ δὲ κατὰ Θαλαμίας, καὶ Φαρὰς, καὶ Πάμισον ὡς πρὸς τὰς χειμερινὰς δύσεις. *Eurotas & ager Sellasiorum ad ortum æstiuum Spartæ siti sunt: Thalamæ vero & Pharæ ac Pamisus amnis proxime ad occasum hibernum.* Lege quæ antecedunt & sequuntur, e quibus intelliges, *Thalamas* (sic enim rectius scribitur quam *Thalamias)* inter Eurotam & Pharas seu Messeniæ fines fuisse sitas. Sed in septemtrionem reuertamur.

Eiusdem tractus est regio *Cynuria*, Κυνουρία γῆ, in Argolidis confinio, cuius duo oppida erant, *Thyrea*, & *Anthena*, Græce Θυρέα & Ἀνθήνη. Thucydides lib. IV pag. 288 ἀφικνοῦνται ἐπὶ Θυρέαν, ἥ ἐστι μὲν τῆς Κυνουρίας γῆς καλουμένης, μεθορία δὲ τῆς Ἀργείας καὶ Λακωνικῆς, νεμόμενοι δὲ αὐτὴν ἔδοσαν Λακεδαιμόνιοι Αἰγινήταις ἐκπεσοῦσιν ἐνοικεῖν. *Veniunt* [Athenienses] *Thyream terræ Cynuriæ, disterminantis Argiuum & Argolicum agrum : quam Lacedæmonii colentes Æginetis, patria eiectis, habitandam tradiderant.* Idem lib V pag. 371 περὶ τῆς Κυνουρίας γῆς, ἧς ἀεὶ πέρι διαφέρονται, μεθορίας οὔσης. ἔχει δὲ ἐν αὐτῇ Θυρέαν καὶ Ἀνθήνην πόλιν· νέμονται δ᾽ αὐτὴν Λακεδαιμόνιοι, *de Cynuria regiuncula* [Argiuis monentibus] *quæ semper controuersa fuit, quia in limite erat. Habet autem oppida Thyream & Anthenam : eamque possident Lacedæmonii.* Plinio est *Anthane.* nam etiam Ἀνθάνα vocatur. Adi Stephanum Byzantium.

Citeriora sunt Ptolemæo, *Gerenia*, Γερηνία, quam Pausanias cap. XXI etiam in Eleutherolaconum vrbibus numerauit : Plinius lib. IV cap. V scripsit *Gerania*, Dorico more. Rursus Pausanias principio Laconicorum, Messeniis dicit constitutum limitem esse ad Laconas κατὰ τὴν Γερηνίαν, *iuxta Gereniam :* vnde Stephanus quoque *Gereniam* in Messenia censet. Quod si est, nimis illam Ptolemæus in ortum protraxit. Deinde Ptolemæi est Οἰνόη, *Oenoe*, a Sparta in ortum sita, quæ Meursio videtur Stephani Οἰνοῦς, *Oenûs* esse, a vini præstantis prouentu laudatum Athenæo oppidulum, (ὁ ἐξ Οἰνοῦντος οἶνος, *Oenuntinum vinum)* lib.

lib. I cap. XXIV. Est & fluuius *Oenus*, apud Polybium lib. II cap. LXV, haud dubie Oenuntem, communi nomine oppidulum, præterfluens. Ad hunc sita erat *Sellasia* oppidum. Liuivs lib. XXXIV cap. XXVIII *Quintius, satis iam omnibus paratis, profectus ab statiuis, die altero ad Sellasiam super Oenunta fluuium, - - - inde quum audisset escensum difficilis & arcta via esse, breui per montes circuitu præmissis qui munirent viam, lato satis & patenti limite ad Eurotam amnem, sub ipsis prope fluentem mœnibus, peruenit.* Polybius scripsit Σελασία, *Selasia*, lib. II cap. LXV, & lib. IV cap. LXIX: Excerptis autem Valesii ex lib. XVI editum pag. 73 Σελλασία, quum situm eius ad Spartam vrbem ita descripsit: ὁ Εὐρώτας καὶ τὰ περὶ τὴν Σελλασίαν κεῖται τῆς Σπάρτης ὡς πρὸς τὰς θερινὰς ἀνατολάς, *Eurotas & quæ circa Sellasiam, ad ortum æstiuum Spartæ sita sunt.* Ἐρείπια Σελασίας, *rudera Selasiæ*, ostendit Pausanias Lacon. cap. X. Hic vero etiam simplici lamda scripsit.

Ceteræ mediterraneæ vrbes, quamuis dubiæ positionis, sunt, *Pitane*, Πιτάνη, haud longe a Sparta, quod ex iuuenum secessione in collem ἐγγὺς Πιτάνης, *prope collem*, apud Polyænum lib. II cap. I strateg. 14 adparet. Ad Eurotam fuisse, versus Pindari 46 odæ VI Olymp. probat,

Πρὸς Πιτάναν δὲ παρ' Εὐρώτα πόρον,

Ad Pitanam vero iuxta Eurotæ meatum.

Plinius in Laconica: *Intus Sparta, Theramne: atque vbi fuere Cardamyle, Pitane, Anthane.* Memorauit etiam Pausanias cap. XVI vna cum Mesoa & Cynosura. Correpta media syllaba. Ausonius epigram. XXIV de Thrasybulo Lacedæmonio, septem aduersis vulneribus acie cæso:

Non dolor hic patris, Pitanæ sed gloria maior.

Desumtum epigramma ex Græco est apud Plutarchum in Apophthegm. Laconicis, quod incipit:

Τᾷ Πιτάνᾳ Θρασύβουλος ἐπ' ἀσπίδι ἤλυθεν ἄπνους.

Quam coniungit Pausanias *Mesoan*, aliis est *Messoa*, geminato sibilo. Stephanus: Μεσσόα, τόπος Λακωνικῆς, *Messoa, locus Laconicæ.* Patria Alcmanis poetæ. Suidas: Ἀλκμάν, Λάκων ἀπὸ Μεσσόας, *Alcman, Lacedæmonius Messoensis.*

Sunt præterea, incerto situ, *Geranthræ* siue *Geronthræ*, in Eleutherolaconibus; auctore Pausania cap. XXI, & Stephano;

&

& *Thea*, Θέα, eiusdem Stephani, qui ex Thucydide Θεᾶς, *Theenses* producit. Exstat nummus in Thesauro serenissimi Electoris Brandenburgici, DOMINI mei, quem huc refert vir clarissimus Laur. Begerus pag. 442. Et *Alagonia*, ac *Marios*, a Pausania in Eleutherolaconicis numeratæ, fere ignotæ sunt. Notior in eodem censu *Pyrrhichus*, a Pyrrho, Achillis filio, nomen ducens, vt idem Pausanias cap. XXV tradidit. nam ait ibi, ἀπὸ Πυῤῥίχου καταβάντι ἐς θάλασσαν, ἐστὶ Τευθρώνη, *a Pyrricho ad mare descendenti occurrit Teuthrone.* Teuthrona autem inter Lan & Tænarum in ora existebat, vt supra exposuimus. Ibi *Scyras* fluuius exit, quem classe ingressus Pyrrhus est, quum ad nuptias Hermiones proficisceretur. Vrbs Pyrrhichus XL stadiis abest a flumine. Hæc ex Pausaniæ dicto loco. Meursius existimat, eundem locum esse quem Polybius lib. V cap. XIX dicit τὸν Πυῤῥου καλούμενον χάρακα, *Pyrrhi ita nominatum Vallum,* quo Philippus vno die inter populandum ab Amyclis dicitur venisse. Videtur eumdem locum Liuius lib. XXXV cap. XXVII *Pyrrhi castra* adpellasse. *Nabis*, inquit, *recepto Gythio, cum expedito exercitu inde profectus, quum præter Lacedæmonem raptim duxisset, Pyrrhi, quæ vocant, Castra occupauit.*

Quod vero sæpe *Eleutherolaconum* facta est mentio, de iis ex Pausaniæ Lacon. cap. XXI notandum est, Spartam seu Lacedæmonem circumiectis olim oppidis plurimis imperasse. Ab huius ciuitatis iurisdictione exemit Augustus Cæsar duodeuiginti oppida, eaque libera esse permisit, pleraque ἐπὶ θαλάσσῃ ᾠκισμένα, *maritima;* omnia sic posita, vt longius a mari ne recedant. Sunt autem, *Gythium*, *Teuthrone*, *Las*, *Pyrrhichus*, ad Tænarum *Cænepolis*, *Oetylos*, *Leuctra*, *Thalamæ*, *Alagonia*, *Gerenia*, *Asopus*, *Acriæ*, *Bœæ*, *Zarax*, *Epidaurus Limera*, *Brasiæ*, *Geronthræ*, *Marios*. Hinc est quod Plinius dixit lib. IV cap. V *Ager Laconicus, liberæ gentis.*

Montes Arcadiæ pauci memorantur, *Taygetus*, Ταΰγετος, & *Menelaius;* sed *Taygetus* tantæ longitudinis, vt per totam procurrat Laconicam, a mari ad vsque Arcadiam. Strabo lib. VIII pag. 250 τούτων ὑπέρκειται τὸ Ταΰγετον· ἔστι δ' ὄρος, μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάττης, ὑψηλόν τε καὶ ὄρθιον, συνάπτον κατὰ τὰ προσαρκτια μέρη ταῖς Ἀρκαδικαῖς ὑπωρείαις, ὥστε καταλείπεσθαι αὐλῶνα, καθ' ὃν ἡ

Μεσσηνία

Μεσσηνία συνεχής ἐστι τῇ Λακωνικῇ. *Supra hæc* [Tænarum ac Thyrides] *situs est mons Taygetus, paruo spatio a mari, altus & erectus, & septemtrionem versus Arcadicorum montium attingens radices ita, vt flexus cubito similis in medio relinquatur, vbi Messenia Laconicæ cohæret.*

Sub hoc monte Sparta sita est, & Eurotas amnis decurrit. Ibidem Strabo: ὑποπέπτωκε τῷ Ταϋγέτῳ ἡ Σπάρτη ἐν μεσογαίᾳ, καὶ Ἀμύκλαι, *sub Taygeto iacet Sparta in mediterraneis, & Amyclæ.* Quintius consul Romanus, Spartam oppugnaturus, referente Liuio lib. XXXIV cap. XXVIII, *vallem Taygeto subiectam euastat.* Venationes egregias hæc iuga omnis generis ferarum præbent, quas Pausanias Lacon. cap. XX recenset. His quoque virgines Spartanæ exercebantur. Propertius lib. III elegia XIV

Et modo Taygeti crines adspersa pruina
Sectatur patrios per iuga longa canes.

Dicuntur & plurali numero *Taygeta*, subaudi ὄρη, *montes, iuga.* Virgilius Georgicor. lib. II vers. 487

- - - *virginibus bacchata Lacænis*
Taygeta.

Et Papinius Statius lib. I Achilleidos vers. 426

Nusquam vmbræ veteres: minor Othrys, & ardua sidunt
Taygeta, exuti viderunt aëra montes.

Mons *Menelaius* proxime Spartam est. Liuius lib. XXXIV cap. XXVIII *Quintius prope flumen præter vrbem* [Spartam] *sub ipsas Menelaii montis radices ducere copias instructas pergit.*

ARGEIA siue ARGOLIS.

Laconicam excipit a septemtrione & in ortum excurrit *Argéa* siue *Argia*, Græce Ἀργεία: & alia forma Ἀργολὶς, vt Latine etiam Plinius lib. IV ineunte, & Mela lib. II cap. III scripserunt, *Argolis;* a qua sinus dicitur *Argolicus*, Græce Ἀργολικὸς κόλπος, apud Polybium lib. V cap. XCI. vt de Scylace, Strabone ac Ptolemæo taceamus. Ab occasu Argolidi Arcadia obiecta, & in septemtrione Achaia. *Sinus* autem *Argolicus*, vt Latini quoque Mela ac Plinius vocant, inter Maleam ac Scyllæum promontoria continetur. Inferiorem partem Lacones tene-

bant vſque ad Praſias: reliquam omnem vſque ad Saronicum ſinum Ptolemæus Argiuis dat; Strabo rurſus diſtinguit, mediam ſuo nomini relinquens; ſupremam ab vrbe adiacente adpellans *ſinum Hermionicum*, κόλπον τὸν Ἑρμιονικόν, ſiue Ἑρμιονικόν.

Argolidem Strabo incipit a *Praſiis*, quas Laconibus ſupra vindicauimus: Ptolemæus a *Temenio*. Strabo enim lib. VIII pag. 254 τῶν Ἀργείων αἵ τε Πρασιαὶ, καὶ τὸ Τημένιον, *Argiuorum ſunt & Praſiæ & Temenium.* Nos vero *Praſias* ſupra Laconibus, ſequuti Pauſaniam & Ptolemæum, reliquimus, vt ita aliud nobis Argeæ initium capiendum ſit. In ora itaque oppidum *Temenium*, Τημένιον, poſt Laconidem primum fuit, haud procul oſtiis *Eraſini* fluuii, qui ex monte Arcadiæ Stymphalo, aut palude Stymphalide, in Argiuorum agrum delapſus, heic effunditur: incertum vero, vtrum cis Temenium, an vltra illud effluat. Ἐρασῖνος Græce eſt, porrecta penultima, cuius nominis plures Strabo pag. 256, in Attica, & ipſa Arcadia, ſed per Achaiam in Corinthiacum mare effluentem, & alibi notauit. Hic, qui Argolicus eſt, ſub terra aliquod ſpatium occultari, & in Argea emergere dicebatur. Strabo VIII pag. 256 δύντα ὑπὸ γῆς φασὶ τοῦτον ποταμὸν ἐκπίπτειν εἰς τὴν Ἀργείαν, *hunc fluuium aiunt ſub terra abditum in Argea erumpere.* Et Seneca lib. III Quæſt. nat. cap. XXVI de illo refert Ouidii verſus ex Metamorphoſ. lib. XV, 275 ſeq.

- - - - tacito modo gurgite lapſus
Redditur Argolicis ingens Eraſinus in aruis.

Pauſanias Corinth. cap. XXXVI tradit *Eraſinum* influere in *Phrixum* amnem; Phrixum deinde exire in mare. Sed obſcurior ille *Phrixus*: nobilior *Eraſinus*, a quo potius *Phrixum* deferri credibilius eſt. Strabo enim lib. VIII pag. 256 duo tantum flumina, quaſi celebriora, in Argea memorat: εἷς μὲν Ἴναχός ἐστιν ὁ διαρρέων τὴν Ἀργείαν· ἄλλος δὲ ποταμὸς Ἐρασῖνος ἐν τῇ Ἀργείᾳ ἐστίν· *Vnus fluuius, Argeam perlabens, eſt Inachus: alter fluuius in Argea Eraſinus.* Statius lib. I Theb. verſ. 357

Inachus, & gelidas ſurgens Eraſinus ad Arctos.

quamquam hic Eraſinus Argolidis cum Arcadico, qui in ſeptemtriones tendit, ille vero in auſtrum, ut adparet, confunditur.

Deinde *Nauplia* eſt, nauale Argiuorum. Strabo: Μετὰ τὸ

Τημέ-

Τημένιον ἡ Ναυπλία, τὸ τῶν Ἀργείων ναύσταθμον, *post Temenium est Nauplia, Argiuorum naualis statio.* Ptolemæus, Ναυπλία ἐπίνειον, *Nauplia nauale.* Memorauit & Herodotus lib. VI cap. LXXVI. Quinquaginta stadiis a Temenio distabat, auctore Pausania, extremo Corinthiacorum. Nominis rationem Strabo dat, ἀπὸ τοῦ ταῖς ναυσὶ προσπλεῖσθαι, *quod nauibus impleatur.* Quæ quod portus commoditatem significant, fit, vt Napoli di Romania, permunita vrbs & portus esse credatur. At Pausaniæ ætate erat ἔρημος, *deserta*, & vix τειχῶν ἐρείπια, *murorum vestigia* reliqua.

Post Naupliam oppidum Ptolemæo est Φλιοῦς, *Phliûs*; Straboni specus cum labyrinthis, εἶτ' ἄλλα χωρία, *deinde alia loca*, in quibus fortassis Ptolemæi *Phliuntem* maritimum numerare possumus. Celebrior Phliûs Sicyoniæ, de quo supra in Achaia dictum est. Tum *Asine*, Ἀσίνη, Strabonis est, initium *sinus Hermionici*, quam Pausanias Messen. cap. XXXIV τὴν πρὸς Ἑρμιόνῃ Ἀσίνην, *Asinen Hermionicam* vocat. In sinu autem Hermionico, qui pars Argolici est, sed laxe sumti, Strabo pag. 254 tria oppida ponit, *Asinen*, de qua diximus; *Hermionam*, & *Trœzenem.* Ptolemæo æque laudata *Hermione* vt Straboni, cui οὐκ ἔστι τῶν ἀσήμων πόλεων, *non de obscuris vrbibus est.* Pausanias Corinth. cap. XXXIV veterem Hermionen, fanis quibusdam exceptis, euersam tradit: nouam quatuor stadiis a promontorio, in quo Neptuni fanum erat, positam. Vrbis nomen Scylaci est Ἑρμιών, *Hermion;* etiam Polybio. Agrum circumiectum Pausanias ibidem, & Thucydides lib. II pag. 136, τὴν Ἑρμιονίδα, *Hermionidem* regionem adpellauerunt.

Deinde vbi mare in orientem maxime recedit, & terræ amplitudo crescit, *Scyllæum* promontorium est Ptolemæi, quod Pausanias Corinth. cap. XXXIV in via ab Trœzene Hermionen ferente ponit, qui & aliud, *Bucephala* dictum, inter Scyllæum & Hermionen, prodit promontorium. Vltra Scyllæum, non magno interuallo, vrbs *Trœzen*, Τροιζὴν, est, Neptuno sacra, vnde & *Posidonia* dicta, vt Strabo refert: nec ipsa ignobilis, οὐδ' ἄσημος πόλις, eodem geographo testante. Vicinitatem Scylax ostendit: ἔστι τὸ Σκύλλαιον τῆς Τροιζηνίας, *Scyllæum promontorium in agro Trœzenio.* Hunc agrum Τροιζηνίδα, *Trœzenidem* dixit Thucydides lib. II pag. 136. Ipsa vrbs plerisque est Τροιζὴν, *Trœzen,*

Græcis & Latinis: Ptolemæo autem Τροιζηνὴ, *Træzena*, tribus syllabis. Scylax: μετὰ Ἑρμιόνα Τροιζὴν πόλις καὶ λιμὴν, *post Hermionem Træzen est, oppidum & portus*. Polybius lib II cap. LII προσλαβὼν - - - Ἐπίδαυρον, Ἑρμιόνα, Τροιζῆνα, *occupans Epidaurum, Hermionem, Træzenem*. Corn. Nepos Themistocle cap. II *sua omnia quæ moueri poterant, partim Salaminem, partim Træzenem asportant*. Ouidius Metamorphos. lib. VI vers. 418

- - - - *neque adhuc Pittheïa Træzen.*

Pitthæus frater & successor fuit Trœzenis, a quo nomen vrbis est. Vide Pausaniæ Corinthiaca cap. XXX. Iterum Ouidius lib. XV vers. 296

Est prope Pitthêan tumulus Træzena, sine vllis
Arduus arboribus.

Inter Trœzenem & Epidaurum, vt Strabo obseruat, χωρίον ἦν ἐρυμνὸν Μέθανα, καὶ χερρόνησος ὁμώνυμος τούτῳ, *locus erat munitus Methana, & Chersonesus eodem nomine*. Addit in quibusdam Thucydidis libris Μεθώνη legi; vt in nostris est lib. IV pag. 283 ἀφίκοντο ἐς Μεθώνην, τὴν μεταξὺ Ἐπιδαύρου καὶ Τροιζῆνος, *Methonen illam venerunt, quæ inter Epidaurum & Træzenem est*. Ptolemæus simpliciter χερσόνησον, Mela *Chersonesum* vocant, cuius etiam Thucydides dicto loco mentionem habet.

Tum sequitur *Epidaurus*, propter Aesculapii religionem, ἱερὰ Ἐπίδαυρος, *sacra Epidaurus* Plutarcho dicta in Pericle pag. 171. Nam inde Romani arcessierunt Sibyllæ libris moniti, quum pestilentia adfligerentur. Liuius lib. X extremo: *inuentum in libris, Aesculapium ab Epidauro Romam arcessendum*. Idem lib. XLV cap. XXVIII *Sicyonem inde & Argos, nobiles vrbes; adit: inde haud parem opibus Epidaurum, sed inclutam Aesculapii templo, quod quinque millibus passuum ab vrbe distans, nunc vestigiis reuulsorum donorum, tum donis diues erat, quæ remediorum salutarium ægri mercedem sacrauerant deo*. Plinius lib. IV cap. V *In eo* [sinu Saronico Argiuorum partis] *Epidaurum oppidum, Aesculapii delubro celebre*. Hinc antiquissimus cultus huius numinis, vt multi ἐν Ἐπιδαύρῳ τὸν θεὸν γενέσθαι, *Epidauri Aesculapium natum esse* tradiderint. τὰ γὰρ Ἀσκλήπεια ἐπιφανέστατα ἐξ Ἐπιδαύρου, *nam præcipua huius dei cultura ab Epidauro profecta*, quod Pausaniæ iudicium est Corinth. cap. XXVI. Cicero III Nat. deor. cap. XXXIV

cauillum

cauillum Dionysii refert, qui *Aesculapii Epidauri barbam auream demi iussit. neque enim conuenire barbatum esse filium, quum in omnibus fanis pater imberbis esset.* Exstant nummi huius vrbis cum capite Aesculapii, vel serpentis figura, inscripti ΕΠΙΔΑΥΡΙΩΝ. Et vetus inscriptio apud Th. Reinesium pag. 152 AESCVLAPIO EPIDAVRIO. nam & Latini gentile *Epidaurius* formant. Pomponius Mela lib. II cap. III *Habitant ab Isthmo ad Scyllaeum Epidaurii, Aesculapii templo incluti; & Troezenii, fide societatis Atticae illustres.*

Quae reliqua in hoc litore vsque ad isthmum sunt, Plinius lib. IV cap. V ita enumerauit: *In eo* [sinu] *Epidaurum oppidum, Aesculapii delubro celebre: Spiraeum promontorium portus Anthedon, & Bucephalus.* Mela lib. II cap. III *Peloponnesi oram sinus & promontoria lacerant: ab oriente Bucephalos, & Chersonesus, & Scyllaeon.* Ptolemaeus: Ἐπίδαυρος, Σπείραιον ἄκρον, Ἀθηναίων λιμὴν, Βουκέφαλον λιμὴν, *Epidaurus, Spiraeum promontorium, Atheniensium portus, Bucephalum portus.* Quem ergo *Anthedonem* dixit Plinius, Ptolemaeus vocat *Atheniensem* portum; vt alterum vocabulum vix possit non mendosum esse. Hausit alia ex Pomponio Plinius, etiam proxima de Epidauro: non autem quae de portubus. nam iste hoc loco: *portus Saronicus, & Schoenitas, & Pogonus.* Pogonus ille Troezenius est. Strabo VIII pag. 257 πρόκειται τοῦ λιμένος αὐτῆς, Πώγωνος τοὔνομα, Καλαυρεία νησίδιον, *praeiacet illius* [Troezenis] *portui, cui nomen Pogoni est, parua insula Calauria.* Portum *Schoeniten* Plinius a ceteris distinxit: quo loco eius sinus sit, non indicauit. Portus Saronicus qui Plinii aut Ptolemaei sit, non est clarum. Is. Vossius mauult *porus Saronicus*, quia hunc sinum referat Strabo etiam πόρον Σαρωνικὸν adpellari. Lib. VIII pag. 254 εἶτ' ὁ Σαρωνικὸς κόλπος· οἱ δὲ πόντον λέγουσιν, οἱ δὲ πόρον, καθ' ὃ καὶ πέλαγος λέγεται, *Sequitur Saronicus sinus, quem alii pontum, alii porum* [traiectum] *dicunt, vnde & mare dicitur Saronicum.* Circa Troezenem incipit, quam Ptolemaeus Saronico, Strabo sinui Hermionico tribuit, quia in limite est ambiguo.

In mediterraneis Argiuorum vrbs princeps fuit Ἄργος, *Argos*, neutro genere; Latine *Argi*, viriliter plurali numero. Grae-

ci, vt dixi, τὸ Ἄργος formant. Homerus, vt de geographis taceam, Catalogo verſ. 66

Οἱ δ᾽ Ἄργος τ᾽ εἶχον, Τίρυνθά τε τειχιόεσσαν.

Qui Argos colebant, & munitam Tirynthem.

Polybius lib. II cap. LXX ὁ Ἀντίγονος παραγενόμενος εἰς Τεγέαν, δευτεραῖος ἐντεῦθεν εἰς Ἄργος, *Antigonus venit Tegeam, poſtero die Argos.* Plutarchus Pyrrho p. 403 προῆγεν ἐπὶ τὸ Ἄργος, *mouit aduerſus Argos.* Obliquis caſibus τοῦ Ἄργους Strabo dixit VIII pag. 254; τῷ Ἄργει, Homerus Iliad. A verſ. 30

Ἡμετέρῳ ἐνὶ οἴκῳ, ἐν Ἄργει, τηλόθι πάτρης.

Imitantur aliquando Latini. Mela dicto loco: *in Argolide Argos, & Mycenæ, & templum Iunonis.* Et Plinius IV cap. V *alias Inachium, alias Dipſium Argos.* Et Ouidius lib. II Metamorph. verſ. 239

- - - - *queritur Bœotia Dircen,*

Argos Amymonen, Ephyre Pirenidas vndas.

Sed hoc helleniſmo tribuendum: puræ Latinitatis eſt plurale *Argi.* Liuius lib. XXXI cap. VII *Peloponneſum totam in ditione Philippus habet, Argosque ipſos; non vetere fama magis, quam morte Pyrrhi nobilitatos.* Et lib. XXXII cap. XXXVIII *Philippus magis de Argis quam de Corintho ſollicitus.* Etiam Virgilius Aeneid. I verſ. 24 de Iunone:

- - *quod* [bellum] *ad Troiam pro caris geſſerat Argis:*

& verſu 284

- - - - - - *clarasque Mycenas*

Seruitio premet, ac victis dominabitur Argis.

Cognomenta habet varia. Strabo lib. VIII pag. 255 ex Homeri carminibus enotauit Ἀχαϊκὸν, Ἴασον, Ἵππιον, Ἱππόβοτον, Πελασγικὸν, Πολυδίψιον, e quibus *Achaicum* diſcriminis cauſſa ab regione ſumtum eſt vel antiquo populo. exempli gratia, Odyſſ. Γ verſ. 251

Ἦ οὐκ Ἄργεος ἦεν Ἀχαϊκοῦ, - - -

Hippium etiam Plinius tradit, quod vt alterum ἱππόβοτον, equorum copiam, qui ibi nutriantur, ſonat. Addit Plinius *Inachium* a præterfluente Inacho amne; & *Dipſium,* quod eſt Homeri πολυδίψιον Iliad. Δ verſ. 171, a Strabone πολυπόθητον *deſiderabile,* per tralationem; non *ſiticuloſum* (nam abundat aquis) interpre-

pretando expositum. Duas arces habuit. Liuius lib. XXXIV cap. XXV *Praefectus praesidio Laconum* sub aduentum Romanorum *vtrasque arces (nam duas habent Argi) validis praesidiis firmauit.* Vnius nomen *Larissa* est, Strabone teste: alterius, non memini proditum esse. Iunoni vrbs dicata erat, cui ideo *caros Argos* supra poeta dixerat. Vnde *Iuno Argiua* in antiquis monimentis. Nummus Neronis ΗΡΑ ΑΡΓΕΙΑ: & Latina inscriptio apud Gruterum pag. 24

IVNONI ARGEIAE
C. BLANDVS PROCOS.

Vt ceteros nummos huius ciuitatis, quae in praecipuis erat Graeciae, inscriptos ΑΡΓΕΙΩΝ, item ΑΡΓΟΣ, & ΑΡΓ. a variis expositos, taceamus. Distant autem *Argi* a Temenio, maritimo oppido, stadiis XXVI, Strabone auctore: ab his septemtrionem versus *Mycenae* stadiis L.

Mycenae olim regni caput, Agamemnonis regia, poetis celebrata. Virgilius inde lib. VI Aeneid. vers. 838 dixit

Eruet ille Argos, Agamemnoniasque Mycenas.

Et Horatius lib. I oda VII

Aptum dicit equis Argos, ditesque Mycenas.

Post Troianum bellum, exstincto Agamemnonis regno ταπεινωθῆναι Μυκήνας, *decreuisse Mycenas*, Strabo notauit, adeo, vt ipsius aetate ne vestigium quidem superesset. Macedonico autem Romanorum bello aliquid vrbis fuisse super, ex Polybii excerptis lib. XVI pag. 73 ed. Vales. non potest dubium esse. εὐθέως, inquit de Nabi tyranno, ἐπὶ τὴν Κοντοπορείαν ἐπεβάλετο, καὶ περὶ τὰς Μυκήνας ἐποιεῖτο τὴν πορείαν εἰς Ἄργος: *statim in Contoporiam venit, & secundum Mycenas iter Argos fecit.* Contoporia autem locus circa Corinthum fuit, vt ex Athenaei lib. II cap. VI constat. Liuius subobscure in eiusdem temporis historia dixit lib. XXXIV cap. XXXIX, *Attalus in suam sententiam Quintium traduxit, ne in vrbem ipsam Argos iret. Haud procul vrbe Mycenica vocatur. in eo loco vt congrederentur conuenit.* Plerique pluraliter enuntiant Μυκῆναι, *Mycenae*: Homerus autem vtroque numero. Catal. vers. 76

Οἳ δὲ Μυκήνας εἶχον, ἐϋκτίμενον πτολίεθρον,
Qui Mycenas tenebant, bene conditam vrbem:

Et

Et Iliados Δ vers. 52

> Ἄργος τε, Σπάρτη τε, καὶ εὐρυάγυια Μυκήνη
> *Argos & Sparta, & latis viis Mycenæ.*

Decem stadiis a Mycenis, Argos versus, seu XL ab Argis in via Mycenas ducente, fuit Ἡραῖον, Strabone auctore, id est *Iunonis fanum*, quod interpretes etiam *Heraum* scribunt. Hoc est quod Mela in præcipuis Argeæ monimentis numerauit. *In Argolide*, inquit, *Argos, & Mycenæ, & templum Iunonis.*

Non procul ab Argis, in confinio Laconidis, est *Lerna*, quam Ptolemæus oppidum Laconicæ censuit mediterraneum, sed in finibus Argiuorum, quo loco etiam Pausanias Corinth. cap. XXXVI *Lernam*, Λέρναν, posuit, prope Temenium, ad quam ab Argis descendentibus, traiiciendus sit Erasinus, qui Phrixo amni mistus inter Temenium & Lernam exeat in mare. Sitam autem Lernam dicit in ora maris: ἡ δὲ Λέρνα ἐστὶ πρὸς θαλάσσῃ, *Lerna ad mare est.* Nec vero addit quid sit Lerna, oppidum, flumen, an palus. Strabo autem lib. VIII pag. 256 ἡ δὲ Λέρνη λίμνη τῆς Ἀργείας ἐστὶ καὶ τῆς Μυκηναίας, *Lerna palus est Argiui & Mycensi agri.* Sic videri possit inter Argos & Mycenas paludem illam esse, quod repugnat Pausaniæ verbis modo recitatis; etiam Pindari, Λερναίας ἀπ' ἀκτῆς, *ab litore Lernæo*, Olymp. oda VII vers. 60. Si fuit oppidum huius nominis, videtur id mare versus exstitisse; paludem autem interius. Pindari scholiastes: ἕτεροι δὲ καὶ πόλιν φασὶν, *alii dicunt oppidum* [Lernam] *esse:* adseuerantius Pomponius Mela lib. II cap. III *In Argolico* [sinu] *sunt noti amnes, Erasinus atque Inachus, & notum oppidum Lerne.* Etiam plus hoc nomine quam paludem videtur Statius Thebaid. lib. II vers. 433 significasse:

> - - - - - *felicibus Argos*
> *Auspiciis Lernamque regas.*

Ceterum hæc palus est ἐν ᾗ τὴν ὕδραν ἱστοροῦσι, *in qua*, vt Strabo ait, *hydram* [Herculis] *fabulantur.* Virgilius Aen. VI vers. 803 de Hercule,

> - - - - *Lernam tremefecerit arcu.*

Et Statius lib I Thebaidos versu 360

> - - *& veteri spumauit Lerna veneno:*

ideoque

ideoque eidem Statio lib. II Silv. carm. I vers. 181 dicta *angui-fera Lerna.* Flumine palus in mare exit, forsan etiam ex flumine orta. Virgilius lib. XII vers. 518

- - - - - *piscosæ flumina Lernæ.*

A palude prouerbium natum, Λερνη κακῶν, *Lerna malorum*, idque, vt Strabo exponit, διὰ τὺς γενομένυς καθαρμὺς ἐν αὐτῇ, *ob piacula in ea facta:* Hesychius, διὰ τὸ τὺς Αργείυς καθάρματα εἰς αὐτὴν βαλεῖν, *quod purgamenta Argiui in eam proiecerint.* A Lerna est Λερναῖος, *Lernæus*, vt supra ex Pindari versu ostendimus. Virgilius lib. VIII vers. 300

Lernæus turba capitum circumstetit anguis.

Prope Lernam est fons *Amymone*, Αμυμώνη. Strabo dicto loco: δείκνυται καὶ Αμυμώνη τὶς κρήνη κατὰ Λέρνην, *monstratur etiam Amymone fons prope Lernam.* Plinius in Argolide dicto loco: *Fontes; Niobe, Amymone, Psamathe.* Et Ouidius lib. II Metamorphos. vers. 240 - - - *queritur*

Argos Amymonen, Ephyre Pirenidas vndas.

Arx vel castellum *Lycimna*, secundum Strabonem ἀκρόπολις Λυκίμνα, lib. VIII pag. 257, XII stadiis aberat a Nauplia. *Tiryns*, patrio casu *Tirynthis*, ἑρμητήριον, siue arx a Cyclopibus condita, vt Strabo ibidem ex fabulis refert. Plinius lib. IV cap. V *Mycenæ: & vbi fuisse Tiryntha tradunt.* Tiryntha, id est Tirynthem, Græco casu. Homerus Catalog. vers. 66

Οἱ δ' Ἄργος τ' εἶχον, Τίρυνθά τε τειχιόεσσαν,

Qui Argos incolebant, & bene munitam Tirynthem.

Euersa ab Argiuis fuit. Pausanias Corinth. cap. XVII Τίρυνθα ἀνελόντες Αργεῖοι, *Tirynthem Argiui euerterunt.*

Supra Mycenas, in via quæ Argis Corinthum ducit, sunt *Cleonæ*, Κλεωναί, sitæ ἐπὶ λόφου περιοικουμένου πανταχόθεν, *in colle ædificiis vndiquaque circumculto*, vt Strabo situm indicauit lib. VIII pag. 260. Pausanias Corinth. cap. XV πόλιν ὐ μεγάλην, *vrbem non magnam* dicit, quam etiam ait obuiam esse venienti a Corintho Argos. Liuius lib. XXXIV cap. XXV *Ipse copias eductas ab Elatia ducere Argos pergit. atque ei circa Cleonas Aristænus prætor cum decem millibus occurrit.* Ouidius *humiles* dixit Metamorph. VI vers. 417 non a situ, quem celsum descripsit Strabo; sed ab exiguitate paucitateque colentium:

Meſſeneque ferax, Patræque, humilesque Cleonæ.

In ſaltu prope hoc oppidum immanis ille leo fuit, quem Hercules interfeciſſe dicitur. Claudianus lib. I in Rufin. verſ. 285

Vna Cleonæum paſcebat ſilua leonem.

Etiam Silius lib. III verſ. 36 *leonem* illum *Cleonæum* dixit: & rem ipſam expoſuit Seneca Herc. Oet. verſ. 189 ſub Alcmenæ perſona:

Flete Argolicæ, flete, Cleonæ.
Hic terrentem mœnia quondam
Veſtra leonem fregit noſtri
Dextera nati.

Inter Cleonas & Phliuntem eſt Νεμέα, *Nemea*, Strabone deſignante; dubium, oppidum, an regio, an aliud. Addit Strabo, καὶ τὸ ἄλσος ἐν ᾧ καὶ τὰ Νέμεα συντελεῖν ἔθος τοῖς Ἀργείοις, καὶ τὰ περὶ τὸν Νεμεαῖον λέοντα μυθευόμενα, *& lucus, in quo Nemea Argiui pro more celebrant; & ibi fabulantur Nemeæum illum leonem fuiſſe.* Plinius IV cap. V *regio Nemea, Bembinadia vocata.* at Straboni Βέμβινα κώμη, *Bembina vicus* eſt apud Nemeam. Stephanus: Νεμέα, χώρα τῆς Ἤλιδος, *Nemea, regio Elidis.* Non autem in Elide ſed in Argea eſſe, quamquam ad fines Elidis; ceteri plerique conſentiunt, Strabo, Ptolemæus, Pauſanias: male Plinius in Arcadia ponit. Auctor tertii prologi ad Pindari Nemea: ἔστι ἡ Νεμέα τῶν Ἀργείων τῆς χώρας μοῖρα, *Nemea eſt portio regionis Argiuorum.* Pauſanias Corinth. cap. XV χωρίον vocat, id eſt vicum vel oppidulum. De Cleonis egerat: ſubiungit, ἐν τούτοις τοῖς ὄρεσι τὸ σπήλαιον ἔτι δείκνυται τοῦ λέοντος, καὶ ἡ Νεμέα τὸ χωρίον ἀπέχει σταδίους πέντε που καὶ δέκα. ἐν δὲ αὐτῇ Νεμείου τοῦ Διὸς ναός ἐστι θέας ἄξιος. *In illis montibus leonis ſpecus adhuc oſtenditur: a quo vicus Nemea ſtadia* XV *abeſt. In illa Iouis Nemei templum plane inſigne.* Hoc Iouis cognomen exſtat etiam apud Pindarum Nem. od. II ſub initium, ſed paullo aliter flexum:

- - - - - Νεμεαίου
ἐν πολυϋμνήτῳ Διὸς ἄλσει,

hoc eſt, *in decentato luco Iouis Nemeæi.* Idem ergo Nemeæus & Cleonæus leo, propter locorum vicinitatem. De ludis Nemeæis, qui inter quatuor agonas ſacros Græcorum erant, Pindarus in Nemeis, Pauſanias Corinth. cap. XV, & alii conſulantur.

Ne-

Νεμείων vel Νεμέων πανήγυριν Pausanias ibidem, & Polybius lib. II cap. LXX & lib. V cap. CI vocant: Liuius lib. XXXIV cap. XLI *nobile ludicrum Nemeorum.*

ARCADIA.

Arcadia intima est Peloponnesi & tota mediterranea regio, nulla parte pertinens ad mare; montosa, & pascuis quam culturæ agrorum aptior, ideoque bucolicis poetis inprimis laudata, qui Pana, pastorum numen, eius præsidem fingunt. Virgilius ecloga IV verf. 58

Pan etiam Arcadia mecum si iudice certet.

Et in Gallo, siue ecloga X verf. 26

Pan deus Arcadiæ venit, quem vidimus ipsi.

De situ Strabo sub finem libri VIII Ἀρκαδία ἐστὶν ἐν μέσῳ μὲν τῆς Πελοποννήσου, πλείστην δὲ χώραν ὀρεινὴν ἀποτέμνεται, *Arcadia est in medio Peloponnesi, plurimamque montosam regionem continet.* Quod a mari abest, difficilior fit explicatu, quia nulla promontoria, nulli portus qui distinguant. Ptolemæus suis numeris, nec vero fidis vbique, discernit quædam: plura autem eius regionis non attingit. Curatius sua Pausanias tractat, quæ inter se confinium habent, plerumque coniungens, etiam distantiis per stadia expressis: nec inde vero positio certa haberi potest, quia plagas & cardines paucissimis locis determinat, vt incertus semper sis, dextrorsum, sinistrorsum, supra, infra aliquis locus, cuius situm inquiris, sit positus. Non ergo, vt voluimus, sed vt possumus, hanc regionem exponemus.

Strabonis ætate paucæ vrbes supererant, pluribus bello Græcorum circumcolentium euersis. Plinius plurima numerat, sed confuso ordine, lib. IV cap. VI. *Mediterranea eius*, Peloponnesi, inquit, *Arcadia maxime tenet vndique a mari remota. Oppida eius: Psophis, Mantinea, Stymphalum, Tegea, Antigonea, Orchomenum, Pheneum, Palantium, vnde Palatium Romæ; Megalopolis, Gortyna, Bucolium, Carnion, Parrhasie, Thelpusa, Melænæ, Heræa, Pyle, Palene, Agræ, Epium, Cynætha, Lepreon Arcadiæ, Parthenium, Alea, Methydrium, Enispe, Macistum, Lampe, Clitorium, Cleonæ, inter quæ duo regio Nemea, Bambinadia vocitata* E

quibus postrema, Cleonæ & Nemea, aliorum omnium iudicio non Arcadum, sed Argiuorum propria fuerunt.

Ptolemæo in septemtrione ad Elidis fines Ἡραία, *Heræa* est, a quo auersus Stephanus, ἔστι, inquit, Heræa· καὶ πόλις Ἀρκαδίας, κεῖται δὲ κατὰ Μεσσήνην, πρὸς Πελοποννήσον. *Est quoque* [Heræa] *oppidum Arcadiæ, situm iuxta Messenen in Peloponneso.* Messene vero australis est siue oppidum significat, siue Peloponnesi regionem; a quo situ longe Heræa abfuit, vt Ptolemæo consentiens etiam Pausanias prodit lib. VIII, qui de Arcadicis est, cap. XXVI. Ἡραιεῦσι, inquit, οἰκιστὴς γέγονεν Ἡραιεὺς ὁ Λυκάονος. κεῖται δὲ πόλις ἐν δεξιᾷ τοῦ Ἀλφειοῦ, *Heræensium conditor fuit Heræus, Lycaonis filius. Oppidum vero in dextera Alphei ripa situm est.* Polybius lib. IV cap. LXXVIII Φίλιππος διαβὰς τῇ γεφύρᾳ τὸν Ἀλφειὸν ποταμὸν, ὃς ῥεῖ παρ᾽ αὐτὴν τὴν τῶν Ἡραίων πόλιν, ἧκε πρὸς Ἀλίφειραν, *Philippus, quum ponte Alpheum amnem, qui Heræorum vrbem præterfluit, traiecisset, venit Alipheram.* Aelianus lib. XIII Var. Hist. cap. VI refert, ἐν Ἡραίᾳ τῆς Ἀρκαδίας, *in Heræensi Arcadiæ agro* vinum nasci, quod viros ἔκφρονας, *insanos*, mulieres fecundas faciat. Memorat hoc oppidum etiam Plinius loco dicto, & Liuius lib. XXVIII cap. VII seq.

Prope Heræam fuit *Telphussa* siue *Thelpusa*, vt ex eodem libro Polybii cap. LXXVII adparet. Philippus, inquit, ἐκ τῆς Ὀλυμπίας ἀναζεύξας τὴν ἐπὶ Φαραίαν, παρῆν εἰς Τέλφουσαν, κἀκεῖθεν εἰς Ἡραίαν, *ex Olympia castra mouens in Pharæam versus, mox Telphussam venit, inde Heræam.* Stephanus: Τέλφουσα πόλις Ἀρκαδίας, *Telphussa vrbs Arcadiæ.* Plinius & Pausanias *Thelpusa*, Θέλπουσα scripserunt: ille prædicto loco; hic in Arcad. cap. XXIV. *Erymanthus*, inquit, fluuius, ex monte *Lampêa* ortus, Ἀρκαδίαν διεξελθὼν, ἐν δεξιᾷ μὲν τὸ ὄρος ἔχων τὴν Φολόην, ἐν ἀριστερᾷ δὲ πάλιν Θέλπουσαν χώραν, κάτεισιν εἰς τὸν Ἀλφειόν, *Arcadiam percurrens ad dextram monte Pholoë relicto, ad sinistram agro Thelpusa, in Alpheum inlabitur.* Mons heic quoque *Erymanthus* fuit, Achaiam tangens, a quo flumini nomen hæsit, fabulosus apro ab Hercule interfecto. Pausanias Arcad. cap. XXIV, vulgatum ait esse, confecisse Herculem Eurystei iussu παρὰ τῷ Ἐρυμάνθῳ ὗν μεγέθει καὶ ἀλκῇ τοὺς ἄλλους ὑπερηνεγκότα, *aprum magnitudine & robore insignem in monte Erymantho.* Virgilius lib. VI vers. 801

Nec

Nec vero Alcides tantum telluris obiuit,
Fixerit æripedem ceruam licet, aut Erymanthi
Pacarit nemora, & Lernam tremefecerit arcu.

Seneca Hercule Furente verſ. 228

quid memorem - - -
Solitumque denſis hiſpidum Erymanthi iugis
Arcadia quatere nemora Mænalium ſuem?

Heic etiam Caliſto in vrſam conuerſa erraſſe fingebatur. Ouidius Triſt. lib. I elegia IV de Boota, Vrſæ ſidus inſectante,

- - - - *cuſtos Erymanthidos Vrſæ.*

Pars Erymanthi montis Λάμπεια, *Lampêa* eſt, mons ex quo *Erymanthus* fluuius ortus, Pholoë monte ad dextram relicto, in Alpheum inlabitur. Vide Pauſan. Arcad. cap. XXIV. Plinio eſt *Lampêus* mons lib. IV cap. VI, cum oppido *Lampe:* at Papinio lib. IV Thebaid. verſ. 290 æque *Lampêa*, vt Pauſaniæ;

- - - *candensque iugis Lampea niuoſis.*

In ortum hinc progredienti occurrit, Argolidem verſus, *Stymphâlus*, Στύμφαλος, vrbs ad lacum cognominem, auium *Stymphalidum*, quas Hercules confecit, fabulis non ignota. Producitur media, quæ idcirco etiam vocali longa Στύμφηλος ſcripta eſt ab Homero & Heſychio. An etiam mons huius nominis? poſthabuit Strabo, quum montes Arcadiæ lib. VIII pag. 267 recitauit. Heſychius dubitabundus: Στύμφηλος, πόλις ἢ ὄρος Ἀρκαδίας, *Stymphalus, vrbs aut mons Arcadiæ.* Certior Ptolemæus, cui & in Peloponneſi montibus eſt ὁ Στύμφαλος; & in vrbibus Arcadiæ itidem Στύμφαλος, *Stymphalus.* Sub monte lacus: ad lacum, oppidum, quod *Stymphalum*, neutro genere, eſt Plinio. Apollonii ſcholiaſtes ad lib. II verſ. 1055 Στύμφαλος πόλις Ἀρκαδίας· Στυμφαλὶς δὲ λίμνη, *Stymphalus vrbs Arcadiæ: at Stymphalis eſt lacus.* Ouidio lib. II Faſt. verſ. 27 hic lacus *Stymphalides vndæ:* circumcolæ *Stymphalii* Polybio lib. II cap. LV: regio *Stymphalia*, Στυμφαλία, lib. IV cap. LXVIII. Vrbem Strabo in euerſis numerat: lacus fundit flumen, quod antequam terra ſubmergatur, etiam *Stymphalum* dicitur: quum in Argea rurſum erumpit, *Eraſini* nomen induit, vt Pauſanias Arcad. cap. XXII demonſtrauit. Herculis fabulam Apollonius dicto libro II verſ. 1054 ſic enarrauit:

Οὐ δὲ γὰρ Ἡρακλέης ὁπότ' ἤλυθεν Ἀρκαδίην δὲ
Πλωΐδας ὄρνιθας Στυμφαλίδος ἔσθενε λίμνης
Ὤσασθαι τόξοισι.

Quod Hygini verbis fab. XXX interpretamur: *Aues Stymphalides in insula Martis, quæ emissis pennis suis iaculabantur, sagittis interfecit.* Catullus carm. LXIX vers. 113 ad Mallium, de Hercule:

Tempore quo certa Stymphalia monstra sagitta
Perculit imperio deterioris heri.

Et Lucretius lib. V vers. 32

- - - - *vncisque timenda*
Vnguibus Arcadiæ volucres Stymphala colentes.

Supra lacum *Parthenius* mons ad fines Argolidis: longo iugo inde ad Tegeatidem recurrens. Addit Plinius *Parthenium* oppidum. Strabo VIII pag. 267 Ὄρη ἐπιφανῆ πρὸς τῇ Κυλλήνῃ Φολόη, καὶ Λύκαιον, καὶ Μαίναλον, καὶ τὸ Παρθένιον καλούμενον, καθῆκον ἐπὶ τὴν Ἀργείαν ἀπὸ τῆς Τεγεάτιδος, *Montes, præter Cyllenen, insignes sunt Pholoë, Lyceus, Mænalus, & qui Parthenius vocatur, a Tegeatide regione ad Argeam vsque pertingens.* Eosdem enumerat, & in iis *Parthenium* quoque Pomponius lib. II cap. III. Liuius lib. XXXIV cap. XXVI *Castra* [ex Argiuo agro] *mouit, &, Parthenio monte superato, præter Tegeam tertio die ad Caryas posuit castra.* Virgilius eclog. X vers. 57

- - - - *non me vlla vetabunt*
Frigora Parthenios canibus circumdare saltus.

Contingit *Cyllene,* mons altissimus Arcadiæ. Strabo ibidem: μέγιστον ὄρος ἐν αὐτῇ Κυλλήνη, *maximus mons in ea* [Arcadia] *Cyllene.* Pausanias cap. XVII ὄρος ὑψηλότατον ὀρῶν τῶν ἐν Ἀρκαδίᾳ Κυλλήνη, *altissimus montium Arcadiæ est Cyllene.* In vertice Ἑρμοῦ Κυλληνίου, *Mercurii Cyllenii* templum, eodem teste. Ibi enim natus fingebatur Mercurius. Virgilius lib. VIII vers. 138

Vobis Mercurius pater est, quem candida Maia
Cyllenæ gelido conceptum vertice fudit.

Lege Seruium ibidem. Ouidius Fast. II vers. 276

Altaque Cyllene, Parrhasiæque niues.

Nam & *Parrhasius* mons illius tractus est. Hesychius: Παῤῥάσιον,

ἔϱος Ἀϱκαδίας. *Parrhasius, mons Arcadiæ.* Statius Thebaid. VII verſ. 163

Parrhaſiumque nemus, - - - - -

Ab hoc vrſa quoque cæleſtis, quæ Caliſto fuerat, cognomen accepit, quaſi & in illo quondam nemore erraſſet. Iterum Statius Siluar. lib. IV carm. V verſ. 5

Iam trux ad Arctos Parrhaſias hiems
Conceſſit, altis obruta ſolibus.

Et lib. VII Thebaid. verſ. 8

- - Oceano vetitum qua Parrhaſis ignem
Nubibus hibernis & noſtro paſcitur imbri.

Oppidum quoque Plinio *Parrhaſie* fuit: Stephano etiam & Heſychio laudatum auctore Homero, qui Catal. verſ. 115

Στύμφηλόν τ' εἶχον, καὶ Παῤῥασίην ἐνέμοντο,
Stymphalum tenebant, & Parrhaſiam habitabant.

Inde *Parrhaſii*, populus apud Strabonem dicto libro p. 267, & poſſeſſiuum *Parrhaſius*, id eſt Arcadius. Virgilius VIII, 344

Parrhaſio dictum Panos de more Lycæi.

Ad occaſum hinc eſt mons *Pholoë*, ἡ Φολόη, Elidem ſpectans. Plinius lib. IV cap. VI, *Montes in Arcadia, Pholoë cum oppido: item Cyllene:* reliqui. Ouidius Faſtor. lib. II verſ. 273

Teſtis erit Pholoë, teſtes Stymphalides vndæ.

Et Statius Thebaid. lib. X verſ. 228

Vertice ſic Pholoës volucrum nutritor equorum.

Et idem Achilleid. lib. I verſ. 168

- - - - - fœtam Pholoes ſub rupe leænam.

Pholoe ad dextram relicta, prope Erymanthum flumen ſita eſt *Pſophis*, Ψωφὶς, antea Φήγεια, vel Φηγία, *Phegia*, adpellata, vt Pauſanias & Stephanus referunt. Plinius & Ptolemæus *Pſophidis* mentionem habent: ſitum oſtendit Pauſanias cap. XXIV Σιϱαιῶν μὲν δὴ σαδίοις ἐςὶν ἀπωτέϱω τϱιάκοντα ἡ Ψωφίς. παϱὰ δὲ αὐτὴν ὅ τε Ἀϱοάνιος ποταμὸς, καὶ ὀλίγον ἀπωτέϱω της πόλεως Εϱύμανθος ῥέουσιν. *Abeſt a Siræis Pſophis ſtadia* XXX. *Præterfluit amnis Aroanius, & breui ab vrbe interuallo Erymanthus.* Polybius lib. IV cap. LXX ſitum Pſophidis ita deſcribit: κεῖται τῆς μὲν συμπάσης Πελοποννήσου κατὰ τὴν μεσόγαιαν· αὐτοῖς δὲ τῆς Ἀϱκαδίας ἐπὶ τοῖς πϱὸς δυσμὰς πέϱασι, συναπτούσης τοῖς πεϱὶ τὰς ἐσχατιὰς κατοικοῦσι τῶν πϱοσεσπεϱίων Ἀχαιῶν,

Ἀχαιῶν, *Sita est* [Psophis] *si vniuersam spectes Peloponnesum, in ipsius meditullio: si Arcadiam, in occiduis eius partibus, qua vltimos occidentem versus Achæorum fines contingit.* Occasum versus sitam fuisse & Achæorum vltimos aut Eleos etiam spectasse, conuenit cum Pausaniæ descriptione: at in medio totius Peloponnesi puncto exstitisse, non video, quomodo positioni occidentali, quam vna defendit Polybius, conciliari facile possit. Non procul admodum a Clitorio fuisse, adparet ex Polybii eodem loco, vbi exercitus dicitur ductus διὰ τῆς Κλειτορίας ὡς ἐπὶ Ψωφῖδος, *per Clitoriam, quasi Psophidem versus.* Pausanias cap. XXXIII Siræos in medio ponit inter Clitorios & Psophidios. ὅροι, inquit, Κλειτορίοις τῆς χώρας πρὸς Ψωφιδίους εἰσὶν αἱ Σιραὶ, *Siræ sunt agri fines inter Clitorios & Psophidios.* Siræ autem fuerunt locus, vnde *Siræi*, paullo ante memorati, nominabantur.

Eodem libro IV cap. LXXII & seq. aliquoties *Lasio*, Λασιών, cum Psophide, tamquam vicino loco, coniungitur, videlicet ad Eleorum fines, nisi potius in ipsa Elide extrema fuit *Lasio.* nam ait, οἱ παραφυλάσσοντες τὸν Λασιῶνα τῶν Ἠλείων, *præsidium quod Lasione Eleorum erat.* Idem Polybius lib. V cap. CII ait Philippum ἐπὶ Λασιῶνα, *Lasionem* accessisse, & turri deserta eius vrbis occupata, se εἰς τὴν Ἠλείαν, *Eleam* inuasurum esse simulasse.

Hactenus de iis, quæ ad septemtrionem sunt Arcadiæ, & in finibus adiacentium ibi regionum: quæ interiorum sunt Arcadum, & circa Alpheum fluuium, nunc imus perlustratum. Pausanias Arcad. cap. vlt. Alpheum ἄρχεσθαι, *oriri* dicit ἐν Φυλάκῃ, *ad Phylacen:* deinde mergi in *Tegeatico* agro, rursus erumpere in *Asæo.* Ex quibus intelligimus *Tegeam* & *Aseam* fuisse prope Alpheum.

Τεγέα, *Tegea* nobilis quondam vrbs & bello clara. Crebra mentio apud Polybium, sed vix vlla certioris situs indicaturam habens: nisi quod lib. IV cap. LXXXII dicit, Philippum ἐκ τῆς Μεγάλης πόλεως, *ex Megalopoli* profectum, διὰ τῆς Τεγέας, *per Tegeam* ducto exercitu, εἰς Ἄργος, *Argos* venisse. Nimis ergo ad occasum reduxit Ptolemæus, quum a Megalopoli in æstiuum ortum potius recedat. Iterum Polybius excerptis libri XI cap. XVI tradit, Philopœmenem, Tegea primo impetu capta, postero die castra ad Eurotam posuisse. Conuentus ibi Achæi

aliquan-

aliquando egerunt, quum aduersus Lacedæmonios bellum gererent. Liuius lib. XXXV cap. XXVII *Tegeam exercitu contracto, concilioque eodem & Achæis & sociis indicto.* Et lib. XXXVIII cap. XXXIV *Decretum Tegeæ in concilio communi Achæorum factum est.* Pluribus oppidis Arcadiæ bellorum impetu ac vi deletis, de hac Strabo sub finem lib. VIII tradit: Τέγεα ἔτι μετρίως συμμένει, *Tegea adhuc mediocriter se sustentat.* Oppidani Τεγεάται, *Tegeatæ* apud Polybium sæpe, & Stephanum. Nummus antiquus thesauri Gallorum regii, ΤΕΓΕΑΤΑΝ, id Τεγεατῶν, Dorice.

Asea, Ἀσέα, non procul abfuit, in cuius agro emergit Alpheus, supra submersus, vt ante paullo, Pausania auctore, monstrauimus: qui & cap. XLIV ἐρείπια Ἀσέας, *ruinas Aseæ* ostendit, vbi etiam ὁ λόφος, ἀκρόπολις ποτε οὖσα, τείχους σημεῖα ἔχει, *collis, in quo arx fuit* [eius vrbis] *vestigia murorum retineat.* Addit, non amplius quinque stadiis ἀπὸ Ἀσέας, *ab Asea*, πηγὴν, *fontem* Alphei renascentis; nec longe inde fontem Eurotæ abesse. Stephanus *vicum* dixit, forsan quia ex vrbe in vici formam redacta fuit. Ἀσέα, inquit, κώμη τῆς Ἀρκαδίας, ἀφ' ἧς ὁ Ἀλφειὸς ῥέει, *Asea, vicus Arcadiæ, vnde Alpheus* [iterum erumpens] *oritur.* Vicanus ipsi est Ἀσεάτης; forsan etiam Ἀσαῖος, *Asæus*, quia tale possessiuum, plerumque simile gentili, est. Pausanias cap. LIV ἀνατείλας ἐν Ἀσαίᾳ, subaudi, γῇ, id est *rursus emergens* [Alpheus] *in Asæo agro.*

Plura oppida exhausit ἡ Μεγάλη πόλις siue Μεγαλόπολις, *Megalopolis*, Græcarum vrbium, exceptis Romanis coloniis, vt Pausanias cap. XXVII dicit, νεωτάτη, *recentissima*, Epaminondæ auspiciis, paucis mensibus post pugnam Leuctricam condita, multis inualidis oppidis in magnam vnam ciuitatem deductis, vt fortius se aduersus Spartanos tuerentur. Scribitur Græce diuise Μεγάλη πόλις a Ptolemæo, Pausania, Stephano: & coniunctim Μεγαλόπολις a Strabone sub finem libri VIII. Ipse Megalopolitanus Polybius vtroque modo, Μεγάλην πόλιν dixit lib. IV cap. VII; & Μεγαλόπολιν lib. IV cap. LXXVII. *Helisson* fluuius vrbem hanc interfluit, vt Pausanias cap. XXX demonstrauit, ortus ἐκ κώμης ὁμωνύμου, *ex vico eiusdem nominis, Helissonte*, qui inde per *Dipæensium* primum, *Lycæatem* deinde agrum perlapsus, postremo αὐτὴν διεξελθὼν Μεγάλην πόλιν, *ipsam Megalopolim percurrens*, haud

longe inde in Alpheum ſe infundit. Coloni *Megalopolitæ*, Græca forma, Liuii lib. XXXV cap. XXVII: & *Megalopolitani*, eiusdem libri cap. XXIX.

Oppida ex quibus coaluit Megalopolis, a Pauſania narrantur cap. XXVII, quorum pleraque ſunt obſcura. Potiora ſelegemus. *E Mænalo*, inquit, *Alea, Pallantium, Heliſſon, Dipæa*, alia. Mons *Mænalus* eſt, a Strabone & Plinio in montibus Arcadiæ laudatus: & Virgilius ecloga VIII verſ. 22

Mænalus argutumque nemus pinosque loquentes
Semper habet: ſemper paſtorum ille audit amores.

Et plurali numero ecloga X verſ. 55

Interea mixtis luſtrabo Mænala nymphis.

Eſt & campus eodem nomine. Pauſanias cap. XXXVI ὄρος ὁμώνυμον τῷ πεδίῳ τὸ Μαινάλιον, *idem nomen montis eſt & campi, nempe Mænalium.* Oppida ergo plura caput partim montanus tractus, partim campus potuit. In ipſis fuit etiam *Mænalum* oppidum, cuius etiam ἐρείπια, id eſt *ruinas ac rudera*, ibidem Pauſanias notauit. Pindari ſcholiaſtes ad Olymp. IX verſ. 88 Μαίναλον ὄρος Ἀρκαδίας καὶ πόλις.

In hoc tractu ex oppidis quæ in vicinam Megalopolim conceſſerunt, nominatur primum *Alea*, Ἀλέα, vnde Minerua Ἀλαία, *Alæa* cognominata, cuius templum ſolum ſupererat Strabonis ætate, lib. VIII extremo. Plinius quoque *Aleam* in oppidis Arcadiæ recenſuit.

Pallantium, Παλλάντιον, vt Pauſanias ſcribit, & Salmaſius Stephanum emendat; ſiue *Palatium*, vt Plinii habent codices, ſed minus recte, quia Euandri proauus, vnde nomen eſt, *Pallas* fuit, geminato lambda; non *Palas*, ſimplici. Id vero recte notauit Plinius: *Pallantium, vnde Palatium Romæ.* Liuius lib. I cap. V *Iam tum in Palatino monte Lupercal hoc fuiſſe ludicrum, ferunt, & a Pallanteo, vrbe Arcadica Pallantium, deinde Palatium montem adpellatum.* Et Virgilius Aeneid. VIII verſ. 54

Pallantis proaui de nomine, Pallanteum.

Sequitur in Mænalo *Heliſſon.* κώμην, *vicum* dixit Pauſanias cap. XXX, vbi de flumine eiusdem nominis agit, qui fontem habet ad illum vicum. At antea cap. III ἥ τε πόλις καὶ ὁ ποταμὸς Ἑλισσῶν, *& oppidum & amnis Heliſſon.* De flumine *Heliſſonte* paullo ante

ante diximus, qui etiam *Dipæam* adluit, itidem Megalopolitanæ vrbi adscriptam. Vide cap. XXVII & XXX.

Ab Eutresiis, gente Arcadum, oppida Megalopolis exhausit *Tricolonos*, *Zœtium*, *Paroriam*, & alia. Ex Parrhasiis, *Lycosura* antiquissima vrbs in monte *Lycæo*, vnde & *Iuppiter Lycæus* adpellatur, cuius & Plinius meminit. Consule de *Lycosura* Pausaniam cap. II & XXXVIII. Ex eadem gente etiam *Trapezûs* fuit, quæ Megalopolim concessit, quamuis pars Trapezuntiorum in Asiam enauigarit, vbi qui Ponti Euxini Trapezuntem metropolim tenebant, eos συνοίκους ἐδέξαντο καὶ συνωνύμους, *tamquam gentiles & cognomines* receperunt, Pausania notante cap. XXVII. qui cap. XXIX ruinas *Trapezuntis* prope Alpheum tradit visas esse. Hæc & alia plura oppida exhausit noua vrbs *Megalopolis*, vt vel omnino deserta illa fuerint, vel in formam vicorum exiguam redacta.

Vici quoque illi, qui oppida antea fuerunt, ditionis erant Megalopolitanorum. Ibidem Pausanias cap. XXVII αἱ μὲν [πόλεις] ἐς ἅπαν εἰσὶν ἐφ' ἡμῶν ἔρημοι, τὰς δὲ ἔχουσιν οἱ Μεγαλοπολῖται κώμας, Γόρτυνα, Διποίνας, Θεισόαν τὴν πρὸς τῷ Ὀρχομενῷ, Μεθύδριον, Τευθὶν, Καλλιὰς, Ἑλισσόντα, *Vrbium*, [e quibus Megalopolis est conflata] *quædam funditus hodie sunt deletæ; quædam redactæ in vicos, Gortys videlicet, Dipœnæ, Thissoa ad Orchomenum, Methydrium, Theutis, Calliæ, Helisson.*

Prima recto casu est Γόρτυς, *Gortys.* Pausanias cap. XXVIII Γόρτυς κώμη τὰ ἐπ' ἐμοῦ, *Gortys vicus est mea ætate:* Plinio eadem est *Gortyna.* Ab hac fluuius *Gortynius* nominatur, qui τῷ Ἀλφειῷ τὸ ῥεῦμα ἀνακοινοῖ, *in Alpheum effunditur.* Etiam *Methydrium*, Plinio quoque commemoratum, cum *Theuti* & *Thisoa* erat ἐκ τῶν συντελούντων ἐς Ὀρχομενὸν, *ex contributis Orchomeno*, Pausania censente cap. XXVII. *Orchomenus* autem hic, vt a Bœotico distinguatur, Herodoto cum cognomine est Ὀρχομενὸς τῆς Ἀρκαδίης, *Orchomenus Arcadiæ.*

Fuit quoque *Tripolis* Arcadiæ, ex tribus vrbibus sic adpellata regio, *Callius*, *Dipœnis*, *Nonacri.* Pausanias dicto loco: προσεγένετο καὶ Τρίπολις ὀνομαζομένη, Καλλία καὶ Δίποιναι, καὶ Νώνακρις, *accessit etiam sic adpellata Tripolis, Callia, Dipœna, & Nonacris.* Male Amasæus vertit: *Tripolis, Callia nomine, accessit.* Prima *Callia*

mox ſtatim dicitur Καλλιαὶ, *Calliæ*, pluratiuo numero: & *Dipœna* quoque Δίποιναι, *Dipœnæ*: *Nonacris* autem peſtifero *Stygis* fonte ſatis celebrata. Herodotus lib. VI cap. LXXIV ait, ἐν ταύτῃ τῇ πόλι εἶναι τὸ Στυγὸς ὕδωρ, *in hac vrbe*, id eſt prope illam, *eſſe Stygis aquam*. Vitruuius lib. VIII cap. III *Eſt in Arcadia Nonacris nominata terræ regio, quæ habet in montibus e ſaxo ſtillantes frigidiſſimos humores. Hæc autem aqua ςυγὸς ὕδωρ nominatur, quam neque argenteum, neque æneum, neque ferreum vas poteſt ſuſtinere, ſed diſſilit & diſſipatur: conſeruare autem eam & continere nihil, niſi mulina vngula.* Stephanus: Νώνακρις, πόλις Ἀρκαδίας, *Nonacris, oppidum Arcadiæ*. Plinius *Nonacrin* in montibus Arcadiæ numerauit, ad quem olim poſitum fuit oppidum. Inde *Nonacrius* & *Nonacrinus* formatur. Euander ex Arcadia in Italiam delatus Ouidio lib. V Faſt. verſ. 97 eſt *Nonacrius heros*: & lib. II Faſtor. verſ. 275

Cinctaque pinetis nemoris iuga Nonacrini.

Prope Nonacrin fuit *Pheneus*, Φενεὸς, inter quas aqua Stygis deſtillauit: vnde æque Pheneo & Nonacri adſcribitur. Strabo lib. VIII extremo: περὶ Φενεὸν δ' ἐςὶ καὶ τὸ καλούμενον Στυγὸς ὕδωρ, λιβάδιον ὀλεθρίου ὕδατος, νομιζόμενον ἱερόν. *Prope Pheneum eſt etiam quæ dicitur Stygis aqua, ſtillicidium aquæ pernicioſæ, quam ſacram habent.* Stephanus; Φενεὸς πόλις Ἀρκαδίας, *Pheneos oppidum Arcadiæ*. Euandri & maiorum in Arcadia ſedes fuit. Virgilius Aen. VIII verſ. 165 ſub Euandri perſona:

Acceſſi, & cupidus Phenei ſub mœnia duxi,

puta Anchiſen hoſpitem. Callimachus hymno in Delum verſ. 71 ſcripſit Φεναιὸς, quod illuſtris vir Ezech. Spanhemius *ob metrum* fieri cenſet. Statius Thebaid. IV verſ. 291

Et Pheneos nigro Stygia mittere credita Diti.

Sub Nonacri, auſtrum verſus, Κλείτωρ, *Clitor*, Plinii *Clitorium* ſitum erat. Pauſanias cap. XVII Ἐκ Φενεοῦ δὲ ἰόντι ἐπὶ ἑσπέρας καὶ ἡλίου δυσμῶν, ἡ μὲν ἀριςερὰ τῶν ὁδῶν ἐς πόλιν ἄγει Κλείτορα· ἐν δεξιᾷ δὲ ἐπὶ Νώνακριν καὶ τὸ ὕδωρ τῆς Στυγός. *Eunti ex Pheneo, occaſum verſus, duæ viæ ſunt; Clitorem læua, Nonacrin dextera & ad Stygis aquam ducit.* Straboni ſub finem libri VIII in dirutis vrbibus ſunt etiam Κλείτωρ καὶ Φενεὸς, *Clitor & Pheneos*. Et Ptolemæo Κλείτωρ, *Clitor*. De mirabili fonte eius, faſtidium vini adferente,

te, Vitruuius lib. VIII cap. III *In Arcadia ciuitas est non ignota Clitor, in cuius agris est spelunca profluens aquæ, quam qui biberint, fiunt abstemii.* Ouidius Metam. lib. XV verſ. 322

Clitorio quicumque sitim de fonte leuarit,
Vina fugit, gaudetque meris abstemius vndis.

Plinius lib. XXXI cap. II *Vinum in tædium venire his, qui ex Clitorio lacu biberint, ait Eudoxus.* Eſt eidem Plinio etiam fluuius *Clitorius*, lib. IX cap. XIX, Κλείτωρ, *Clitor* Pauſaniæ dictus cap. XXI, qui influit in *Aroanium* amnem, ſeptimo ab vrbe ſtadio. *Aroanius* deinde Pſophin vrbem adluit, cap. XXIV.

Aliphera, Ἀλίφειρα, trans amnem Alpheum, ſiue in ſiniſtra eius fuit. Polybius lib. IV cap. LXXVIII de Philippo: διαβὰς τῇ γεφύρᾳ τὸν Ἀλφειὸν ποταμὸν, ὃς ῥεῖ παρ' αὐτὴν τὴν τῶν Ἡραιέων πόλιν, ἧκε πρὸς Ἀλίφειραν, ἣ κεῖται μὲν ἐπὶ λόφου κρημνώδους πανταχόθεν, *Alphei ponte traiecto, qui Heræam præterfluit, Alipheram venit, in colle vndique prærupto sitam.* Liuius lib. XXXII cap. V *in Achaiam legatos* [Philippus] *misit, qui redderent Achæis Orchomenon & Heræam & Triphyliam: Megalopolitis Alipheram, contendentibus numquam eam vrbem fuiſſe ex Triphylia, ſed ſibi debere reſtitui, quia vna eſſet ex iis, quæ ad condendam Megalopolim ex decreto Arcadum contributa forent.* Quod Pauſanias cap. XXVI confirmat. Ἔστι Ἀλίφηρα πόλισμα οὐ μέγα. ἐξελείφθη γὰρ ὑπὸ οἰκητόρων πολλῶν, ὑπὸ τὸν συνοικισμὸν τῶν Ἀρκάδων ἐς Μεγάλην πόλιν. *Aliphera ciuitas haud magna est, quo incolarum multa pars tunc diſceſſit, quo tempore communi Arcadum conſilio Megalopolim coloni ſunt deducti.* His enim etiam poſt conditam Megalopolim πόλιν, *Vrbis nomen & dignitatem* conſeruarunt, quod idem cap. XXVII adnotauit. Relicti illi habitatores a Polybio Ἀλιφειρεῦσι, dicto loco cap. LXXVII: a Plinio itidem *Alipheræi*, lib. IV cap. VI.

Cynætha quoque eo tractu fuit, Clitori finitima. Polybius lib. IV cap. XVIII τὸ Ἀρτέμιδος ἱερὸν, ὃ κεῖται μὲν μεταξὺ Κλείτορος καὶ Κυναίθης, *Dianæ fanum inter Clitorem & Cynætham ſitum.* Straboni quoque Κύναιθα, *Cynætha*, in deſertis aut dirutis Arcadiæ numerata. Plinius quoque eius mentionem habet lib. IV cap. VI. Oppidani erant Κυναιθαεῖς, vt Polybius dicto loco vocat, & Pauſanias cap. XIX.

Orchomeniis & Pheneatis confines erant *Caphyatæ*, quod

Pausanias cap. XIII tradit: dicti ab oppido *Caphya*, quod etiam in censu dirutarum apud Strabonem est. Paullo ante Pausanias: Ἰόντι ἐξ Ὀρχομενοῦ, καὶ σαδίους προελθόντι ὅσον τρεῖς, ἡ μὲν εὐθεῖα ἐπὶ πόλιν Καφυὰν ἄγει, *Ab Orchomeno stadia prope tria profectis via se ostendit qua Caphyam recta iter est.* Polybius plurali numero vsus est lib. II cap. LII προσλαβὼν τῷ τρόπῳ τούτῳ Καφύας, Πελλήνην, Φενεὸν, *occupans sic Caphyas, Pellenen, & Pheneum.* Et Stephanus: Καφύαι, πόλις Ἀρκαδίας; *Caphyæ, oppidum Arcadiæ.*

Pheneatis confines erant *Caryæ*, eædemque vergentes in Laconiam: aliæ a Caryis Lacedæmoniorum. Pausanias cap. XIII extremo: ταῖς κατειλεγμέναις πόλεσι, *prædictis vrbibus* [confinio vtentibus, Orchomeno, Pheneo & Caphyæ] φάραγξ ὑπόκειται, - - - καὶ ἐπὶ τῷ πέρατι τῆς φάραγγος, Καρυαὶ χωρίον, *vallis subiacet: - - - in qua extrema est locus Caryæ.* Et cap. XIV ineunte: Φενεατῶν τὸ πεδίον κεῖται μὲν ὑπὸ ταῖς Καρυαῖς, *Pheneatarum ager subiectus est Caryis.* Liuius lib. XXXIV cap. XXVI *Castra deinde* [Quintius ex Argiuo agro] *mouit, & Parthenio monte superato, præter Tegeam tertio die ad Caryas posuit castra. ibi, priusquam hostium intraret agrum, sociorum auxilia exspectauit.* Arcadicæ hæ sunt, non Laconicæ Caryæ, ad quas ab Argis tertio die cum exercitu venire nequaquam potuisset. Et ipse Liuius interpres sui est, quum dixit, Caryas *citra agrum hostium*, quæ omnis Laconica erat, fuisse: nec, nisi transitis illis, in agrum Lacedæmoniorum, qui ad Arcadiam pertinebat, intratum esse. Vitruuius lib. I cap. I *Si quis statuas marmoreas, mulieres stolatas, & quæ Caryatides dicuntur, pro columnis in opere statuerit, & insuper mutulos & coronas collocauerit, percontantibus ita reddet rationem: Carya, ciuitas Peloponnesi, cum Persis hostibus contra Græciam censensit; postea Græci per victoriam glorioso bello liberati, communi consilio Caryatibus bellum indixerunt. Itaque oppido capto, viris interfectis, ciuitate deleta, matronas eorum in seruitutem abduxerunt. Nec sunt passi stolas, neque ornatus matronales deponere, vti non vno triumpho ducerentur; sed æterno seruitutis exemplo graui contumelia pressæ, pœnas dare viderentur pro ciuitate. Ideo qui tunc architecti fuerunt, ædificiis publicis designauerunt earum imagines, oneri ferundo collocatas, vt etiam posteris nota pœna peccati Caryatium memoriæ traderetur.* Vir maximus Iosephus Scaliger Animadvers. in Chronolog. Eusebii

Eusebii pag. 20, recensitis his Vitruuii verbis, *Hæc*, inquit, *Carya non potest esse, nisi illa, quæ erat in Arcadia, quum Laconica fuerit tantum templum Dianæ, non autem ciuitas.* Ioannes Meursius autem Miscell. Lacon. lib. IV cap. XIV Vitruuii verba de Carya Laconica interpretatur: sed malo cum Scaligero de Arcadica architectum interpretante facere, in cuius iudicio etiam vir summus Lucas Holstenius, ad Stephanum Notis, adquiescit.

Mantinêa, Μαντίνεια, a Ptolemæo in austro Arcadiæ & ad fines Laconicæ constituitur: ex altera parte confines sunt Orchomeniis Mantineenses. Pausanias cap. XII Μαντινέων ὅροι πρὸς Ὀρχομενίους ἐν ταῖς Ἀγχισίαις εἰσὶ, *sunt ad Anchisias agrorum inter Mantinenses & Orchomenios termini.* Est autem *Anchisia* mons, & ad radices eius Ἀγχίσου μνῆμα, *Anchisæ sepulcrum*, quem quidam in his oris mortuum ac sepultum tradiderunt. Strabo lib. VIII extremo: Μαντίνειαν ἐποίησεν ἔνδοξον Ἐπαμεινώνδας, τῇ δευτέρᾳ νικήσας μάχῃ Λακεδαιμονίους, *Mantineam Epaminondas illustriorem fecit, victis ibi altero prœlio Lacedæmoniis.* Antiqua vrbs & Homero etiam laudata Catalogo vers. 114

Καὶ Τεγέην εἶχον, καὶ Μαντινέην ἐρατεινήν,

Et Tegeam habitabant & Mantineam amabilem.

Fata illius Pausanias cap. VIII enarrat. Peloponnesiaco bello cum Eleis Athenienses aduersus Lacedæmonios iuuerunt: quam ob rem Lacedæmonii illam duce Agesipolide, Pausaniæ filio, expugnatam maiori ex parte diruerunt, vt κατὰ κώμας, *vicatim* ab relictis habitaretur. In quinque κώμας descripsisse, Ephoro auctore Harpocration nos docet. Thebani apud Leuctra victores restituerunt, sed immemores beneficii Mantinenses prœlio, quo Epaminondas occubuit, Spartanis auxilio fuere: mox Achæis accedentes & Antigono regi, Spartanorum hostibus, in illius honorem ὄνομα τῇ πόλει μετέθεντο Ἀντιγόνειαν, *mutato nomine vrbem suam Antigoneam adpellauerunt.* Plutarchus autem in Arato pag. 1048 tradit, Achæos Antigoni ope occupasse vrbem, qui, primoribus cæsis, dono Argiuis dederit, decreto facto, μηκέτι καλεῖν Μαντίνειαν, ἀλλ' Ἀντιγόνειαν, *vt ne amplius illam Mantineam vocarent, sed Antigoneam.* Ex quo Ptolemæus illustratur, qui in Arcadia scripsit, Ἀντιγόνεια, ἡ καὶ Μαντίνεια. Hadrianus tandem imperator, vt Pausanias refert, ἀφελὼν Μαντινεῦσι τὸ ὄνομα τὸ ἐκ

Μακε-

Μακεδονίας ἐπακτὸν, ἀπέδωκεν αὖθις Μαντίνειαν καλεῖσθαί σφισι τὴν πόλιν, *nomine Macedonico abrogato, rursus Mantineam iussit vocari.*

Inter Psophim & Mantineam Ptolemæus Φιάλειαν, *Phialeiam* posuit, quæ est Pausaniæ Φιγαλία, *Phigalia*, cuius situm prope Lycosuram & montem Lycæum descripsit cap. XXXIX, quo in orientem magis a Ptolemæi positione declinat. Eamdem autem esse, idem antea ex nominis mutatione cap. III & V monstrauit, videlicet quæ olim Φιγαλία fuerat, *Phigalia;* postea dictam esse Φιαλίαν, *Phialiam.* Confirmat Stephanus: Φιγαλέα πόλις Ἀρκαδίας, *Phigalea oppidum Arcadiæ.* Ad Rhianum prouocat, qui Φιγάλεια scripserat. Addit, μετωνομάσθη δὲ Φιάλεια δίχα τοῦ γ, postea *Phialea sine* G *nominata est.*

Arcadiæ *Pallenen* Plinius lib. IV cap. VI inter alias vrbes recenset, quem Apollonii scholiastes ad lib. I vers. 177 iuuat: ἡ Ἀχαϊκὴ Πελλήνη διὰ τοῦ Ε· ἡ δὲ ἑτέρα, ἡ τῆς Ἀρκαδίας, διὰ τοῦ Α γράφεται Παλλήνη, *Achaiæ Pellene per* E; *altera Arcadiæ per* A *scribitur Pallene.*

Pomponius Mela in tribus Arcadiæ vrbibus (nec enim plures memorat) habet *Teneam*, illarum mediam. *In Arcadia,* inquit, *sunt vrbes, Psophis, Tenea, & Orchomenon.* Nemo, quod sciam, hoc nomine oppidum in Arcadia posuit: vt suspicari possis *Tegeæ* forsan legendum esse, quod vix credibile, vnam ex tribus primariis præteriri a ceteris omnibus posse. Exstat quidem nummus ΤΕΝΕΑΤΩΝ inscriptus, quem vero Harduinus ad Corinthiaci agri κώμην seu pagum refert eius nominis. Strabo sane illum laudat lib. VIII pag. 262 a templo τοῦ Τενεάτου Ἀπόλλωνος, *Apollinis Teneatæ:* & tandem Teneatas καθ' αὑτοὺς πολιτεύεσθαι, *peculiarem rempublicam constituisse*, & Achaico bello a *Corinthiis defecisse ad Romanos* tradit. Pausanias Corinth. cap. V ait, portam Corinthi Τενεατικὴν, *Teneaticam*, denominare, a qua vrbe abiit stadia LX. Stephanus qui etiam κώμην Κορίνθου, *Corinthi vicum* dixit, inter Corinthum & Mycenas tradit Τενέαν, *Teneam* fuisse positam. Quæ quum ita auctorum fide sint, Corinthiacæ potius Teneæ, quam ignotæ Arcadum, quem diximus, nummus vindicetur.

Neque notior *Eua* est Arcadiæ. Stephanus: Εὔα πόλις Ἀρκαδίας,

κωδίας, *Eua Arcadiæ oppidum.* In Brandenburgico Thesauro pag. 443 nummus est ΕΥΑ inscriptus, qui ad hoc oppidum a doctissimo viro L. Begero refertur.. Nec enim ad Argiuorum κώμην, id est vicum Εὔαν, *Euam*, quam Pausanias extremo Corinthiacorum ostendit, nummus publicus potest reduci. Ptolemæus addit *Lysiadem*, & *Lilæam*, Λεἰλαιαν, sed itidem minus notas.

Sunt & alia quæ Plinius recenset, *Bucolium*, *Carnion*, *Melana* (Pausaniæ Μελαινάαι, cap. III) *Macistum*, *Enispe*, quam & Homerus cum aliis nominauit versu 113 Catalogi,

Ῥίπην τε Στρατίην τε, καὶ ἠνεμόεσσαν Ἐνίσπην,

Ripen, *&* *Stratiam*, *&* *altam Enispen.*

Sed nemo facile his sedem & locum adsignabit. Finimus ergo Pomponii verbis de montibus fluminibusque: *In Arcadia sunt montes Pholoë, Cyllene, Parthenius, Mænalus: flumina Erymanthus & Ladon.* Non sufficiunt: plura ostendimus supra: plura etiam Plinius adnumerauit, montibus, *Lycæum*, quem & *Olympum* dici Pausanias cap. XXXVIII auctor est; & *Lampeum*: fluminibus nihil addit, Melæ autem duos in *Alpheum* ait defluere: quod de vtroque supra, præsertim de *Ladone* ex Pausaniæ Arcad. cap. XXV, & Eliac. I cap. VII, demonstrauimus. *Alpheus* autem est princeps Arcadiæ fluuiorum & ceterorum receptator.

Gentes Arcadiæ Strabo in *Azanes* & *Parrhasios* distribuit, saltem illo loco non plures nominat. Pausanias addit *Eutresios* cap. XXVII. *Azanes* videntur ad occasum habitasse, quia illorum Psophis fuit: *Parrhasii*, circa Parrhasium montem. Statius cum Strabone facit Thebaid. lib. IV vers. 292

Venit & Idæis vlulatibus æmulus Azan,

Parrhasiique duces.

CAPVT XIV

DE

INSVLIS GRAECIAE.

AB Illyrica ora si incipimus per Ionium mare in Creticum & Aegæum peruehi, prima insula est SASON, Σασων, siue Σασων. Silius geminato sibilo *Sasson* scripsit: Plinius

 extre-

extremo lib. III feminea forma *Sasonis*. De situ lis est. Videntur veteres Italicis insulis adposuisse. Strabo lib. VI pag. 194 εἰς Σάσωνα τὴν νῆσον, ἥτις μέση πως ἵδρυται τοῦ διάρματος, τοῦ ἐκ τῆς Ἠπείρου πρὸς τὸ Βρεντέσιον, *in insulam Sasonem, quæ in medio traiectu est ab Epiro Brundisium.* Et Lucanus lib. II vers. 627

Spumoso Calaber perfunditur æquore Sason.

Quod vero Ptolemæus lib. III cap. XIII de Macedonia scripsit, παράκειται τῇ Μακεδονίᾳ ἐν τῷ Ἰονίῳ πελάγει Σασὼ νῆσος, *Macedoniæ in Ionio mari insula Saso adiacet;* & hodieque contra Aulonem, quæ nunc Valona dicitur, parua insula sita est, quam *Saseno* vulgo vocant: vtique vero persimile est, illam quæ prope Aulonem iacet, *Sasonem* esse veterem. Polybius de illa lib. V cap. CX λέμβοι καθορμισθέντες εἰς τὴν νῆσον, ἣ καλεῖται μὲν Σάσων, κεῖται δὲ κατὰ τὴν εἰσβολὴν τὴν εἰς τὸν Ἰόνιον πόρον, *lembi adpulsi ad illam insulam, quæ Saso dicitur: Sita autem est in Ionii maris introitu.* Scylax in Illyriis: ἔστι τὰ Κεραύνια ὄρη ἐν τῇ Ἠπείρῳ, καὶ νῆσος περὶ ταῦτά ἐστι μικρά, ᾗ ὄνομα Σασών, *Sunt Ceraunii montes in Epiro, & insula ibi parua est, cui nomen Sason.* Mela etiam *Sason* scripsit & Statius, vt mirum sit a duce suo discedere Plinium, quem extremo lib. III ait: *In Ionio mari, ab Orico - - millia passuum, Sasonis, piratica statione nota.* numerum omisi quia suspectus est, M *millia passuum* in Harduini libro; M M *passuum* in Frobeniano; illic multitudine excedens, heic paruitate deficiens. Scylax distantiam facit ἡμέρας τρίτον μέρος, *tertiam partem diei.* Iterum Lucanus lib. V vers. 650

Non humilem Sasona vadis, non litora curua
Thessaliæ saxosa pauent.

Humilis: quia supra dixerat perfundi æquore. Silius ei non montes, nec saxa, sed *arenas* tribuit lib. VII vers. 480

Adriaci fugite infaustas Sassonis arenas.

CORCYRA.

Corcyra, Græce Κέρκυρα, Thesprotiæ obiecta, variis olim nominibus vocitata est. Plinius lib. IV cap. XII *Insula ex aduerso Thesprotiæ, a Buthroto* XII *millia passuum,* eadem ab Acroceraunijs L *millia, cum vrbe eiusdem nominis Corcyra, liberæ ciui-*

tatis;

tatis; & oppido Cassiope, temploque Cassii Iouis, passuum nonaginta septem millia in longitudinem patens; Homero dicta Scheria & Phæacia; Callimacho etiam Drepane. Scholiastes ad illud Homeri Odyss. E vers. 34

Ἤματί κ' εἰκοστῷ Σχερίην ἐρίβωλον ἵκοιτο
Φαιήκων ἐς γαῖαν,

Vicesima die ad Scheriam fertilem veniat, Phæacum in terram. Σχερία, inquit, ἐκαλεῖτο ἡ νῆσος τῶν Φαιάκων, τὸ δὲ μετὰ ταῦτα ἐκλήθη Κέρκυρα· τὸ δὲ ἀρχαιότατον ἐκαλεῖτο Δρεπάνη, *Scheria vocatur Phæacum insula, quæ postea dicta est Corcyra: antiquissimum vero nomen fuit Drepane:* quod, si a fabulis abstrahas, a curuitate figuræ est. Eadem de nominibus insulæ scholiastes Apollonii ad lib. IV vers. 983. Vrbs est eodem nomine *Corcyra*, potens olim, quæ sæpe cum validis rebuspublicis bellum gessit. Homerus tantum Φαιήκων πόλιν nominat, hoc est *Phæacum vrbem* Odyss Z vers. 298, quam a versu 262 ita describit, vt non alia sit quam quæ hodieque *Corcyra*, vulgo Corfou, a Κορυφῶ, medii æui apud Nicetam & æquales arcis Corcyrææ nomine adpellatur. Deinde coloniam Corinthiorum accepit, vnde Thucydides lib. VII pag. 526 Κερκυραῖοι, Κορίνθιοι σαφῶς, *Corcyræi indubitato sunt Corinthii.* Porrigitur media in *Corcyra* vocabulo etiam in Græco Κέρκυρα. Lucanus lib. II vers. 622

- - - - *seu vela ferantur*
In portus Corcyra tuos - - -

Ouidius in Ibin vers. 510

Te Corcyræum Cressia turba putet.

Altera vrbs insulæ Corcyræ, a Plinio & Ptolemæo laudata, est *Cassiope*, Κασσιόπη, quam hic in septemtrione insulæ locauit. Promontorium eius nominis addit Ptolemæus: Plinius templum *Cassii Iouis:* Cicero portum, lib. XVI epist. IX ad Tironem: *Corcyræ fuimus vsque ad* XVI *kalend. Decemb. tempestatibus retenti. a. d.* XV *kal. Decemb. in portum Corcyræorum ad. Cassiopen stadia* CXX *processimus.*

• Promontoria Corcyræ Ptolemæus, præter iam dictum *Cassiopæum*, quod a septemtrione est, in latere quod in occasum simul & in meridiem vergit, *Phalacrum*, Φαλακρὸν ἄκρον; & *Amphipagum*, quæ Græce est Ἀμφίπαγος ἄκρα: & in extremitate

altera, per totam insulam opposita Cassiopæo, Λευκίμμα ἄκρα, *Leucimma promontorium* est; Straboni, loco mox indicando, ἡ Λευκίμμη; Plinio & Thucydidi lib. I pag. 22 & 32 Λευκίμνη, *Leucimna* per N; sita e regione Sybotorum insularum: Plinius lib. IV cap. XII *A Phalacro, Corcyræ promontorio scopulus, in quem mutatam Vlyssis nauem a simili specie fabula est. Ante Leucimnam, Sybota.* SYBOTA, τὰ Σύβοτα, paruæ insulæ inter Corcyram & continentem Thesprotiæ. Strabo lib. VII pag. 224 εἰσὶ δὲ νησίδες τὰ Σύβοτα, τῆς μὲν Ἠπείρου μικρὸν ἀπέχουσαι, κατὰ δὲ τὸ ἑῶον ἄκρον τῆς Κερκυραίας, τὴν Λευκίμμην κείμεναι, *Sunt Sybota paruæ insulæ, paululum ab Epiro distantes, iuxta orientale* [Corcyræ] *promontorium Leucimmam sitæ.* Thucydides lib. I pag. 32 ἐστρατοπεδεύσαντο ἐν μιᾷ τῶν νήσων, αἳ καλοῦνται Σύβοτα, *castrametati sunt in vna insularum, quæ vocantur Sybota.* Non ergo vna insula est, Sybota, vt Stephanus scripsit, Σύβοτα νῆσος καὶ λιμήν, *Sybota insula & portus:* sed plures, minimum duæ. Portus huius nominis, sed quod Thucydides pag. 34 obseruat, ἔρημος, *desertus*, in vicina est continente Thesprotide, de quo in Epiro diximus. Procopius lib. III Goth. cap. XXVII promontorium *Cynos cephalas* nominat πρὸς ἀνίσχοντα ἥλιον, *ad solis ortum* quod respiciat. Eodem tractu ortiuo insulæ Corcyræ, contra vrbem Corcyram est *Ptychia*, Πτυχία, Thucydid. lib. IV pag. 283 descripta. Ptolemæus in oppidis insulæ Corcyræ numerauit, vt puto propter propinquitatem: sed separatam & singularem insulam esse, clare docet Thucydidis historia, εἰς τὴν νῆσον τὴν Πτυχίαν διεκόμισαν, *in insulam Ptychiam transportarunt.* Et Stephanus; Πτυχία, νῆσος παρὰ τῇ Κερκύρᾳ, *Ptychia, insula iuxta Corcyram.*

Ortum versus ab Corcyra sunt duæ paruæ insulæ dictæ Πάξοι, *Paxi* siue *Paxœ.* Plinius lib. IV cap. XII *Ad Leucadiam Paxœ duæ, quinque* M. *discretæ a Corcyra.* Dio Cassius lib. L de prœlio Actiaco p. 426 ἡ πρὸς Πάξοις θάλασσα, *mare iuxta Paxos.* Alibi traiecto accentu Παξοί. Polybius lib. II cap. X περὶ τοὺς καλουμένους Παξούς, *iuxta Paxos ita nominatos.* Et Plutarchus de defectu oraculorum pag. 237 φωνὴν τῆς νήσου τῶν Παξῶν ἀκουσθῆναι, *ab* [vna] *insula Paxorum vocem auditam esse.* Recentes tabulæ ibi duas ponunt, quarum nomina sunt *Pachsu* & *Antipachsu.* Plinius in hoc mari plures memorat, nec hodie satis notas, *Ericusam,*

Mara-

Marathen, Elaphusam, Malthacen, Trachien, Pythioniam, Tarachiam: e quibus *Ericusa*, ἡ Ερικȣ̃σα νῆσος, etiam Ptolemæo fuit cognita, quam inter Corcyram & Cephaleniam posuit.

INSVLAE MINORES AD LEVCADIAM.

De ipsa *Leucadia*, tamquam peninsula, actum supra est in Acarnania, cui adhæret: post deinde insula facta, vti hodieque est, *Sancta Maura* nunc adpellata. Huic in ortum versus plures paruæ insulæ adiacent, de quibus iam agendum est. Plinius lib. IV cap. XII *Inter Leucadiam & Achaiam permultæ, quarum Teleboides, eædemque Taphiæ, ab incolis ante Leucadiam adpellantur Taphias, Oxiæ, Prinoëssa: & ante Aetoliam Echinades, Echialia, Cotonis, Thyatira, Geoaris, Dionysia, Cyrnus, Chalcis, Pinara, Mystus.* Teleboæ, Τηλεβόαι, qui & *Taphii* dicebantur, populi fuerunt Arcaniæ, quam Strabo lib. VII pag. 222 a tribus gentibus habitatam fuisse, Curetibus, Lelegibus & Telebois, etiam Aristotelis testimonio probauit. E quibus Teleboæ, vel pars illorum, in Italiam migrauit, & in insula Capreis sedem fixerunt, vt Virgilius lib. VII vers. 735 & Tacitus annal. IV cap. LXVII tradiderunt. Ab his insulæ *Teleboides* dictæ, quæ Acarnaniæ obiacent. Stephanus: Τηλεβοὶς μοῖρα τῆς Ακαρνανίας, ἀπὸ Τηλεβόȣ, ἣ πρότερον Ταφίων ἐκαλεῖτο. *Telebois est pars Acarnaniæ, a Teleboa dicta, quæ prius Taphiorum regio dicebatur.* Rursus Strabo lib. X pag. 316 αἱ τῶν Ταφίων νῆσοι, πρότερον δὲ Τηλεβοῶν, ὧν ἦν καὶ ἡ Τάφος, νῦν δὲ Ταφιȣ̃σα καλȣμένη, *Taphiorum insulæ, ante Teleboarum, e quibus & Taphos erat, quæ nunc Taphiusa vocatur.* Apollonii scholiastes ad lib. I vers. 747 ἡ Τάφος νῆσός ἐςι μία τῶν Εχιναδων, ἣν ᾤκησαν Τηλεβόαι, οἱ πρότεροι τὴν Ακαρνανιαν οἰκȣ̃ντες, *Taphos insula est vna ex Echinadibus, quam Teleboæ incoluerunt, qui prius Acarnaniam incoluerant.* Ibidem ad vers. 750 Τηλεβόαι οἱ Τάφιοι, *Teleboæ sunt ipsi Taphii.* Quod si est, Echinades insulæ sub Teleboidibus continentur: Strabo autem pag. 316 Teleboides non interuallo quidem, sed ἡγεμόσι, *ducibus*, sub quibus ταττόμεναι, *rectæ & administratæ* fuerant, Ταφίοις & Τηλεβόαις, *qui Taphii & Teleboæ quondam fuissent*, a reliquis dicit distingui.

ECHINADES, Ἐχινάδες, correpta quæ vltimam antecedit, paruæ insulæ sunt ante Acheloi ostia, plures numero, sed asperæ ac steriles pleræque. Plinius: *ante Aetoliam Echinades*. Thucydides lib. II extremo: κεῖνται τῶν νήσων τῶν Ἐχινάδων αἱ πολλαὶ καταντικρὺ Οἰνιαδῶν, τοῦ Ἀχελώου τῶν ἐκβολῶν οὐδὲν ἀπέχουσαι. ὥστε μέγας ὢν ὁ ποταμὸς προσχοῖ ἀεὶ, καὶ εἰσὶ τῶν νήσων αἱ ἠπείρωνται. *Iacent pleræque Echinadum insularum e regione Oeniadarum, ab adluvionibus Acheloi nihil admodum distantes, quarum fluminis, quum intumuit, adgestione, continenti adiunguntur.* Strabo lib. X pag. 315 ait, a Cephalenia πρὸς ἕω τὰς Ἐχινάδας ἱδρύσθαι νήσους· ὧν τό, τε Δουλίχιόν ἐστι (καλοῦσι δὲ νῦν Δολίχαν) καὶ αἱ Ὀξεῖαι καλούμεναι, ἃς ὁ ποιητὴς Θοὰς εἶπε, *ad ortum* [æstiuum maxime] *sitas esse Echinadas, quarum sit Dulichium, quæ nunc Dolichna vocatur; & Oxiæ* [Acutæ] *dictæ, quas poeta Thoas vocauit.* Multitudinis illarum Ouidius testis est Metamorph. lib. VIII vers. 587

- - - - - partesque resoluit
In totidem, mediis quot cernis Echinadas vndis.

Auctore Stephano dicuntur etiam *Echinæ*, Ἐχῖναι: sed plerique omnes, quos superstites scriptores habemus, eas non Echinas, sed *Echinades* adpellant. Scylax quoque ita describit, vt dicat πολλὰς, *multas* numero esse, quarum aliquas Achelous, humo adgesto continenti coniungat: εἰσὶ δὲ ἔρημοι, *desertas esse*, quod de plerisque & minoribus intelligo. Si enim *Dulichium*, vt Strabo censet, in illarum numero fuit, quæ habitata erat, vtique non omnes desertas fuisse oportet. Virgilius Aeneid. III vers. 270

Dulichiumque Sameque & Neritos ardua saxis:

& κτητικῶς, ecloga eiusdem VI vers. 76

Dulichias vexasse rates.

Dulichium etiam Ὀξεῖαν, *Oxeam* dictam esse, Stephanus auctor est, quod vna τῶν Ὀξειῶν, quas Strabo vocitauit. Mela autem lib. II cap. VII Dulichium ab Echinadibus seiungit.

ITHACA, Ἰθάκη, Vlyssis patria, vicina Dulichio, ἐν ᾗ ὁμώνυμος πόλις, *in qua vrbs eiusdem nominis*, vt Ptolemæus refert: siue vt Scylax, πόλις καὶ λιμήν, *vrbs & portus*. Oppidum erat ὑπονήιον, *sub Neio monte situm*. Homerus Odyss Γ vers. 81

Ἡμεῖς

Ἡμεῖς ἐξ Ἰθάκης ὑπονηίου εἰλήλουθμεν,
Nos ex Ithaca ad Neium sita venimus.

Celebratur etiam mons *Neritos*, Νήριτος, in hac insula. Iterum Homerus Odyss. ἰῶτα vers. 21

Ναιετάω δ' Ἰθάκην εὐδείελον, ἐν δ' ὄρος αὐτῇ
Νήριτον εἰνοσίφυλλον, ἀριπρεπές.
Colo autem Ithacam clarissimam, in qua mons est
Neritus, multas frondes mouens, decorus.

Eustathio in hunc locum idem est Nëius & Neritus: sed rectius distinguuntur: Strabo vero in dubio relinquit pag. 313, ἄδηλον, dicens, εἴτε τὸ αὐτὸ τῷ Νηρίτῳ λέγει τὸ Νήϊον, εἴτε δ' ἕτερον ἢ ὄρος ἢ χωρίον, *Incertum est, num Neriti nomine Neium ipsum dicat* [Homerus,] *an alium montem vel locum.* Melæ *Neritus* insula est ab Ithaca diuersa, lib. II cap. VII. *In Ionio*, inquit, *Prote, Ilyria, Cephalenia, Neritos, Same, Zazynthos, Dulichium: & inter non ignobiles Vlyssis nomine Ithaca maxime illustris:* cui videtur Virgilius paullo ante citato versu præisse,

Dulichium Sameque & Neritos ardua saxis:

Verum quia idem Samen & Cephaleniam, quæ eadem Homero est, item Hyriam & Zacynthum, Plinio eamdem, distinguit; neque in Nerito fides ipsi contra consensionem ceterorum habenda est. Seruius ad hunc locum Virgilii: *Neritos, mons Ithacæ.* Et Strabo lib. X pag. 312 ad illud Homeri Catalogo vers. 139

Οἵ τ' Ἰθάκην εἶχον, καὶ Νήριτον εἰνοσίφυλλον,

adnotauit: ὅτι μὲν τὸ Νήριτον ὄρος λέγει, τῷ ἐπιθέτῳ δηλοῖ· ἐν ἄλλοις δὲ καὶ ῥητῶς ὄρος, *Neriton montem Homero esse, ex epitheto manifestum est: aliis autem locis diserte montem adpellat.* Et Plinius dicto loco: *Ab ea* [Cephalenia] *Ithaca* XV *millia distat, in qua mons Neritus. Tota vero circuitu patet* XXV *millia passuum. Ante hanc in alto, Asteris, Prote.* Hæc illa Prote, quam modo Pomponius primo loco posuerat. Asteris autem, quæ & Asteria dicta, Stephano est νησίον μεταξὺ Κεφαλληνίας καὶ Ἰθάκης, *parua insula inter Cephaleniam & Ithacam.* Strabo etiam *Asteriam* dixit: Homerus autem Ἀστερίδα, Odyss. Δ vers. 844

Ἔστι δέ τις νῆσος μέσσῃ ἁλὶ πετρήεσσα,
Μεσσηγὺς Ἰθάκης τε Σάμοιό τε παιπαλοέσσης,
Ἀστερὶς, οὐ μεγάλη.

Hoc

Hoc eſt: *Inſula in medio mari eſt ſaxoſa, inter Ithacam & aſperam Samum*, ſiue Cephaleniam, *Aſteris non magna.* Auſonius quoque Periocha in hunc Odyſſ. IV librum: *Circa Aſteriam inſulam, quæ Ithacam Samumque interiacet.*

CEPHALLENIA.

Cephallenia, Κεφαληνία, ſiue Κεφαλληνία, inſula mediocris eſt maris Ionii inter Ithacam & Zacynthum, quatuor intra ſe oppida continens. Nomen gemino λ ſcripſerunt Thucydides, Polybius, Strabo: ſimplici litera Scylax, Ptolemæus, Marcianus Heracleota. Sic Latini quoque diuiſi ſunt, & Liuii libris *Cephallenia* legitur: Melæ, Plinii, Flori *Cephalenia.* Et quamquam a Κεφάλῳ, *Cephalo* Pauſanias vocabulum ducat, tamen & ipſius codicibus id geminato lambda expreſſum eſt. Manutius in Orthographia: CEPHALLENE *inſula, duplici* LL *libri veteres & Græca conſuetudo.*

Eruditorum opinio eſt, Strabonis nixa & Euſtathii auctoritate, Homerum hanc inſulam *Samum* adpellaſſe; etiam *Epirum Nigram.* Ille lib. X pag. 312 Σάμον δὲ τὴν νῦν Κεφαλληνίαν, *Samon* [vocat Homerus] *quæ nunc eſt Cephallenia:* nec Σάμον modo, ſed Σάμην etiam tam vrbem quam inſulam communiter adpellari addit: quamquam alii *Samum* inſulam a *Same*, eius oppido, diſtinctam velint. Odyſſ. A verſ. 246

Δυλιχίῳ τε Σάμη τε καὶ ὑλήεντι Ζακύνθῳ.

Dulichioque Sameque & nemoroſa Zacyntho.

Et Odyſſeæ Δ verſ. 671

Ἐν πορθμῷ Ἰθάκης τε Σαμίοιό τε παιπαλοέσσης,

In freto Ithacæque Samique aſperæ.

cui perſimilis verſus eſt 845 eiusdem libri paullo ante in inſula *Aſteria* explicatus. Eamdem inſulam putant etiam *Epirum Nigram* ab Homero nominari, Odyſſ. Ξ verſ. 97 & Φ verſ. 109. Vide Palmerii Græc. Antiq. lib. IV cap. XXIV. Quæ ſane ſatis antiqua videtur opinio eſſe, vt Plinius quoque in ea errauerit, Cephalleniam etiam *Melænam* dicens nuncupatam eſſe, quum nemo ſolum *Melænam*, ſed *Epirum Melænam* ſiue *Nigram* tradant dictam eſſe. Adde Odyſſ. Ω verſ. 377 & ibi Euſtathium.

Oppida

Oppida Cephalleniæ ita descripsit Thucydides lib. II pag. 120 Κεῖται ἡ Κεφαλληνία κατὰ Ἀκαρνανίαν καὶ Λευκάδα, τετράπολις οὖσα, Παλλεῖς, Κράνιοι, Σαμαῖοι, Πρωναῖοι. *Sita est Cephallenia Acarnaniam versus & Leucadem, quatuor vrbes habens, Pallenses, Cranios, Samaos, Pronaos.* Polybius lib. V cap. III κατέσχε τῆς Κεφαλληνίας κατὰ Πρώνους, *Cephalleniam attigit iuxta Pronos* oppidum. Et Plinius lib. IV cap. XII A Paxo Cephallenia, quondam Melæna dicta, circuitu patet XLIV M. P. *Same diruta a Romanis: adhuc tamen oppida tria habet.* Haud dubie Same vrbs princeps, quia sic, & *Samos*, insula vocata, quæ vrbs postea *Cephallenia*, vt insula, fuit nuncupata. Ptolemæus: ἡ Κεφαληνία νῆσος, ἧς ὁμώνυμος πόλις. *Cephalenia, insula, cuius est vrbs eodem nomine.* Liuius lib. XXXVIII cap. XXVIII *M. Fuluius quum traiecisset in Cephalleniam, circa ciuitates insulæ misit percunctatum, vtrum se dedere Romanis, an belli fortunam experiri mallent. Metus ad omnes valuit, ne deditionem recusarent. Obsides inde imperatos, pro viribus inopis populi, vicenos Nesiota, Cranii, Pallenses & Samæi dederunt.* Et cap. XXIX *Quatuor menses obsidionem Same sustinuit. - - - Samæi posteaquam captam vrbis partem ab hostibus senserunt; cum coniugibus & liberis in maiorem refugerunt arcem: inde postero die dediti, direpta vrbe, sub corona omnes venierunt. Consul, compositis rebus Cephalleniæ, præsidio Samæ imposito, in Peloponnesum traiecit.*

Hæc de metropoli *Same* satis sint: de ceteris consensus est duobus, *Pallensibus* & *Craniis*: lis de tertio oppido superest, cuius incolas Liuius *Nesiotas* vocat, quod commune insulanorum nomen est; Thucydides *Pronæos*, oppidum ipsum *Pronos*, Πρώνους Polybius, quod primo casu est Πρῶνοι, *Proni*. Forte in parua insula adiacente aut peninsula situm fuit, vt nouum nomen & inde sustineret. Et *Pallensium* vocabulum subdubium est. Thucydides Παλλῆς, incertum quo casu; pro quo supra legebamus Παλλεῖς, sicut Pausanias Eliac. II cap. XV ait: Παλεῖς ἡ τετάρτη Κεφαλλήνων μοῖρα, *Palenses* (a παλεὺς) *quarta pars Cephalleniorum.* Polybius lib. V cap. III πρὸς τὴν τῶν Παλαιέων πόλιν, *ad Palæensium vrbem*, quasi Παλαιά, *Palæa* nomen vrbis fuerit. Totius insulæ cultores Græce Κεφαλλῆνες, Polybio, dicto loco: & Periegeta vers. 436 Κεφαλλήνων πτολίεθρα, *Cephallenum oppida.* Singu-

lari

lari Κεφαλλὴν ἔμποϱος, *Cephallenius mercator*, Pausanias Messen. cap. XX dixit. Imitantur Latini. Liuius lib. XXXVII cap. XIII *cum iuuentute Cephallenum*. Et Silius lib. XV vers. 305

Saxa Cephalenum, & scopulosis Neriton aruis.

Mons in Cephallenia *Aenus*, vnde Ioui cognomen fuit *Aenesii*. Apollonii scholiastes ad lib. II vers. 297 Ἔςι καὶ Αἶνος ὄϱος τῆς Κεφαλληνίας, ὅπου Αἰνησίε Διὸς ἱεϱὸν ἐςι, *Aenus mons Cephalenia, in quo templum Iouis Aenesii est*. Præcedit ex Hesiodo sine sibilo

- - - - Αἰνηίῳ ὑψιμέδοντι.

ZACYNTHVS.

Zacynthus, Ζάκυνθος, insula in austrum Cephalleniæ subiecta, propius, quam illa, accedens ad Peloponnesum. Strabo lib. X pag. 315 Zacynthum cum Cephallenia in insulis numerat, ὑπὸ τῷ Ὀδυσσεῖ τεταγμέναις, quæ sub Vlyssis imperio fuerint. Ambitum eius facit stadiorum CLX & amplius: distantiam a Cephallenia, LX. ὑλώδης μὲν, εὔκαϱπος δὲ, *siluosa est*, inquit, *fertilis autem*. Ex Homero est, qui Odyss. ἰῶτα vers. 24

Δελίχιόν τε, Σάμη τε, καὶ ὑλήεσσα Ζάκυνθος.

quod Virgilius imitatus est Aeneid. III vers. 270

Iam medio adparet fluctu nemorosa Zacynthos,
Dulichiumque Sameque, & Neritos ardua saxis.

Vrbem habet cognominem, eamque, quod Strabo addit, ἀξιόλογον, *memorabilem*. Thucydides lib. II pag. 144 Ζάκυνθος ἡ νῆσος κεῖται ἀντιπέϱας Ἤλιδος· εἰσὶ δὲ Ἀχαιῶν τῶν ἐκ Πελοποννήσου ἄποικοι, *Zacynthus insula e regione Elidis sita est, Achaeorum, qui sunt ex Peloponneso, colonia*. Et Liuius lib. XXVI cap. XXIV *Et Lauinus Zacynthum (parua insula est, propinqua Aetoliæ: vrbem vnam eodem, quo ipsa est, nomine habet) eam, præter arcem, vi cepit*. Ptolemæus: ἡ Ζάκυνθος, ἐν ᾗ καὶ ὁμώνυμος πόλις, *Zacynthus, in qua etiam vrbs eodem nomine*. Et Scylax: ἐν ᾗ καὶ πόλις καὶ λιμὴν, *in qua & oppidum & portus est*. Plinius lib. IV cap. XII *Ante eas* [Teleboidas & Echinadas] *in alto Cephalenia, Zacynthus, vtraque libera*. Et paucis interiectis: *Inter hanc* [Cephaleniam] *& Achaiam, cum oppido magnifica, & fertilitate præcipua Zacynthus, aliquando adpellata Hyrie*. Male ergo *Hyriam* a Zacyntho distinxit Mela.

Mela. Hodie vocatur, quod notissimum est, & insula & oppidum *Zante*. Qui incolebant, dicebantur Zacynthii. Nepos Dione cap. IX *Suorum e numero Zacynthios adolescentes quosdam elegit*.

INSVLAE MINORES
CIRCA PELOPONNESVM.

Quæ inde a Zacyntho vsque ad sinum Asinæum sunt insulæ, a Plinio ita lib. IV cap. XII enarrantur: *Ante Zacynthum* XXX *mill. pass. in Eurum ventum Strophades duæ, ab aliis Plotæ dictæ. Ante Cephaleniam Letoia. Ante Pylum tres Sphagiæ; & totidem ante Messenen Oenussæ*.

STROPHADES duæ sunt insulæ, vt Strabo lib. VIII pag. 248 describit, πελάγιαι, *in alto sitæ*, e regione Cyparissiæ, vnde Κυπαρισσίων νῆσοι, *Cyparissiorum* dictæ *insulæ*: CCCC fere a continente stadiis. Virgilius lib. III Aeneid. vers. 209

> *Seruatum ex vndis Strophadum me litora primum*
> *Accipiunt. Strophades Graio stant nomine dictæ*
> *Insulæ Ionio in magno, quas dira Celæno*
> *Harpyiæque colunt.*

Stephanus: Στροφάδες, νῆσοι πρὸς τῇ Ζακύνθῳ δύο, *Strophades, duæ insulæ iuxta Zacynthum*. Dictæ etiam *Plotæ*, πλωταί, vt Plinius referebat, id est natantes in aquis, fluctuantes. Apollonius lib. II vers. 296

> - - - Στροφάδας δὲ μετακλείουσ' ἄνθρωποι
> Νήσους τοῖο γ' ἕκητι, πάρος Πλωτὰς καλέοντες,
> - - *Strophadas cognominarunt homines*
> *Insulas huius caussa, prius Plotas nominantes.*

Strophades autem, ἀπὸ στροφῆς, *a conuersione* dictæ, quia Zethus & Calais, alati iuuenes, Boreæ filii, Harpyias ad insulas vsque illas gladiis persequuti, monente Iride, inde finguntur reuertisse. Quod pluribus Virgilii interpres Seruius exposuit: breuius scholiastes Apollonii.

Letoia Plinii est Ptolemæi *Lotoa*, Λωτῶα νῆσος, ab eodem locata occasum solis versus inter Cephalleniam & Zacynthum.

SPHAGIAE insulæ Plinio tres sunt: sed vna tantum vere

insula: scopuli ceteræ. Strabo lib. VIII pag. 248 ἡ προσκειμένη πλησίον τοῦ Πύλου Σφαγία νῆσος· ἡ δὲ αὐτὴ καὶ Σφακτηρία λεγομένη, *Adiacet Pylo* [Messenio] *insula Sphagia, quæ etiam Sphacteria nominatur.* Plures *Sphacteriam* vocant quam *Sphagiam.* Vtriusque tamen nominis mentionem habet Stephanus, *Sphacteriæ*, ex Pausania; *Sphagiæ*, ex Phauorino. Pausanias extremis Messenicis: τοῦ λιμένος ἡ Σφακτηρία νῆσος προβέβληται, *ante portum* [Pyli] *Sphacteria insula prominet.* Et Thucydides lib. IV pag. 256 ἡ νῆσος ἡ Σφακτηρία καλουμένη, τόν τε λιμένα παρατείνουσα, καὶ ἐγγὺς ἐπικειμένη, ἐχυρὸν ποιεῖ, καὶ τοὺς ἔσπλους στενούς. *Insula, quæ Sphacteria vocatur, portui* [vrbis Pyli] *prætenta est, eumque tutum efficit, & introitus angustos.* Nobilitata est Spartanorum clade. Diodorus Siculus lib. XIII cap. XXIV Ἀθηναῖοι κατὰ τὸν Πελοποννησιακὸν πόλεμον εἰς τὴν Σφακτηρίαν νῆσον πολλοὺς τῶν Λακεδαιμονίων κατακλείσαντες καὶ λαβόντες αἰχμαλώτους, ἀπελύτρωσαν τοῖς Σπαρτιάταις. *Athenienses bello Peloponnesiaco Lacedæmoniorum quam plurimos in insula Sphacteria ceperunt, redemtos inde Spartanis restituerunt.*

OENVSSAE sunt Plinio tres insulæ in sinu Messenio, siue, vt loquitur, *ante Messenen.* Vnam plurali nomine significat Pausanias Messen. cap. XXXIV μετὰ τὸν Ἀκρίταν, λιμήν τε Φοινικοῦς, καὶ νῆσος κατ' αὐτὸν Οἰνοῦσσαι, *post Acritan portus est Phœnicus, & ipsi proxima insula Oenusæ.* Quidam insulam *Sapientiæ* interpretantur illarum maximam, alii *Caureram*, itidem alii *Veneticam* cognominatam.

Pergit Plinius: *In Asinæo sinu tres Thyrides: in Laconico Teganusa, Cothon, Cythera cum oppido, antea Porphyris adpellata.* Straboni & Pausaniæ *Thyrides*, Θυρίδες, sunt in vertice Tænari, seu in promontorio ad Tænarum, vt supra in Laconicæ principio monstratum est. Ab his subiacentes insulas, aut scopulos, haud dubie Plinius *Thyrides* denominauit.

Teganusam, seu potius Theganusam, quia per Θ Græci exprimunt; Plinius in Laconico sinu posuit; malim in Messenio. nam ante promontorium Acritan situm est, inter Methonen & Coronen, oppida Messeniæ. Strabo lib. VIII pag. 248 τῇ Μεθώνῃ συνεχής ἐστιν ὁ Ἀκρίτας, *Methonæ continuus est* [mons] *Acritas*, seu promontorium. Pausanias Messen. cap. XXXIV ἀνέχει ἐς θάλασσαν ὁ Ἀκρίτας, καὶ νῆσος Θηγανοῦσά ἐστιν ἔρημος πρὸ αὐτοῦ, *Excurrit*

rit in mare Acritas, & ante ipsum deserta est insula Theganusa. Mela lib. II cap. VII *Oenusa & Theganusa contra Acritan.* Ptolemæus scripsit Θιγανοῦσα, eamdemque cum Acrita promontorio in Messenico sinu, non Laconico, a quo longissime absunt, posuit.

Cothon autem Plinio in Laconico est, haud procul a Cythera insula. Stephanus: Κώθων, νῆσος οὐ πόῤῥω Κυθήρων, *Cothon, insula non longe a Cytheris.* A Berkelio Salmasius notatur, qui Stephani Cothonem in Africam ad Carthaginem voluit traiectum. Pomponius etiam *Cothonis* meminit, sed in Aegæo mari. Nobis sufficit quod Stephanus cum Plinio consentiat. Ante Gythium est *Cranaë* insula. Pausanias Lacon. cap. XXII ἡ νῆσος ἡ Κρανὰη πρόκειται Γυθείου, *insula Cranae præiacet Gytheo.* Huc primum Paris raptam Helenam deduxit a Lacedæmone, vt Homerus refert Iliad. Γ vers. 445

Νήσῳ δ' ἐν Κρανάῃ. - - - -

CYTHERA, Κύθηρα, insula oppido Boiæ & promontorio Maleæ obiecta, cum oppido & portu. Oppidum ejusdem nominis est *Cythera.* Plinius dicto loco: *Cythera cum oppido.* Scylax: κατὰ ταύτην κεῖται Κύθηρα νῆσος καὶ πόλις καὶ λιμὴν, *iuxta hanc* [Maleam ἄκραν] *sita Cythera insula, & oppidum, & portus.* Strabo lib. VIII pag. 250 Πρόκειται κατὰ τούτου Κύθηρα ἐν τεσσαράκοντα σταδίοις νῆσος εὐλίμενος πόλιν ἔχουσα ὁμώνυμον. *Ante hoc* [promontorium Maleam] *sita est insula Cythera, interuallo* XL *stadiorum, bono portu instructa, & vrbe eiusdem nominis.* Portus egregius, qui etiam ἐπίνειον, *nauale*, ob capacitatem dictus a Pausania est Lacon. cap. XXIII, sub quo oppidum aliud est, Σκάνδεια, *Scandea* nomine, decem stadiis ab interiore vrbe Cytheris. Thucydides lib. IV pag. 287 τὴν ἐπὶ θαλάσσῃ πόλιν Σκάνδειαν καλουμένην αἱροῦσι, *vrbem* [insulæ] *maritimam, quæ Scandea vocatur,* [Athenienses] *capiunt.* Et paucis interiectis: οἱ Ἀθηναῖοι τήν τε Σκάνδειαν, τὸ ἐπὶ τῷ λιμένι πόλισμα παραλαβόντες, καὶ τῶν Κυθήρων φυλακὴν ποιησάμενοι, ἔπλευσαν ἔς τε Ἀσίνην καὶ Ἕλος, *Athenienses potiti Scandea oppido sub portum sito, Cytheris imposito præsidio, nauigarunt Asinen & Helos.* Et Pausanias dicto cap. XXIII Κύθηρα κεῖται ἀπαντικρὺ Βοιῶν. - - - Ἐν Κυθήροις δὲ ἀπὸ θαλάσσης Σκάνδεια ἐστιν ἐπίνειον. Κύθηρα δὲ ἡ πόλις ἀναβάντι ἀπὸ Σκανδείας, στάδια ὡς δέκα. *Cythera ex aduerso*

Boiarum sita sunt. In [insula] *Cytheris autem ad mare est Scandea nauale. A Scandea ad vrbem Cythera sunt stadia prope decem.* Nomen Græcis plurale est, vt vidimus. Iterum Thucydides pag. 286 τὰ δὲ Κύθηρα νῆσός ἐστιν· ἐπίκειται δὲ τῇ Λακωνικῇ κατὰ Μαλέαν, *Cythera sunt insula, adiacens Laconicæ iuxta Maleam.* Polybius IV cap. VI περὶ Κύθηρα, *circa Cythera.* Quod etiam Latini æmulantur, poetæ præsertim. Virgilius Aen. I verſ. 680

- - - - *super alta Cythera.*

Et Ouidius Amor. lib. II eleg. XVII de Venere:

Quæ Paphon & fluctu pulsa Cythera tenet.

nam Veneri ſacra erant, cuius antiquiſſimum templum, quod Pauſanias obſeruat, habuerunt. Idem Ouidius Faſtorum lib. IV verſ. 285

Tum læua Creten, dextra Pelopeidas vndas
Deserit: & Veneri sacra Cythera petit.

Portus inſulæ Lacedæmoniorum præcipuus erat, cuius maximam curam agebant, præſidio tenentes & oppidum & portum & quotannis ex Sparta mittentes, qui ius diceret in inſula. Hæc ex Thucydidis prædicto loco. Hodie inſula *Cerigo* adpellatur: olim etiam *Porphyris*, Plinio auctore: ſiue Πορφυροῦσα, vt apud Periegetæ ſcholiaſten eſt ad verſ. 499, qui rationem reddit, διὰ τὸ καλλίστας ἔχειν πορφύρας, *quod præstantissimas purpuras habeat.*

Argolici ſinus inſulas Plinius plures nominat lib. IV cap. XII. *In Argolico*, inquit, *Pityusa, Irine, Ephyre: contra Hermionium agrum Tiparenus, Aperopia, Colonis, Aristera: contra Trœzenium, Calauria, quingentos passus distans.* Sed, præter vltimam *Calauriam*, quæ extra Argolicum ſinum in Saronico potius eſt, nihil de ceteris diſtincte definiri poteſt. Pauſanias Corinth. cap. XXXIV iuxta Bucephalon promontorium, quod in Saronico ſinu eſt, *Pityusam* ponit & *Aristeras*, cum alia, *Haliusa:* poſt quas *Aperopiam* & *Hydream* memorat, tamquam longius in auſtrum verſus diſtantes. Sed quoquo loco illæ fuerunt, in Argolico ſunt quæ hodie a nautis vocantur Caraui, Bellapola, Settepozze, ad quas haud dubie Plinius quibusdam ſuis nominibus reſpexit.

Notior certiorque CALAVRIA, ante portum Trœzenium ſita, interuallo, quod Plinius dixit, L paſſuum, ſiue, quod idem

idem est, vt Strabo lib. VIII pag. 254 prodidit, τετραςαδίῳ, *quatuor stadiorum.* Ambitus XXX stadiorum est. Idem pag. 257 Πρόκειται τῦ λιμένος Καλαυρία νησίδιον, ὅσον τριάκοντα ςαδίων ἔχον τὸν κύκλον, *Ante portum* [Trœzenis] *iacet Calauria, parua insula, ambitu* XXX *stadiorum.* Religiosum ibi Neptuni templum erat & asylum, etiam Amphictyonum conuentus ciuitatum septem, quas Strabo nominat. quod ἱερὸν ἅγιον, *sanctissimum fanum* etiam Pausanias laudauit Corinth. cap. XXXIII. In hac insula bis exsulauit Demosthenes; etiam mortem veneno inuenit, & intra fani septa sepulcrum: de quibus præter Strabonem, Pausanias dicto loco, & Plutarchus Vita pag. 859 consulantur. Pomponius lib. II cap. VII. *Trœzenio litori proxima Calauria inter ignobiles alias leto Demosthenis nobilis.* Minus fertilem esse, Dionysii epitheto Perieg. vers. 499 probatur,

Αἴγυλά τ' ἠδὲ Κύθηρα, Καλάυρειά τε τρηχεῖα,
Aegyla, & Cythera, & Calauria aspera.

Illa *Aegyla* aliis est *Aegilia.* Stephanus: Αἰγιλία, νῆσος μεταξὺ Κρήτης καὶ Πελοποννήσου, *Aegilia insula inter Cretam & Peloponnesum.* Mela dicto loco: *At interius Melos, Oliaros, Aegilia, Cothon.*

Supra Calauriam ex aduerso Atticæ est insula *Belbina*, siue vt Scylax definit, inter Sunium & Scyllæum, Trœzenii agri promontorium. Plinius persæpe dicto loco: *Contra Trœzenium* [agrum] *Calauria, quingentos passus distans: Plateis, Belbina, Lasia, Baucidias.* At Strabo lib. IX pag. 275 magis in septemtrionem & ad oram Atticam submouet. Postquam enim loca Atticæ, quæ circa Phalereum portum sunt, exposuerat; & promontoria, quæ inde ad Sunium sunt, *Zosterem* & *Astypalæam*, cum præiacentibus paruis insulis *Phaura* & *Eleusa*; addit, πρόκειται καὶ τούτων τῶν τόπων Βέλβινα νῆσος, οὐ πολὺ ἄπωθεν, *Ante hæc loca non procul a continente iacet insula Belbina.* Et lib. VIII pag. 259 *Aeginæ* exiguas insulas, continentem versus, circumiectas esse: Βέλβινα δὲ πρὸς τὸ πέλαγος ἀνατείνουσα· *Belbinam vero inde in altum versus sitam esse.* Quam vero Plinius *Eleusam* insulam Spiræo promontorio obiacere tradidit; forsitan media inter Astypalæam Atticæ, & Spiræum Peloponnesi est.

AEGINA, Αἴγινα, nobilis insula, & classe olim cum Atheniensibus certans, quibuscum de palma ad Salaminem prœlio aduer-

aduersus Persas contendit. Certe post Athenienses nulla ciuitas illo prœlio maiorem nauium numerum habuit, quam Aeginetarum. Strabo lib. VIII pag. 258 περὶ πρωτείων ἀμφισβητήσασά ποτε πρὸς Ἀθηναίους ἐν τῇ περὶ Σαλαμῖνα ναυμαχίᾳ κατὰ τὰ Περσικά. Adde Pausaniam Corinth. cap. XXIX. Vrbem habuit eiusdem nominis, τετραμμένην πρὸς λίβα, *in africum conuersam*, vt Strabo ibidem notauit. Patria & regnum Aeaci, vtroque quos nominaui, referente. Olim *Oenopia* dicta: Aeacus matris nomen imposuit. Ouidius Metamorphos. lib. VII vers. 472

Oenopiam Minos petit, Aeacidëia regna,
Oenopiam veteres adpellauere; sed ipse
Aeacus Aeginam genitricis nomine dixit.

Cicero lib. III Officior. cap. XI *Nimis imminebat, propter propinquitatem, Aegina Piraeo.* Plinius lib. IV cap. XII *Aegina a Piraeo Atheniensium portu* XX *millia passuum abest, antea Oenone vocitata.* Pausaniæ dicto loco, Οἰνώνη. Pomponius Mela de insulis: *Aegina Epidaurico litori proxima.* Dionysius Perieg. versu 512

Φαίνονται Σαλαμίς τε καὶ Αἰγίνης πτολίεθρον,
Adparent Salamis & oppidum Aeginæ.

Sulpicius Ciceroni lib. IV epist. V *quum ab Aegina Megaram versus nauigarem.* Incolæ *Aeginetæ*, Αἰγινῆται. Cicero dicto Offic. loco: *Athenienses sciuerunt, vt Aeginetis, qui classe valebant, pollices praciderentur.* Horum fata Pausanias dicto loco recenset. *Oea*, Οἰή, locus Aeginæ mediterraneus, XX stadiis ab oppido Aegina, descriptus ab Herodoto lib. V cap. LXXXIII.

SALAMIS siue *Salamin*, insula e regione Eleusinis. Scylax: κατὰ τοῦτο [Ἐλευσῖνος ἱερὸν καὶ τεῖχος] ἐστὶ Σαλαμὶς νῆσος, καὶ πόλις, καὶ λιμήν, *Iuxta hoc* [Eleusinium fanum] *est Salamis insula, oppidum, & portus.* Et Pausanias Attic. cap. XXXV Σαλαμὶς κατὰ Ἐλευσῖνα κειμένη, *Salamis e regione Eleusinis sita.* Secundum Strabonem post initium lib. IX longitudo [τὸ μῆκος] eius est LXX vel LXXX stadiorum. Vrbem habuit eiusdem nominis, veterem quidem πρὸς νότον, *in austrum* & Aeginam versus; nouam autem in sinu & peninsula πρὸς τὴν Ἀττικήν, *aduersus Atticam.* Patria sedes Aiacis fuit. Horatius lib. I oda VII de Telamone, Teucri & Aiacis patre:

Teu-

- - - Teucer Salamina patremque
Quum fugeret.

Et Seneca Troadibus vers. 844

Numquid Aiacis Salamina veram?

Veram (etiam Lucanus III vers. 183) dixit ad discrimen alterius in Cypro, ad huius imaginem a Teucro conditæ, quam *ambiguam* ibidem Horatius nuncupauit. Clarior facta Themistoclis victoria & Persarum clade. Mela lib. II cap. VII *In Atthide Helene, nota stupro Helenæ; & Salamis excidio classis Persicæ notior.* Cicero lib. I Offic. cap. XXI *citetur Salamis clarissimæ testis victoriæ.* Et lib. I Quæst. Tusc. cap. XLVI *Ante Salaminem ipsam Neptunus obruet, quam Salaminii tropæi memoriam.* nam gentile ac possessiuum *Salaminius.* Idem pro Archia cap. VIII *Homerum Chii suum vindicant, Salaminii repetunt.* Etiam *Salaminiacus* κτητικῶς dicunt. Lucanus lib. V vers. 109

Vt Salaminiacum meminit mare. - - -

Et sinum Saronicum quoque Σαλαμινιακὸν, *Salaminiacum* dictum esse, Strabo auctor est lib. VIII pag. 231. qui alia insulæ vetusta nomina lib. IX pag. 271 profert, quæ sunt Σκιρὰς, Κιχρεία, Πιτυοῦσσα, *Sciras, Cichria, Pityusa,* illa ab heroibus, hoc ab arbore inditum, quia pinifera est. Adde Pausan. Att. cap. XXXVI.

Ante Salaminem, Nisæam & Megaram versus quinque parvæ insulæ, πέντε νησία, vt Strabo notat: sed alia Atticam versus *Psyttalia,* νησίον ἔρημον πετρῶδες, *deserta, saxosa,* vt idem subiunxit p. 272. Plinius IV cap. XII *Clara Salamis: ante eam Psyttalia.* Pausanias Attic. cap. XXXVI νῆσος πρὸ Σαλαμῖνος ἐςὶ καλουμένη Ψυττάλεια, *insula ante Salaminem est, dicta Psyttalia.*

E V B O E A.

Eubœa, Εὐβοία, insula oblonga, ab Attica ad Thessaliam vsque, Bœotiæ, a qua Euripi freto dirimitur, prætenta. Strabo situm & præcipua loca descripsit ineunte libro X, quem Latine Plinii verbis interpretamur ex lib. IV cap. XII sect. XXI: *Eubœa,* inquit Plinius, *& ipsa auulsa Bœotiæ, tam modico interfluente Euripo, vt ponte iungatur: a meridie promontoriis duobus, Geræsto ad Atticam vergente; ad Hellespontum Caphareo insignis: a*

septem-

septemtrione Cenæo: nusquam latitudinem vltra XL *millia passuum extendit, nusquam intra duo millia contrahit: sed in longitudinem vniuersæ Bœotiæ, ab Attica Thessaliam vsque, prætenta in* CL *mill. passuum: circuitu vero trecenta sexaginta quinque.* Quod breuius Pomponius Mela lib. II cap. VII his verbis præiuit: *Eubœa ad meridiem promontorium Geræston & Caphærea: ad septemtrionem Cenæum extrudit, & nusquam lata, duûm millium spatium habet vbi arctissima est: ceterum longa totique Bœotiæ adposita, angusto freto distat a litore. - - - Aliquot in ea sunt oppida, Istiæa, Eretria, Pyrrha, Nesos, Oechalia: verum opulentissimæ Carystos & Chalcis.*

Plinius plura addit oppida, sed multa in iis euersa: ideoque inter hæc, & quæ superabant, distinguit. *Vrbibus*, inquit, *clara quondam, Pyrrha, Porthmo, Neso, Cerintho, Orco, Dio, Aedepso, Ocha, Oechalia: nunc Chalcide, cuius ex aduerso in continenti Aulis est; Geræsto, Eretria, Carysto, Oritano, Artemisio, fonte Arethusa, flumine Lelanto, aquisque calidis, quæ Ellopiæ vocantur, nobilis: notior tamen marmore Carystio.* Scylax Caryandensis pag. 50 τετράπολιν vocat, id est, quatuor oppidis constantem insulam. Μετὰ δὲ Ἄνδρον Εὔβοια νῆσος, αὕτη τετράπολις. Εἰσὶ δὲ ἐν αὐτῇ Κάρυστος, Ἐρέτρια καὶ λιμήν, Χαλκὶς καὶ λιμήν, Ἑστιαῖα καὶ λιμήν. *Post Andrum est Eubœa insula, in qua vrbes quatuor, quæ sunt hæ: Carystus, Eretria cum portu, Chalcis cum portu, Hestiæa cum portu.* Nunc de singulis agendum est, & primum de promontoriis, & adiacentibus.

Insulæ Eubœæ australe latus duobus continetur promontoriis, *Geræsto* quod Atticam prospectat; & *Caphareo*, quod Hellespontum. *Geræstum*, Γεραιστόν, Plinius in promontoriis numerat, quem Solinus mutato genere sequutus est. *Cenæo promontorio*, inquit, *vadit in septemtrionem: duobus aliis in meridiem extenditur, quorum Geræstos spectat Atticam; Caphareus prominet in Hellespontum.* Subiacet oppidum eiusdem nominis cum portu. Plinius: *vrbibus clara, nunc Chalcide, Geræsto, Eretria, Carysto.* Strabo lib. X ineunte: Γεραιστὸς καὶ Πεταλία πρὸς Σούνιον, *Geræstus & Petalia Sunio opponuntur.* De vicina autem *Petalia* vix alius memorauit, nisi quod Plinius lib. IV cap. XII *Petaliæ quatuor insulas primo Euripi introitu* ponit, quas oppido Petaliæ obuersas esse, non licet dubitare. Sed de his infra. Stephano autem

tem Geræstus non oppidum, sed *κώμη Εὐβοίας*, *vicus Eubœæ* est. Portus enim illustrior quam habitationes. Liuius lib. XXXI cap. XLV *cetera classis Geræstum, nobilem Eubœæ portum, dum a Caryſto Iſſæi redirent, tenuit.* Et Homerus huius portus mentionem habuit Odyſſ. Γ verſ. 177

> - - - - - αἱ δὲ μάλ' ὦκα
> Ἰχθυόεντα κέλευθα διέδραμον, ἐς δὲ Γεραιςὸν
> Ἐννύχιαι κατάγοντο.

Hoc eſt: *illæ vero* [naues] *celeriter piſcoſas vias percurrerunt, & ad Geræſtum noctu deductæ ſunt.* Vbi ſcholiaſtes: Γεραιςὸς λιμὴν Εὐβοίας, *Geræſtus portus Eubœæ.*

Alterum huius lateris promontorium, in ortum magis recedens, Καφαρεὺς, Ionice Καφηρεὺς, *Caphareus*, ſiue *Caphereus*, tribus ſyllabis, vocatur, cuius ſitum ſupra Plinius delineauit. Herodotus lib. VIII cap. VII *ducentas naues, ne ab hoſte viderentur, miſerunt κατά τε Καφηρέα, καὶ περὶ Γεραιςὸν ἐς τὸν Εὔριπον, iuxta Caphereum & circa Geræſtum, in Euripum.* Mons periculoſus nauigantibus propter vortices, quos facit, & latentes circa eum ſcopulos. Seneca Agamemnone verſ. 558

> *Eſt humilis vnda, ſcrupeis mendax vadis,*
> *Vbi ſaxa rapidis clauſa vorticibus tegit*
> *Fallax Caphareus.*

Et Virgilius Aeneid. lib. XI verſ. 260

> - - - *Euboicæ cautes, vltorque Caphareus.*

Et Ouidius Triſt. lib. I eleg. I verſ. 83

> *Quicumque Argolica de claſſe Capharea fugit,*
> *Semper ab Euboicis vela retorquet aquis.*

Ac Silius Italicus lib. XIV verſ. 144

> *Euboici non per ſcopulos illiſa Caphareo*
> *Euripi magis vnda furit.*

Tertullianus quoque de Anima cap. LII adiectiua forma: *Vis eſt & illa nauigiis, quum longe a Caphareis ſaxis, nullis depugnata turbinibus, nullis quaſſata decumanis, adulante flatu, labente curſu, lætante comitatu, inteſtino repente perculſu cum tota ſecuritate deſidunt.* Stephanus: Καφηρεὺς, ἐπίνειον Εὐβοίας, *Caphareus, nauale Eubœæ,* ſed fallitur haud dubie. Omnes enim velut periculoſum

locum ac fugiendum deſcribunt: nemo alius vt portum aut navale.

In ſeptemtrione inſulæ extremo *Cenæum*, Κήναιον, promontorium, quod cum Geræſto longitudinem inſulæ dimetitur. Strabo lib. x ineunte: Παραμήκης ἐστὶν ἡ νῆσος ἐπὶ χιλίους σχεδόν τι καὶ διακοσίους σταδίους ἀπὸ Κηναίου πρὸς Γεραιστόν. *Inſula* [Eubœa] *oblonga eſt, a Cenæo ad Geræſtum porrecta ſtadiis circiter* CIↃ CC. Et mox: τὸ μὲν Κήναιόν ἐστι κατὰ Θερμοπύλας, *Cenæum Thermopylis opponitur.* Et Ptolemæus lib. III cap. XV Κήναιον ἄκρον, *Cynæum promontorium*, in ſumma inſula poſuit. Plinii de hoc verba ſupra propoſuimus.

Artemiſium eſt promontorium, vel litus, ad quod primum Græcorum cum Xerxe fuit prœlium commiſſum, quod ita etiam Diodorus Siculus in hoc prœlio lib. XI cap. XII nominauit. οἱ Ἕλληνες ὥρμουν ἐπ' Ἀρτεμισίῳ τῆς Εὐβοίας, *Græci*, inquit, *ad Artemiſium Eubœæ nauigabant.* Corn. Nepos Themiſtocle cap. III *primum apud Artemiſium inter Eubœam continentemque terram cum claſſiariis regis conflixit.* Eius neque Strabo, neque Ptolemæus mentionem fecit: vtique vero Plutarchus Themiſtoclis Vita pag. 115. Πέμπεται, inquit, μετὰ νεῶν ἐπ' Ἀρτεμίσιον τὰ στενὰ φυλάξων, *Mittitur* [Themiſtocles] *cum nauibus ad Artemiſium, vt fauces illas tueatur.* Et interiectis paucis: ἔστι δὲ τῆς Εὐβοίας τὸ Ἀρτεμίσιον ὑπὲρ τὴν Ἑστιαίαν αἰγιαλὸς εἰς βορέαν ἀναπεπταμένος· - - ἔχει δὲ ναὸν οὐ μέγαν Ἀρτέμιδος ἐπίκλησιν Προσηῴας, *Artemiſium Eubœæ eſt ſupra Heſtiæam in ſeptemtriones expanſum litus. Fanum non magnum habet Dianæ, cognominatæ Proſeœ*, id eſt Orientalis. An hoc Plinii *Artemiſium* ſit, vehementer dubitamus. Hic enim in oppidis numerauit, quod fortaſſis eſt Ptolemæi Ἀρτέμιδος ἱερὸν, *Dianæ fanum*, in medio litoris, ortum ſpectantis, locatum. Id quod vero Græcorum & Perſarum prœlio nomen dedit, αἰγιαλὸς, *litus* fuit ſecundum Plutarchum; vel vna mons a litore procurrens in mare, quemadmodum Suidæ & Harpocrationi Ἀρτεμίσιον ἀκρωτήριον τῆς Εὐβοίας, *promontorium* eſt inſulæ *Eubœæ.* Ptolemæo eſt etiam Λέων ἄκρον, *Leon promontorium;* & Καλὴ ἀκτὴ, *Cale Acte* ſeu *Pulchrum litus;* de quibus poſt paullò dicturi ſumus.

Oppidorum, vt rurſus ab auſtrali parte incipiamus, eſt primum *Caryſtus*, Κάρυστος, vt Ptolemæus poſuit, inter Caphareum &

& Geræstum. Consentit Stephanus, qui πρὸς τῷ Μυρτώῳ πελάγει, *ad mare Myrtoum* sitam esse tradidit. Nec Liuius abnuit, qui lib. XXXII cap. XVI ab Andro Eubœam ingressos primum ad Carystum venisse tradit: deinde ad Eretriam. *Hæ*, inquit, *circa Andrum insulam classes coniunctæ, Eubœam inde, exiguo distantem freto, traiecerunt. Carystiorum primum agros [illegible]starunt: deinde vbi Carystus, præsidio a Chalcide raptim misso, firma visa est, ad Eretriam accesserunt.* Pomponius *opulentissimam* dixit, scilicet marmoris copia, vnde columnæ cædebantur. Strabo post initium libri X, Κάρυστός ἐστιν ὑπὸ τῷ ὄρει τῇ Ὄχῃ, πλησίον δὲ τὰ Στύρα, καὶ τὸ Μαρμάριον, ἐν ᾧ τὸ λατόμιον τῶν Καρυστίων κιόνων. *Carystus sub monte Ocha sita est: in propinquo Styra, & Marmarium, vbi Carystiæ columnæ cæduntur.* Marmor illud columnis ponendis in primis commendabatur. Plinius lib. XXXVI cap. VI ex Cornelio Nepote tradit, *Mamurram primum totis ædibus nullam nisi e marmore columnam habuisse, omnes solidas e Carystio aut Lunensi.* Plinius alter lib. V epist. VI sect. 36 *Vitem quatuor columellæ Carystiæ subeunt.* Tibullus lib. III eleg. III

Quidue domus prodest Phrygiis innixa columnis,
Tænare siue tuis, siue Caryste tuis.

Strabo *Styra*, τὰ Στύρα, oppidum in propinquo locat, vt iam vidimus. Stephanus repetit Strabonis verba, Στύρα πλησίον Καρύστου. Thucydides lib. VII pag. 524 Χαλκιδῆς, καὶ Στυρεῖς, καὶ Καρύστιοι, *Chalcidenses, & Styrenses, & Carystii.* Quod addit Strabo *Marmarium*, non tam lapicidina videtur fuisse, quam oppidulum, seu vicus, iuxta quem marmor cædebatur, quia ipse a λατομίῳ, seu loco cædendi marmoris, distinguit. Stephanus: Μαρμάριον πόλις Εὐβοίας, *Marmarium, oppidum Eubœæ.* Carystium ergo vocatur illud marmor non a proximo loco, sed nobiliori. Vetus inscriptio apud Gruterum pag. 593 num. 8

HYMENÆVS CÆSARIS
SER. THAMYRIANVS A LAPIDICINIS
CARISTIIS FEC. SIBI ET THAMYRONI VTRICIO.

Sic Gruterus edidit. At Manutius qui ipse inspexit (nam Romæ exstat) A LAPICIDINIS, Orthograph. pag. 479. quod propius ad genium antiquitatis est. De his nihil Ptolemæus habet: proxime autem Carystum, Καλὴν ἀκτήν, *Calen acten*; qua

quid indicatum velit, litusne, vt nomen fert, an oppidum, quod ſeries ſuadet, incertum eſt. *Ocha* Plinii ſub monte *Ocha*, iuxta quem Caryſtum Strabo poſuit, videtur fuiſſe. *Ocha* autem μέγιϛον ὀρῶν, *mons maximus* Euboicorum, a quo & tota inſula *Ochę* olim dicta, vt Strabo refert principio libri x.

Antequam ad E[illegible]triam venitur, *Amarynthus*, Αμάρυνθος eſt, vicus Eretriæ, ſeptem ſtadiis ab vrbe Caryſtum verſus remotus. Strabo lib. x pag. 308 ταύτης [Ερετρίας] ἐϛὶ κώμη Αμάρυνθος, ἀφ' ἑπτὰ ϛαδίων τῦ τείχυς. *Huius* [Eretriæ] *pagus eſt Amarynthus, ſeptem ſtadiis a mœnibus.* Stephanus νῆσον Ἐυβοίας, *inſulam Eubœæ* vocat manifeſto errore, qui πόλις fortaſſe vel κώμη vel ſimile voluit dicere, immo debuit. Ptolemæus hunc ordinem ſeruat a Chalcide ad Caryſtum: *Chalcis*, *Eretria*, *Amarynthus*, *Leon promontorium*, *Cale acte*, *Caryſtus*. Quæ ſi recte ſe ſe habent (nec vero adparet vnde impugnentur) ſitus Amarynthi, & eorum quæ vtrimque attingunt, non obſcurus eſt. Dianæ heic cultus religioſus erat, atque hinc cognomen diuæ. Liuius lib. XXXV cap. XXXVIII *Sacrum anniuerſarium eo forte tempore Eretriæ Amarynthidos Dianæ erat, quod non popularium modo, ſed Caryſtiorum etiam cœtu celebratur.* Et Pauſanias Attic. cap. XXXI ἔϛιν Αμάρυνθος ἐν Ἐυβοίᾳ· καὶ γὰρ οἱ ταύτῃ τιμῶσιν Αμαρυσίαν Ἄρτεμιν, *Amarynthus eſt in Eubœa: ibi Amaryſia Diana colitur.*

Ipſa vrbs *Eretria*, Græce Ερετρία a Scylace, Strabone, Ptolemæo, Stephano, Polybio ſcribitur: ab Homero metri cauſſa Ἐιρετρία, Catalogi verſu 44 de Bœotiæ vrbibus:

Οἱ δ' Ἔυβοιαν ἔχον, μένεα πνέοντες, Ἄβαντες,
Χαλκίδα τ' Ἐιρετρίαν τε, πολυϛάφυλόν θ' Ιϛίαιαν.
Qui autem Eubœam colebant, robora ſpirantes, Abantes,
Et Chalcidem, Eretriamque, abundantemque vuis Iſtiæam.

Obiter notamus, *Abantes* Homeri eſſe Eubœæ incolas, τὺς ἀπὸ Ἐυβοίας, vt Strabo initio libri x & ſcholiaſtes interpretantur, quos οὐδέποτε, nuſquam aliter, aut ab inſula deducto vocabulo, denominauit. Hoc vero nomen ab *Abante* rege eſt, Neptuni, vt fingitur, filio.

Sed ad *Eretriam* reuertamur, vrbem amplam & peruetuſtam. Strabo poſt principium libri x Μετὰ τὴν Γέραιϛον Ερετρία πόλις μεγίϛη τῆς Ἐυβοίας μετὰ Χαλκίδα, *Poſt Geræſtum Eretria eſt*, *Euboi-*

Euboicarum urbium, præter Chalcidem, maxima. Antiquitatem Homerus iam probauit: quam & ὁ πάλαι ποτὲ γενόμενος πόλεμος Χαλκιδέων καὶ Ἐρετριέων, *vetus illud inter Chalcidenses & Eretrienses bellum*, quod Thucydides lib. I pag. 12 memorauit, confirmat. Maritima erat & probe munita. Liuius lib. XXXII cap. XVI *L. Quintius iussit, vt quæ ex sua classe venissent naues, Eubœam peterent. Eretria summa vi oppugnabatur: nam & trium iunctarum classium naues omnis generis tormenta machinasque ad vrbium excidia secum portabant.* Et arcem habuit, quo, capto muro, oppidani confugerunt. Ornatum & elegantiam ostendunt *signa, tabulæ priscæ artis, ornamentaque eius generis plura, quam pro vrbis magnitudine, aut opibus ceteris inuenta.* Oppidani Ἐρετριεῖς, vt supra Thucydides vocauit: Latine *Eretrienses.* Iterum Liuius lib. XXXV cap. XXXVIII *miserunt qui orarent Eretrienses Carystiosque.* Euersa a Persis, in loco proximo fuit instaurata, vt Strabo prodit: qui & scholam *philosophorum Eretriensium* in hac vrbe fuisse refert.

Quam Mela & Plinius *Oechaliam* memorant, vicina fuit Eretriæ, olim oppidum, deinde in pagum redacta. Strabo pag. 308 ἔστι καὶ ἡ Οἰχαλία κώμη τῆς Ἐρετριακῆς, λείψανον τῆς ἀναιρεθείσης ὑπὸ Ἡρακλέους, *Est & Oechalia pagus Eretriensis agri, reliquiæ oppidi ab Hercule deleti.* Cuius nominis & alia sunt, in Trachinia, & apud Triccam, & in Arcadia.

Chalcis sequitur ad Euripum, Græce Χαλκίς, hodie *Negroponte*, præcipua huius insulæ. Strabo ibidem: Νυνὶ μὲν ὁμολογουμένως ἡ Χαλκὶς φέρεται τὰ πρωτεῖα, καὶ μητρόπολις αὕτη λέγεται τῶν Εὐβοέων· δευτερεύει δ' ἡ Ἐρετρία, *Nunc quidem citra controuersiam Chalcis principem dignitatem obtinet, & primaria Eubœæ vrbs dicitur: secundo loco Eretria est.* Plinius lib. IV cap. XII *Eubœa vrbibus clara quondam - - - nunc Chalcide, cuius ex aduerso in continenti Aulis est.* Et Liuius lib. XXXV cap. XXXVII *Herodorus traiicere in insulam Atalantam iussus, vt inde, quum pedestres copias adpropinquare iam Aulidi atque Euripo sensisset, Chalcidem traiiceret. ipse ceteras copias nocturnis maxime itineribus, quanta poterat celeritate, Chalcidem ducebat.* Propter situs commoditatem & munimentorum robur hæc vna ex tribus vrbibus est, quas rex Philippus, Demetrii filius, πέδας Ἑλληνικάς, *compedes Græciæ* adpel-

lasse fertur apud Polybium excerpt. lib. XVII cap. XI. Sunt autem Demetrias, Chalcis, & Corinthus. Oppidani Χαλκιδεῖς, vt supra Thucydides dixit: Latine *Chalcidenses*, vt Liuius lib. XLIII cap. VII seq. Tractus hic insulæ a Geræsto ad Aulidem siue Chalcidem obiectam, Strabo dixit lib. X ineunte τὰ κοῖλα τῆς Εὐβοίας; *Caua Eubœæ*, propter situm, quia ibi κολποῦται ἡ παραλία, *ora maritima sinuatur*: ab Chalcide vero κυρτοῦται πάλιν πρὸς τὴν ἤπειρον, *rursus curuatur in continentem*.

Supra Chalcidem Ptolemæus ponit Ἄιδιψον, *Aedipsum*, quod *Aedepsum* Plinius, Αἰδηψὸν Strabo & Stephanus scripserunt, qui consensus haud dubie genuinum nomen nobis prodit. Strabo lib. I pag. 41 τὰ θερμὰ τὰ ἐν Ἀιδηψῷ, *aquæ calidæ in Aedepso*. Stephanus: Ἀιδηψὸς, πόλις Εὐβοίας, *Aedepsus Eubœæ oppidum*.

Inter Aedepsum & extremum insulæ promontorium, Cenæum, Ptolemæus interposuit Αταλάντης νησίον, *Atalantæ Nesium*, tamquam locum in continente, quamuis parua insula vocetur: quod, & Melæ oppidum *Nesos*, an idem sit, non possumus diiudicare, quamuis non inprobabile nobis videtur. *Atalantes* cognomen ex vicina insula Euripi est, quam ante paullo in *Chalcide* ex Liuii XXXV cap. XXXVII nominabamus. De eadem Thucydides lib. III pag. 233 περὶ Αταλάντην τὴν ἐπὶ Λοκροῖς τοῖς Οπουντίοις νῆσον, *circa Atalantem iuxta Locros Opuntios insulam*. Plinius lib. II cap. XC a continente abruptam. Sed de hac postea.

Liuius in hoc tractu *Oreum* vrbem [Ὠρεὸν] laudat, eiusque situm lib. XXVIII cap. V ita ponit: *classem in Eubœam ad vrbem Oreum transmittunt, quæ ab Demetriaco sinu Chalcidem & Euripum petenti ad læuam prima vrbium Eubœæ posita est.* Idem lib. XXXI cap. XLVI *Inde consultari de Oreo oppugnando cœptum. Valida et ciuitas & mœnibus, & quia ante fuerat tentata, firmo erat præsidio.* Et paucis interpositis: *Oreum diuersi, Romani & rex Attalus, oppugnabant: Romani a maritima arce; regii aduersus vallem inter duas iacentem arces, qua & muro intersepta vrbs est.* Stephanus: Ὠρεὸς πόλις Εὐβοίας. Hæc eadem est quæ quondam *Istiæa* vel *Hestiæa* nuncupata fuit. Supra ex Homero in *Eretria* id nomen ostendimus: etiam ex Pomponii Melæ lib. II cap. VII. Non autem diuersas vrbes esse, Strabonis & Pausaniæ auctoritate probamus. Ille lib. X sub initium: Ὠρεῖται ὠνομάσθησαν ὕστερον οἱ

Ἱστιαιεῖς,

Ἰστιαιεῖς καὶ ἡ πόλις ἀντὶ Ἱστιαίας Ὠρεός. *Istiæenses postea vocati sunt Oritæ, & vrbs pro Istiæa Oreus dicta fuit.* nec vero pristinum nomen fuit omne abrogatum. Pausanias Achaic. cap. XXVI κατ' ἐμὲ ἦσαν ἔτι, οἱ Ὠρεὸν τὴν ἐν Εὐβοίᾳ τῷ ὀνόματι Ἑστιαίαν ἐκάλουν τῷ ἀρχαίῳ. *Adhuc mea ætate fuerunt, qui Oreum in Eubœa veteri vocabulo Hestiæam adpellarent.* Plinius in iis *Oreum* vrbibus numerat, quæ quondam claræ fuerint: sua ætate deletæ, aut redactæ in pagos. Sed ex iam citatis Pausaniæ verbis adparet, illius adhuc ætate, forte minus claram, superfuisse. De *Cenæo*, quod sequitur, promontorio supra dictum est: de *Euripo* in Bœotia, a qua Eubœam abrumpit.

Hactenus de ora, quæ Bœotiam spectat, ad fretum, quod *Euripum* vocant, posita: septemtrionem claudit fretum breuius, prospiciens in Thessaliam, ad quod *Artemisium* est promontorium vel litus, de quo supra in huius insulæ promontoriis dictum est. In eodem etiam Δῖον est, *Dium*, Ptolemæo ἄκρον, promontorium: Straboni oppidum, supra vel vltra Cynæum promontorium, *Dion* nomine, quia coloniam inde deductam Canas Aeolidis tradit. ἐπ' αὐτῷ, inquit, (intellige Κηναίῳ, *Cenæo*,) τὸ Δῖον, - - - ἐκ δὲ τοῦ Δίου Κάναι τῆς Αἰολίδος ἀπῳκίσθησαν, *Supra illud* [Cenæum] *Dium est: - - a Dio Canæ Aeolidis deducta colonia.* Stephanus quoque oppidum dixit, quamquam mutato genere: Δία, πόλις Θεσσαλίας, Αἰακοῦ κτίσμα· β', Θρᾴκης κατὰ τὸν Ἄθω· γ, Εὐβοίας. *Dia vrbs Thessaliæ Aeaci opus: secunda Thraciæ iuxta Atho: tertia Eubœæ.* Addit Strabo *Athenas Diades*, Eubœæ oppidum, post initium libri X, τὸ Δῖον, καὶ Ἀθῆναι αἱ Διάδες, κτίσμα Ἀθηναίων, ὑπερκείμενον τοῦ ἐπὶ Καῦνον πορθμοῦ, *Dium*, & *Athenæ Diades*, *opus Atheniensium*, *positum supra fretum quod ad Caunum est.* Suspecta vox Καῦνον Casaubono, quamquam nihil ipse definit: Latinus autem interpres *Cenæum*, Κήναιον, substituit. Stephanus in Ἀθῆναι: Huius nominis vrbs ἕκτη Εὐβοίας, Δίαντος κτίσμα, *sexta Eubœæ, Diantis opus:* quod ab Ephoro habet. Dias autem ipsi est filius Abantis. Potest etiam cognomen Διάδες, *Diades*, a Dio esse, quasi Athenæ Dio promontorio & oppido vicinæ.

Latus quod Aegæum mare tangit, minus, quam cetera, notum est, & si Ptolemæo, qui solus aliquid delineauit, habenda fides in oppidis & promontoriis est, post Dium *Phalasia* promon-

torium eſt: deinde Ὠρεῖος, *Horæus*, forte oppidum: poſt quod Ἀρτέμιδος ἱερὸν, *Dianæ fanum*, ſitu diuerſum ab Artemiſio, Græcorum pugna aduerſus Perſas nobilitato, de quo ſupra dictum eſt: tum demum Κήρινθος, *Cerinthus* paullo notior, eſt, quam Strabo ineunte lib. x dicit ab Ellope, Ionis filio conditam: Plinius in *quondam claris* Eubœæ vrbibus numerauit; ſua autem ætate aut non ſuperſtitem, aut minus claram. Homerus Catalog. verſ. 45

> Κήρινθόν τ' ἔφαλον, Δίου τ' αἰπὺ πτολίεθρον,
> *Cerinthumque maritimam, & Dii altum oppidum.*

Et Apollonius Rhodius lib. I Argonaut. verſ. 79

> - - - - - - ὁ μὲν ἔμελλε
> Νοστήσειν Κήρινθον ὑπότροπος,
> *Non reuerſurus erat Cerinthum redux,*

Canthus ſcilicet ex Eubœa miſſus. Deinde Ptolemæus *Budori*, Βουδόρου, fluminis oſtium ponit, quod Χερσόνησος ἄκρα, *Cherſoneſus promontorium* excipit: a quo ipſe Κοῖλα Εὐβοίας, *Caua Eubœæ*, tamquam oppidum locauit, quæ campum eſſe late patentem, a Geræſto ad Chalcidem vſque, ſupra, Strabone auctore, demonſtrauimus.

Ex mediterraneis Eubœæ perpauca memoriæ ſunt tradita. *Ellopia*, Ἐλλοπία, ab Ellope, de quo diximus, condita, ἐν τῇ Ὠρίᾳ καλουμένῃ τῆς Ἱστιαιώτιδος πρὸς τῷ Τελεθρίῳ ὄρει, *in Oria Iſtiæenſis regionis ſub monte Telethrio.* Ager autem Iſtæenſis in ſeptemtrione eſt inſulæ, qui δρυμὸν habet, id eſt *ſiluam* iuxta locum in quo fuit Ellopia, quæ omnia oſtendunt, intus non in ora illud χωρίον ſiue oppidum fuiſſe. Ellopenſes poſtmodum Iſtiæam commigrarunt, a Philiſtida tyranno coacti, poſt Leuctricam pugnam. Hæc ex Strabonis x ineunte. Plinius lib. IV cap. XII *aquas calidas, quæ Ellopiæ vocantur*, commemorauit. Alias autem has eſſe ab iis, quas Strabo in *campo Lelanto* ponit, diuerſitas locorum arguit: quia Ellopiæ in ſeptemtrione prope Iſtiæam & Ellopenſium ſedem ſunt: Lelantiæ Strabonis ſupra Chalcidem. Sic enim pag. 308 ait: ὑπέρκειται τῆς τῶν Χαλκιδέων πόλεως τὸ Λήλαντον καλούμενον πεδίον, ἐν δὲ τούτῳ θερμῶν τε ὑδάτων εἰσὶν ἐκβολαὶ πρὸς θεραπείαν νόσων εὐφυεῖς, οἷς ἐχρήσατο καὶ Σύλλας Κορνήλιος ὁ τῶν Ῥωμαίων ἡγεμών. *Supra Chalcidem ſitus eſt campus Lelantus, in quo aquæ calidæ*

lidæ erumpunt ad sanandos morbos aptæ, quibus etiam Cornelius Sulla, Romanorum imperator est vsus. Plinius quidem cum aquis suis Ellopiis coniungit *flumen Lelantum*, vt videri possint eædem esse quæ sunt Straboni in campo Lelanto. Sed verendum est, quod etiam in mentem Harduino venit, ne Κάλλαντα ποταμὸν, *flumum Callantem* Strabonis, qui petram, in qua Ellopia erat, præterfluit, cum *Lelanto* campo vel flumine Plinius confuderit: nec ita coniunxit flumen & thermas Plinius, vt vno in loco necesse sit existere; sed vt alia separanda commiscet, ita & hæc ipsa verba non incommode diuidentur: *Eubœa - - -* fonte Arethusa, *flumine Lelanto, aquisque calidis, quæ Ellopiæ vocantur, nobilis: notior tamen marmore Carystio.*

Antequam ex Euboica prouincia decedam, lubet antiqua nomina insulæ, auctoribus Strabone ac Plinio, adiungere. Ille ineunte libro x de Eubœa ita: ὁ μόνον Μάκρις ἐκλήθη ἡ νῆσος, ἀλλὰ καὶ Ἀβαντίς. - - - καὶ Ὄχη δὲ ἐκαλεῖτο ἡ νῆσος· καὶ ἔστιν ὁμώνυμον αὐτῇ τὸ μέγιστον τῶν ἐνταῦθα ὀρῶν. Καὶ Ἐλλοπία δ' ὠνομάσθη ἀπὸ Ἔλλοπος τοῦ Ἴωνος. *Non modo Macris vocatur hæc insula, verum etiam Abantis. Quin & Oche adpellata fuit: quod nomen maximi Euboicorum montium est: & Ellopia nominata ab Ellope Ionis filio.* Plinius lib. IV cap. XII *Antea vocitata est Chalcis, aut Macris, vt Dionysius & Ephorus tradunt: vt Aristides, Macra: vt Callidemus, Chalcis, ære ibi primum reperto: vt Menæchmus, Abantias: vt poetæ vulgo, Asopis.* Dionysii, ad quem prouocat, verba sunt Perieges. vers. 520

Εὐρώπης δ' ἤτοι μὲν Ἀβαντιὰς ἔπλετο Μάκρις.

Europæ porro Abantias est Macris.

De minoribus insulis circa Eubœam, quæ ad dextram sunt, postea in Aegæo dicemus: quæ ad sinistram in Euripo, de iis Plinius lib. IV cap. XII sect. 23 *In Euripo Euboico, primo fere introitu, Petaliæ quatuor insulæ, & in exitu Atalante.* Scopuli videntur illæ *Petaliæ* insulæ esse, quia nullæ ibi notabiles obseruantur. Denominantur a vicino oppido Petalia, de quo supra ex Strabonis initio libri x, Γεραιστὸς καὶ Πεταλία πρὸς Σούνιον, *Geræstum & Petaliam*, Eubœæ oppida, *Sunio*, Atticæ promontorio, obuersa esse. De *Atalanta* supra memorauimus quum Ptolemæi *Atalantæ Nesion* explicaremus.

CRETA.

Creta, Κρήτη, eſt altera maximarum, quæ ad Græciam ſunt, inſularum, inter Aegæum & Cyrenaicum mare a Peloponneſo pæne vſque ad Aſiæ fines protenſa, latitudine nusquam quinquaginta millia paſſuum excedens, longitudine implens CCLXX millia. Plinius lib. IV cap. XII ſect. 20 de ſitu & nominibus: *Creta altero latere ad auſtrum, altero ad ſeptemtrionem verſa, inter ortum occaſumque porrigitur, centum vrbium clara fama. - - - Crates primum Aeriam dictam: deinde poſtea Curetin; & Macarôn nonnulli temperie cœli adpellatam exiſtimauere.* MACARÔN, puta inſulam, quod Solinus cap. XI Græce ſcripſit: *Nonnulli etiam a temperie cæli* Μακάρων νῆσον *adpellatam prodiderunt.*

Promontoria Cretæ ſic Strabo lib. X pag. 327 deſcripſit: τῶν ἄκρων τὸ μὲν ἑσπέριόν ἐστι τὸ περὶ Φαλάσαρνα, πλάτος ἔχον διακοσίων σταδίων, καὶ εἰς δύο ἀκρωτήρια μεριζόμενον, ὧν τὸ μὲν νότιον καλεῖται Κριοῦ μέτωπον· τὸ δ' ἀρκτικὸν Κίμαρος· τὸ δ' ἑῶον Σαμώνιόν ἐστι, ὑπερπίπτον τοῦ Σουνίου οὐ πολὺ πρὸς ἕω. Senſus eſt, latus occidentale duobus promontoriis contineri, quorum ſeptemtrionale *Cimarus* (aliis *Cyamon;*) auſtrale *Criu metopon*, quaſi frons arietis: orientale autem *Samonium*, quod paullo longius, quam Sunium in Attica, in ortum ſolis verſus excurrat. De his & inſulæ ſitu ac antiquitatibus præclare Mela lib. II cap. VII *Super eas* [Cyclades] *iam in medio mari, ingens & centum quondam vrbibus habitata Crete, ad orientem promontorium Samonium, ad occidentem* Κριοῦ μέτωπον *immittit: niſi maior eſſet, Cypri ſimilis: multis famigerata fabulis, aduentu Europæ, Paſiphaes & Ariadnæ amoribus, Minotauri feritate fatoque, Dædali operibus & fuga, Tali ſtatione atque morte: maxime tamen eo, quod ibi ſepulti Iouis pæne clarum veſtigium ſepulcrum eſt, cui nomen eius inſculptum eſſe accolæ oſtendunt. - - - Inter colles, quod ibi nutritum Iouem accepimus, fama Idæi montis excellit.* De hoc monte Strabo: ἐν μέσῳ ἐστὶ κατὰ τὸ εὐρυχωρέστατον τῆς νήσου τὸ Ἰδαῖον, ὄρος ὑψηλότατον τῶν ἐκεῖ, περιφερὲς δ' ἐν κύκλῳ σταδίων ἑξήκοντα· περιοικεῖται δ' ὑπὸ τῶν ἀρίστων πόλεων. *In medio* [inſulæ] *qua latiſſima eſt, mons eſt Idæus altiſſimus omnium qui in ea ſunt, rotundus ambitu ſtadiorum ſexaginta: circumiacent vrbes nobiliſſimæ.* Ab occaſu ſitos *Leucos montes*, Λευκὰ ὄρη, quaſi Albos, memorat, quos dicit altitudine vel Taygetum coæquare. Plinius quatuor recen-

recenset montes huius insulæ. *Montes*, inquit, *Cadistus*, *Idæus*, *Dictynnæus*, *Corycus*. Positio *Idæi* montis iam Strabone indicante innotuit, cui Ptolemæus consentit, qui Ἴδην, *Idam* vocat, quemadmodum alibi etiam Strabo, & Solinus: *Dictynnæus* & *Cadistus* sunt ex *Leucis*, quos supra memorauimus, positis ad occasum insulæ. Solinus cap. XI *Albet* [Creta] *iugis montium Dictynnæi & Cadisti, qui ita excandescunt, vt eminus nauigantes magis putent nubila.* Dictynnæus ergo non est *Dictæus* siue *Dicte*, in quo recte Strabo Callimachum notauit, qui hymno in Dianam vers. 199 ὄρος Δικταῖον, *Dictæum montem* a Dictynna nympha denominauit. *Dictæus* enim est *Dicte*, ἡ Δίκτη, mons æque Strabonis ac Ptolemæi sententia in ortiua parte insulæ: Dictynnæus autem in occidua. Dicæarchus in Creta:

> Ὄρος τε Δικτύνναιον ἐπὶ δυσμὰς φέρον,
> *Mons Dictynnæus in occasum tendens.*

Hic Dianæ sacer, quæ Dictynna: at Dicte Ioui, cuius antrum æque in fabulis monti Dictæ ac Idæ tribuitur, Virgilius Georg. IV vers. 151 - - - *apes*

> *Curetum sonitus crepitantiaque æra sequutæ*
> *Dictæo cæli regem pauere sub antro.*

Mons tandem *Corycus*, quem Plinius nominauit, est Ptolemæi Κώρυκος ἄκρα, *Corycum promontorium*, in extremo occidente huius insulæ. Atque hæc de montibus.

Oppidis ita abundauit Creta, vt centum rotundo numero dicatur habuisse. Scylax in Creta: λέγεται εἶναι ἑκατόμπολις, *dicitur centum vrbes habere.* Pomponius Mela: *ingens & centum quondam vrbibus habitata Crete.* Virgilius Aen. III vers. 104

> *Creta Iouis magni medio iacet insula ponto,*
> *Mons Idæus vbi, & gentis cunabula nostræ:*
> *Centum vrbes habitant magnas, vberrima regna.*

Et Horatius lib. III oda XXVII

> *Quæ simul centum tetigit potentem*
> *Oppidis Creten.*

Plinius quum *oppida eius insignia*, vt loquitur, enumerasset, viginti circiter in ora, & totidem mediterranea; adiecit: *& aliorum circiter* LX *oppidorum memoria exstat.* Homerus autem, quamuis in Catalogo vers. 156 etiam Κρήτην ἑκατόμπολιν, *Cretam centum* vr-

vrbium, nuncupasset, tamen Odyss. T XC tantummodo vers. 174

- - - ἐν δ', ἄνθρωποι

Πολλοί, ἀπειρέσιοι, καὶ ἐννήκοντα πόληες·

sunt in ea [Creta] *homines multi, infiniti & nonaginta vrbes.* Scholiastæ aiunt, interea decem ab Idomeneo vel Leuco euersas fuisse. Sed vix putandum aliquid certi in hoc numero statutum fuisse, & Meursius de Creta cap. V testatur, se centum circiter ac viginti in veteribus monimentis obseruasse. Nos ducem Ptolemæum sequuti in πλευρὰς, *latera* oram maritimam distribuemus, inde postea transituri ad mediterranea.

Latus occidentale Ptolemæus coarctat promontoriis *Coryco* & *Criumetopo*: alii, non inuito Strabone, vsque ad Capo di Spada, quod *Cyamum* Ptolemæi, *Ciramum* Strabonis est, extendunt. Diuersitas inde est, quod etiam hodie non vno modo figura insulæ Cretæ proditur. Nobis *Cyamum* communis terminus sit occidentalis & septemtrionalis laterum, quod *Cimarum*, Κίμαρον, Strabonis esse, non dubitamus, quia loco conueniunt, ex parte etiam litteris ac vocabulo, licet definire non possimus, Strabonisne an Ptolemæi scriptura, silentibus ceteris, sit præferenda.

Ab illo promontorio proximum Δίκταμνον, *Dictamnum* Ptolemæi est, quod corruptum ex *Dictynna* Melæ videtur, cui lib. II cap. VII post alia Cretæ oppida sunt *Cydonia, Marathusa, Dictynna.* Strabo etiam lib. X pag. 330 Cydoniam & Dictynnæum fanum coniungit. τῆς μέν τοι, inquit, Κυδωνίας ὄρος ἐςὶ, ἐν ᾧ ἱερὸν ἐςὶν ȣ̓ Δικταῖον, ἀλλὰ Δικτύνναιον. Κυδωνία δ' ἐπὶ θαλάττῃ μὲν ἵδρυται, βλέπȣσα πρὸς τὴν Λακωνικήν. *Apud Cydoniam mons est Tityrus, in quo templum non Dictæum, sed Dictynnæum. Cydonia autem ad mare sita est, Laconicam spectans.* In qua ora fuit mons ille, ex quo nympha *Britomartis*, Minois amores fugiens εἰς δίκτυα, in piscatorum *retia* præcipitasse se fingitur, vt Callimachus hymno in Dianam, & Strabo lib. X pag. 330 referunt.

Post Dictamnum vel Dictynnam Ptolemæo est *Psacum* promontorium, quo loco nunc tabulæ Spachio promontorium referunt: deinde oppidum *Cisamus*, Κίσαμος πόλις, nauale Apteræ. Strabo lib. X pag. 330 Ἀπτέρας ἐπίνειόν ἐςι Κίσαμος. Plinius in oppidis Cretæ, *Cysamum*, littera Græca scripsit. Sed in Notitia Episco-

Episcopatuum scribitur ὁ Κισάμε, *Cisami episcopus.* Hodie Chisamo.

A Cisamo proximum est promontorium *Corycum*, & forte oppidum sub eo. Ptolemæus: Κώρυκος ἄκρα καὶ πόλις, *Corycus promontorium & oppidum.* Stephanus: ἔστι καὶ ἀκρωτήριον Κρήτης Κωρυκίη, *est quoque promontorium Cretæ Corycia*: oppidi nullam mentionem facit. Plinio *Corycus* inter montes est Cretæ, vt supra vidimus.

Phalasarna oppidum excipit, Φαλάσαρνα, Plinio *Phalasarne.* Memorat Strabo dicto loco: & Polybius Excerpt. Legat. cap. XLV τὴν Φαλασάρναν ἀφεῖναι, *Phalasarna excedere.* Plurale est secundum Scylacem, ἀπὸ Φαλασάρνων, *a Phalasarnis.* Et Dicæarchus in Creta.

> - - - - Φασὶ δ' ἐν Κρήτῃ πόλιν
> Εἶναι Φαλάσαρνα, κειμένην πρὸς ἥλιον
> Δύνοντα, κλειστὸν λιμέν' ἔχουσαν, καὶ ἱερὸν
> Ἀρτέμιδος ἅγιον, καὶ καλεῖσθαι τὴν θεὸν
> Δίκτυναν.

Aiunt in Creta vrbem esse Phalasarna, sitam ad solem occidentem, portum habentem, qui claudi possit; ac templum Dianæ, & deam illam Dictynnam vocari. Sed singulari numero vsi sunt Polybius & Plinius, vt modo vidimus: etiam Strabo de Polyrrhenis: ἀπέχουσι Φαλασάρνης σταδίους ἑξήκοντα, *distant a Phalasarna stadiis* LX. Inde Ptolemæi ordo Χερσόνησον, *Chersonesum* ponit, id est oppidum in peninsula. Stephanus: Τετάρτη Χερρόνησος κατὰ Κρήτην νῆσον, ἔχουσα πολισμάτιον ὁμώνυμον, *Quarta Chersonesus iuxta Cretam insulam est, habens oppidum eiusdem nominis.* Eustathius Lycti navale dixit: Strabo fanum nymphæ Britomartis habere. Pausanias Eliac. II cap. XVI Philonidem, Olympici certaminis victorem, dicit γένος ἐκ Χερρονήσου τῶν Κρητῶν, *patria ex Chersoneso Cretensium* fuisse. Inter hanc & Criumetopon Ptolemæus *Inachorium*, obscurum locum posuit.

Tum *Criu metopon*, Κριοῦ μέτωπον, id est, arietis frons, celebre promontorium, claudit latus occidentale. Scylax: Ἀπὸ δὲ Φαλασάρνων Κριοῦ μέτωπόν ἐστιν ἀκρωτήριον, *Post Phalasarna est Criumetopon promontorium.* Strabonis & Melæ verba supra sunt prolata. Ptolemæi ordo est quem posuimus. Plinius dicto loco: *ad*

ad occidentem Criumetopon Cyrenas versus expellit. nam limes est & terminus inter occidentale latus & australe. Dionysius Perieg. vers. 87

> Καὶ Κρήτης ἄκρης, ἥτ' εἰς ἅλα πουλὺ νένευκε,
> Πάρ θ' ἱερὴν Γόρτυνα καὶ ἠπειρῶτιδα Φαιστὸν,
> Πετραίηνῆς, κριοῦ παμφαίνουσα κάρηνον·
> Τοὔνεκά μιν καὶ Κριοῦ ἐφημίξαντο μέτωπον.

Et Cretensis promontorii: quod in mare valde prominet, & iuxta sacram Gortynam ac mediterraneam Phæstum, praeruptum, arietis adsimilans caput: ideoque ipsum vulgo Arietis dixerunt frontem. Licentiæ poetarum condonandum est, quod Phæstum & Gortynam, longius remotas vrbes, πάρ, *iuxta* dicit sitas esse.

Meridiani lateris vrbs prima secundum Ptolemæum Λισσὸς, *Lissus* est, quæ *Lissa*, Λίσσα, vt Vossius emendat, in Periplo Scylacis. Deinde *Tarbam* ponit, Τάρβα, quæ Meursio videtur Τάῤῥα, *Tarrha* legenda esse, quam Stephanus habet, & oraculi versus apud Eusebium Præpar. Euang. lib. V cap. XXXI

> Φαιστοῦ καὶ Τάῤῥας ναέται, Δίου τε πολυῤῥου.
> *Phæsti & Tarrhæ habitatores, & Dii circumflui.*

Præteritis *Pœcilasio*, obscuro oppido, & *Hermæa* promontorio, sequitur Φοινικοῦς λιμὴν, *Phœnicûs portus*, vt Ptolemæus vocat, cui Stephanus oppidum adiungit: Φοινικοῦς πόλις Κρήτης, *Phœnicûs*, inquit, *oppidum Cretæ.* Ptolemæus autem oppidum portui ab ortu adponit, quod Φοῖνιξ, *Phœnix* vocetur: quo nomine diuinus scriptor Act. Apost. XXVII comm. 12 ipsum portum adpellat, εἰς Φοίνικα παραχειμάσαι, λιμένα τῆς Κρήτης, βλέποντα κατὰ Λίβα καὶ Χῶρον, *in Phœnice hibernare, portu Cretæ, qui Africum & Caurum spectat.* Vtroque ergo nomine & oppidum & portus *Phœnicûs* & *Phœnix* adpellabatur.

Post fluuiorum sunt ostia, *Massaliæ* & *Electræ*, quibus *Psychium* oppidum interpositum est, etiam a Stephano obseruatum: vltra quod *Matalia*, Ματαλία Ptolemæi est, de cuius vero nomine nihil certi inuenimus. In editis Strabonis libris est Μέταλλον, *Metallum*: in MSS. Meursio testante Μάταιον, vel Μάταλον, vel Μάρταλον: quo Plinii *Matium* laudatus Meursius, & qui sequuntur, referunt: quod idem mox Plinius contra *Diam* insulam ponit, quæ si Standia est, vt multi sentiunt, id quod postea discu-

tic-

tiemus; vtique *Matium* ad superius mare & septemtrionale latus, eiusque medietatem pertinebit. Sed quoquo modo *Metallum* illud Strabonis est scribendum, nauale Gortynæ fuisse, CXXX stadiis remotum ab illa, eodem auctore indicatum est.

Succedit *Leon* promontorium, Græce Λέων, a figura nominatum: & prope illud vrbs Λεβὴν Strabonis, Λέβηνα, *Lebêna* Ptolemæi, alterum nauale Gortyniorum & emporium, clarum Aesculapii templo. Strabo lib. x pag. 329 de Gortyna: διέχει τῆς Λιβυκῆς θαλάττης καὶ Λεβῆνος, τοῦ ἐμπορείου αὐτῆς ἐννενήκοντα, *distat ab Africo mari & Lebene nauali suo* XC *stadiis*. Plinius *Lebena*. Et sic Pausanias Corinth. cap. XXVI ἐκ τοῦ παρὰ Κυρηναίοις τὸ ἐν Λεβήνῃ τῇ Κρητῶν ἐστὶν Ἀσκληπιεῖον, *ad Cyrenaici similitudinem factum est Aesculapii templum, quod Lebenæ, Cretensi vrbe, exstat.* Hinc Λεβηναῖος, *Lebenæus*, possessiuum & gentile nomen. Philostratus lib. IV Vitæ Apollonii cap. XI ἐπορεύθη ἐς τὸ ἱερὸν τὸ Λεβηναῖον. ἔστι δὲ Ἀσκληπιοῦ· καὶ ὥσπερ ἡ Ἀσία ἐς τὸ Πέργαμον, οὕτω ἐς τὸ ἱερὸν τοῦτο ξυνεφοίτα ἡ Κρήτη· *ad fanum Lebenæum se contulit, quod est Aesculapii: vtque Pergamum Asia, ita in templum hoc tota Creta confluebat.*

Duo flumina dein occurrunt, quæ in mare Libycum effunduntur; vnum est *Catarractum*, minus notum; alterum *Lethæum*, a Gortyna metropoli delapsum. Strabo lib. x pag. 329 διαρρεῖ αὐτὴν [Γορτύναν] ὅλην ὁ Ληθαῖος ποταμὸς, *perfluit totam Gortynam amnis Lethæus*. Vibius Sequester de Fluminibus: *Lethæus insulæ Cretæ, ita dictus, quod Hermione, Veneris filia, Cadmi viri ibi oblita dicitur.*

Ab hoc proxima vrbs *Inatus*, Εἴνατος, vt Stephanus & Hesychius; siue Ἴνατος, vt Ptolemæus scripsit: qui post eam ponit Ἱερὰν πέτραν, *Hieram petram*, seu Sacrum saxum, quem locum plerique putant *Hierapytnam* Strabonis, Plinii, & Stephani esse. Videri quidem posset, mediterraneam *Hierapytnam* fuisse in Ida monte positam, quia Strabo lib. x pag. 325 dixit: τῆς Ἴδης λόφος πύτνα, ἀφ' οὗ Ἱεράπυτνα ἡ πόλις, *Pytna collis in monte Ida, a quo vrbs Hierapytna dicitur.* Verum hæc adpellationem inde habere potuit, quamquam alio loco posita, quem idem Strabo mox pag. 327 ostendit ad Libycum mare fuisse. ἀπὸ Μινώης, inquit, τῆς Λυκτίων εἰς Ἱεράπυτναν καὶ τὸ Λιβυκὸν πέλαγος· ἐν κόλπῳ δ' ἐστὶν ἡ πόλις,

ab Minoa in Lyctiorum tractu ad Hierapytnam & Libycum mare: vrbs ea in sinu est. Dio Cassius sub initium libri XXXVI vocat τὰ Ἱεράπυδνα: in Notitia Episcopatuum inter Cretenses episcopos est etiam ὁ Ἱεραπίδνης, mutata & altera littera. Stephanus ait, hanc vrbem prius *Cyrbam*, deinde *Pytnam*, item *Camirum*, denique *Hierapytnam* vocatam esse.

Tria Ptolemæi in hoc latere aûstrali supersunt explicanda, *Erythræum* promontorium, Ἐρυθραῖον ἄκρον, sub quo haud dubie posita vrbs *Erythræa*, quam Florus lib. III cap. VII inter insignes Cnossum & Cydoniam memorauit. Alterum est Ἄμπελος ἄκρα, *Ampelus promontorium.* Plinius dicto loco etiam oppidum eius nominis habet: *Ampelos*, inquit, *Hierapytna, Lebena.* Tandem Ἴταιος πόλις, *Itanus* oppidum est Ptolemæi, extremum huius lateris, prope *Samonium* promontorium: cuius etiam Stephanus meminit: & Herodotus lib. IV cap. CLI πέμπουσι ἐς Κρήτην ἀγγέλους, *mittunt in Cretam nuntios,* qui insulam pererrantes, ἀπίκοντο καὶ ἐς Ἴταιον πόλιν, *venerunt etiam in vrbem Itanum.* In hac extrema ora prope Samonium fuit etiam locus a portuum commoditate dictus Καλοὶ λιμένες, *Boni portus,* Act. Apost. cap. XXVII comm. 8, vbi adiicitur, ᾧ ἐγγὺς ἦν πόλις Λασαία, *cui propinquum erat oppidum Lasæa.* Ignota *Lasæa:* & Plinius quidem *Lasum* habet, sed in mediterraneis. Quum autem heic varient vetusti codices, Meursio suspectum id nomen est, nec vero suppetit, vnde genuinum restituatur.

Latus orientale duobus promontoriis a Ptolemæo includitur, *Samonio* & *Zephyrio.* Illud Græce Σαμώνιον ἄκρον. Strabo ἑῷον Σαμώνιον, *orientale Samonium* dixit, id est in ortum tendens lib. X pag. 327. Atque ita etiam Mela *Samonium*; Plinius *Sammonium* duplici littera adpellauit. Duplicatio non sine caussa, sed euphoniæ gratia litteram conuersam arguit, quia ex *Salmonium* factum est *Sammonium*, quod vsus postmodum scripsit *Samonium.* Dionysius verf. 110

> Μακρὸν ἐπ' ἀντολίην, Σαλμωνίδος ἄχρι καρήνου,
> Ἥν Κρήτης ἐνέπουσιν ἑῷον ἔμμεναι ἄκρην.

Longe in ortum, vsque ad Salmonidem promontorium, quod dicunt Cretæ esse promontorium orientale. Ex quo adparet, Pauli apostoli itinere act. XXVII ipsum Samonium significari promontorium

torium quum dicitur, ὑπεπλεύσαμεν τὴν Κρήτην κατὰ Σαλμώνην, *infra Cretam nauigauimus iuxta Salmonem.* Hodie corrupte Capo Salomon adpellatur.

Portûs inde est *Minoa*, Ptolemæi Μινῶα λιμὴν, ab vrbe *Minoa*, quam septemtrionali lateri inposuit, caute distinguendus. Portum ciuitas *Camara* excipit, Καμάρα πόλις, quæ etiam *Lato*, Λατὼ, dicta fuit, vt Stephanus ex Xenione refert. Sub Christianis episcopalis facta. Notitia ecclesiæ seu episcopatuum in Creta : ὁ Καμάρας, *Camaræ* episcopus.

Sequitur Ολȣ̃ς, *Olûs*, quæ praue Ὀλȣλις scripta a Ptolemæo est. Strabo, Scylax, Stephanus, Pausanias Ολȣ̃ς, *Olûs*. Hic etiam obliquo casu in Bœot. cap. XL de Dædali operibus, *duo lignea* ἐν Κρήτῃ, *in Creta supersunt*, Βριτομάρτις ἐπ' Ολοῦντι, καὶ Ἀθηνᾶ παρὰ Κνωσσίοις, *Britomartis* [simulacrum] *ad Oluntem ; & Mineruæ apud Cnossios.* Deinde *Chersonesus* est ; & *Zephyrium* promontorium, quo clauditur hoc latus orientale.

Septemtrionalis lateris secundum Ptolemæi dispositionem oppidum primum est *Heracleum*, Ἡράκλειον, quod Strabo lib. X pag. 328 Gnossiorum nauale dixit. Ἔχει, inquit, ἐπίνειον τὸ Ἡράκλειον ἡ Κνωσσός. Deinde *Panormus* est Ptolemæi, cuius etiam Plinius meminit : & *Apollonia*, quam non omnes codices Ptolemæi habent : quod vero Stephanus ex multis vnam Apolloniam ἐν Κρήτῃ πρὸς τῷ Κνωσσῷ, *in Creta iuxta Cnossum* locat, non dubitamus recte Ptolemæum in hoc loco, vt vulgatum est, se habere. *Cytæum*, Κυταῖον nunc Ptolemæus ponit, quod etiam Plinii est, sed alio ordine : *Panhormum*, *Cytæum*, *Apollonia*. Dein Δῖον ἄκρον, *Dium* promontorium : vltra quod *Pantomatrium*, Παντομάτριον eiusdem Ptolemæi, & Plinii, & Stephani. Excipit Ῥίθυμνα, *Rhithymna* apud eumdem, quo modo etiam Plinius scripsit : at Stephanus Ῥιθυμνία, *Rhithymnia* : nunc Retimo, contractiore vocabulo, quæ plurimorum est sententia.

Amphimales sinus, Ἀμφιμαλῆς κόλπος, Ptolemæi, putatur Golfo della Suda esse. Adiacens oppidum nomen dedit, quod Plinio est *Amphimalla ;* Stephano *Amphimallium* & *Amphimalla*, Ἀμφιμάλλιον & Ἀμφιμαλλα : Dicæarcho Ἀμφιμέλα, quod forte Ἀμφιμάλα est legendum.

Interiecto *Drepano* promontorio, Μινώα, *Minoa* vrbs est

Ptolemæi, etiam Stephano ethnicographo ex Perusino codice a C. V. Iac. Gronouio reddita. Plinius dixit *Minoum*. Opus Minois regis. Inde Πυκνȣ̃, *Pycni* fluuii ostia: & tandem *Cydonia*, Κυδωνία, vna ex tribus clarissimis Cretæ vrbibus Strabone iudice lib. x pag. 328 Πόλεις εἰσὶν ἐν τῇ Κρήτῃ πλείους μὲν, μέγιςαι δὲ καὶ ἐπιφανέςαται τρεῖς, Κνωσὸς, Γόρτυνα, Κυδωνία, *vrbes quidem plures sunt in Creta, tres autem maximæ clarissimæque, Cnossus, Gortyna, Cydonia*. Florus lib. III cap. VII metropolim dixit; quum Metellum ait insulam vastasse populo intra castella & vrbes redacto, *Cnossum, & Erythræam, & vt Græci dicere solent, vrbium matrem Cydoneam*. Cydoneam, secunda vocali quasi ex Κυδώνεια, vt Ptolemæus videtur scripsisse, in cuius libris corrupte legitur Κυδώνεις, quod nihil est in nominibus vrbium. Strabo autem & Stephanus Κυδωνία sine diphthongo. Accedit his Scylax: Κυδωνία καὶ λιμὴν κλειςὸς πρὸς βορέαν, *Cydonia cum portu clauso, ad boream*. Et Diodorus Siculus lib. v cap. LXXIX Κυδωνία ἐν τοῖς πρὸς ἑσπέραν κεκλιμένοις τόποις, *Cydonia in partibus insulæ ad occasum vergentibus*; nihilominus in latere septemtrionali. Plinius duabus syllabis *Cydon*, quasi altera forma *Cydonia* sit ex adiecto nomine, & *vrbs* subaudienda: Mela, quem is sequi solet, etiam *Cydonia*, vt Græci. Multorum consensu, quæ hodie *Canea* est, vrbs incluta & munita, fuit veterum *Cydonia*. Oppidani *Cydoniatæ*. Liuius lib. XXXVII extremo: *Cydoniatæ bellum aduersus Gortynios Gnossiosque gerebant*. Erant etiam Κύδωνες, *Cydones* ex antiquissimis populis Cretæ, qui occidentalem partem insulæ incolebant, vt Strabo ex Staphylo adfert lib. x pag. 327. Possessiua *Cydonius* & *Cydonêus*. Virgilius eclog. x verf. 59

> - - *libet Partho torquere Cydonia cornu*
> *Spicula*.

Et Silius Italicus lib. x verf. 261

> *Ecce Cydonea violatus arundine plantam.*

Cydoniam excipit *Cyamum* promontorium quod communem terminum occidentalis & septemtrionalis laterum supra constituimus. Plura quidem sunt Plinio huius insulæ maritima, sed dubiæ positionis, quia Ptolemæus prætermisit, nec aliunde sedes certior haberi potest. Sunt autem *Etêa*, *Pergamum*, *Matium*, *Miletus*, *Hierapolis*.

Ἠτεία,

Ἠτεία, *Etea* Stephano etiam tamquam Cretæ oppidum commendata, & patria Mysonis vnius ex VII Sapientibus Græciæ. Diogenes Laertius Vita eius: Εὐθύφρων Κρῆτα φησὶν εἶναι, Ἠτεῖαν γὰρ πόλιν εἶναι Κρήτης. *Euthyphron dicit Cretensem esse. Eteam enim oppidum esse Cretæ.*

Plinii *Pergamum*, dictum etiam *Pergamea*. Velleius principio opusculi, *Agamemnon, tempestate in Cretam insulam reiectus, tres ibi vrbes statuit, duas a patriæ nomine, vnam a victoriæ memoria, Mycenas, Tegeam, Pergamum.* Virgilius Aeneæ tribuit lib. III vers. 132

Ergo auidus muros optatæ molior vrbis,
Pergameamque voco.

Plutarchus Lycurgo extremo: Timæum & Aristoxenum tradere, ἐν Κρήτῃ καταβιώσαντα· καὶ τάφον Ἀριστόξενος αὐτοῦ δείκνυσθαι φησιν ὑπὸ Κρητῶν τῆς Περγαμίας, *in Creta diem obiisse: & Aristoxenus refert, Cretenses qui Pergamiæ habitant, sepulcrum eius ostendere.* Sita erat, vt Seruius ad Virgilii dictum locum notauit, *iuxta Cydoniam:* dextrorsum, sinistrorsum, in incerto relinquitur. Iuuat Scylax Seruium, qui Dictinnæum Dianæ templum, quod prope Cydoniam posuit Strabo, πρὸς βορέαν ἄνεμον τῆς χώρας Περγαμίας, *ad septemtrionem regionis Pergameæ* constituit.

Matium vulgo creditur esse *Candia*, vrbs princeps huius insulæ. Ita Pinetum sequuti Brietius, Baudrandus, Harduinus, alii. Nituntur Plinii verbis: *contra Matium Dia.* Persuasum enim habent, *Diam* insulam esse Standiam, quæ vrbi Candiæ obiecta est: quia Ptolemæus in illo pelago nullam propiorem posuerit. Addunt quod syllabæ posteriores conueniant, & vocabulum *Standia* prauatum videatur ex εἰς τὴν Δίαν. Nihil huius in mentem doctissimo Meursio venit, qui ad *Mataliam*, supra Libycum mare positam, referri posse existimat. Sed nec ipse firmiore argumento nititur, si quod est in quo nitatur, quod certe nullum attulit, nisi quosdam Strabonis codices pro Μέταλλον, quæ Ptolemæi Matalia censetur, habere Μάτιον. Ptolemæus sub Dia insula proxime *Cytæum* posuit, fere in loco Candiæ.

Miletus, Μίλητος, cuius & Homerus Catalogo meminit vers. 154, quo loco fuerit in ora insulæ, non adparet. Hanc tradunt matrem esse celebrioris Mileti in Caria. Strabo lib. XIV post

initium: Φησὶ δ' Ἔφορος τὸ πρῶτον κτίσμα εἶναι Κρητικῶν, ὑπὲρ θαλάττης τετειχισμένον, ὅπου νῦν ἡ παλαιὰ Μιλητός ἐστι Σαρπηδόνος ἐκ Μιλήτου τῆς Κρητικῆς ἀγαγόντος οἰκήτορας, καὶ θεμένου τοὔνομα τῇ πόλει τῆς ἐκεῖ πόλεως ἐπώνυμον. *Ephorus narrat Miletum principio a Cretensibus ad mare fuisse conditam, vbi nunc vetus est Miletus, Sarpedone e Cretensi Mileto eo ducente colonos, nomen vrbi idem, quod illius erat, imponente.* Et Apollonii Rhodii scholiastes ad lib. I vers. 185 οἱ δέ φασιν, ὑπὸ Σαρπηδόνος τοῦ Διὸς Μίλητον κτισθῆναι ὀνομασθεῖσαν ἀπὸ τῆς ἐν Κρήτῃ. *Quidam dicunt, a Sarpedone, Iouis filio Miletum conditam esse, nominatamque ab ea qua in Creta est.*

Tandem *Hierapolis* Cretæ Plinio laudata, memoratur etiam a Stephano, qui in hoc nomine ait: δευτέρα Κρήτης, *secunda vrbs eius nominis, in Creta est.*

MEDITERRANEA CRETAE.

Ptolemæo auctore mediterraneæ vrbes sunt *Polyrrhenia, Apteria, Artacina, Lappa, Subrita, Eleuthera, Gortyna, Pannona, Gnossus, Lyctus.* Adduntur plura ab Plinio, *Phæstum, Myrina, Lycastus, Rhamnûs, Dium, Asum, Polorus, Rytium, Elatos, Pharæ, Holopyxos, Lasos, Eleuthernæ, Therapne, Marathusa, Cylissos.* Accedant ab vtroque omissa *Elyrus, Oaxus.*

Quæ ab occasu prima est Ptolemæi Πολυῤῥηνία, Scylacis Πολυῤῥηνία, *Polyrrhenium* Plinii, cuius ciues sunt Πολυῤῥήνιοι, *Polyrrhenii* Polybio lib. IV cap. LIII & LXI; simplici littera apud Stephanum scribitur Πολύρην, *Polyren*; nec in nummis duplicatur. Stephanus enim; Πολύρην, πόλις Κρήτης. ἀπὸ τοῦ πολλὰ ῥήνεα, τουτέστι πρόβατα ἔχειν, *Polyren oppidum Cretæ, ita dictum quod multas oues habeat.* Nummus Reginæ Suecorum, ab illustri Spanhemio productus, ΠΟΛΥΡΗΝΙΩΝ: & clarissimi Wildii ΠΟΛΥΡΕΝΙΟΝ, *Polyreniorum*: cui similis est in thesauro serenissimi Electoris Brandenburgici, quem V. C. Laur. Begerus exhibet Tom. I pag. 398.

Deinde est Ἄπτερα, *Aptera*, cuius nauale fuit *Cisamus.* Strabo lib. X pag. 330 Ἀπτέρας ἐπίνειόν ἐστι Κίσαμος. Ptolemæus auget syllaba, Ἀπτερία scribens: sed tribus syllabis Ἄπτερα Strabo, Stephanus, Suidas: Plinius neutro genere *Apteron*, qui male in maritimis scripsit, quod nauale eius separatum probat Cisamus. Quæ sequi-

sequitur *Artacina* Ptolemæi, prauatum videtur Meursio ex *Hyrtacina*, quia Scylax Ὑρταχίνα, itidem praue Σ pro Τ; Stephanus Ὕρτακος, *Hyrtacus*.

Lappa Ptolemæi etiam sic vocatur a Dione Cassio sub initium libri XXXVI de Metello: καὶ μετὰ τοῦτο Λάππαν ἐκ προσβολῆς εἷλε, *postea etiam Lappam vi cepit*. Sed prius π ex μ est per euphoniam. Stephanus enim, Λάμπη, πόλις Κρήτης, Ἀγαμέμνονος κτίσμα, *Lampa, vrbs Cretæ, Agamemnonis opus*. Et Notitia Episcopatuum pluraliter ὁ Λαμπῶν, *Lamparum episcopus*. Oppidani apud Polybium sunt Λαμπαῖοι, *Lampæi*: & inscriptio vetus, quam Mabillon Musæo Italico pag. 33 ex lapide Romano descriptam dat, ΛΑΜΠΑΙΩΝ Η ΠΟΛΙΣ, *Lampæorum ciuitas*. Deinde Σούβριτα, *Subrita* Ptolemæi: Tabula Peutingeriana *Subriti*: Notitia Episcopatuum, ὁ Σουβρίτου, *Subriti episcopus*.

Eleutheræ Ptolemæi, Ἐλευθέραι: singulari apud Dionem Cassium ineunte lib. XXXVI Ἐλευθέραν τὴν πόλιν ἐκ προδοσίας ἑλών, *Eleutheram vrbem proditione capiens*. Hanc antea *Aoron* dictam tradit Stephanus in Ἄωρος; quamquam hic Ἐλευθήρα scripserit. Discernit Meursius *Eleutheram* ab *Eleutherna*: Holstenius ad Stephanum pro eadem vrbe habet; cui fidem possit facere, quod qui Eleutheram nominat siue Eleutheras, Ptolemæus, & Notitiarum auctores, Eleuthernam non agnoscant: & qui hanc habeant, careant nomine Eleutherarum siue Eleutheræ. Stephanus: Ἐλευθέρνα πόλις Κρήτης. Scylax: Ἐλεύθερναι πρὸς βορέαν, *Eleutherna ad septemtrionem*. Plinius quoque pluratiuo *Eleutherna*, in mediterraneis. Oppidani Ἐλευθερναῖοι, *Eleuthernæi*, apud Polybium lib. IV cap. LIII. Et nummus Reginæ Gothorum ab Spanhemio τῷ πάνυ productus, ΕΛΕΥΘΕΡΝΑΙΩΝ. Addo ex Peutingeriana Tabula, vt simul ordo ac situs non solum huius, sed aliarum etiam vrbium constet:

Cisamos VIIII *Lappa* XXXII *Eleuterna* VIII *Subriti* XXXII *Gortina*.

Ipsa *Gortyna*, Γόρτυνα, siue vt alii scribunt, Γόρτυν, *Gortyn*, vrbs incluta fuit, aliquando prima, quæ cum Gnosso de dignitate certauit. Homeri ætate muris cincta fuit, qui Catalogo vers. 153 dixit

Γόρτυνά τε τειχιόεσσαν,
Gortynem etiam muris cinctam.

postea

postea πάντα τὸν χρόνον μεμένηκεν ἀτείχιστος, *semper immunita fuit*, quod Strabo refert lib. x pag. 329. nec vero propter id minus clara, vtpote quæ Lebene nauali, Metallo emporio vsa fuit, ipsa flumine Lethæo adfusa, a mari Libyco distans stadiis xc, eodem Strabone obseruante. Eustathius ad Dionysii versum 88 tradit, conditam a Tauro, rege Cretensium, qui Europam rapuerit. Inde fabula, in qua Lethæi quoque fluminis est mentio. Solinus cap. XI *Gortynam amnis Lethæus præterfluit, quo Europam tauri dorso Gortynii ferunt vectitatam.* Nomen duplicis formæ est, *Gortyn* & *Gortyna*. Eustathius loco prædicto: Ὅτι ἡ Γόρτυν καὶ Γόρτυνα λέγεται τρισυλλάβως, καὶ τὸ μὲν κλίνεται Γόρτυνος, τὸ δὲ Γορτύνης. *Dicitur Gortyn, & Gortyna tribus syllabis: illud flectitur Gortynis; hoc, Gortynæ.* Homerus, Dionysius, Strabo duabus syllabis: tribus Scylax & Ptolemæus dixerunt. Et Lucanus lib. III vers. 186

- - *nec Eois peior Gortyna sagittis.*

Pannona Ptolemæi ignota est: *Cnossus*, seu *Cnosus*, Κνωσσὸς siue Κνωσός, omne punctum fert. Aliquando *Ceratus* dicta fuit a flumine præterlabente eiusdem nominis. Callimachus hymno in Dianam vers. 44

Χαῖρε δὲ Καίρατος ποταμὸς μέγα, - - -

Lætabatur Ceratus fluuius vehementer.

Scholiastes ibi: Καίρατος ποταμὸς Κρήτης, καὶ πόλις ἡ Καίρατος οὕτω λεγομένη, *Ceratus fluuius Cretæ, & vrbs eodem nomine dicta.* Strabo lib. x pag. 328 ἐκαλεῖτο ἡ Κνωσσὸς Καίρατος πρότερον, ὁμώνυμος τῷ παραῤῥέοντι ποταμῷ, *Cnossus prius vocata Ceratus, eodem nomine quo fluuius præterlabens.* Heic sepulcrum Iouis fuisse traditur. Lactantius lib. I cap. XI *Sepulcrum eius* [Iouis] *est in Creta, in oppido Cnosso.* Heic & *Labyrinthus* fuit. Pausanias Attic. cap. XXVII τὸν ἐν Κνωσσῷ Λαβύρινθον οἰκῆσαι, *Labyrinthum inhabitare qui in Cnosso est.* Augustana Tabula Cnoson XXIII millibus a Gortyna in ortum versus protulit. Potentiam ciuitatis & bella Polybius lib. IV cap. LIV descripsit. Nauali vsa Heracleo. Strabo pag. 328 ἔχει ἐπίνειον τὸ Ἡράκλειον ἡ Κνωσσός, *Cnossus nauale habet Heracleum.* Minois regia fuit, antiquissimi regis. Eustathius ad Dionysii vers. 501 Κνωσσὸς, βασίλειον Μίνωος. Gentile & possessiuum Κνώσσιος, *Cnossius.* Vide Polybium dicto loco: & Virgilii *Cnossia regna* Aen. III vers. 115, & *Cnossia stella corona* Georg. I vers. 222.

Sic

Sic scribo quia Græci Κνωσσὸς per κ; quod præstat quam c, quod in multis libris Latinorum est. At *Cnosus* etiam Tabula Peutingeri Augustana. Per c & simplex s. Wildii Tab. VI ΚΝΩΣΣΩΝ. nam *Cnosus* & *Cnosius* deriuatum nomen. Lucanus lib. III vers. 185

Creta vetus populis, Cnösasque agitare pharetras Docta.

Et Harduini, ΚΝΩΣΙΕΩΝ, etiam Σ simplo.

Lyctus, Λύκτος, Ptolemæi vltima mediterranearum. Sic & Strabo scripsit, & Scylax atque Stephanus: at Λύττος, *Lyttus*, Homerus Strabone teste (nostri libri Λύκτον habent) & Polybius, & nummus Tristani præ se ferens ΛΥΤΤΙΩΝ Η ΠΟΛΙΣ, *Lyttiorum ciuitas*. Polybii hæc sunt lib. IV cap. LIII Λύττος ἡ Λακεδαιμονίων μὲν ἄποικος οὖσα καὶ συγγενὴς, ἀρχαιοτάτη δὲ τῶν κατὰ Κρήτην πόλεων, ἄνδρας δ' ὁμολογουμένως ἀρίστους ἀεὶ τρέφουσα Κρηταιέων, *Lyttus Lacedæmoniorum colonia erat, & cognatione illi iuncta, omnium Cretæ vrbium antiquissima, ciuium educatrix, qui sine controuersia ceteris Cretensibus semper præstabant.* Lytto vero a Cnossiis deleta, in Lampæorum ciuitatem concesserunt Lyttii.

Ex additis Plinii præcipua est *Phæstus* siue *Phæstum*: illa plurium forma; hæc Plinii. Stephanus: Φαιστὸς, πόλις Κρήτης, ὀξυτόνως. *Phæstus vrbs Cretæ, accentu in vltima.* Scylax: πρὸς Νότον Φαιστὸς, *in meridiem Phæstus vergit.* Diodorus Siculus lib. V cap. LXXIX Φαιστὸν δ' ἐπὶ θαλάσσης, ἐστραμμένην ἐπὶ μεσημβρίαν, *Phæstum autem* [Minos condidit] *super mare, conuersam in austrum.* nec vero mare attigit, sed XX stadiis ab illo distabat, LX a Gortyna, XL a Metallo nauali, auctore Strabone. Quod etiam Dionysius confirmat vers. 88

Πάρ θ' ἱερὴν Γόρτυνα, καὶ ἠπειρῶτιδα Φαιστὸν,

Iuxta sacram Gortynem, & mediterraneam Phæstum.

Deinde *Lycastus* est. Stephanus Λύκαστος, πόλις Κρήτης. *Lycastus, vrbs Cretæ.* nec vero auctorem laudat nisi Homerum, qui Catal. vers. 154

Λύκτον, Μίλητόν τε, καὶ ἀργινόεντα Λύκαστον,

Lyctum, & Miletum, & albicantem Lycastum.

ἀργινόεντα, id est λευκόγαιον, alba terra præditam. Homerum Mela respexit, Melam Plinius. Olim enim euersæ erant tam Miletus quam Lycastus, illius agrum Lyttiis, huius Cnossiis oc-

cupantibus, quod Strabo lib. x pag. 330 adnotauit. Vnde de situ quodammodo iudicari potest. *Myrina* suspecta Meursio: qui *Mycenæ* suspicatur scriptum fuisse. De *Dio* supra ex oraculo, *Asum*, Stephani Ἆσος, πολίχνιον, *Asus oppidulum*. nihil notum præterea. *Rhytium*, Ῥύτιον, ex Homero est, dicto loco, vers. 155

Φαιστόν τε, Ῥύτιόν τε, πόλεις εὖ ναιεταώσας

Phæstum & Rhytium, vrbes bene habitatas.

De *Laso* & *Eleuthernis* supra dictum: *Pharæ* soli Stephano, *Holopyxos* vix alii quam Melæ comprobata. *Therapnas* idem Mela inter vrbes notissimas censuit vna cum *Marathusa*, & *Holopyxo*, iam dicta. *Cylissos* ex Solino restituta in Plinianum contextum, varie antehac lecta.

Elyrum addimus, quæ Harduino videtur Plinii *Pyloros* esse, monstrose vitiata. Stephanus Ἔλυρος, πόλις Κρήτης, *Elyrus, Cretæ oppidum.* Pausanias in Phoc. cap. XVI ἔστι ἐν τοῖς Κρητικοῖς ὄρεσι καὶ κατ' ἐμὲ ἔτι Ἔλυρος πόλις, *Est in montanis Cretæ, etiam adhuc mea ætate oppidum Elyrus.* Exstat in thesauro Brandenburgico inscriptus nummus ΕΛΥΡΙ, id est Ἐλυρίων. quem huius ciuitatis esse, quum ignota sit Elyrus alia, non dubitatur. Harduinus plene scriptum adfert ΕΛΥΡΙΩΝ. Nauale Elyriorum dictum *Syia*. Stephanus: Συΐα, πόλις μικρὰ Κρήτης, ἐπίνειον οὖσα τῆς Ἐλύρου, *Syia oppidulum Cretæ, nauale Elyri.*

Oaxus, Ὄαξος, Herodoti lib. IV cap. CLIV, & Stephani, ad fluuium cognominem, de quo Virgilius eclog. I

- - - *rapidum Cretæ veniemus Oaxem.*

Scio *Cretam* nonnullos non insulam, sed nescio quam terram albicantem interpretari: quod vero Herodotus tradit τῆς Κρήτης Ὀαξὸν πόλιν, *Cretæ insulæ vrbem Oaxum*, Etearchi regiam; idemque Stephanus repetit, Ὄαξος πόλις Κρήτης, Ἐλευθέρας οὐ πόῤῥω, *Oaxus vrbs Cretæ, non longe ab Eleuthera:* eiusque conditorem *Oaxem*, Apollinis filium, ex Philisthene Seruius ad eclogam nominat: & Apollonius Rhodius lib. I vers. 1131 in Creta γαίης Οἰαξίδος mentionem facit, quam Varro ibidem apud Seruium *tellurem Oaxida* vertit; quis dubitabit etiam flumen eius regionis eodem nomine fuisse, præsertim Virgilio adfirmante, comprobante Vibio Sequestro? Hic enim de Fluminibus: *Oaxes Cretæ, a quo & ciuitas Oaxia. Varro hoc docet.*

Ῥαῦκος

Ραῦκος, *Raucus*, Stephani, πόλις ἐν μεσογείῳ τῆς Κρήτης, *oppidum Cretæ mediterraneum.* Prope Cnossum fuisse & Lyttum, ex Polybii Legation. cap. XLV constat, vbi Cnosiis adempta pars agri alia Ραυκίοις, *Raucis*, alia Λυκτίοις, *Lyctiis* siue Lyttiis attributa dicitur.

Præsus, Πραῖσος, quoque vrbs Cretæ. Sic Stephanus diphthongo scribit, & Herodotus lib. VII cap. CLXXI, ac Athenæus lib. IX cap. IV oppidanos Πραισίους, *Prasios* vocant. Strabo autem scripsit Πράσος & Πράσιοι, quem ideo corrigendum Meursius censet. Situm lib. X pag. 329 describit, quod Prasii ὅμοροι, *finitimi* sint Lebeniis; LX stadiis a mari, CLXXX a Gortyna: & mox, inter Samonium & Chersonesum dicit positam, prope *Dictam* montem, a quo & templum *Dictæi* Iouis habeant.

Tegea, Τεγέα ἐν Κρήτῃ, Agamemnonis opus, solis auctoribus Paterculo cap. I & Stephano innotescit: itidem *Mycenæ*, solo fere Velleio. Vide supra in *Pergamum*.

Prope Cnossum erant Θεναί, *Thenæ*, vt ex Stephano in Ομφάλιον adparet, quem locum dicit πλησίον Θενῶν καὶ Κνωσσοῦ, *prope Thenas & Cnossum* esse: clarius ex Callimachi hymno in Iouem vers. 43

- - - Θεναὶ δ᾽ ἔσαν ἐγγύθι Κνωσσοῦ,

Thenæ vero erant prope Cnossum.

Vbi scholiastes: Θεναὶ πόλις καὶ ἄλσος, *Thenæ oppidum & lucus.* Nummus ab Holstenio ad Stephanum productus: ΘΕΝΕΩΝ. Vnde corrigendus Stephanus alio proprioque loco, quo editum est, Θενναὶ πόλις Κρήτης, littera perperam duplicata.

Arcades quoque & *Arcadia* nomen oppidi in Creta. Stephanus: Ἀρκάδες πόλις Κρήτης, *Arcades oppidum Cretæ.* Peutingeri tabula, *Arcade*, vbi iter in ortum solis tendens ita se habet:

Cnoso XVI *Chersoneso* XVI *Licium* XVI *Arcade.*

Inde *Blennam* fertur, hinc *Hiera*; quæ videtur Hierapytna esse. Dicitur etiam *Arcadia*. Seneca lib. III Quæst. nat. cap. XI *Idem* [Theophrastus] *ait, circa Arcadiam, quæ vrbs in Creta insula fuit, fontes & lacus substitisse, quia desierit coli terra, diruta vrbe: postea vero quam cultores receperit, aquas quoque recepisse.* Et Plinius de eadem re lib. XXXI cap. IV *Proditur certe in Creta expugnato oppido, quod vocabatur Arcadia, cessasse fontes amnesque, qui in eo situ multi erant: rursus condito post sex annos emersisse, vti quæque*

cœpiſſent partes cœli. Notitia Eccleſiæ in Creta: ὁ Ἀρκαδίας, *Arcadiæ* epiſcopus. Oppidani quoque *Arcades* dicti. Polybius lib. IV cap. LIII *Polyrbenii, Cereatæ, Lampæi,* πρὸς δὲ τούτοις Ὄριοι μετ' Ἀρκάδων, *item Orii cum Arcadibus, a Cnoſſiorum amicitia ad Lyttiorum ſocietatem* ὁμοθυμαδὸν, *communi conſilio deficiunt.* Ex his populis ignoti ſunt *Orii* & *Cereatæ:* ſic Meurſius ſcribi vult; editum Κερέται, *Ceretæ.* Corrigit etiam Suidam in Ριανὸς, vbi Κερεάτης ſcribitur. Sed æque hoc incertum, Βήνη, *Bena* oppidum Cretæ, quod ibidem Suidas nominat, obſcurum.

Hæc de mediterraneis: litorale vnum addimus, cuius certam neſcimus poſitionem. *Amniſus* eſt, Græce Ἀμνισός. Stephanus chorographus: Ἀμνισὸς, πόλις Κρήτης, *Amniſus oppidum Cretæ.* Fuit ad *Amniſi* amnis oſtium, quod inde elucet, quia Strabo lib. X pag. 328 ait, Minoem regem vſum eſſe ἐπινείῳ τῷ Ἀμνισῷ, *nauali Amniſo,* oppido an fluuio? flumen articuli videtur genus notare: oppidum, quæ ſequuntur, ὅπου τὸ τῆς Εἰλειθυίας ἱερὸν, *vbi Lucinæ fanum eſt.* Sed nauale oppidum & oſtium requirit. Homerus Odyſſ. Τ verſ. 188

Στῆσε δ' ἐν Ἀμνισῷ, ὅθι τε σπέος Εἰλειθυίης
Ἐν λιμέσι χαλεποῖσι.

Statuit in Amniſo, vbi ſpelunca Lucinæ, in portubus difficilibus. Scholiaſtes ibi: Ἀμνισὸς πόλις καὶ ποταμὸς Κρήτης, *Amniſus oppidum & fluuius Cretæ.* Pauſanias Atticis cap. XVIII Κρῆτες τῆς χώρας τῆς Κνωσσίας ἐν Ἀμνισῷ γενέσθαι νομίζουσιν Εἰλήθυιαν, *Cretenſes Cnoſiæ regionis credunt Lucinam Amniſi natam eſſe.* Non longius ergo a Cnoſo fuit, Minois regia, qui illo nauali vſus eſt. De flumine Apollonius lib. III verſ. 875

Οἵη δὲ λιαροῖσιν ἐφ' ὕδασιν Παρθενίοιο
Ἠὲ καὶ Ἀμνισοῖο λοεσσαμένη ποταμοῖο,
Qualis limpidis aquis Parthenii
Aut etiam Amniſi lota fluuii Diana.

INSVLAE MINORES
CIRCA CRETAM.

Circumiacent Cretam paruæ inſulæ, quas magno numero Plinius recenſet: aliquæ tamen verius ſcopuli quam inſulæ Sic autem ille: *Reliquæ* [inſulæ] *circa eam* [Cretam] *ante Peloponneſum*

ponnesum duæ Coricæ, totidem Mylæ: & latere septemtrionali, dextra Cretam habenti, contra Cydoniam Leuce, & duæ Budroæ: contra Matium Dia. Contra Itanum promontorium Onisia, Leuce: contra Hierapytnam, Chrysa, Gaudos. Eodem tractu Ophiussa, Butoa, Aradus: circumvectisque Criumetopon tres Musagoros adpellatæ. Ante Sammonium promontorium Phoce Platiæ, Sirnides, Naulochos, Armendon, Zephyre.

Primæ ex hisce, *Coricæ, Mylæ*, ignotæ ceteris geographis, quod argumento est, scopulos verius esse quam insulas. Quæ ante Cydoniam est *Leuce* nunc est Scoglio di S. Theodoro, siue Fortressa di S. Theodoro: arcem enim munitissimam habere dicitur. *Budroæ* (sic in MSS. non *Budoræ*) Harduino videntur Turluru nunc vocitari. Contra Matium *Dia*, omnium consensu nunc est *Standia*, Candiæ vrbi opposita, vt supra in *Matio* declaratum est. Et Ptolemæo Δία, *Dia* eo situ est, vbi nunc Standia; & vocabuli posterior pars *dia*, ipsum nomen antiquum refert.

Contra Itanum promontorium, hodie Capo Xacoro; eique subiectum oppidum, *Onisia*, quæ videtur Cnfonisi esse: altera *Leuce* adiecta, quod iam nomen ferat, incognitum. Contra Hierapytnam, *Chrysa, Gaudos*. Vtramque etiam Mela lib. II cap. VII nominauit. Maior hodie Gaiderognissa vocatur: minorem, cui *Gaudos* nomen est, Harduinus putat Glaudum Ptolemæi esse: sed hoc pugnat cum positu Ptolemæi; etiam cum itinere Pauli apostoli Act. XXVII. *Ophiussa, Butoa* in hoc tractu minus sunt cognitæ. *Aradus*, in MSS. *Aranus*, ex Stephani ethnicographia est, cui Ἄραδος τρίτη, Κρήτης, *tertia Aradus ad Cretam est.*

Contra Criumetopon *tres Musagores*, vt Harduinus edidit: Mela autem, tam Vossii quam Gronouii editione, *quas Musagoros numero tres vno tamen vocabulo adpellant.* Quænam sint illæ tres, non facile discerni potest, quia dixit *circumuectis Criumetopon* obuias esse, nec vero declarat longius, breuius ab illo absint; ad dextramne an sinistram positæ; in austrum, an septemtrionem, an alio vergant.

Ante Sammonium quas plures narrat Plinius, ex iis *Zephyre* sic etiam Melæ nominata: *Naulochos* autem Plinii [illegible]

ideo poteſt eſſe, quia Mela, a quo ſine dubio accepit, habet *Naumachos*, etiam in MSS. Præfert tamen Iſaacus Voſſius lectionem Plinianam. *Phoce* nominata etiam in Antonini maritimo Itinerario ſub finem. *Platiæ* quæ ſint, incertum eſt. Inferius paullo quum Cyclades expoſuit, *Plateam* vnam memorat: Stephanus πλατειαν, *Plateam*, Herodotus IV cap. CLI Πλάταιαν, *Platæam*, ſed vterque Libyæ inſulam vocat, a Creta longius remotam. Tabula Peutingeriana, ad orientalem partem Cretæ duas inſulas habet, quarum alteri adſcriptum *Dionisi.* alteri *Dionis.* ſine dubio ſcripturæ forma breuiata. Hæ ſunt illæ inſulæ *Dionyſiades* dictæ; de quibus Diodorus Siculus lib. V cap. LXXV memorat, Cretenſes inde probare velle, apud ſe Bacchum natum eſſe, ὅτι περὶ τὴν Κρήτην δύο νήσους κτίσας ἐπὶ τῶν καλουμένων διδύμων κόλπων, Διονυσιάδας ἀφ' ἑαυτοῦ προσηγόρευσε, *quod prope Cretam duas inſulas in gemellis, quos vocant, ſinubus excoluerit, easque de nomine ſuo Dionyſiades adpellarit.*

Ptolemæus *Letoam* addit, Λητώαν, a meridie adpoſitam Cretæ: & Κλαῦδον, ἐν ᾗ πόλις, *Claudum, in qua oppidum*, ad extremitatem qua latera, auſtrinum & occidentale coniunguntur. Hæc Κλαύδη, *Claude* eſt ſacro ſcriptori, Act. XXVII, 16, ad quam, Phœnicem portum tempeſtatibus præteruecti, eatenus ſunt perlati, qui apoſtolum vehebant, vt vix ſcapham potuerint abripere. Sub Chriſtianis epiſcopum habuit, qui notitia eccleſiæ ὁ νήσου Κλαύδου, *inſulæ Claudi* epiſcopus vocatur.

Hæ, quas enarrauimus, propiores ſunt; longius paullo a Creta remotæ, neque minus vero in Cretico mari poſitæ, ſunt primum ASTYPALAIA, ſupra orientalem Cretæ partem. Plinius lib. IV cap. XII *Aſtypalæa libera ciuitatis.* Strabo extremo X ἐν τῷ Καρπαθίῳ εἰσὶ πολλαὶ τῶν Σποράδων μεταξὺ τῆς Κῶ μάλιστα, καὶ Ῥόδου, καὶ Κρήτης· ὧν εἰσὶν Ἀστυπάλαιά τε καὶ Τῆλος καὶ Χαλκία, καὶ ἃς Ὅμηρος ὀνομάζει ἐν τῷ καταλόγῳ. *In Carpathio mari multæ ſunt Sporadum inſularum inter Con, Rhodum & Cretam: quarum ſunt Aſtypalæa, & Telus, & Chalcia, & quas Homerus in catalogo nominat.* Mela lib. II cap. VII de Creta: *Iuxta eſt Aſtypalæa, Naumachos, Zephyre, Chryſe.*

Quas Strabo coniunxit cum Aſtypalæa *Telon* & *Chalciam*, etiam a Plinio memoratas; non errat qui ad Aſiam referre ma-

lit,

lit, quia ab ortu adiacent Astypalææ. Inter hanc & Con est *Nisyros*, præcipua ex Homericis, ad quas Strabo modo prouocabat. Verba sunt Catalogo, vers. 183

Οἱ δ' ἄρα Νίσυρόν τ' εἶχον, Κράπαθόν τε, Κασόν τε

Qui vero Nisyrum colebant, Crapathumque & Casum.

Carpathus autem (hæc enim est illa metathesi poetica *Crapathus*) & Casos ad Asiæ oram pertinent. Strabo extremo X: *Νίσυρος πρὸς ἄρκτον μέν ἐστι Τήλου, Nisyrus ad septemtrionem Teli sita est.* Et post paullo: *Φασὶ δὲ τὴν Νίσυρον ἀπόθραυσμα εἶναι τῆς Κῶ, Aiunt Nisyrum fragmentum esse ab insula Co auulsam.*

Proxima est CALYMNA siue Mela habet, *Calymnia:* Stephanus vtramque formam proposuit: Strabo autem extremo X *Κάλυμνα, Calymna*, tribus syllabis. Dicitur eadem etiam *Calydna*. Quod vero *Calydnas* Homerus & Lycophron pluratiuo numero seu tamquam plures nominant, putant nonnulli, quod Strabo tradit, Homerum ipsas Sporadas *νήσους Καλύδνας, insulas Calydnas* vers. 184 adpellasse: addit vero Eustathius ad Dionys. vers. 530 *ὧν μία ἰδίως Καλύδνα καλεῖται, earum vna proprie Calydna vocatur.* Idem dicit *μέλι Καλύδνιον, mel Calydnium* esse ipsum *Καλύμνιον, Calymnium*, a Stephano laudatum, quod argumento est *Calydnam* & *Calymnam* eamdem esse insulam. At Plinius distinguit. Is vero plures distinguit non distinguendas, ideoque iuste a Vossio notatus ad Melam pag. 213 in hoc ipso huius insulæ argumento. Ouidius Metam. VIII vers. 222 in Icari fabula:

Dextra Lebinthos erant fecundaque melle Calymne.

LEBINTHVS ergo propinqua Calymnæ: Straboni *Λέβινθος*, quam cum Leria coniungit: Plinius *Lebinthus, Leros, Cinara.* Pomponius Mela: *Nisyros, Lebinthos, Calymnia.*

ANAPHE in occasum inde recedit, prope Theram, Cyrenarum matrem. Callimachi fragmentum apud Strabonem lib. X pag. 333

Αἰγλήτην Ἀνάφην τε Λακωνίδι γείτονα Θήρα.

Aegleten & Anaphen, Spartanæ vicinam Theræ.

Adde plura post paullo in *Thera*. Plinius: Sequuntur *Lea, Ascania, Anaphe, Hipp[illegible]*. De prioribus nihil notum: de *Anaphe* iam dictum: *Hipp[illegible]* a Mela habet, qui lib. II cap. VII *Gyaros, [illegible], Donysa.* Apollonius lib. V vers. 1712

- - *ὀλίγης Ἱππουρίδος ἀντία νήσου*

ex aduerso paruæ insulæ Hippuridis.

Vbi ſcholiaſtes: νῆσος ἡ Ἱππȣρὶς πλησίον Θήρας, *inſula Hippuris vicina Thera.*

THERA autem, Θήρα, vt Strabo tradit: ἡ τῶν Κυρηναίων μητρόπολις, ἄποικος Λακεδαιμονίων· καὶ πλησίον ταύτης Ἀνάφη, ἐν ᾗ τὸ τȣ̃ Αἰγλήτȣ Ἀπόλλωνος ἱερόν, *Thera Cyrenæorum metropolis, Lacedæmoniorum colonia: & vicina huic Anaphe, in qua Aegletæ Apollinis eſt templum.* Et mox idem: πλησίον αὐτῆς [Θήρας] ἥ τε Ἀνάφη καὶ Θηρασία, *prope Theram ſunt Anaphe & Theraſia.* Hæ ſunt illæ inſulæ, de quibus memoriæ proditum, aliquando non fuiſſe: poſt demum, & quasdam in conſpectu hominum, emerſiſſe. Plinius lib. II cap. LXXXVII *Claræ iam pridem inſulæ Delos & Rhodos, memoriæ produntur enatæ. Poſtea minores, vltra Melon Anaphe: - - - inter Cycladas Olympiadis* CXXXV *anno quarto Thera & Theraſia. Inter easdem poſt annos* CXXX *Hiera, eademque Automate. Et ab duobus ſtadiis poſt annos* CX *in noſtro æuo M. Iunio Silano, L. Balbo* COSS. *a. d.* VIII *idus Iulias, Thia.* Et Seneca lib. VI Quæſt. Nat. cap. XXI *Tunc demum impetum* [aquæ] *ſumunt, quum illas agit flatus: qui poteſt diſſipare magna ſpatia terrarum, & nouos montes ſubrectos extollere, & inſulas, non ante viſas, in medio mari ponere. Theren, & Theraſiam, & hanc noſtræ ætatis inſulam ſpectantibus nobis in Aegæo mari enatam, quis dubitat quin in lucem ſpiritus vexerit.* Ex his ſatis de *Thia* & *Hiera*, nouis inſulis enatis conſtare poteſt.

MARE MYRTOVM.

Myrtoum mare, πέλαγος τὸ Μυρτῶον, Strabo, Plinius, Pauſanias aliter definiunt, inter Atticam videlicet, Eubœam & Peloponneſum; aliter Ptolemæus, ad Aſiæ oram Cariæ obiectum, reducens, lib. V cap. II. vbi Cariæ ciuitates maritimas Miletum, Iaſſum, Myndum, reliquas dicit ſitas κατὰ τὸ Μυρτῶον πέλαγος, *iuxta Myrtoum mare.* At vnus conſenſione trium vincitur.

Strabo lib. II pag. 85 Τῷ Σικελικῷ συνάπτει τὸ Κρητικὸν πέλαγος, καὶ τὸ Μυρτῶον, ὁ μεταξὺ τῆς Κρήτης ἐςὶ καὶ τῆς Ἀργείας καὶ τῆς Ἀττικῆς, πλάτος ἔχον τὸ μέγιςον τὸ ἀπὸ τῆς Ἀττικῆς ὅσον χιλίων καὶ διακοσίων ςαδίων· μῆκος δὲ ἔλαττον ἢ διπλάσιον. Ἐν τȣ́τῳ δὲ νῆσοι Κύθηρά τε καὶ Καλαυρία, καὶ αἱ περὶ Αἴγιναν καὶ Σαλαμῖνα, καὶ τῶν Κυκλάδων τινές. *Siculum mare contingunt Creticum, Sardoum, Myrtoum. Hoc*

inter

inter Cretam est, & Argiam, & Atticam, latissimum ab Attica ad stadia CIↃCC, *Longitudine paullo minus quam dupla. Insulæ in eo, Cythera, Calauria, & quæ circa Aeginam ac Salaminem sunt, & Cycladum nonnullæ.* Plinius lib. IV cap. XII *In Myrtoo multæ* [insulæ] *sed maxime illustres Glauconesus & Aegilia.* Et ex interuallo *Atticæ litora Myrtoa* dixit. *Cyclades*, inquit, *& Sporades ab oriente litoribus Icariis Asiæ, ab occidente Myrtois Atticæ, inclusæ.*

Nominis rationes variæ. Plinius cap. XI eiusdem libri ab insula *Myrto* illud deducit. *Aegæi pars*, inquit, *Myrtoo datur: adpellatur ab insula parua, quæ cernitur Macedoniam a Geresto petentibus, haut procul Eubœæ Carysto.* At Pausanias Arcad. cap. XIV adfert alias denominationis rationes ac origines, vel a *Myrtilo*, Mercurii filio, quod ipse vero non adprobat: similius autem dicit vero esse, quod etiam Eubœæ incolæ crediderint, ἀπὸ γυναικὸς Μυρτοῦς τὸ πελάγει γεγονέναι τῷ ὄνομα τῷ Μυρτῴῳ, *a Myrtone puella nomen ei pelago Myrtoo inditum esse.*

Ceterum ibidem Pausanias ita fines Myrtoi maris concludit, ἀρχόμενόν τε ἀπὸ Εὐβοίας, καὶ παρ' Ἑλένην ἔρημον νῆσον καθῆκον ἐς τὸ Αἰγαῖον, *incipere ab Eubœa, & apud Helenam, desertam insulam, cum Aegæo coniungi.* Quamuis vero hoc mare arctius, quam Strabo, videatur Pausanias finire; satis tamen nobis aduersus Ptolemæum facit, quod non ad Cariæ litus, sed ad Atticam & Eubœam omnes tres isti auctores referunt. Hinc intelligitur, quod Horatio mare lib. I oda I cordi fuerit, quum scripsit:

- - - - - *vt trabe Cypria*
Myrtoum pauidus nauta secet mare.

MARE AEGAEVM.

Aegæum mare Europam ab Asia disiungit, hinc Græciam Macedoniamque; illinc Cariam & Ioniam per partes suas adluens. Sed hoc totum illud mare est, quod inter Græciam & Asiam interfluit, quod vniuersum multi *Aegæum* adpellant, eiusque partes mare Myrtoum, Icarium, aliosque sinus faciunt: alii arctiores illi fines ponunt, separantes ab illo Myrtoum Icariumque & alia illius situs maria, vt Cycladum mare & ex parte Sporadum insularum *Aegæum* proprie adpellitetur. Plinius supra dicto loco: *Aegæi pars Myrtoo datur.* Et Dionysius Aegæi tantum

 memi-

meminit, Myrtoum & Icarium tamquam partes illius, præteriit. At Strabo lib. VII pag. 223 τὸ Αἰγαῖον πέλαγος δύο κλύζει πλευρὰς τῆς Ἑλλάδος, *Aegæum mare duo claudit Græciæ latera*, quorum vnum ducit a Sunio ad Thessalonicam: alterum a Thessalonica ad Strymonem. Ἀπὸ δὲ Σουνίου μέχρι Πελοποννήσου τὸ Μυρτῶόν ἐστι καὶ Κρητικόν, *a Sunio autem vsque Peloponnesum Myrtoum est & Creticum.*

Origo nominis controuersa est maxime. Festus tres opiniones protulit. *Aegæum*, inquit, *mare adpellatur, quod crebræ in eo sint insulæ, vt procul adspicientibus species caprarum videantur: siue quod in eo Aegea, Amazonum regina perierit: siue quod in eo Aegæus pater Thesei se præcipitauerit.* Alia opinio est Plinii lib. IV cap. XI, *Aegæo mari*, inquit, *nomen dedit scopulus inter Tenum & Chium verius quam insula, Aex nomine a specie capræ, quæ ita Græcis adpellatur, repente e medio mari exsiliens. Cernunt eum a dextra parte Andrum nauigantes ab Achaia, dirum ac pestiferum.* Consentit Plinio & Apollonii scholiastes ad lib. I vers. 831 Αἰγαῖον πέλαγος ἐκλήθη ἀπὸ νήσου Αἰγῶν καλουμένης· *Aegæum mare ita dicitur ab insula Caprarum nomen præ se ferente.*

Strabo autem lib. VIII pag. 266 ab Euboico oppido, cui nomen *Aegæ* sit, deriuat. Αἰγάς, *Aegas* Homeri Iliad. Ν vers. 21, κλυτὰ δώματα, *præclaras sedes*, interpretaturus, βέλτιον, inquit, δέχεσθαι τὰς ἐν Εὐβοίᾳ· ἀφ᾽ ὧν εἰκὸς καὶ τὸ πέλαγος Αἰγαῖον κληθῆναι, *Præstat Aegas Eubœæ intelligere, a quibus verisimile est Aegæum mare adpellari.* Sunt tamen eruditissimi viri, & in iis etiam Vossius de Orig. Idololatriæ, quibus nulla harum originationum placet, sed *vndosum* mare interpretantur seu *fluctuosum*, quia, vt Hesychius auctor est, αἶγες, τὰ κύματα Δωριεῖς, *Dorice fluctus αἶγες vocantur*, id est capræ, propter saltum huius animalis.

Plinius non vbique sibi constat. Supra dixit, Myrtoum Aegæi maris partem esse: postea eodem capite Aegæum non tantum a Myrtoo & Icario, verum etiam a Cycladibus & Sporadibus seiungit. *Cyclades*, inquit sect. XXIII, *& Sporades ab oriente litoribus Icariis Asiæ, ab occidente Myrtois Atticæ, a septemtrione Aegæo mari, a meridie Cretico & Carpathio inclusæ.* Quod si Cyclades separatæ ab Aegæo, paucas hoc insulas continebit, falletque vulgaris opinio, a multitudine insularum eius nomen esse. Scylax etiam Cyclades ab Aegæo distinguit, sed alias nominat

Cycla-

Cycladas ab iis, quas Strabo & Plinius in *κύκλῳ*, *circulo* illo numerarunt. In tanta diuersitate sententiarum ampliorem sequuturi ***Aegæum mare*** omne illud dicemus, quod a Thracia & Hellesponto est ad mare Creticum, vt si non Sporades omnes, Cyclades tamen eodem contineantur. Primum ergo de Cycladibus agemus, deinde alias quoque circumiectas perlustrabimus.

CYCLADES *ἀπὸ κύκλῳ*, a *circulo* seu *orbe*, in quem sitæ sunt, adpellantur. Plinius lib. IV cap. XII *A promontorio* [Eubœæ] *Geræsto, circa Delum in orbem sita (vnde & nomen traxere) Cyclades.* Orbis illius centrum etiam Strabo insulam *Delum* facit lib. X pag. 334, *ἡ Δῆλος*, inquit, *καὶ αἱ περὶ αὐτὴν Κυκλάδες*, *Delus, & circa eam Cyclades.* Quænam autem sint illæ Cyclades, & quot sint, non est eadem omnium, qui scripserunt de illis, sententia. Strabo dicto loco: *καταρχὰς μὲν δώδεκα λέγονται· προσεγένοντο δὲ καὶ πλείους*, *Initio duodecim numerabantur: accesserunt autem plures.* Deinde recenset quas Artemidorus enumerarit, *Helenam, Ceon, Cythnum, Seriphum, Melum, Siphnum, Cimolum, Prepesinthum, Olearum:* item *Naxum, Parum, Syrum, Myconum, Tenum, Andrum, Gyarum:* e quibus tres, Prepesinthum, Olearum, & Gyarum, eiicit ex numero illarum. XII Verum illarum pluri-mæ a Delo in meridiem iacent: paucæ in septemtrionem, vt medietas illa, quam Delo tribuunt, laxe sit interpretanda, non de centro geometrico.

Quam *Helenam* dixit, dubium an in Cycladibus posuerit. De illa enim: *ἀπὸ ταύτης, φησὶν, αἱ καλούμεναι Κυκλάδες εἰσὶν*, *ab hac, inquit* [Artemidorus] *Cyclades incipiunt.* De ea diximus supra in Attica siue finis sit illa Atticæ, siue prima Cycladum, seu illarum ab Sunio initium. Addit, a Thorico ad Sunium porrigi longitudine LX circiter stadiorum: & lib. IX pag. 275. dixit *νῆσον τραχεῖαν καὶ ἔρημον*, *asperam & desertam.* Plinius autem ***Helenam*** in Sporadibus primo loco ponit, & primam Cycladum Andrum facit. Sed sic nimis dispersas esse Sporadas oportet ab Asiæ litore ad Sunium Atticæ regionis.

Andrus autem citra controuersiam ex Cycladibus est, in quo Artemidorus, quem Strabo sequitur; & Mela, & Plinius consentiunt. Freto dirimitur ab Eubœa australi: & alio angustiore ab insula Teno. Liuius lib. XXXVI cap. XX *A. Atilius,*

præfectus Romanæ clasſis, magnos regios commeatus, iam fretum, quod ad Andrum inſulam eſt, præteruectos, excepit. Alia eius nomina recenſet Plinius, Nonagriam, Laſiam, Hydruſſam, quæ nihil adferunt.

Vicina eſt TENOS inſula, mille paſſibus ab Andro disiuncta ſecundum Plinium. Τῆνος Græce eſt, etiam in Seueri nummo ΤΗΝΙΩΝ, id eſt *Teniorum.* Stephanus: Τῆνος, νῆσος Κυκλάς. ἐκλήθη καὶ Ὑδροῦσσα διὰ τὸ κατάρρυτον εἶναι. *Tenus, vna Cycladum: quæ & Hydruſa vocata fuit, quod aquis irrigetur; & Ophiuſa.* Strabo ſub finem libri X Τῆνος πόλιν οὐ μεγάλην ἔχει, *Tenos oppidum habet non magnum.* Plinius lib. IV cap. XII *Ab eadem Andro paſſus mille, & a Delo quindecim millia, Tenos cum oppido, in XV millia paſſuum porrecta, quam propter aquarum abundantiam Ariſtoteles Hydruſſam adpellatam ait: aliqui Ophiuſſam.* Ouidius lib. VII verſ. 469

At non Oliaros, Didymæque, & Tenos, & Andros.

Ab Helena in ortum æſtiuum eſt CEOS vel CEA, Κέως, de qua Strabo lib. X pag. 334 ὀνομάζει δὲ Κέω τὴν ἐγγυτάτω τῇ Ἑλένῃ, *nominat* [Artemidorus] *deinde Ceon, Helenæ proximam.* Et Plinius dicto loco: *A Sunio Helene quinque millibus paſſuum diſtans. Dein Ceos ab ea totidem, quam noſtri quidam dixere Ceam, Græci & Hydruſſam. Auulſa Eubœæ, quingentis longa ſtadiis fuit quondam: mox quatuor fere partibus, quæ ad Bœotiam vergebant, eodem mari deuoratis, oppida habet reliqua, Iulida, Carthæam: intercidere Coreſſus, Pæëeſſa.* Adde Stephanum in Ἰουλίς. Ab altera vrbe eſt *Carthëius.* Ouidius Metam. lib. VII verſ. 368

Tranſit & antiqua Carthëia mœnia Cea.

Ptolemæo vocata Κία, *Cia.* Ex hac inſula ortus fuit Simonides Lyricus poeta, vt vetus ſcholiaſtes ad illud Horatii lib. II oda I

Sed ne relictis Muſa procax iocis
Cea retractes munera næniæ,

notauit. *Carmen lugubre*, inquit, *Græcis ἐπικήδειον dictum, Simonides Græcus poeta Lyricus primus inſtituit, a Cea inſula oriundus, vnde Cea nænia adpellata. de qua Virgilius* [Georg. I verſ. 14]

- - - - cui pinguia Cea;

& Ouidius [epiſtola Acontii ad Cydippam verſ. 222]

Cingitur Aegæo nomine Cea mari.

CYTHNVS

CYTHNVS insula vicina Ceæ, Κύθνος Græce Straboni & Stephano: Plinio & Melæ *Cythnos*. Vicinitatem monstrat Strabo sub finem lib. X *μετὰ ταύτην* [Κέω] Κύθνον, *post hanc* [Ceon] Artemidorus] *Cythnum narrat*. Hæc insula est, in qua Pseudonero, seu Neronem fingens, adparuit. Tacitus Hist. II cap. VIII *Seruus cithara & cantus peritus, adiunctis desertoribus, mare ingreditur, ac vi tempestatum Cythnum insulam detrusus, mancipiorum valentissimum quemque armauit.*

Ptolemæus hoc tractu habet *Polyægon*, cuius nominis insulam in superiore mari Pomponius recenset lib. II cap. VII. *In Aegæo mari*, inquit, *prope Thraciam Thasos, Imbros, Samothrace, Scandile, Polyægos, Sciathos, Halonesos*. Qui locus non modice a Ptolemaico remotus est.

SERIPHVS, Σέριφος, subsequitur. Tacitus annali IV cap. XXI *saxum Seriphium* vocat, in quo Cassius Seuerus, maleficæ vitæ homo, bonis exutus, interdicto igni atque aqua, consenuit. Nec vero inculta aut deserta fuit insula. Herodotus enim lib. VIII cap. XLVI memorat, Σεριφίους, *Seriphios* etiam cum Siphniis in partibus Græcorum contra Xerxem stetisse, solos propemodum νησιωτέων, *insulanorum*, qui terram & aquam barbaro negassent. Ouidius Metam. lib. V vers. 251

- - *inde caua circumdata nube Seriphon*
Deserit, a dextra Cythno Gyaroque relictis.

& lib. VII vers. 464 - - - *planamque Seriphon.*

SIPHNVS proxima, Σίφνος, Straboni etiam in Cycladibus numerata: Plinio, Melæ, & Antonino in Maritimo itinerario *Siphnos*. Ptolemæus: Σίφνου νήσου ἡ πόλις, *Siphni insulæ oppidum*. Oppido nomen fuit *Apollonia*. Stephanus in Ἀπολλωνία numero XIX. *ιθ, ἐν Σίφνῳ τῇ νήσῳ, decima nona Apollonia in insula Siphno*. At in ipsa voce Σίφνος, hanc insulam περὶ τὴν Κρήτην, *circa Cretam* dicit sitam esse. Sed fallitur. Constanter ceteri omnes in Cycladibus ponunt: & Ptolemæus prope in medio illarum: quos etiam nominis, quod superest, *Sifano*, reliquiæ iuuant. Nemo, quem sciamus, in mari Cretico, præter Stephanum, locauit. Plinio teste vetus nomen *Meropia* fuit; Stephano, Μερόπη, *Merope*. Incolæ Σίφνιοι, *Siphnii*, apud Herodotum prædicto loco. Adiacet *Prepesinthus* Plinii, quæ etiam Straboni Πρεπέσινθος est.

quam Artemidorus in Cycladibus numerat: Strabo ex XII excludit.

MELOS notior. Plinius: *Melos cum oppido. - - Hac insularum rotundissima est.* Græce Μῆλος, apud Strabonem. Alia eius nomina Plinius recenset & Stephanus. Incolæ Μήλιοι, *Melii*, Herodoti lib. VIII cap. XLVI. Hinc *Diagoras Melius* oriundus, cui Atheon cognomen hæsit. Vide Minuc. Felicem cap. VIII, & Scholiast. in Dionys. Perieg. vers. 526.

Adiacet Melo Σίκινος, SICINVS Ptolemæi: Strabonis Σίκηνος, praue fortassis. nam & Plinius *Sicinus*. Solon, apud Laertium, ad populum sermonem hoc versu incepit

Εἴην δὴ τότ' ἐγὼ Φολεγάνδριος ἢ Σικινίτης,

Vtinam olim fuerim Pholegandrius aut Sicinites.

At insula Φολέγανδρος, *Pholegandrus*, vt Strabo refert dicto libro pag. 334, est Sicino & Melo admodum propinqua. Ἐγγὺς δὲ τούτων, *prope has*, vt idem loquitur, Κίμωλος, insula CIMOLVS est, quam & ipse in XII Cycladibus numerauit. Plinius: *Cimolus qua Echinussa.* Ouidius Metamorph. VII vers. 463

Hinc humilem Myconon, cretosaque rura Cimoli.

Vnde a Plinio etiam lib. XXXIV cap. XV *Cimolia creta* laudatur.

Ad latus eius OLIAROS Plinii, de qua Stephanus: Ὠλίαρος, νῆσος τῶν Κυκλάδων μία, *Oliarus, insula quædam ex Cycladibus.* Ex Heraclide Pontico adfert, Sidoniorum coloniam esse & LVIII stadiis distare a Paro. Strabo exemit ex XII antiquis Cycladibus, scripsitque secunda vocali Ὠλέαρος, *Olearus.* Atque ita etiam in plerisque Virgilii codicibus Aeneid. III vers. 126

Olearon; niueamque Paron. - - -

Sed & Ouidius *Oliarus* dixit Metamorph. lib. VII vers. 469

At non Oliaros, Didymaque, & Tenos, & Andros.

Hæ ex Cycladibus occasum solis seu Peloponnesum cum Attica spectant: medio tractu est primum, cuius caussa in orbem circumiectæ dicuntur, DELVS siue DELOS insula, Græce Δῆλος, Apollini sacrata, in ea nato, vt fabulæ habent & Callimachi hymnus in Delum. Plinius dicto loco: *Ipsa longe clarissima, & Cycladum media, ac templo Apollinis & mercatu celebrata Delos - - Hanc Aristoteles ita adpellatam prodidit, quoniam repente adparuerit enata. Aeglosthenes Cynthiam, alii Ortygiam, Asteriam, Lagiam, Chlamydiam;*

diam, Cynethum, Pyrpilem igne ibi primum reperto. Cingitur quinque millibus passuum: adsurgit Cyntho monte. De medietate situs supra actum, quum vocabulum explicaremus Cycladum. Nec solum Apollinis ibi templum, verum etiam Latonæ matris erat. Strabo sub finem libri x: ἡ μὲν Δῆλος ἐν πεδίῳ κειμένην ἔχει τὴν πόλιν, καὶ τὸ ἱερὸν τοῦ Ἀπόλλωνος, καὶ τὸ Λητῷον· ὑπέρκειται δὲ τῆς πόλεως ὄρος ὑψηλὸν ὁ Κύνθος καὶ τραχύ· ποταμὸς δὲ διαρρεῖ τὴν νῆσον Ἰνωπὸς οὐ μέγας, καὶ γὰρ ἡ νῆσος μικρά. hoc est, *Delus vrbem habet in planicie sitam, & fana Apollinis atque Latonæ: supra vrbem est mons excelsus ac asper Cynthus: perfluit insulam Inopus fluuius non magnus, quum insula quoque sit parua.* Ideo ab Virgilio sub initium Georg. III vocatur *Latonia Delos.* Mons *Cynthus* Apollini, æque ac ipsa Delus, cognomen dat, vt non modo *Delius* poetis sed *Cynthius* etiam adpelletur, & soror Phœbe *Cynthia.* De mercatu Cicero pro Lege Manil. cap. XVIII *Insula Delos tam procul a nobis in Aegæo mari posita, quo omnes vndique cum mercibus atque oneribus commeabant, referta diuitiis, parua, sine muro nihil timebat.* Et Plinius lib. XXXIV cap. II *Antiquissima æris gloria Deliaco fuit, mercatus in Delo concelebrante toto orbe.* Auctus mercatus, vt Strabo sub finem libri x obseruat, deleta ab Romanis Corintho. ἐκεῖσε γὰρ μετεχώρησαν οἱ ἔμποροι, καὶ τῆς ἀτελείας τοῦ ἱεροῦ προκαλουμένης αὐτοὺς καὶ τῆς εὐκαιρίας τοῦ λιμένος. *Eo enim mercatores transierunt, inuitante eos immunitate templi, & commoditate portus.* Ipsa quoque insula ἐν καλῷ κεῖται, *opportune sita* ex Italia Græciaque in Asiam nauigantibus. Fingunt de Delo, olim instabilem natasse, ob Latonæ autem partum geminis columnis, vicinis insulis Mycono & Gyaro fuisse firmatam. Ouidius Metamorph. lib. VI vers. 333

> - - - - - *quam vix erratica Delos*
> *Orantem accepit.*

Et Petronius Arbiter fragmento Satyrici:

> *Delos iam stabili reuincta terra,*
> *Olim purpureo mari natabat,*
> *Et motu leuis hinc inde vento*
> *Ibat fluctibus inquieta summis.*
> *Mox illam geminis Deus catenis,*

Hac alta Gyaro ligauit, illam
Constanti Myone dedit tenendam.

Strabo ex Pindari quodam fragmento, simulac parturiens Latona in insulam delata fuerit, quatuor illam columnis stabilitam firmatamque esse, refert.

Delo proxima est parua insula *Rhene*, siue *Rhenia*, *Rhenêa*, aut *Rhenaa*; non enim vno modo scribitur, quæ sepulcra Deliorum continebat, quia in sacra insula nefas erat sepelire. Plinio *Rhene* est: Thucydidi & Straboni Ῥήνεια, *Rhenêa*: Plutarcho in Nicia pag. 525 Ῥηνία, *Rhenia*: Herodoto lib. VI cap. XCVII ἐν τῇ Ῥηναίῃ, *in Rhenaa*. Tam propinqua autem Delo est, vt, Thucydide referente lib. III pag. 242, Polycrates, Samiorum tyrannus, τὴν Ῥήνειαν ἑλὼν, ἀλύσει δήσας πρὸς τὴν Δῆλον, *Rhenêam occupatam catena Delo coniungens* Apollini Delio consecrauerit. Strabo dicto loco: Ῥήνεια ἔρημόν νησίδιόν ἐστιν ἐν τέτρασι τῆς Δήλου σταδίοις, ὅπου τὰ μνήματα τοῖς Δηλίοις ἐστίν. οὐ γὰρ ἔξεστιν ἐν αὐτῇ τῇ Δήλῳ θάπτειν, οὐδὲ καίειν νεκρόν. *Rhenêa parua & deserta insula est intra quartum a Delo stadium, vbi sepulcra sunt Deliorum, quia in ipsa Delo mortuum sepelire aut cremare nefas est.* Adde Thucydidem dicto loco.

In Petronii carmine conspeximus modo, quam propinquæ Melo sint *Myconus* & *Gyarus*, quasi sustinentes illam columnæ. MYCONVS, Μύκονος, quæ nomen retinet; illa insula secundum Strabonem extremo X est, sub qua vltimi Centaurorum ab Hercule interfectorum iacere finguntur: indeque adagium natum: *omnia sub vnam Myconum*, πάνθ' ὑπὸ μίαν Μύκονον. PLINIVS: *Myconos cum monte Dimasto: a Delo* XV *millia passuum.* Thucydides lib. III pag. 190 προσμίξαντες ἀπ' αὐτῆς τῇ Ἰκάρῳ καὶ Μυκόνῳ, *ab illa* [Delo] *ad Icariam & Myconum accedentes*. Ouidius Metamorph. VII vers. 463

Hinc humilem Myconon, cretosaque rura Cimoli.

GYARVS autem, Γύαρος, ex altero Deli latere est, in qua Strabo nihil inuenit nisi κώμιον ὑπὸ ἁλιέων συνοικούμενον, *viculum a piscatoribus habitatum*. ob quam solitudinem exsilio Romanorum destinata. Tacitus annali III cap. LXVIII *Ille* [L. Piso] *aqua atque igni Silano interdicendum censuit, ipsumque in insulam Gyarum relegandum.* Et cap. LXIX *addidit, insulam Gyarum immitem &*

sine

sine cultu hominum esse. Plinius lib. IV cap. XII *Gyaros cum oppido, circuitu* XII M. *passuum. Abest ab Andro* LXII M. P. Etiam Mela *Gyaros* scripsit: quidam vero *Gyara.* Iuuenalis Satyr. X vers. 170

Vt Gyaræ clausus scopulis, paruaque Scripho.

Et plurali numero. Idem satyra I vers. 73

Aude aliquid breuibus Gyaris & carcere dignum,
Si vis esse aliquis.

In austrum a Melo vergit PAROS siue *Parus*, Πάρος Græce, diues candidissimi marmoris insula, quod inde *lapis Parius* adpellatur. Plinius loco sæpe dicto: *Paros cum oppido, ab Delo* XXXVIII M. *marmore nobilis.* Et lib. XXXVI cap. V *candido marmore vsi sunt e Paro insula, quem lapidem cœpere lychniten adpellare.* Oppidum insulæ permunitum erat. Corn. Nepos Miltiade cap. VII *Parum insulam, opibus elatam, quum oratione reconciliare non posset, copias e nauibus eduxit, vrbem operibus clausit, omnique commeatu priuauit: deinde vineis ac testudinibus constitutis propius muros accessit.* Ipsa Pariorum ciuitas, quod Strabo adnotauit, duas colonias condidit, Thasum, in insula Thaso; & Parium ad Propontidem. A marmore Virgilius Aeneid. III vers. 126 Paron dixit *niueam,*

Olearon, niueamque Paron, - - -

& Ouidius *marmoream*, Metamorph. VII vers. 465

- - - - *planamque Seriphon,*
Marmoreamque Paron.

Inter Delum & Parum est insula SYROS, Σύρος, quam Strabo proxime post Parum describit. Memorat etiam Plinius. Suidas in Φερεκύδης, qui ex hac insula oriundus fuit: ἔστι δὲ νῆσος μία τῶν Κυκλάδων ἡ Σύρα πλησίον Δήλου, *Est vero Syra insula vna Cycladum prope Delum.* Est & tertia forma vocabuli, *Syria*, Συρία, apud Homerum Odyss. O vers. 402

Νῆσός τις Συρίη κικλήσκεται (εἴπου ἀκούεις).
Ορτυγίης καθύπερθεν.
Insula quædam Syria vocatur (sicubi audis)
Supra Ortygiam, id est Delon.

A Delo in ortum NAXVS, Νάξος, ἀξιόλογος, *memorabilis* Straboni, quæ & vrbem habuit. Ptolemæus lib. III cap. XV Νάξου νήσου ἡ

πόλις, Naxi insulæ oppidum. Plinius IV cap. XII *Ab ea* [Paro] *septem millibus quingentis Naxus; a Delo* XVIII, *cum oppido: quam Strongylen, dein Dian, mox Dionysiada a vinearum fertilitate, alii Siciliam minorem, aut Callipolin adpellauerunt.* Agathemerus lib. I cap. V τῶν Κυκλάδων κρατίστη ἐστὶν ἡ Νάξος, διὸ μικρὰ λέγεται Σικελία, *Inter Cyclades insulas optima est Naxus: ideo etiam Sicilia parua vocatur.* Apollonius quoque lib. IV verſ. 435 dixit Δίαν ſeu Δίην: vbi ſcholiaſtes, Δίῃ· ἐν τῇ Νάξῳ. τὸ γὰρ ἔσκε παλαιότερον ὄνομα Νάξῳ, *Dia, id est in Naxo. nam antiquum Naxi nomen fuit Dia.* Nomen Dionyſiadis videtur Maro Aen. III verſ. 125 reſpexiſſe,

Bacchatamque iugis Naxum, viridemque Donysam.

Vbi enim vini prouentus largior, Bacchus vehementius colebatur. Nummi etiam exſtant inſcripti ΝΑΞΙΩΝ, quos ad hanc Naxum pertinere, inſignia adpreſſa, Fortuna cum gubernaculo ſuo, quod roſtro nauis impoſitum eſt, & Copiæ cornu probant.

Hactenus de iis, quæ ab Artemidoro, Strabone, Pomponio, & Scylace in Cycladibus numerantur: quarum quædam a Plinio inter Sporadas referuntur. ſed ſuperiores maluimus ſequi, ipſo etiam ſitu inuitante, vt ad illorum ſententiam accedamus. Nec vero, quod omnes medium κύκλου, *orbis* ponunt, in inſulam Delon ſic incidet, niſi alias ex ſeptemtrione in periodum illam adſumamus: aut Cycladas non a perfecto circulo, ſed ſemicirculo fortaſſe nomen habere exiſtimemus. Sed quoquo illæ referendæ ſint, exponemus quæ ab Andro & Delo in ſeptemtrionem ſitæ ſunt inſulæ.

SCYROS, Σκύρος, prima eſt, quæ ſeruat nomen *Sciro* hodieque, Eubœæ mediæ obiecta. Memorarunt Plinius & Strabo; & Ptolemæus lib. III cap. XIII extremo: Σκύρος νῆσος καὶ πόλις, *Scyrus insula & oppidum.* Clara exſilio & morte Theſei, Athenienſis regis. Valerius Maximus lib. V cap. III *Huius* [Theſei] *ſubmoti ab Athenienſibus, Scyros, exſule minor inſula, oſſa mortui cepit.* Dolopes olim incoluerunt, prædones intolerandi, quos Cimon Athenienſis expulit, vti Plutarchus Vita pag. 483, & Thucydides lib. I pag. 65 referunt. Adiacet inſula minor nunc *Scanda* dicta, quæ videtur Plinii & Melæ *Scandila* eſſe.

Strabo

Strabo lib. IX pag. 390 coniungit Scyron cum iis pluribus, quæ ante Magnetas sitæ sint: e quibus, ἐν ὀνόματι, *in fama* sint Σκίαθος, *Sciathus*, Πεπάρηθος, *Peparethus*: Ικὸς, *Icos*; & Ἁλόνησος, *Halonesus*. Prima SCIATHUS Magnesiæ opposita. Liuius lib. XXXI cap. XLV *retro, vnde venerant, Sciathum, & ab Sciatho Eubœam repetunt*. Similis cursus classis Persicæ notatus ab Herodoto lib. VII cap. CLXXIX. Apollonius lib. I Argonaut. vers. 583

Φαίνετο δ' εἰναλίη Σκίαθος. Φαίνοντο δ' ἄπωθεν
Πειρεσιαὶ, Μαγνησά θ' ὑπεύδιος ἠπείροιο Ἀκτη.

Adparuit maritima Sciathos, adparebant procul Piresiæ, Magnesiaque planum terræ litus. Scholiastes ad hæc: νῆσος ἡ Σκίαθος τῆς Θεσσαλίας, ἐγγὺς Εὐβοίας, *Sciathos insula est Thessaliæ, prope Eubœam.*

PEPARETHUS, Πεπάρηθος, secundum Ptolemæum a Scyro in ortum æstiuum declinat. Πεπάρηθος, inquit, νῆσος καὶ πόλις, *Peparethus, insula & oppidum.* Martianus Heracleota (siue Scymnus Chius est) pag. 24. ed. Hæschel.

Κεῖνται δὲ καὶ νησίδες αὐτῆς πλησίον,
Σκῦρος, Πεπάρηθος. - - -

Iacent vero etiam insulæ prope ipsam [Istiæam] *Scyros, Peparethos.* Hæc & vini & olei præstantissimi ferax. Plinius lib. XIV cap. VII *Apollodorus medicus in volumine, quo suasit Ptolemæo regi, quæ vina biberet, - - - laudauit Oreticum, Oeneaten, Leucadium, Ambracioten, & quod cunctis prætulit, Peparethium: sed minoris famæ esse dixit, quoniam ante sex annos non placeret.* Hinc est quod lib. IV cap. XII sect. 23 idem dixit: *Athos ante se quatuor* [insulas habet:] *Peparethum cum oppido, quondam Euœnum dictam*, IX *mill. passuum*, reliqua. Ἔυοινος enim est boni vini ferax. De olea Ouidius Metam. VII vers. 470

Et Gyaros, nitidæque ferax Peparethos oliuæ.

ICUS, Ικὸς tertia est Straboni ante Magnesiam posita. Stephanus: Ικὸς, νῆσος τῶν Κυκλάδων, προσενεχὴς τῇ Εὐβοίᾳ, *Icus, insula Cycladum, Eubœæ finitima.* Sed non proxima fuit Eubœæ, verusque situs ex Liuio probatur, qui sic lib. XXXI cap. XLV *Inde* [a Geræsto & Carysto Eubœæ] *omnes, velis in altum datis, maris medio præter Scyrum, insulam Icum peruenere: ibi paucos dies,*

sæuiente borea, retenti, vbi prima tranquillitas data est, Sciathum traiecere. Inter Sciathum ergo & Scyrum oportet esse.

HALONESVS, Ἀλόνησος, vltima ex illis quatuor Strabonis est, haud longe a Sciatho. Pomponius lib. II cap. VII *In Aegæo mari prope Thraciam Thasos, Imbros, Samothrace, Scandile, Polyagos, Sciathos, Halonesos.* Stephanus: Ἀλόνησος, περὶ ἧς Φίλιππος καὶ Ἀθηναῖοι διεφέροντο, *Halonesus, de qua Philippus & Athenienses inter se bellum gesserunt.* Plinius lib. IV cap. XII sect. 23 in eodem Aegæo mari etiam *Halonesum*, sed alio loco posuit, quam aliam a nostra esse necesse est. *Inter Cherronesum,* inquit, *& Samothracen, vtrimque fere quindecim* M. *Halonesos.* Addi in hoc tractu potest Σκόπελος, *Scopelus*, Ptolemæi.

In LEMNVM inde, quæ Λῆμνος Græce est, traiicimus, insulam nobilissimam. Duas vrbes habet, *Myrinam* in ora; & *Hephæstiam* intus, vt Plinius & chorographus Byzantius nominarunt: ille ante dicto loco: *Ab ea* [Imbro] *Lemnos* XXII M. *quæ ab Atho* LXXXVII M.P. *Circuitu patet* CXII M.P. *Oppida habet, Hephæstiam, Myrinam, in cuius forum solstitio Athos eiaculatur vmbram:* hic [Stephanus:] Λῆμνος νῆσος πρὸς τῇ Θράκῃ, δύο πόλεις ἔχουσα, Ἡφαιστίαν καὶ Μύριναν, *Lemnus insula ad Thraciam, duas vrbes habens, Hephæstiam & Myrinam.* Inde δίπολις, dicta. Scholiastes ad Apollonii lib. I vers. 604 δίπολις ἐστιν ἡ Λῆμνος. ἔχει γὰρ Ἡφαιστίαν καὶ Μυρίνην; *duarum vrbium insula Lemnos est. nam Hyphæstiam habet & Myrinam.* Ptolemæus totidem numerat: sed alteram, quæ intus sita, vocat *Hephæstiadem.* Λῆμνος νῆσος, inquit, ἐν ἧ πόλεις δύο, Μύρινα, καὶ Ἡφαιστιὰς μεσόγειος. *Lemnus insula, in qua duo oppida, Myrina & Hephæstias mediterranea.* Nomen huius ab Vulcano est, cui insula sacrata erat. Valerius Flaccus lib. II vers. 78

> - - - *iam summis Vulcania surgit*
> *Lemnos aquis.*

Et ibidem versu 95

> *Lemnos cara deo: nec fama notior Aetna*
> *Aut Lipares domus.*

A Lemno in austrum iacet parua insula, hodie S. Strati dicta, quam putant *Chrysen*, χρυσῆν esse veterum: quam certo vel dubie, in medio relinquimus. Pausanias in Arcad. cap. XXXIII

Λήμνου

Λήμνε πλοῦν ἀπεῖχεν ἐ πολὺν Χρυσῆ νῆσος. - - - ταύτην κατέλαβεν ὁ κλύδων, καὶ κατέδυ τε ἡ Χρυσῆ καὶ ἠφάνισαι κατὰ τῦ βυθῦ. *E Lemno in Chrysen insulam modicus erat nauigationis cursus. Hanc insulam æstus adluuies ad ima maris depressam aboleuit.* Meminit quidem *Chrysæ* alicuius Stephanus ex Sophocle, quæ ἐγγὺς Λήμνε, *vicina Lemno* sit; sed πόλιν, *oppidum*, eamdem dicit, non insulam, vt omnino Chrysen Troadis, ex alio latere Lemno oppositam, signare videatur, quod inde fit probabilius, quia πόλιν τῦ Ἀπόλλωνος, *vrbem Apollinis* vocat: de Troiana autem Chryse Strabo lib. XIII refert, quod templum Apollinis Sminthei habuerit.

Atque hæ notiores sunt Aegæi maris insulæ, quas modo descripsimus, quæ quidem ad Græciam proprie pertinent. Quæ supra Lemnum sunt, quia Thraciæ sunt propiores, in Thracia exponemus. Plinius lib. IV cap. XII addit plures ad Thermæum & Pagasicum sinum, sed obscuriores omnes. *Pegasicus*, inquit, *sinus ante se habet Eutychiam, Cicynethum, & Scyrum supradictam, sed Cycladum & Sporadum extimam: Gerontiam, Scandilam: Thermæus Irrhesiam, Solimniam, Eudemiam, Neam, quæ Mineruæ sacra est.* Ex his Scyrum & Scandilam supra vidimus: *Eutychia* ignota est; nec nomen certum, quia *Euthia* in MSS. quod Græce Ἐυθεῖα est. Notior *Cicynethus*. Scylax pag. 60 ἐν τῷ παγασητικῷ κόλπῳ ἐςὶ νῆσος Κικυνῆθες, *in Pagasetico sinu est insula Cicynethus.* Et Mela lib. II cap. VII *Pagasæus sinus Scyron, prospicit: Cicynethon amplectitur.* Huic addimus *Myonneson*, Μυόννησον, ex Strabonis libro IX pag. 299, νησίδιον, *paruam insulam*, contra Larissam Cremasten, positam. *Gerontiam*, & *Irrhesiam*, & *Solimniam* silent ceteri: *Neæ*, Νέαι, plurali numero, sunt νῆσος πλησίον Λήμνε *insula Lemno vicina*, vt Suidas & Stephanus tradiderunt: a νέω *nato*, dicta, quod Hercules ad eam adnatauerit. Vicina Chrysæ est, vnde serpentis morsus Philoctetæ inflictus, a Pausania dicto loco Chrysæ tribuitur, a Suidæ his Νέαις, id est *Neæ* insulæ.

Quæ huius maris insulæ in ortum vergunt & ad Asiam sitæ sunt, in Asia explicabimus, vt sunt Tenedos, Lesbos, Chios, Samus, Icaria, Patmus, Cos, & quæ aliæ in Icario Carpathioque mari sunt Sporades. *Sporades* enim, quasi dispersæ insulæ, nec in Europa sunt omnes neque in Asiæ ora; sed vt Mela & Plinius descripserunt, pars in Cretico mari, quas supra enarrauimus:

pars in Carpathio; aliæ in Icario, quod præcipuas tenet ac nobilissimas: quædam etiam nimis ab his disiectæ in Euboico mari, aut Attico, quemadmodum Plinius Helenen Sporadibus; Scyron dubie Cycladum Sporadumve extremam, quam paullo ante in aceruo Sporadum connumerauerat. Ordo ergo Sporadum, vt ibidem dicit, seruari non potest: neque numerus illarum est certior.

In Europæ Sporadibus restant quædam memorandæ; AMORGVS, hodie Morgo, haud longe a Naxo distans, orientem versus. Strabo lib. X extremo: ἔςι καὶ Ἀμοργὸς τῶν Σποράδων, *est & Amorgus vna de Sporadibus.* Plinius plura eius nomina recenset, sed nullius ea momenti. Patria hæc Simonidis fuit, iamborum scriptoris, quod Strabo adnotauit. In hanc insulam quoque damnati relegabantur. Tacitus annali IV cap. XXX de Vibii Sereni pœna: *ita Serenus Amorgum reportatur.*

In austrum hinc IOS sita, ferme in mari Cretico; quæ hodie *Nio* vocatur, gemina voce, ἐν Ἴῳ, contracta in vnam. Strabo lib. X pag. 334 æquali interuallo ab Anaphe & Therasia ἀπέχει νησίδιον Ἴος, ἐν ᾧ κεκηδεῦσθαί φασί τινες τὸν ποιητὴν Ὅμηρον, *abest parua insula Ios, in quaquidam Homerum poetam funeratum dicunt.* Plinius sæpe dicto cap. XII *Distat Ios a Thera viginti quinque millibus passuum.* Stephanus: Ἴος νῆσος τῶν Κυκλάδων, ἀπὸ Ἰώνων οἰκησάντων· ὅθεν ἦν Ὁμήρου μήτηρ, ὡς ὁ χρησμός. *Ios, insula Cycladum sic dicta ab Ionibus qui inhabitabant. Ex hac erat Homeri mater, vt in oraculo legimus.* Pars oraculi est:

Ἔςιν Ἴος νῆσος μητρὸς πατρὶς, ἥ σε θανόντα δέξεται.

Est Ios insula matris patria, quæ te mortuum tenebit.

Supra Naxum, prope Patmum & Icariam, *Donusa*, vt Plinius scripsit, siue *Donysa*, vt Mela: & Virgilius Aen. III v. 125

Bacchatamque iugis Naxon, viridemque Donysam.

Tacitus, vt Plinius, *Donusa.* Annali IV cap. XXX *cum Gallus Asinius Gyaro aut Donusa claudendum censeret.* De Vibii Sereni supplicio consultabatur. In illarum ergo numero fuit, quo damnati deportabantur; Quod vero *viridem* Virgilius dixit, & insequente versu *niueam Paron;* plures putant, ibi viride marmor excisum fuisse, vt candidum in Paro: Seruius vero dubitanter: *Viridem Donysam. vel a colore marmoris Lacedæmonii; vel siluestrem.*

strem. Ceteras huius situs, ad Asiæ expositionem reseruamus, cui propiores videntur esse, licet certo non possit definiri, inter quas Europæ & Asiæ limes in hoc mari, quod Aegæum dicunt, pertranseat.

Incertæ positionis sunt Plinii Sporades aliæ *Phacussa, Nicasia, Schinussa, Cinara*: nisi quod Stephanus de Nicasia, νησίδιον μικρὸν πλησίον Νάξου, *perparua insula prope Naxum.* Athenæus quoque lib. II extremo Κίναρον λεγομένην νῆσον, *insulam quæ Cinarus vocetur*, memorauit: nihil vero quidquam de illius situ addidit. Minus cognitæ sunt Plinii *Odia, Letandros, Cynathus, Oenoe*, Οἰνόη: eiusdem autem *Corasiæ*, a Strabone lib. X exeunte signantur. *Prope Leriam*, inquit, ἐστὶ ἡ Πάτμος, καὶ Κορασσίαι πρὸς δύσιν κείμεναι τῇ Ἰκαρίᾳ, *Patmus est & Corassiæ, ad occasum positæ aduersus Icariam.* Sed scopuli videntur *Corassiæ* magis esse quam insulæ.

CAPVT XV

DE

THRACIA.

THracia, Græce Θρᾴκη, qua forma etiam poetæ Latini vtuntur, vt Horatius lib. II oda XVI *bello furiosa Thrace;* Hæc, inquam, *Thracia* inter Hæmum montem & Aegæum mare, Propontidem & Pontum Euxinum intercepta, plerisque locis aspera & montosa est, &, nisi qua mari propinqua, infecunda & frigida, etiam ingenia ferens horridiora, id est solo suo & cælo non dissimilia. Pomponius Mela lib. II cap. II de Thracia: *Regio nec cælo læta nec solo: & nisi qua mari propior est, infecunda, frigida, eorumque quæ seruntur, maligne admodum patiens. - - - Viros benignius alit, non ad speciem tamen; nam & illis asper atque indecens corporum habitus est: ceterum ad ferociam & numerum vt multi immitesque sint, maxime ferax. Paucos amnes qui in pelagum euadunt, verum celeberrimos, Hebrum & Neston & Strymona emittit. Montes interior attollit, Hæmon & Rhodopen, & Orbelon, sacris Liberi patris & cœtu Mænadum, Orpheo primum initiante, celebratos. Ex quibus Hæmus in tantum altitudinis abit, vt Euxinum & Hadriam ex summo vertice ostendat.* De Rhodope monte infra: *Orbelus* autem, Græce Ὄρβηλος, a Ptolemæo ponitur

nitur lib. III cap. IX in Mœsiæ superioris, Macedoniæ & Thraciæ confinio, ferme circa fontes Strymonis. Memorauit etiam Herodotus illum lib. V cap. XVI.

Addi & montibus debent & fluminibus. Montibus, *Pangæus*, septemtrionalis terminus Adiectæ Macedoniæ, hoc est eius partis, quæ inter Strymonem & Nestum est sita. Plinius prope Nestum ponit: Dio Cassius prope Philippos. Ille lib. IV cap. XI *Bessorum multa nomina ad Nestum amnem, Pangæi montis ima ambientem.* Hic, lib. XLVII pag. 347 *Norbanus & Saxa*, [Octaviani & Antonii duces] *antequam Cassius & Brutus in Macedoniam venirent*, πᾶσαν τὴν μέχρι τοῦ Παγγαίου γῆν προκατασχόντες καὶ πρὸς τοῖς Φιλίπποις στρατοπεδευσάμενοι. τὸ δὲ δὴ ἄστυ τοῦτο παρά τε τῷ Παγγαίῳ καὶ παρὰ τῷ Συμβόλῳ κεῖται, *omni regione vsque ad Pangæum occupata, apud Philippos castra posuerant. Vrbs autem illa & Pangæo & Symbolo adiacet.* Virgilius Georg. IV verſ. 462

Altaque Pangæa, & Rhesi Mauortia tellus.

nam Thracia Marti sacrata. Et Lucanus lib. I verſ. 679

- - - - video Pangæa niuosis

Cana iugis, latosque Hæmi sub rupe Philippos.

Σύμβολον, *Symbolum* autem Dioni ibidem est χωρίον, *tractus*, & ὄρος, *mons*, ita dictum, quod ἑτέρῳ τινὶ ἐς μεσόγειαν ἀνατείνοντι συμβάλλει. καὶ ἔστι μεταξὺ Νέας πόλεως καὶ τῶν Φιλίππων, *alii monti, in mediterranea se extendenti, committatur: estque inter Neapolim & Philippos.*

De *Hæmo* monte notamus, a multis scribi Αἶμος, *Æmus:* sed verius cum adſpiratione, quia ante se tenuem præpositionis litteram adſpirat. Theocritus idyll. VII verſ. 76 μακρὸν ὑφ' Αἷμον. Qui id iugi incolunt, *Hæmimontani* vocantur a Sexto Rufo cap. IX, vbi posteriori æuo constituta prouincia *Hæmimons* siue *Hæmimontus*, eodem Rufi loco, & in libello prouinciarum Schonhouii. Plinius IV cap. XI *Mons Hæmus vasto iugo procumbens in Pontum, oppidum habuit in vertice Aristæum.* HABVIT, inquit, tamquam olim deletum illud oppidum fuerit, de quo silent alii, præterquam quód Diodorus Siculus lib. IV cap. LXXXIV de Aristæo Apollinis filio tradit, περὶ τὸ ὄρος τὸ καλούμενον Αἷμον οἰκήσαντα τινὰ χρόνον, *ad Hæmum, quem vocant, montem aliquamdiu habitasse:* a quo, si quod huius nominis oppidum fuit,



Septentrio
THRACIA ANTIQVA
DACIAE PARS
PONTI
EVXINI
PARS
MOESIA INFERIOR
Hæmus Mons
Danubius sive Ister flu.
Almum
Augusta
Variana
Selletica
Astica regio
Cænica regio
Vsdicesica præfectura
Bessi
BESSICA
ODRYSARVM REGIO
Dantheletæ
Den Seletæ
Philippopolis
Adrianopolis
Serdica, Sardica, Sorta Vlpia Serdica
Ternobum
Rhodope Mons
Pangæus Mons
MAEDICA
Mædi
Phragandæ
Odomantice
Bisaltæ
Edones
Philippi
Amphipolis
Bistones
Cicones
PROPONTIS
Proconnesus
Sapaica
CHERSONESVS
Imbros
Samothrace
Thasus
MACEDONIAE PARS
MARIS AEGAEI PARS
ASIAE PARS
Oriens
Meridies

fuit, tamquam ab auctore adpellationem habuit. De altitudine Hæmi supra cum Pomponio dispeximus, esse tantam videlicet, vt ex vertice vtrumque mare, Euxinum & Hadria, adpareat. Plinius IV cap. XI *Hæmi excelsitas sex millibus passuum subitur. Auersa eius & in Istrum deuexa Mœsi, Getæ, Aorsi, - - - & circa Ponti litora Moriseni, Sithoniique, Orphei vatis genitores, obtinent.* Ipsum iugum ab Illyrico ad Pontum vsque procurrit. Ei fere parallela est *Rhodope*, Ῥοδόπη, in media Thracia, tandem & ipsa prouinciæ nomen sortita.

Fluminibus Melæ addi possunt plura, in quibus sunt, *Melas*, qui *sinum Melanem* denominat: & *Aegos flumen* in Chersoneso: *Panysus, Bathynias, Athyras, Arzus* Ptolemæi: e quibus etiam *Panysus* est Plinii, qui etiam *Panissa*, gemina forma, eumdem adpellauit.

Terminus Thraciæ septemtrionalis iuxta Pontum ambiguus est. Veteres geographi Scylax, Mela, Plinius ad Istri ostia vsque proferunt, vt Istropolis, Tomi, Calatis intra Thraciam censeantur. Plinius sequutus Melam est: Mela forte Scylacem. Quod vero historici hæc & vicina oppida non Thraciæ adscribunt, sed vel in Scythia cisdanubiana, vel simpliciter in ora Ponti censent; & ipse Strabo lib. VII pag. 220 diuisit hunc tractum siue Ποντικὴν παραλίαν, *Ponticam oram*, in eam, quæ ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ στόματος τοῦ Ἴστρου μέχρι τῆς περὶ τὸν Αἷμον ὀρεινῆς, *a sacro Istri ostio pertingit vsque ad montana quæ circa Hæmum sunt*, & in eam, quæ inde est μέχρι τοῦ στόματος τοῦ κατὰ Βυζάντιον, *vsque ad os* [Bospori] *iuxta Byzantium;* Ptolemæum potius, quam Scylacem, sequimur, qui superiora, quæ vltra Hæmum sunt, in Mœsia inferiore censet, Thraciam cis Hæmum ad Mesembriam terminat. Et quæ ratio est, quum Hæmus limes in mediterraneis ab ipso Plinio constituatur, in ora vastum illud iugum transilire, & limitem proferre ad Danubium? Aut ergo in *Hæmo* limes ponatur, quem ipsa natura notabili iugo videtur constituisse: aut in proxima Hæmo *Mesembria*, vti Ptolemæus posuit, cui hæc vltimum oppidum illius Mœsiæ ad Thracum fines est. Hanc etiam Strabo lib. VII pag. 221 cis Hæmum primam posuit. Termino itaque inuento, oram maritimam Thraciæ a Nesto flumine in Aegæo mari, dein in Chersoneso, postea in Propontide & Bos-

 poro,

poro, & tandem in Euxino Ponto vſque Meſembriam perluſtrabimus.

In Macedonia adiecta quæ inter Strymonem ac Neſtum ſunt, expoſuimus ſupra cap. XIII, *Amphipolim*, *Oeſymam*, *Neapolim;* & quæ intus ſunt, *Gazorum*, *Philippos*, *Topirim*. De poſtrema addimus, ſcribi non vno modo: *Topiris* a Plinio, Τοπιρὶς a Ptolemæo: *Topirus* in nummis Getæ cum *Vlpiæ* cognomento. Holſtenius illos ad Steph. pag. 325 propoſuit inſcriptos ΟΥΛΠΙΑΣ ΤΟΠΙΡΟΥ, *Vlpiæ Topiri:* vel diphthongo ΟΥΛΠΙΑΣ ΤΟΠΕΙΡΟΥ. Concil. Epheſ. Actis pag. 110 Λȣκιανὸς ἐπίσκοπος Τοπήρȣ, *Lucianus epiſcopus Toperi:* vbi Holſtenius ex alio libro citat Τοπηρίȣ Θρᾴκης, *Toperii Thraciæ*. Procopius lib. III Goth. cap. XXXVIII Τόπερος, E breui ſcripſit: eamque ἐπιθαλασσίαν πόλιν, *maritimam vrbem* dixit, φρȣρὰν ἔχȣσαν, ἡ πρώτη μὲν Θρᾳκῶν καὶ παραλίων ἐϛὶ, *præſidium habentem, quæ prima eſt vrbium maritimarum Thraciæ*. Ptolemæus autem poſuit in mediterraneis. Scylax inter Neapolim & Neſtum ponit *Datum* oppidum, Thaſiorum coloniam, ſi Euſtathio in Dionyſ. verſ. 517 credemus: qui ἔνδοξον πόλιν, *nobilem vrbem* vocat, in ſitu autem a Scylace non nihil diſcrepat, vtpote περὶ τὴν τȣ̃ Στρυμόνος παραλίαν, *in ora circa Strymonem* conſtituens.

Poſt *Neſtum*, (de quo fluuio in Macedonia adiecta diximus, *Neſum*, *Neſſum*, *Neſtum* & *Meſtum* vocari: addo Thucydidi etiam Νέϛον, *Neſtum* eſſe lib. II pag. 167. poſt, inquam, Neſtum vrbs prima eaque inſignis *Abdera*, Ἄβδηρα, vrbs antiquiſſima, quam Mela ab ſorore Diomedis, ab Hercule victi; alii ab Hercule in Abderi, amati ab illo, memoriam conditam referunt, quos Stephanus ſequutus eſt. Collapſam Clazomenios colonia reſtituiſſe. Solinus auctor eſt cap. X. quod iterarunt Teii, vt Strabo lib. XIV pag. 443 narrat, adiecto prouerbio, Ἄβδηρα καλὴ Τηίων ἀποικία, *Abdera pulchra Teiorum colonia*. Græcis plurale nomen eſt: Latinis etiam ſingulare. Strabo ibidem: ὡς Ἄβδηρα, Θρᾳκίαν πόλιν. Thucydides lib. II pag. 167 ἀπὸ Ἀβδήρων πόλεως, *ab vrbe Abderis*. Plutarchus Apophtheg. Lacon. in Agide, ἐκ τῶν Ἀβδήρων, *ex Abderis*. Plinius lib. XXV cap. VIII *circa Abderam, & limitem qui Diomedis vocatur*. Idem lib. IV cap. XI *Abdera libera ciuitas*. Eius liberationem deſcripſit Liuius, lib. XLIII cap. IV.

Solinu

Solinus cap. X *Hanc Abderam Clazomenii nomini suo vindicarunt.* Patria fuit Democriti, Protagoræ, aliorumque clarorum hominum, qui inde *Abderitæ* cognominantur. Stephanus: ὁ πολίτης Ἀβδηρίτης. In nummis Vespasiani ac Titi: ΑΒΔΗΡΙΤΕΩΝ, & ΑΒΔΗΡΕΙΤΕΩΝ, *Abderitarum.*

Circa Abderam locus cum auri vel argenti fodina, dictus *Scaptesyle:* de quo Stephanus, Σκαπτησύλη πόλις Θράκης μικρὰ, ἀντικρὺ Θάσου, *Scaptesyle oppidulum Thraciæ, e regione Thasi.* Originem vocis Plutarchus Cimone pag. 481 diuisione ostendit, de Thucydide historico, cognato Cimonis, referens, τὰ χρυσεῖα περὶ τὴν Θράκην ἐκέκτητο, καὶ τελευτῆσαι μὲν ἐν τῇ Σκαπτῇ ὕλῃ (τοῦτο δ' ἐστι τῆς Θράκης χωρίον) λέγεται, φονευθεὶς ἐκεῖ, *metalla auri in Thracia possedisse, queinper habeant in Scapta Hyla (castellum id est Thraciæ) interfectum esse.* Ibi etiam historiam de Peloponnesiaco bello composuit, vt idem Plutarchus tradit de Exsilio pag. 605. Sic loci nomen etiam Marcellinus, Vitæ Thucydidis auctor scripsit, de vxore Thucydidis narrans: ἠγάγετο γυναῖκα ἀπὸ Σκαπτῆς ὕλης τῆς Θρᾴκης, πλουσίαν σφόδρα καὶ μέταλλα κεκτημένην ἐν τῇ Θρᾴκῃ. *Vxorem duxit ex Scapta Hyla Thraciæ, valde diuitem & metallorum fodinas possidentem.* Et Eustathius in Dionysii vers. 517 μέταλλα χρυσᾶ Σκάπτης ὕλης, *aurifodinæ Scaptes Hylæ.* Festus etiam meminit, sed ad Macedoniam perperam transfert. Idem adlegat Lucretium lib. VI vers. 810 scribentem de venis fodinarum:

Qualeis exspirat Scaptesula subter odores.

Quæ sequuntur, Herodotus lib. VII cap. CIX delineauit in Xerxis itinere: πόλιας Ἑλληνίδας τάσδε παραμείβετο, Μαρώνειαν, Δικαίαν, Ἄβδηρα. Ταύτας τε δὴ παρεξήιε, καὶ κατὰ ταύτας, λίμνας ὀνομαστὰς ταύτας· Μαρωνείης μὲν μεταξὺ καὶ Στρύμης κειμένην Ἰσμαρίδα· κατὰ δὲ Δικαίαν, Βιστονίδα, ἐς τὴν ποταμοὶ δύο ἐσιεῖσι τὸ ὕδωρ, Τραυός τε καὶ Κόμψατος. *Græcas has vrbes prætergressus est, Maroneam, Dicæam, Abdera: eas, inquam, præteriit, & hos, qui iuxta eas sunt, famosissimos lacus, Ismaridem, qui Maroneam Strymamque interiacet: & Bistonidem Dicææ contiguum, in quem duo flumina ingrediuntur, Trauus & Compsatus.* Eumdem ordinem seruauit Scylax: ποταμὸς Νέστος, Ἄβδηρα πόλις, Κύδητος ποταμός. αἱ δὲ πόλεις Δικαία καὶ Μαρώνεια. *fluuius Nestus, Abdera vrbs, Cudetus fluuius: vrbes vero Dicæa & Maronea.* Ignotus aliis *Cudetus*, fluuius nisi for-

ſan Aeliani eſt Κοσσινίτης, *Coſſinites*, qui per Abderitarum regionem in Biſtonidem lacum influit, lib. XV Hiſtor. Animal. cap. XXV.

Ex his *Dicæa* prima eſt poſt Abderam, ab Herodoto & Scylace ac Stephano ita adpellata. Plinio autem pluraliter *Dicæa* ſunt. *Abdera*, inquit, *libera ciuitas, ſtagnum Biſtonum & gens. Oppidum fuit Tirida, Diomedis equorum ſtabulis dirum. Nunc ſunt Dicæa, Iſmaron: locus Parthenion, Phaleſina, Maronea, prius Ortagurea dicta.* Harpocration & Suidas *Dicæopolin* vocant. Vterque enim, Δικαιόπολις, πόλις ἐν τῇ Θράκῃ πλησίον Ἀβδήρων, *Dicæopolis, oppidum in Thracia, prope Abdera.* Cetera Plinii, *Tirida* olim deleta, quod verbo *fuit* ſignificatur. *Parthenion* etiam a Stephano vrbs Thraciæ dicitur. *Iſmaron*, Stephano Ἴσμαρος πόλις Θράκης τῶν Κικόνων, *Ciconum oppidum in Thracia.* Homerus Odyſſ. ἰῶτα verſ. 39

Ἰλιόθεν με φέρων ἄνεμος Κικόνεσσι πέλασσεν
Ἰσμάρῳ, - - - -

Ab Ilio ventus me ferens Ciconibus adpulit ad Iſmarum. Et Marcianus Heracleota pag. 28 τοὺς Κίκονας τοὺς ἐν Ἰσμάρῳ. *Cicones in Iſmaro.* Hinc lacui nomen Ἰσμαρίδι, *Iſmaridi*, de quo paullo ante ex Herodoto. Et Virgilii Georg. II verſ. 37

- - - - *Iſmara Baccho Conſerere*,

Seruius interpretatur *montem Thraciæ.* Ignota penitus, quam Plinius addit, *Phaleſina.* At Herodoti *Stryma*, Stephano etiam oppidum eſt Thraciæ; Suidæ, Thaſiorum colonia & emporium; ſed hic νῆσον, *inſulam* dicit, quæ ſi eſt, coniunctiſſimam oportet continenti eſſe. Ἐν ἠπείρῳ, *in continente* vero emporia, Dicææ & Maroneæ vicina, ſunt Scylaci Δρῦς, Ζώνη, *Drys* & *Zone*: Stephano vtraque oppidum Thraciæ; hoc ſpeciatim Ciconum.

Sed citerior, quam Stryma, eſt *Maronea*, Μαρώνεια, quam Mela *ripis Neſti adiacere* ſcribit: Stephanus κατὰ τὴν ἐν Θράκῃ Χερρόνησον, *iuxta Thraciæ Cherſoneſum.* Vterque a vero loco aberrat, quem Herodotus itinere Xerxis oſtendit, & Ptolemæus, medium videlicet inter Neſtum & Cherſoneſum. Eſt enim, vt ipſe Stephanus adiecit, πόλις Κικονίας, *Ciconiæ vrbs*, & prope Iſmaridem lacum. Polybius lib. V cap. XXXIV τῶν κατ' Αἶνον καὶ Μαρώνειαν, *iuxta Aenum & Maroneam.* Coniungit & Liuius lib. XXXI. cap.

cap. XXXI *Aeneos, Maronitas, Thasios.* In nummis ΜΑΡΩΝΕΙΤΩΝ. Item in alio: ΔΙΟΝΥΣΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ ΜΑΡΩΝΙΤΩΝ, Bacchum autem ſeruatorem ſuum dixerunt propter generoſioris vini in agro eius prouentum. Plinius enim lib. XIV cap. IV *Vino antiquiſſima claritas Maroneo, in Thraciæ maritima parte genito, vt auctor eſt Homerus.* Reſpicit ad Odyſſ. ἰῶτα verſ. 197.

Herodotus lib. VII cap. CVIII reliqua attexit vſque ad Hebrum. Verſo itinere, digreſſus, inquit, Xerxes ἐκ Δορίσκου *a Dorifco*, præteriit Samothraciorum τείχεα, *munimenta*, quorum vltimum πεπόλισται πρὸς ἑσπέρην πόλις, τῇ οὔνομά ἐστι Μεσαμβρίη· ἔχεται δὲ ταύτης Θασίων πόλις Στρύμη· διὰ δέ σφέων τοῦ μέσου Λίσσος ποταμὸς διαῤῥέει, ὃς τότε οὐκ ἀντέσχετο τὸ ὕδωρ παρέχων τῷ Ξέρξεω στρατῷ, ἀλλ' ἐπέλιπε, *quorum vltimum*, inquit, *oppidum ad occaſum ſitum eſt, nomine Meſembria, cui vicinum eſt oppidum Thaſiorum Stryma, quæ oppida amnis Liſſus interfluit, cuius tunc aqua copiis Xerxis non ſuffecit, ſed defecit.* Sic poſt Maroneam habemus in ortum verſus *Strymam*, dein *Liſſum* amnem, poſt hunc Samothracum *Meſembriam*, tandem *Doriſcon*, & poſtea *Hebrum*.

Doriſcus campus deſcriptus eſt ab Herodoto lib. VII cap. LIX quod ſit πεδίον μέγα, patentiſſimus campus, per quem Hebrus defluat, in quo etiam τεῖχος βασιλήιον, *arx regia* ſit eiusdem nominis: & ad litus *Sala* & *Zona* oppida, ac vltimum *Serrium*, ἄκρα ὀνομαστή, *celebre promontorium*, cui caſtellum eiusdem nominis impoſitum fuit, a Liuio memoratum lib. XXXI cap. XVI. Stephanus: Δορίσκος, πόλις Θρᾴκης καὶ πεδίον, *Doriſcus, oppidum & campus Thraciæ:* oppidum vocat, quod Herodotus τεῖχος, *munitum locum.* Pomponius lib. II cap. II *Circa Hebrum Cicones: trans eumdem Doriſcos, vbi Xerxen copias ſuas, quia numero non poterat, ſpatio menſum ferunt. Deinde promontorium Serrium, & quo canentem Orphea ſequuta narrantur etiam nemora, Zone. Tum Neſtos fluuius.* Heic Zone promontorium vocatur, quod aliis inſula, aliis oppidum, vt ſupra vidimus. Plinius dicto loco de Doriſco: *Mons Serrium, & Zone: tum locus Doriſcus decem millium hominum capax. Ita Xerxes ibi dinumerauit exercitum. Os Hebri.*

Sequuntur *Hebri* oſtia, maximi in Thracia amnis, in duos alueos diuiſa, & ad alueum vlteriorem oppidum *Aenos.* Stephanus:

phanus: *ἐν τῇ ἐκβολῇ τοῦ Ἕβρου, διστόμου ὄντος, πόλις Αἶνος, καὶ κτίσμα Κυμαίων*, *in exitu Ebri, qui in duo ostia scinditur, sita est vrbs Aenus, quam Cymaei condiderunt.* Mela lib. II cap. II ab ortu in occasum progrediens: *Eximia est Aenos, ab Aenea profugo condita. Circa Hebrum Cicones; trans eumdem Doriscos.* Et Plinius lib. IV cap. XI verso itinere procedens: *Os Hebri. Portus Stentoris. Oppidum Aenos liberum cum Polydori tumulo, Ciconum quondam regio.* Origo itaque incerta, vt sunt quae ex Troianis temporibus petuntur: nisi parua initia Troianorum amplificata ab Cumaeis sunt. Liuius lib. XXXI cap. XVI de Philippo rege: *Maroneam quidem primo impetu expugnauit: Aenum inde cum magno labore, postremo proditione Ganymedis, praefecti Ptolemaei cepit.* Ex quo munimenta eius intelliguntur. Gentile Stephanus formari dicit Ἄινιος, *Aenius*: atque ita Plutarchus in Catone Vticensi pag. 764 fratrem eius, qui Asiam petens *ἐνόσησε περὶ Θρᾴκην ἐν Αἴνῳ*, *in morbum inciderat in Thraciae vrbe Aeno*; marmoreo monimento honoratum esse *ἐν τῇ Αἰνίων ἀγορᾷ*, *in foro Aeniorum*, tradit. Liuius autem lib. XXXI cap. XXXI videtur aliam formam Ἄινεαος expressisse. Eadem, inquit, *Aeneos, Maronitas, Thasios existimate queri.* Stephanus auctor est, alio nomine *Absynthum* dictam fuisse.

Quem interponit *Portum Stentoris*, Στέντορος, Plinius, vtique circa Aenum fuit; ab aliis autem praeteritus. Lacus vero *Stentoris*, Στεντορὶς λίμνη, proxime Aenum est. Herodotus lib. VII cap. LVII de Xerxe: *ᾔιε πρὸς ἑσπέρην, Αἶνόν τε πόλιν Αἰολίδα, καὶ Στεντορίδα λίμνην παρεξιών.* *in occasum solis contendit, Aenum, Aeolicam vrbem, & paludem Stentoridem praeteriens.*

Abhinc in tractu non exiguo vsque ad Chersonesum, neque Herodotus neque Ptolemaeus quidquam memorarunt, quod argumento est vicis tantum ac pagis illud litus, non oppidis memorabilibus, cultum & habitatum fuisse. Plinius quidem dicto loco: *A Dorisco incuruatur ora ad Macron Tichos* CXXII MP. *Circa quem locum fluuius Melas, a quo sinus adpellatur. Oppida, Cypsella, Bisanthe, Macron Tichos dictum, qua a Propontide ad Melanem sinum inter duo maria porrectus murus procurrentem excludit Chersonesum.* Sed nihil ex his ad locum nostrum pertinet, nisi *Melas* fluuius, etiam a Ptolemaeo & Liuio ac Herodoto laudatus;

tus; *Cypsela* autem, siue *Cypsella*, secundum Ptolemæum & Antoninum in mediterraneis est: *Bisanthe* ad Propontidem. De flumine & sinu Herodotus prædicto loco & κόλπον Μέλανα, καὶ Μέλανα ποταμὸν, ἀπ' οὗ ὁ κόλπος τὴν ἐπωνυμίην ἔχει, *sinum Melanem & fluuium Melanem* (nec hunc sufficientem exercitui Xerxis) *a quo sinus denominationem habet*, descripsit.

In hac ora prope Aenum fuit *Zerynthum antrum*, cui Stephanus & oppidum addit eius nominis. Antrum Hecatæ sacrum erat, cui canes ibi, vt Suidas refert, immolabantur. Lycophron vers. 77

> *Ζήρυνθον ἄντρον τῆς κυνοσφαγοῦς θεᾶς.*
> *Zerynthum antrum caniuoræ deæ.*

Scholiastes ibi, & Stephanus, etiam Phauorinus, in Thracia ponunt. Locum propius signat Liuius, sub *Zerynthii* Apollinis nomine, lib. XXXVIII cap. XLI. *Eo die*, inquit, *ad Hebrum flumen peruentum est.* Inde Aeniorum fines, præter *Apollinis (Zerynthium quem vocant incolæ) templum superant.* Ouidius lib. I Trist. eleg. IX

> *Venimus ad portus, Imbria terra, tuos.*
> *Inde leui vento Zerynthia litora nactis*
> *Threiciam tetigit fessa carina Samon.*

CHERSONESVS.

Chersonesus Thraciæ post Melanem sinum est, interque eum & Hellespontum longe in austrum & Lemnum versus decurrit. Sæpe simpliciter vocatur *Chersonesus*, vt Nepotis Miltiade, *accidit, vt Athenienses Chersonesum colonos vellent mittere*: item, *Chersoneso tali modo constituta.* Liuius lib. XXXI cap. XVI *inde progressus ad Chersonesum, Elæunta & Alopeconnesum, tradentibus ipsis, recipit.* Adde Herodotum lib. VI cap. XXXVII, & lib. VII cap. LVIII.

Ab isthmo eius incipiendum, in quo tres vrbes numerantur. Excerpta Strabonis libri VII extremi: ἐν τῷ ἰσθμῷ τῆς Χερσονήσου τρεῖς πόλεις κεῖνται· πρὸς μὲν τῷ Μέλανι κόλπῳ, Καρδία· πρὸς δὲ τῇ Προποντίδι, Πακτύη· πρὸς δὲ τῇ μεσογαίᾳ Λυσιμαχία. μῆκος τοῦ ἰσθμοῦ στάδια μ'. *In isthmo Chersonesi tres vrbes sitæ sunt: ad Melanem*

nem ſinum Cardia; ad Propontidem Pactye: in mediterraneo Lyſimachia. Plinius lib. IV cap. XI *Alius ibi iſthmos anguſtia ſimili eſt, eodem nomine & pari latitudine. Illuſtrant duæ vrbes vtrimque litora, quæ haud diſſimili modo tenuere, Pactye a Propontide; Cardia a Melane ſinu.*

Prima harum *Cardia*, Καρδία, vrbs antiqua, Herodoto dictis locis, Scylaci, & in Eumenis hiſtoria Plutarcho ac Nepoti memorata. Nomen Plinius a ſitus figura ducit, *ex facie loci nomine accepto:* quod Solinus cap. X expreſſit clarius: *quod in cordis faciem ſita ſit, dicta Cardia eſt.* Stephanus aliter; quum conderetur, quod coruus victimæ cor rapuiſſet. Lyſimachus delevit, & in proximo loco *Lyſimachiam* ſuam condidit, reductam vtrimque a mari, quum Cardia ad ſinum Melanem fuiſſet adpoſita. Pauſanias Attic. cap. IX de Lyſimacho: τὴν Καρδιανῶν πόλιν ἀνελὼν, Λυσιμαχίαν ἀντ' αὐτῆς ᾤκισεν ἐπὶ τῷ ἰσθμῷ τῆς Θρᾳκίας Χεῤῥονήσου, *quum Cardianorum vrbem euertiſſet, pro ea Lyſimachiam in iſthmo Thraciæ Cherſoneſi condidit.* Gentile enim *Cardianus*, & Nepos principio Eumenis vitæ: *Eumenes Cardianus.*

Deſiit autem poſt Lyſimachum Cardiæ mentio, & *Lyſimachia* in locum prope & memoriam ſucceſſit. Polybius lib. V cap. XXXIV in rebus Thraciæ cum Aeni & Maroneæ mentione, τῶν κατὰ Λυσιμάχειαν τόπων, *locorum quæ prope Lyſimachiam ſunt ſita.* Liuius lib. XXXIII cap. XXXVIII *Metus tum incolentes alias Cherſoneſi vrbes in deditionem dedit. Lyſimachiam inde omnibus ſimul naualibus terreſtribusque copiis* [rex Antiochus] *venit. quam quum deſertam ac ſtratam prope ruinis inueniſſet, (ceperant autem direptamque incenderant Thraces paucis ante annis) cupido eum reſtituendi nobilem vrbem, & loco ſitam opportuno cepit. Itaque omni cura ſimul eſt adgreſſus & tecta murosque reſtituere, & partim redimere ſeruientes Lyſimachienſes, partim fuga ſparſos per Helleſpontum Cherſoneſumque conquirere contrahereque, partim nouos colonos, ſpe commodorum propoſita, adſcribere, & omni modo frequentare.* Vides hinc fata huius vrbis, conditæ, deletæ, reſtitutæ. Iterum Liuius lib. XXXVIII cap. XL de Manlio: *inde per Cherſoneſum modicis itineribus, graue præda omnis generis agmen trahens, Lyſimachiæ ſtatiua habuit. - - - Quo profectus eſt ab Lyſimachia die, ad amnem Melana, quem vocant; inde poſtero die Cypſela peruenit.* Rurſus hæc vrbs

poſtea

postea decreuit. Plinius dicto loco: *deseritur & Lysimachia iam in Chersoneso.* Ptolemæus lib. III cap. XI Λυσιμαχία τὸ νῦν Ἑξαμίλιον, *Lysimachia, quæ nunc Hexamilium.* Quamquam vero interierat *Cardia*, geographi tamen memoriam seruant vna cum Lysimachia, vt olim claram, quod in Melæ II cap. II & Ptolemæi III cap. XII obseruamus.

Tertia vrbs, isthmo tributa a Strabone ac Plinio, *Pactye*, Πακτύη, vocatur, Propontidis oræ adposita, Ptolemæi æque ac Strabonis supra producto testimonio: quibus Plinius accedit itidem verbis antea adlatis, cui *Pactye a Propontide* sita est, sicut *Cardia a Melane sinu.* Scylax in Thracia: ἐκ Πακτύης εἰς Καρδίαν διὰ τοῦ αὐχένος πεζῇ στάδια μ', ἐκ θαλάττης εἰς θάλατταν, *A Pactya Cardiam per isthmi angustias sunt stadia* XL, *a mari ad mare.*

Ab isthmo ad latera Chersonesi progredimur, quæ ob auctorum dissensionem non facillima ad describendum sunt. Ptolemæus occidentale ducit a *Cardia* ad *Mastusiam* promontorium, sed nihil his terminis interiectum memorat: in australi solum *Elæuntem* habet: in orientali *Cyllam*, *Seston*, *Callipolim.* Pomponius Mela lib. II cap. II, quæ ad laterum discretionem faciant, hæc habet: *Est Eleus, quæ finit Hellespontum. - - - Eius* [Aegæi] *tractum legentibus, præteruectisque Mastusiam, tum sinus intrandus est, qui alterum Chersonesi latus abluens, iugo facie vallis includitur, & ex fluuio quem accipit, Melas dictus, duas vrbes amplectitur, Alopeconnesum, & in altero isthmi litore sitam Cardiam.* Quæ si ita sunt, *Mastusia* in occasum spectat, vt quoque posuit Ptolemæus. Sed Plinius ab his videtur dissentire, quum lib. IV cap. XI ait, *promontorium Chersonesi Mastusiam aduersum Sigeo* esse, quibus verbis ad orientem potius quam occidentem videtur referri. quod enim *aduersum* est alicui, e regione eius ac ex propinquo opponitur. Sed duo valent aduersus vnum, & Mela per se aduersus Plinium, qui Melam plerumque in aliis sequutus est. Plinium tamen non nihil Isacius Tzetzes, Lycophronis vetus interpres, iuuat, qui in vers. 534 ad vocem Μαζουσία (quæ eadem & Μαστουσία est, quia μαζὸς & μαστὸς idem) pag. 93 commentatur: οἱ μὲν ἄλλοι ἡ Μαζουσία λέγουσι μετὰ τοῦ ἄρθρου, καὶ φασὶν αὐτὴν ἀκρωτήριον εἶναι Ἐλεοῦντος, *Alii quidem Mazusia cum articulo* [tamquam proprium nomen] *legunt, & promontorium Eleuntis* esse

esse perbibent. Quod si est, ad orientem referendum est australis lateris, vbi Eleus ad Hellespontum est: quam sententiam quoque Isaacus Vossius ad Melam pag. 130 sequutus est. Sed paullo ante Mela Mastusiam *frontem* Chersonesi, quasi totum latus australe, nominauit. *Terra*, inquit, *quæ sequitur nusquam lata, atque hic arctissima inter Hellespontum Aegæumque procurrit. Angustias Isthmon; frontem eius Mastusiam; totam, Chersonesum adpellant, ob multa memorabilem.* An ergo inde aliquid conciliationis est?

Haud procul ab hoc promontorio Ἀλωπεκόννησος, *Alopeconnesus* abfuit, quia Mela dixit, Melanem sinum duabus oris duas vrbes amplecti Cardiam & Alopeconnesum. Nomen præ se insulam fert: ideoque Plinius etiam lib. IV cap. XII in insulis connumerauit, sed deceptus haud dubie vocabulo. nam ceteri omnes in Chersoneso posuerunt. Liuius lib. XXXI cap. XVI post Aeni, Cypselorum & Dorisci expugnationem de Philippo rege: *Inde progressus ad Chersonnesum, Elæunta & Alopeconnesum, tradentibus ipsis, recepit. Callipolis quoque & Madytos dedita.* En inter medias Chersonesi vrbes Alopeconnesum! Suidas: Ἀλωπεκόννησος πόλις ἐστὶ μία τῶν ἐν Χεῤῥονήσῳ, *Alopeconnesus est vrbs quædam illarum quæ sunt in Chersoneso.* Et Stephanus simplici N, Ἀλωπεκόνησος, πόλις τῆς Ἑλλησποντίας Χεῤῥονήσου *Alopeconesus, oppidum Hellespontiæ Chersonesi.* Et Scymnus, siue Heracleota pag. 29 post Lysimachiæ descriptionem:

Εἶτ' Αἰολέων Ἀλωπεκόννησος πόλις.
Ἑξῆς Ἐλαιοῦς Ἀττικὴν ἀποικίαν Ἔχουσα.
Deinde vrbs Alopeconnesos ab Aeolis condita,
Post quam Elæus Atticam habens coloniam.

Plinius circa hoc & australe latus plura addit lib. IV cap. XI. *Promontorium*, inquit, *Chersonesi Mastusia aduersum Sigeo: cuius in fronte obliqua Cynossema. ita adpellatur Hecubæ tumulus, statio Achæorum. Turris & delubrum Protesilai. Et in extrema Chersonesi fronte, quæ vocatur Aeolium, oppidum Elæus. Dein petenti Melanem sinum, portus Cœlos, & Panhormus, & supra dicta Cardia.* At dictum antea, Plinium, secus ac ceteros, in ortum nimis *Mastusiam* promontorium protulisse ad *Hecubæ tumulum* & *stationem Achæorum*, quam ad Hellespontum fuisse æque vt *Protesilai turrim,*

turrim, propter Troiæ positionem credibile est. De his Pomponius prædicto loco: *Sunt Protesilai ossa consecrata delubro. Est & portus Cœlos, Atheniensibus & Lacedæmoniis nauali acie decernentibus, Laconicæ classis signatus excidio. Est Cynossema, tumulus Hecubæ, siue ex figura canis, in quam conuersa creditur; siue ex fortuna, in quam deciderat, humili nomine accepto.*

Ex hisce intelligitur, *Protesilai turrim*, seu sepulcrum, cum *delubro* ad Hellespontum fuisse, quo loco Græci sub Agamemnone in Asiam aduersus Troiam traiecerunt: & quidem, quod Arrianus lib. I Expedit. Alex. tradit, ad extremam oram Hellesponti fuit, vbi australi lateri Thraciæ Chersonesi ille coniungitur. Alexander enim, Arriano referente pag. 31, ἐλθὼν ἐς Ἐλεοῦντα θύει Πρωτεσιλάῳ ἐπὶ τῷ τάφῳ τοῦ Πρωτεσιλάου, *quum Eleuntem venisset, Protesilao ad sepulcrum Protesilai sacrificauit.* De Protesilai sorte, primi ex Græca classe in Asiam exscendentis, primique a Troianis interfecti, præter Arrianum dicto loco, Hyginus fab. CIII consulatur. Ouidius lib. XII Metam. vers. 67

- - - *Hectorea primus fataliter hasta,*
Protesilae, cadis.

Inter hoc Protesilai monimentum & oppidum Sestum, fuit etiam *Cynossema* siue *Hecubæ tumulus*; sub promontorio forte huius nominis, aut in illo. Thucydides, qui diuisit vocabulum, lib. VIII pag. 618 ἄκρα ἣ Κυνὸς σῆμα καλεῖται, *promontorium quod canis sepulcrum vocatur.* Prope illud fuit *portus Cœlos.* Nam Mela tradit ad hunc portum victos Spartanos esse ab Atheniensibus, quod in hoc tractu nusquam contigit nisi gemino prælio inter Sestum & Abydum commisso, quod vtrumque Diodorus Siculus descripsit lib. XIII. nam de priore ait cap. XXXIX μεταξὺ Ἀβύδου καὶ Σηστοῦ τῆς ναυμαχίας γινομένης, *quum inter Abydum & Sestum pugna naualis instituceretur.* Et cap. XL victores Athenienses ἔστησαν τρόπαιον ἐπὶ τῆς ἄκρας, οὗ τὸ τῆς Ἑκάβης ἐστὶ μνημεῖον, *tropæum in promontorio erexerunt, vbi Hecubæ sepulcrum est.* Ergo & Cynossema seu Hecubæ monimentum, & *portus Cœlos* prope Sestum sunt, quod Ptolemæus confirmat, qui *Cyllam* (Κύλλα est Græce) ab Sesto meridiem versus adposuit Hellesponto. Accedit quod Isaacus Vossius ad Melam notauit, in MSS. Ptolemæi esse Κοῖλα, *Cœla*, pluraliter. Plinius quidem videtur

portum Cœlum, ad latus occidentale reducere, quum dixit ab Elæunte ſinum Melanem petenti occurrere *portum Cœlum*, deinde *Panormum*, tandem *Cardiam*: ſed contra trium conſenſionem nequaquam audiendus eſt. *Panormum* vero, de quo nihil aliunde conſtat, in illo latere, quo Plinius poſuit, relinquemus.

Eleûs ſiue *Elæûs* oppidum, portus, promontorium, in extremo latere meridiali, vbi orientale & Helleſpontum contingit, & ſic quaſi ambiguo ſitu. Ptolemæus in auſtrali locat: Stephanus Ἐλαιοῦς πόλις ἐν Ἑλλησπόντῳ, *Elæus vrbs in Helleſponto*, quod latus Cherſoneſi orientale eſt. Quem ſitum etiam Arrianus Exped. Alex. lib. I pag. 32 monſtrauit; ἐξ Ἐλεοῦντος, *ex Eleunte* Alexandrum in portum Achæum per Hellespontum traieciſſe, ex eoque in Aſia primum poſuiſſe pedem, indeque veniſſe Ilium. Et Pomponius Mela lib. II cap. II *Eſt Eleûs quæ finit Helleſpontum. Aegæum ſtatim pelagus vaſte longum litus impellit.*

Quod ideo monſtrandum erat curatius, quia Ptolemæus ab Helleſponto occaſum verſus quodam ſpatio, ſed perperam, reduxit. Scribitur ambigue. Herodotus, Arrianus, Strabo excerptis extremis, & ex Latinis Mela, vt in optimis libris eſt, E ſimplici hoc nominis ſcripſerunt Ἐλεοῦς, *Eleûs*: contra Thucydides vltimo Peloponneſiaci belli prœlio, Ptolemæus, Stephanus, & Plinius diphthongo, Ἐλαιοῦς *Elæûs*. De genere Strabo lib. VII extr. ἡ πόλις ὁ Ἐλεοῦς ἀρσενικῶς λέγεται, *vrbs, hic Eleûs, virili genere dicitur*. Nihilominus Mela dicto loco: *Eſt Madytos, eſt Eleus, quæ finit Helleſpontum.* De portu iam dictum ex Arriano, cui Herodotus lib. VII cap. XXI adiungi poteſt: promontorium quod adiacet, Ptolemæus ſupra Elæuntem ſtatuit hoc ordine

Ἐλαιοῦς	*Elæûs*,
καὶ τὸ ἐχόμενον ἄκρον,	*& adhærens promontorium*,
Κύλλα [Κοῖλα]	*Cylla*, [*Cœla*]
Σηστὸς	*Seſtus*.

Voſſius in Melam id *Maſtuſiam* promontorium eſſe contendit, quod Ptolemæus in extremo occidentis latere poſuerat.

Seſtus, Σηστός, vrbs medio Helleſponto adpoſita, cui in Aſia Abydus obiacet, freto ſeptem vel octo ſtadiorum intercedente, amoribus Herûs & Leandri famoſa, quæ inde Σηστιὰς [illegible] *Hero* a Muſæo verſ. 24 dicta, cuius etiam ante paullo verſ. [illegible] eſt deſcriptio :

Σηςὸς ἔην καὶ Ἄβυδος ἐναντίον ἔγγυθι πόντυ,
Γείτονές εἰσι πόλησ,
Sextus erat & Abydus e regione posita prope mare:
Vicina sunt oppida.

Et Lucanus lib. II vers. 674 de Xerxis ponte:

Europamque Asiæ, Sestonque admouit Abydo.

Et Thucydides lib. VIII pag. 588 de Strombichide, Atheniensi duce: *ἐπ' Ἄβυδον ἦλθε· καὶ ὡς ὔτε προσεχώρεν, ὔτε προσβαλὼν ἐδύνατο ἑλεῖν, ἐς τὸ ἀντιπέρας τῆς Ἀβύδυ ἀποπλεύσας, Σηςὸν πόλιν τῆς Χερσονήσυ καθίςατο φρύριον καὶ φυλακὴν τῦ παντὸς Ἑλλησπόντυ, ad Abydum venit: & quum oppidani neque se dederent, nec expugnari possent, in oppositum Abydo litus nauigans, Sesto præsidium imposuit, quod totum Hellespontum custodiret.* Pomponius lib. II cap. II *Ist & Abydo obiacens Sestos, Leandri amore nobilis.* Gentile *Sestius.* Stephanus: *ὁ πολίτης Σήςιος.* Nummus Gordiani, ΣΗΣΤΙΩΝ. Hodie famosi *Dardanelli* sunt vbi Sestus & Abydos erant.

Supra Seston memorabile est *Aegos flumen*, quod ita vocat Corn. Nepos Lysandro cap. IV, Alcibiade cap. VIII, & Conone cap. I. vbi a Lacedæmoniis Athenienses tanta clade adfecti sunt, vt libertatem & omnia amitterent. Stephanus vrbem vocat: *Ἀιγὸς ποταμοὶ, πόλις ἐν Ἑλλησπόντῳ, Capræ flumina, oppidum in Hellesponto.* Sic etiam Tzetzes Chiliad. II vers. 894

Ἐν ποταμοῖς τοῖς τῆς Ἀιγὸς· Θρᾴκης δὲ τοῦτο πόλις,
In fluminibus Aegos: Thraciæ hoc oppidum est.

Vulgo, vt non en fert, putatur amnis esse: aut nauium statio, quia Diodorus Siculus lib. XIII cap. CV, & Plutarchus Alcib. p. 211 classem *ἐν Ἀιγὸς ποταμοῖς* stetisse tradunt. Forsen ita conciliari potest, vt amnis & oppido, quod præfluebat, & nauali, in quod effunditur, nomen largitus fuerit.

Suprema ad Hellespontum, vbi Propontidi iungitur, *Callipolis* est, quæ ita Lampsaco, vt Sestus Abydo in Asia opponitur. Plinius lib. IV cap. XI *Hellespontus septem stadiis Europam ab Asia diuidens, quatuor inter se contrarias vrbes habet, in Europa Callipolin & Seston, in Asia Lampsacum & Abydon.* Eadem Strabo lib. XIII p. [illegible] [illegible] τῇ [illegible] τῆς [illegible] ἐςὶ Καλλίπολις [illegible]

Λαμ[illegible]

ὁ[illegible]

διων. E regione [Lampſaci] *in Cherſoneſo oppidulum eſt Callipolis, ſitum in litore quod longe extenditur ad Aſiam verſus, ſecundum Lampſacenorum vrbem: vt traiectus ſit minor quam* XL *ſtadiorum.* Strabonem exſcripſit Stephanus, ſed prauatus in hac periodo & mutilus. Ptolemæus quoque eodem ſitu Καλλίπολιν, *Callipolim* ſuam poſuit. Liuius lib. XXXI cap. XVI *Inde progreſſus* [Philippus] *ad Cherſoneſum, Elaunta & Alopeconneſum, tradentibus ipſis, recepit. Callipolis quoque & Madytos dedita & caſtella quædam ignobilia.* Nomen hodieque ſeruat, validum propugnaculum Turcorum.

Hæc in ora *Cherſoneſi,* quam ab Aſia *Hellespontus* ſeiungit, fretum ab Helle in eo ſubmerſa nominatum, vt in fabulis eſt apud Hyginum Poet. Aſtr. lib. II cap. XX in Ariete. Aries enim fingitur, qui Phrixum & Hellen, ſororem eius, Athamantis regis filios geſtauerit, ex quo Helle decidente, nomen mari natum ſit. Adde Ouidii epiſtolam Leandri v. 137 ſeqq. & qua Hero illi reſpondet verſ. 123. 128. De anguſtia ſupra diximus: non autem breue id fretum eſt, quod iungit Propontidem Aegæo. Ouidius Metamorph. XIII verſ. 407

Longus in anguſtum qua clauditur Hellespontus.

Mediterranea Cherſoneſi non ſatis nota ſunt. Superiori loco fuit Αγορὰ, *Agora,* quaſi forum. Scylax: πόλις ἐν τῷ μέσῳ, ᾗ ὄνομα Αγορὰ, *oppidum in medio* [Cherſoneſi] *eſt, cui nomen Agora.* Herodotus lib. VII cap. LVIII de tranſitu Xerxis per Cherſoneſum: ἐν δεξιῇ μὲν ἔχων τὸν Ἕλλης τάφον τῆς Αθάμαντος, ἐν ἀριστερῇ δὲ Καρδίην πόλιν. διὰ μέσης δὲ πορευόμενος πόλιος, τῇ ὄνομα τυγχάνει ἐὸν Αγορῇ. ἐντεῦθεν δὲ κάμπτων τὸν κόλπον τὸν Μέλανα καλεόμενον, *dextrorſum tumulum Helles habens Athamantis filiæ; ſiniſtrorſum Cardiam vrbem tranſiit, per medium oppidum, cui nomen eſt Agora. Vnde ad ſinum Melana deflectebat.*

Deinde eſt *Ciſſa* oppidum, ad *Aegos flumen,* quod adluit. Plinius lib. IV cap. XI *Cherſoneſus a Propontide habuit Tiriſtaſin. Crithotem: Ciſſam flumini Aegos adpoſitam.* Non certiſſimum hoc nomen eſt. Scylacis enim Periplo legitur: ἐντὸς δὲ Αἰγὸς ποταμῦ Κρήσσα, Κρηθωτὴ, Πακτύη, *intra Aegos flumen Creſſa, Crethote, Pactye.* Dubium ergo, ſitne *Ciſſa,* an *Criſſa,* an *Creſſa* hoc loco legendum, quia eamdem vrbem & Scylax & Plinius, cuius flumen

flumen idem, significare videntur. *Tiristasis* Plinii etiam a Scylace Τειρίςασις vocatur, sed huic extra Chersonesum posita. Ait enim, μετὰ τὴν Χεῤῥόνησόν ἐςι Θράκια τείχη τάδε· πρῶτον, Λευκὴ ἀκτὴ, Τειρίςασις, Ηράκλεια, Γάνος, Γανίαι, Νέον τεῖχος, Πέρινθος πόλις καὶ λιμήν. *Post Chersonesum Thracica oppida haec sunt: primum, Litus album, Tiristasis, Heraclea, Ganus, Ganiae, Nouus murus, Perinthus vrbs cum portu.* Satis confuse, vt adparet: & quo iure Ganus ac Ganiae; Heraclea & Perinthus separentur, nondum intelligo: vt sic quoque in incerto relinquendum sit, vter horum, Plinius an Scylax in Tiristasi a vero loco aberrauerit.

Crithote Plinii, etiam Heracleotae seu Scymno pag. 29 Κριθωτὴ scripta est

Εἶτ' ἐςὶ Κριθωτὴ, πόλις τε Πακτύη.
Deinde Crithote est, & vrbs Pactye:

quae scriptura vtique praeferenda est alteri Κρηθωτὴ, *Crethote*, quae erat Scylacis: & Ptolemaei *Crithea*, quamquam haec in Graeco textu non adparet, quo versus aliqui desiderantur; sed tantummodo in Latina interpretatione est posita, & tabula Agathodaemonis, quam etiam in situ constituendo sequuti sumus. De reliquis ex Periplo Scylacis adductis, extra Chersonesum, vbi ipse constituit, dispiciemus.

Madytos in eodem tractu fuit, aliquoties a Liuio memorata Lib. XXXI cap. XVI *Progressus ad Chersonesum* [Philippus] *Elaunta & Alopeconnesum, tradentibus ipsis, recepit: Callipolis quoque & Madytos dedita, & castella quaedam ignobilia.* Et lib. XXXIII cap. XXXVIII *Ipse* [rex Antiochus] *initio veris, nauibus ab Ephesо profectus, Hellespontum petit: terrestres copias Madytum traiicit, Chersonesi vrbem: terrestri naualem exercitum iunxit. & quia clauserant portas, circumdedit moenia armatis, & iam opera admouenti deditio est facta.* Ptolemaei interpres Latinus, & auctor tabulae ad eumdem, *Madi* habent, quod, licet curtatum, locum tamen positionis quodammodo nos docuit, quum aliunde certior haberi non possit; ex Liuio solum probatur, haud longe ab Hellesponto hanc vrbem abfuisse.

Superest locus, cui nomen erat *Chidria*, τὰ Χείδρια, quo refugerunt Athenienses, circumuenti & victi ad Aegospotamos.

Xeno-

Xenophon poſt initium lib. II de Rebus Græcor. pag. 268 *τοὺς πλείστους ἄνδρας ἐν τῇ γῇ ξυνέλεξαν· οἱ δὲ καὶ ἔφυγον ἐς τὰ Χείδρια, maior hominum pars in terra capta: reliqui aufugerunt in Chidria.* Plura de loco hoc non conſtant: nec litoralis fuerit, an mediterraneus, diſcerni poteſt facile: in litore vero & nauibus plus ſpei ad fugam habuiſſe credibile eſt.

Procopius de ædific. lib. IV cap. X de Iuſtiniani operibus in Thraciæ Cherſoneſo, præter Seſti, Callipolis & Elæuntis reparationem refert, *πόλιν Ἀφροδισιάδα ἐρύματι ἐχυρωτάτῳ περιεβάλλετο, ἀτείχιστον ἐκ τοῦ ἐπιπλεῖστον τὰ πρότερα οὖσαν. Καὶ Κίβεριν πόλιν ἐπ' ἐδάφους κειμένην, τειχήρη πεποιημένος, ξυνῴκισεν, Vrbem Aphrodiſiadem, vndique fere nudam, mœnibus firmiſſimis cinxit: vrbi Ciberi, quæ euerſa iacebat, muros atque incolas dedit*, & alia ornamenta. Sed neque *Ciberis* poſitionem demonſtrare poſſumus; neque *Aphrodiſias* ab Antonino itinere a Traianopoli Callipolim, inter Apros & Callipolim poſita intra Cherſoneſum cadit, ſed extra illam ſupra Cardiam in mediterranea.

ORA PROPONTIDIS ET PONTI.

Supra iſthmum Cherſoneſi in ora Propontidis eſt primum *Macrontichos*, Μακρὸν τεῖχος, id eſt *Longus murus*, quem Plinius ita lib. IV cap. XI deſcripſit: *Oppida: Cypſella, Biſanthe, Macron Tichos dictum, qua a Propontide ad Melanem ſinum inter duo maria porrectus murus procurrentem excluſit Cherſoneſum.* Hauſit ex Melæ lib. II cap. II qui eadem præiuit: *Poſt* [Biſanthen & Cypſelam] *locus quem Graii* Μακρὸν τεῖχος *adpellant, & in radice magnæ peninſulæ ſedens Lyſimachia.* Ptolemæus Μακρὸν τεῖχος, *Longum murum* velut oppidum ad Propontidem inter Pactyen & Biſanthen habet poſitum, vt de ſitu dubitare, ſi oppidum quoque eius nominis fuit, ſaltem de termino muri, non liceat. Non autem hic cum alio Longo muro, poſteriori ætate a Propontide ad Pontum ducto, vt tutior in medio ad Boſporum ſita Conſtantinopolis eſſet, confundatur, de quo in Thracia medii æui ſumus dicturi.

Biſan-

Bisanthe ergo ad Propontidem fuit: quod etiam Mela adfirmauit. *In Propontide*, inquit, *Selymbria*, *Perinthos*, - - - *tum Rheso regnata quondam pars Thraciæ; & Bisanthe Samiorum.* Samiorum coloniam etiam Stephanus dixit, quamquam perperam ad Macedoniam reduxit: Βισάνθη πόλις Μακεδονίας κατὰ Θράκην Ἑλληνὶς, ἄποικος Σαμίων, *Bisanthe vrbs Græca Macedoniæ iuxta Thraciam, Samiorum colonia.* Dicta etiam fuit *Rhædestus*, vel *Rhædestum*, præsertim æuo posteriori. Ptolemæus lib. III cap. XI Βισάνθη ἤτοι Ῥαιδεστὸν, *Bisanthe siue Rhædestum.* Procopius de Aedific. lib. IV cap. IX Ἡρακλείας δὲ ἄποθεν ἡμέρας ὁδὸν χωρίον ἐπιθαλάσσιον ἦν, Ῥαιδεστὸς ὄνομα, παρὰ πλοῦ μὲν ἐφ' Ἑλλησπόντου καλῶς κείμενον· εὐλίμενον δὲ καὶ τῇ κατὰ θάλασσαν ἐργασίᾳ ἐπιτηδείως ἔχον. *Rhædestus erat locus maritimus, vnius diei itinere ab Heraclea distans, commodo ad Hellespontum enauigandum situ; portu facili, & ad maritimum commercium peropportuno.* Suidas: Ῥαιδεστὸς, πόλις, *Rhædestus, oppidum quoddam.* Abr. Berckelius ad Stephani Βισάνθην censet, eumdem locum esse, quem *Resiston* duobus itineribus Antoninus dixit, quasi prauato nomine ex Ptolemæi, Procopii, & Suidæ *Rhædesto.* Sed eruditissimi viri pace dissentimus. Quisquis enim istius itinerarii auctor est, *Resiston* in via posuit, quæ ab vrbe Apris fert Heracleam, vt inter vtramque sit media. *Bisanthe* autem extra illam viam erat publicam.

Bisanthæ *Ganum* adiungimus, incerti quamuis, quo loco accedat aut latere. Plinius IV cap. XI *In ora amnis Erginus: oppidum fuit Ganus.* Quod *fuit*, olim euersum erat. Scylax: Τειρίστασις, Ἡράκλεια, Γάνος. Xenophon lib. VII Expedit. Cyri pag. 241 ἐπειδὰν ἐπὶ θάλατταν ἀπέλθοι, παραδώσειν αὐτῷ Βισάνθην, καὶ Γάνον, καὶ Νέον τεῖχος, *quum ad mare venerit, tradet ei Bisanthen, & Ganum, & Nouum munimentum.* Est & Hierocli Γάνος, *Ganus*, inter episcopales vrbes in prouincia Thraciæ Europa. Ex dictis adparet, Xenophontis maxime, in ora fuisse Propontidis.

Sequitur apud Ptolemæum amnis *Arzus*, inter Bisanthen & Perinthum in Propontidem se effundens: & tum ipsa vrbs *Perinthus*, quæ posteriori æuo *Heraclea* est adpellata. Ptolemæus: Πέρινθος, ἤτοι Ἡράκλεια, *Perinthus siue Heraclea.* Zosimus lib. I cap. LXI de Aureliano: διατρίβοντι αὐτῷ κατὰ τὴν Πέρινθον, ἡ νῦν Ἡράκλεια μετωνόμασται, συνίσταταί τις ἐπιβουλή. *Commoranti apud Perin-*

 thum,

thum, quae mutato nomine iam Heraclea dicitur, insidiae facta sunt. Sozomenus H. E. lib. VI cap. VII Hypatianum dicit τὸν Ἡρακλείας τῆς Περίνθου ἐπίσκοπον, *Heracleae Perinthi episcopum.* Antiquum autem nomen *Perinthus* erat. Situm ita descripsit Diodorus Siculus lib. XVI cap. LXXVII ἡ Πέρινθος κεῖται παρὰ θάλατταν ἐπί τινος αὐχένος ὑψηλοῦ, χεῤῥονήσου σταδιαῖον ἐχούσης τὸν αὐχένα. τὰς δὲ οἰκίας ἔχει πεπυκνωμένας, καὶ τοῖς ὕψεσι διαφερούσας. αὗται δὲ ταῖς οἰκοδομαῖς ἀεὶ κατὰ τὴν εἰς τὸν λόφον ἀνάβασιν ἀλλήλων ὑπερέχουσι, καὶ τὸ σχῆμα τῆς ὅλης πόλεως θεατροειδὲς ἀποτελοῦσι. *Perinthus ad mare sita est in edito peninsulae iugo, ad stadii longitudinem porrecto. aedes inter se confertas & altitudine conspicuas habet. nam aliae identidem alias pro accliuitate collis supereminent, formaque Vrbis quamdam theatri similitudinem refert.* De peninsula ita Plinius lib. IV cap. XI *Perinthus latitudine* CC *passuum continenti adnexa.* Marcianus Heracleota sub finem Periegef. pag. 29

- - - - Σαμίων ἀποικία
Πέρινθός ἐστιν, ἐχομένη ἡ Σηλυμβρία,
- - - - *Samiorum colonia*
Perinthus est; proxima Selymbria.

Quando mutatum nomen fuerit, non est liquidum. Ptolemaeus si se recte habet, nec recentiore manu de Heraclea illud (ἤτοι Ἡράκλεια) adscriptum est, satis antiquum & alterum hoc nomen est. Dubitare vero liceat, quia posteriores nummi Seueri & filiorum prioris tantum nominis rationem habent. Nummus Mediceus, prodente illustri Spanhemio pag. 826 ΕΠΙΔΗΜΙΑ Β. ΣΕΥΗΡΟΥ ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, *Aduentus II. Seueri, Perinthiorum Neocorôn.* Et Getae nummus apud Harduinum p. 398 ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Posteriores *Heracleam* adpellant, Vopiscus & Eutropius, vbi necem Aureliani describunt: & Philostorgius lib. VIII cap. XVII τῆς ἐν Θρᾴκῃ ἐφορεύων Ἡρακλείας, & lib. IX cap. XIV ὁ Δωρόθεος ἐξ Ἡρακλείας τῆς Θρᾴκης, id est episcopus Heracleensis. Dignitatem Procopius lib. IV de Aedific. cap. IX declarauit, τὰ πρωτεῖα, *primum locum* prouinciae ante Constantinopolim tenuisse: post dedicatam illam, δευτερεῖα, *secundum.*

Succedit *Selymbria*, vt modo ex Scymni versu adparuit, & Ptolemaei ordo confirmat, cui, etiam Herodoto lib. VI cap. XXXIII,

XXXIII, nec non Straboni lib. VII pag. 221, eſt Σηλυβρία: at Scylax & Stephanus ſcripſerunt Σελυμβρία, quam formam Latini tuentur. Mela lib. II cap. II *In Propontide Selymbria, Perinthos Bithynis.* Plinius lib. IV cap. XI *Oppida, Selymbria, Perinthus.* Antoninus itineribus ſuis nullam eius rationem habuit, quod forſan interciderat: alia vero inter Perinthum & Byzantium poſuit, de quibus dicemus poſtea. Nomen *Selymbria* Strabo interpretatur σήλυος πόλιν, quia vox βρία, *bria*, θρακιστὶ, *lingua Thracica* ſonet oppidum.

Inter Perinthum & Byzantium duo Antoninus interpoſuit, *Cænophrurion & Melantiadem*: illud ſonat Nouum caſtellum, vt Pæanius etiam Καινὸν Φρούριον vertit Eutropii *Cænophrurium.* Hic enim lib. IX cap. IX narrat, *interfectus eſt* [Aurelianus] *in itineris medio, quod inter Conſtantinopolin & Heracleam eſt ſtratæ veteris. Locus Cænophrurium appellatur.* Metaphraſtes: ὄνομά ἐστι τῷ τόπῳ Καινὸν Φρούριον. Id quod Aurelius Victor iunior, vt ſolet, iisdem verbis repetiit. Ex quibus illud diſpicitur, vltra Selymbriam ſitum fuiſſe, quia *in medio itineris* fuiſſe dicitur ab Heraclea Conſtantinopolim. Confirmat Antonini iter per Macedoniam Conſtantinopolim:

Apris - - -		
Reſiſton	M. P.	XXVI
Heracleam	M. P.	XXVI
Cænophrurion	M. P.	XXIV
Melantiada	M. P.	XXVIII
Byzantium	M. P.	XVIIII.

Et alio itinere ab Vrbe in orientem idem ordo ſeruatur per *Heracleam, Cænophrurion, Melantiada, Bizantium,* quamquam numerus milliariorum non nihil diſcrepet. In eamdem Vopiſcus quoque ſententiam concedit in Aureliano cap. XXXV *Quum iter faceret, apud Cænophrurium, manſionem, quæ eſt inter Heracliam & Byzantium, malitia notarii ſui & manu Mucaporis interemtus eſt.* Erratum ergo in tabula Auguſtana eſt, qua *Cenoprurium,* (ſic praue ſcriptum eſt) citra Perinthum & Heracleam (nam & hæ ibidem diſtinguuntur) eſt conſtitutum. In tabula eadem eſt XII millibus ab vrbe *Regium*, Ῥήγιον Procopii lib IV de Aedific. cap. VIII: vbi data eſt lex V Cod. Theod. de contrah. emtione.

Sed citra Regium in illa Peutingeriana Tabula est *Melontiana*, quod legas *Melantiana*, quæ vltima ante Byzantium in Antonini itineribus est *Melantias*, Μελαντιὰς, locus bene descriptus a Suida. Μελαντιὰς, inquit, ἡ νῦν περὶ πολλοῖς λεγομένη Μελιτίας, κώμη τῆς Θρᾴκης, δύο καὶ ἑκατὸν σαδίοις διεςῶσα τῆ Βυζαντίου. παραῤῥεῖ δὲ αὐτὴν Ἀθύρας ποταμὸς, ἐς ὀλίγον τι προελθὼν, καὶ ἐπὶ ἄνεμον Καικίαν ὀλίγον τι ἠρέμα ἐκκλίνας, ἐς Προποντίδα τὸν ῥοῦν ἀπερεύγεται. ἔνθεν καὶ τὸ πρὸς αὐτῇ ἐπίνειον τὴν ἀπ' αὐτοῦ φέρεται προσηγορίαν. *Melantias, quæ nunc vulgo Melitias vocatur, Thraciæ vicus,* C I I *stadiis Byzantio distans. Eum Athyras amnis præterfluit, qui paullum progressus & Cæciam ventum versus declinans sensim, in Propontidem exit. Hinc & nauale illud, quod in eo litore est, nomen ab ipso fert.* Non ergo in litore fuit *Melantias*, sed paullo supra illud: nauale vero ad ostium *Athyræ* fluuii, a Melantiade decurrentis, de suo nomen dedit *Melantiaci naualis*, vel simili circumscriptione. Ammianus Marcellinus lib. XXXI cap. XXXI [Valesf. cap. XI] villam dixit Cæsarianam. *Valens,* inquit, *egressus Antiochia, venit Constantinopolim: - - - ipse ad Melantiada, villam Cæsarianam profectus, militem stipendio fouebat & alimentis.* Chronicon Alexandrinum p. 896 ἐπὶ τὰ μέρη Μελαντιάδος, *circa Melantiadem.*

Vltra Athyram fluuium, Byzantium versus, Ptolemæus posuit alium, Βαθύνιαν, *Bathyniam*, qui etiam a Plinio memoratus est. Videtur Appiani Βιθύας, *Bithyas* esse, bello Mithridatico pag. 296. Mela in hac ora, vt supra vidimus, oppidum habet *Bathynidem* siue *Bithynidem:* quod si fuit aliquod (ceteris enim ignotum est) ad hoc flumen fuisse non est quod dubitemus.

Mela huic oræ addit *Erginum* fluuium. Post Selymbriæ, Perinthi & Bithynidis enarrationem, adiungit: *amnes, qui interfluunt, Erginos & Athyras.* Plinius: *in ora amnis Erginus:* sed inter quæ oppida labatur, neuter definiuit. Nec plus indicii pro certiore loco ex Apollonii versu 217 lib. I Argonaut. habemus,

- - - ποταμοῖο παρὰ ῥόον Εργίνοιο,

iuxta fluenta amnis Ergini.

Alter fluuius Ἀθύρας, *Athyras* a Ptolemæo & Suida per θ scribitur: in Melæ autem libris vulgatis *Atyras* sine adspiratione.

Hæc in *Propontide*, quod mare est inter Euxinum & Aegæum, vtrimque freto interfluente connexum, ibi, Bosporo Thra-

cio;

cio; heic, Hellespont. Plinius lib. IV cap. XII *Inde* [ab Hellesponto] *exspatiatur æquor, rursusque in arctum coit: laxitas Propontis adpellatur: angustiæ Thracius Bosporus latitudine* [illegible] *passuum, qua Darius, pater Xerxis, copias ponte transuexit.* Ouidius lib. III Trist. eleg. XII

Fas quoque ab ore freti longæque Propontidos vndis
Huc aliquem certo vela dedisse Noto.

Ipse *Bosporus* cognominatur *Thracius*, vt ab altero, cui *Cimmerio* cognomen est, discernatur. Ptolemæus lib. III cap. XI στόμα τοῦ Πόντου, ὁ καλεῖται Θρᾴκιος Βόσπορος, *os Ponti, quod Thracius Bosporus vocatur.* Arrianus Periplo extremo: τὰ ἀπὸ τοῦ Βοσπόρου, τοῦ Κιμμερίου ἐπὶ Βόσπορον τὸν Θρᾴκιον καὶ πόλιν Βυζάντιον, *Hæc sunt a Bosporo Cimmerio ad Bosporum Thracium ipsamque vrbem Byzantium.* Originem nominis ad Io, mutatam in vaccam, fabulæ referunt, quæ hoc fretum traiecerit. Dionysius Periegef. verf. 140

Τῇ δ' ἐπὶ Θρηϊκίου στόμα Βοσπόρου, ὃ πάρος Ἰὼ
Ἥρης ἐννεσίῃσιν ἐνήξατο πόρτις ἐοῦσα.

hoc est: *Hunc item post Thracii ostium Bospori, quem olim Io Iunonis impulsu tranauit, iuuenca quum esset.* Alias adpellationis rationes tradit scholiastes Apollonii ad lib. II verf. 168. Dicitur etiam *Mysius Bosporus*, quia Mysiam, ad Propontidem sitam regionem, ora altera attingit. Eustathius ad Dionysii versum prædictum ὁ Θρᾳκικὸς Βόσπορος, ὁ καὶ Μύσιος, *Thracicus Bosporus, qui & Mysius vocatur.* Et post paullo ex Arriano: πόρθμος ὁ κατὰ Χαλκηδόνα καὶ Βυζάντιον, ὁ ποτὲ Μύσιος, διότι Μυσοὶ ἀντιπέρας ᾤκουν τῆς Θρᾴκης, *fretum, quod iuxta Chalcedonem est & Byzantium, quondam vocabatur Mysium, quia Mysi ex opposito Thraciæ habitant.* Herodotus lib. IV cap. LXXXV vocat τῆς Χαλκηδονίης τὸν Βόσπορον, *Chalcedoniæ terræ Bosporum*, eiusque latitudinem minimam habere dicit τέσσερας σταδίους, *quatuor stadia:* aliis autem est latior.

Vbi Bosporus Propontidi adhæret, adposita est nobilis vrbs *Byzantium*, quæ postea auctior facta ornatiorque, *Constantinopolis* nomen recepit. Sed hoc ad alius temporis geographiam reseruamus. Vetus Byzantium iam nobis curæ est. Origo eius narratur varie. Strabo lib. VII pag. 221 dicit post Chalcedonem, quæ Megarensium colonia est, Apollinis ferri auspiciis & oraculo conditam. an etiam a Megarensibus, aperte non dicit;

cit; vtique autem Stephanus; clarius Marcianus in Periegesi sub finem;

Ἑξῆς Μεγαρέων εὐτυχῶν Βυζάντιον,

Deinde est Megarensium fortunatorum Byzantium.

Eustathius in Dionysii vers. 804 Βύζης ἡγεῖτο τοῦ τῶν Μεγαρέων στόλου, οἱ καὶ ἔκτισαν τὸ Βυζάντιον, *Byzas dux fuit Megarensium classis, qui etiam Byzantium condiderunt.* Stephano Byzas est Neptuni filius. Sed quisquis ille fuit, ipso auctore Byzantii gloriati sunt. Quum enim pæne multi horum nummi supersint, inscripti ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ; quidam etiam nomen ΒΥΖΑϹ cum senili capite galeato, quo haud dubie conditor vrbis significatur, præferunt. Velleius lib. II cap. XV tribuit Milesiis originem vrbis: Iustinus lib. IX cap. I Spartanis: Ammianus lib. XXII cap. XII Atheniensibus. Quæ ita conciliari fortassis possunt, vt plures successu temporis, prioribus pulsis, colonias in tam opportunum locum a diuersis deductas statuamus: quod non obscure ipse Iustinus significauit. *Hæc*, inquit, *vrbs condita primo a Pausania, rege Spartanorum, & per* VII *annos possessa fuit: deinde variante victoria nunc Lacedæmoniorum, nunc Atheniensium iuris habita est. Quæ incerta possessio effecit, vt, nemine quasi suam auxiliis iuuante, libertatem constantius tueretur.* Hanc libertatem etiam sub Romanis conseruauit. Plinius lib. IV cap. XI *Promontorium Chrysoceras, in quo oppidum Byzantium liberæ conditionis, antea Lygos dictum.* Nomen vetus etiam Ausonius tradit de Clar. vrb. in Constantinopoli & Carthagine:

Angustas mutastis opes & nomina: tu quum
Byzantina Lygos; tu Punica Byrsa fuisti.

Situm vrbis εὐκαιρότατον καὶ πρὸς ἀσφάλειαν καὶ πρὸς εὐδαιμονίαν πάντων τῶν ἐν τῇ καθ' ἡμᾶς οἰκουμένῃ, *opportunissimum & ad securitatem & ad felicem rerum adfluentiam, si quis alius in nostro orbe sit*, Polybius lib. IV cap. XXXVIII laudauit: quod pluribus verbis Xiphilinus ex Dione in caussa Pescennii Nigri persequutus est. Ouidius Trist. lib. I eleg. XI

Quaque tenent Ponti Byzantia litora fauces.
Hic locus est gemini ianua vasta maris.

Supra Byzantium LXXX stadiis est ad Bosporum *Daphnes portus*, λιμὴν Δάφνης, ab Arriano notatus Periplo Ponti extremo: & inde

inde per ſtadia XL, vbi *ϛόμα τȣ͂ Πόντȣ, os Ponti*, id eſt finis Boſpori, & initium Ponti Euxini, erat *τὸ ἱερὸν τȣ͂ Διὸς Οὐρίȣ, fanum Iouis Vrii:* a quo tantumdem ſpatium, id eſt XL ſtadiorum ad inſulas *Cyaneas* eſt., de quibus poſt dicturi ſumus in inſulis ad Thraciam.

Ora Ponti ſequitur a Boſporo vſque Meſembriam vel Hæmi extrema: quam itidem Arrianus illuſtrauit; nec minus lib. III cap. XI Ptolemæus. Ab auſtro adſcendenti prima vrbs eſt *Phinopolis, Φινόπολις*, cuius ſitum Ptolemæi rationes conſtituunt. Non habet Arrianus illius mentionem: vtique autem Plinius lib. IV cap. XI. *Phinopolis*, inquit, *iuxta quam Bosporus*, id eſt prima vrbs Ponti poſt Bosporum, ex Melæ & Ptolemæi diſpoſitione. Sed quia diſtantiam locorum in hac ora Arrianus curatius, quam ceteri, notauit, pretium eſt, inuerſo eius itinere, hæc ex Periplo excerpere.

Fano Iouis Vrii, vbi os Ponti		
Cyaneas inſulas	XL	ſtadia
Phrygiam	CCCXX	ſtad.
Salmydeſſum	CCCXXX	ſtad.
Thyniadem acten	CC	ſtad.
[illegible]œnia	CXX	ſtad.
[illegible]eſum	CL	ſtad.
[illegible]niam	LX	
Anchialum	CLXXX	ſtad.
Meſembriam	LXX	ſtad.
Hæmi extrema	XC	ſtad.

Quæ prima Arriani *Phrygia*, videntur *Phileæ* eſſe Pomponii, qui lib. II cap. II ita a ſeptemtrione progreditur in auſtrum verſus: *Recta dehinc* [ab Apollonia] *ora, niſi quod media ferme in promontorium, quod Thyniam vocant, exit, & incuruis contra ſe littoribus obtenditur, vrbesque ſuſtinet Halmydeſſon & Phileas & Phinopolin.* Ptolemæo hoc loco eſt, *Φιλία ἄκρα, Philia promontorium*, ſub quo haud dubie *Phileæ*, Melæ oppidum, fuerunt. Zoſimus lib. I cap. XXXIV meminit *Phileatinæ paludis*, quæ itidem ſitu cum loco Melæ & Ptolemæi prope conuenit. *Φιλεατίνη*, inquit, *λίμνη κατὰ δυτικὰς τροπὰς Βυζαντίȣ πρὸς τῷ Πόντῳ παράκειται, Phileatina palus ad occaſum ſolſtitialem Byzantii Ponto adiacet.* Et quid coniectu-

iecturis opus est ex locorum vicinitate? clare periplus anonymi, quem Vossius edidit, quod quæritur, reuelat pag. 164: ἀπὸ Ἀλμυδισσοῦ εἰς Φρυγίαν τὴν καὶ λεγομένην Φιλίαν, *ab Halmydesso ad Phrygiam, quæ etiam Philia adpellatur.*

Quæ sequitur vrbs, modo gemino nominatur *Halmydessus* & *Salmydessus*, quia & alibi adspiratio in sibilantem videmus conuersam. Herodotus lib. IV cap. XCIII, Diodorus Siculus lib. XIV cap. XXXVIII, Strabo lib. I pag. 34, & Arrianus Periplo, ac Stephanus Σαλμυδησσὸν cum sibilo, *Salmydessum*, adpellant, quibus Lycophronem adiungimus versu 1286, & Xenophontem lib. VII Exped. Cyr. p. 241, quorum est Σαλμυδισσὸς *Salmydissus*, contra Pomponius Mela & Plinius *Halmydessus*; & ex Græcis Peripli Pontici auctor anonymus Ἁλμυδησσὸς, Ptolemæus Ἁλμυδισσός, Non ignobilem ergo *Halmydessum* seu *Salmydessum* fuisse, ex tot auctorum commemoratione manifestum est: nec vero omnes vrbem adpellant, sed Ptolemæus, Ἀλμυδισσὸς αἰγιαλὸς *Halmydissum litus*; Stephanus, Ἀλμυδησσός κόλπος τοῦ Πόντου, *Halmydessus sinus Ponti.* Quo Siculus quoque Diodorus intendit quum τὸν Σαλμυδησσὸν οἰκοῦντας, *Salmydessum colentes*, virili genere, quo non πόλιν, sed vel κόλπον vel αἰγιαλὸν subaudit. Nihil vere dissentiunt. Et vrbis & litoris & sinus commune nomen fuit: vrbe excisa, litori & sinui nomen apud scriptores posterioris æui mansit.

Thynias litus, Θυνιὰς ἀκτὴ, Arriani est: Ptolemæi Θινιὰς ἄκρα, *Thinias promontorium:* at Plinius: *Oppida, Thynias, Halmydessus, Deueltum:* Mela quoque, vt supra vidimus, Thyniam dixit promontorium, in eo consentiens cum Ptolemæo.

Aulæi mœnia siue *castellum*, Græce Αὐλαίου τεῖχος, solius Arriani est & anonymi, qui suum ex illius periplo transscripsit. Θηρῶν χωρίον, *venationis domum* ille anonymus interpretatur. Guil. Stuckius Latine *mœnia* vertit: Vossius, *castellum.* τεῖχος enim munimentum est, siue castellum. Quæ sequitur *Chersonesus* Arriani, inter hoc castellum est & Apolloniam, in qua ὅρμος ναυσὶ, *portus* seu *statio nauium* est, vtroque Periplorum consentiente auctore. Interponit Ptolemæus Περοντικὸν, *Peronticum*, & Τόνζου, *Tonzu* vel *Tonzi*, de quibus nihil præterea nobis cognitum est.

Apollonia

Apollonia Milesiorum colonia fuit, vnde colossum M. Lucullus abstulit, & in Capitolio locauit. Strabo lib. VII pag. 220 Ἀπολλωνία ἄποικος Μιλησίων, τὸ πλέον τῦ κτίσματος ἱδρυμένον ἔχυσα ἐν νησίῳ τινὶ, ὅπυ ἱερὸν τῦ Ἀπόλλωνος· ἐξ ὗ Μάρκος Λεύκολλος τὸν κολοσσὸν ἦρε καὶ ἀνέθηκεν ἐν τῷ Καπητωλίῳ, τὸν τῦ Ἀπόλλωνος. *Apollonia est Milesiorum, vrbs maiore sui parte condita in parua insula, in qua Apollinis fanum est: vnde M. Lucullus colossum Apollinis sublatum in Capitolio dedicauit.* Plinius lib. XXXIV cap. VII de mole colossorum: *Talis est in Capitolio Apollo, translatus a M. Lucullo ex Apollonia, Ponti Vrbe, XXX cubitorum, quingentis talentis factus.* Stephanus secundam suam Apolloniam ponit ἐν νήσῳ πρὸς τῇ Σαλμυδησσῷ, *in insula iuxta Salmydessum.* De insula dubitat Salmasius ad Solinum pag. 151, cui Strabo Apolloniam Asiæ in Ponti insula cum hac nostra confudisse, quas Plinius lib. VI cap. XIII distinxit; Stephanus Strabonem sequutus videtur. De Luculli expeditione Eutropius lib. VI cap. VIII *Alter Lucullus* [Marcus] *qui Macedoniam administrabat, - - - multas supra Pontum positas ciuitates adgressus est. Illic Apolloniam euertit.*

Supra Apolloniam *Anchialus* est, oppidum Apolloniatium. Strabo lib. VII pag. 221 εἶτ' Ἀγχιάλη πολίχνιον Ἀπολλωνιατῶν, *Deinde Anchiale est* (nam plures formæ vocabuli) *oppidum Apolloniatium.* Mela dicto loco: *Odessos, Mesembria, Anchialos.* Plinius neutro genere: *Nunc in ora Mesembria, Anchialum, vbi Messa fuerat.* Zosimus quoque memorauit sub Valeriano lib. I. cap. XXXIV; & Trebellius Pollio Vita Claudii cap. XII *Barbari, Anchialo vastata, conati sunt Nicopolin etiam obtinere* Et Ammianus lib. XXII cap. XIX *Tomi, & Apollonia, & Anchialos.* Omnes igitur *Anchialos* siue *Anchialus:* etiam Ptolemæus Ἀγχίαλος: solus fere Strabo *Anchiale;* & Plinius *Anchialum.* Strabonem sequutus est Eustathius ad Dionys. vers. 875 ἔστι καὶ Θρακικὴ Ἀγχιάλη, κατὰ τὸν γεώγραφον, *Est etiam Thracica Anchiale, secundum geographum,* id est Strabonem, quem honoris caussa ita nominat.

Et heic finit Ptolemæus oram Thraciæ, vlteriora quæ sunt, & ipsam *Mesembriam*, Mœsiæ inferiori adiudicauit, vt supra de terminis Thraciæ, & antea cap. VIII in Mœsia commonstrauimus, vbi etiam de *Mesembria*, quæ *Mesambria* Herodoto & in nummis est, diximus. Sita est cis Hæmum montem XC

ſtadiis ſecundum Arriani periplum ſupra excerptum: condita a Megarenſibus. Strabo lib. VII pag. 221 εἶτα τὸ Αἶμον ὄρος μέχρι τῆς δεῦρο θαλάττης διῆκον. εἶτα Μεσημβρία Μεγαρέων ἄποικος. *Deinde* [poſt Odeſſum] *eſt Hæmus mons, ad iſtud vſque mare pertingens. Sequitur Meſembria, colonia Megarenſium.* Plinius lib. IV cap. IX Oppidum *Tetranaulochus. Mons Hæmus, vaſto iugo procumbens in Pontum, oppidum habuit in vertice Ariſtæum. Nunc in ora Meſembria, Anchialum.* Illa *Tetranaulochus* vltra Hæmum ſita erat, etiam ſimpliciter *Naulochos* dicta; at ditionis Meſembrianorum. Strabo dicto loco: Ὀδησσὸς Μιλησίων ἄποικος, καὶ Ναύλοχος Μεσημβριανῶν πολίχνιον. εἶτα τὸ Αἶμον ὄρος. *Odeſſus Mileſiorum colonia: & Naulochos Meſembrianorum oppidum. Inde mons Hæmus.* Si quis in Hæmo limitem poſuerit, tamquam a natura conſtituto termino, Meſembria Thracibus adſcripta; non errabit, meo iudicio, vt ſupra quoque præfati ſumus.

MEDITERRANEA THRACIAE.

Quæ inter Strymonem & Neſtum ſunt, vſque ad Pangæum montem ferme, excepta Mædica regione; in Macedonia ſupra, cui adiecta fuerunt, expoſuimus. MAEDICA regio ſub Pangæo monte ſita, proxima Macedoniæ. Gens, *Mædi;* caput illorum *Iamphorina.* Polybius Excerpt. lib. X cap. XXXVIII τοὺς προσορῶντας τῇ Μακεδονίᾳ Θρᾷκας καὶ μάλιστα τοὺς Μαίδους ἐπιβολὰς ἔχειν ὡς ἐμβαλοῦντας ἐπὶ Μακεδονίαν, *finitimos Macedoniæ Thraces, & in his maxime Mædos, conſilium iniſſe incurrendi in Macedoniam,* Et Liuius lib. XXVI cap. XXV de Philippo: *in Thraciam exercitum & Mædos eduxit. Incurrere ea gens in Macedoniam ſolita erat. - - - vrbem Iamphorinam, caput arcemque Mædicæ, oppugnare cœpit.* Ptolemæus in Thracia, Macedoniam verſus ſita, Μαιδικὴ στρατηγία, *Mædica præfectura.* Meminit Liuius etiam oppidi *Petræ* in Mædis, ſed quem locum in hac gente tenuerit, non addit. Verba ſunt lib. XL cap. XXII *Inde* [a Dantheletis] *in Mædicam regreſſus, vrbem, quam Petram adpellant, oppugnare eſt adortus.* Superiori loco [lib. XXVI cap. XXV] *Phragandas,* obſcuram gentem, cum Mædis coniungit, vnde de ſitu, Macedoniæ propinquo, quodammodo iudicare licet.

Addit

Addit Ptolemæus: καὶ ὑπὲρ μὲν τὴν Μαιδικὴν Βεσσική, *& super Medicam, Bessica præfectura.* Mons *Pangæus* intercurrit, ad Philippos vsque se reflectens. Plinius lib. IV cap. XI *Populorum eius* [Thraciæ] *amnem Strymonem accolunt dextro latere Denseleta & Madi, ad Bisaltas vsque supra dictos: læuo Digeri, Bessorumque multa nomina ad Nestum amnem, Pangæi montis ima ambientem.* DENSELETAE etiam a Cicerone memorantur in Pisonem cap. XXXIV, vt *obediens nato Rom. imperio, quæ sola in barbarorum defectione Macedonica C. Sentium prætorem tutata sit.* Videntur esse Δανθηλῆται, *Dantheletæ* Ptolemæi, πρὸς τὰς Μυσίας καὶ τὸν Αἶμον τὸ ὄρος ἀρχόμενοι ἀπὸ δυσμῶν, *iuxta Mœsiam vtramque & Hæmum montem incipientes ab occasu.* Ibi fuit Δανθηλητικὴ στρατηγία, *præfectura Dantheletica.* Strabo lib. VII pag. 220 Μεδῶν τινὲς καὶ Δανθηλιτῶν, *quidam Medorum & Danthelitarum.* Et Liuius lib. XXXIX cap. LIII *Dantheletarum* cum Bessis mentionem fecit. Ptolemæus in Dantheletis ponit vrbem *Pautaliam*, Παυταλίαν, quam ita Stephanum quoque, non Παυταλία, scripsisse ordo eius probat alphabeticus. Recte. nam & Ezechiel Spanhemius, quem honoris gratia nominamus, produxit nummum, quo scriptum exstat ΠΑΥΤΑΛΙΑ. quod vna argumentum est, non ignobilem vrbem fuisse *Pautaliam.* A Traiano ornamenta habuit, quod alii nummi, ab eodem summo viro pag. 185 producti, diserte docent, epigraphen hanc præferentes ΟΥΛΠΙΑΣ ΠΑΥΤΑΛΙΑΣ, id est *Vlpiæ Pautaliæ*, Plinius quos *Digeros* vocat, Stephano sunt Δίγηροι, ἔθνος Θρᾴκιον, *Digeri, gens Thraciæ.*

BESSI omnium Thracum ferocissimi & barbari adeo, vt Hieronymus epitaphio Nepotiani, siue epist. III, præ ceteris Thracibus ac barbaris *Bessorum feritatem* notauerit. Paullinus Nolanus Carm. XVII ad Nicetam vers. 206

Et sua Bessi niue duriores.

Strabo dicto loco: Βέσσοι ὑπὲρ τὸ πλέον τοῦ ὄρους νέμονται τοῦ Αἵμου, καὶ ὑπὸ τῶν λῃστῶν λῃσταὶ προσαγορεύονται, *Bessi maiorem Hæmi partem tenent, & a prædonum multitudine Prædones cognominantur.* Eutropius lib. VI cap. VIII de M. Lucullo: *Bessis primus Romanorum intulit bellum, atque eos ingenti prœlio in Hæmo monte superauit.*

Oppidum illorum *Vscudama* fuit. Pergit ibidem Eutropius: *Oppidum Vscudamam, quod Bessi habitabant, eodem die, quo*

adgressus est, vicit. Ammianus quidem lib. XIV cap. XXXVII *Hadrianopolim, vrbem Haemimontanam, Vscudamam antehac adpellatam* tradit: quod etiam Sextus Rufus cap. IX adfirmauit. Sed incertior res est de priore nomine, quod Lampridius in Elagabalo cap. VII ait *Orestae* fuisse; Zonaras in Constantino Monomacho p. 199 Ὀρεςιάδος, *Orestiadis.* Ad haec Hadrianopolis in Odrysis potius, quam Bessis, sita est: nec propterea duae in Thracia Hadrianopoles fuere, vt Casaubonus ad Lampridium ex hoc ipso dissensu iudicauit.

Propior Bessis *Philoppopolis*, itidem ad Hebrum sita, sed multo superiorem: cuius aeque incertum nomen antiquum est. Ruso *Eumolpias* fuit: etiam Ammiano lib. XXII cap. II: Plinius autem lib. IV cap. XI vetus nomen *Poneropolim* fuisse dicit: deinde *Philippolim* ab amplificatore dictam; tandem *Trimontium* ab situ. Et Ptolemaeus nomen *Trimontii* habet coniunctum cum Φιλιππποπόλεως: sed, nisi mendum subest aut adsutum manu aliena, Philippi & Hadriani vrbes in vnam confundit. Philippus, conditor, Amyntae filius fuit, quia alterius Philippi temporibus iam clara vrbs erat. Liuius lib. XXXIX cap. LIII *mediam in Thraciam exercitum in Odrysas, & Dantheletas, & Bessos duxit. Philippopolin vrbem fuga desertam oppidanorum cepit.* Et mox: *relicta ad Philippolin praesidio.* Adde Polybii excerpt. Legat. cap. XLVIII. In occasum solis inde *Bessapara* recedit, ex Antonini cognita itinerario.

Sed ad Nessum siue Nestum reuertamur, quem Bessos attingere supra Plinius, & ex eo Solinus notauerunt. Adluit hoc flumen *Nicopolin.*, Traiani opus, cum cognomine *ad Nestum.* Ptolemaeus in mediterraneis Thraciae: Νικόπολις ἡ περὶ Νέσον, *Nicopolis, quae circa Nesum est*, siue Nessum: a quo situm etiam cognoscimus. Spanhemiano opere pag. 889. nummus proponitur, praescriptus ΟΥΛΠ. ΝΙΚΟΠΟΛΕΟС ΠΡΟС ΝΕСΤΟ, *Vlpiae Nicopoleos ad Nestum.* nam ο aliquando in nummis pro ω est. Et aliis Commodi ac Caracallae apud Harduinum: ΟΥΛΠ. ΝΙΚΟΠΟΛΕΩС ΠΡΟС ΜΕСΤΩ, *Vlpiae Nicopoleos iuxta Mestum.* Sic enim cum M etiam hoc flumen fuisse nominatum, supra adnotatum est.

Sub

Sub Rhodope inter Neftum & Hebrum, Antonini itinere a Dyrrachio Byzantium, duo oppida nominantur, *Milolitum* & *Timporum:* vnde Traianopolim fit tranfitus. De priore filent ceteri: alterum nifi fallor, *Tempyrum* fcribendum eft & iuxta Aeniorum fines ad feptemtriones conftituendum. Liuius lib. XXXVIII cap. XLI *Inde Aeniorum fines, præter Apollinis (Zerynthum quem vocant incolæ) templum fuperant. Aliæ anguftiæ circa Tempyra excipiunt, (hoc loco nomen eft) nec minus confragofæ.* Confentit Ouidius lib. I Trift. eleg. IX

Inde leui vento Zerynthia litora nactis
Threiciam tetigit feffa carina Samon.
Saltus ab hac terra breuis eft Tempyra petenti.

Ipfe mons *Rhodope*, circa Neftum incipit & vltra Hebrum longe procurrit, vbique Hæmo ferme parallelus. Strabo lib. VII pag. 217 inde ufque ab Illyriis montibus deducit, cum quibus iuga Thraciæ connectit. Sed de hoc in fuperioribus plura: etiam de *Hebro* fluuio, maximo omnium Thracicorum, poetis & hiftoricis non minus laudato quam geographis, fupra actum eft.

Inter Hebrum, Rhodopen & mare quæ funt, itineribus Antonini explicantur optime. Ad Hebrum, vbi curfum in auftrum flectit, *Hadrianopolis*, CXXXIV millibus a Philippoli, quæ ad eumdem amnem eft fuperius: de quibus eft antea dictum. Quæ interiecta funt, obfcura loca funt omnia, itinere ab vrbe in orientem nominata pag. 30 ed. Schotti.

Infra Hadrianopolin ad idem flumen eft *Plotinopolis*, a Traiani vxore adpellata: & deinde *Traianopolis*. Inclutam conditoribus fuis vtramque Ptolemæus memorauit: & Notitia Epifcopatuum Græc. etiam vtramque habet, *Plotinopolin*, in Hæmimontana prouincia; *Traianopolin* in prouincia Rhodope. Antoninus quo loco vtramque habuerit, iter a Plotinopoli Heracleam oftendit, hoc ordine diftributum:

Plotinopoli		
Traianopolim	M. P.	XXII
Apros	M. P.	XXIII
Refifton	M. P.	XXII
Heracleam	M. P.	XXV.

 Inter-

Interiacet *Dyme* inter Plotinopolin & Traianopolin, ex Ptolemæi dispositione, cui Δύμη est: & ex itinere a Dyrrachio Byzantium. Inter Plotinopolin & Hadrianopolin videtur *Nice*, Νίκη, fuisse, vbi confessionem Ariani conscripserunt, vt homines imperitis imponerent, quasi Nicena esset Bithyniæ. Ammianus lib. XXXI cap. XXXI *Nicen stationem* memorat inter Byzantium & Hadrianopolin. Itinerarium Hierosolymitanum, vt vocant, siue iter a Burdigala Hierosolymam, sedem propius definit, a *Philippopoli* per CVI millia ducens *Nicen*, inde per XL circiter *Drusiparam*, & per totidem fere *Heracleam*. Quo posito, circa Hadrianopolin aut Plotinopolin cadet, aut in medium inter vtramque. Scribitur itinerario *Nica*: at in Ariana illa historia est Νίκη, *Nice* apud Socratem lib. II cap. XXXVII, & Sozomenum lib. IV cap. XIX: & vterque πόλιν, *oppidum* vocat, quam Ammianus *stationem*.

Syracella inter Traianopolin & Apros, itinere ab Hydrunte Aulonem per Macedoniam. *Apri* autem, Ptolemæo Ἄπρει κολώνια, *Apri colonia* Romana, circa Melam flumen fuerunt. Antoninus etiam plurali *Apros* dixit itinere iam dicto a Plotinopoli: Plinius autem singulari numero *Apros colonia*, lib. IV cap. XI: & Stephanus, Ἄπρος, θηλυκὸν, πόλις Θρᾴκης, *Apros*, *feminini generis*, *vrbs Thraciæ*. Etiam Hierocles Ἄπρος. Vaillantius de nummis coloniar. p. 153 Aprum coloniam a Claudio deductam censet, quamuis nullus illius nummus aut aliud monimentum supersit: quod verosimilius est, quam cum Cedreno p. 266, prætorii præfecto Apro, Carini socero, vindicare. Non enim attendit Cedrenus, iam tum a Plinio & Ptolemæo *coloniam* Aprum dictam esse.

Cypsella siue *Cypsela* oppidum superest, itidem circa Hebrum vel Melanem positum. Plinius *Cypsella*: Ptolemæus, qui etiam Κύψελλα gemino elemento scripsit, ad amnem fere Melanem suis profert numeris: Stephanus autem, cuius sunt Κύψελα, simplici littera, dicit πλησίον τοῦ Ἕβρου ποταμοῦ, *prope fluuium Hebrum* esse. Antonini ordo turbatus est, itinere ab Hydrunte per Macedoniam Constantinopolim, vt certi nihil inde haberi possit. Ceterum *Cypsela* Liuio plurale est, qui lib. XXXI cap. XVI in castellis numerat: sed Stephano est πόλις Θρᾴκης, *vrbs Thraciæ*, quod probabilius. Iterum Liuius lib. XXXVIII cap. XL

Postero

Postero die Cypsela peruenit: a Cypselis via X millium fere silucstris. Australem autem situm Cypsellorum Ptolemæo debemus. De *Resisto* supra diximus, hoc itinere inter Apros & Heracleam fere medio loco constitui, ideoque frustra ab nonnullis cum Rhædesto confusam esse. Ab Hadrianopoli Heracleam peregrinator Antonius itinere gemino per *Bergulas*, & *Drusiparam* ducit: & sic vtrumque per rectam lineam circa Rhodopen montem cadit. Ordo est huiusmodi:

Hadrianopoli		
Ostudizum	M. P.	XVIII
Burtudizum	M. P.	XVIII
Bergulas	M. P.	XVIII
Drusiparam	M. P.	XIIII
Izirallon	M. P.	XVI
Heracleam	M. P.	XVIII.

Priora sunt obscura. *Bergulæ* a Cedreno dicto loco Βεργούλιον, *Bergulion*; a Ptolemæo Βεργούλη, *Bergule* seu *Bergula* dicuntur, quod singulare femineum videtur genuinum esse. *Drusipara* priori itinere *Drizipara*, corrupte forsan; posteriore *Drusiparum* neutro genere: corruptius apud Suidam Δριζιπάρος, *Drixiparos*. Vera videtur Ptolemæi Δρουσιπάρα, *Drusipara*, quamquam nec Antonini *Drusiparum* contemnendum est.

Quæ inter Hæmum & Rhodopen sunt cognita, maiorem partem Ptolemæo indice cognita habemus: vt sunt *Nicopolis* ad Hæmum, Νικόπολις περὶ Αἷμον, diuersa ab illa altera Thraciæ ad Nessum eodem auctore: & Πρασίδιον, (forte *Præsidium*) item *Vala*, & *Opisana*, omnia sub Hæmo, sed obscuriora: ad Rhodopen *Ostaphos* & *Arzos*: ad *Panysum* fluuium, qui supra Mesembriam in Pontum ruit, Carpudæmum, Orcelis, & superius, Δεούελτος κολώνια, *Deueltus colonia*: *Deultum* alias. Plinius IV cap. XI *Halmydessos*, *Deuelton cum stagno*, *quod nunc Deultum vocatur*, *veteranorum*. Veteranorum ergo colonia fuit, ab Vespasiano deducta, quia *Flauia* in nummis cognominatur. Caracallæ nummus apud Patinum p. 301 COL. FL. PAC. DEVLT. id est, *Colonia Flauia Pacensis Deultum*. quod & sub aliis principibus repetitum fuit p. 343, 358.

Trans

Trans flumen *Tonzos*, *Bizya*, *Cabyle*. De *Tonzo* nihil præterea notum: *Bizya* & aliis memorata, gentis suæ regia. Plinivs dicto loco: *Intus Bizya, arx regum Thraciæ, a Terei nefasto crimine inuisa hirundinibus.* Solinus cap. x addit nonnulla: *In Cænicensi regione, non longe a Flauiopoli colonia, Bizye oppidum, quondam arx Terei regis, inuisum hirundinibus, & deinceps alitibus illis inaccessum.* nota fabula ex lib. vi Metamorphoseos Ouidianæ. Quod vero in *Cænicensi* regione dicit, displicet Salmasio, quia Stephanus ait: Βιζύη, πόλις Θρᾴκης, τὸ τῶν Ἀστῶν βασίλειον, *Bizye, vrbs Thraciæ, Astorum regia.* In Astica ergo regione fuit, si chorographus vere censuit. Tertia *Cabyle* sic quoque scripta est Eusebio in Chron. & Eutropio, Ammiano, & Harpocrationi, præter Ptolemæum: contra Straboni & Stephano Καλύβη, *Calybe:* quod etiam Sexti Rufi melioribus libris expressum est. Stephanus quidem vtrumque nomen exponit tamquam vrbium diuersarum; sed vnam & eamdem esse consensu doctissimorum adprobatum est, Scaligeri in Eus. p. 152, Spanhemii de vsu num. p. 903, Berkelii ad Stephani Καλύβη. Philippus Amyntæ coloniam perditorum hominum in eam deduxit, (πονηροτάτους ἐνταῦθα ἱδρύσας) vt Strabo refert lib. vii pag. 222. Vnde Stephano dicta ἄποικος Μακεδόνων, *colonia Macedonum.*

Hæc a Ptolemæo nominata: quibus *Flauiopolin* Plinii, antea *Zelam* dictam, adiicimus, de qua is ita in Thracia post Bizyam: *Regio Cænica, colonia Flauiopolis, vbi antea Zela oppidum vocabatur.* Solinus ait non longe a Bizya abesse, quam Asticæ supra regioni vindicauimus. Sed res illa regionum aut præfecturarum in plerisque est incerta, quia Ptolemæus nomina dedit; vrbes cuique regioni suas non subdidit. Mœsiæ & Hæmo monti obuertit *Dantheleticam*, *Vsdicesicam*, *Selleticam:* Macedoniæ & Aegæo, *Mædicam*, *Drosicam*, *Coeleticam*, *Sapaicam*, *Cænicam:* Mædicæ superponit *Bessicam*, huic *Bennicam* & *Samaicam:* in maritimis a Perintho ad Apolloniam vsque *Asticam*, in cuius termino prope consentit Heracleota sub finem Perieges. cui *Thynia* est τῆς Ἀστικῆς ἐσχατιή, *Asticæ extrema.* Sed a Perintho an incipiat, subdubitatur. Strabo vii pag. 222 ὑπέρκειται τοῦ Βυζαντίου τὸ τῶν Ἀστῶν ἔθνος, *supra Byzantium est Astarum gens.* Stephanus tantummodo: Ἀσταί, ἔθνος Θρᾴκης τὸ κτητικὸν Ἀστικός, *Astæ Thracum gens: possessiuum Asticus.*

Asticus. Plinius IV cap. XI *Caletas* diuidit, *maiores Hæmo, minores Rhodopæ* subdit: *inter quos Hebrus amnis* sit. Qui tabulas Ptolemæo adiecit, siue Agadæmon est siue alius, non vbique cum prædictis consentit: quem interdum potius in nostra tabula, quam dubia aliorum præcepta, sequuti sumus.

Gentes autem Thraciæ nobiliores post Edones sunt *Mædi, Bistones, Cicones, Cæni, Bessi, Caletæ, Odrysæ* [Tacitus ann. III cap. XXXVIII *Calaletæ Odrusæque;* sed Liuius lib. XXXVIII cap. XL & Plin. IV cap. XI *Cæletæ*] & παράλιον *maritimam oram* tenentes *Astæ;* quos *Astios* Liuius vocat lib. XXXVIII cap. XL, *Cænos* simul, *Caletas* & *Maduatenos* nominans ad Hæmum *Denseletæ* seu *Denthaletæ*, & *Selletæ*. In his *Bessi* quondam & *Odrysæ* potentissimi. Hinc *Odrysius* poetis est Thracius, vt exemplis probatum dedimus ad illud Silii lib. IV vers. 432

- - - - *Mauors in prœlia currus*
Odrysia tellure vocat.

INSVLAE CIRCA THRACIAM.

Aegæi maris insulas exposuimus supra in Græcia: quæ proximæ sunt Thracibus, ad hunc locum reseruauimus. In iis

THASVS prima est, Nesti ostiis opposita, marmore cum primis, quod *Thasium lapidem* vocant, frumento & vino diues. Quidam geminant sibilantem huius vocabuli, & Stephano, ac nonnullis locis Polybii, est Θάσσος: Plinii itidem lib. IV cap. XII *Thassus.* Sed plurimi simplici Σ scripserunt Θάσος, *Thasus*, Herodotus, Thucydides, Scylax extremo periplo, Strabo, & Philippi pacificatione Excerpt. Polyb. Legat. IX: ac in nummis Harduini ac Thesauri Brandenburgici ΘΑΣΙΩΝ. Strabo lib. X pag. 335 ὑπὸ παρίων ἐκτίσθη Θάσος, *a Pariis condita & culta Thasus:* quod de noua colonia intelligamus. primi enim conditores Phœnices fuerunt. Herodotus lib. II cap. XLIV inuenisse se in Thaso templum ait, ὑπὸ Φοινίκων ἱδρυμένον, οἱ κατ' Εὐρώπης ζήτησιν ἐκπλώσαντες, Θάσον ἔκτισαν, *a Phœnicibus exstructum, qui ad inuestigandam Europam nauigantes Thasum condiderunt.* A Phœnice Thaso, qui cum Cadmo profectus sit, nomen habere Heracleota Martianus pag. 27 auctor est,

- - - - - Φοίνικες μετὰ Κάδμου καὶ Θάσου
Ἐκ τῆς Ἀσίας διαβάντες ἔλαβον δὴ Θάσον,
Ἀπὸ τοῦ Θάσου καὶ τοὔνομ', ὡς καὶ νῦν ἔχει.

Priſcum nomen Euſtathius ad Dionyſium Χρυσῆ, *Chryſe* tradit fuiſſe: addit Plinius nomina *Aëria* & *Aethria*. Mela lib. II cap. VII *In Aegaeo mari prope Thraciam Thaſos, Imbros, Samothrace.* In diuitiis inſulæ laudat Euſtathius & *μέταλλα χρυσᾶ, aurifodinas:* ſed largior prouentus ex marmore. Seneca epiſt. LXXXVI de Romanorum luxu: *Pauper ſibi videtur ac ſordidus, niſi Alexandrina marmora Numidicis cruſtis diſtincta ſunt, - - - niſi Thaſius lapis, quondam rarum in aliquo ſpectaculum templo, piſcinas noſtras circumdedit.* De frugum prouentu Dionyſius verſ. 523

- - - ὠγυγίη τε Θάσος, Δημήτερος ἀκτή,

id eſt *Thaſus Cereris litus*, quæ ita vocatur, Euſtathio interprete, διὰ τὸ εὐδαίμον τῆς νήσου, καὶ εὔκαρπον, *propter fertilitatis felicitatem.* De vino Apuleius Apolog. p. 289 *Olitori & cauponi merito eſt conceſſum, olus & vinum ex nobilitate ſoli commendare, vinum Thaſium, olus Phliaſium.* Nepos Cimone cap. II *Thaſios opulentia fretos ſuo aduentu fregit.* Sub Romanis liberi fuere. Plinius: *Thaſſos libera.* Ptolemæo lib. III cap. XI vocata Θαλασσία, *Thalaſſia*, quod corruptum ex Θάσος vel Θασσία videtur. Vid. Voſſ. in Scylacem.

SAMOTHRACE obiecta Hebri oſtiis, religionis fama nobilitata & aſylo. De nomine mire variant an Samo, Ionum inſulæ, acceptum ferat. Straboni lib. X pag. 315 videtur probabilius, ἀπὸ τοῦ σάμους, quo nomine τὰ ὕψη, *altitudines* ſignificentur, deductam adpellationem eſſe, quia Ida & Troia ex vertice illius, ſecundum Iliados N verſ. 12 potuiſſent conſpici. Certe *Samos* fuit antiquum nomen, vt Strabo cenſet lib. VII extremo: additamentum *Thraciæ* diſcretionis cauſſa factum. Dionyſius verſ. 524

Ἴμβρος, Θρηϊκίη τε Σάμος, Κορυβάντιον ἄστυ,
Imbrus, & Threicia Samus, oppidum Corybantium.

Corybantes ad religionem loci pertinent, quia venerabile ibi templum fuit, cuius etiam Plutarchus meminit in Pompeio p. 631. Ibi τὰ ἐν Σαμοθράκῃ μυστήρια, *initiationis myſteria*, vt Strabo dicto loco vocat, tradebantur. non minoris æſtimata quam Eleuſinia.

Eleusinia. Etiam asylum erat sanctissimum. Plutarchus Aemil. Paullo p. 268 *Octauius*, consulis legatus, τὴν ἀσυλίαν παρέσχεν τῷ Πέρσει διὰ τοὺς θεοὺς, *Persen inuiolatum deorum caussa reliquit.* Eadem historia a Liuio est perscripta lib. XLV cap. V *Classis Cn. Octauii Samothracam est adpulsa*, reliqua. Vrbem habuit cognominem. Ptolemaeus III cap. XI extremo: Σαμοθράκη νῆσος καὶ πόλις, *Samothrace insula & oppidum.* Quum Macedones inualuissent, in illorum ditione fuit. Liuius lib. XLIV cap. XXV *pecuniam* [Persen] *interea Samothracae in templo depositurum. Ea insula quum ipsius ditionis esset, videre Eumenes, nihil interesse, an Pellae pecunia esset.* Plura de nominis origine, primis cultoribus, auctore mysteriorum in hac insula, disputat Diodorus Siculus lib. V cap. XLVII seq. Et haec libera sub Romanis mansit. Plinius IV cap. XII *insula Samothrace, quae libera, ante Hebrum: ab Imbro triginta duo millia: a Lemno viginti duo* M. D. *a Thraciae ora triginta octo millia: circuitu triginta duo millia: attollitur monte Saoce decem* M. *passuum altitudinis; vel importunissima omnium.* Sunt qui *Zerinthon antrum* Lycophronis vers. 77 huic insulae tribuunt, sequuti Aristophanis scholiasten in Pacem pag. 641: quod alii plerique in Thraciae ora quaesiuerunt, vt supra demonstrauimus.

IMBRVS opposita Mastusiae Chersonesi. Distantiam ex Plinio iam cognouimus. Stephanus: Ἴμβρος νῆσος ἐστὶ Θράκης, ἱερὰ Καβείρων καὶ Ἑρμοῦ, *Imbrus est insula Thraciae, Cabiris sacra & Mercurio.* Liuius lib. XXXV cap. XLIII *Imbrum primum insulam tenuit: inde Scyathum traiecit.* Ouidius lib. I Trist. eleg. IX

Venimus in portus, Imbria terra, tuos.

CYANEAE, Κυάνεαι, duae paruae insulae, quasi scopuli, sunt proxime ad Bosporum, in Ponto, de quibus & distantia illarum supra ex Arriano aliquid praediximus. Vna Asiam, altera Europam spectat. Strabo lib. VII pag. 221 αἱ δὲ Κυάνεαι πρὸς τῷ στόματι τοῦ Πόντου εἰσὶ δύο νησίδια, τὸ μὲν τῇ Εὐρώπῃ προσεχὲς, τὸ δὲ τῇ Ἀσίᾳ, πορθμῷ διειργόμενα ὅσον εἴκοσι σταδίων. *Cyaneae sunt duae exiguae ad fauces Ponti, altera Europae, altera Asiae adiuncta, circiter* XX *stadiorum freto distantes.* De his fabula fuit, esse mobiles, coire & collidi, rursusque discedere. Pomponius Mela lib. II cap. VII *Contra Thracium Bosporum duae paruae, paruoque distantes spa-*

tio, & aliquando credita dictaque concurrere, & Cyaneæ vocantur & Symplegades. Plinius eadem transcripsit lib. IV cap. XIII adiecta origine ac caussa fabulæ: *In Ponto duæ* MD *pass. ab Europa:* XIV M. *ab ostio, Cyaneæ, ab aliis Symplegades adpellatæ: traditaque fabulis se inter concurrisse, quoniam paruo discreta interuallo ex aduerso intrantibus geminæ cernebantur, paullumque deflexa acie, coëuntium speciem præbebant.* Ex his Darius Hystaspis dicitur Pontum contemplatus, apud Herodotum lib. IV cap. LXXXV. Ammianus lib. XXII cap. XIII *geminos scopulos* vocat: Lycophron vers. 1285 πέτρας, *saxa,*

Ἃς πόντος Ἕλλης καὶ πέτραι Συμπληγάδες.

Ouidius, ad fabulam adludens, lib. I Trist. eleg. IX

Transeat instabiles strenua Cyaneas.

Idem epistola Medeæ ad Iasonem vers. 121


Compressos vtinam Symplegades elisissent.

F I N I S.

ERRATA OPERARVM.

Pag. 71 vers. 29 lege *Scalabis.* Pag. 73 v. 9 Ἀαγκήν. Pag. 74 v. 31 *Antoninianam*, sex syllabis. Pag. 93 v. 2 *Selambinam:* ibidem v. 31 *Coloniæ.* Pag. 125 v. 5 *Taderem* vocali prima. Pag. 81 v. 9 *Bigerrones* quatuor syllabis. Pag. 186 v. 30 *Vasesus.* Pag. 189 v. 23 post *Vidimus* incide, ac adde *signat.* Ibidem v. 24 *Peutingerianæ.* Pag. 212 v. 14 *Parisiensis.* Pag. 260 v. 6, & pag. 266 v. 10 *Cluuerius.* Pag. 339 v. 21 incide inter CONDRVSI & SEGNI. Pag. 386 v. 30 *Bellouacorum:* & v. 32 *Bellouacos.* Pag. 489 v. 5 *Bergos* plurali. Pag. 491 v. 20 *Electrides* quatuor syllabis. Pag. 508 v. 15 *Byzantine.* Pag. 513 v. 34 incide inter *Argodam*, & *Tabanam.* Pag. 534 v. 8 *quod;* non *quo.* Ibidem v. 21 *Lacum*, non *locum.* Pag. 574 v. 21 *iisque.* Pag. 584 v. 31 *Trimamium.* Pag. 59[illegible] v. 4 *Bulgarorum.* Pag. 606 v. vlt. *Casaubono.* Pag. 669 v. 6 *Lepidum.* Ibidem v. antepen. *Gabellum.* Pag. 796 v. 21 *Rutuli.* Pag. 804 v. 24 coniunge perperam diuisi ἐκεῖσε. Pag. 855 v. 28 *Clanius* per G, non G. Pag. 1016 v. 23 *monstrabimus.* Pag. 1033 v. 14 *Eordos.* Pag. 1053 v. 20 Στρυμόνιον. Pag. 1061 v. 28 adde *Stephanus* inter *quod* & *Hypatam.* Pag. 1089 v. 24 Σέβοτα. Pag. 1123 v. 11 *Antirrhii.* Pag. 1193 v. 8 κρημνὸς: & v. 34 *Tænari.* Pag. 1276 v. 26 Ἀμνισῷ: & v. 05 *Amnisi.*

INDEX



INDEX GEOGRAPHICVS.

A.

Aleman-

Amphi-

Ara

Athyras

Batulum

Blanda

Brigo-

C.

Candauia

Comagenæ

Cossa

Cyllene

Durocaffes,

Etobesa

G.

Glanateua

H.

Heles

Idomenæ

Kynos

Libisosona

Lucenti

Magnesia

Olbiensis

Offigi

Pytna

Sacripor-

Sebum

Vfens

